BIB. COLL.
PICTAV S J.

Digitized by Google

ALSATIÆ
ILLUSTRATÆ
TOMUS I.

Digitized by Google

ATIA

USTRATA


A ROMANA

RANCICA

AUCTOR

EL SCHOEPFLINUS

graphus Regius, Hiſtor. & Eloq. Profeſſor Argent.
ptionum ut & Anglic. Petropolit. ac Corton.
Academiarum Socius.



COLMARIÆ

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

Sumptibus Jo. Friderici Schoepflini.

M DCC LI.

ALSATIÆ
ILLUSTRATÆ
TOMUS I.

Google

ALSATIA
ILLUSTRATA
CELTICA ROMANA
FRANCICA

AUCTOR

JO. DANIEL SCHOEPFLINUS

Conſil. & Hiſtoriographus Regius, Hiſtor. & Eloq. Profeſſor Argent.
Regiæ Inſcriptionum ut & Anglic. Petropolit. ac Corton.
Academiarum Socius.



COLMARIÆ

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

Sumptibus Jo. Friderici Schoepflini.

M DCC LI.

Digitized by Google

LVDOVICO
XV.
SERVATORI
ALSATIAE
TRIVMPHATORI
PACIFICO
GALLIARVM
TRAIANO
FATORVM SVORVM
OMNIS AEVI
VOLVMINA
CONSECRAT
ALSATIA OBSEQVENS
PIA GRATA FIDELIS
INTERPRETE
IO. DANIELE SCHOEPFLINO.

PRÆFATIO.

Quod poſt renatas in Alſatia literas duo celebres Alſatæ ſe præſtituros promiſerunt, id exterus, Alſatica civitate donatus, timida ego manu perſolvo. HIERONYMUS GEBVILERUS, Eraſmi amicus, Rhenani præceptor, Seleſtadienſis & Hagenoenſis Scholarum, tum florentium, Rector, ſuum Alſatiæ illuſtrandæ conſilium annuntiaverat, (a) ſed Liber ejus lucem non vidit. Superiore ſeculo copioſos Rerum Alſaticarum Commentarios editurus, *Prodromum* ſuum præmiſit, ULRICUS OBRECHTUS, Regius dein Argentoratenſium Prætor, ſi quis unquam, par huic labori; ſed publicis negotiis laudabiles ejus ſunt interverſi conatus; Prodromum non excepit Epidromus.

Noſtra tandem ætate Annalium Alſaticorum corpus perpetuum, Gallica lingua, confecit LUDOVICUS LAGUILLIUS, è Sodalitlo Jeſu, Vir gravis & doctus. Hic opus difficile, Germanici idiomatis morumque ignaro difficillimum, fortiter conſtanterque ſuſcepit, & novennali non interrupto labore perduxit ad finem: laudandus profecto, quod

)(2 transiens

(a) Alſatiæ Illuſtratæ ſuæ mentionem facit Gebvilerus in aliquot locis Codicis manuſcripti de *Comitibus Habsburg.* Lib. III. Cap. X. Adde BEBELIUM *Antiquitat. German. Prima* pag. 72.

tranſiens modo hoſpes id præſtitit primus, quod plures ante ipſum moliti ſunt Alſatæ: non reprehendendus, quod in campo, tam late patente, partem quoque meſſis reliquerit aliis; uti ſpicilegium ego ſucceſſoribus quoque relicturus ſum meis.

Enimvero magnorum ſemper eventuum theatrum Alſatia claruit; præcipuam tamen fatorum ſuorum partem ignorat: antiqua, quod nullos; media, quod paucos, & quidem, ex temporum genio, jejunos ſterileſque, produxit Scriptores; fatum exteris quoque Provinciis cum noſtra commune. Neque tamen inter Annaliſtas hos ullus ſeculo XIII. antiquior eſt. Tum enim Ebersheimenſis & Colmarienſis Chronicorum Compilatores Anonymi, Fridericus item Closnerus & Petrus, Argentinenſes, Alſaticas res, ſed levi currenteque veluti calamo, perſcribere cœperunt. Seculum XIV. Albertum Argentinatem, Jacobum à Kœnigshoven, ætas inſequens Petrum de Andlo, Wimphelingium, Schottum, Wolphios, Murrhones, Brandium, Hedionem, Specklinum, Schadæum, Hertzogium; poſterior & noſtra Luckium, Coccium, Bebelium, Obrechtum, Schilterum, Wenckerumque dederunt; qui ſinguli *Alſaticæ Hiſtoriæ* quasdam exſecuti ſunt partes.

Hos inter omnes in perſcribenda Hiſtoria primus deſiit nugari Sebastianus Murrho, (*b*) Canonicus Colmarienſis, Vir laude digniſſimus; qui Opuſculum de Rebus Germanicis, quod Wimphelingio hortante conſcripſerat, præmaturo fato ereptus, eidem abſolvendum reliquit; populari ſuo, Beato Rhenano, in Seleſtadienſium ſchola tum adhuc ludenti, ſuo Libro præludens. Beatus, Rhinovia ortus, unde agnomen Rhenani, omnium, qui ex Alſatia prodierunt, Hiſtoricorum doctrina & perſpicacia mentis præſtantiſſimus, Græcorum Latinorumque fontes primus aperuit, arteque critica uſus, fabulis inquinatam Alſatiæ Hiſtoriam purgare cœpit à ſordibus: illas præſertim Waſthaldo- & Hunibaldo-Trithemianas, quas Gebvilerus, præceptor ejus, pleno ore hauſerat, averſatus; quod aureolus *Rerum Germanicarum* libellus, ubi pleraque Alſatica ſunt, ſatis demonſtrat.

Poſtremi

(*b*) Senior, à juniore, qui nepos ex fratre, diſtinguendus. Senior An. MDII. jam mortuus fuit. Liber ejus extat inter *Scriptores Rer. Germ.* Schardii Tom. I.

PRÆFATIO.

Poſtremi ævi Scriptorum præ cæteris ſors fuit felicior, quod in tempus illud inciderant, quo certiores hiſtoriæ teſtes, Diplomata, Chartæ Pagenſes, Precariæ, Præſtariæ, Concambia, aliaque hujus generis Inſtrumenta, ex forulis ſcriniorum, ubi vel inſcitia, vel incuria, vel diffidentia, cuſtodum per tot ſecula latuerant, proreperunt in lucem. Surgente hac aurora, noſtræ quoque Hiſtoriæ majus lumen illuxit. Alſatia, ab ipſo Francicæ Monarchiæ initio Eccleſiarum & Monaſteriorum illuſtrium, quibus Reges & Imperatores privilegia; Duces, Comites, Dynaſtæ, innumera dona, contulerant, inſtitutione clareſcens, non potuit non inſigni Chartarum ſuperbire theſauro.

Ex hoc quidem longi temporis dens multa corrodit; plura hoſtium irruptiones; plurima inteſtinæ, per tot ſecula, Alſaticæ turbæ, ex hominum deleverunt memoria. Ruſticorum illi tumultus præſertim An. MDXXV. Tabularia noſtra magis, quam omnes ſuperiorum bellorum flammæ, afflixerant. Horum, in Eccleſias Dominosque graſſantium, colluvies non cœco quodam impetu, ſed aſtuto conſilio, ſacrilegas manus intulit Chartis, ut poſſeſſoribus nempe eriperet arma, quibus hi vetera proprietatis ſuæ jura contra colonos defenderent. Sceleri Numen indulſit. Maſoniana, Mauriana, Surburgenſia, Neoburgenſia, aliarumque Eccleſiarum tum perierunt Diplomata. Quantum lucis & decoris rebus Alſatiæ turbo hic abſtulit! Sed quid bella commemoro? quum tranquillis temporibus, in media literarum luce, literarias hujus generis gazas interiiſſe intelligam. Poſt ſeculi ſuperioris initia adhuc viderat Coccius (c) membranaceum Codicem, omni auro cariorem, quem An. MLXXIX. Cœnobita Honaugiæ Leo collegerat; in quo plus quam mille Donationum Adelberti, Luitfridi, Eberhardi, aliorumque Ducum & Comitum, ad Carolina usque tempora, continebantur apographa, quæ autographorum jacturam ſuppleſſent. Codicem Haugius, D. Petri Senioris Argentorati Præpoſitus, circa An. MDCXXIII. oſtenderat Coccio. Non multis tamen poſt annis eundem diſparuiſſe, vel ex eo colligimus, quod non viſus Obrechto.

Nec ſilentio denique prætereundum eſt aliud hoſtium genus, quod Chartophylaciis ingens detrimentum attulit, eoque nocuit magis, quod pluribus ſeculis fuerat occultum. Falſarios intelligo, qui Diplomatibus, à temporum ſervatis injuria, temerarias admoverunt manus, vel perditis ſpuria plane ſubſtituerunt. Octingenti jam anni ſunt, ex quo peſtis hæc

)(3 ſcrinia

(c) *Dagobert.* Cap. XIV. pag. 133.

ſcrinia Europæ invaſit. Diploma, quod illo tempore proximisve ſeculis fraudator conſtruxit, poſt aliquot ſeculorum lapſum, pro authentico habitum eſt. In ſolenni Germaniæ Principum apud Hagenoenſes Conventu, Oratoribus exterorum Regum magno numero præſentibus, Dagobertinum Weiſenburgenſis Eccleſiæ noſtræ Diploma Maximilianus I. quum inſpiceret Cæſar, (*d*) documenti antiquitatem omnis Procerum miratus eſt ordo, quod noſtra ætate Artis Diplomaticæ tiro facile arguit. Hæc ergo impoſtorum temeritas, quam piam fortaſſis fraudem nonnulli crediderant, ſcriniis Alſaticis haudquaquam pepercit. Ex Merovingicis Chartis noſtris plures, dolum non ſuſpicatus, bona fide in *Dagoberto* ſuo protulit Coccius. Nec alia facile Europæ Eccleſiaſticæ Chartophylacia ab hac peſte immunia fuerunt. Idem ſane morbus San-Dionyſiana autographa, quæ inter illuſtriſſima Galliæ ſunt, MABILLONIO (*e*) conquerente, afflixit. Temeratorum audaciam ignorantia ævi, obnoxia fraudibus, multum adauxit; unde crimen tam frequens, ut Clerici, Monachi, Notarii, Scribæ, imo & fœminæ, in illud inciderent. (*f*) Talem fabrum Diplomatum, nomine Guernonem, ſec. XII. Monaſterium S. Medardi apud Sueſſiones aluit; qui, morti vicinus, fraudes ſuas profeſſus eſt ultro. (*g*)

Neque vero ab impoſtoribus his unum modo corruptionis exercitum eſt genus. Nonnulli ex autographis ipſis apographa fideliter exſcripſerant, ut lacero ſcripturæ fugientis documento ſubſtituerent integrum. Fuerunt, qui authentici Diplomatis, caſu quodam amiſſi, ut ſupplerent jacturam, novi ex ingenio condendi iniverunt conſilium. Majore malignitate alii effinxerant Chartas, ut alienos ſibi fundos aut jura adſcriberent: alii denique genuinas & veras lituris & interpolationibus hinc inde corruperunt. Singulas iſtas corruptionis ſpecies ut in aliis, ita & in Alſatiæ Tabulariis, hinc inde deprehendi. Qualemcunque uſum auctoritatemve his Inſtrumentis in foro conſtituant Judices, hiſtoricus certe nonnullus eis tribuendus eſt uſus. Temerator verſutus Regeſta, Libros Cenſuales & Salicos, Urbaria, aliasque Chartas conſuluit, antequam ſuam conficeret; adeoque vera rerum ſui temporis

(*d*) HEDA *Hiſtor. Epiſcopor. Ultraject.* Cap. V. pag. 15.

(*e*) *De Re Diplom.* Lib. II. Cap. XXVI. num. 15.

(*f*) Ibidem Lib. I. Cap. VI.

(*g*) WHARTONUS *Angliæ Sacræ* Tom. II. Præfat. pag. 4. Guerno hic Cantuarienſibus Monachis, aliiſque apud Anglos, falſas Chartas transmiſit.

temporis nomina tabulæ falſæ inſeruit; unde nemini non patet, vel in mediocri Diplomatum, ex tot ſtragibus ſuperſtitum, copia quam caute ſit nobis verſandum.

Ceterum, quod Leonis Cœnobitæ Codici contigiſſe memoravi, id Scriptoribus quoque Alſaticis quibusdam ſuperioris ævi evenit. FRIDERICI CLOSNERI, Argentinenſis Eccleſiæ Clerici, quem ſupra recenſui, Chronicon Gotfridus Rammingius, Urſtiſii & Guillimanni amicus, poſſederat. (*b*) HERMANNI PETRI DE ANDLO, Colmarienſis Canonici, Lutenbacenſis Præpoſiti, Academiæ Baſilienſis, à Pio II. inſtitutæ, primi Rectoris, Alſaticum Chronicon Luckius noſter manibus ſuis tractavit, & ex eo dedit excerpta; ſed utriusque Scriptoris uſu ætas noſtra jam caret. Reſiduæ ex tot naufragiis tabulæ raritate & pretio quum magnopere augeantur, non Diplomaticum modo Codicem *Alſatiæ Illuſtratæ* ſubjungam, ſed & Rerum Alſaticarum Scriptores ſuo tempore edendi conſilium exequar.

Neque vero absque matura animi deliberatione hos labores aggreſſus ſum. Explorato identidem profundi fluminis vado, fluctibus me tandem commiſi, ex quibus nunc emergere incipio; DIONIS illius COCCEJANI (*i*) imitatus exemplum, qui Hiſtoriam conſcripturus Romanam, totos decem annos rebus colligendis, duodecim digerendis, ſe impendiſſe profitetur. Hiſtoria nonniſi longo labore, otioque præparatò, inſtitui, neque exiguo tempore poteſt abſolvi. Eruendis Romanorum Marmoribus faſtigia montium, ſaltuum ſilvarumque ſunt inveſtiganda ſecreta; dejiciendæ murorum & turrium pinnæ: protrahendis in lucem Diplomatibus & Chartis excutienda ſunt Eccleſiarum, Monaſteriorum, Principum, Dynaſtarum & Urbium, imo & privatorum, Chartophylacia, Bibliothecæ & ſchedæ, priusquam molis extruendæ fiat initium. Benigniſſimum Regis Numen, ſub cujus auſpiciis res omnis ſuſcepta eſt, adſpiravit labori.

Variabilis

(*b*) Excerpta ex Closneri Chronico Rammingius Urſtiſio tranſmiſit, quæ doctiſſimus BRUCKERUS, Hiſtoriarum apud Baſilienſes Profeſſor, ſchedarum Urſtiſianarum hæres, mecum benigne communicavit. Adi etiam GUILLIMANNI *Habsburgiaca* Lib. VI. Cap. II. pag. 336.

(*i*) *Hiſtor. Rom.* Lib. LXXII.

Variabilis autem quum ſit Rerum publicarum conditio, diverſis quoque ſub temporum epochis earum conſiderandus eſt ſtatus; ſive Geographicum, ſive Politicum & Sacrum, ſive Mores, reſpicias. In hanc formam totum noſtrum Alſatiæ Illuſtratæ digeſtum eſt opus. Volumen primum Celticam, Romanam, Francicamque Periodos; ſecundum Germanicam; tertium Alſatiam Sacram Literatamque evolvit. Hiſtorici perfecti munus eſt, nihil veri non dicere, & nil dicere falſi. Utrumque in argumento tam vaſto præſtare, divinitatis, non hominis eſt. Quodſi Fabius Grammatici virtutem eſſe cenſuit, aliqua neſcire, Hiſtorico non imputabitur in vitium, multa ſi neſcit; in reliquis deprecanda eſt culpa, quum non liceat culpa vacare.

ILLU-



ILLUSTRATÆ ALSATIÆ CONSPECTUS.

§. I.

REGIONES, quæ Jura & Vogeſo montibus, Rheno & Queicha fluviis terminantur, ante Julii Dictatoris ætatem, nonniſi Gallicis populis habitatæ fuerunt. Ultra limites hos nunquam ſe extendit ALSATIA, diverſis temporibus, diverſis quoque circumſcripta limitibus; prouti imminuta vel aucta fuit vicinorum ejus à meridie & à ſeptentrione potentia. Sub Merovingis jam Franciæ Regibus Aleſaciones à Sungintenſibus diſtincti fuerunt, (*a*) quos Thura amnis hodieque diſtinguit; nos Alſatiæ, latiore ſenſu ſumtæ, adjungimus. Sub Carolidis Ducatus Alſatiæ ad Birſam uſque flumen ſe extendit, adeoque Sundgoviam & omnem fere Rauricenſium agrum complexus eſt. (*b*) Orientalem poſtremis his ſeculis trans Rhenum limitem ad ſilvam uſque Martianam, ſed ſine ratione, prolatare viſum nonnullis; (*c*) qui nimirum Diœceſin, & omnem Argentinenſis Epiſcopi in Ortenavia ditionem, ad Alſatiam pertinere crediderunt. Circa limitem borealem dubitatior res eſt. HIERONYMUS GEBVILERUS, Alſata ipſe & Rerum Alſaticarum peri- Limites Alſatiæ Veteris & Novæ.

A

(*a*) FREDEGARIUS in *Chron.* Cap. XXXVII.

(*b*) In Lotharii Imp. CHARTA, A. 849. Romaricimonte data, Monaſterium Grandis Vallis, (*Mohtier Grandval*, Germanice *Granfeld in dem Munſterthal*) circa ſcatutigines Birſæ ſitum, Ducatui Heliſacenſi adſcribitur. ACHERII *Spicileg.* Tom. III. pag. 339. Edit. poſter. Unde ÆGIDIUS TSCHUDIUS, accuratus Rerum Helveticarum Scriptor, in *Veteris Helvetiæ Delineatione*, magno cum labore concinnata, Germanice, quam manu ſcriptam teneo, pag. 163. ait: *Die Landgrafſchafft des Obern Elſaſs hat vor Zeiten ihren Anfang gehabt an der Birſs, und hinab ſeiner Länge nach das gantze Sundgaw und Obere Elſaſs, bis an den Erckenbach, jetz Eckenbach genannt*, id eſt: " Landgraviatus ſuperioris Alſatiæ olim initium ſuum habuit ad Birſam flumen, atque per omnem Sundgoviam & ſuperiorem Alſatiam, ad Eckenbach rivulum uſque ſe extendit." Conſentientem TSCHUDIUS habet SEBASTIANUM MUNSTERUM, Baſilienſium Profeſſorem, qui in *Coſmographia* ſua, Baſileæ ſcripta & edita, ipſam hanc urbem in Sundgovia ponit. Ita enim Lib. I. Cap. XXIV. pag. 28. Edit. Latinæ A. 1572. impreſſæ legimus: " Baſilea ſita in ſuperiori Alſatia, aut ſi mavis in Sunggovia.

(*c*) DANIEL SPECKLINUS, Architectus Argent. in *Tabula Topograph. Alſatiæ*, Argentorati edita A. 1576. Unde COCCIUS in *Dagoberto* Cap. VIII. pag. 70. Cœnobium Schutteranum, quod trans Rhenum ſitum eſt, in Alſatia ponit.

Digitized by Google

peritiſſimus Scriptor, neſcio quo inductus conſilio, hunc adeo contraxit, ut in ſua ad Carolum V. Imp. *Panegyri*, Sorna & Matra, quæ apud Druſenhemium Rheno junguntur, Alſatiam terminari confidenter aſſereret. (*d*) Ad Selzam flumen è contra, ubi Argentinenſis Epiſcopi Diœceſis fere finitur, limites hos promovet Beatus Rhenanus. (*e*) Franciscus Guillimannus (*f*) vero & Bernhardus Herzogius (*g*) ad Luteram uſque eos extendunt, quæ ex Vogeſo deſcendens ad Lauterburgum oppidum ſe in Rhenum effundit. Jacobus Chifletius, aſſerto ſatis vago, Alſatiam Nemetibus terminat. (*h*) Raymundus Marlianus, neſcio qua auctoritate inductus, urbem quoque Spiram in Alſatia ponit. (*i*) Jodoco Coccio denique, qui ante hos centum annos *Dagobertum* ſuum in Alſatia ſcripſit, obſcura deſignatione ad Menapios limitem hunc conſtituere placuit; (*k*) forte quod Menapios, ſtationarios milites, ad Tabernas Rhenenſes poſitos, apud Notitiæ Imperii Auctorem repererat. (*l*) Ipſe enim Menapiorum populus, inferioris Rheni accola, ad noſtras has partes nequit referri.

§. II.

Spirgoviæ limes meridionalis.

Alſatia atque Spirgovia media ætate, ante Palatinorum nempe in illis oris dominationem, quæ ſeculo XIV. ſub Rupertis præſertim egit radices, provinciæ quum conterminæ fuerint, Alſatici Pagi terminum borealem cum auſtrali Spirgoviæ concurriſſe neceſſe eſt. Enimvero Rerum Spirenſium graviſſimus Scriptor, Christophorus Lehmannus, qui Weiſſenburgum & Landaviam Spirgoviæ Pago accenſuerat primum, (*m*) mutata dein ſententia, poſt examen maturius, Landaviam in Alſatiæ Pago reponendam, Queichamque adeo flumen, quod per urbem hanc fertur, Alſatiæ profeſſus eſt limitem. (*n*) Perſuadere hoc illi poterat Salvi-conductus per Alſatiam & Spirgoviam ratio; teloneorum in illis conſtitutorum, adminiſtrandæ item utriuſque Præfecturæ modus, Præfectis injunctus; Indices denique Statuum, qui in Comitiis Alſaticis, pacis publicæ præſertim ſtabiliendæ cauſa, convenerunt; quæ Landaviam & Queicham Alſatiæ noſtræ marcam præfigunt, ut diſtinctim & ubertim ſuo loco docebimus. (*o*) Topicam Spirgoviæ recenſionem Chronici Gottwicensis Prodromus nobis ſuggeſſit; (*p*) in ea, quos reperimus, vici extra Alſatiam ſiti ſunt omnes. Non miramur ergo Originum Habsburgenſium Scriptorem illuſtrem Marquardum Herrgott in præclaro & ſplendido Opere, quod, Carolo VI. Imp. auſpice, Vindobonæ in lucem emiſit, ipſum hunc amnem Queicham bona quoque fide agnoviſſe Alſatiæ terminum. (*q*) Alſaticas has Regiones, quas nunc Helvetia, (*r*) & Elſgaudia à meridie, Burgundiæ Comitatus & Lotharingia ab occaſu, Marchionatus Badenſis, Ortenavia atque Briſgovia ab ortu, Palatinatus à ſeptentrione aſpiciunt; quas ſitus amœnitas, glebæ agrorumque fertilitas & clementia cœli mire commendant, antiquiſſimo, quod novimus, tempore Rauraci, Sequani & Mediomatrici inhabitarunt, omnes origine Galli.

§. III.

Jura mons Alſatiæ terminus.

Jura, Joras, Juraſius, Juraſſus, Cæsari, Plinio, Straboni & Ptolomæo (*s*) appellatur, mons Galliæ Celticæ vel Lugdunenſis à Rhodano fluvio & Geneva urbe montem Vogeſum verſus, adeoque à meridie ad ſeptentrionem dirigitur, Helvetios à Sequa-

(*d*) *Panegyr. Carolina* pag. 12.
(*e*) *Rerum German.* Lib. III. pag. 222. Mart. Zeilerus in *Topographia Alſatiæ* ab init. Ichtersheim *Elſaſſiſche Topogr.* pag. 4.
(*f*) *Habsburg.* Lib. II. pag. 50.
(*g*) *Chron. Alſat.* Lib. III. Cap. II. Add. Chanterrau le Febvre in *Veteris Auſtraſiæ Charta*, quæ præfixa Libro ejus *Conſiderations Hiſtoriques ſur la Genealogie de la Maiſon de Lorraine.* Specklinus in *Tab.* cit.
(*h*) *Alſatia vindicata* Cap. I.
(*i*) *Deſcript. veterum Galliæ Locorum* in voce *NEMETES.* Adde Franc. Irenicum in *Exegeſi Germaniæ* Lib. XI. pag. 370.
(*k*) Cap. IV. pag. 26.
(*l*) Notitia Dignit. Imperii Occid. Sect. LXIV. "Sub diſpoſitione Ducis Mogontiacenſis: Præfectus Mi„litum Menapiorum, Tabernis." Tabernas Rhenenſes hic intelligi, locus, qui ibidem memoratur, (*Saletio*) ad Rhenum quoque ſitus, nos docet.
(*m*) *Chron. Spir.* Lib. IV. Cap. IX.
(*n*) Lib. VII. Cap. XXIV.
(*o*) Sub *Landgraviatu inferioris Alſatiæ.*
(*p*) Lib. IV. pag. 780. Adde Marquard. Freher. *Orig. Palatinar.* Part. II. Cap. XV. pag. 78.
(*q*) *Genealog. Diplomat. Gentis Habsburg.* Lib. I. Cap. III. pag. 20. ubi ita ſcribit: "Alſatia ſuperior à „Suntgovia ſe extendit uſque Seleſtadium, Rheno„que & montibus Weſtgoviæ includitur, inter quos „inferior Alſatia à Seleſtadio protenditur uſque ad „fluvium Queicham.
(*r*) Helvetia nova intelligitur, quæ cis Juram & trans Rhenum ſe extendit. Vetus enim intra Juram continebatur & Rhenum. Baſelchouua, ſive Baſilienſis pagus, tractu temporis Alſatico limite excluſa eſt.
(*s*) Gallis *Mont Jura*, ubi vero inter Comitatum Burgundiæ & Baugeſiam (*Bugey*) vergit, ab oppidulo vicino *le Mont S. Claude* appellatur. Circa ortum Dubis dicitur *le Mont de Joux*: Germanis *der Jurten.* Illa pars autem Juraſſi, quæ à Waldshuto & Klingenavia in pagum uſque Tigurinum excurrit, vocatur Mons Caſtrorum, (*Legerberg*) ab aliis *Leberberg.* Prius nomen impoſitum eſt, quod caſtra ibi ſua Cæſar habuiſſe creditur.

Sequanis Rauraciſque jugo ſuo diſcludens. (*t*) Scilicet ubi Jura ad Novum Caſtrum, (*u*) Principatus Neocomenſis caput uſque, recta fere via proceſſit, à directione ſua boreali ad orientem, ſive illam Rheni partem ſe vertit, quæ ad Confluentes Helvetiæ recipit Arolam: atque adeo à Soloduro cum Arola inter eandem & Birſam flumen ad Rhenum uſque procurrit. Hæc portio Juræ, ab occaſu ad ortum directi, Rauracos ſpeciatim ab Helvetiis ſeparat; diverſis faucibus ex parte pervia. Scilicet non idem ramo huic Juræ contingit, quod Juræ, qui Sequanos ab Helvetiis dividit. Quum enim diverſis convallibus tranſitum ſatis facilem, Vogeſi inſtar noſtri, ab Helvetiis ad Sequanos Juraſſus aperiat, ut commode ſatis ab uno ejus latere ad oppoſitum penetrari poſſit; idem ille Juraſſus, ubi excurrit ad Rhenum, difficilior tranſitu eſt, ſuaſque viatoribus valles poſtquam ex parte aperit, mox altiſſima repagula objicit, quæ nonniſi cum labore & difficultate ſuperantur. Qua proxime Rheno Juraſſus accedit, prope vallem Frickianam (*x*) è regione arcis Habsburg, appellatur *der Bætzberg*, qui Taciti (*y*) *Vocetius* eſt. Pars Juræ prope Farnsburgum arcem, inter Oltingam & Aroviam oppidum, vocatur *Schafmatt.* (*z*) Inter Oltenam oppidum vero & Præfecturam Homburgenſem *Niderhawenſtein* (*a*) dicitur, inter Wallenburgum & Balſtallium *Oberhawenſtein*, (*b*) occaſum verſus procedendo *Waſſerfall*, (*c*) atque deinceps priſco nomine *Jurten.* Brachium denique Juræ, quod Baſileam verſus ſe extendit, Germanis appellatur *der Blawe*, unde Gallicum *Blaumont*, (*d*) & abjecto *B Laumont.* Sebastianus Munsterus (*e*) partem montis hujus, quæ Baſileæ vicinior eſt, ita deſcribit: " Juxta Birſam fluvium, diſtantia unius milliarii à Baſilea, conſurgit alius „ mons, quem vulgo *Blowen* vocant, creſcitque non parum in altitudine & aſperitate, „ quouſque ad Delſpergum oppidum veneris, ubi rurſum in planiciem deducitur. Sed „ ulterius verſus Bellelay monaſterium procedendo rurſum creſcit, ac deinde iterum „ evaneſcit ſpatio unius milliarii, hinc rurſum novum ſaxoſum & horrendum montium „ jugum ab oriente in occaſum extenditur, per quod nemini facile iter pateret, niſi „ Julius Cæſar, qui ante Chriſtum natum apud Sequanos bella geſſit, ingens ſaxum in „ portæ formam perforaſſet. Diſtat hic locus à Baſilea dieta una magna, adjacetque ei „ villa *Dachsfelden* appellata.„ Inſignis hic Juraſſi ramus, *Lomons* vel *Blavus*, tanto memorabilior nobis eſt, quod per ſola ejus ramenta minora in noſtram uſque Sundgoviam Juraſſus excurrit, facitque adeo, ut exigua illa Rauracorum, qui eum ab hac parte incoluerunt, portio noſtræ accenſeri poſſit Sundgoviæ, cujus reliqua omnia à Sequanis occupata fuerunt. Ad montem enim hunc pertinent Landscronæ & Phirreti arces, Granvilaria, Morimontium, (*Mærſperg*) Florimontium, (*Blumberg*) Abbatia item Lucellenſis, (*f*) in convallibus Juraſſi ſita. Imo per extremitates Laumontis Juraſſus cum Vogeſo quaſi cohæret, atque ramenta ſua prope villam *Giromagny*, metalli fodinis divitem, quæ in Alſatiæ finibus verſus Burgundiam ſita, inſerit Vogeſo, quem Juraſſi continuatorem eſſe haud abſurde hinc diceres. (*g*)

§. IV.

Sundgoviam ergo ab oriente Rhenus & Baſilea civitas cum ditione ſua, ab occidente Vogeſus & Lotharingia, ab auſtro Baſilienſis Epiſcopi, Montisbelgardi & Burgundiæ Comitatus ditiones terminant. A ſeptentrione vero amnis Thura, ex Sebenia valle profluens, Sundgoviam limitat, à quo ſi prope villam *Stafelfelt* lineam Neoburgum verſus, Briſgoviæ oppidum ad Rhenum, ducas, conſtituitur inde limes Sundgoviæ Alſatiæque finitor. Unde omnis Sundgoviæ ab oriente in occidentem longitudo, à ſinu, quem Rhenus è regione villæ Briſgoviæ *Iſtein* efficit, uſque ad Auxellam ſuperiorem (*Auxelles le haut*) duodecim circiter leucarum eſt. Latitudo autem, quam à meridie ad ſeptentrionem computamus, à Lucellenſi cœnobio ad Sennam oppidum uſque, non Sundgovia pars Alſatiæ.

 undecim

(*t*) Cæsar *de Bello Gall.* Lib. I. Cap. II. " Jura „ mons altiſſimus, qui eſt inter Sequanos & Helvetios.„ Strabo Lib. IV. *Geograph.*

(*u*) *Neuf-Châtel.*

(*x*) Germanis *Fricktbal*, per quam penetratur ad oppidum *Bruck*, quod fere ad pedes montis ſitum, cui Habsburgenſis arx impoſita.

(*y*) *Hiſt.* Lib. I. Cap. LXVIII. Nomen hoc *Vocetius* ad Vogeſum referri debere, tradidit imperite Dunodus *Déconverte de la Ville d'Antre en Franche-Comté*, ubi alia multa hujus generis paradoxa reperias. Nullibi propius Rheno accedit Juraſſus, quam prope Laufenburgum oppidum, ubi ramentum ejus ad Silvæ uſque Martianæ colles excurrit, ita ut hos inter & Juram Cataractæ illæ Rheni Laufenburgenſes formentur, quæ minores Laufenſibus ſunt, tam rapidæ tamen, ut onerariæ naves nonniſi oneribus vacuæ ibidem tranſeant. Ceterum Silvæ Martianæ, quæ vulgo *Nigra* vocatur, montes, ubi ad meridiem procurrunt, à Veteribus montis *Almoba* nomen acceperant, reliqua ſub *Hercynia* nomine Cæſaris ætate notiſſima fuerunt.

(*z*) Ovium pratum.

(*a*) Inferior exciſa rupes.

(*b*) Superior exciſa rupes. Viæ enim hæ nonniſi rupibus ſciſſis fieri potuerunt.

(*c*) Cataracta.

(*d*) Cæruleus mons: quod è longinquo intuentibus colore hoc præ cæteris conſpicuus eſt. Ejusdem nominis, cum additamento mons, eſt Silvæ Martianæ in Briſgovia, qui vocatur *Hoch-Blawen*, Altus Cæruleus mons.

(*e*) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. CIV. pag. 521.

(*f*) Quæ lingua illius oræ corrupta vulgari vocatur *Hincellan.*

(*g*) Franciscus Guillimannus *Habsburgiacor.* Lib. II. pag. 50. Vogeſum Juraſſi partem vocavit: Ab Alpibus autem progredi Juraſſus videtur.

undecim leucas excedit, eoque tractu loca notiora continentur: Landscrona, arx munita, Ferretenſe oppidum cum caſtro deſtructo, Lucellenſe cœnobium, Dela, Florimontium, Granvilaria, (*h*) Befortum, Huninga, Altkircha, Mulhuſium, Senna, Thanna atque S. Amarini (*i*) oppida, cum nobiliſſimis Maſonis-monaſterienſi atque Ottmarsheimenſi Illuſtrium Canoniſſarum collegiis: ex quibus locis priora ſex ad Rauracos, Befortium cum reliquis ad Sequanos pertinuerunt. Teutonica lingua in omni fere Sundgoviæ pago vernacula eſt, ſi extremam ejus partem, Elſgaudiæ & Comitatui Burgundiæ limitaneam excipias, ubi corrupta Gallica (*Patois*) in uſu. Forte antiquiore ævo loca hæc Elſgaudiæ, ubi eadem lingua dominatur, attributa fuerunt. Id certum, glebam hujus tractus minus fertilem atque durioris culturæ eſſe.

Sed redeundum ad Juram. Inter Birſæ fontes atque Biennam oppidum in Valle Sergoviæ, Porta Petræa vel Pertuſa (*Pierre-port* vel *Pierre-Pertuis*) conſpicitur, cui inditum nomen, quod ibi mons Jura XLVI. pedes in longum, XXV. in altum perforatus eſt arte, ut nimirum à Rauracis & Sequanis ad Helvetios facilis tranſitus eſſet; opus ſtupendum, quod falſa omnino conjectura Julio Cæſari adſcribit SEBASTIANUS MUNSTERUS, (*k*) quem plures alii ſecuti ſunt, Inſcriptionem ibi poſitam perverſe hanc referens:

NUMINIS AUOUSTI · VIA DUCTA PER ARDUA MONTIS
FELICITER PETRAM SCINDENS IN MAROINE FONTIS. (*l*)

Inter memoranda Juræ montis MERCATOR refert Virginis Caſtrum à Cæſare, ut ait, conſtructum. (*m*) DUNODUS (*n*) prope urbem Brundrutum in montanis Vogeſi Caſtra Cæſaris, ex veteri iocolarum quoque traditione enarrat. Ceterum idem mons Jura cum Rheno Baſilienſis Præſulis Diœceſin ab ortu & à meridie terminat, ut Vogeſus ab occaſu, & rivulus Eckenbach à ſeptentrione ejusdem diſterminatores ſunt. Ex illa Juraſſi parte, quæ *Lauonont* appellatur, tria flumina prodeunt, Ellus, Larga atque Allanus. Finem huic materiæ imponimus PHILIPPI CLUVERII (*o*) verbis, quibus ille Juræ extenſionem deſcribit: " Initium Jura mons à Geneva ducens verſus ſeptentrionem ad fontes Dubis „ fluminis protenditur, ejusdemque fluminis dextram ripam proſequitur uſque ad vicum, „ cui vulgare vocabulum *Pierre-porte*; unde in ortum æſtivum verſus lævam amnis Arolæ „ ripam radit, donec ipſe una cum Arola Rheno jungatur, ad oppidum Confluentes.

§. V.

Vogeſus Alſatiæ limes.

Vogeſus mons, Gallice *La Voſge*, *Les Voſges*, *Vauges*, Germanice *Waſichen*, *Waſgau*, *Waſgauer-Gebürg*; Græcis & Romanis Scriptoribus *Vogeſus*, in veteri tamen Inſcriptione Romana *Voſegus*, (*p*) medio ævo frequentius *Voſagus*, ſed & *Saltus*, *Eremus*, *Silva* appellatur. (*q*) Vocabulum procul dubio Celticum, *Voges*, *Vogs*, uti *Cimber*, *Cimbs*, vocali *e* abſorpta vel eliſa. Mons hic oritur in Lingonibus (*r*) Galliæ Belgicæ, circa oppidum Andematunum, (*Langres*) & primo quidem per XXV. leucas verſus Rhenum, adeoque ab occaſu ad orientem, ad Beforti urbis uſque regiones excurrit, eaque parte Burgundiæ Comitatum à Lotharingia dividit, ſub nomine *Montis Falcium* notus. (*s*) Inde ad ſeptentrionem ſe convertit, eandem Lotharingiam ab Alſatia ſeparans; atque ita per L. leucas Treviros & ſilvam Arduennam verſus deſcendit. In Celtica Alſatiæ Periodo Lingones à Sequanis diſtinxit Vogeſus; Mediomatricos autem, qui utrumque latus ejus ad Rhenum uſque habitaverant, diviſit medios, adeoque omni tractu ſuo Sequa-

(*h*) Dela, Florimontium & Granvilaria ad Elſgaudiæ pagum olim pertinuerunt.

(*i*) Duabus ab hoc oppido leucis ſunt fontes Moſellæ.

(*k*) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. CIV. pag. 522.

(*l*) Fontem Birſæ intelligi putant, qui magna aquarum vi ex monte Jura erumpit. MERULA in *Coſmographia* ſua, paucis immotatis, verſus eosdem recenſet. Inſcriptionem genuinam in *Alſatia Romana* dabimus, hæc enim corrupta & falſa eſt.

(*m*) PLANTINI *Helvetia antiqua & nova* Cap. V. pag. 27.

(*n*) *Lettres à M. l'Abbé de B**. ſur les Découvertes, qu'on a faites ſur le Rhin* 1716. pag. 24.

(*o*) *German. Antiq.* Lib. II. Cap. IV. n. 2.

(*p*) VOSEGO
MAXSIIMINUS.
V. S. L. L.

GRUTER. *Inſcript.* T. I. pag. 94. Vogeſo, uti Deo, votum hic ſolvitur, ut alibi *Deo Pennino*, hujus nominis monti. In TABULA THEODOSIANA à Bonconica ad Brocomagum pertinet *Silva Voſagus.*

(*q*) *Voſegi ſaltum atque ſecreta* EGINHARTUS in *Annalibus*; *Voſagi luſtra*, & *Voſagi latiſſimam vaſtitatem* ANONYMUS *Vitæ Ludovici Pii* AUCTOR; *Waſagum* NITHARDUS Lib. III. *Woſegam ſilvam* PRISCI ANNALES appellant. Alia hujus nominis ſilva in Diœceſi Laudunenſi olim fuit, quam HERMANNUS MONACHUS *de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis* Lib. III. Cap. III. memorat.

(*r*) CÆSAR Lib. IV. *de Bello Gall.* ait: " Moſa „ profluit ex monte Vogeſo, qui eſt in finibus Lingo„ num. „ Unde Romani in Vogeſo caſtra poſuerunt, quibus bellicoſos Lingones cohiberent, teſte LUCANO *Pharſal.* Lib. I.

„ Caſtraque, quæ Vogeſi curvam ſuper ardua rupem,
„ Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

HERCULANUS PLEINPISINUS in *Hiſtoria de Antiquitatibus Vallis Galileæ* Cap. I. ait: " Mons Voſagus, ut „ traditum eſt ab antiquis, & nos oculis percepimus, „ in finibus Lingonum incipit, & protenditur in „ ſeptentrionem, uſque ad fines Trevirorum &c. „ Ipſa urbs Lingonum primaria (*Langres*) Vogeſiano colli impoſita eſt. JEAN RUYR, *Antiquites des Voſges* in Præfat.

(*s*) Hæc pars Vogeſi prima, Burgundiam Comitalem à Lotharienſi Ducatu dividens, ac propterea quoque *Mons Burgundiæ* dicta, *Montagne de Bourgogne*, alias *Mons Falcium*, *Mont de Faucilles*, à fœno & paſcuis.

Sequanos, Lingones, Leucos, Mediomatricos & Treviros, vel incolas vel accolas aluit: Sequanos nimirum à latere meridionali Montis Falcium, Lingones vero à latere ejus boreali. Ubi à meridie ad ſeptentrionem ſe convertit, atque adeo parallelus fere Rheno deſcendit Vogeſus, occiduam tantum partem ejus Leuci, Lingonum vicini, utramque vero Mediomatrici, Leucorum vicini tenuerunt; quod ipſum quoque de Treviris, Mediomatricorum finitimis dicendum. Utraque enim hæc natio cis & trans Vogeſum, ad Rheni oram uſque habitavit. Uti vero Sequanos à Lingonibus diſtinxit Vogeſus, ita Araris, ex ſinu ejus prorumpens, Sequanos eosdem ſeparavit ab Æduis, adeoque Sequani Ararim inter & Rhenum, Juram & Vogeſum ſuas ſedes habuerunt. Lingones autem à Mediomatricis medii diſterminaverant Leuci, (t) Moſam inter & Moſellam habitantes. Vogeſus, à Lingonibus Baſileam verſus excurrens, extremis Juraſſi ramis in Sundgovia occurrit, ita ut utriuſque montis extremitates circa Befortum ſe reſpicere videantur. Unde Sequanos noſtros citeriores, id eſt cis-montanos, vel exteriores cum ulterioribus, vel, ſi mavis, interioribus verſus Ararim habitantibus, per intervallum, quod Juram inter & Vogeſum eſt, cohæſiſſe concludimus. Sed & concludimus Lotharingiam à quatuor diverſorum populorum civibus, Lingonibus nempe, Leucis, Mediomatricis atque Treviris olim habitatam fuiſſe, ex quibus Mediomatrici tantum & Treviri utrumque Vogeſi latus amplexi ſunt. Vogeſum à Voſago JULII CÆSARIS diverſum plane credidit MARQUARDUS FREHERUS. (u) Teſtimonia, quæ affert, contrarium ejus, quod aſſerit, probant; in illis enim nonniſi loca, in Vogeſo noſtro ſita, commemorantur, Merovingico & Carolino ævo Voſagus Auſtriam vel Auſtraſiam à Burgundia dividebat, ejuſque minor pars ab Auſtraſiorum Regibus poſſidebatur, qua ſcilicet Voſagus Argentoratum verſus Brocomagum, Saletionem, Tabernas, Nemetas & Borbetomagum vergit ad Rhenum, & qua Moſellam inter ac Moſam attollitur. Reliqua pars, circa Caſtrum Luxovium & Anagratas in Sequanis, Regum Burgundiæ erat.

§. VI.

Longitudo Vogeſi ab auſtro ſe extendit ad boream, latitudo ab occaſu ad ortum; quæ mire in Alſatia variat. Nullibi minus latitudinis habet, quam prope Tabernas Alſaticas, ubi vix duarum leucarum eſt, atque longiſſime recedit à Rheno; unde commodus ibi breviſſimusque ex Lotharingia in Alſatiam, & ex hac in illam trajectus. Germanis vocatur *der Zaberner-Steeg*, *Tabernenſis Trames*. Chartæ medii ævi *Steigam* appellant, quæ vox *Semitam*, vel *Tramitem* denotat. (w) Præter Tabernenſes Vogeſi portas vel fauces, aliæ quoque plures paſſim occurrunt, ex quibus ab Alſatis ad Lotharingos tranſitur. Notiſſimæ ſunt illæ, quæ per Amarinam, (x) Gregorianam, Orbeanam, Leberianam, Vilerianam, Bruſcanam vel Schirmeckianam, Jægerianamque valles diriguntur. Sed & à dextra & à ſiniſtra Tabernenſium duæ aliæ ſunt frequentatæ ſatis, quarum prior ad Liechtenbergenſem & Luzelſteinenſem arces, poſterior per Oberſteigam & Dagsburgenſem Comitatum, viam arctam tranſituris aperiunt. In ſingulis his partibus latitudo Vogeſi nunc quatuor, nunc quinque vel ſex, ad ſummum octo leucarum eſt. Octo milliaribus Francicis infra Tabernas octo leucas latitudinis habet, ſex fere apud Niederbronnam & quinque apud Weiſenburgum, ubi Bipontum petitur. Per has inferioris Alſatiæ valles Mediomatrici Tranſ-Vogeſani cum Cis-Vogeſanis, ſive Alſaticis noſtris, Celticæ Periodi tempore cohæſerunt. RICHERIUS SENONIENSIS Monachus, qui ſeculo XIII. Monaſterii ſui *Chronicon* ſcripſit, ipſe Vogeſi tum incola, montem hunc ſilveſtrem, in quem Gundelbertus, Senonenſium Præſul ſeceſſit, ſuo more & genio his verbis (y) deſcribit: “ Terra iſta excelſis montibus occupata eſt; rupibus
„ immaniſſimis, veluti quædam caſtra, in ipſorum montium cacuminibus naturaliter poſi-
„ tis, ipſos montes faciunt ſuo aſpectu horribiliores. Inter ipſos arduos, ut diximus,
„ montes quædam valles profundiſſimæ cernuntur, quæ nemoribus abietinis ita conſitæ
„ ſunt, ut ſua nigredine etiam horrorem plurimum incutere videantur: prætenduntur
„ enim dicti montes in longum per quatuor dietarum ſpatium, in latitudine vero vix
„ ſex milliaribus vel ſeptem dirimuntur. Habent prædicti montes ab oriente Alſatiam,
„ quæ pars eſt Alemanniæ, cum ſuo fluvio, Rheno nomine: ab occaſu Lotharingiam
„ & Burgundiam: extenduntur ſiquidem à meridie in ſeptentrionem. Iſta, inquam,
„ vaſta ſolitudo non tam hominum quam ferarum ſævarum habitatio habebatur, & quaſi
„ labyrinthus ab hominibus tunc temporis vitabatur. Hanc, quam deſcripſimus, ter-
„ ram antiqui Voſagum, moderni Vogiam dixerunt. In hujus igitur eremi vaſta ſo-
„ litudine noſter agoniſta, Gundelbertus Archiepiſcopus, primus ſubintravit.„ Scriptor

Vogeſi longitudo & latitudo.

(t) Leuci circa Tullum civitatem ſuas ſedes habuerunt, 38. mill. Franc. plus minus in longum & 22. in latum, inter Lingones, Mediomatricos & Vogeſum. Vid. BENOIT *Hiſtoire de la Ville & du Diocèſe de Toul Chap. V. pag. 7.*

(u) *Origin. Palatin.* Part. II. Cap. XII. pag. 54.

(w) FRISCH *Teutſches Wörterbuch* in voce *Steigen*.

(x) Ubi via regia, Romanorum operibus comparanda, conſpicitur, quod & de Tabernenſi Tramite dixeris.

(y) Lib. I. Cap. II.

nonniſi horrida & interiora Voſagi loca, in quæ Gundelbertus, in eremum abiturus, ſeceſſit, ante oculos habuerat, quæ à montanis Alſaticis longe diverſa ſunt. Sed & Lotharingica Vogeſi gleba longe inferior Alſaticæ eſt. Vertex montis ditiones has ſeparat, ita ut omnis Vogeſus à Beforto ad Queicham uſque hinc Alſaticus, illinc Lotharingicus ſit: inſignium fluviorum, rivorum, amnium, variis rerum eventibus memorabilium, ſcaturiginibus utrobique felix. Concludimus denique, *Alſatiam* omnino dividendam eſſe in *Planam* atque *Montanam*. Planam porro in *Ripenſem*, quæ ad oram Rheni eſt, atque *Mediterraneam*, quæ ad radices Vogeſi uſque extenditur, ſubdividas.

§. VII.

Vogeſi cacumina.

Ceterum Vogeſus noſter, continuo ſuo jugo Alſatiam ab occidente obvallans, & ſilveſtrium jugorum altitudine conſpicuus, hinc inde tamen apices quosdam præ aliis ita extollit, ut illi in fratres vicinos dominari videantur. Horum tres præcipue Alſaticis in partibus reperio: *Beleus* vel *Belus* eſt in ſuperiore Alſatia, in inferiore *S. Odiliæ Mons* &, qui hunc altitudine vincit, *Ferratus Mons*. BELUS, quod nomen latinum ei HIERONYMUS GEBVILERUS (z) impoſuit, vernacule *Belch*, Gallis *Balon*, omnium Vogeſi montium habetur altiſſimus; haud longe ab occidentali latere Murbacenſis Abbatiæ exſurgens, atque lacu ſuo illuſtris: non confundendus cum altero, in Comitatus Burgundici finibus verſus Alſatiam ſito, qui nihil niſi nomen habet cum noſtro commune. Ejusdem quoque nominis mons in Briſgovia eſt, in Silvæ Martianæ partibus, retro Suſenburgum arcem ſitus. Vox Teutonica *Belch* CHRISTIANO URSTISIO (a) generica eſſe videtur, qua excelſa montium cacumina antiquitus deſignata fuiſſe credit. Vulgaris traditio penes Beli accolas viget, ſpectatoribus ſumma æſtate, in faſtigio ejus, dierum ſibi ſuccedentium crepuſcula & dilucula ita concurrere, ut nocti fere locus non detur. De Beli lacu ſermo erit, ubi de fluminibus agetur.

Belus.

§. VIII.

S. Odiliæ Mons.

Odiliani montis vertex nobiliſſima Vogeſi pars eſt, quæ non medias inter rupes præaltas, ut Belus, ſed in ipſa Alſatiæ planæ ora extrema aditu que Vogeſi; ubi montana ejus incipiunt, ſublime & amœnum caput extollit: non plus quam mille paſſibus ab Ehnhemio ſuperiore, municipio celebri, XV. milliaribus Francicis à Belo, IV. à Ferrato montibus diſtans. Apex montis à ſeptentrione, à meridie & ortu circumcirca Alſatiam adſpicit, ſed & Palatinatum, Ortenaviam, Briſgoviam ad Silvam uſque Martianam, ita ut vix amœnius quid Poëtæ vel Pictoris luxuriantis ingenium depingeret: tanta rerum pulcherrimarum varietas, tanta rerum optimarum multitudo & copia. Sereno quoque cœlo viſuntur ibi Juraſſi juga, Alpes Helveticæ, Vocetius & Abnoba mons, cum omni illo Saltu Hercynio, qui ad alteram Rheni partem Vogeſo noſtro parallelus fere porrigitur. Viſuntur ex ſummitate ejus duodecim civitates vel urbes, & pluſquam pagi ducenti, ubertate glebæ fere conſpicui omnes. Deteguntur vaſtiſſimi campi, in quibus Bacchi Cereriſque certamen, ſilvæ magno numero, vel amœnæ vel horridæ: conſpiciuntur inde vineta luxuriantia, hinc viridantia prata, fontibus, fluviis, rivis, rivulis & ſinuoſis eorum anfractibus pervia; quibus agros & prata irrigant. Nec Rhenum prætereo, qui noſtra inter & Germanica montium juga, tanquam in perpetua valle, volvitur medius. Non mirum ergo, ſi mons hic, ab omni memoria hominum, ſacris & profanis rebus memorabilis fuit. Limpidiſſimis fontibus abundans ubique, frugum, vini, omniſque generis fructuum ferax. Situs ejus & altitudo Romanos induxit, ut, primis ſtatim Galliæ ſubactæ temporibus, non Alſatiæ populis modo, ſed & bellicoſis Lingonibus, qui ex altero Vogeſi latere hodiernæ Lotharingiæ partem inhabitaverant, coërcendis ibi caſtra ponerent, è quibus tanquam à ſpecula, vicinæ quoque Germaniæ motus obſervarent ad Rhenum: quæ caſtra diuturnitate temporis tandem evaſerunt fortiſſima; quod rudera eorum fere ſtupenda hodieque teſtantur. Inſequenti Merovingorum ævo Eticho, Alſatiæ Dux, caſtrum in eodem monte exſtruxit, atque in filiæ ſuæ Odiliæ gratiam, deinceps in Parthenonem convertit, quæ Domus ſacra plurium Monaſteriorum, Eccleſiarum, Oratoriorum mox mater evaſit; locique religio Cæſares, Reges, Principes & omnium ordinum Magnates, incolas exterosque, ſummos & infimos, ad contemplationem ſui & liberalitatem excitavit. Odiliani hujus Montis deſcriptionem tribus libris concinnavit olim FRANCISCUS IRENICUS, Ettlinga-Badenſis, ſeculi XVI. initio Heidelbergenſis ſcholæ Rector, vir inſignis diligentiæ, qui in opere ſuo majore, quod *Exegeſin Germaniæ* inſcribit, ad libellum hunc provocat, (b) quem

(z) *Panegyr. Carolin.* pag. 21. (a) *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. VIII. pag. 30. (b) Lib. VII. Cap. XXI. pag. 301.

quem tamen periiſſe credimus, quod nec impreſſus, nec manu exaratus ullibi extat. Anonymus Poëta ficto ſub nomine, qui ſe vocat PHILESIUM, (c) de Vogeſo Odiliano verſus hos condidit:

„ Mons Vogeſus ſumit Rhætorum ex Alpibus ortum,
„ Et viridi coſta te quoque, Trevir, adit.
„ Gallica Teutonicis qui ſeparat arva colonis,
„ Et Mediomatricæ mox videt urbis agros.
„ Ottilia in ſummo requieſcit vertice montis,
„ Ottilia, Alſatici gloria lauſque ſoli.

§. IX.

Duobus his Vogeſi montibus præcelſis *Ferratum* ſubjungo, qui in Alſatiæ & Lotharingiæ ad Schirmeckianam vallem confinio poſitus, alios inter montes & rupes ac denſiſſimos ſaltus in ſublime ſe tollit, Odiliano altior, cum Beleo altitudine certans. Gallis vocatur *Framont*, Germanis *Franckenberg*, Francorum mons. (d) Sunt, qui Gallicum ejus nomen ex vocibus *Pharamundi mons* contractum exiſtimant, (e) qui nempe Pharamundum, primum Franciæ Regem, ibi ſepultum credunt; quod Senonienſis Abbatiæ CHARTA anni MCCLXI. quoque tradit; nullum licet hujus ſepulturæ ullibi extet indicium, imo dubium prorſus ſit, an unquam Pharamundus extiterit. TRITHEMIUM, (f) Hunibaldi impoſtoris Epitomatorem, ſi audias, Marcomirus quoque Orientalium Francorum Dux A. CCCCIII. *obiit, & in monte, qui dicitur Franckenberg, more gentilitio ſepultus eſt.* Aliis nomen contractum creditur ex *Fractus mons*, quaſi *Frack-mont*, quod nomen altiſſimi illius & celebris montis, qui apud Lucernam Helvetiorum aſſurgit, lacu Pilati fabuloſo celebris, unde & mons Pilati appellatur. (g) Sundgoviæ noſtræ vicinus eſt *Francus mons*, *La Franche-Montagne*, *Freyberg* Germanis, (h) qui ditionis Baſilienſis Epiſcopi, cui vicinus locus *Franc-mont*. Mons noſter, de quo agimus, *Ferratus mons* appellatur merito; mineris enim ferri plenus eſt, quod in officinis ad pedem montis in villa *Framont* funditur & paratur. Situs eſt ad extremitatem terræ, quam Childericus olim Rex Abbatiæ Senonum conceſſit, ſex à Molshemio verſus orientem milliaribus Francicis, ſex à Saræburgo ad ſeptentrionem, ſex ad meridiem à Sancta Maria Minarum, & ſex aliis à loco appellato *Raon l'Etappe*, qui eſt ab occidente. Jugum ejus omnium Vogeſi montium altiſſimum credunt nonnulli. Ad radices ejus regia eſt via, antiquis temporibus ex Lotharingia in Alſatiam Alemanniamque meantibus tritiſſima: (i) in qua, ubi centum paſſus proceſſeris, fons occurrit unda frigidiſſima pratum arrigans. Levis inde per ſpatium quartæ partis horæ aſcenſus, ſed varius, adeo præceps declivitas, ut nonniſi per orbem euntes admittat. Jam rupes in circulo panditur, ſciſſa undique, ſi plagam orientis excipias: ad occaſum molem format, quam duo veluti dimidiata propugnacula ad XX. pedum altitudinem à natura exſtructa ſuſtinent, unde non patet aſcenſus, niſi quem dejectorum lapidum fiſſuræ admittunt. In ſummum ubi ventum eſt, planities orientem verſus C. pedes lata, CCCC. paſſus longa porrigitur, ad ultimum rupe eminentiore clauſa. Poſt C. emenſos paſſus veteres cujusdam ædificii ruinæ cernuntur. De Antiquitatibus, in hoc monte conſpicuis, ſuo loco agetur. Ferratus mons.

§. X.

(c) BRUSCHIUS de *Monaſteriis Germaniæ* p. 555.

(d) Hujus nominis oppidum quoque in Haſſia eſt, tribus milliaribus Germanicis Marburgo diſtans, quod à Francis, caſtra olim ibi habentibus, nomen accepiſſe ferunt.

(e) JODOCUS COCCIUS in *Dagoberto* Cap. V. pag. 33. ita ſcribit: " Pharamundus, cum aliis virtutum „ monimentis, tum invecti in eam gentem Regii Principatus laude, immortalis, *Franckenbergi* in editiſſimis Voſagi jugis, ſi autoribus certa fides conſtat, tumulum accepit." MABILLONIUS *Diſſert. de Regum Franciæ Sepulcris*, Operum Poſthumorum Tom. II. p. 47. Adde *Itinerar. Alſat.* ejusdem MABILLONII Tom. III. Opp. Poſthumor. pag. 442. Item MEMOIRES DE L'ACAD. ROYALE DES INSCRIPTIONS Tom. II. pag. 686.

(f) *De Origine Francorum pag.* 79. HUNIBALDUS in *Hiſtoria Francica* fecit, quod in aliis Annius Viterbienſis, qui Hunibaldo junior eſt. Hunibaldus videtur ex Franconia natus fuiſſe, vixiſſeque ſeculo circiter XIV. quem genuinum Auctorem credidit bona fide Trithemius, vir diligens, ſed critici judicii expers, quippe qui, ex Carminibus & Scriptis Flaminum gentis Francorum Hunibaldum Francum ſua deſumſiſſe, credidit. Vide *Compendium Annalium* ejus pag. 4.

(g) ETAT ET DELICES DE LA SUISSE Tom. II. pag. 394.

(h) Idem Tom. II. pag. 474.

(i) Imo Romanæ viæ, per Schirmeckianam Vallem ad Ferrati Montis radices, in Mediomatricos ducentis, veſtigia deprehenſa eſſe, rerum me docuerunt periti. Vias autem in Provinciis à Romanis exſtructas, propter earum duritiem vel durationem, vel quod ex ſilicibus ſubnigris compactæ, ferri colorem referrent, *Ferratas* medio ævo appellatas fuiſſe, res nota eſt, BERGIERIO quoque annotata; unde UGUTIUS: " Agger dicitur mediæ ſtratæ eminentia, ex alternatis „ lapidibus ſtrata, ab aggere & alternatione lapidum „ dicta, quam Hiſtorici Viam militarem & *ferratam* dicunt." Scitum, ejusmodi itinera vel vias Romanas à Gallis veteri traditione appellari *Chauſſées de Brunehaut*. Vid. BERGIERIUS *Grands Chemins de l'Empire Liv. I. Chap. XXV. n. 2.* & WENDELINUS in *Natali ſolo Legum Salicarum* Cap. VII.

§. X.

Voſagenſis Pagus.

Licet autem Vogeſus à Germanis vocabulo *Waſgau* (*k*) minus proprie denotetur, quum hoc Vogeſi Pagum ſignificet, ſpecialiore tamen ſenſu *Vaſgovia*, vel *Voſagenſis Pagus*, aut *Voſagia* peculiarem Alſatiæ inferioris & Palatinatus Tractum deſignat, illum nimirum, qui inter Sornam & Spirbacum flumina, per Vogeſi declivia ad planitiem uſque ſe extendit. (*l*) ANTIQUARII RHENENSIS AUCTOR (*m*) Waſgoviam ad regiones inter Weiſſenburgum & Landaviam reſtringit, atque ad easdem refert arces Arnsberg, Berbelſtein, Calenfels, Drachenfels, Dornſtein, Erenſtein, Falckenburg, Fleckenſtein, Froenſperg, Greiffenſtein, Hartenburg, Hohenburg, Kleburg, Liechtenberg, Mertenſtein, Neuburg, Ochſenſtein, Peilſtein, Rotenburg, Scharfenburg, Schœnenburg, Schoneck, Waſenburg, Wegelburg & Waldeck, quarum arcium pleræque hodie in ruinis jacent; unam modo alteramve excipias. MARTINIERIUS (*n*) Waſgoviam à Tabernis Alſaticis ad Weiſenburgum oppidum, adeoque à Sorna ad Luteram uſque extendit, ejuſque caput Weiſenburgum conſtituit. SEBASTIANUS MUNSTERUS (*o*) vero vage imo incaute loquitur, quum ſcribit: " Ubi apud montes deſinit Alſatia, incipit „ Waſgoia, & porrigitur ad Rhenum uſque.„ Verum hi atque eorum aſſeclæ terminos Vaſgoviæ nimis conſtringunt, quæ non Alſaticum modo Vogeſi latus à Sorna ad Spirbacum uſque, ſed & Lotharingicum omne comprehendit, adeoque & regiones montanas, ex adverſo inferioris Alſatiæ & Spirgoviæ ad Bipontum uſque oppidum ſitas. Vogeſus in medio ab utraque parte ſui nominis Pagum, id eſt, Vaſgoviam habet. Teſtatur hoc *Chorographia Lotharingica*, quæ, in diſtrictuum ſuorum eccleſiaſticorum & ſecularium diviſione, *Voſagenſem* quoque *diſtrictum* enumerat. Hæc ipſa autem Vaſgovia ulterior vel Lotharingica in vaſto illo Weſtraſiæ tractu quærenda, qui per Lotharingiam Germanicam in Palatinatum uſque longe lateque extenditur. (*p*)

§. XI.

Alſatiæ Silvæ.

Neque tamen Alſatia montana modo ſilvis nemoribuſque veſtita eſt; illa quæ in plano, ſuos quoque ſaltus habet, quos inter majores & celebriores ſunt numero tres. In ſuperiore nimirum Alſatia ſaltus ille, qui *Hardta* vocatur. In inferiore autem *Hagenoenſis ſilva* atque *Bienſis*.

Haardt.

Silva, quæ per Sundgoviæ plana in Alſatiam ſuperiorem uſque, octo leucas in longum, duas in latum, & quidem Ellum inter Rhenumque ſe extendit, *Haardt* appellatur ab incolis. Initium ejus eſt prope Michelfeldam, Sundgoviæ villam, unde à meridie ſeptentrionem verſus ad Blodelshemium, ſuperioris Alſatiæ vicum, uſque progreditur. Septem rivuli anonymi verſus ortum decurrentes, ad ſilvam hanc decurrunt, & in eadem ſe perdunt. Plures hujus nominis per Helvetiam atque Germaniam (*q*) ſilvæ ſunt. Vox ipſa Teutonica eſt atque denotat *Silvam*, unde compoſita, *Speshart, Sunderhart, Reinhart, Hoenhart, Lindenhart, Eicheshart, Birkenhart*, vel à ſitu, vel à qualitate arborum, quæ in ſilvis illis aluntur. Forte Hercynius ſaltus, (*Hartzwald*) CÆSARI memoratus, qui per Germaniam tam late diffunditur, ab hac voce, ſibilo tantum addito, ſuam appellationem accepit. Literæ vocali *A* quum inſiſtant, qui *Hardt* recte pronuntiant, duplicata illa ſcribi debet. Unde corruit conjectura GEBVILERI (*r*) à *duritie* glebæ nomen derivantis; aliter enim vox hæc quum ſubjectum, aliter quum adjunctum deſignat, pronuntiatur. Corruit & eorum ſententia, qui *Harudum*, veteris Germaniæ populi, reliquias in hac voce ſupereſſe ſibi perſuadent. (*s*) *Harudes* enim illi, quos cum aliis Germanis trans Rhenum duxit Arioviſtus, cum Duce ſuo fuſi vel perierunt, vel fuga ſalutem quærentes redierunt in patriam.

§. XII.

(*k*) Non audiendi ſunt, qui à terra graminum ceſpitumve ferace hoc nomen derivant, à Teutonica voce *Waſen*, ceſpes.

(*l*) HELISEUS ROESLIN *vom Elſaſſ- und Waſſgauiſchen Gebürg* pag. 18. ſqq. ICHTERSHEIM *Topograph. Alſat.* pag. 2. & 5.

(*m*) J. H. D. *Rheiniſcher Antiquarius* pag. 243.

(*n*) In *Lexico Geographico* voce *Waſgau*.

(*o*) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. CXLIX. pag. 572.

(*p*) Vaſgoviam veterem à nova diſtinguendam putat SEOBALDUS FABRICIUS in *Lutrea Cæſarea* pag. 10. *Veterem* veteris Auſtraſiæ Regni magnam partem fuiſſe, *Novam* vero cum hodierno *Weſtrich* eandem propemodum eſſe exiſtimans. " Ante mille præter propter „ annos (inquit) Waſgovia inferiorem ſuperioremque Spirgoviam continebat.„ Item: " Voſagum, „ in quo Lotharingiæ quædam pars & Comitatus olim, „ nunc Ducatus Bipontinus ad urbem uſque Lutram „ Cæſaream. &c. FRODOARDUS in *Chronico* ad A. 926. ubi *Hungaros, Rheno tranſmeato, uſque in Pagum Vozinſem prædis incendiiſque deſæviiſſe* annotat, Vaſgoviam procul dubio intelligit.

(*q*) In vicino nobis Palatinatu oppidum eſt Neapolis Nemetum, quæ Germanis vocatur *Neuſtatt an der Hart*. In ipſa Alſatia *Reichenweyrer Hart, Hunaweyrer Hart, Colmarer Hart* &c. nomina hodieque ſuperſunt.

(*r*) *Panegyr. Carolin.*. pag. 12.

(*s*) *Hiſt. d'Alſace Liv. I. p. 2.*

§. XII.

Hagenoenſis Silva.

Hagenoenſis Silva inferioris Alſatiæ, circa Hagenoam per quinque leucas in longum verſus occaſum, quatuorque in latum, ſe extendit, ultra XXX. millia jugera ambitu ſuo complectens. Ob veterum Anachoretarum, inquilinorum ejus, atque extruendorum mox Cœnobiorum multitudinem, *Foreſtæ Sanctæ* nomen accepit; (*t*) quo nomine Ciſtercienſium Sanctimonialium Cœnobii Regis-Pontani, ut & Hagenoenſis civitatis Monumenta & Chartæ, ſilvam hanc frequenter deſignant. Senoniensa Chronicon (*u*) B. Deodatum ab initio eam incoluiſſe ſcribit: “B. Deodatus ad quemdam locum per- „ venit, qui Teutonico idiomate *Helygevorſt*, Latine Sancta Sylva vocitatur, juxta oppi- „ dum, quod Hagenowia dicitur, in Alſatiæ finibus ſitum.„ Sed & S. Arbogaſtus, in media hac ſilva, per aliquod tempus vitam ſolitariam egit; illoque in loco dein Dagobertus II. Franciæ Rex, ad Suram rivum Monaſterium extruxit, D. Arbogaſti & S. Martini Turonenſis memoriæ ſacrum, quod tractu temporis in Collegiatam converſum, denique ex priſtina ſua ſede, An. MDCCXXXVIII. Hagenoam translatum. Quod Vogeſo monti contigit, ut denſitas & aſperitas ejus multos illuſtres, ad degendam ibi eremiticam vitam, multos ad venationes ibi exercendas invitaret; id Hagenoenſi ſilvæ quoque contigiſſe videmus. Alſatiæ Duces & Imperatores, ex Stoyfenſi proſapia, venationis cauſa, ſilvam hanc perluſtrarunt ſæpiſſime, atque caſtrum in ea extruxerunt, quod temporis progreſſu ampliatum, ornatum, in magnificam denique & fortiſſimam arcem excrevit, quæ Hagenoenſi quoque urbi originem dedit, imo & nomen; à ſepto enim, quod arcem valli inſtar cinxit, quodque Germanis *Haag*, *Hagenoæ* appellationis origo eſt, ut Monumenta civitatis teſtantur.

Bienſis Silva.

Silva Bienſis, *Bienwald*, quaſi Silva Apum, vulgo *Bewald*, in inferioris Alſatiæ finibus, ejusdem fere extenſionis, qua Hagenoenſis eſt, Epiſcopatus Spirenſis patrimonium vetus. Odilo *Vitæ S. Adelaidis Imperatricis* Scriptor, ſeculi X. eam *Bewald* appellat.

§. XIII.

Arbores, Frutices, Herbæ, Vites Alſatiæ.

Vogeſi montes, juga & valles, ut & Alſatiæ planities, varii generis ſilvis, ut quercetis, pinetis, caſtanetis, fagetis, carpinetis, item ex abiete, (*x*) (quæ interdum ad CXX. pedes altitudinis aſſurgit,) & betula compoſitis, veſtiuntur. In his Arbores multifariæ, ornus, fraxinus, alnus, cornus, populus, taxus, ulmus, acer, ceraſus, cratægus, evonymus, frangula, malus ſilveſtris, pyrus & prunus ſilveſtres, meſpilus, opulus, ſalix, ſambucus, ebulus, ſorbus, ſtaphylodendron, tilia &c. Frutices, aquifolium, berberis, caprifolium, chamæceraſus, corylus, erica, (unde ceſpes bituminoſus conficitur,) geniſta, groſſularia, juniperus, liguſtrum, oxycoccus, rhamnus, rhamnoides, roſæ plurium ſpecierum, rubus, rubus idæus, tamariſcus, viburnum, vitis, vitis idæa &c. Huc referas Suffruticum, Herbarum, (*y*) Fungorum, Graminum, Lichenum, Muscorum, Tuberum, in montibus, collibus, ſilvis, fruticetis, dumetis, ſepibus, agris, pratis, paſcuis, fluviis, aquis ſtagnantibus, paludibus &c. ſponte, ſine ulla cultura provenientium ſpecies, circiter MDL. præter cerealia, olera, legumina, condimenta indigena aliasque plantas ſativas, quas induſtria Alſatarum colit & perficit: quas inter herba nicotiana, linum, cannabis, rubia tinctorum, (*z*) fœnum græcum, (*a*) ceparum grana ſive ſemina, quæ transportantur in Angliam, cnicus ſive carthamus, (*b*) napus ſilveſtris, (*c*) plurimæ ſpecies braſſicarum, quas inter capitata eſt quædam maxima, ſubinde LXXX. libras excedens pondere. His ſi arbores & frutices, quorum circiter CL. ſpecies ſunt, addas, oritur inde ſumma MDCC. omnis generis plantarum, quibus Alſatia noſtra veſtitur, ornatur, abundat. Plantæ hæ omnes variæque earum partes, uti radices, ligna, cortices, folia, flores, fructus, ſemina, ſucci uſibus medicis, œconomicis, culinaribus inſerviunt; &

exqui-

(*t*) Germanice *der Heilige Forſt*.

(*u*) Lib. I. Cap. V.

(*x*) Ex vomicis hujus arboris, quæ illi in ſuperiore trunci parte adnaſcuntur, & ex tuberculis hinc inde variis, avellanæ nucis magnitudine, læſis, ruptis aut pertuſis, terebinthina colligitur à ruſticis Tyrolenſibus, qui ſingulis annis, verno tempore illam collectam, ex ſilvis Alſatiæ Venetias deportant, unde rurſus, cum aliis mercibus, ad nos perducitur, nomine terebinthinæ Venetæ, quæ valde fragrans, transparens, amaricans, cujusque multiplex in medicina uſus. Præter terebinthinam thus quoque vulgare officinarum, ex eadem abiete Alſatica, vel potius ex pino colligitur. Vid. Marcur Mappus in *Hiſt. Plantarum Alſaticar.* pag. 1. ſq.

(*y*) Plantarum, circa Argentinam naſcentium, nonnullas deſcripſit Celeberr. Joannes Boeclerus, Joannis filius, Joannis nepos, Acad. Argentor. Prof. Medicus in *Diſſertationum biga: De neglecto remediorum vegetabilium, circa Argentinam naſcentium uſu,* Argentorati 1732. & 1733. 4to. Vid. etiam F. B. à Lindern *Hortus Alſaticus*.

(*z*) *Farber-Rœthe*, Gall. *Garance*. Hagenoæ creſcit.

(*a*) *Griechiſcher Klee*.

(*b*) *Saflor*.

(*c*) In Alſatia ſuperiore *Lewatten*, in inferiore *Reps* vocatur.

exquiſiti plerumque ſaporis ſunt, ita ut ex illis plurimæ vicinis noſtris magna ſæpe copia transmittantur. Paſcua hinc paſſim per Alſatiam læta, luxuriantibus herbis, ad animalia omnis generis alenda & ſaginanda mire inſerviunt; unde butyra, caprini atque ovilli multiplicesque vaccini caſei. Colles Vogeſi, quibus nobilior gleba & faventior ſolis aſpectus, varias vinorum generoſorum, albi rubrique coloris ſpecies, copioſe progignunt, quæ appetuntur ab exteris. (*d*) Unde etiam magna copia ſpiritus vini, aceta atque tartarus conficiuntur.

§. XIV.

Animalia Alſatiæ, feræ, volucres, venatio.

In ſilvis ſpeciatim abundant omnis generis feræ, cervi, capreoli, capreæ, damæ, apri, lepores, taxi, cuniculi, ſciuri, porcelli frumentarii, erinacei, muſtelæ, viverræ, caſtores, lutræ; ſed & bubali olim, ſeu boves feri, (*e*) capræ, helices, cum Vogeſus minus coleretur, atque adeo adhuc horridus eſſet. Feras rapaces, urſos, lupos, lynces, feles ſilveſtres, vulpes, martes, aliosque quadrupedes minores, nullum uſum præſtantes, imo potius nocivos, ſed & animalia domeſtica prætereo. Inter volatilia varia eminent tetraces vel uro-galli, grygalli, betulani, pavones, phaſiani, ardeæ, anſeres & anates feri, atagenes, perdices, palumbæ, columbæ ſilveſtres, coturnices, mergi, vanelli, cuculi, ficedulæ, turdi, gallinagines paludanæ, gaviæ ſive lari, merulæ, turtures, pardali ſeu pluviales, reguli, alaudæ, pici, ſturni, rubicillæ, rubeculæ, pari, fringillæ, galguli, paſſer aquaticus, paſſer torquatus & troglodyta, carduelis, linaria, emberiza, miliaria, ſpinus, ligurinus, citrinella, coccothrauſta, certhia, oriolus, motacilla, fulica, querquedula, gallinula aquatica, ruſticula, ſcolopax &c. Volatilia domeſtica, ubique nota, ſilentio præterimus. In cenſum fere non veniunt aves rapaces aliæque, quæ menſis non facile imponuntur, ut aquilæ, accipitres, milvii, bubones albi, nigri mixtique coloris, vultures, corvi, ciconiæ nigræ, cornices, graculi, picæ, ululæ, noctuæ, upupæ, garrulus Argentinenſis, (*f*) cyanopus, jynx, (*g*) hirundines ripariæ, luſciniæ, currucæ; quibus apes ſubjungimus, quarum tanta copia, ut melle & cera abundet Alſatia. Ex magna hac ferarum & omnis generis animantium atque volucrium copia, multiplex oritur in montibus & in plano venatio. Non mirum ergo antiquiſſimos Franciæ Merovingicæ Reges, ſpeciatim Guntramnum, per Voſagum frequentius feras egiſſe; quod ipſum de Ludovico Pio quoque Hiſtorici annotant; qui ſolenni Diplomate, (*h*) quod Tironianis notis ſcriptum, ex Regia Bibliotheca cum aliis Doctiſſimus Carpenterius in *Alphabeto* ſuo *Tironiano* produxit, Voſagicæ ſilvæ foreſtarios creavit. Idem Ludovicus Pius, An. DCCCXXI. Aquisgrano profectus, inde per Arduennam, uſque ad Rumarici montis altitudinem, Voſagique latiſſimam vaſtitatem, æſtivum & autumnale tempus transegit. (*i*) Decennio poſt idem à Ludovico factum eſſe reperio; (*k*) An. DCCCXXXIII. vero Lotharius in Marilegium villam devenit, Voſagum per Mauri-Monaſterium transiit, Metasque pervenit. (*l*)

§. XV.

(*d*) Inter vina Alſatica celebrantur: Thanno-Rangiana, Gebvileriana, Colmarienſis agri vicinorumque tractuum, oppidorum & villarum pleraque, Richovillana, Rappoltivillana, Hunavillana, Zellenbergenſia, Katzenthalenſia, Ammersvillana, Cæſareo-montana &c. Inferioris autem Alſatiæ: Dieffenthalenſia, Andlavienſia, Mittelbergenſia, Barrenſia, Dorlisheimenſia, Wolksheimenſia, Marilegienſia, Bleſheimenſia, ita tamen ut generatim ſuperioris Alſatiæ vina reliquis præferantur.

(*e*) De *bubalis* ex ſeculo V. teſtem produco Venantium Honorium Fortunatum, qui in *Carmine* ſuo *ad Gogonem* de Voſagi & Arduennæ feris ita refert:

„ Ardvennæ, an Voſagi, cervi, capræ, helices, urſi,
„ Cæde ſagittifera ſilva fragore tonat;
„ Seu validi *bubali* &c. „

Bubalos Voſagi ſilvæ memorat quoque Gregorius Turonensis Lib. X. Cap. X. atque Jonas in *Vita S. Columbani*, ubi ita: „ Eremum vaſtam „ Voſagum & aſpera vaſtæ ſolitudinis ſcopuloſaque „ loca, in quibus ſolæ feræ, urſi, *bubali*, lupi frequentes videbantur.

(*f*) Vulgo *Krenavogel*, Gesnero in *Ornithologia* fol. 13. vocatur *Roller*. Adde Ruyschium in *Theatro Animal.* Part. II. pag. 27.

(*g*) Gesner. loc. cit. fol. 260. vulgo *Windhals*, Ruysch. loc. cit. pag. 80.

(*h*) Verba *Diplomatis*, quod anno IX. Imperii Ludoviciani datum apud Fulcolingas, ita ſe habent: „ Foreſtarios noſtros, Adonem videlicet & pares ſuos, „ qui foreſtem in Voſago provident, immunes conſtituimus à quibusdam publicis functionibus, id eſt, „ liberos foreſtarios à bannis & aribannis, & conjectuum impletione ſive paravereda danda; tantum „ vero ut hi, qui ſobti ſunt, ſtoffam perſolvant, & „ in anno tres miniſtros conſtituant, niſi illi comites „ aut comes ab illis aliud quæſiverint, aut in teſtimonio diligenter excepti fuerint: ſuper hoc nullus „ comes, aut quævis poteſtas, eos de quibuslibet „ rebus diſtringere præſumat, exceptis criminalibus „ cauſis. Servi vero foreſtarii, tam eccleſiaſtici quam „ fiſcalini, de eorum manſis ſuperioribus, de quorum beneficio ſunt, rogas faciant, atque cenſum, „ ſive cæteras functiones, quæ ex mancipiis ſuis, „ ſive de eorum manſis exhibere debent, perſolvant, „ & nec paravereda donent, nec opera faciant, ſi „ etiam manuopera eorum foreſtarii noſtri vindicent. *Alph. Tiron.* p. 57.

(*i*) Anonymus *de Vita & Actibus Ludov. Pii*, apud Du Chesne *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. II. pag. 301.

(*k*) Ibid. pag. 308.

(*l*) Ibid. pag. 310.

§. XV.

Neque vero Vogeſi ſuperficies modo, mirum in modum; multifarieque ornata eſt, ſed & ipſa ejus viſcera, multiplicibus liberalis naturæ donis locupletantur. A plurimis jam ſeculis mons hic metallis argenti, æris, ferri, plumbi, quæ inde effodiuntur, inclaruit, ita ut fodinæ ejus cum antiquiſſimis, quæ apud Germanos & Saxones ſpeciatim innotuerunt, ratione originis ſuæ, poſſint certare. Temporibus ſane S. Gerardi, Epiſcopi Tullenſis, jam mentio fit decimarum minæ argenti in partibus S. Deodati, ut Historia *Epiſcoporum Tullenſium* (m) teſtatur. Vixit autem S. Gerardus An. DCCCCLXIII. quo ad Epiſcopatum Tullenſem promotus eſt, Brunonis Colonienſis Archiepiſcopi cura, cui Lotharienſis Regni adminiſtrationem Imperator Otto Magnus, frater ejus, commiſerat. (n) Fodinæ hæ quum temporis ſucceſſu Eccleſiæ Tullenſi ereptæ fuiſſent, Bertholdus Epiſcopus ab Ottone III. Imp. obtinuit, *reddi Eccleſiæ ſuæ villam in Halſatio ſitam, quæ vocatur Berchem, & teloneum & diſtrictum minæ*, ut eadem *Epiſcoporum Tullenſium* Historia teſtatur. (o) Per *minam* intelligi debere metallifodinam in partibus S. Deodati, modo memoratam, nulli dubitamus. Eodem fere tempore, circa An. DCCCCLXXIII. quum Blidulphus, Wilhelmus & Achericus, ſanctimonia celebres, in Vogeſi valle Leberia cellas condidiſſent, unde villa paulatim exorta, nomen Acherici (p) accepit, in ea deinceps "Nobiles viri extiterunt, (ut Richerius Senonienſis (q) „ ſcribit,) quorum diebus argentariæ foſſæ repertæ ſunt, in quibus multum argentum „ eſſe fertur effoſſum: de quorum Nobilium progenie poſtea exierunt viri, qui tempo- „ ribus noſtris, (id eſt ſeculo XIII. quo Richerius ſcripſit,) in ipſa valle Lebrath, caſtrum „ conſtruxerunt, quod nomine ſupradicto, Acherich vocaverunt." Joannes Herculanus Pleinfesinus in *Hiſtoria Vallis Galilææ*, (r) quum hæc quoque recenſuiſſet, adjicit: "Verum quum ad excoquendum argentum ligna non ſufficerent, „ relicti ſunt putei, quos noſtro tempore Germani iterum fodere cœperunt, nempe circa „ An. MDXXXVI." Patet hinc, argentifodinas Vogeſi cum Germanorum antiquiſſimis originis ratione certare; quando iisdem Ottonis I. Imp. temporibus primæ in Saxonia, & quidem ditiſſimæ illæ Goslarienſes (s) repertæ ſunt, ut Witichindus & Ditmarus, cum Ottonis Frisinoensis *Chronico* collati, nos docent. (t) Sigebertus Gemblacensis ad annum DCCCCLXVIII. epocham hanc ponit.

Metallifodinæ veteris ævi.

§. XVI.

In valle Leberia, circa villam *Fordelbach*, Bruno, Rappoltſteinenſis Dynaſta, An. MDVI. puteum metallifodinæ, cui à S. Guilielmo nomen, aperuit, (u) quem alii deinceps exceperunt. Memorabilia ſunt, quæ de his jam retulit Sebastianus Munsterus, (x) ſeculi XVI. Scriptor: "Ferunt montes iſti (inquit) galenam, plumbum, metallum „ argentinarium, unde extrahitur argentum, plumbum nigrum & æs, id eſt cuprum. „ Putant autem An. Chr. MDXXVIII. uſque in præſentem annum, ſingulis annis VI. „ millia & quingentas marcas argenti elaboratas, ex rudibus & ſilveſtribus illis montibus. „ Quin & An. Chr. MDXXX. in puteo, Furnus dicto, & An. MDXXXIX. in S. Guilelmo, „ excisum eſt argentum purum, ſingulis vicibus circiter tria talenta ſeu centenaria, in „ una integra portione. Sed & quotidie fere invenitur argentum ſincerum." Longe ditiores ergo ſeculo XVI. argentifodinæ hæ fuerunt, quam noſtris temporibus, quibus MD. plus minus marcæ argenti per annum ex Markirchianis puteis conficiuntur. Ditiſſimos fuiſſe reperio puteos illos, qui ex adverſo horum Alſaticorum, in Lotharingico latere fodiuntur, circa villam *Crucis*. (y) Magno hi cum ſucceſſu aperti fuerunt, circa An. MCCCXV. ſub F[illegible]co Lotharingiæ Duce; (z) ſub Renato An. MCCCCLXXXVI. continuati; ſub Carolo [illegible] vero, circa An. MDLXXXI. tam præſtantes, ut impenſis omnibus deductis, MD. ſcutatos aureos hebdomadalis lucri producerent. Ceterum Vogeſus Alſaticus non in Leberia tantum valle, quæ media fere Alſatiæ eſt, ſed & in Vilerenſi vicina, quarum utraque inferioris Alſatiæ eſt, argentum producit. In ſuprema autem verſus Comitatum Burgundiæ Alſatia, in Roſemontana valle, quæ Beſortenſis Præfecturæ

Metallifodinæ ævi poſterioris.

(m) Apud Calmet in *Probat. Hiſtoriæ Lotharing.* Tom. I. pag. 149.

(n) Benoit *Hiſt. de la Ville & Dioceſe de Toul*, *Liv.* IV. *Chap.* I. pag. 316.

(o) Loc. cit. pag. 165.

(p) Vulgo *Eckerich*.

(q) *Chron.* Lib. II. Cap. IX. apud Acherium *Spicileg.* Tom. II. & Mabillon. in *Actis Sanctor.* Sec. V. pag. 480.

(r) Cap. I. apud Car. Lud. Hugonem in *Monumentis Sacræ Antiq.* Tom. I. pag. 172.

(s) In Hercynia Silva; (*auf dem Harz*) vocantur etiam metallifodinæ Ramelsbergenſes.

(t) Witichindus *Annal.* Lib. III. Ditmarus *Annal.* Lib. II. pag. 333. Otto Frising. *Chron.* Lib. VI. Cap. XXIV.

(u) Archiv. Rappoltsteinense.

(x) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. CXXII. pag. 538.

(y) Vulgo *La Croix.*

(z) Notitia *Mſ.* ex Archivo Lotharing.

Præfecturæ eſt, circa Giromanium & Auxellam ſuperiorem, uberrimæ quoque argentifodinæ ab antiquis jam temporibus innotuerunt, imo & noſtra excutiuntur ætate. Sed & Thannenſes, Amarinæ, Sulzbacenſis & Gregorianæ vallium, Rubeacenſes item innotuerant olim, quæ temporum & bellorum injuria neglectæ ſunt. Ferrifodinas plures, quæ diverſis in locis vigent, atque optimi generis ferrum producunt, prætereo.

§. XVII.

Fodinæ Chalybis & Carbonum.

Diverſis his metallifodinis acceſſit denique fodina chalybis, circa Dambacum oppidulum, ad Leberiæ Vogeſi vallis introitum, è regione Seleſtadii, ſelectiſſimi rerum metallicarum indagatoris (a) ſagacitate nuper reperta. Venam chalybis in prætalto Sarunetum monte *Gonzen*, ut rem rariſſimam, in *Alpinis Helvetiæ Itineribus* ſuis annotavit Jo. JACOBUS SCHEUCHZERUS, (b) in verba hæc deſinens: " In Europa non eſt „ mihi cognita ulla vera chalybis fodina, niſi forte hac prærogativa gaudeat in Tyr„ rheno Mari Ilva ſive Elba, & ferrum Noricum.„ Num in enumeratione hac ſua peccarit Scheuchzerus, non definio equidem; id certum eſt, Alſaticum nunc quoque chalybem metallurgiæ curioſis innoteſcere; unde varii generis arma, in defenſionem & offenſionem, inſtrumenta item varia chalybea, in vulgarem uſum, cum ſucceſſu parantur. (c) Quin & carbonibus bituminoſis, à natura paratis, Vogeſus turget, qui nuper in Vileria valle detecti, magno cum ſucceſſu, per ſuperiorem & inferiorem devehuntur Alſatiam, quibus jungendus eſt ceſpes terræ bituminoſus, uſtibilis, (d) haud procul à Vogeſi radice, circa Ehnhemium inferius, nuper detectus.

§. XVIII.

Mineræ Alſatiæ Argenti.

Producitur ergo in Alſatia AURUM, ex arenis Rheni elotum. Producuntur in Vogeſo MINERÆ ARGENTI diverſarum ſpecierum: Argentum ſincerum nativum, filis compactis craſſioribus; dentes argentei metallicorum. (e) Argentum item nativum dendroides; argentum fruticans GESNERI, argentum virgularum & arbuſculorum forma. Argentum nativum, filis capillaribus, argentum trichites, capilli Veneris. (f) Argentum nativum lamellis naſcens, ſeu bractatum. (g) Argentum nativum, bracteis rarioribus, ſuperficiei lapidum adnatis. (h) Poſtrema hæc argenti ſpecies in Vileria valle, reliquæ in Leberia effodiuntur. Sed & argentum nativo proximum ibidem producitur, quod plumbei coloris eſt, & à vitro nomen accipit. (i) Argentum purpurei coloris, cryſtallorum forma naſcens; argentum globoſum; carbunculo amethyſtizanti ſimile. (k) Argentum rude, dives, ex purpura fuſcum, ſub cryſtallorum forma. (l) Argentum rude, cinerei coloris. (m) Variæ denique ſpecies glebarum argentiferarum, mixti generis.

Æris.

MINERÆ ÆRIS, quod cuprum dicunt: Æs rude, plumbei coloris, pyrites æroſus. (n) Chryſocolla, terra metallica viridis æris particeps. (o) Cæruleum æris, cæruleum nativum æris compos, cyaneum metallicum. (p) Lapis ſciſſilis, ſeu ardeſia æris compos. (q)

Plumbi.

MINERÆ PLUMBI NIGRI: Lapilli virides, plumbo nigro feraces. (r) Lapis candidus, plumbum nigrum igne fundens. (s) Lapis ruber, plumbum nigrum igne fundens. (t) Plumbago metallica, areis latis, (u) areis minoribus (x) & teſſelata. (y) Mineras plumbi candidi, quod ſtannum vocant, Alſatia huc uſque non produxit.

Ferrum

(a) FRANC. JOSEPHI MAKOVII DE HIRTIGHEIM, Equitis Alſatæ, qui An. 1732. venam chalybeam aperuit.
(b) *Itin.* II. pag. 14. Edit. Londin.
(c) Chalybis hujus Alſatici naturam examinavit teſtis oculatus & ſagax, Libelli Gallici *Traité ſur l'Acier d'Alſace*, qui Argentorati Anno 1737. in lucem prodiit, Auctor ÆGID. AUG. BAZINUS, Acad. Reg. Scient. adſcriptus.
(d) *Tourbes*, Germ. *Torff.*
(e) *Silberzæhne.*
(f) *Haarſilber.*
(g) *Silberblætgen.*
(h) *Angeſchmauchtes Silber.*
(i) *Glaſerz.*
(k) *Rothgültig Erz wie Cryſtallen.*
(l) *Schwarzroth Cryſtallenformig, Rothgültig Erz.*
(m) *Fahl Erz.*
(n) *Kupferkieſs.*
(o) *Kupfergrün.*
(p) *Kupferblau, Kupferlaſur.*
(q) *Kupferſchiffer.*
(r) *Grün Bleyerz.*
(s) *Weiß Bleyerz.*
(t) *Roth Bleyerz.*
(u) *Grobſpieſiger Bleyglanz.*
(x) *Kleinſpieſiger Bleyglanz.*
(y) *Würflichter Bleyglanz.*

Ferrum nativum rariſſimum eſt. Inventa tamen eſt haud ita pridem à Cel. Gravelio, Phyſices Profeſſore Argent. gleba, ex minera Dambacenſi, ex qua ferrum ſincerum, ſub capillorum forma prodibat. Reperiuntur lapis ferrarius niger & rufus, qui hæmatites (z) vocatur & minera ferri granulata, ſeu ſub fabarum piſorumque forma, (a) quæ in nonnullis Alſatiæ rivis conſpiciuntur copioſe. Conſpiciuntur quoque lapis ruber, ferro dives, (b) & terra nigricans, atque ſplendens, ferro ditiſſima. Ferri.

§. XIX.

Minera Stibii ſeu Antimonii, apud Giromanium, in extremitate Alſatiæ, ubi Burgundiæ contermina eſt, reperitur. Mineræ Cobalti in Leberia & Vileria valle magno numero ſeſe offerunt, ut & cobaltum teſtaceum arſenicale. Sed & Pyritum (c) varia genera Vogeſus alit, quo etiam Lithanthraces, diverſarum ſpecierum, cum & ſine adnato pyrite referas. Huc referri quoque debent Galena ſterilis, picei argenteique coloris, (d) Mica, (e) Talcum, (f) Asbeſtus ſive Amianthus, (g) Selenites, Lapis ſpecularis, Glacies Mariæ, Androdamos, (h) Gypſum, Spathum, ſive Marmor imperfectum. (i) Mercurii mineras Vogeſus Bipontinus, nobis vicinus, producit, in Alſatia nondum repertæ ſunt. Subjungendæ his Mineræ Asphalti; ex qua petroleum coquitur: Sed & petroleum ſive asphaltum ſincerum, quod in Alſatia inferiore varios in uſus parare rerum periti nuper ſtuduerunt. (k) Nec ſilentio prætereundæ ſunt Terræ, ut terra variegata Eckbolzheimenſis, marmoris colorem referens: (l) Ochra, ſive flaveſcens Hagenoenſis: Terra ſigillata alba, quarum poſteriorum frequens Mechanicis uſus eſt. Mineræ reliquæ.

§. XX.

Agmen claudunt Lapides. Gemmas ſive pretioſos lapides paucos Alſatia gignit; Cryſtallos frequentes dat Rhenus, oram ejus alluens, imo & inter ſilices agrorum ſubinde reperiuntur cryſtalli, à Rheno campos inundante eo forſan delati. Saxum cryſtallinum, (m) argenti & plumbi mineris ſæpe adhærens. Opali ſpecies quædam, in metallifodinis Leberiæ vallis, nonnunquam ſe prodit. Amethyſtos in Bruſca repertos olim fuiſſe, Roeslinus (n) atque Boeclerus (o) obſervant. Inter Lapides Figuratos & Petrefacta occurrunt: Lignum petrefactum, Lycoperdites vulgaris, Fungorum ſpecies variæ petrefactæ, Hammitæ ſive Ammonitæ, Piſolithus ſive Cenchrites, Oolithus ſive Meconites, Aſtroites, Entrochi minores compreſſi, Cornuum Ammonis variæ ſpecies, Gryphitæ cum & ſine operculis, Cochlitæ terreſtres, Trochitæ, Turbinitæ, Echinitæ ſtriis capillaceis, Belemnitarum variæ ſpecies, ſive Lapides Lyncis, Ætites, Conchitæ, Dendrites & Aſtroites terebratulæ, vermiculares Lapides. Inter Lapides Pictos varii, Muſculitæ, Pectinitæ, occurrunt. Impreſſiones item piſcium in ardeſia, ſeu lapide ſciſſili nigro, apud nos quoque reperiuntur identidem. Sed & in ædificiorum & operum publicorum uſum, plures in Alſatia Lapidicinæ, à multis ſeculis jam cognitæ ſunt. Eminent Sulzenſes & illæ, quæ circa Marilegium in Coronaria valle. (p) Summum Argentoratenſium Templum cum Turre ſua, quod ſeculo XI. ineunte jam extrui coeptum, ex lapidibus hujus lapidicinæ erectum eſt. Lapides Alſatiæ.

(z) *Blutſtein.*
(a) *Bohnerz.*
(b) *Rother Eiſenſtein.*
(c) *Schwefelkieſſe.*
(d) *Pechblende und ſilberfarbe Blende.*
(e) *Glimmer.*
(f) *Talck.*
(g) *Federweiß.*
(h) *Frauenweiß.*
(i) *Spath.*
(k) In Alſatiæ inferioris Præfectura Wœrthenſi, prope vicum *Lampersloch*, in pratis uliginoſis, reperitur fons XII. ped. Pariſ. profundus, & V. latus, cui innatat materia ſpiſſa, tenax, conſiſtentiæ mellis, tactui renitens, coloris nigricantis, odoris graveolentis, tam volatilis, ut ſubinde ad mille paſſuum diſtantiam ejus penetret odor; ſaporis nauſeabundi & amaricantis. Retulit aliquid de fonte hoc Bernhardus Herzog *Chron. Alſat.* Lib. III. Cap. XVIII. pag. 59. Roeslinus item *de Silva Vogoria* pag. 28. ſqq. Solide & copioſe de eo ſcripſit Jo. Theoph. Hoeffel in *Hiſtoria Balſami mineralis Alſatici, ſeu petrolei vallis S. Lamperti:* Argent. Anno 1734. edita. Sed & in valle Leberia Alſatiæ, prope Geesbach, per vetuſtam metallurgiam, ex caverna excurrit olim ſubpinguis & oleoſus liquor, impurus, qui excellens balſamum produxit, petrolei ſpecies, ſub terra deſtillatus natura, ſuccum mineralem, præter ſulphureum, non continens. Confer. Koenigius in *Regno Minerali*, & Jo. Boeclerus in *Cynoſura Mater. Med.* Tom. II. Part. III. pag. 856.
(l) De hac agit Michael Bernhard Valentini in *Muſeo Muſeorum* Tom. II. pag. 2.
(m) German. *Quarz.*
(n) *Deſcript. Montis Vogeſi* pag. 7.
(o) *Cynoſura Materia Med.* Tom. II. Part. III. pag. 871.
(p) *Cronthal.*

§. XXI.

Thermæ & Aquæ minerales.

Inter tot tamque diverſas minerarum ſpecies, Thermas quoque & Aquas minerales multiplices, ſalſas, amaras, ſaponatas, calidas frigidasque Vogeſum producere neceſſe eſt. Balneas hinc & Acidulas varias, per omnes fere tractus ſuos habet Alſatia. Balneæ inter notiſſima ſunt Niderbronnenſia, (q) dein Watvilerana, (r) Holzenſia, haud procul Benfelda, Sulzenſia, (s) prope Molshemium. In ſuperiore Alſatia, ſuperioribus ſeculis quoque viguerant thermæ Rappoltivillanæ, ut Franciscus Irenicus, (t) & Scheda Vetus Tabularii Rappoltſteinenſis nos docent. (u) Ubi vero in Sequanorum extrema aſſurgit Vogeſus, prodeunt thermæ Luxovienſes, prope Campanos, Borbonienſes, Romanis jam notæ. (x) Haud procul à Romarici monte, varii ſunt thermarum fontes, ſub Thermarum Plumbarienſium nomine, ab antiquis temporibus, celebres, (y) quorum unus ſaponatus eſt. Inter acidulas noſtras Buſſanæ ac Sulzbacenſes (z) præ Sulzmattenſibus & Waslenheimenſibus notæ ſunt. Gebersvillanæ (a) ſuperioris Mundati perierunt: alias minoris virtutis plures ſilentio tranſeo.

§. XXII.

Ædes & ædificia ad Vogeſum.

Denique vix ullibi reperio montem, tot Eccleſiis, Monaſteriis, Oratoriis conſitum, ut Vogeſum noſtrum, præſertim ubi Alſatiam aſpicit. Antiquioribus ille ſeculis tam horridus & incultus fuit, ut ex remotiſſimis terris Anachoretas alliceret, qui tenebricantem ſolitudinem ejus, denſiſſima arboreta, vepreta, inhabitarent. Hi ex Britannia, Scotia, Hibernia, Germania Galliaque in diverſas hujus montis eremos ſe contulerunt certatim, nomenque ejus diffuderunt per orbem. S. Columbanum, ex Hibernia advenam, omnium, qui in Vogeſi ſolitudines ſe contulerint, reperio primum; à quo Luxovienſe Monaſterium conditum, ſeculo finiente VI. (b) Ex Columbani Cella prodierant diſcipuli magno numero, qui & ipſi eremitica vita Vogeſum illuſtrarunt certatim: S. Gallus, S. Deicola, Monaſterii Lutrenſis; Leobardus Cœnobii, quod dein Mauri-

Mona-

(q) Niderbronnenſes aquas medicatas, ex alumine, ſulfure & ære ſcaturire, Jo. Guintherius docuit in *Commentario de Balneis* pag. 93. Adde Robelinum in *Deſcript. Vargovia* Cap. IV. & Salom. Reiselium in *Diatriba* Germanica *de Niderbronnenſi Balnei natura*, edita Argent. 1664.

(r) De quibus Jo. Guintherius loc. cit. pag. 94. Jo. Gabelius *de Balneis*. Poſt hos Bacherus in peculiari *Diſſert.* de Balneis Watvilerenſibus. Adde Jo. Bauhinum in *Hiſt. de Fonte & Balneo Bollenſi*, Lib. III. p. 117. & Gallum Etschenrutteaum in *Libello de Balneis*, Germanice ſcripto.

(s) Balnei Sulzenſis naturam examinavit Jo. Jac. Schuber peculiari *Diſſertatione*, Argentorati impreſſa An. 1726.

(t) Irenicus *Exegeſ. German.* Lib. VIII. Cap. IV. pag. 307. ita ſcribit: „Memoratur noſtræ tempeſtatis „ fons, apud Rappolſteinenſes, in prædio Alſatiæ, „ qui morbos expellit, curas levigat, ita ut ibi homi- „ nes diutiſſime vivant, & nonaginta annos excedant, „ dum vix quinquaginta ingreſſi videantur.„ Vixit Irenicus paulo ante medium ſeculi XVI. ortusque fuit Etlinga Badenſium oppido.

(u) Notitia vetus Chartularii Rappolſteinenſis ex ſec. XV. ita ſe habet: *Nit ver von dem Inloff gegen der Stros, do loſſ das warm Waſſer hynin, und tringt ſich durch den veſten Grund und Stain, dieſſ wider dem Ertterich, und loſſ alſo in Viger.* (Weyer.) *Der Brun iſt aber oberhalb der ſteinentten Stroſſe, do das Bechlin in Viger loſſt, in den Reben, under einem groſen Bom, in einem kleinen Simplin, mit iber Mans dieſſ, do ſich der recht Brun und Quel unter einem groſſen Stainblatten, gantz beys Waſſer, das man ein Hus do mecht brigen. Sig ein gut Bad.*

(x) *Eaux de Bourbonne*, ubi hæc Inſcriptio Romana:

BORVONI TH.
MONAE. C. LA
TINIVS . RO
MANVS IN
G. PRO SALV
E. COCILIAE
FIL. EX. VOTO

Refertur à Grutero *Inſcript.* Tom. I. pag. 110. & à Reinesio *Inſcript.* pag. 176. Lapis Inſcriptionem exhibet, qualem nos damus, apud Gruterum & Reineſium vitioſa eſt. C. LATINIUS ROMANUS INGENUUS PRO SALUTE COCILIÆ FILIÆ EX VOTO BORVONI THERMONÆ, ſcil. monumentum poſuit. Hæc nimirum Nympha thermis illis præeſſe credita, unde forte Thermonæ agnomen.

(y) Ibi hæc Inſcriptio reperta, quam Gruterus non retulit.

DEAEO NEPTVN.
IOVTISSIA
VESTINA
V. S. L. M.

Teſte Rouveroy in *Tractatu de Plumbarienſibus Aquis*, Gallice ſcripto pag. 79.

(z) Sulzbacenſes acidulas Germanice deſcripſerunt Jo. Jac. Mezius, Tabernenſis, Friburg. Phyſicus & Scheraius M. D. Colmarienſis.

(a) Gebersvilerenſium acidularum virtutem ſingularem, ſuis temporibus, celebravit Jac. Theodorus, Tabernæmontanus, adeoque origine Alſata, Wormatienſium Phyſicus, Botanices ſtudio præſertim notiſſimus. Hic in Libello Germanico, quem *Theſaurum Aquarum* inſcripſit, quemque Joanni Argentinenſium Epiſcopo An. 1584. dedicavit, Cap. LXXXIX. pag. 471. de acidulis his ita diſſerit, ut virtutem earum mire prædicet, ferrum, alumen, nitrum in illis dominari aſſerens, quibus pars ſulphuris quoque mixta fuerit. Adde Gallum Etschenreuterum *de Balneis & Acidulis* pag. 52. Præſtantia harum aquarum tanta quum fuerit, eas tractu temporis periiſſe dolendum.

(b) Anno 615. obiit in Bobienſi Liguriæ Monaſterio, quod ipſe condidit.

Monaſterium vocatum, conditores: Romaricus, qui montem *Habendo*, cui dein *Montis Sacri* (*c*) nomen impoſitum, occupavit, ſuoque Monaſterio celeberrimum reddidit. Ex Franciæ, Germaniæ, Scotiæ partibus advenerunt Gundelbertus, Senonienſium; Deodatus, Nivernenſium; Hidulphus, Trevirenſium Epiſcopi: Arbogaſtus & Florentius, ille Aquitanus natione, hic Scotus, eorumque diſcipuli: poſt hos Blidulphus, cum Guilielmo & Acherico ſociis, Alſaticas Vogeſi partes, ſeptimo & ſequentibus ſeculis occuparunt. Illuſtrem illam fœminam Trevirenſem, ex antiqua, ut volunt, (*d*) Nobilium Aſſyriorum familia, cui nomen Lutrina, quæ Rictionari Præſidis Trevirenſis, circa An. CCXCII. Diocletianæa perſecutione Chriſtianos perſequentis, manum effugiens, in Voſagi eremum ſe recondiderit, ſilentio prætereo, quod traditio hæc fide non nitatur hiſtorica. Ex Anachoretarum Cellis illuſtria paulatim Monaſteria, & molis immenſæ ædificia pulcherrima, ſacra atque profana, exorta ſunt, quibus Alſaticum Vogeſi latus fere conſitum; ita ut in monte hoc, ubi Alſatiæ ſuperioris partem componit, XXV. Monaſteria, Collegia, Præceptoriæ, diverſarum Regularum & Ordinum, ſexus utriusque, extiterint olim, & maxima ex parte extent hodieque, quæ Veterum pietas inſtituit & magnam partem largis ditavit reditibus; quibus XII. Mendicantium Ordinum Conventus inſuper & Monaſteria addas. Ubi vero ad inferiorem Alſatiam idem Vogeſus pertinet, Monaſteria, Collegia & Præceptorias, XXVII. vel exiſtentes adhuc, vel deſtructas, atque Mendicantium Monaſteria VIII. adeoque Vogeſus Alſaticus in univerſum ultra LXX. Sodalitia Canonicorum & Religioſorum, ſexus utriusque, haud majore quam XLV. leucarum ſpatio comprehendit. Montana tantum à nobis computari, jam diximus, quæ enim in planitie Vogeſum tangente, atque adeo in civitatibus, vicis & villis, Rhenum inter & Vogeſum Alſaticum ſitis, extant, heic in cenſum non veniunt. Ortæ hinc innumerabiles villæ, vici, oppida, arces & caſtra, non in extremitate tantum & declivitate, ſed in medio fere Vogeſi extructa, amœniſſimis hortis, ambulacris, porticibus, xyſtis, vivariis, piſcinis, ſeptis, nemoribus, arboretis, caſtanetis, inſtructa & ornata, ipſis collibus atque convallibus frugum fructuumque feracibus; ut veteres illi Eremitæ, ſi redirent in vitam, Vogeſum in ipſo Vogeſo quæſituri eſſeot. Arces vero in ſummitatibus rupium & præcipitiis ſæpe poſitæ omnes fere, vel bellorum vel temporum injuria, in ruinis jacent. Sed transeundum ad Alſatiæ Amnes.

§. XXIII.

Rhenus in Galliæ Celticæ Rhætiæque confiniis, in Alpium Rhæticarum (*e*) monte Adula, tribus diverſis fontibus ortus, Galliæ Germaniæque antiquiſſimus limes & finitor perpetuus eſt: utriusque Regni fluviorum, poſt Danubium, maximus, nec longe à Rhodani fontibus ſurgens. Cæsar (*f*) ait: "Rhenus oritur ex Lepontiis, qui Alpes „ incolunt, & longo ſpatio per fines Nantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Medio- „ matricorum, Tribocorum, Trevirorum citatus fertur.„ Celtica, ut videtur, vox, *Rhen*, *Ren*, *Liquidum*. Hujus nominis flumen quoque in Gallia Cis-Alpina, & quidem Cis-Padana, (*g*) decurrit, unde Celticæ originis vocem cenſeas. Ab initio Galliam Celticam, atque adeo Helvetios à Rhætis, inde Belgicam à Germanis diſtinguit. Per Lacum Acronium vel Brigantinum, quem recentiores Conſtantienſem & Potamicum vocant, transiens, ad oppidum Confluentes Helvetiæ recipit Arolam, paulo ante Urſa & Limago fluminibus auctam, atque hinc urbes ſilveſtres, veteremque Rauracorum Auguſtam, & Baſileam denique civitatem alluens, noſtræ Alſatiæ oras attingit; ita quidem, ut, alveo non ſemel mutato, orientalem ejus limitem diverſis temporibus reddiderit dubium. Celticæ ſane & Romanæ Periodorum ætate Rhenus Briſiacum montem Gallico, adeoque Alſatico litori adjecerat, quem Germanica Alſatiæ Periodo, litori

Fluvii Alſatiæ. Rhenus ortus & curſus.

(*c*) *Saint Mont.*
(*d*) Siobaldi Fabricii *Lutrea Cæſarea*, Sect. II. pag. 11.
(*e*) Tacitus *Annal.* Lib. II. Cap. VI. & *German.* Cap. I. Ammian. Marcell. Lib. XXVIII. Cap. II. ubi ait: "Valentinianus Rhenum omnem, à Rhætiarum „ exordio adusque fretalem Oceanum, magnis molibus „ communiebat.
(*f*) *Bell. Gall.* Lib. IV. Cap. X. Qui in primo Rheni curſu, à fontibus ſuis deſignando, non ſatis accuratus eſſe videtur. Rhenus enim, quem in Lepontiis ortum, neſcio an recte, ſcribit, non per Nantuatium, qui circa Lacum Lemanum habitarunt, fines decurrit, ſed Rhodanus. Reliqua, quæ de Rheni per Helvetios, Sequanos, Mediomatricos, Tribocos, Treviros decurſu enarrat, recte ſe habent. Sane Nantua hodieque Beugeſiæ Provinciæ (*Bugey*) oppidum eſt. Cæſaris deſcriptionem erroris accuſare, temerarium crederes. Plinius tamen Lib. III. Cap. XX. Lepontios accolas Rhodani, non Rheni, quod Cæſar vult, facit, Rhenumque apud Sarunetes, Rhætiæ populum, oriri memorat, unde Rhodani Rhenique initia Cæſarem confudiſſe, conjiceres, niſi, quod alii volunt, Nantuates ab Antuatibus vel Ætuatibus diſtinguas, atque poſteriores hos ad Rhenum à Cæſare poni aſſeras. Strabo ſane Lib. IV. ait: Τὸν Ῥῆνον ... πρῶτοι τῶν ... Αἰτουάτιοι: *ad Rhenum primi omnium habitant Ætuatii.*
(*g*) Circa oppidum *Argenta.* Vid. Merulam *Geograph.* Part. II. Lib. IV. Cap. XI. qui in Apennino infra Piſtorium naſcitur, ut notat Leander in *Deſcript. Italiæ* pag. 517. & ad alterum ab urbe Bononia lapidem accedit. De hoc Silius Italicus Lib. VIII.
Parvique Bononia Rheni.
Fluit in Æmilia, quæ octava Italiæ Regio eſt. Adde Plinium Lib. III. Cap. XVI.

litori adjecit Germanico: Inferiorem Alſatiam fluctibus ſuis ita ſubinde atterens, ut villæ quædam, ſeculorum decurſu, à ſiniſtra ad dextram Rheni ripam, adeoque ex Alſatia in Germaniam, translatæ ſint. Ubi primum ſalutat Alſatiam, fortiſſimum ejus munimentum alluit Huningam, inde propugnaculum Alſaticum *Fort Mortier*, è regione Briſaci veteris ſitum, relicturus mox Alſatiam Sequanicam, ut Argentoratum, Druſenhemium & Fortalitium Ludovici, Saletionem Tabernasque Rhenenſes adeat, atque dein, Alſatia Mediomatricenſi vel Tribocenſi relicta, prope Germershemium accedat Nemetes, quos Vangiones, Treviri, Ubii, excipiunt, Rheni omnes accolæ, donec Inſulam Batavorum efficiens pluribus oſtiis jungatur Oceano.

§ XXIV.

Rheni trajectus.

A fontibus ſuis ubi prodiit Rhenus, ad anterioris & poſterioris Rheni confluxum, orientem verſus, poſtmodum ad ſeptentrionem dirigitur. Lacum vero Cellenſem egreſſus, ad occidentem curſum convertit, ad Baſileam urbem iterum in ſeptentrionem vertendus. Incurvatus hac parte Rhenus transitum admittit haud difficilem, unde Gallos Germanosque, imo & veteres Celtas eum his in partibus frequentius trajeciſſe, vetus traditio eſt. Ambigatus Biturix, Celtarum, vel, ut Livius (*b*) loquitur, Celtici Rex, quum Belloveſum & Sigoveſum, ſororis filios, cum magna Celtarum turba, miſiſſet ad exteros, Sigoveſo ſortibus Hercinii ſaltus obtigere, ad quos proximus & facillimus fuit penes Rauracos vel Sequanos transitus. Atqui hoc Tarquinii Priſci, Romanorum Regis, temporibus jam contigit, quibus Belloveſus, cum Celtis ſuis, ſuperiorem occupavit Italiam, quæ Galliæ Cis-Alpinæ dein nomine venit. Volcæ Tectoſages, qui eadem loca circum Hercyniam ſilvam, ex Cæsaris (*i*) teſtimonio, occupaverant, Rhenum quoque in his partibus transiiſſe videntur. Boios, antiquum illum Galliæ populum, qui ad Abnobam montem & Danubii fontes, in Rauracorum vicinia, cum Helvetiis habitarunt; vetuſtas item illas Celtarum, ad ripam Danubianam, Colonias in Rauracis Rhenum trajeciſſe crederes. Memorabilis hunc in finem eſt Taciti (*k*) locus, obi ait: "Validiores olim Gallorum res fuiſſe, ſummus Auctorum Divus Julius (*l*) tradit; „ eoque credibile eſt, etiam Gallos in Germaniam transgreſſos. Quantulum enim amnis „ obſtabat, quo minus, ut quæque gens evaluerat, occuparet permutaretque ſedes, „ promiſcuas adhuc, & nulla Regnorum potentia diviſas? Igitur inter Hercyniam ſilvam, „ Rhenumque & Mœnum amnes, Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere." In migrationibus ſuis populi fluviorum ripas ſequi amant, fertiles præſertim, ut Danubianæ ſunt. Attila cum Hunnis ſuis, ex veteri Pannonia Danubium relegens, penetraturus in Galliam, in Rauracis Rhenum trajeciſſe viſus eſt. Id quod de Alemannis quoque novimus, toties infeſtantibus Galliam; qui in Rauricis flumen hoc, teſte Ammiano, ſæpius transierunt: quod ipſum quoque ibidem à Romanis factum eſſe legimus. (*m*) Maxima pars eorum, qui in Argentoratenſibus campis à Juliano Cæſare victi fuerunt, ex Rauracis in inferiorem deſcenderunt Alſatiam. Illi vero Alemanni, qui deinceps à Rheno ad Urſam uſque flumen Helvetiam occuparunt, & in ea ad hodiernum diem perſtant, circa Conſtantiam Rhenum penetraſſe creduntur. Verum hæc omnia diu poſt Julii Cæſaris tempora evenerunt, quum Alemannicum nomen ante ſeculum III. ignoret Hiſtoria. Ceterum non ſine cauſa quis forſan mirabitur, qui factum, ut ante Cæſaris ætatem, per inferiorem Rhenum, in Galliam Belgicam penetrarint Germani, ibidemque ſuas fixerint ſedes? quod Tungros, Treviros, Nervios, Eburones alioſque feciſſe novimus, quum eo ipſo tempore Celtica noſtra Belgicaque Alſatiæ ora perſtitiſſet intacta; quando nullam, ante Arioviſtum, Germanicam Gentem in eadem ſedes fixiſſe reperimus; quum tamen fertilitas ejus invitaſſet vicinos.

§. XXV.

Veterum de Rheno ſuperſtitio.

Reliqua de Rheno noſtri fori non ſunt. Veterum ſuperſtitio Celtarum ſibi perſuaſit, fluvium hunc vorticibus ſuffocare infantes recens natos, clypeoqoe impoſitos, qui polluta matris pudicitia ſuſcepti eſſent; placidis vero aquis in portum deferre, quos legitimo & impol-

(*b*) Lib. V. Cap. XXXIV.
(*i*) *De Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XXIV.
(*k*) *Germania* Cap. XXVIII.
(*l*) Tacitus digitum intendit ad locum Cæsaris *de Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XXIV.
(*m*) Ammian. Marcell. Lib. XIV. Cap. X. "Ubi prope Rauracum ventum eſt ad ſupercilia fluminis Rheni, reſiſtente multitudine Alamanna, pontem ſuſpendere navium compage Romani vi nimia vetabantur, ritu grandinis undique convolantibus telis: &, quum id impoſſibile videretur, Imperator, cogitationibus magnis attonitus, quid capeſſeret ambigebat. Ecce autem, ex improviſo index quidam regionum gnarus advenit, &, mercede accepta, vadoſum locum nocte monſtravit, unde ſuperari potuit flumen. &c.

impolluto matrimonio natos ſenſiſſet. Allegaſſe ſufficiat CLAUDIANUM, (*n*) qui ait:

"Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus."

Induratio hæc ſorte potius quam exploratio ſuit; quum ex STRABONE & GALENO pateat, Helvetios aliosque accolas, liberos ut indurarent, immerſiſſe Rheno. Druſus Germanicus, à quo Druſenhemium noſtrum Alſatiæ, Rheno adjacens è regione Stolhofæ, nomen habere videtur, nummis ſuis aureis argenteisque, Rheni typum repræſentat, quod & Domitianum ſeciſſe reperio, qui repræſentari voluit Rhenum, ad pedes ſuos decumbentem, dextro cubitu urnæ innixum, ſiniſtra arundinem tenentem. (*o*) Ceterum fluminibus numina quum plerumque tribuerint veteres, non miramur, ſi DEO RHENO dicatæ Inſcriptiones reperiuntur, quarum nullam tamen GRUTERUS, GUDIUS, REINESIUS, FABRETTUS, SPONIUS, MURATORIUS, GORIUS, produxerunt. Bicornis vel tricornis circa oſtia ſua Rhenus num ſuerit, acriter PHILIPPUM CLUVERIUM inter & ISAACUM PONTANUM, viros doctiſſimos, diſceptatum eſt olim. VIRGILIUS Rhenum *bicornem* vocat, (*p*) CLAUDIANUS *bifidum*; (*q*) quæ receptam illis temporibus ſententiam nos docent. Rhenum bicornem Poſtumorum Nummi quoque exhibent.

§. XXVI.

Rhenus propugnaculum Alſatiæ eſt, & totius Galliæ orientalis olim fuit, à fontibus nimirum ſuis usque ad oſtia. Ex defenſore tamen ſubinde fit vaſtator, quando non hyeme modo, ſed & media plerumque æſtate, quum in Alpibus nives funduntur, aut quum turbines lacum Potamicum agitant, unius diei ſpatio, ad octo pedes & ultra tam ſubito intumeſcit, ut rapidiſſimis fluctibus in Alſatiam irruere videatur, ſuaque, quam fertilibus agris infert, arena non parum detrimenti afferat incolis. Frequentes hæ Rheni eruptiones, quæ ſingulis fere annis eveniunt, inſularum Rheni ſitum, atque Alſatiæ ripam, frequenter immutant, quod vetus Briſacum, Rhinovia atque Honaugia præſertim experta ſunt. Collegiatam Divorum Petri & Michaëlis, quæ ab anno MCCCXCVIII. Argentorati eſt, Rhenus Honaugia primum, inde Rhinaugia, ubi aliquandiu conſederat, expulit. Prouti autem à Vogeſo Rhenus magis minusve recedit, Alſatiam quoque ab ortu ad occaſum plus minusve coarctat. Huninga atque Beſortum meridionalis Alſatiæ limites ſunt, quorum vix XII. leucarum Francicarum diſtantia eſt, veraque Alſatiæ ſuperioris, ubi Helvetiam attingit, latitudo, quæ per omnes dein tractus, ad inferioris usque finem, ita continuatur, ut vix ullibi latiorem, plerisque in locis anguſtiorem, deprehendas. A Lauterburgo ad Luzelſteinenſem arcem totidem ſere leucæ computantur. In ſuperioris & inferioris Alſatiæ confinio, circa Seleſtadium urbem, minima eſt Provinciæ latitudo, vix octo leucarum. De Alſatiæ latitudine quum loquor, non plana modo, ſed & montana ejus, intelligo; à Rheno nempe ad fines usque Lotharingiæ, ſive ad Vogeſi dorſum. Quodſi nonniſi planitiei habenda eſſet ratio, quibusdam in locis Alſatia vix IV. leucarum latitudinis, ut prope Seleſtadium, Weiſſenburgum, Landaviam &c. haberet. Longitudo Alſatiæ, quæ ab Huninga ad Queicham flumen usque XLVI. leucarum eſt, figuram ejus docet oblongam. Ceterum nullibi ſere inſulas varii generis & magnitudinis frequentiores reperias, quam illis in partibus, quibus Rhenus Alſatiam alluit: at inſulæ hæ omnes arboribus & fruticibus conſitæ ſunt. Multiplicia Rheni Alſatici diverticula faciunt, ut auri moleculæ & ramenta arenæ commixta in partibus his frequentiores ſubſideant, atque ab accolis, mira cum induſtria, non magno tamen extrahantur cum lucro. Jam pridem enim Rhenus aurifera inter flumina relatus, ejusque auri valor, à pluribus ſeculis, publico Germanici Imperii ſtilo celebratus eſt. Ramenta hæc aurea ex Rhæticis & Helveticis montibus per torrentes abripiuntur. Ubi uno volvitur alveo Rhenus, extrahendis illis copiam non facit accolis; ſtagnantia vero brachia ejus faciliorem reddunt acceſſum. De auro Rhenenſi peculiari Diſſertatione disquirimus. Sed & ſeculo noſtro in Rheno, ubi Alſatiam alluit, magno numero reperiri cœperunt, hodieque reperiuntur cryſtalli, quæ ſilicis mediocris formam induunt, nucis magnitudine; quarum durities facit, ut frequentiſſimus earum in Gallia præſertim uſus; ibi enim vario modo, adamantis & cæterarum gemmarum inſtar, ſub vulgari nomine *Cailloux du Rhin*, (Silicum Rheni) poliuntur.

Rheni comoda & incomoda.

(*n*) *In Ruffin.* Lib. III. Adde JULIANUM CÆSAREM *Epiſt.* XVI. *Anthologiam Græcam* Lib. I. GREGOR. NAZIANZENUM, NONNUM, THEOPHYLACTUM & EUSTATHIUM *in* DIONYS. ALEXANDR.

(*o*) PATINUS *ad* SUETON. *Domitian.* pag. 417. MEDIOBARBUS in *Theſaur. Numiſm.* in Druſo & Domitiano. pag. 137.

(*p*) *Æneid.* Lib. VIII. v. 727.

(*q*) *Bell. Get.* v. 336.

§. XXVII.

Fluvii Alſatiæ ſuperioris.

Admonet reliquorum nos fluminum atque rivorum Alſatiæ Rhenus, eorum nempe, qui ex Juraſſo atque Vogeſo prodeunt, ac per Alſatiæ valles & plana decurrentes exonerantur in Rhenum; fertilitati Alſatiæ & populorum commerciis proficui. Ex Jura monte profluunt:

Birſa.

Birsa, (*r*) fontes ſuos ad Juram montem prope Dagsfeldam, atque Portam Petræam habet, ubi Romani Juram perfoderunt. Curſum illa ad ſeptentrionem primo, inde ad ortum, paulo poſt ſeptentrionales ad plagas rurſus convertit. Monaſterienſem, Telspergenſem ſive Delemontanam, & Laufenſem, Salzgoviæ valles perluit. Poſtquam apud Telspergam Sornam, apud Lauſam oppidum vero rivulum Lucellam, unde Lucellenſis Abbatiæ, quam alluit, nomen, alioſque recepit, curſum ſuum Pfeffingam, Dornacum & Mœnchenſteinium verſus continuat, atque poſt XV. leucarum curſum, nonniſi uno ſupra Baſileam urbem lapide, Rheno ſe jungit: impatiens lintrium, ſolas Helveticas & Helvetiis ſocias Regiones permeans. Flumen hoc celebre reddidit pugna Ludovici Franciæ Delphini, ad D. Jacobi Hoſpitale, cum Helvetiis, Birſam trajicientibus, An. MCCCCXLIV. commiſſa. (*s*)

Birſicus.

Birsicus ſubjungendus eſt Birſæ, haud procul Landscrona, circa villam Redersdorf ortus, poſt quatuor leucarum curſum, Baſileam urbem permeat, ibidemque Rheno ſe injicit, unius fere leucæ diſtantia ab oſtiis Birſæ; in decurſu ſuo recipiens rivulum villæ Sundgoviæ Leuhuſen, aliumque qui ad Bettvillam volvitur.

§. XXVIII.

Elli ortus & nomen.

Ellus, primarius Alſatiæ fluvius, Celtis & Romanis forte *El* vel *Hel*, (*t*) medio ævo *Alſa*, vulgo *Il*, appellatus, in vico Sundgoviæ *Winckel* Comitatus Ferretenſis, adeoque ad radices Laumontii, qui pars eſt montis Juraſſi, exoritur, Francicæ unius leucæ à Lucellenſi Ciſtercienſium Cœnobio diſtantia. Hadrianus Valesius (*u*) Ellum in Vogeſo naſci ſibi falſo perſuaſit; rectius in confinio Vogeſi & Juræ dicturus. Is rivulus primum, exiguo volumine procedens, Largam haud procul à fontibus Elli, ex Jura monte quoque ortam, apud villam Illfürt, recipit, inde Mulhuſium alluit, atque rivos rivuloſque varios ex Vogeſo deſcendentes abſorbet: Thuram ſcilicet prope Enſishemium, Laucham Fachinæque partem prope Colmariam, alteramque Fachinæ partem prope Illhæuſeram: onerariarum jam patiens lintrium; imo & grandiores admittens, poſtquam apud Seleſtadium Cembſi aquas accepit. Ebersheimenſe dein Monaſterium atque Benfeldam præteriens Scaram, Andeloam, Argitiam, apud Argentoratum denique Bruſcam, Moſſa torrente auctam, in alveum ſuum recipit, donec per multiplices ſinuum ambages in Wanzenaugia, altero ab urbe lapide, Suvelam rivulum paulo ante admittens, Rheno, cui parallelus fere fluit, conjungitur: piſcium varii generis dives ubique; commercio Alſatarum inter ſe atque cum exteris utilis. Ita curſus Elli ad orientem primo converſus, poſtquam Oltingam & Grenzingam villas præteriit, ad ſeptentrionem dirigitur, curſumque ſuum omnem XXX. leucarum ſpatio abſolvit. Elli fluminis apud Græcos Romanoſque Scriptores nulla mentio: nulla Merovingicis Francorum temporibus. Prima ævo Carolino in Ebersheimenſis Monaſterii *Chartis*, ubi *Illa* vocatur. In Lothariana autem, Romarici monte data, qua Inſtitutionem Parthenonis in Hernſtein, (*x*) à conjuge ſua factam, Lotharius Imp. confirmat, *Hilla* appellatur. (*y*) Sequentibus ſeculis *Alſa* nomine inſignitur ſubinde, ut ab Alberto Argentinensi, (*z*) Annalibus Colmariensibus, (*a*) idem quod nomen Jacobus Koenigshovius (*b*) exhibet. Antiquiſſimum fluminis nomen fuiſſe *El*, ex veteri

(*r*) *Ber*, *Berre*, vox Celtica, quæ denotat Torrentem.

(*s*) De qua Enguerrand de Monstrelet *Chroniques* Volum. III. pag. 1. Æneas Sylvius *Epiſt.* LXXXVII.

(*t*) Hellum vocat Beatus Rhenanus, *Rer. German.* Lib. II. pag. 159. Helvetum Antonini procul dubio eſt, uti mox videbimus. Ejuſdem nominis fluvius Lydiæ fuit, teſte Herodoto, qui aliis Hyllus appellatur.

(*u*) *Notitia Galliar.* pag. 622.

(*x*) *Erſtein.*

(*y*) Charta ex Tabular. Capituli major. Argent. in *Hiſt. d'Alſace*, *Preuves* pag. 20.

(*z*) *Chron.* apud Urstis.

(*a*) Ad An. 1262. "Alſa ibidem (Mulhuſii) con„ gelata & careſtia frumenti." Adde *Statuta civitatis Argentinenſis* ſeculi XIII. apud Schilterum ad Koenigshov. pag. 728. ubi: "Cum aqua plus fuerit „ idonea, inter Velletor inferius, in Reno & in Ruſt „ ſuperius. In *Alſa*, uſque in Ebenheim.

(*b*) Twingerus à Koenigshoven in *Vocabulario* ſive *Gloſſario* Latino-Germanico, quod in Scherziana Bibliotheca extat manu exaratum Twingeri, An. 1390. ita ſcribit: "Alſa *die Alle*, fluvius Argentinenſis Diœceſis, à qua terra Alſacia ſibi nomen aſſumſit."

Digitized by Google

veteri ejuſdem nominis villa, (c) ad ripam ejus, è Benfeldæ oppidi regione, ſita conjicimus, quæ Romanis Monumentis, ibi frequenter occurrentibus, celebris, ipſum Romanorum in his partibus Imperium origine ſua fortaſſis ſuperat; quod Celtici quid potius, quam Romani idiomatis, ſubolere videtur. GEOGRAPHUS RAVENNAS ANONYMUS, quem ad ſeculum VII. referunt Critici, in recenſione urbium ad Rhenum ita ſcribit: "Item juxta ſupraſcriptam civitatem Stratisburgo, Id eſt, civitas quæ dicitur *Alaja* &c." (d) Locum hunc *Alaja* GEORGIUS AB ECKHART (e) ad vetus Helellum, quod genuini codices *Helvetum* vocant, id eſt ad hodiernam villam El, referendum, atque adeo & vetus illud oppidum & amnem ipſum nomine hoc deſignatos, exiſtimat; nec refragabor ego: notum enim quantopere Italus iſte Geographus nomina illius ætatis ſæpe depravarit. Id certum eſt, locum *El*, media ætate, ſubinde vocatum *Elega*, *Elegia*. (f) Ella, cujus AIMOINUS *de vita Abbonis*, *Floriacenſis Abbatis*, meminit, Galliæ meridionalis flumen eſt, vulgo *Ile*, quod infra Frontiacum caſtrum (g) ad Liburniam, in Duranium labitur, teſte VALESIO. (h) Sed & Elſam (i) ſuam habet Briſgovia, ſuam Eliſam (l) Nordgovia Bavarica; ſuam *Elſatz* vel *Elzat* (m) Palatinatus. Similis fere nominis flumen eſt in Foro-Julienſi Ducatu. Sequanicæ Galliæ finitorem eſſe noſtrum Alſatiæ Ellum male credidit JOSEPHUS SCALIGER, (n) quando Rhenus ex hac parte fuit Sequanorum limes. Sed & graviter erravit GUILLIMANNUS, quando Ellum Alſatiam in ſuperiorem & inferiorem ſcindere, in *Habsburgiacis* (o) ſcripſit.

§. XXIX.

Haud procul à fontibus ſuis plures rivulos minores abſorbet Ellus, pleroſque anonymos, quos Auctor Obſervationum ad *Mſ. Topographicum* ANONYMI cujuſdam RAURACENSIS, (p) qui ſeculi XVI. initio vixit, curate annotat. (q) Ex Ello prope Mulhuſium aquarum ejus divergium, orientem verſus tendens, antiquitus jam arte factum eſt, cui nomen genericum *Muhlbach* tribuitur. Alveus hic ab Ello, Briſacum novum quum extrueretur, in Canalem, uti vocant, redactus, aquam foſſis novæ hujus urbis munitæ infert, quæ inde egreſſa Illhæuſeram verſus prolabitur, ut ibidem cum Ello rurſus jungatur, poſtquam novem leucarum intervallo ab eodem fuiſſet ſejunctus. Diverticulum hoc Elli aquarum facit, ut verus alveus Mulhuſium inter atque Colmariam æſtate ſæpe ſiccus conſpiciatur, aquarum majore parte per divergium decurrente. Ex eodem Ello prope Erſteinium alius derivatur alveus, qui & ipſe dein, infra Kraftam viculum, in duos ramos dividitur, quorum unus recta ad Rhenum ducit, ita ut naves onerariæ CL. amphoras (r) vini portantes, duarum horarum ſpatio, per eum deferri poſſint in Rhenum. Alter ramus Plobshemium, atque inde Argentoratum verſus procedit, prope S. Arbogaſtum jungendus cum Ello. Alveus hic inter Erſteinium & Kraftam vocatur *Kraftwaſſer*. (s) Ab hoc loco autem, usque ad Plobshemium vicum, vulgus eum vocat *Dun-Rhein*, à Plobshemio ad S. Arbogaſtum uſque *Krumme Rhein*, (t) qui & ipſe navigabilis eſt, ſed lintribus atque naviculis tantum. Infra Kraftam pars Cembſi influit alveo *Dun-Rhein*, altera ejus parte recta via infundente ſe Rheno. Patet hinc Rheni nomen his alveis ſine ratione imponi, quum aquæ eorum nonniſi ab Ello ſolo deriventur, non navigationi modo & piſcationi, ſed & molendinis atque officinis variis, perutiles. Ex alveo hoc *Krimmerich* alveolus Rhenum inter & urbem derivatur, qui brachio Bruſcæ,

Elli curſus & alvei.

in

(c) *Itinerarium* ANTONINI Helvetum vocat locum, qui hodie vicus El; nomen locus à rivo præterfluente accepit.

(d) Lib. IV. pag. 187. Edit. Pariſ.

(e) *Diſſert.* de *Apolline Granno* pag. 21. ſq.

(f) SURIUS in *Vitis Sanctorum*; Vita S. Materni.

(g) *Fronſac.*

(h) *Notitia Galliarum.* pag. 187.

(i) Flumen inter Friburgum & Ettenhemium, vulgo *Eltz*, quod *Oſam* vocat COCCIUS in *Dagoberto* pag. 131. pag. 25. vero *Eltzam*.

(l) *Iltz.* CHRON. GOTTWIC. pag. 714.

(m) *Elſaſt*, *Elſenzbach*, qui leucæ intervallo ſupra Heidelbergam, prope Necker-Gmundam, Neccaro jungitur, poſtquam Rotenburgum, Epiſcopatus Spirenſis, & Wislochum, Palatinatus oppida, præteriit. CHRON. GOTTWIC. Lib. IV. pag. 587. ZEILERI *Topographia Palat. Rheni.*

(n) *Not. ad Moſellam* AUSONII ab init.

(o) Lib. II. Cap. V. pag. 50.

(p) Manuſcriptum hoc ex Bibliotheca ſua benigne communicavit Vir Illuſtriſſ. NICOLAUS DE CORBERON, Conſiliarius Status & Ex-Præſes primarius ſupremi per Alſatiam Senatus, Fautor Literarum inſignis; quod *Geographico* MARTINIERII *Lexico*, Diviodunenſis Editionis, ſubjunctum. Obſervationum ad Mſ. hoc Auctor eſt BARBAUT DE GRANDVILLARS, Helveticæ apud Gallos cohortis Tribunus.

(q) *L'Ill entre ſa ſource & Altkirch reçoit ſur ſa droite les ruiſſeaux, qui viennent d'une verrière de Lutteren, de Wolſchwiller, d'Ober-Musbach & de Willer. Les ruiſſeaux, qui tombent dedans ſur ſa gauche, ont leurs ſources près de Ferrette, à Alteupfirdt, à Kaſtlach, & au deſſous de Biſſel. Au delà d'Altkirch, l'Ill reçoit dans le Sungaw les ruiſſeaux de St. Morans, ceux de Foigensberg & de Zeſingen, qui ne tombent dans l'Ill qu'après s'être réunis à Wittersdorff, & enfin ceux de Lumſchwiller & de Flaxland ſur la droite; & à ſa gauche la Larg, dont nous avons deja parlé, le ruiſſeau de Hochſtet, celui d'Oberbornhaupt, (les paiſans du Sungaw François l'appellent dans leur jargon* Ebenotte haut,) *qu'elle reçoit à Mulhauſen, la Doldre, & enfin un bras de la Doldre, qui s'en détachant près de Reiningen, ne tombe dans l'Ill, qu'après avoir arroſé Lutterbach & Pfaſſtats.* MARTINIERE Tom. VI. pag. 12.

(r) *Ohmen.*

(s) Aqua Kraftæ.

(t) Corrupte *Krimmerich*, Gallis *Rhin Tortu*.

in foſſam urbis verſus portam Hoſpitalis atque Lanionum directo, conjunctus, prope Hoſpitale Regium urbem intrat, atque ad D. Catharinæ pontem cum Bruſca miſcetur; ex qua alveus ad Rhenum ductus eſt, ita ut naves onerariæ ex urbe in Rhenum recto itinere, paulo ſupra Rheni pontem, magno cum Reipublicæ commodo, quotidie deferantur. Aqua Rheni paulo viridior, in alveo hoc, clare ab aquis Elli diſtinguitur. Majora navigia per Elli oſtia ad Wanzenaugiam in Rhenum vehuntur.

§. XXX.

Larga. LARGA, unus ex rivis, quos Juraſſi vel ſpeciatim Laumontis radices effundunt, quique Alſatiam noſtram reſpiciunt: nomen Celticum vel Romanum, certe Romanis jam notum, quod duabus Præfecturæ Ferretenſis villis vel rivus communicavit, vel à villis, in quarum vicinia oritur, accepit. In ITINERARIO ANTONINI, (u) atque TABULA THEODOSIANA, locus Larga inter *Epamantadurum* & *Urincas* ponitur. Duplicem fontem rivus hic habet, alterum apud villam Largam ſuperiorem, ubi præcipuus, non ultra leucæ ſpatium à fontibus Elli, circa Morimontem ſive Moerſpergam; alterum apud Largam villam inferiorem. Duarum leucarum diſtantia à fontibus ſuis junguntur duo hi rivuli prope vicum Sept, indeque uno alveo Larga curſum ſuum ſeptentrionem verſus dirigit, ad Manspacum usque villam: (x) circa Damerkircham, (y) ubi ad occidentem ſe vertit, & inter Altkircham atque Mulhuſium, è regione Illfurti, Ello ſe jungit, poſtquam curſum ſuum ſex leucis peregit, ſolam Sundgoviam perluens, & in curſu ſuo plures rivulos anonymos, prope Enſchingam & Niderſpebach villas, item prope S. Nicolai Capellam, recipiens.

Allanus. ALLANUS, (z) nonullis Aldua, qui nimirum CÆSARIS (a) Alduabin vel Alduadubin huc referunt, atque Alduam Dubi commixtam ab eo deſignari conjectant: aliis contra Librarii errore nomen corruptum credentibus; quod VALESIUS, (b) BRIETIUS, (c) CELLARIUS, (d) DAVIESIUS, (e) aliique faciunt. Ex Laumontio, parte Juraſſi, non longe à Lucellenſi Abbatia ortus, occidentem verſus fluit ad Bruntrutum, inde Dattenriedam & Granvillariam oppida alluit, fluvio Dubi in Comitatu Montis-Biliardæ jungendus, vix decem leucarum intervallo Sundgoviæ, Epiſcopatus Baſilienſis, Montis-Biliardenſis item Comitatus, ditiones permeans. Recipit in curſu ſuo Allanus *Covottam* rivulum, qui Florimontium præterit, inde *Feſchottam*, atque *Saporoſam* (f) rivum, Giromanium Befortiumque alluentem, qui in Vogeſi jugis, haud procul à Tolræ & Moſellæ fontibus, originem habet, ſed cum Allano ſuo Dubi, inde cum Dubi Arari Rhodanoque jungitur; qui denique omnes Mari Mediterraneo ſuas aquas afferunt, quum reliqui fluvioli, ex boreali Sundgoviæ parte ſurgentes, per Ellum & Birſam Rheno, atque per hunc Oceano, miſceantur. Hactenus rivi prodeuntes ex Jura.

§. XXXI.

Tolra. Ex Vogeſo profluens TOLRA, vulgo *Tholder*, olim *Obriona*, *Abriona*, in penetralibus vallis Sebenæ (g) originem habet, atque mox, lacum prope villam *Seben* conficiens, per vallem ad Monaſterium & oppidum Maſonis deſcendit, ubi Maſonis, Ducis vel Comitis Alſatiæ, filium octennem, circa annum DCCXXX. in rivo hoc periiſſe, vetera Documenta tradunt. Oelenbergam inde Monaſterium ſalutat; moxque Ellus ad Illſaci confluentes haud procul Mulhuſio eum excipit, poſtquam IX. leucas, ſolam Sundgoviam perluens, confecit. Tolram ſuis temporibus argentiferam fuiſſe, ſcribit HELISEUS ROESLINUS, Hagenoënſium Phyſicus. (h) Rivuli anonymi plures, qui ex villis Ober-Bruck, Sicker, Ober-Brubach, Michelbach & Ober-Aſpach progrediuntur, aquas ſuas Tolræ ceu tributum afferunt.

Thura. THURA, unius modo leucæ intervallo à Moſellæ, duabus à Tolræ fontibus, dimidiæque leucæ ſpatio ab arce Wildenſtein, ſuam ſcaturiginem habet, atque eodem modo, quo Tolra, verſus ortum decurrit. Ex San-Amarini amœniſſima valle prorepit, atque oppida Thann & Senheim (i) præteriens, poſt decem leucarum decurſum, prope Enſishemium commiſcetur Ello, alveoque ſuo limitem perpetuum inter Sundgoviam & ſuperiorem Alſatiam facit. Pars illa Vogeſi, unde

(u) Pag. 349. Edit. Weſſeling.
(x) *Mempe, en Patois.*
(y) *Danemarie.*
(z) Gallice *Allaine*; Germanice *Halle.*
(a) *Bell. Gall.* Lib. I. Cap. XXXVIII. vid. SPRENGII *Commentar. Rer. Rauracar.* pag. 3.
(b) *Notit. Galliar.* pag. 177.
(c) *Parall. Geogr. Vet. & Nov.* Lib. VI. Cap. II. p. 331.
(d) *Geograph. Antiq.* Lib. II. Cap. II. pag. 170.
(e) *Not. ad Jul. Cæſarem.*
(f) *La Savoureuſe.* Nomen forſan à grato aquarum ſapore habet.
(g) *Sebenthal.*
(h) *In Delineatione Voſagi*, lingua German. pag. 7. Libellus jejune ſcriptus eſt.
(i) *Cernay.*

unde Thura prorumpit, appellatur Trimontium; (k) ex quo, ab occidentali latere, prodit quoque Moſella, Romarici Montem, Tullum verſus & Auguſtam Trevirorum, ſuas aquas devolvens. Thannum oppidum Tolra ita permeat, ut ſuburbium ejus *Kattenbach* ab urbe ſeparet, atque adeo ſuperiori Alſatiæ illud vindicet, ipſa urbe ad Sundgoviæ pagum pertinente. Circa Velleringam rivulus quidam, ut & circa Schœnenſteinbacenſe Cœnobium alius, illabuntur in Thuram. Fertiliſſima Alſatiæ pars inter Thuram & Sornam, quæ inferioris Alſatiæ rivus, reputatur. Quæ ſupra Thuram Alſatia, durioris glebæ, adeoque difficilioris culturæ. Trans-Sornana vero, maxima ex parte, vel arenoſa vel aridior, ſi Weiſſenburgenſem, Landavienſem, paucosque alios tractus, excipias.

Laucha tribus leucis retro Lautenbacenſem vallem ſuos fontes habet, ex qua deinde prodiens Gebvilerii oppidi muros alluit; fluviolo Murbach, prope arcem Hugſtein, prius abſorpto. Inde ad Iſenhemium vicum, D. Antonii Xenodochio clarum, atque Rufacum oppidum verſus & oppidulum Herlisheim prolabitur, ingrediturque Colmariam, ubi rivulum Muhlbach, ex Fachina derivatum, devorat, haud longe poſt ab Ello deglutiendus & ipſe; qui, aquis ejus ditior factus, onerariis lintribus vehendis mox humeros ſubmittit. Laucha.

§. XXXII.

Fachina, medio ævo *Feacha*, nonnullis *Facoma*, vulgo *Fech* & *Fecht*, duobus ex rivis, in extremitate vallis Gregorianæ ortis, & prope oppidum atque Abbatiam Monaſterienſem confluentibus, (unde Chartæ veteres Cœnobium *Confluentis* vocant,) componitur, eandemque vallem interfluendo irrigat. Turckhemium inde oppidum præterit, moxque in duas partes diviſa, quarum una ad Ingershemium vicum, altera Colmariam verſus, feſtinat: prior apud vicum Illhæuſern jungitur Ello, poſtquam à ſcaturigine ſua decem leucas curſu emenſa eſt; quo ſpatio molis & officinis variis uſus multiplices præſtat. Fachina.

Nitus ſeu *Nieus* torrens, (l) ex duobus Vogeſi Stagnis, *Nigro* & *Albo*, (m) profluens, Cœnobium Ciſtercienſium Pairis & Parthenonem Alſpach undis ſuis alluit, ac plerisque torrentibus vallis Dynaſtiæ Hohenack (n) in ſe receptis, Keiſersbergam & Kienshemium oppida interſecat, Sigelshemium vicum præterlabitur, recta deinceps via feſtinans ad Fachinam, cui ſupra Olthemium vicum conjungitur. Torrentem hunc vulgus Orbeanæ vallis per abuſum quoque *Fecht* appellat, altum licet montium dorſum vallem hanc à Gregoriana, per quam Fechta volvitur, disjungat. Antiquis temporibus vocabatur *Alenſpach*, contracte *Alſpach*, unde Parthenoni vicino nomen, ut Murbacum, Andlavia, aliique magno numero rivi, ſua Monaſteriis vicinis nomina communicaverunt. Nitus.

Strenobach torrens, ex Vogeſi jugis, retro Rappolti-Villam, prorumpens, atque ab hoc oppido feſtinans Gemariam, diverſis alveolis ſe Fachinæ immergit. Strengbach.

Eckenbach torrens, Gemariam inter & Seleſtadium, ſuo quoque non privandus honore eſt. Quicquid enim gloriæ paupertas aquarum illi ademit, limitis honor abundanter refundit. Hoc namque termino, vel ſi mavis foſſa vicina, quæ (o) Foſſa provincialis appellatur, ſuperior & inferior Landgraviatus Alſatiæ, & monetæ computandæ ratio, dirimuntur; Baſilienſis & Argentinenſis Epiſcopatuum, adeoque Veſontinæ & Moguntinæ Metropolium, Jurisdictio ſeparatur; in iſtis nempe partibus, quæ cis Ellum ſunt: in illis enim, quæ inter Rhenum & Ellum ſunt, Diœceſis Argentinenſis ad Widenſolium usque vicum ſe extendit, ita ut eundem includat. Bieſſa enim, quæ è regione fere Briſiaci Montis eſt, ad Baſilienſem refertur. Eckenbach.

§. XXXIII.

Cebus, (p) vulgo *Zembs*, rivus ex ſuperiore Alſatia circa villam Ursheim profluens, Jebshemium, ubi recipit Blindiam (q) rivulum, Gruſenhemium, Elſenhemium, Onenhemium, Heidelshemium, Mietersholz, Hilzen, Wideren, Rosfelt, Herpſen, villas alluit, antequam infra Kraſtam diverticulo Elli, ad Rhenum ducenti, ex parte ſe jungat; altera ejusdem Cebi parte ad Rhenum feſtinante, quæ prope locum *Sandgieſſen* Cebus.

(k) *Trimont.*
(l) Germanice *Weiß-Fluß.*
(m) *Schwarz-See und Weiß-See.*
(n) Vulgo *Urbis-Thal*, *Val d'Orbey.*
(o) *Landgraben.*

(p) Ita vocatur à Beato Rhenano, qui à vulgo *Cembſum* vocari annotat.

(q) Hinc occaſio nata Geographis nonnullis, ut Cembſum ipſum in ſuis *Alſatiæ Tabulis* voce *Blind*, refragante uſu communi, deſignent.

Sandgieſſen appellatum, conjungitur Rheno. Cebus amnis, prope Onenheim, ex alveo ſuo partem aquæ verſus Seleſtadium mittit, alveo minore; de quo Beatus Rhenanus, Seleſtadienſis ipſe civis agit, (*r*) confidenter aſſerens, loci illius, qui apud Ptolemæum corrupte ελκηβ@-, *Elkebus* vocatur, nomen ab *Ello* & *Kebo* vel *Cebo* fluminibus, atque adeo ipſam quoque *Seleſtad* vocem, reliquias nonnullas *Cebi* vocis continere.

Weyel. Weyel rivulus, ſcaturiginem ſuam haud procul à villa Binderen habet, atque augmentum aquæ per alveolum, à Cembſo derivatum, accipit. Devolvitur inde ad vicum Gerſt, jungiturque diverticulo Elli infra Kraſtam, haud procul à Rheno.

Iſchera. Ischera, *Iſcher*, amniculus in ſuperiore Alſatia, ubi ad fines inferioris ſe inclinat, haud procul à ſcaturigine Cembſi, ſuam originem habet in vicinia Edenburgi, (*s*) aliquot leucis ſupra Marckelshemium. Inter Rhenum & Cembſum, Rheno tamen vicinior & fere parallelus, devolvitur, Balzenhemium, Marckelshemium, Dieboltshemium è longinquo ſalutat, & ad oppidulum Rheinau Rheno miſcetur, per omnem curſum ſuum nullas aquas peregrinas recipiens.

§. XXXIV.

Alſatiæ inferioris Fluvii. Lebera. Alſatiæ inferioris Fluvii atque Torrentes ex Vogeſo profluunt omnes. Lebera, medio ævo *Lebraha*, (*t*) rivulus vallis Leberiæ, vel, ut multi ſcribunt, Leporis aut Leporacenſis, quæ ab eo nomen accepit. Ad hunc ſitum fuit Monaſterium in Lebraha, quod Fulradus Abbas Caroli M. ætate condidit, quodque vico *Leberau*, (*v*) ibidem ſito, dedit originem. Vallis hæc, ubi S. Mariæ Virginis Fanum, turget metallifodinis, ex quibus argentum, cuprum, plumbum quotidie, copia ſatis magna, proferuntur in lucem. Rivulus hic aquas ſuas propellit extra vallem, easque dein rivo Scaræ commiſcet.

Scara. Scara, (*x*) vulgo *Scher*, torrens vallis Alberti, (*y*) quæ ex montanis illis exſurgens, ad Ortenbergæ arcis confinia proſiliens, Dambacum appetit, inde Kerzfeldio vicisque finitimis prope contiguus, Divi Ludani Sacello ſalutato, divergio Elli, quod infra Hipshemium ab eo recedit, conjungitur prope caſtrum Ichtersheim. Aquæ hæ junctæ mox in Andlaviæ rivum ſe inferunt, prope molendinum caſtri Fegersheimenſis, atque dein cum ipſa Andlavia junctim ſe in Ellum exonerant.

Andelaha. Andelaha, (*z*) vulgo *Andlau*, ex Vogeſi jugis, retro oppidum hujus nominis, deſcendens, atque per illud proſerpens, nomen dedit celebrato Parthenoni, à Carolo Craſſo Imp. & Richarde conjuge ejus condito. Immergit ſe denique in Ellum, haud procul Fegershemio vico. Ceterum terminatio *aha* frequens eſt amnibus & rivis Teutonici idiomatis. In Alſatia noſtra habemus *Feacha*, *Lebraha*, *Haſelaha*, apud Rufacum *Rufacha*. In Sylva Martiana, nobis vicina, reperiuntur *Kuntzaha*, *Schiltaha*, *Wolfaha* in Tractu Badenſi, *Schwartzaha* apud Cœnobium ejusdem appellationis. *Ach* Germanis medii ævi *aquam* denotavit, unde urbs *Aquæ*, *Achen*.

Ergitia. Ergitia (*a*) in valle illa Vogeſi, quæ retro Collegiatam S. Leonardi, in partibus Monaſterii Hohenburg ſita, quatuor ab Ehnhemio ſuperiore leucis, in territorio oppiduli *Berſch*, ſuas ſcaturigines habet. Antequam ex valle defluit, appellatur *Ehn*, atque oppidis *Ehnheim ſuperiori* & *inferiori* (*b*) nomen ſuum communicat. Quorum prius civitatis Imperialis titulo olim notum fuit. Regionem illam ubi tranſivit, nomen *Argitiæ* demum induit, Kraut-Ergersheim villam, ab eo ſic appellatam, atque Blæshemium verſus, ubi Magelam rivulum, qui prope Roshemium, oppidum quondam Imperiale, conſpicitur, recipit, atque per Geispolzhemii fines Gravenſtadam usque devolvitur, ibidemque Ello miſcetur. Rivum hunc *Ergers* veteri Argentorato nomen dediſſe, Joannes Fischartus (*c*) ſibi perſuaſit. Credidit nimirum, urbem hanc olim ad Gravenſtadam usque ſe extendiſſe, ubi Ergitiæ, quam *Argens* appellatam fuiſſe exiſtimat, conſpicimus oſtia. (*d*) Henricorum Tertii, Quartique Imperatorum ætate, adeoque ſeculo XI. rivus hic in Chartis vocatur *Argenza*. Seculo tamen ſeptimo nomen *Ehn* jam obtinuiſſe neceſſe eſt, quod Eticho, Alſatiæ Dux, Ehnhemii habitaſſe ſcribitur ab Auctore quidem, qui diu poſt vixit, vitamque S. Odiliæ, Etichonis filiæ, compilavit. Flumen ſimilis nominis ad Auguſtam Rauracorum conſpicitur.

§. XXXV.

(*r*) *Rer. German.* Lib. III. pag. 286.

(*s*) Quæ villa olim, prope Bieſſam, hodie deſtructa eſt, rudera ejus extant.

(*t*) Gallice *Lievre*, Germ. *Leber*.

(*v*) *Village de Lievre*.

(*x*) Unde villæ *Scherweiler* nomen.

(*y*) Communiter *Weilerthal*, Viletia vallis.

(*z*) *Andlo* quoque ſcribitur medio ævo.

(*a*) Nonnullis Argitia, Germ. *Ergers*.

(*b*) *Ober-Ehnheim* & *Nieder-Ehnheim*.

(*c*) Peculiari Libello *de Originibus Argentoratenſibus* id demonſtraturus. Vide Herzogii *Chron. Alſat.* Lib. III. Cap. III. pag. 7.

(*d*) *Deſcriptio Particulæ Territorii Argent.* pag. 21.

Digitized by Google

§. XXXV.

Brusca, Bruſcha, (*e*) in altiſſimis & confragoſis Vogeſi verticibus juxta vicum Bruſca. Selam (*f*) erumpens, tenui admodum aqua, longo ac flexuoſo curſu, per vallem, cui à lapide vel ſaxo, ſupra quod arx poſita, nomen *Steinthal*, (*g*) circumfertur. Hinc in Comitatu de Salmis, prope ferrifodinas *Framont*, duobus fontibus, copioſa aqua ſcatentibus, augetur, perque vallem, à ſe cognominatam *Breuſchthal*, quæ & Schirmeckiana vallis, ſe commovens, bifido alveo ſupra Greſsvilam diſſectus, altero Mutzingam & Molshemium adlambens, per amœna prata Dachſteinium adrepit; ubi Moſſa rivo, qui per Coronæ vallem decurrit, auctior, jam alteram ſui partem Dorolshemio, ad D. Joannis Fanum transmittit, indeque ad Altorfiani, Benedictinorum Cœnobii marginem, ſiniſtrorſum procurrentem, ac jure poſtliminii recuperatam, devorat: mox Holzhemium prætesgreſſus ad Argentoratum tandem ex parte conjungitur Ello; ita tamen, ut flumen omne conjunctum intra urbem decurrens, ſolo Bruſcæ nomine appelletur. Altera enim pars Bruſcæ, poſtquam urbem apud portam Turris albæ ingreſſa, molendinum octo rotarum perluit, egreditur mœnia, atque per foſſam urbis, juxta muros, devolvitur verſus portam uſque Judæorum: ubi ab urbe recedens, ad ſeptentrionem deflectit, ut Ello ſuas quoque aquas infundat. Altera pars Bruſcæ, quæ potior eſt, & per foſſam Ludovicianam, arte factam, fertur, ſupra urbem jam cum Ello ſe junxit. Junctarum aquarum diribitorium ad ipſum urbis introitum cerneres, flumine miro ingenio in ſex partes diducto, quæ tamen, in urbis egreſſu, unum in alveum redeunt. Nonnihil Rhenanæ aquæ, per divergium arte factum allabentis, ad urbem, Hoſpitale Regium verſus, & ad pontem, S. Wilhelmi Eccleſiæ vicinum, vulgo *Rheingieſſen*, junctas Elli & Bruſcæ aquas reddit profundiores, adeoque navium onerariarum capaces, quæ dein Rheno ſecundo deſcendunt, vel aſcendunt adverſo. Ceterum Bruſcæ fluminis aquæ, præ reliquis Alſatiæ rivis, poſt Ellum, inferiori Alſatiæ utiliſſimæ evaſerunt, ex quo exſtructa eſt Foſſa illa, quam, à Ludovico XIV. conditore, *Ludovicianam* vocares, in qua Bruſcæ amnis aquæ colliguntur, poſtquam hic Moſſam excepit. Quanquam autem apud Sulzam, ubi thermæ Sulzenſes, jam ligna injiciantur Moſſæ, vera tamen foſſa, quæ lintres fert, nonniſi infra Molshemium incipit. Per foſſam hanc, quam vulgo vocant *Canalem*, toto anni tempore, ad urbem Argentoratum lapides, calx, ligna, aliaque, munimentis & ædificiis conſtruendis apta, deportantur. Latitudo foſſæ eſt XXIV. pedum, profunditas VIII. pedum, longitudo IV. leucarum Francicarum. Heliseus Roeslinus in ſua *Vasgoviæ Deſcriptione* (*h*) annotat, lapides pretioſos, Amethyſtis ſimiles, ſubinde repertos fuiſſe in Bruſca.

Suvela, *Sauvel*, *Suvel*, fluviolus ex promontanis Vogeſi, per villas Pfetzheim, Suvela. Pfulgriesheim & Mundolsheim, Wanzenaugiam petit, ibique Bruſcæ junctus in Rhenum defertur.

§. XXXVI.

Mossa, vulgo *Moſſig*, *Moſig*. Fontes ejus ſunt in illa parte Voſagi, quæ Moſſa *UUelſeria Vallis* (*i*) appellatur, duplicis leucæ Francicæ ſpatio ab Ochſenſteinenſis arcis ruderibus. Præceps ruit verſus Rumelsvillam, Waslenhemium, totamque Vallem Coronæ, ubi Marilegium ac Kirchhemium ſuis aquis ditat & recreat; allabitur Sulzenſibus thermis, atque mox, prope Dachſteinium, in Bruſcam illabitur.

Haselæ, *Haſelaha*, vulgo *Haſel*, fontes haud procul à fontibus Moſſæ conſpi- Haſela. ciuntur. Hunc fluviolum memorabilem reddit S. Florentii eremus, ubi ille vitam egit ſolitariam, antequam Eccleſiæ Argentinenſis fieret Antiſtes. In cujus rei memoriam Haſelacenſe Cœnobium ab eo conditum, & Dagobertina munificentia ditatum, in Collegiatam Eccleſiam tractu temporis commutatum; quæ hodieque floret. Haud procul à loco hoc ſacro Haſela ſe in Bruſcam præcipitat.

Wich

(*e*) Vulgo *Breuſch*, Gall. *Bruche*. In *Privilegio Childericiano*, quod Monaſterio S. Stephani datum, jam legimus: " Infra ambitum veteris muri, à media porta „ meridiana verſus Bruſcam.„ Schilterus ad Koenigshov. *Chron.* pag. 535. Jo. Georg. ab Eckhart in *Diſſert. de Apolline Granno* pag. 24. nomen Bruſchæ ſingulari etymologia derivat à Germanico *brechen*, frangere; " quod eo loco, quo illa Breuſchæ nomen „ recipit, fluvius in diverſa brachia ſive amnes dis„ rumpitur quaſi & ſeparatur, quorum majus Breuſcha „ audiat.„ Addit porro: " Cum vero in illam, ab ini„ tio diviſionis hujus ſuæ, amnis ex montanis Voſagi „ profluens cadat; idem inde etiam Breuſchæ nomen „ accepit, quod illapſus ejus aquarum illam veluti „ ad iſtam ſeparationem coëgiſſe videretur. Ab effectu „ itaque oſt i ſui Breuſcha dictus eſt integer, ut Mogo„ nus ſive Mœnus à ſolo ſuo oſtio vocatus eſt.

(*f*) *Sell.*

(*g*) *Ban de la Roche.*

(*h*) Pag. 7. Adde Jo. Boeclerum *Cynoſura Materiæ Med.* Tom. II. Part. III. pag. 871.

(*i*) *Welſerstbal*

Wich. Stilla. WICH & STILLA rivuli, iisdem in partibus orti, Haſela inter eos media, ad convallem Schirmeckianam deſcendunt, ut paulo poſt Bruſcæ ſe jungant.

Rorbach. RORBACH amniculus brevioris quoque decurſus eſt. Haud procul à ruinis Kochersbergæ caſtri, ubi defluxit, villas Ror & Gugenheim alluit, prope Mazenhuſam in Sornam ſe projicit.

§. XXXVII.

Sorna. SORNA, vulgo *Sorr*, non longe à Dagsburgenſi arce, duobus ex rivulis aſſurgens, primo ad ſeptentrionem, dein ad orientem converſus, per Tabernas Alſaticas, ubi Epiſcopalis palatii hortos intrat, & loci amœnitate quaſi captus, lento curſu verſus villam Steinburg procedit, à ſiniſtra pulcherrimum Parthenonem, D. Joanni Baptiſtæ dicatum, ſalutat. Haud procul Steinburgo, ſupra Wiſenaviam villam, Zinzelii rivi, infra vero Mosbaci confluentibus ſociatus, adque Hochfeldam primum, deinde ad Brocomagum ſemet applicans, poſt aquarum inter vicina arboreta divortium, hinc Offendorfii, infra Wanzenaugiam, inde longiuſcule provectus, per Druſenhemii pontem, poſtquam ſedecim leucas emenſa eſt, Rheno confunditur.

Matra. MATRA vel *Modera*, vulgo *Motter*, poſt XII. leucarum decurſum, Rhenum quoque intrat, unius leucæ diſtantia ab oſtio Sornæ, infra Druſenhemium. Hinſpurgi in ſinu Vogeſi, duarum leucarum diſtantia à Luzelſteinenſi arce, hic amnis oritur, ac compluribus identidem congeſtis fontibus, per Ingvillam & Pfaffenhovium ad Neo-Caſtrenſe, Ciſtercienſium Monaſterium devolvitur. Zinſela inde, Luterbaco, Winſteinerbaco & Falckenſteinerbaco, aliiſque amniculis ſe agminatim infundentibus, Hagenoam civitatem init. Brevi poſt ſilvam vicinam, quæ medio ævo *Foreſta Sancta*, intrat, Hagenoæ jam navigabilis olim, unde urbs illa tum inſigne emporium, at bellicis turbis turbatum. Fluminis alveus nonniſi Biſchvileræ navigabilis eſt, unde loci hujus commercia, multis ibi opificibus ſuas artes tractantibus; & inde natæ divitiæ. Per Matram hanc, magna arborum, bellicis & onerariis navibus conficiendis, idonearum copia, ad Rhenum uſque promovetur. Argenti moleculas, arenæ immixtas, in Matra ſubinde repertas fuiſſe, allegatus jam ſæpe ROESLINUS (k) memorat.

Zinſela. ZINSELA, *Zinſel*, in Vogeſo aliquot fonticulis orta, in Lotharingiæ partibus, haud procul ab arce Bitenſi, (l) per locum Schmalenthal, exiguum tranſiens lacum, devolvitur in vallem Bærenthal, in cujus vicinia caſtrum Ramſtein olim ſitum fuerat. Inde ad Mulenbach & ad villam accedit, cui nomen ſuum *Zinsweiler* communicat. Paulo infra vicum Gumbrechtshoven, inter Utenhoven & Griesbach, Zinſela recipit rivulum *Falkenſteinerbach*, qui, apud oppidulum Reichshoven, alium quoqne amniculum *Winſteinerbach* recipit; quibus omnibus aliiſque vicinis minoribus aquis Zinſela aucta, ad Griesbacum atque Merzweileram vicos feſtinat, ad Schweighuſam denique, villam permagnam, ſuas aquas immerſura in Matram, quæ ſuas ad Druſenhemium cum Rheno commiſcet.

§. XXXVIII.

Sura. SURA, Germ. *Sauer*, vulgo *Sur*, oritur in illis Vogeſi partibus, quæ ſunt retro arcem Fleckenſtein; ſcaturigo ejus nomen habet *Fons Suræ*. (m) Devolvitur primo verſus auſtrum ad villas Fiſchbach, Schœnau, Hiritall, pedemque montis, cui impoſita arx Fleckenſtein; prope oppidulum Wœrdt vero ad orientem convertitur, atque dein, circa villam Gunſtett, pars ejus Parthenonem Biblisheim adit, pars antiquiſſimum Monaſterium olim, atque deinceps Collegium Canonicorum Surburgenſe, cui nomen ſuum communicavit, atque ita denique per ſilvam Hagenoenſem, ad Parthenonem Ciſtercienſium Regis-Pontum, in Matram (n) influit, & cum Matra in Rhenum ſe exonerat, inter Beinhemium & Saletionem. Curſus ejus X. leucarum eſt.

Selzbach. SELZBACH, Selza, Salza, Saliſa rivus, pluribus ex rivulis oritur, qui à Voſago, per Præfecturas Cleburg, Wœrdt, Sulz & Kuzenhauſen deſcendunt, atque circa Roderam villam in unum ſe colligunt alveum, unde, aliquot leucarum intervallo, prope Selzam, Imperiale olim oppidum, ſe in Rhenum præcipitat, ex BEATI RHENANI aliorumque ſententia Alſatiæ finitor.

LUTERA,

(k) *Deſcript. Vasgoviæ* pag. 7.
(l) *Bitſch.*
(m) *Der Sauer Brunnen.*
(n) Matra hæc diverſa à Modera, quæ per Hagenoam fluit, quam nonnulli tamen etiam Matram vocant. Hanc vulgus appellat *Beinheimer-Bach*, & Monumenta vetera vocant *die Mater*. Vide *Inſtrumentum Juriums Abbatiæ Selzenſis de anno* 1310.

Lutera.

Lutera, nonnullis *Lutaris*, (*o*) oritur ex fonte Vogeſi, cui nomen *Fons Luteræ*; (*p*) decurrens inde procedit ad villas Thann, Bruchveiler, Buntenthal, Bremelberg, Schlettenbach, Bubenthal, donec Weiſſenburgum civitatem mediam percurrit; inde, poſtquam Altenſtatt & S. Remigii arcem deſtructam alluit, ſilvam Bienwald ingreditur, atque tum demum oppidum Lauterburg alluens, emenſa X. leucarum via, ſe in Rhenum præcipitat; curſu ſuo ad orientem primum directo, inde paulo ad meridiem deflexo. Lutera hæc diverſa eſt ab altera illa, unde oppidum Palatinatus Rheni *Lutera Cæſarea* (*q*) nomen accepit, quæ in eodem Vogeſo, haud procul à fontibus Luteræ noſtræ, ſuam origioem habet. Lutera Alſatica, bellicis temporibus, alterum poſt Queicham totius Provinciæ propugnaculum eſt, quo hoſtes Alſatiam invaſuri arceantur, vel Queicha jam potiti. Vallum hoc foſſa, loricis & variis hinc inde munimentis conſtans, à Weiſſenburgenſi civitate ad Lauterburgum, adeoque per quatuor leucas, ad Rhenum usque ſe extendit; Lutera aquis ſuis foſſam implente.

Solach, Forlach, Otterbach, Erlenbach.

Inter Luteram & Queicham volvuntur quoque rivi quidam minores, *Solach*, *Forlach*, *Otterbach*, *Erlenbach*, *Sederbach*, aliique. Solach rivulus, qui, in ſilva Bienwald fontes ſuos habens, per eam Hagenbachium villam verſus, in Rhenum vicinum decurrit. Forlach amniculus, in eadem ſilva ſcaturigines habet, atque haud procul à Solach eidem Rheoo ſe jungit. Otterbach amniculus haud procul à caſtro Gutenberg exoritur, per ſuperiorem & inferiorem villas Otterbach ad Sternfelſs, Frekfeldam, inde & Minfeldam, minores ſubinde recipiens rivulos, fertur, atque vicum illum ampliſſimum Langen-Kandel præterfluens ad villam Jochenhemium pergit, ubi in Rhenum demergitur. Erlenbach rivulus, ad pedes montis, cui nomen eſt *Caput*, (*r*) Tabernas Montanas perluit, inde villas Hornbach, Barberoth, Ergersweiler, Winden & Erlenbach alluens, haud procul à Tabernis Rhenanis, Rheno ſe infert. In Wetteravia atque Auſtria inferiore ejusdem nominis rivi reperiuntur.

§. XXXIX.

Queicha.

Queicha (*s*) retro Falckenberg & Hauenſtein fontem ſuum habet, qui ſpeciatim vocatur *Fons Queichæ*. (*t*) Devolvitur ad oppidum Anveiler, quod medium perfluit, indeque Landaviam urbem permeans, apud Germersbemium, cujus muros à meridie lavat, ſe in Rhenum immergit, poſtquam undecim leucarum curſum abſolverat, recta ſemper via verſus ortum excurrens. Ex Queicha, antequam in planum deſcendit, alveus (*u*) Landaviam verſus ſesqui-leucæ ſpatio ducitur. Qui eundem uſum Landaviæ, quem alveus ex Bruſca derivatus, præſtat Argentorato. Sed & Queichæ affluentiumque rivulorum quorundam ope extructa eſt operis inſignis munitio, foſſis, loricis, aggeribus inſtructa, quæ Landavia ad Rhenum uſque, ultra trium leucarum longitudinem, ſe extendit; ad oppidum Germersheim olim, ubi Queicha Rheno jungitur, terminata; meliore dein conſilio anno MDCCXLV. Hertam vicum verſus, ad eundem Rhenum directa. *Vallum Provinciale* appellares, quo hoſtiles incurſiones retardantur, quale Hadrianus, Antoninus, Septinius Severus, reprimendis Scotorum Pictorumque in Britannia, imo & Germanorum, Danubium inter & Nicrum, incurſionibus olim conſtruxerant: quas munitiones, Romano Imperio labente, *Prætenturas*, *Cluſuras*, *Clauſuras*, Ammiano Marcellino & Cassiodoro teſtibus, appellarunt. Vallum Queichæ Alſaticum multas in tranſcurſu villas & vicos cingit, atque foſſa circumducta communit. Queicha hæc limes Alſatiæ borealis eſt, adeoque fluminum & rivorum ejus ultimus, à limite Alſatiæ meridionali, quem Huninga conſtituit, XLVI. leucarum Gallicarum intervallo diſtans; quæ diſtantia longitudinem Alſatiæ complet. Præter flumina, rivos & rivulos, quos Alſatiam noſtram permeare oſtendimus, ſunt & alii illuſtres fluvii ex eodem Vogeſo prodeuntes, ſed qui ex latere ejus occiduo deſcendunt, adeoque non Alſatiam, ſed Lotharingiam perluunt: Matrona nimirum, quæ ad occaſum, Moſa & Moſella, (*w*) quæ verſus ſeptentrionem, atque Araris, quæ meridiem verſus, dirigunt curſum; quibus Saram Murthamque adjungimus.

(*o*) Vulgo *Lutter*, *Lauter*.
(*p*) *Lauterbronn*.
(*q*) Vulgo *Kayſers-Lautern*.
(*r*) *Kopf*.
(*s*) Vulgo *Queich*.
(*t*) *Queichbrunn*.
(*u*) *Canal de la Queich*.
(*w*) Moſella duplicem fontem habet: alterum prope Buſſanum, Lotharingiæ vicum, in declivitate Vogeſi; alterum ex adverſo Gregorianæ vallis, in eadem Vogeſi declivitate, vix XXX. paſſibus à loco, ubi Fachina oritur, haud procul à vico Lotharingico *La Breſſe*. (Germ. *Woll.*) Vocatur hic fons Moſellæ Fons Ducis. (*Herzogs-Brunn.*) Uterque fons eſt in Habendenſi pago; diſtant inter ſe quatuor leucis Francicis. Bailliev in *Tabula Geographica Rheni* tertium quendam Moſellæ fontem, qui duabus leucis à poſteriore diſtat, annotavit.

§. XL.

Lacus Alſatiæ.

Flumina, rivi rivulique Alſatiæ, unde Lacus plures, piſcinæ, vivaria, in montibus & in plano, admonent nos lacuum quorundam, qui in eadem reperiuntur, & ex quibus rivi nonnulli deſcendunt. Præcipuus lacus eſt in Belo, quem verius Stagnum dixeris. Hic non in extrema montis ſummitate conſpicitur, ſed ad radices rupis, quæ dimidiæ leucæ ſpatium circuitus continet, & ob figuræ rotunditatem *Caput* (*Belchenkopf*) appellatur, quæque, velut humano corpori caput, monti ſuperimpoſita cernitur. Lacus in medio circa LIV. pedes profundus eſt. Crater ejus, qui octoginta pedes profunditatis habet, hemi-cycli inſtar, partem rupis excavatam occupat, reliqua pars crateris ex terra & arena componitur. Lacus hic cataractis conſtringitur, quibus tantum aquæ emitti poteſt, quantum ad ligna ex monte in planum demittenda, ad augendas item, ſiccitatis tempore, Lauchæ aquas, quæ molendina & officinas pulſat, requiritur. Inſervierunt quoque cataractæ hæ olim implendo aquis alveo, qui Rufaco Briſacum novum, ad munimenta illius urbis extruenda, ductus eſt. Infra hunc lacum foſſa X. pedum profunditatis arte facta eſt, *Seebach* dicta, quæ, emiſſarii lacus inſtar, ſuperfluis lacus Beli aquis recipiendis inſervit. Anno MDCCXL. menſe Decembri, ventorum & aquarum violentia, perruptæ ſunt cataractæ hæ, atque inſecuta hinc tanta, per Floridam & Lutenbacenſem valles, inundatio, ut molendina & ædificia plura, pontes item lapidei, paſſim everſi fuerint, maximamque hinc S. Amarini & Gebvileræ oppida, & villæ vicinæ, jacturam paſſæ ſint.

Lacus Albus & Lacus Niger, (x) in montanis Orbeanæ vallis; & ille quidem in Alſatiæ Lotharingiæque collimitio, hic Pariſienſi Ciſtercienſium Monaſterio paulo propior. Uterque in vallem aquas dimittit, quæ ad Cœnobium hoc junguntur, à quo per mediam dein vallem omnem provolvuntur. Lacus Albi deſcriptionem nobis amplam ſatis atque elegantem dedit Joannes Walchius, Schorndorfenſis, (y) his verbis:
" Eſt locus in Vogeſi, qui Luteringicas à Germaniæ finibus dirimit, ſummo vertice,
„ non procul à *Bon-homme* ſitus, Cæſaremonte in Galliam qua tranſitur, à mortalium
„ habitatione remotus & ſecretiſſimus, in quo aquæ clariſſimæ, in ſaxeto vaſtiſſimo,
„ ceu cavo aheno, ſtagnant. *Lacum* hominum vulgus *album* vocat, tantæ capacitatis,
„ ut totam hanc convallem Brentianam & Regii Fontis viciniam, Lutzelburgum uſque,
„ amplitudine ſuperet: profunditatis præterea incredibilis, hominibus usque huc Igno-
„ ratæ. Vallem natura, omnium mirabilium rerum opifex, intra duos altiſſimos
„ montes editiſſimam effinxit, & circumquaque clauſam fecit. Hanc meris fontanis
„ aquis, è ſuperis loco illi contiguis rupibus paſſim erumpentibus, expleri curavit, quæ
„ undique ſcaturientes, atque largas huic tantæ voragini explendo latices ſufficiunt,
„ tantumque hiatum complent: hoc obſervato moderamine, ut illæ nec abundarent,
„ nec deficerent, ſed, quod ad alvei capacitatem lympharum ſupereſt ac redundat,
„ certo quodam ad hanc rem compoſito ſulcu, ex inferiore lacus parte, mox per alta
„ montis juga, ſævo murmure, ea qua importatæ ſunt menſura exonerantes, ingenti
„ ac horribili catarrhacta in confinem Alſatiæ vallem decidat, ut per omnia perpetuo
„ ſibi ſimile ſtagnum permaneat. Lacus hic quadrangularis eſt, horridis undique
„ cinctus rupibus; qua vero Germaniam ſpectat parte, ac in profundam vallem reſiduas
„ lymphas exonerat, adamantina caute ita firmiter munitus eſt, ut per ullum aquagium
„ undas illas, in ſummo excelſiſſimi licet montis vertice conſtitutæ ſint, alio derivare,
„ aut per montana in confines valles dejicere, ac præcipites agere, alveumque tam
„ immenſum exhaurire, nequicquam laboretur, atque omne humani ingenii & inven-
„ tionis acumen & induſtriam tantus conatus excedat atque ſubterfugiat.

His lacubus jungimus vicinum Sulzerenſis vallis lacum *Daren-See*, ex quo profluit rivus, *Fachina minor* vocatus, qui Amferſbaco torrente auctus prope Monaſterium Confluentis Fachinæ majori jungitur. Lacum Altitonæ vel Framontio vicinum, ubi Ædicula Divæ Virginis, quæ hinc *B. Virgo ad Lacum*, (z) non commemoro, quod in Salmenſi Comitatu ſitus, ad Lotharingos refertur. Lacus hic ex ſinu ſuo dimittit flumen Saravi; quod augmentum ex pede montis, cui caſtrum Salmenſe impoſitum eſt, accipit.

§. XLI.

(x) *Der Weiſſe See und der Schwarze See.*

(y) In *Dec. Fabular. humani generis ſortem, mores, ingenium, ſtudia &c. adumbrantium*, pag. 141. ſq.

(z) Vernacule *Unſer Frau zum See.*

§. XLI.

Piſces & utilitas fluviorum Alſatiæ.

In fluviis his, rivis & lacubus Alſatiæ habitant Piſces, qui magnæ diverſitatis & exquiſiti plerumque ſaporis ſunt; fluviatiles præſertim, inter quos eminent ſalmones, piſces majales, carpiones Rheni, lucii, anguillæ, aloſæ, truttæ, mulli barbati, percæ, tincæ, barbi, muſtelæ, naſones, funduli, gobii, gobites, ſalmunculi, (*a*) capitones ſive ſquali, albulæ, leucorini, rutili, lampetra major & minor, thymalli, qui ſæpe truttis æquiparantur, berlæ, marſiones: cancri, cochleæ, & conchylia varii generis. (*b*) Apud Plinium, (*c*) ubi de piſcibus majoribus loquitur, thynnus ſive thunnus in mari memoratur, in Nilo ſilurus, *eſox* in Rheno, quam vocem de ſalmone nonnulli intelligunt. Acipenſer vel mullus major, qui & ſturio (*d*) vocatur, haud raro quoque apud nos in Rheno comparet, quanquam non facile ultra quinque aut ſex dierum ſpatium à mari recedat.

Tot amnes, rivi & rivuli, quum alluant perluantque Alſatiam, magnum Provinciæ decus, fertilitatem inſignem, & commoda vitæ commerciorumque conciliant. Eorum ope lacus, piſcinæ, cataractæ artificiales, conficiuntur; ex altiſſimis rupibus & intimis receſſibus Vogeſi in planum deferuntur ligna; prata & agri irrigantur; molendina frumento, oleo, lino, conficiendis; lignis, ad ædificia conſtruenda, ſecandis; piſtrina multiplices in uſus extructa, molæ navales, fullonicæ, moletrinæ, tympana, torculi aguntur: officinæ tinctoriæ, corariorum, chartariæ, pulveris pyrii, ſalinariæ; fabricæ armorum omnis generis, argento item, æri, cupro, plumbo, ferro fundendis, purgandis, ſeparandis, cudendis, impelluntur.

§. XLII.

Divitiæ & nobilitas Alſatiæ.

Nemo itaque mirabitur, tam nobilem, tam amœnam fertilemque Regionem, inter XLVII. grad. LV. min. & XLIX. grad. X. min. latitudinis, atque inter XXV. grad. XXXIV. & LVI. min. ejuſdem gradus longitudinis ſitam, incolis eſſe plenam atque refertam: quorum numerus ad quinquies centena millia, ſive dimidium millionem, hodie aſſurgit. Computantur in ſuperiore Alſatia & Sundgovia XXXII. urbes, oppida, oppidula; in inferiore XXXIX. Numerus villarum & vicorum in utraque ultra M. excedit. (*e*) Hodie in eadem urbes fortiſſimæ IX. Beſortium, Huninga, Briſacum, cum munimento vicino ad Rheni ripam *Fort-Mortier*, Seleſtadium, Argentoratus, Pfaltzburgum, Lauterburgum, Fortalitium Ludovici, Landavia; tres arces munitæ, Landscronenſis, Liechtenbergenſis atque Luzelſteinenſis, conſpiciuntur. Arces aliæ, ut plurimum in montibus vel collibus ſitæ, ultra CC. olim fuerunt, nunc fere omnes deſtructæ.

Imponimus huic Conſpectui finem Jac. Wimphelinoii verbis, quæ in ejus *Epitome Rer. German.* (*f*) anno MDII. Argentorati ſcripta, leguntur: "Ut multas Germaniæ „
Regiones omittamus, Alſatiæ fertilitatem proſequamur. Ea tametſi Germaniæ por- „
tiuncula eſt, tamen aëris temperie, ſoli fertilitate, aquarum copia, nemorum ſalu- „
britate, Cereris ac Bacchi abundantia, ac omnium rerum ubertate, eſt affluentiſſima, „
quæ merito cella penuaria & Germaniæ nutrix nominari poteſt. Ægyptus, Sicilia, „
Italia, Hiſpania, ſicut receptiſſimi Autores prodiderunt, ſunt quidem Regiones uber- „
rimæ fertiliſſimæque, frumenta tamen & vina, quæ illic colliguntur, craſſa ſunt & „
pinguia, & ſciti ſaporis, minime tamen duratura, quæ tamen apud nos ad LX. usque „
annum incorrupta, illæſa, ſincera, pura, & ad mortalium uſum accommodatiſſima, „
permanent. Huc adde, quod Alſatici divina ingenia ſortiuntur, ex aëris locique „
temperie. Multos protulit patria noſtra claros doctrina & eruditione viros, extantque „

„ hodie

(*a*) De Salmunculis vel Salmerinis diſputatur, an fiant Salmones? an peculiarem piſcium conſtituant ſpeciem? Vulgus piſcatorum plerumque pro poſteriore, Phyſici autem pro priore ſententia pugnant, cui accedit Conrad. Gesnerus in *Scholiis & Additionibus ad Ovidii Naſonis Halieuticon* pag. 187. probata quoque Melch. Sebizio *de alimentorum facultatibus* pag. 1020. Dubitandi locus non ſupereſt, ex quo ovula ſalmonum, & ſalmerini inde prognati, in Rheno à piſcatoribus noſtris deprehenſi ſunt, qui, nonniſi in aqua marina, ad majus volumen excreſcunt, in aqua dulci vero ex piſciculis piſces fieri non poſſunt. In mari ergo quum ſalmones facti ſunt, in Rhenum, primam ſuam patriam, redeunt, ibique capiuntur. Notandum, quod in Germania in Rhenum, Albim & Moſellam, in Gallia in Garumnam, Sequanam & Ligerim, in Anglia in Tameſin, aſcendant. In Rheno ad Cataractas ejus usque progrediuntur.

(*b*) Enumerantur ubi plures à Melch. Sebizio loc. cit. Lib. III.

(*c*) *Hiſt. nat.* Lib. IX. Cap. XIV.

(*d*) *Eſturgeon*, *Stær*.

(*e*) Hieronymus Gebvilerus *Panegyr. Carolin.* pag. 13. ſua jam ætate XLVI. oppida mœnibus cincta numeravit.

(*f*) Cap. LXXII. edita cum Witichindo Baſileæ apud Hervagium 1532. fol. & in Sim. Schardii *Scriptoribus Rer. Germ.* Tom. I. pag. 199. Edit. poſter.

„ hodie etiam, in quocunque diſciplinæ genere peritiſſimi.„ Addo, quæ SEBASTIANUS MUNSTERUS, vir doctiſſimus, cui Alſatia probe nota, obſervat: (*g*) “ Non eſt in „ tota (inquit) Germania Regio aliqua, quæ in omnibus proventibus Alſatiæ poſſet „ adæquari. Sunt quidem in Germania quædam terræ proferentes vinum, haud igno- „ bilius vino Alſatico; at non habent interim tantam abundantiam frumenti & arbo- „ reorum fructuum, ut ipſa Alſatia. Nam nullus eſt juxta montes in Alſatia locus „ ocioſus, qui non habitetur, aut ſit cultus. Juxta Rhenum habet paludes, & juxta „ eas optima paſcua pro pecoribus. Hæc tam parva Regio adeo humanis uſibus eſt „ dedicata, ut in ea inveniantur XLVI. civitates & oppidula, omnia muris cincta, L. arces „ in montibus & plano ſitæ; villarum vero & vicorum non eſt numerus. Vulgares „ Regionem incolentes & terram colentes miſeri ſunt: nam per ſingulos annos abligu- „ riunt bona ſua, nec quicquam in futurum ſervant, unde fit, ut tempore belli, aut „ quando frigore aut pruina terræ naſcentia devaſtantur aut pereunt, patiantur magnam „ penuriam. Juvantur tamen pauperes ex publicis granariis. Non habet terra hæc „ indigenas multos, ſed majori parte ſunt advenæ, puta Suevi, Bavari, Burgundi, „ Sabaudi & Lotharingi, qui cum ſemel Regionem ingreſſi fuerint, non facile hinc „ emigrant. Suevi potiſſimum ibi nidulantur, paſſim ibi omnes recipiuntur, qui colonis „ in terræ cultura cooperari ſatagunt.„ His conſentientem MABILLONIUM adjungimus, qui in *Itinere Germanico* (*h*) de Alſatia ſcripſit: “ Hoc die per Alſatiæ amoeniſſimam „ plagam, qua nullam jucundiorem aut fertiliorem vidiſſe memini, Argentoratum „ tendimus.

§. XLIII.

Alſatia ab exteris populis occupata.

Opportûnus Regionis ad barbaræ tum Germaniæ limitem ſitus, vicinos trans Rhenum populos, ad quærendas in ea ſedes, procul dubio invitaverat; ad ſuperiorem enim Rhenum cur non tentaſſent Germani, quod Treviri, Nervii, Tungri, Eburones, Condruſi, Menapii, Cæreſi, Pæmani, aliæque Germanicæ gentes, ad inferiorem perfecerant? (*i*) Verum enimvero magnam licet Belgicæ Galliæ partem, ante Romanorum dominationem, ad Rhenum occupaſſent Germani, in noſtra tamen hac Rheni ſuperioris ora firmam illis ſedem figere datum non eſt; atque adeo Alſatia noſtra, per vaſtum illud ævum, ab indigenis tantum ſuis habitata, ab exteris, quantum ſcimus, manſit intacta. Romanorum dominatio, per quingentos circiter annos, ad Rhenum vigens, ab initio ſtatim Tribocos in Alſatiam admiſit; poſtquam vero conſenuiſſet, Alemanni quoque, vicini noſtri, & Burgundiones, maris Balthici olim accolæ, Rheno magnis agminibus tranſito, per Alſatiam in Galliam interiorem penetrarunt; donec Francorum arma, uti per præcipuas Galliæ partes, ita per noſtram hanc quoque oram Rhenenſem, Clodoveo Magno imperante, tandem prævaluerunt. Hac rerum converſione ortum eſt ſub Francis Auſtraſiæ ſive orientalis Franciæ Regnum, cujus portio facta eſt Alſatia, donec ſub Carolingorum proſapia, diviſis Monarchiæ viribus, diſtractaque à Francico corpore univerſa Germania, inter Franco-Germanici, novi Regni, Ducatus & Landgraviatus referretur Alſatia, nonniſi ſub Ludovico XIV. ad Franco-Gallici Regni reditura Provincias.

§. XLIV.

Hiſtoriæ Alſaticæ Periodi.

Univerſa ergo Alſatiæ fata brevi contemplaturo tabella quinque rerum Alſaticarum Periodi notabiliores occurrunt: I. CELTICA. II. ROMANA. III. FRANCICA. IV. GERMANICA. V. GALLICA. Sub ſingulis magna politici Alſatiæ ſtatus converſio facta.

CELTICA, temporis duratione longiſſima, omnem illam Alſatiæ Celticæ liberæque ætatem, à primordiis rerum, ad Divum uſque Julium, Romanorum Dictatorem, qui jugo externo eam primus ſubjecit, complectitur, adeoque An. LVIII. ante Æram Dionyſianam terminatur.

ROMANA ad Francorum usque Imperium, ſub Clodoveo Magno, in his partibus An. CCCCXCVI. Tolbiacenſi prœlio ſtabilitum, pertingit.

FRANCICA ad Ludovici Germanici tempora, ſpeciatim ad annum usque Chriſti DCCCLXX. progreditur, quo, in Lothariorum Regni diviſione, Germanos inter Galloſque facta, Germanici juris Provincia evaſit Alſatia.

GERMA-

(*g*) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. CXIX. pag. 535. Edit. Lat.

(*h*) An. 1683. d. 30. Sept. pag. 97.

(*i*) CÆSAR *Bell. Gall.* Lib. II. Cap. IV.

Germanica omne illud tempus exhaurit, quo Germanici Regni, atque deinceps Imperii, membrum illuſtre Alſatia fuit, ad annum usque MDCXLVIII. quum Weſtphalica Pace, per Neomagenſem, Riswicenſem & ſequentes, roborata, ad Gallicam Monarchiam, Ludovico XIV. imperante, tranſivit: à quo tempore

Gallica, quæ quinta & poſtrema Alſaticæ Hiſtoriæ Periodus eſt, ad noſtra usque tempora perdurat. Alemannorum in Alſatiam irruptiones ſub Romanis, peculiari periodo adſcribere, viſum non eſt, quod Alemannos Alſatiæ poſſeſſores tranquillos unquam fuiſſe, nulla hiſtoria prodidit. Neque etiam peculiarem Burgundionum, in Provinciæ hujus rebus ordinandis, habendam eſſe rationem ſtatuimus, quum illi, ſeculi V. initio, ex Germania in Galliam tranſeuntes, nonniſi extremam Sundgoviæ partem, ſuo Regno contiguam, tenuerint, quod à Clodovei Magni filiis dein Francico Regno adjectum. Nec illud quatuordecim annorum tempus, quo Alſatia ab An. Chr. DXCVI. ad An. DCX. in Theodorici Burgundiæ Regis manibus fuit, à Francica ſeparandum Periodo, quod omnis Burgundia, cum Auſtraſia & Neuſtria, Francico-Merovingorum tum ſubjectæ fuerunt Imperio. Idem de poſteriore Burgundiæ Regno, quod Trans-Juranum vocatur, in quo tres Rudolphi regnarunt, ſtatuendum cenſuimus. Hi auſtralis Alſatiæ partem modo uſurparunt, quæ vi diviſionis, ſuper Procaſpide anno DCCCLXX. factæ, cum duobus Comitatibus ſive Landgraviatibus ſuis, ad Germaniæ Reges ſpectabat; unde ad Germanicam Alſatiæ Periodum referimus, quicquid Rudolphorum regimen cum Alſaticis rebus potuit habere commune. Ad Francicam denique Periodum pertinent ea Alſatiæ fata, quæ ſub Lothariis, Imperatore & Rege, Patre Filioque, per XXVI. annos eveniſſe comperimus. Tribus primis Periodis abſolvitur *Alſatia Vetus*. *Alſatiam Medium* Germanica Periodus, ad ſeculum usque XVI. comprehendit. Reliqua *Alſatiam Novam* componunt. Per anticipationem voce *Alſatiæ* utimur, in Celtica quoque & Romana Periodis, quibus oomen ejus nondum innotuit.

EXCURSUS

DE

AURO RHENENSI ALSATICO.

§. I.

Rhenus aurifer eſt; non generatur in eo aurum, (*a*) ſed ramenta, à montium auriferorum fibris abraſa, arenis ille ſuis involvit, & in certos vortices caveasque (*b*) congerit, unde extracta & frequenti lotione purgata, adhibito hydrargyro, in globulos aut lamellas colliguntur. Aureas has particulas ex Alpium montibus paſſim abſtergunt torrentes; qui magna copia inde decurrunt, atque ſpolia hæc, ceu tributum aliquod, inferunt Rheno. Diodorus Siculus (*c*) de veteri Gallia jam ita dixit: " In Gallia nullum omnino argentum gignitur, ſed auri multum, „ quod loci illius incolis, absque ulla metalli hujus ſcrutatiooe ac ſine ullo labore, „ concedit natura. Nam fluviorum decurſus obliquis ſuis flexibus, dum ad adjacentium „ montium rupes allidunt, magnos ramentorum auri acervos abrumpunt. Id oegotiis „ hiſce occupati colligunt, & glebas, auri grana continentes, molunt atque contundunt. „ Poſt à terreſtribus fecibus aquis purgant, fornacibusque, ut quæque liquefiant, „ „ commit- Rhenus aurifer.

(*a*) Georg. Agricola *de ſubterran. ortu & cauſa* Lib. V. & *de Re Metall.* Lib. III.

(*b*) Germanis: *Gold-Gründe.*

(*c*) *Biblioth.* Lib. V. Cap. XXVII. pag. 304. Edit. Wechel. ubi hæc ſcribit: Κατὰ τὴν Γαλατίαν ἄργυρος μὲν τὸ σύνολον οὐ γίνεται, χρυσὸς δὲ πολὺς, ὃν τοῖς ἐγχωρίοις ἡ φύσις ἄνευ μεταλλείας καὶ κακοπαθείας ὑπουργεῖ. Ἡ γὰρ τῶν ποταμῶν ῥύσις, σκολιὰς τὰς ἀγκῶνας ἔχουσα, καὶ τοῖς τῶν παρακειμένων ὀρῶν ὄχθοις προσαράττουσα, μεγάλους ἀποῤῥηγνῦσι κολωνοὺς χρυσοῦ ψήγματος. Τοῦτο δ' οἱ περὶ τὰς ἐργασίας ἀσχολούμενοι συνάγοντες, ἀλήθουσιν ἢ συγκόπτουσι τὰς ἐχούσας τὸ ψῆγμα βώλους. Διὰ δὲ τῶν ὑδάτων τῆς φύσεως τὸ γεῶδες πλύναντες, παραδιδόασιν εἰς τὰς καμίνους εἰς τὴν χωνείαν. Τούτῳ δὲ τῷ τρόπῳ σωρεύοντες χρυσοῦ πλῆθος, καταχρῶνται πρὸς κόσμον, οὐ μόνον αἱ γυναῖκες, ἀλλὰ καὶ οἱ ἄνδρες.

„ committunt. Hoc modo magnam auri copiam coacervant, qua non modo fœminæ, „ ſed & viri ſupra modum utuntur ad ornatum.„ Hæc inter flumina Rhenum quoque comprehendi, nemo dubitaverit. Ex medio ævo teſtem habemus ſeculi IX. OTTFRIDUM, (*d*) Weiſſenburgenſem, Allatiæ Monachum, Evangeliorum Interpretem Germanico-Rhythmicum, qui Francos ab ingenio laudans ita ſcribit :

Zi Nuzze grebit man ouch thar	Ad utilitatem foditur quoque hic
Er inti Kuphar,	Æs & cuprum,
Joh bi thia Meina	Atque cum copia
Iſine Steina :	Ferrei lapides :
Ouch thara zua fuagi	Sed & adde
Silabar ginuagi.	Argentum ſufficienter.
Joh leſent thar in Lante	Imo legunt hac in terra
Gold in iro Sante.	Aurum in ejus arena.

Ex ſeculo XV. teſtis eſt ÆNEAS SYLVIUS, (*e*) qui Rhenum aureas arenas evolvere annotat. Singulare eſt, quod Briſacum inter & Argentoratum, aureæ particulæ rarius reperiantur in Rheno, quam Argentoratum inter & Philippiburgum. Munimentum Ludovicianum inter & Germershemium ſunt frequentiores, quod minor ibi eſt aquarum rapiditas. In veteri NOTITIA fundationis Monaſterii Haſcoviæ, vulgo *Eſchau*, quæ circa ſeculum XII. conſcripta videtur, mentio fit inſulæ *Zuzenowe*, quæ in illis partibus fuit, (Haſcovia II. leucis Francicis diſtat Argentorato,) *cum arena, in qua aurum colligitur.* (*f*) Haud procul à Kehlenſi munimento vicus eſt *Goldſcheur*, Rheno vicinus, ubi aurum conquiritur. Teutonica vox vetus *Scheur*, qua ſignificatur *purgatio*, (*g*) indicat unde vicus nomen acceperit. Cur aurum ex arena Rhenenſi nonniſi in illis locis, qui inferiores ſunt Baſilea, reperiatur, nemo mirabitur, qui Rhenum in ſuperioribus uno fere ſemper alveo, in quo pauciſſimæ inſulæ, rapidius ferri reputaverit : quum deinceps Rhenus in plura diverticula ſinusque abeat, quæ lotoribus faciliorem ad arenam, in his diverticulis & quieſcentibus aquis hærentem, aperiunt acceſſum. Revocavit hæc nobis in memoriam ea, quæ STRABO (*h*) narrat de Salaſſis. Ait enim, eos, ubi vallis Auguſta & Auguſta Prætoria, Pedemontii hodierni, populos ſolere fluvium Duriam, qui apud eos oritur, in diverſos rivulos ſcindere, & ita in exſiccato alveo auri ramenta quærere & colligere.

§. II.

Alii Fluvii auriferi.

Sagaciſſimus Hiſtoriæ naturalis ætate noſtra indagator REAUMURIUS, (*i*) præter Rhenum, per univerſam Galliam novem flumina, in quibus aurum reperiatur, enumerat, Rhodanum ſcilicet, Garumnam, Dubim; præterque hos Ceſim & Gardonem in Cebennis, Ariegam & Salatam in Pyrenæis montibus, fontem habentes; binos denique rivulos *Ferriet* & *Benagues* circa Apamiæ caſtrum. Primatum tamen inter flumina hæc habet Rhenus, in quo aureæ particulæ, quæ Gallice *paillettes*, *poudre d'or*, *or en poudre*, (*l*) reperiuntur, ex reliquis metallis nullæ. (*m*) Pactolum Lydiæ, Phaſim Colchidis, Gangem Indiæ, Hebrum Thraciæ, Padum Italiæ, Tagum Iberiæ, Ederam Waldeccenſis, Schwarzam (*n*) Schwarzburgenſis Comitatuum, Beberam denique Sileſiæ, inter fluvios auriferis arenis celebres, vel à Veteribus, vel à Junioribus celebrari, res notiſſima eſt. (*o*) Arolam quoque Helvetiæ auriferam eſſe, SCHEUCHZERUS teſtatur. (*p*) Hæc ipſa Arola aliique minores rivi rivulique atque torrentes, qui in Helvetiæ montibus à deliteſcentibus venis auriferis, hos pulviſculos, hæc ramenta abſtergunt, ſecumque abripiunt, aurum hoc Rheno rude & purum, afferre videntur. Rheno ſane Rhodanoque communes ſunt in Rhæticis Alpibus origines. Ex ſilvæ Martianæ montanis profluit haud procul à villa Alberspach rivulus, cui nomen Teutonicum *Goldbrunn*, Auri fons, quem ab auri particulis, quas ſecum rapit, nomen accepiſſe putat HELISÆUS ROESLINUS, (*q*) ſeculo XVI. finiente Hagenoenſis civitatis Phyſicus. Fluviolus hic Kinzigæ miſcetur, qui prope Kehlam, Argentorato vicinam, à dextro latere Rhenum ingreditur.

§. III.

(*d*) *Evangelior.* Lib. I. Cap. I. pag. 23. Edit. Schilter.

(*e*) *Germaniæ* Cap. LVIII.

(*f*) *Gallia Chriſtiana.* Tom. V. pag. 473. inter Docum.

(*g*) Multis id Gloſſarum Teutonicarum exemplis comprobare licet. LEYSER in *Jur. Georg.* pag. 777. vocem *Schaur* definit : Jus colligendi in fodinis argentariis particulas quasdam minutas.

(*h*) *Geograph.* Lib. IV.

(*i*) In *Diſſert. des Riviéres & des Ruiſſeaux du Royaume, qui roulent des paillettes d'or.* Vid. MEMOIRES DE L'ACAD. ROYALE DES SCIENCES. An. 1718.

(*l*) SAVARY *Dictionnaire de Commerce*, in vocabulo *Or.*

(*m*) An ullibi argentiferi amnes reperiantur, dubitant plures. In nonnullis invenitur ferrum, in pauciſſimis æs & plumbum.

(*n*) Vide HERTII *Opuſcular.* Vol. I. Tom. II. pag. 208. vocatur *das Seiffenwerck.*

(*o*) TILEMANNUS FRIESEN *Müntzſpiegel* Lib. IV. Cap. XXXV. pag. 184.

(*p*) *Naturgeſchichten* Part. II. pag. 21. ſqq.

(*q*) *Vom Wasgauiſchen Gebirg* pag. 6.

§. III.

Inveſtigatores harum molecularum vel bracteolarum, qui aurilotores appellantur, (r) illas eo tempore colligunt, quo aquæ Rheni minimum profundæ ſunt, adeoque per autumnum & hyemem, quod aquis recedentibus facilius deportatur arena. Arena crati cavæ, quæ aſſeris inclinati ſummitati affixa eſt, injicitur. Aſſer eſt V. pedes longus, unum cum dimidio latus, cui infixi ſunt tres panni craſſiores, ſinguli longitudinis pedis unius, quos inter unius quoque pedis diſtantia eſt. Arena, Rheno extracta, vimineæ crati cavæ injicitur, & frequens ſuperfunditur aqua. Lapides cæteræque partes craſſiores crate retinentur; ſabulum vero, dum per pannum decurrit, vel panno adhæret, vel defertur ad imum. Particulæ aureæ, panni ramulis impeditæ, una cum ſabulo nobiliore lanæ inhærent. Excutitur mox pannus, atque arena aurifera excuſſa injicitur vaſi ligneo, naviculæ in ſpeciem formato. Lotor aquam arenæ infuſam agitat, atque frequentiore agitatione efficit, ut ſabulum auriferum, quod gravius eſt, fundum petat, levius ſuperficiem occupet. Iterata hæc agitatio vera eſt lotio, quæ partes nobiliores ab ignobilioribus ſeparat, ignobiliores abjiciuntur, nobiliores, quæ auri ramenta continent, cum arena tamen adhuc mixtæ ſunt. Ut aurum probe ſecernatur, lotionem repetitam ſequitur amalgamatio, quam chymici vocant. Siccandum ſcilicet & calefaciendum eſt ſabulum, lotum ſatis & depuratum, eidemque infundendus mercurius, qui pulviſculos aureos, per ſabulum ſparſos, imbibit colligitque. Mercurialis maſſa, quæ amalgama dicitur, includitur corio, per quod, ceu per filtrum, mercurius, ſolo remanente auro, exprimitur. Simili fere aurum ex arenis eluendi ſeparandique modo utuntur Selzenſes Palatini, verſus Alſatiæ inferioris extrema. Deſcribit eum teſtis, qui rem præſens inſpexit, Michael Hebererus, (s) & ex eo Georgius Ludovicus Lingenspür, Stutgardianus; (t) quam deſcriptionem, quum brevis & accurata ſit, in notis ſubjunximus. Obſervant rerum naturalium indagatores, aurum ex arena Rhenenſi à lotoribus noſtris non ſatis ſollicite colligi, adeoque, amalgamatione hac facta, multas auri particulas remanere in ſabulo. Imo ipſum, quod auro plane ſeparato reſtat, ſabulum, ſi chymice funderetur, auri aliquid eſſe daturum; quum Joan. Joachimus Becherus (u) inſignibus documentis probaverit, omnem arenam vitreſcibilem continere in ſe acidum, tantæ virtutis, ut in plumbo & argento illorum ſubſtantiam mercurialem paulatim in aurum commutet. Modus aurum colligendi.

§. IV.

Particulæ hæ aureæ irregularis ſunt formæ, quod microſcopio adhibito didicimus, lamellulis exiguis, in orbicularis placentæ formam compoſitis, pleræque haud abſimiles, diverſæque magnitudinis. In Rhodano repertas ſubinde fuiſſe particulas, milii granum mole æquantes, Reaumurius teſtatur. Rhenenſe ſabulum tales raro producit, ſed & tales in ipſo Rhodano rariores occurrunt, cujus moleculæ aureæ Rhenenſibus plerumque minores exiſtunt. Rhenenſis hujus auri puritas nullo alio, imo ne Pannonico quidem, minor vel deterior eſſe ſcribitur; quod de ſuo jam tempore ſcripſit Roeslinus. (x) Electores & Principes ad Rhenum, intrinſecam ejus puritatem alterantes, cudi juſſerunt nummos aureos, quorum valorem & qualitatem imitati ſunt alii; unde *Auri Rhenenſis* Auri Rhenenſis Qualitas.

valor

(r) Gallice *Arpailleurs*, Germanice *Goldwaſcher*.

(s) *Ægypt. Servit.* Lib. I. Cap. VI.

(t) *Commentar. in varias politico-juridicas quæſtiones & ordinat. politicas Ducatus Wurtembergici* Tit. XXX. pag 195. ubi rem ita deſcribit: *Sie richteten am Geſtad des Rheins drey zuſammengefaſte ungehobelte Bretter, ſo auf den Seiten mit Leiſten verwahret, etwas ſchregs auf; warfen viel Sands, den ſie in unſerm Beyſeyn aus dem Rhein mit Hauen holeten, auf die gemeldten Bort oder Bretter; und wann die Bretter ziemlich gehauffet waren, nahmen ſie mit langen Schupfern Waſſer aus dem Rhein, und fluſsten den Sand wieder aus den Brettern herunter. Da der grobe Sand alle herunter war, blieb der reineſte und ſchwereſte Sand, darunter das Gold vermiſchet, zwiſchen den rauhen Spreiſſen haften, bis ſie ſolches hernacher abſonderlich mit groſſem Fleiſs abwuſchen, und in einen hulzern Napfen, ſo darunter geſtellt, fluſsten. Als ſie ſolches nun ein Mal oder etlich gethan, ſammleten ſie innerhalb zweyen Stunden ungefehr des ausgewaſchenen Gold-Sands auf einen Vierling voll, trugen den zu Haus, machten ein ziemlich Kohl-Feuer, und ſtellten den Gold-Sand in einem irden Gefaſs darauf, warmeten denſelben, und ſo bald er ein wenig erwarmete, lieſſe ſich hin und wieder das Gold mit kleinen Karnlein ſcheinbarlich ſehen. Solche kleine Karnlein vermengt herauſſer zuſammen zu faſſen, und von dem Sand zu ſcheiden, brauchten ſie lebendig Queckſilber, deſſen ſie einen gewiſſen Theil, ihrer Erfahrung nach, unter den Sand mengeten, damit ſammleten ſie alles Gold zuſammen in ein Klumplein, alſo daß das Gold ſeinen Schein verlohr, und die weiſſe Farbe des Queckſilbers an ſich zoge. Solches Klumplein nahmen ſie heraus, und klopften es in der Hand zwiſchen den Fingern mit einem Meſſer-Rucken in der Runde zuſammen, bis es etwas hart wurde, und das Anſehen hatte, wie ein ziemlich Kugele oder kleiner Klucker, ſo ſie nachmals in ein gluenden Tigel warfen; darinnen lieſſen ſie es eine kurze Zeit, und ſo bald ſie es herauſſer thaten, war das Queckſilber verſchwunden, und bekame das Kugelein die naturliche, ſcheinbare und glitzende Gold-Farb. Wie es denn auch pur und fein Rheiniſch Gold iſt.*

(u) *Phyſica ſubterranea* pag. 947.

(x) Loc. cit.

valor paſſim receptus eſt. Exiguum tamen eſt, quod hodie ex Rheno auri hauritur. Argentoratenſis civitas, quæ jus hoc in Rheno per quatuor mille paſſuum tractum exercet, vix ultra quinque uncias annuo ſpatio inde recipit. Lotores, quum res bene ſuccedit, nonniſi XXX. ſummum XL. ſolidorum Francicorum lucrum facere ſolent. Plobshemii villæ, Rhenum verſus tribus ab Argentorato leucis ſitæ, poſſeſſores ab auri lotore ſuo nonniſi quatuor florenorum annuum cenſum percipiunt, licet leucæ ſpatium fere in Rheno habeat, quod perquirere poſſit. TILEMANNUS FRIESEN, Goettingenſis, in *Speculo ſuo monetali* (y) idem de aliis fluminibus obſervat: nonniſi magno labore inde aurum colligi, ſed levi cum fœnore, illis quoque in locis, ubi ramenta hæc majora copia ſubinde comparent.

§. V.

Jus aurum colligendi.

Inter majora regalia Statuum Germaniæ ad Rhenum jus auri fluvialis in Rheno legendi, quam auri piſcaturam diceres, reputant Juris Publici Germaniæ Scriptores, non minus quam fodinarum ſubterranearum. (z) Elector Palatinus, illud à Selza oppido, vel Saletione, ad confluentes uſque Rheni & Nicri, ſive ad Manhemium uſque urbem, teſte MARQUARDO FREHERO, (a) & præcipue prope Hagenbach, Præfecturam Weiſſenburgo vicinam, per redemtores exercet. Nec aliunde repetenda eidem Frehero videtur aureæ illius monetæ origo, cui nomen à Rheno inditum, à quatuor Electoribus ad Rhenum, ea forma & temperatura primitus procuſæ, & cæterorum deinde Ordinum imitatione frequentatæ; quod in Rheni partibus, metallo illo prius quam alibi terrarum invento, Aurei ibi primum inter Germanos fuerint percuſi. Unde factum, ut temporis progreſſu certam & ponderis & temperamenti legem quatuor illorum Imperii Electorum conſtitutione, acceperint. (b) In Delphinatu licitum eſſe aurum in fluminibus perquirere, ita ut de eo non ſolvatur decima, modo extra Regionem non portetur, & in locum vicinum, cudendæ monetæ deſtinatum, deferatur, obſervat FRANCISCUS MARC. (c) In Rheno autem nemini, abſque Principis conceſſione, aurum legere permiſſum. Imperatores nimirum & Reges olim jure hoc gaviſi ſunt, quod Principibus dein aliiſve Imperii Statibus conceſſerunt, à quibus hodie petenda conceſſio.

(y) Loc. cit.

(z) Unde nomen *Gold-Gründe*, quæ hinc *Königs-Grund*, hodie corrupte *Kundels - Grund* ab incolis, prope vicum Munchauſen, haud procul à Selza, appellantur, quaſi *Regii Fundi*, ad Regis domania ſpectantes.

(a) *Origg. Palat.* Part. II. Cap. XVII. pag. 84. ſq. & ad AUSONII *Moſellam* pag. 106. Addatur TOLNER. *Hiſt. Palat.* pag. 108. & in *Cod. Diplom.* pag. 19. IRENICUS in *Exeg. German.* Lib. XII. BESOLDI *Theſaurus Practicus* pag. 821. MART. ZEILERUS in *Topograph. Palatinatus Rheni* pag. 45.

(b) BUDEL. de *Re monetaria* Lib. I. Cap. XXII.

(c) *Deciſ.* CXXI.

ILLU-

ILLUSTRATÆ ALSATIÆ

LIBER PRIMUS.

ALSATIA CELTICA.

§. I.

ALSATIÆ nomen, (*a*) priſcis Græcorum Romanorumque Annalibus ignotum, nec Celticæ, nec Latinæ, ſed Franco-Theotiſcæ linguæ, originem debet. Sub Celtica & Romana Periodis, Regionis hujus incolæ non unum & commune quoddam nomen babuerunt. Rauraci, Sequani & Mediomatrici, tres illuſtres Galliæ populi, priſcam inhabitarunt Alſatiam: ſub Romana Mediomatricorum regiones Alſaticas occuparunt Triboci, Germanica gens, Rhenum transgreſſa. Ipſa ergo *Alſatiæ* vox nonniſi ſub Merovingis Regibus, Francica in Hiſtoria, primum comparet. Licet autem origo & etymologia vocis ad Francicam Periodum ſpectet; in ipſo tamen operis noſtri exordio de ea aliquid annotare, haud abs re viſum, quod nonnulli origines ejus altius repetunt. Antiquiſſimus Rerum Francicarum ex ſeculo VI. Scriptor, GREGORIUS TURONENSIUM Antiſtes, nomen Alſatiæ quidem ſilet, ſed Epitomator & Continuator ejus, FREDEGARIUS SCHOLASTICUS, (*b*) ex ſeculo VII. Dagoberto I. coævus, omnium, quos novimus, primus ejus facit mentionem; quem deinceps ex ævo Carolino NITHARDUS, ANNALES BERTINIANI, FULDENSES aliique ſecuti ſunt. Apud Fredegarium *Aleſaciones* & *Alſacii* populi primum, inde ipſa quoque Provincia *Alſatia*, (*c*) memorantur. *Suggentenſes* (qui Sundgovienſes noſtri ſunt,) ab eodem ſubjunguntur Alſaciis. Theodoricus nimirum Burgundiæ Rex, Childeberti, Auſtraſiæ & Burgundiæ Regis, filius natu minor, ex patris teſtamento, vel, ut Fredegarius loquitur, *Pracepto*, Aleſaciones, apud quos fuerat enutritus, in ſua Regni portione acceperat, quos Theodebertus natu major, Auſtraſiorum Rex, Alſatiam Auſtraſiæ ſuæ partem exiſtimans, hoſtilibus armis circa annum DCX. fratri extorſit, poſtquam inſtitutum ad Saloiſſam (*d*) Francorum Placitum, ut eorum judicio lis, inter fratres orta, terminaretur, caruiſſet effectu. Prima hæc inter fratres odiorum materia. Quodſi ipſam Childebertini Præcepti formulam Fredegarius expreſſit, Aleſaciones jam ſeculo VI. memorari dicendum eſt, quando Childebertum II. Anno DXCVI. obiiſſe conſtat. Alſatiæ vocis origo.

E §. II.

(*a*) Aliam hujus nominis Provinciam maritimam, prope inſulam quandam Friſiæ, memorat MARLIANUS in voce *Nemetes*.

(*b*) *Chron.* Cap. XXXVII. (*c*) Ibid. Cap. XLIII.
(*d*) Romanis Saletio, inde Saloiſſa, hodie *Sels*, oppidum Alſatiæ ad Rhenum.

§. II.

Aliorum de voce Alſatia ſententiæ.

Fredegariana hæc probe ſi obſervaſſet Beatus Rhenanus, nec Caroli Magni ætate demum Latinam nominis Alſatiæ formam prognatam, nec ex vernacula voce *Elces*, *Elſeſs*, Carolingici ævi Scriptores ſuam fabricaſſe Alſatiam ſtatuiſſet. (*e*) Scilicet omnis conjectura Rhenani fundamento innititur falſo. Vocem ille ſuam ab *Elcebo*, qui locus Claudio Ptolemæo (*f*) Ἔλκηβος appellatur, deducit, quem tamen reliqui omnes Geographi ignorant. Neſcio ſane qui factum, ut Hadrianus Valesius, inſignis ille Rerum Gallicarum Scriptor, in ſua *Galliarum Notitia* de Hieronymo Sorita, qui *Itinerarium* Antonini vel Æthici edidit, ſcribere potuerit: "Surita in Æthici Codici„ bus modo Elcebum, modo Elvetum, ac etiam Helveto, ſcriptum reperiri, obſervat; „ quum nihil de Elcebo annotarit Surita. Nec ullus Codicum Mſſ. quos Wesselingius, poſtremus *Itinerarii* Antonini editor, evolvit, hanc vocem profitetur. Perantiqui Codices, qui in Regia Bibliotheca Lutetiæ extant, Suritæ & Weſſelingio ignoti, ſed à nobis diligenter collati, miro conſenſu *Helvetum* exprimunt, vix unus *Elvetum*; nullus *Elcebum*. Unde ſyſtematis, à Beato Rhenano ſtructi, fundamentum corruit, quando Ptolemæi Ἔλκηβος Latine *Helkebus* vertenda, quam Tabula Theodosiana in *Hellelum* commutavit. Quodſi Beati Rhenani conjectura poſſet admitti, nomenque adeo *Elſatiæ* à loco illo prope Benfeldam ſito, qui hodieque vocatur *El*, derivandum eſſet; Celtica potius quam Romana reputanda foret ejus origo. Neque vero, in vocis *Alſatiæ* antiquitate eruenda, Rhenano felicior eſt Franciscus Guillimannus, qui, in *Habsburgiacis* ſuis, (*g*) Comitatus *Illeſich* nomine Provinciam hanc deſignatam fuiſſe, arbitratur, idque ex Dagoberti Magni *Diplomate*, quo Argentinenſi Eccleſiæ, circa annum DCXXX. aliquot Comitatus donantur, probare contendit. Verum præterquam quod, in exprimendo hujus Comitatus nomine, & Guillimannus & alii decepti ſunt; (nec enim *Illeſich*, (*h*) nec *Ilchicha*, uti Coccius (*i*) legit, in Charta ſcribitur, ſed *Illiche*; (*l*) ut in Capite *de Comitatibus Alſatiæ* docemus:) nemo non, Chartam hanc diligenter inſpiciens, deprehendet, non de tota Alſatiæ Provincia, ſed de ejus Comitatu quodam particulari, in ea ſermonem eſſe, atque adeo ad totius Provinciæ nomen inde nihil poſſe concludi.

Sed nec ullo quoque fundamento innititur illa traditio, quæ Hieronymi Gebvileri (*m*) temporibus obtinuit, qua Æduorum, potentiſſimi olim Galliæ populi, ubi hodie Ducatus Burgundiæ, colonia credebatur Alſatia; quæ à Burgundica in Æduis civitate *Alſeto*, ah Hercule, ut fabulantur, condita, obtinuerit nomen. Apud Marlianum (*n*) rem alii invertunt, qui Alſatiam illi Ducatus Burgundiæ parti, in qua *Alſetum* Regio ſita, nomen communicaſſe putarunt; quaſi Arioviſtus, qui Alſatiæ præerat, id ei impoſuerit. Quid denique de Jacobi Wimphelingii ſententia dicam? qua, Alſatiam Helvetiæ quoque nomine compellatam olim fuiſſe, doctus ille & candidus Alſata, ſibi perſuaſit; (*o*) Æneæ Sylvii (*p*) auctoritate, ut fatetur, vel potius erronea ſua conjectura, inductus, qua ille Helvetum, ſupra memoratum, non Seleſtadio ſuo tantum adſcribit, (*q*) ſed & toti Provinciæ nomen dediſſe, conjectat. Scilicet uti ex loco hoc Itinerarii Antoniniani corrupto, ubi nonnulli male *Elcebum* legunt, Elſatiæ vocem elicere voluit Beatus Rhenanus; ita ex genuina lectione *Helvetum*, Helvetiæ nomen ad Alſatiam omnem extendit Wimphelingius, Rhenano paulo antiquior. Uterque Seleſtadienſium civis in Elcebo & Helveto non *Seleſtadium* modo ſuum, ſed & ipſum *Alſatiæ* nomen, quæſivit. In Ludorum Equeſtrium, quæ *Torneamenta* vocarunt, Libris Germanicis, Alſatia vocatur *Edelſaſs*: (*r*) unde nomen *Elſaſs* contractum & derivatum multi crediderunt; quo nimirum *Deliciarum locus*, aut ſi mavis *nobilis vel Nobilium ſedes*, ſignificetur; quod vix ulla Provincia majorem ex Ordine Equeſtri Nobilium copiam tum oſtentare potuerit. Sententia hæc Bernhardi Herzogii animo ita inſedit, ut ſuum *Alſatiæ Chronicon* non alio rubro inſcriberet. (*s*) Locum

(*e*) Beatus Rhenanus *Rer. German.* Lib. III. pagg. 16. 39. 286. & 287.

(*f*) *Geograph.* Lib. II. Cap. IX.

(*g*) Lib. II. pag. 69.

(*h*) Lectionem hanc quoque fert Chronicon Novientense, cujus Auctor Anonymus, Ebersheimenſis Monaſterii Cœnobita, ſec. XIII. vixiſſe videtur; ex hoc forſan ſua Guillimannus deſumſit.

(*i*) *Dagobert.* Cap. XV. pag. 143.

(*l*) Ex Koenigshovio Latino emendatiorem hanc Chartam edidit Schilterus *ad Kœnigsh. obſerv.* X. pag. 592. & in ea legitur *Illiche*.

(*m*) *Panegyr. Carolin.* pag. 12. Adde Irenici *Exegeſin Germ.* Lib. IX. Cap VIII. pag. 142. item Lib. XI. pag. 370.

(*n*) *Deſcript. locor.* in voce *Nemetes*.

(*o*) In *Germania cis Rhenum* pag. 9. citatus quoque apud Irenicum Lib. XI. pag. 370. Sententiam hanc quoque recenſet Marlianus Lib. cit. in voce *Triboces*.

(*p*) De *Europa* Cap. XLII. Operum ejus pag. 439.

(*q*) Unde in Libris ſuis *Helvetenſem* ſe ſubinde vocavit Wimphelingius, eundem in errorem inducens Seleſtadienſem illius ævi Typographum, doctum & celebrem, Matthiam Schurerium, qui ſe quoque ſæpius *Helvetenſem* appellat, atque dein Argentoratum migravit; ubi multis ibi libris, prelo ſuo impreſſis, claruit.

(*r*) Georgii Ruxneri *Liber Torneamentorum* pag. 4. b. *Eberhard Herzog in Edelſaſs.* pag. 5. *Albrecht Landgrave in Edelſaſs*, &c. Vid. Munster in *Coſmograph.* Lib. III. Cap. CXIX. pag. 534.

(*s*) Conſentire videtur Ichtersheim in *Topograph. Alſatiæ* pag. 4.

Locum etiam habere non poteſt Viri, etymologicarum Germaniæ rerum peritiſſimi, Jo. Leonh. Frischii (t) conjectura, qui temporibus Francicis *Alſac*, *Elſach*, (u) *Alſau* voces, ad Ellum flumen deſignandum, invaluiſſe, nomenque dein à flumine ad Regionem translatum, ſuſpicatur. Mihi ſane nulla unquam viſa eſt Charta, qua Elli fluminis nomen forma hac occurrat expreſſum. Carolingico ævo *Ilhus*, *Hellus*, *Ellus* occurrunt; *Alſa* nonniſi ſequenti; formæ autem à Friſchio prolatæ nullibi reperiuntur.

§. III.

Poſtquam Franci, in noſtris his Sequanorum & Mediomatricorum regionibus, novam ad Rhenum dominationem ſuam ſtabiliverant, recepta hucuſque incolarum immutata ſunt nomina, & loco duorum, quæ Celtica fuerant, nonniſi unum, & quidem Theotiſcum vel Francicum *Elſaſs* & *Elſaſſer*, quod utrumque *Elli accolam* vel *poſſeſſorem Regionis ad Ellum* denotat, ſubſtitui cœpit: unde Latina inflexione *Aleſaciones* ſeculo VI. primum memorati ſunt; quo communi nomine Sequani & Mediomatrici noſtri Rhenenſes, Merovingico ævo, deſignantur. In antiquis Monumentis Latina vocis forma prius, quam Theotiſca, occurrit, hæc tamen alteram antiquitate præcedit, quod à Francis, quorum patria lingua fuit Theotiſca, ſuam originem vocabulum habet: pauciſſima vero illius ævi Francorum idiomatis ſupereſſe fragmenta, norunt Eruditi; quum lingua Theotiſca ante ſec. VIII. literis mandari vix cœperit. Scriptores & Notarii mediæ ætatis, nunc Latinam, nunc Teutonicam, vocis formam ſecuti ſunt; unde tanta in Annalibus & Chartis nominis ejuſdem varietas: *Aliſatia*, *Eliſacia*, *Eliſata*, *Eliſaza*, *Eliſatnon*, *Heliſatia*, *Alſecinſe*, *Alſacinde* &c. (x) Vocabulum *Elſaſs* à flumine *Ill*, medio ævo *Ell* appellato, quod per maximam Alſatiæ partem decurrit, derivandum eſſe, inter doctiores pleroſque jam pridem convenit. Hanc ſententiam ſecuti ſunt ex ſeculo XV. Jacobus Twingerus à Koenigshoven, (y) quem *Regiovillanum* vocant Latine, Joannes Herculanus Pleinfisinus, (z) S. Deodati Canonicus, ſeculo XVI. atque poſt hos Irenicus, (a) Coccius, Balth. Bebelius, Obrechtus, Schilterus aliique. Regiones enim plurimas à fluviis tranſeuntibus appellationem accepiſſe, res paucis ignota. (b) Itaque non Celtica, ſed Francica, adeoque Theotiſca, eſt vocis *Elſaſs* origo, ex qua Latine ſcribentes dein *Aleſaciones*, *Alſatios*, *Alſatiamque* paulatim compoſuerunt. Id modo quæritur: nomen hoc an Provinciæ prius datum, an incolis? Qui primum affirmant, non una difficultate premuntur. Aleſaciones enim in veterum Scriptis (c) ante Alſatiam memorantur, & vocula Germanica *Saſs*, (d) quum alteri in fine adjicitur, non regionibus aut fluviis, ſed perſonis deſignandis, adhiberi conſuevit; id quod voces compoſitæ *Reichſaſs*, (e) *Landſaſs*, (f) *Schriftſaſs*, (g) *Amtſaſs*, (h) hodieque paſſim in Germania uſitatæ, demonſtrant. Unde haud immerito colligimus Theotiſcum nomen *Elſaſs*, *Elſaſſer*, accolis fuiſſe primitus inditum, atque deinceps ab illis ad Regionem translatum. Sic flumen accolis ſuis & poſſeſſoribus primo, poſſeſſores dein ipſi Regioni, ſuum nomen communicarunt. Eodem modo *Holtſaſſen*, id eſt

Etymologia verior.

incola

(t) In Gloſſario Teutonico-Latino, *Teutſch-Lateiniſch Wœrterbuch* Part. I. pag. 225.

(u) Voculas *Ach*, *Acha*, *Aa* Germanis veteribus aquam denotare, ſupra in *Conſpectu Alſatiæ* §. XXXIV. pag. 22. docuimus. Vid. etiam Jo. Schilteri *Theſaur. Antiq. Teuton.* Tom. III. pag. 5. Unde *Elſach* idem eſt ac Elſæ aqua. Hodieque vicus eſt *Illzach* prope Mulhuſium.

(x) Hadrianus Valesius in *Notitia Galliar.* voce *Alſatia* pag. 2. Prodromus Chron. Gotwic. Lib. IV. pag. 537.

(y) Koenigshovius in *Gloſſario Mſ.* hæc annotavit: " Alſa, *die Alle*, fluvius Argentinenſis Diœ-
" ceſis, à qua terra Alſatia ſibi nomen aſſumſit. Al-
" ſacia, *Eylſaſs*; Alſacii, *Eylſaſſer*.

(z) Herquel de Pleinfain. Vicus eſt *Pleinfain* in valle Galilææ, uti vocatur, ad radices montis *Bon-Homme*, qui Vogeſi partem componit. Scriptorem hunc ediderunt Carolus Ludovicus Hugo, Stivagii Abbas, Ptolemaidis Epiſcopus, in *Monumentis Antiquitatis* Tom. I. pag. 171. & Augustinus Calmet in *Hiſtoria Lotharingiæ* Tom. III. in Probat. pag. 131. Herculanus Cap. I. Alſatiam ab Alſa fluvio denominatam ſcribit.

(a) Irenicus in *Exegeſi German.* Lib. XI. pag. 370. ubi allegatur Philesius, qui in *Carmine de Alſatia* ejuſdem ſententiæ eſt.

(b) Huc pertinet Rheingavia, Albigovia, Meingovia, Salzgovia, Moſelgovia, Moſaugia, Argovia aliæque Provinciæ, à fluminibus nomen trahentes.

(c) Apud Ferreoarium ſupra pag. 33. n. (b) citatum.

(d) *Saſs* poſſeſſor, habitator, incola. *Sax*, *Sez*, ipſa ſedes ſive poſſeſſio; unde *Inſaz*, miſſio in poſſeſſionem ſive inveſtitura, cujus contrarium eſt *Abſaz*.

(e) Poſſeſſor immediatus fundorum Imperii.

(f) *Landſaſs*, mox ruricolam, regionis incolam; in *Speculo Saxonico* advenam; apud Juris publici Scriptores vero nobilem ſubditum provincialem, vel mediatum, denotat. *Landſaſſios* ſtilo publico vocant.

(g) *Schriftſaſs* Nobilis Cancellariæ immediate ſubjectus, quos vulgo *Schriftſaſſios*, ipſum vero jus *Schriftſaſſiatum* appellant.

(h) *Amtſaſs* deſignat Nobilem ſub juriſdictione Præfecti conſtitutum. In publicis Scriptis *Amtſaſſii*, hinc *Feuda Amtſaſſica*, quæ nimirum non immediate Cancellariæ, aut regimini Principis, ſed Provinciæ Præfecto, ſubſunt; adeoque minoris quam Schriftſaſſii conditionis ſunt. Schriftſaſſiorum & Amtſaſſiorum Saxonicæ Nobilitatis diſtinctio eſt, & hi & Landſaſſii Germanicæ Nobilitati immediatæ, quæ nonniſi Imperatori & Imperio ſubeſt, opponuntur. De *Schriftſaſſiis* & *Amtſaſſiis Diſſertatio* extat Wilhelmi Lysers.

incolæ nemoris, Provinciæ quoque ſuæ nomen communicarunt *Holſatiæ.* (*i*) Unde primitiva poſſeſſorum vel habitatorum Alſatiæ appellatio fuit *Elſaſſen*, *Elſazzen*; literarum S. & Z. uſu promiſcuo.

§. IV.

Sundgoviæ nomen.

Neque aliter profecto de *Sundgoviæ* vocabulo ſtatuendum, in qun pariter nec Celtici, nec Romani, ſed Theotiſco-Francici idiomatis radices reperimus. Neſcio qui in ſententiam ſuam delabi potuerit Franciscus Guillimannus, (*l*) ut à vocibus *Sequanorum agri* deduceret *Sundegeuu*, atque adeo Celticum nationis vocabulum, cum Latino in hac appellatione conjunctum, reputaret. Veriores eſſe Theotiſco-Francicas hujus nominis origines, tanto minus licet dubitare, quod Alſatiæ inferioris tractus, Carolingicis fere temporibus, *Nordgovia*, (*m*) ſive *Pagus ſeptentrionalis*, appellatus eſt; Sundgoviæ, id eſt *Pago meridionali*, oppoſitus. Etymologiam hanc adſtruunt non tantum ipſa rei natura, quæ tam facile menti ſe offert, ſed & Germanicæ Geographiæ exempla. Bavaria enim ſuam quoque *Sundgoviam Nordgoviamque* habuit, quas diviſit Danubius. Nordgoviæ nomen hodieque in illis partibus ſubſiſtit, antiquato priore; quum apud nos ſola *Sundgoviæ* appellatio ſuperſit. Vocem *Sund* Francis pro *Sud* uſurpatam, plurima ex antiquitate exempla docere nos poſſunt, quæ, ubi de *Alſatiæ Pagis* acturi ſumus, ex Documentis producentur. Nuntium ergo mittimus opinioni illi, quam Franciscus Irenicus (*n*) atque Martinus Zeilerus (*o*) ſecuti ſunt, qua voci *Sund* ſubſtituendo *Sun* vel *Son*, Sungoviam *Solis Pagum*, ut amœnitas ejus indicaretur, appellatum crediderunt. Sundgovia Thura amne ſeparatur ab Alſatis, à Briſgovienſibus Rheno; reliqua Baſilienſis urbis & Epiſcopi ditione & Montis-Beliardi Comitatus terris, cinguntur. *Suggentenſium* primam quoque mentionem, ut ſupra vidimus, Fredegarius (*p*) facit, ubi cum Aleſaciis, Turenſibus & Campanenſibus eos conjungit; qui Auſtriæ licet partem effecerint, à Childeberto tamen in filii minoris natu Theodorici gratiam Burgundiæ adſcripti ſunt, donec res bello deciſa, atque Sundgovia, quatuordecim poſt annos, ad Auſtraſiam rediit. Lothariani Regni diviſionis apud Marſnam anno DCCCLXX. factæ Charta, ut & Annales Bertiniani (*q*) inter Comitatus *Suentiſum* quoque recenſent, quem Hadrianus Valesius (*r*) ad Sundgoviam noſtram, Aubertus Miræus (*s*) vero ad tractum *Saintois* in Lotharingia, refert, à Valeſio reprehenſus. Miræi ſententiam tamen Hermannus Conringius, (*t*) atque nuperus *Lexici Geographici* editor Martinierius, (*u*) ſequitur; Stephanus Baluzius (*x*) utramque intactam relinquit. Gottwicensis Abbas (*y*) vero de Sundgovia quoque noſtra vocem exponit. Lazium, qui Suitenſes ſive Helvetios huc referendos putavit, à Guillimanno (*z*) jam confutatum reperio. Sundgoviæ Pagus cum Alſatia reliqua communes ſemper caſus expertus eſt, unde communes quoque cum ea temporum Periodos habet; ad quas exponendas progredimur.

RAURACI.

(*i*) *Luſatiam*, *Lauſiz*, *Laußniz* huc trahere quoque vult Jo. Petr. Ludewigius *Singular. jur. publ.* Cap. IV. pag. 584. At alia plane hujus vocis natura, quæ à Sorabis, regionem illam inhabitantibus, nata, originis Slavicæ eſt, adeoque etymon Theotiſcum heic locum non habet. Obſervant Slavicæ linguæ periti, propria nomina locorum Luſatiæ, Sileſiæ, Misniæ, quæ in iz deſinunt, Slavonicæ originis eſſe; quum Provincias illas olim Slavicæ vel Venedicæ gentes inhabitarint. Hodierni earum incolæ originis Germanicæ ſunt; hinc inde tamen leves Slavorum reliquiæ in illis ſuperſunt. Vid. Andr. Mollerus apud Hofmannum in *Introduct. ad Scriptores Luſat.* pag. 25. & Christoph. Manlii *Luſatia* Lib. I. Cap. XLI.

(*l*) *Habsburg.* Lib. II. Cap. V. pag. 66. ubi ita: « Tenuere hac ratione Germani, Rege Erneſto, » Sequanorum eos agros, qui inter Voſagum & » Rhenum nunc quoque, & hoc ſolum in tractu, » priſcum aliquam partem retinens vocabulum Sun» degeuu, Sequanorum ager.

(*m*) *Nordgauue.*

(*n*) *Exeges. German.* Lib. IX. Cap. VI.

(*o*) *Itinerar. German.* Cap. VIII. pag. 112. & *Topograph. Alſat.* pag. 1.

(*p*) *Chron.* Cap. XXXVII.

(*q*) Ad annum DCCCXXXIX.

(*r*) *Notitia Galliarum* pag. 538.

(*s*) In *Codice Donationum Piar.* Operum Tom. I. pag. 30.

(*t*) De *Finibus Imperii* Lib. I. Cap. VII. pag. 33.

(*u*) *Dictionnaire Geographique* in voce *Sundgau.*

(*x*) *Capitular. Reg. Francor.* Tom. II. pag. 223.

(*y*) *Chronici Gottwic. Prodr.* Tom. II. pag. 790.

(*z*) In *Habsburgiacis* Lib. II. Cap. V. pag. 68.

RAURACI.

§. V.

Alſatiæ incolæ, Rauraci.

REgiones, quas Alſatia hodierna complectitur, primis temporibus, id eſt, ſub Celtica Periodo, à Rauracis, Sequanis & Mediomatricis inhabitatas fuiſſe, memoravi. RAURACI, (*a*) Celticæ Galliæ (*b*) populus, Juraſſi incolæ, accolæ; arctisque adeo Helvetios inter Sequanosque limitibus incluſi, & ſub communi *Sequanorum* voce nonnunquam comprehenſi ſunt; ut ſub Rhætis Vindelici, quod CÆSAREM, (*c*) STRABONEM, (*d*) AMMIANUM (*e*) aliosque feciſſe video. Rauracos à Germanis, ut Galliam reliquam, ſeparaverat Rhenus, ab Helvetiis Jura, quem inhabitaverant, (*f*) & ea præſertim pars ejus, quæ Rhenum verſus excurrit. Speciatim à Tigurinis illa portio Juræ ad Rhenum vergentis ſeparavit eos, quæ Mons Vocetius appellabatur. A reliquis Helvetiis idem Jura ad Portam usque Petræam, ubi illa pars Juræ incipit, quæ *Lanmons*, vel ſi mavis, *Blavus Mons* appellatur, atque rami inſtar in Sundgoviam uſque procurrit. Ramus hic efficit vallem, quæ vocatur *Argilloſa* ſeu *Lutoſa*, (*g*) quæ etiam ad Rauracos pertinuit, & perluitur Birſico. Ubi autem collium Juræ verſus Rhenum procurſus deficit, aliquot millibus paſſuum circiter infra Baſileam, ibi Rauricus finitur ager. (*h*)

§. VI.

Rauracorum habitatio.

Rauracos Juræ incolas diximus, hac ratione inducti: Inter Helvetios & Sequanos Jura mons eſt, ut CÆSAR teſtatur: (*i*) inter Helvetios & Sequanos Rauraci medii ponuntur à PLINIO; (*l*) Rauraci ergo inhabitaverant Juram. Utrumque latus ejus à Rauracis occupatum fuiſſe STUMPFIO, (*m*) URSTISIO, (*n*) TSCHUDIO, (*o*) GUILLIMANNO, (*p*) aliisque Scriptoribus, viſum eſt: quumque Arola meridionale Juraſſi, ad Rhenum ſe vertentis, latus fere terminet, Rauracis ſuis flumen hoc non ſine ratione limitem aſſignaverunt. Hac ratione ergo orientalem Rauracorum plagam Rhenus & Arola, auſtrinam Joraſſus ad fontes Birſæ & ad Portam Petræam uſque, occidentalem vero & borealem Juraſſi pars, *Lanmons*, terminavit; ita quidem, ut ramenta ejus quo uſque in Sundgoviam ſe extendunt, eo uſque Sundgovia olim ad Rauracos pertinuerit. Hinc Sundgovia noſtra nonniſi exigua ſui parte olim Raurica, maxima vero parte Sequanica fuit: Raurica ſcilicet, ubi hodie Granvilla, ſive Granvillaria, Morimontium, Lucella, Ferretum, Heſinga, Blozhemium; ubi Rauricus ager præter propter terminatur: reliqua

(*a*) Ita nomen legitur in CÆSARE de *Bello Gall.* Lib. I. Cap. V. & Lib. VII. Cap. LXXV. AMMIANO MARCELL. Lib. XIV. Cap. X. EUTROPIO Lib. VI. ANTONINI ITINERARIO & TABULA THEODOSIANA. PLINIUS autem & PTOLEMÆUS *Rauricos* vocant. In *Mauſoleo* Munatii Planci Cajetæ RAURICA COLONIA, in alia *Inſcriptione* COHORS XIV. RAURICORUM legitur.

(*b*) JODOCUS COCCIUS, neſcio quo conſilio, Rauracos Germanicæ originis reputat, in *Dagoberto ſuo* Cap. IV. pag. 21. Sequani tamen, quum indubie Galli fuerint, & ſub illis ſæpe comprehendantur Rauraci, hos Gallicæ quoque originis fuiſſe neceſſe eſt. De Gallica, vel ſpeciatim Celtica, Rauracorum origine clare teſtantur PLINIUS atque SOLINUS. Ille Lib. IV. Cap. XII. ubi Danubium oriri ſcribit in Germaniæ jugis *montis Abnobæ, ex adverſo Raurici Galliæ oppidi;* hic Cap. XXIII. ubi ait: " Iſter Germanicis jugis " oritur, effuſus monte, qui in Rauracos Galliæ ſpectat. " Accedit denique *Cajetana*, quam modo allegavimus, *Inſcriptio*, qua Munatius *Colonias Lugdunum & Rauricam duxiſſe* memoratur. Utraque in Gallia Romanis tum ſubjecta.

(*c*) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. II. quum ſcribit: " Helvetii continentur una ex parte flumine Rheno, qui agrum Helvetium à Germanis dividit, altera ex parte monte Jura altiſſimo, qui eſt inter Sequanos & Helvetios &c. Item Lib. IV. Cap. X ait: Rhenus per fines Nantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Tribocorum, Trevirorum citatus fertur. " Rauracos dum omittit, eos ſub Sequanis comprehendit.

(*d*) Lib. IV. *Geograph.* tradit, Sequanos ab Helvetiis Jura monte diſtingui, & Rauracos prorſus omittit, adeoque ſub Sequanis eos comprehendit.

(*e*) Lib. XV. Cap. II. ubi ait: *Apud Sequanos Biſontios videmus & Rauracos.*

(*f*) Helvetiorum finitimos vocat Rauracos CÆSAR de *Bello Gall.* Lib. I. Cap. V.

(*g*) *Leimenthal.*

(*h*) GLAREANUS, &, qui eum ſecutus eſt, CHRIST. URSTISIUS in *Hiſtoriæ Baſil. Epitome*, ut & STUMPFIUS *Chron. Helvet.* Lib. XII. Cap. I. Birſam amnem limitem dederunt Rauracis; at poſtea mentem correxit Urſtiſius, & in *Chronico Baſil.* Lib. I. Cap. I. Rauracorum limites ultra Birſam Birſicumque extendit. Baſilea eo tempore nondum condita fuerat. Locus, cui urbs deinde impoſita, ad Rauracos pertinuit. *Birſicus* (*Birſig*) cum *Birſa* non confundendus. Ille Baſileam trajiciens ad portum ejus Rheno miſcetur; Birſa paulo ſupra hanc urbem aquas ſuas Rheno conjungit. ÆGIDIUS TSCHUDIUS in *Helvetiæ antiquæ Delineatione Mſ.* in fol. maj. pag. 136. fines Raurici agri ſeptentrionales ponit inter Baſileam & Cambetem, duobus infra Baſileam milliaribus in Sundgovia.

(*i*) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. II. Conſentit STRABO *Geograph.* Lib. IV.

(*l*) *Hiſtor. Nat.* Lib. IV. Cap. XVII.

(*m*) *Hiſtor. Helvet.* Lib. XII. Cap. I.

(*n*) *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. I. pag. 2.

(*o*) *Helvet. Antiq. Delin. Mſ.* pag. 135.

(*p*) *Rer. Helvet.* Lib. III. Cap. II. pag. 382.

Digitized by Google

reliqua omnis Sundgovia cum Alſatia ſuperiore ſpectavit ad Sequanos. Neque vero à ſententia hac noſtra nos revocat Claudii Ptolemæi, antiqui & inſignis Geographi, auctoritas, qui Argentouariam, Sequanorum urbem, in Rauracis ponens, (q) Rauracorum limitem ad XII. leucas ſeptentrionem verſus, ultra, quam par eſt, extendit, omnemque adeo fere ſuperiorem Alſatiam ex Sequanica conſtituit Rauricam: Christophorum Cellarium, (r) & nuper demum alios quoque, (s) nactus ſequaces. Scilicet Scriptor hic, in Ægypto ſuum opus inſigni cum diligentia concinnans, Rhenenſis oræ rationes tamen non ſemel turbavit. Non mirabimur Argentouariam ab eo in Rauracis poni, qui Argentoratum, in Tribocis poſitum, adſcribit Vangionibus; qui Nemetes infra Vangiones, adeoque Neomagum Nemetum, quæ Spira, infra Borbetomagum, quæ Wormatia eſt, ponit. Sequanos ad Rheni oram uſque habitaſſe, à Cæſare, Rheni curſum deſcribente, docemur. Ubinam vero Sequanis locus, ſi Rauraci omnem Alſatiæ ſuperioris oram & regionem occuparunt? Rauracorum per Alſatiam ſuperiorem agros à Sequanis occupatos, ſi regeras, concedis profecto illud quod petimus; idque ſufficit nobis, ut Alſatiam ſuperiorem appellemus Sequanicam: hoc enim ſcire intereſt nobis, quinam populus temporibus illis ſuperiorem inhabitarit Alſatiam; cujus juris vero illa Regio tum fuerit, parum curæ eſt nobis. Cellariana ergo ſententia locum heic nequit habere; ſed nec illa, quam Jacobus Russinger, Baſilienſis, olim defendit, qui, veterum agri ſui incolarum limitem paulo minus extendens, Rauricos campos ad Briſiacum montem uſque pertigiſſe, arbitratus eſt. (t)

§. VII.

Raurici agri partes.

Supremus ergo Helvetiam verſus Rauracorum diſtrictus Thurgoviæ Pagum tangit, & ab Arolæ oſtiis, ubi Rheno hic jungitur, ad Filinæ rivuli, apud Auguſtam Rauracorum Rheno illabentis, oſtia ſe extendit. Continentur eo Buchsgoviæ, Salzgoviæ, Frickgoviæque Comitatus; qui poſterior Rheinfeldenſis nomine dein appellatus eſt. (u) Secunda pars à Filina ad ingreſſum Birſæ in Rhenum progreditur, ubi Comitatus Sisgoviæ, Rheinfelda, Laufenburgum, Frica, pars item veteris Rauracorum Auguſtæ, oppida Liechſtall & Wallenburg. Reliqua, quæ à Porta Petræa & Birſa procedunt, tertium ultimumque Raurici agri diſtrictum componunt. In hoc Comitatus Thierſteinenſis, arces Dornacum, Lilienberga, Rotberga, Landscrona, valles Delemontana, Monaſterienſis, Argilloſa; oppida denique Bruntrutum & Lauſa & Baſilea civitas cum agro, ut &, quæ retulimus, ſuperiora Sundgoviæ. Sic Rauraci veteres Thurgoviam hodiernam inter & Sundgoviam noſtram ſiti fuerunt, proprium ſacrorum Chriſtianorum Antiſtitem ſub Romanis nacti. Christianus Urstisius (x) Rauricenſis agri extremitates ad hæc quatuor puncta, Portam Petræam ſcilicet, Bruntrutum, Baſileam & Arolæ confluentes cum Rheno, reducit.

§. VIII.

Rauricum oppidum.

Regio hæc omnis fere collibus rupibusque exaſperata, fertilis tamen, quod Argitia, Birſa, Birſicoque fluminibus irrigua. Habitaverant incolæ per pagos diſperſi, niſi quod ad cæterarum Galliæ civitatum exemplum, quibus ſingulis fere ſua urbs mater, & Rauricum oppidum gentis vel civitatis ſuæ caput habuere. Oppidum agro, an ager oppido, impoſuerit nomen haud facile definiverim. In omni vero regione illa nonniſi viginti tria hominum millia agitaſſe, Cæsaris (y) auctoritate docemur. Locum hunc Romana dein militari colonia auctum, ſub ſequenti oſtendetur Periodo. Alia præter hoc oppida primis his temporibus apud Rauracos equidem non reperio: nec ſub Romanis deinceps, quando ipſa Plinii ſenioris ætate, qui ſub Veſpaſianis vixit, nullum aliud innotuit. Helvetii omnes, Cæsare (z) narrante, nonniſi duodecim oppida incoluerant. Quodſi vero modicum Rauracenſis agri ſpatium cum ampliſſimis Helvetiorum regionibus compares, nonniſi unum in Rauracis oppidum fuiſſe haudquaquam mirabere. Itaque non ad Rauracos noſtros referenda eſt *Sanctio*, memorata Ammiano; (a) quando nulla ejus ante Ammianum, id eſt, ante ſec. IV. mentio. Beatus Rhenanus, (b)

Ægid.

(q) Lib. II. Cap. IX.
(r) *Notitia Orbis Antiqui.* Tom. I. Lib. II. Cap. III.
(s) Vid. Sprengii *Comment. Rer. Rauracor.* pag. 3.
(t) *Diſſert. de Vetuſtate urbis Baſileæ* pag. 14.
(u) In hac parte omnis ille Juraſſi tractus eſt, qui, directione ejus boreali mutata, tendit ad ortum. Portiones montis hujus diverſæ diverſis nominibus ſignantur ab accolis, uti vidimus; ſcilicet, *der Batzberg*, *Schafmatt*, olim *Schachmatt*, *Nieder- & Ober-Hauenſtein*, *Waſſerfall*, *Pierre-Port*, ubi Birſæ fontes.
(x) *In Schedis Mſſ.* quæ apud Ampliſſ. Falckneerum, Conſulem Baſil. extant.
(y) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXIX.
(z) Lib. cit. Cap. V.
(a) Lib. XXI. Cap. III.
(b) *Rer. German.* Lib. I. pag. 85.

ÆGID. TSCHUDIUS, (c) CLUVERIUS, (d) aliique Sanctionem hodiernum *Sacconion* (e) eſſe reputant. Situm hoc eſt ad dextram Rheni ripam, ex adverſo Rauraci agri, in Germanico litore, atque adeo ad Rauracos referri non potuit. (f) Rheinfelda vero cis Rhenum poſita, & reliqua hodierni Raurici oppida, ut Liechſtallium, Bruntrutum &c. recentioris originis ſunt, veteribus Rauricis prorſus ignota. Cambes, Stabula, Uruncæ ad Sequanos noſtros citeriores, non ad Rauracos, pertinuerunt. Olinonem & Arialbinnum, quamvis nonniſi ſub Romanis innotuerint, Celticæ Periodo tamen accenſeo, & loca in Raurico agro poſita fuiſſe arbitror.

§. IX.

Rauracorum civium numerus.

Rauraci modicum Reipublicæ corpus, diſtinctam tamen ſeparatamque ab Helvetiis civitatem, conſtituerunt. Hoc vel inde perſpicimus, quod Helvetii, quorum finitimos CÆSAR Rauracos vocat, tanquam cum libero populo, cum illis tractaverant, imo eisdem perſuaſerant, ut, novas ſecum in interiore Gallia ſedes quæſituri, priſcas in Raurico agro exurerent; (g) quod ſane Rauracos nec ſubjectos nec clientes Helvetiorum fuiſſe ſatis demonſtrat. Lucio nimirum Calpurnio Piſone & Aulo Gabinio Coſſ. A. V. C. DCXCVI. ante Æram vero Chriſtianam LVIII. magnam hanc apud Rauracos rerum converſionem factam eſſe, reperimus. Hi enim, cum omni ſuo populo, qui nonniſi XXIII. millibus conſtitit, è patriis emigrantes ſedibus, oppidum, gentis ſuæ caput, vicos & ædificia cuncta incendunt, omnemque adeo regionem ſuam devaſtant, ut ipſi omnem omnino redeundi ſpem ſibi præſcinderent; quod totius Galliæ imperio ſuis ſe armis potituros ſibi ſpe vana promiſerant. Verum Genevam verſus profectis, Romanorumque tranſituris Provinciam, Cæſar aggeribus, foſſa, muroque præcluſerat viam. Per Sequanos ergo declinantes ad Æduos usque, hodierni Ducatus Burgundiæ habitatores, penetravere; ubi poſt varias dimicationes decretoria tandem certatum eſt pugna, qua victor Cæſar, populos hos, alienarum regionum invaſores, ita profligavit, ut, veluti greges in ſtabula, ad priſtinas ſuas ſedes repellerentur; vix tertia civium ſuorum reliqua parte. Quum enim omnis Helvetiorum, cum ſociis emigrantium, numerus ad CCCLXVIII. millia excurriſſet, ex hac copia nonniſi CX. millia, ex præliis reliqua, domum redierunt. Unde rerum Helveticarum diligentiſſimus Scriptor ÆGIDIUS TSCHUDIUS, Glaronenſis, Rauracorum nonniſi VII. millia & CCCC. in patrium ſolum rediiſſe conjecit. (h) Ita, devictis feliciter Helvetiis, faciliorem de reliquis Gallis ſibi fore victoriam Cæſar reputaverat, poſtquam eos, qui Gallorum fortiſſimi reputabantur, ſuis armis viciſſet. Paucis poſt reditum annis in Gallorum concilio, patriæ contra Romanos defendendæ cauſa, imperata ſunt Rauracis & Boiis XXX. hominum millia, ut apud CÆSAREM legimus; (i) quorum maximam ſane partem Boios dediſſe credimus, quando tam brevi temporis ſpatio Rauracorum numerus magnopere haud potuit augeri. In Sequanorum clientela Rauracos fuiſſe crederes, (l) quando apud Gallos conſuetudo invaluerat, ut minores populi potentiorum patrocinio fruerentur. Ita Seguſiani, Ambivareti, Aulerci Brannovices, ſive Brannovii, (m) Æduorum clientes fuerunt; hisque omnibus, Patronis nimirum & clientibus ſimul, à Gallorum concilio imperata ſunt XXXV. millia hominum, ad Galliam à Romanis liberandam. Sequanorum, potentiſſimæ gentis, vicinia, & arctior agri Rauricenſis limes, Rauracos Sequanorum clientes fuiſſe, perſuadere deberet; tanto magis, quod in populorum, Rheni litus accolentium, recenſione eos CÆSAR, STRABO, aliique, ut ſupra annotatum, omiſerunt. Mirum tamen in concilio Gallorum, in quo ſingulis populis certus copiarum imperatus eſt numerus, Rauracos non Sequanis, ſed Boiis, annumeratos fuiſſe.

§. X.

(c) *Vet. Helvet. Delineat. Mſ.* pag. 148.

(d) *Germ. Antiq.* Lib. III. Cap. IV. pag. 14.

(e) *Seckingen*, quatuor urbium ſilveſtrium una, quam à Sequanis nomen ſuum accepiſſe, & Julii Cæſaris ætate jam extitiſſe, Glareanus credidit, teſte GOLLUTIO *Memoires de la Republ. Sequanoiſe*, *Chap.* II.

(f) Ad Rauracos tamen eam ſpectaſſe credit DUNODUS *Hiſtoire des Sequanois*, *Differt.* I. pag. 55.

(g) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. V. " Helvetii
" perſuadent Rauracis, Tulingis & Latobrigis fini-
" timis, ut, eodem uſi conſilio, oppidis ſuis vicisque
" exuſtis, una cum iis proficiſcantur.

(h) *Helvet. Antiq. Del. Mſ.* pag. 138. & ex eo FRANCISCUS GUILLIMANNUS, *Rer. Helvet.* Lib. I. Cap. VII. pag. 67.

(i) De *Bello Gall.* Lib. VII. Cap. LXXV. Boii hi Helvetiis Trans-Rhenanis, inter Rhenum, Mœnum & Hercyniam ſilvam habitantibus, fuerant vicini, ut TACITUS ſcribit *German.* Cap. XXVIII. " Inter Hercy-
" niam ſilvam, Rhenumque & Mœnum amnes,
" Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens,
" tenuere.

(l) DUNODUS id operoſe defendere ſtudet *Hiſt. des Sequanois* Tom. I. pag. 53. ſeqq.

(m) CÆSAR de *Bello Gall.* Lib. VII. Cap. LXXV.

§. X.

Etymologia nominis Rauracorum.

De nominis *Rauracorum* etymo non multum diſquirimus. Sunt, qui ex compoſitis linguæ Theotiſcæ vocibus illud derivare conantur: quod Rhenenſis Sequanica regio patens, ſpatioſa & aperta quum ſit, Rauraca è contrario in anguſtas & *aſperas* quaſi *fauces* (*n*) arctetur; vel etiam, quod agri illius magna fuerit aſperitas. (*o*) Sunt qui à *Ror* & *Ach*, quod ad *canalem aquæ* Rheni oppidum ſitum fuerit, deducunt. Beat. Rhenanus (*p*) literam *u* in voce *Raurici*, non vocalis in modum, ſed ut digamma Æolicum, pronuntiatum fuiſſe, atque hinc *Frica* nomen, à quo vico pagus ſuam quoque appellationem accepit, derivandum exiſtimat, ſyllaba priore ablata. Unde *Vricgavia*, id eſt, Frickianus pagus, *Vrickthal*, *Frickthal*, vallis Frickiana. Eadem ratione *Sisgoviæ* nomen à *Cis-Gavia*, quod Sequanorum cis-montanorum loca tenuerint, deducit Rhenanus. At vocem latinam *cis* cum Germanica *Gau* junxiſſe Romanos, bybridamque inde conſtituiſſe vocem, ego minime dixerim. Nec felicior conjectura ſimilis eſt ejusdem Rhenani, quando (*q*) Tigurinos veteres apud Urios quæri debere ſibi perſuaſit, his verbis: “ Horum pars, quam ob cauſam neſcio, mutatis ſedibus, in Helvetiis conſedit, proxime „ Tigurinos, quorum hodie pagus mutilato vocabulo *Uri* dicitur.„ Caveant ſibi ne operam perdant, qui in etymologiis hujusmodi nimium laborant. In Teutoniſmo certe fruſtra quæritur, quod in Celtiſmo quærendum: in hoc autem *Rhaun rutrum* & *paluṁ*, *Rhauud catervam* denotat, Daviesio teſte.

SEQUANI.

§. XI.

Sequanorum ſedes.

Sequani, (*r*) Galliæ quoque Celticæ populus, inter Rhodanum, Ararim & Rhenum fluvios, Juram & Vogeſum montes, habitarunt. (*s*) Rhodanus eos à Provincia Romana, ſeu Gallia Narbonenſi; Araris ab Æduis & à Lingonibus; Rhenus à Germanis; Jura ab Helvetiis & Rauracis; Vogeſus à Leucis diviſit: atque adeo Seguſianos & Rauracos ad meridiem, (*t*) Leucos ad boream, Helvetios ad ortum, Æduos Lingonesque ad occaſum, tetigerunt. Regiones tam multas diſſitasque quum tenuerint Sequani, eosdem in interiores exterioresque, habita ſitus ratione, dividimus. Interiores Burgundiæ Comitatum; exteriores omnem fere Sundgoviam, (*v*) (paucis illis, quæ Rauraci occuparunt, exceptis) totamque ſuperiorem Alſatiam occuparunt: Rhenum enim per Sequanorum fines deferri, teſtis eſt Cæsar, (*w*) quem Strabo vel innominatum transſcribere conſuevit. Enimvero omne montis Juraſſi latus, occaſum reſpiciens, occupatum fuit à Sequanis, qui lateris hujus accolæ perpetui ad illum usque tractum fuerunt, ubi à boreali directione ſua deflectens ad Rhenum, adeoque orientem verſus, devergit. Hujus enim partis Juraſſi devergentis, & ramorum in Sequanos exteriores excurrentium habitatores, appellati ſunt *Rauraci*; quorum ſedes ipſa ramorum Juræ extremitate terminatur; Sequanis à pede montis, ubi planities incipit, ad Rhenum usque excurrentibus: adeoque interiores cum exterioribus, ſive Alſaticis noſtris Sequanis, per fauces illas, quæ inter curvaturam Juræ, ad Rhenum ſe vertentis, & curvamen Vogeſi, ad boream deflectentis, reperiuntur, cohæſerunt. Has inter curvaturas ergo Sequani ad Rheni oram uſque ſe extenderunt, adeoque Rauracos, Juræ montis incolas accolasque, conti-

(*n*) *Rauracher*, à duabus vocibus *Rauch* & *Rachen*, quod Latine *aſperas fauces* denotat. Ita Munsterus *Cosmogr.* Lib. III. Cap. XCI. & Tschudius in *Antiq. Helvet. Del. Mſ.* pag. 135. qui *ſupercilia Rheni* apud Ammianum Lib. XIV. Cap. X. huc trahit; quod Jura regionem in eam formam co ſtringat. Supra Baſileam enim Juræ & Abnobæ montium rami ad Rhenum junguntur, & fauces, per quas Rhenus effluit, efficiunt. Vid. Plantini *Helvet. Antiq.* pag. 307. Unde Tſchudius regionem hanc vocat *das Land im Rorach*.

(*o*) Quaſi *Rau Acker*, agri aſperi. Vid. Urstisius in *Chron. Baſ.* pag. 3.

(*p*) *Rer. German* Lib. III. pag. 238. Stumpfius *Chron. Helvet.* Lib. XII. Cap. I.

(*q*) Lib. I. pag. 76.

(*r*) Straboni *Σηκοανοὶ*. Ptolemæo *Σηκανοὶ*. Cæsari, Ciceroni & Antiquis Inscriptionibus *Sequani*. Vid. Chifletii *Veſont.* Part. I. Cap. II. pag. 11. Elias Vinetus *Commentar.* in L. Annæi Flori Lib. III. ſcribit, in vetuſtis Auſonii exemplaribus ſe legiſſe *Secani*.

(*s*) Cæsar de *Bello Gall.* Lib. I. Cap. XII. “ Flumen eſt Arar, quod per fines Æduorum & Se„ quanorum in Rhodanum influit.„ Item ubi de Helvetiorum itinere loquitur Cæſar Lib. I. Cap. VI. “ Unum iter per Sequanos anguſtum & difficile, inter „ montem Juram & flumen Rhodanum.„ Strabo Lib. IV. Sequanos ab ortu Rhenum attingere ait. Quod vero Sequanam per eos defluere addit, id oppido falſum; Sequanam enim in Alpibus oriri credidit.

(*t*) Sequanis noſtris Alſaticis Rauraci fuere meridionales, qui Juram, ex hac parte Sequanis à meridie ſitum, inhabitarunt.

(*v*) Sundgoviæ nomen ex veteri Sequanorum appellatione reſiduum eſſe, nonnulli ſibi perſuaſerunt. Hofmannus in *Lexico Hiſtor.* ſub voce *Sequani* ſcribit: “ Sequanos ſub Theodoſio juniore deſtruxerunt Bur„ gundiones, nomine quoque eorum abolito, niſi „ quod exiguum in voce *Sundgow* veſtigium ſuper„ eſt.

(*w*) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. I. & II.

Digitized by Google

contigerunt ibidem; quæ ratio eſt, quod duos hos inter populos certus limes vix conſtitui poſſit. Montana à Rauracis occupata fuiſſe novimus, à Sequanis plana: ſed hæc ipſa montana quum pedetentim in planum deſcendant, duas has gentes mutuo metu potius, quam naturali quodam limite, diſtinctas crediderim; quod de Germanorum veterum vicinis, Dacis ſcilicet & Sarmatis, Tacitus (x) quoque affirmat.

§. XII.

Sequani Alſatici.

Cum genuinis Hiſtoriæ fundamentis hæc exacte conveniunt. Sebastiani Munsteri & Beati Rhenani (y) diviſio impropria eſt, qui Sequanos omnes in Cis- & Trans-montanos dividunt, & ad Cis-montanos referunt Sundgovienſes atque Alſatos noſtros ſuperiores. Christianus Urstisius (z) Comitatum Burgundiæ, Rauracos & Sundgovios, ad Sequanos Cis-Juranos refert, illosque Uchtlandis & pagi Vaudenſis Sabaudiæque habitatoribus, quos Sequanos Trans-Juranos appellat, opponit. Ego vero Sequanorum in Cis- & Trans-Juranos diviſionem ignoro, quippe qui ad unum modo latus Juræ, quod Helvetiis nempe oppoſitum fuit, habitaverunt, nihil vero trans Juram tenuerunt. Burgundia, ineunte medio ævo, in Cis- & Trans-Juranam fuit diviſa, quod utrumque latus, partemque adeo Helvetiæ, occupaverant Burgundiones. De Sequanis autem hoc minime dixeris. Verius ergo in exteriores & interiores dividuntur. Ad illos referendi ſunt Alſatæ, qui in exterioribus Galliæ partibus, ipſiſque adeo in finibus, habitarunt; quum reliqui in interioribus Galliæ Celticæ habitaſſent. Quousque autem Sequanorum exteriorum limes in Alſatia continuatus fuerit, qui eos à Mediomatricis ſepararit, id nonniſi laxe quoque determinare licebit. Scilicet, conjecturis quum dandus ſit locus, Marckelshemium, qui vicus cis Rhenum è regione fere Limpurgi eſt, opportunus nobis limes videtur, cui *Marcæ* ſive limitis nomen adhuc inhæret. Sententiæ meæ ſuffragatores quum quærerem, inveni Ægidium Tschudium, qui in *Helvetiæ Antiquæ Deſcriptione*, jam allegata, eam pridem ante me fovit. (a) Triboci, qui Mediomatricorum regionem ad Rhenum dein occuparunt, teſte Strabone, inferioris Alſatiæ incolæ fuerunt, adeoque ſuperiorem ad Sequanos pertinuiſſe neceſſe eſt, quum Sequanos inter & Mediomatricos, vel, qui his ſucceſſerunt, Tribocos, medius nullus habitaverit populus. Minime ergo quæſtionem hanc, Sequani num Rhenum attigerint, ut rem dubiam, in medium proferre debuiſſet Christophorus Cellarius, (b) debili fundamento hoc nixus, quod Rauraci atque Triboci, ex ea parte Rheni accolæ, illis obſtitiſſe videantur. Rauracos enim inter atque Tribocos Sequani medii, ad Rhenum, Baſileam inter & Marckelshemium, habitaverunt, adeoque ſuperiorem Alſatiam complexi ſunt omnem. Nullum dubitandi locum relinquit Cæsar, qui Sequanos Rheni accolas eſſe, (c) Celticamque Galliam per Sequanos Rhenum attingere, diſertis verbis enuntiat. (d) Poſtquam enim ab initio Commentariorum ſuorum dixiſſet: "Gallia eſt omnis diviſa in tres partes: quarum „ unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipſorum lingua Celtæ, noſtra „ Galli, appellantur; „ addit deinceps: "Eorum una pars, quam Gallos obtinere „ dictum eſt, initium capit à flumine Rhodano, continetur que Garumna flumine, „ Oceano, finibus Belgarum: attingit etiam à Sequanis & Helvetiis flumen Rhenum, „ vergit ad ſeptentriones. „ Grave hoc graviſſimi rerum Gallicarum Scriptoris teſtimonium, Sequanos ad Rhenum usque fluvium ſe extendiſſe, extra omne dubium ponit.

§. XIII.

Sequani Leucis confines.

De Leucis vero non ſine ratione quæritur: num à ſeptentrione illi attigerint Sequanos? quum inter utrosque medii Lingones habitare potuerint. Verum enimvero quum Leuci verſus Araris, Moſellæ & Murthæ, fluminum fontes in Vogeſo, ubi nimirum Vogeſus, à Lingonibus procedens, Alſatiam noſtram vel tangit, vel tangere incipit, Germaniæ ſuperiori, ſub Auguſto exortæ, contermini fuerint; nullus Lingonibus Leucos inter & Sequanos locus relinquitur. Cæsar item, (e) bellum Arioviſtinum deſcribens, ait: "Frumentum Sequanos, Leucos, Lingones ſubminiſtraſſe Romanis.„ Sequanos, in quorum agris tum Cæſar, ad Sequanos exteriores progreſſurus, degebat, primos commemoravit: inde Leucos, Sequanis à ſiniſtra proximos, denique Lingones, quos à tergo Sequani atque Cæſar reliquerant. Denique pluribus perſuaſum Geographis (f) eſt, Diœceſium Eccleſiaſticarum limites plerumque limitibus reſpondere Provinciarum, atque adeo Jurisdictionem Eccleſiaſticam iisdem fere finibus circumſcriptam

(x) De *Moribus Germanorum* Cap. I.
(y) *Rer. Germas.* Lib. I. Cap. V.
(z) *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. I. pag. 2.
(a) Pag. 170.
(b) *Geograph. Antiq.* Lib. II. Cap. III. pag. 287.
(c) Lib. IV. de *Bello Gall.* Cap. X.
(d) Lib. I. Cap. I.
(e) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. XL.
(f) Sanson *Remarques ſur la Carte de l'ancienne Gaule.*

ſcriptam fuiſſe, quibus circumſcripta Juriſdictio Civilis. Quodſi hæc admittas, uti ſane in multis admittenda ſunt, nullus Sequanos inter & Leucos datur locus Lingonibus, quum Veſontina & Tullenſis, ſive Sequanorum & Leucorum Diœceſes, ſe tangant; excluſa Lingonenſi, quæ utrique ab occaſu contermina eſt. Scilicet Araris, ſive Saucona, quæ Æduns ſeparavit & Lingones, in Vogeſi partibus Leucorum oritur; uti Moſa (*g*) in Baſſiniaco vel Baſſinejo, parte Pagi Lingonici, ubi initium Vogeſi montis, qui Leucos & Mediomatricos Lotharienſes à Sequanis & Aleſaciis diſcludit.

§. XIV.

Alſatia Sequanica Galliæ Celticæ pars.

Hi vero Aleſacii ſuperiores ſub Celtica, quam tractamus, Periodo, non ad Belgas, ſed ad Celtas, relati ſunt. CÆSAR ſane ubi XVI. Belgarum populos enarrat, (*b*) non numerat Sequanos, quod ſua ætate ad Galliam Belgicam minime pertinerent. Imo eo loco ubi Celtas deſcribit, eos à Sequanis & Helvetiis Rhenum attigiſſe nos docet. Auguſtus vero Sequanos Galliæ Celticæ deinceps ademit, Belgicæque transſcripſit, ut ſuo loco, ubi de Germania ſuperiore agendum, videbimus. Sic fallitur Geographus SAMSON, quum Plinium & Ptolemæum, male intellectis Cæſaris verbis, deceptos eſſe ait, quod Sequanos & Helvetios annumeraverint Belgis. Auctores hi, qui poſt Auguſtum ſcripſerunt, (*i*) num reprehendendi ſunt, ſi Auguſtæam Galliæ dividendæ rationem potius quam Julianam ſequuntur? Aliis tamen, ut STRABONI, FLORO, PLUTARCHO, DIONI, OROSIO, diviſionem Cæſaris præferre libitum eſt. Sequanos noſtros exteriores cum interioribus jungere, haud difficile Romanis fuiſſet, ope Elli & Dubis, quæ flumina potuiſſent foſſa conjungi. Hiſpanorum, quum Burgundicum Comitatum poſſediſſent, hoc conſilium fuit, ut nimirum Elli Rhenique ope hunc Comitatum cum cæteris ſuis Belgii Provinciis connecterent. Hac ratione Dubis, Araris Rhodanique ope, Oceanus cum Mari Mediterraneo fuiſſet conjunctus.

§. XV.

Sequanorum Civitas.

Ut Rauraci Rauricum oppidum, ita Sequani Veſontionem, caput gentis ſuæ habuerunt, cujus gentis univerſitas appellabatur *Civitas Sequanorum*; (*k*) ſed & ipſum Veſontio oppidum nomine hoc ſubinde ſignatur: Cæſar voce *Civitatis* utitur ſenſu utroque. Apud CLAUDIUM PTOLEMÆUM (*l*) hoc ſenſu toti Sequanorum Civitati quatuor civitates ſpeciales (πόλεις) aſſignatæ reperiuntur: Διδάττιον, Didattium; Οὐισόντιον, Viſontium; Ἐκουεστρὶς, Equeſtris; Αὐάντικον, Avanticum. Scilicet, in Rauracorum agro deſcribendo incautus quum fuerit Ptolemæus, nunc & in Sequanico peccat, quando Equeſtrem Coloniam, ſive Nevidunum, (*m*) & Aventicum oppida, ad Sequanos refert, quum utrumque ad Helvetios, à Sequanis monte Jura ſeparatos, pertinuerit; utrumque ſub Auguſto deinceps illuſtrandum Colonia, ita quidem, ut Aventicum Helvetiorum Caput evaſerit.

§. XVI.

Didattium oppidum Sequanorum.

Didattium vero, quod nonnulli Ditattium atque Dittaſium ſcribunt, quo referre debeam, cum oculatioribus Geographis dubitare me fateor. Veteres Græci atque Latini Geographi, quos novimus, omnes hunc locum ignorant. PTOLEMÆUS (*n*) ſolus illum memorat, atque inter Sequanicas urbes ponit. Codices MſT. meliores conſtanter *Didattion* exprimunt. Unicum Ptolemæi exemplum, An. MDXII. impreſſum, *Diatannion* habet. Corrupta hæc Ptolemæi editio GUILLIMANNUM (*o*) ſeduxit, ut *Thannum*, Sundgovio-Alſaticum oppidum, quod GEBVILERUS *Pinnon* vocat, Ptolemæi Didattium eſſe ſtatueret: nec refragatur ÆGIDIUS TSCHUDIUS, (*p*) antiquitatis peritia præſtantiſſimus, quod ſimilitudo nominis, à corrupto Codice exhibiti, id ſuadere videbatur. RHENANUS (*q*) legendum eſſe putat *Dittaſnon*, vocemque ad arcem *Haſenburg*, haud procul ab oppido Bruntruto ſitam, detorquet, *Taſenburg* ab initio vocatam fuiſſe reputans: quin & vici *Tachsfelden*, Gallice *Tasvenne*, facit mentionem ob ſimilitudinem nominis, quod à *Dittaſio* haud multum abludat. LAZIO (*r*) *Talenberg*; DUNODO (*s*) *Dolam* ad Dubim fluvium, referre huc lubuit. In hac opinionum diverſitate, quæ omnes fere nonniſi levi quadam ſimilitudine vocum nituntur, quis certi quid aſſerat?

quando

(*g*) CÆSAR de *Bello Gall.* Lib. IV. Cap. X.
(*b*) De *Bello Gall.* Lib. II. Cap. IV.
(*i*) PLIN. *Hiſt. Nat.* Lib. IV. Cap. XVII. Sequanos in Belgica inter Mediomatricos & Rauricos ponit.
(*k*) CÆSAR Lib. I. Cap. XXXI.
(*l*) *Geograph.* Lib. II. Cap. IX. fin.
(*m*) Hodie *Nyon*, quatuor Leucis à Geneva.
(*n*) *Geograph.* Lib. II.
(*o*) *Habsburg.* Lib. II. Cap. VI. pag. 72.
(*p*) *Delineat. Veteris Helvet. Mſ.* pag. 125.
(*q*) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 276. quem ſequitur VILLANOVANUS.
(*r*) ORTELII *Theſaur. Geograph.* Voc. *Didattium.*
(*s*) *Decouverte d'Autre* Part. II. pag. 156.

quando apud Ptolemæum *Didattii* nomen ſolum & nudum occurrit. Fruſtra ergo in loci hujus ſitum inquiri, Cellarius (*t*) non ſine ratione credidit. Id certum, oleum & operam perdere eos, qui *Didattium* in Alſatia quærunt, quod ad Sequanos interiores pertineat. Sed & illi falluntur, qui ad Germanicas confugiunt origines, ubi ad Celticas referendum eſt nomen. Hoc ipſum de *Amagetobria* dicendum eſſe reputamus. Amagetobria, locus nonniſi à Cæsare (*u*) in Divitiaci Oratione memoratus: de quo Cluverius Cellariusque, ut de Didattio, ſtatuerunt, fruſtra eſſe ſemperque fore, qui eum perveſtigare laborant. Locum tamen in Sequanis ſitum fuiſſe mox probare ſtudebimus.

§. XVII.

Veſontio ergo; Amagetobria, Didattium, Epamantadurum &c. apud Sequanos interiores, ſub prima Periodo, reperiuntur. Apud exteriores vero, ſive Alſaticos, Larga, Cambes, Arialbinnum, Gramatum, Uruncæ, Briſiacum, Argentouaria: quæ omnia, Sequanica Celtici idiomatis nomina, non Romanam ſane, ſed Gallicam originem ſapiunt; quanquam prima mentio eorum nonniſi ſub Romana occurrat Periodo: ad quam commodius de ſingulis acturi ſumus. Quæ vero loca, præter Argentouariam, inter oppida vel vicos recenſeri debeant, vix definire licebit; plura licet apud Sequanos oppida fuiſſe ſciamus. Divitiacus Æduus, vicinus eorum, apud Cæſarem profeſſus eſt: " oppida „ omnia Sequanorum in Arioviſti poteſtate verſari. „ (*x*) Sequanicus ager totius Galliæ optimus Cæſari dicitur: à Germanis vicinis ſub Arioviſto avide petitus; qui, poſtquam ſemel Sequanicæ Alſatiæ deguſtaſſent delicias, tertia agri Sequanici, præſertim Rheno vicini, parte occupata; liberum cum popularibus ſuis Germanis tranſitum ſervarunt. Quanta miſeria toto hoc tempore ab Arioviſto affecti ſint Sequani, adeoque & Alſatæ noſtri, Divitiacus Æduus in oratione memorata exponit. (*y*)

Sequanorum reliqua loca.

§. XVIII.

Nomen denique unde natum ſit Sequanis, Hiſtoricorum nonnulli definire ſunt auſi. Verum enimvero num audiendi ſunt, qui ab Hebraico vocabulo, (*z*) quod *habitatores* vel *indigenas* denotat; (*a*) aut illi, qui à Græco Σῆκος, *delubro Deorum vel Heroum*, illud deducunt, quia Sequani præ aliis fuerint religioſi, multaque Diis templa conſtruxerint, lucos & ſepta conſecrarint? (*b*) Diverſiſſimum ſane à Græco fuit idioma Celticum. Sed & merito dicam ſcribimus Gotfrido Viterbiensi, ſeculi XI. Scriptori, qui *Seguinum* Regem Veſontiorum vixiſſe tradit tempore, quo Senones Galli ſub Duce Brenno Italiam intrarint. (*c*) Rem his verſibus memorat:

Nominis Sequanorum origo.

„ Sede Biſuntinus fuerat tunc Rex Seguinus,
„ Cujus erat Sauna fluvius, Rhodanusque marinus,
„ Primaque pars Araris Allobrogusque ſinus.

Quam parum autem antiquitatis peritus fuerit Gotfridus, vel ex eo facile patet, quod Brennum intrantem in Italiam ſcribens monſtroſa hæc profert: " Anno ab V. C. „ CCCLXIV. Suevi & Senones Galli, id eſt, Burgundiones, Allobrogi, ſub Duce „ Brennio Italiam intrant, Romam petunt &c.

§. XIX.

Nec veriſimilis nobis videtur Cel. Dunodi, in Veſontina Burgundionum Academia Profeſſoris, conjectura, qua ille Sequanorum origioes & nomen ab Askenaze, cui nonnulli gentium occidentalium origines tribount, derivare laborat. (*d*) Nepotes hos Askenazis, poſtquam ad Pontum Euxinum diu habitaſſent, Danubianam denique oram relegentes, Rhenum prope Baſileam tranſiviſſe, atque fertilitate ſoli invitatos ſedes ibi

Dunodi de ea ſententia.

ſuas

(*t*) *Geograph. Antiq.* Lib. II. Cap. III. pag. 289.

(*u*) Lib. I. Cap. XXXI. De *Bello Gall.* Codices Cæſaris variant, in quibus *Amagetobria*, *Amagetobriga*, *Magetobria*, *Magetobriga*, ſcribitur.

(*x*) Cæsar De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXXII.

(*y*) Ibidem Cap. XXXI.

(*z*) שוכנים.

(*a*) Bodinus hoc facit in *Methodo Hiſtoriar.* pag. 372.

(*b*) Apud Chifletium *Veſontionis* Part. I. Cap. X. pag. 41.

(*c*) *Chron.* Part. IX. pag. 145.

(*d*) *Hiſtoire des Sequanois* Tom. I. Diſſert. 2. pag. 86. ubi: *Les Celtes ont dû prononcer* Askauanes, *pour* Askenés, *& on peut dire avec aſſez de vraiſemblance, que c'eſt de là qu'eſt dérivé le mot de* Sequani; *d'où je conclus, que les Sequanois etoient les principaux d'entre les Celtes, puiſqu'ils ont porté le nom de l'Auteur de la Nation.*

ſuas poſuiſſe, exiſtimans; (*e*) quas ad Ararim uſque deinceps extenderint. Conjecturam hanc ſi admittas, Alſatiæ ſuperioris incolæ priſci, à Ponto Euxino derivandi, omnium Celticæ populorum primi penetrarunt in Galliam, adeoque antiquiſſima Celticæ Galliæ Colonia forent Alſatæ noſtri, non indigenæ jam, ſed advenæ; quibus hac ratione deberetur antiquitatis primatus. Quodſi enim in his partibus, ut Dunodus vult, Rhenum tranſeuntes Sequani, Celtarum primi, regionis amœnitate & fertilitate capti, in eodem ſubſtiterunt; Alſatis noſtris tribuenda eſt gloria, quod, non omnium modo Celtarum, ſed & ipſorum Sequanorum, primi ſedes in Gallia fixerint, quod prima hæc omnium regio Rhenum tranſeuntibus viſa, quibus abundantior, & multifariis naturæ donis fertilior, non facile occurrit. Jungendi his ſunt denique illi, qui à Sequano quodam, Eructoni filio, Lemani nepote, quem Regem eorum fuiſſe volunt, (*f*) vel à flumine Sequana, derivandum eſſe cenſuerunt. Sequana profecto nullam eorum partem attigit, licet Geographus Strabo id tradat. Verum in tanta temporum illorum obſcuritate nihil definire quum jam pridem decreverim, liberum de Alſatarum originibus judicium Lectori relinquo, ne nubem ei pro Junone obtrudam, aut levibus conjecturis ingenium oblectem. Fuit hæc noſtris poſtremorum ſeculorum Hiſtoricis cura. Ego Celtas, ſexcentis fere ante Æram Dionyſianam annis, ex Gallia magnis agminibus emigrantes reperio, immigrantes in Galliam nullibi video.

§. XX.

Sequanorum Status & Inſigne.

Sequani *Amici* Populi Romani à Cæsare & à Plutarcho, (*g*) dicuntur; Strabo (*h*) è contra eos antiquitus Romanorum & Æduorum vocat inimicos. Utrique verum produnt, ſi temporum diverſitatis ratio habeatur. Ceterum gentis Sequanorum Inſigne fuiſſe *Aprum* non ſine ratione crederes. Perſuadere id nobis videntur duo nummuli argentei, quos Bouterouеus (*i*) produxit, in quibus Mercurii caput, alatum in uno, ſine alis in altero, ſiſtitur, in utroque aper, cum inſcriptione *Sequano.* Mercurio alato autem epigraphe addita *Nimo*, & quidem in antica & poſtica nummi parte. Aprum talem hiſpidum, oculis dentibuſque argenteis artificioſe ſatis elaboratum, haud ita pridem, in regionibus noſtris repertum Muſeum noſtrum, aſſervat. Flatus ex ære aper, ſelibræ fere Romanæ pondere, veteris Sequaniæ inſigne repræſentare potuit; animalium enim imagines à veteribus Gallis Germaniſque pro inſignibus adhibitas fuiſſe, res haud ignota, quam etiam Monumento lapideo antiquiſſimo, quod Argentorati detexi, & in Antiquarium meum tranſtuli, roborare licet, ubi militis Gallici armati figura integra ſiſtitur, atque ad latus ejus *Gallus* ſuper pertica repræſentatur; ut nimirum, ex qua Cohorte miles ille fuerit, intelligi poſſet. Arcus Arauſionenſis idem teſtatur.

MEDIOMATRICI.

§. XXI.

Mediomatricorum ſedes.

MEdiomatrici, (*l*) Belgicæ Galliæ populus, Sequanos à meridie, Treviros à ſeptentrione, Rhenum ab ortu, Moſam ab occaſu, in cujus adverſa ripa Rhemi & Lingones, limitem habuerunt. Moſella in limitibus his ſignandis locum non habet, quippe

---

(*e*) Ibid. pag. 2. ſcribit: *Les Sequanois étoient les Ainés & les Chefs de la Nation Celtique dans les Gaules. Ils en tenoient auſſi la plus grande & la meilleure partie. Les Sequanois étoient de ce nombre, & comme les Gaulois, à les ſuppoſer deſcendus d'Askenez, étoient venus des bords du Pont-Euxin, & avoient probablement ſuivi les rives du Danube, qui leur fourniſſoient la chaſſe, la pêche & des pâturages; l'on en peut conclure avec aſſés de vraiſemblance, que les Sequanois ſont les premiers des Celtes, qui ſe ſoient établis dans les Gaules; par ce que leur Païs eſt le plus proche de la ſource du Danube, & qu'étant beau & fertile, les Celtes, qui y ſont entrés en paſſant le Rhin, ont dû être engagés à s'y arrêter.*

(*f*) Gollut *Memoires de la Republique Sequanoiſe. Chap.* II. Qui Senones Gallos à Sequanis quoque derivat.

(*g*) In *Vita Julii Cæſaris.*

(*h*) *Geograph.* Lib. IV.

(*i*) *Recherches curieuſes des Monnoyes de France*, pag. 56. & 57. Ex quo eosdem nummulos expreſſit Sigebertus Havercampus in *Notis ſuis* ad Paulum Orosium Lib. VI. Cap. VII. pag. 388. ubi, priorem nummulum in Gerardi Schaak muſeo ſervari, quoque annotat.

(*l*) Ita vocantur à Cæsare, Strabone, Tacito, Plinio, Ammiano & Tabula Theodosiana; ſolus Ptolemæus eos appellat Μεδιομάτρικες, *Mediomatrices.* Vocis etymologiam, quæ nonniſi Celtica eſſe poteſt, examinare hujus loci non eſt. Non audiendi, qui inde ortam eſſe voluerunt, quod Eccleſia Mediomatricenſis ſit *Mater media* inter Treviros, Tullenſes & Virodunenſes; quum nomen Mediomatrici tempora Chriſtianismi longe antevertat: nec quod medius ille ager vicinos veluti mater abundantia ſua alat & nutriat. Vox Celtica quum ſit, nulla Latinæ etymologiæ habenda heic ratio. Conjecturarum harum debilitas ſatis ſe prodit, quum Mediolani Inſubrum in Gallia Cis-alpina trans Padum Coloniæ, ut & Mediolani Santonum Galliæ Trans-alpinæ, Ceſticum ſane nomen penſamus, quod à Latinorum *Medio* derivare imbecille foret ac vanum.

quippe quæ in Vogeſo orta, per Mediomatricos Treviroſque decurrens, Rheno ſe miſcet. Inferiorem omnem, quæ circa Seleſtadium incipit, Mediomatrici occupaverant Alſatiam; inter Sequanos enim Treviroſque ad Rhenum nullam, præter Mediomatricos, gentem habitaſſe vetera Monumenta demonſtrant. De limite Mediomatricos inter & Treviros ad Rhenum diſpiciendum eſt. PHILIPPUS CLUVERIUS, (*m*) linea à Moſa & vico *Montegny* ad Navæ amnis fontem ducta, limitem hunc abſolvi conjicit, nec refragantes nos habet, quod præter Tribocos noſtros, Nemetes quoque atque Vangiones, Germanicæ gentes, tranſito poſtea temporis Rheno, Mediomatricorum agros occuparunt ad Rhenum, ita ut à tribus his Germaniæ populis Mediomatrici à Rheno remoti atque trans Vogeſum rejecti fuerint. Inferiorem ergo omnem Alſatiam eos habitaſſe extra dubium eſt. CÆSAR (*n*) ait, Rhenum per fines Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Trevirorum ferri. STRABO (*o*) poſt Helvetios, accolas Rheni, ponit Sequanos & Mediomatricos; unde Mediomatricorum ſedes inter Sequanos Treviroſque fuiſſe colligimus.

§. XXII.

Mediomatrici Alſatici.

De Mediomatricis exterioribus, inter Vogeſum & Rhenum habitantibus, loquor. Exteriores hi Mediomatrici Sequanos noſtros circa Seleſtadium & Marckelshemium, uti ſupra oſtenſum eſt, attigerunt; erratque adeo PHILIPPUS CLUVERIUS, (*p*) qui, ut terminum auſtralem Mediomatricorum definiat, lineam ducendam eſſe putat à Moſa & oppido *S. Mihiel* ad Moſellæ Murthæque confluentem: inde ab occidente brumali alia linea ad Bruſchii amnis fontem, atque ita ad Rhenum. Hoc modo bona Alſatiæ inferioris pars Mediomatricis abjudicaretur. Interiores Mediomatricos quod attinet, qui reſpectu noſtri trans Vogeſum habitant, res aliter ſe habet. Ibi non à Sequanis tanguntur, ſed à Lingonibus & Leucis. At quum nec Lingones nec Leuci cis Vogeſum in Alſatiam ſe extenderint, Sequanos & Mediomatricos in Alſatia confines fuiſſe neceſſe eſt. CELLARIUS ſine cauſa dubitavit, an Sequani Rhenum attigerint. HADR. VALESIUS (*q*) quod dubitarit, an Mediomatrici ſe ad Rhenum extenderint, miramur; quum verbis id evidentibus Cæſar atque Strabo teſtentur, nihilque aliunde peti poſſit, quod gravium Scriptorum horum auctoritatem infringat. Quis autem Galliam melius noſſe potuit debuitque quam Cæſar, qui totis novem annis in ea bellum geſſit; qui Belgas, inter quos Mediomatrici, ſecundo Proconſulatus ſui anno debellavit; qui bis Rhenum ponte ſtravit, ſingulis Galliæ civitatibus commeatus, ſtipendia & tributa impoſuit? Et tamen Valeſii conjecturam ſecutus eſt CHRISTOPH. CELLARIUS, (*r*) ait enim: "Sicut ſupra de Sequanis non ſine cauſa dubitavimus, ita nunc magis de Mediomatricis, quum nimis diſtet à Rheno Moſella eo tractu, ubi Divodurum eſt, caput Mediomatricorum." Debilis ratio à longinquitate Divoduri & Moſellæ à Rheno. Sequani omne ſpatium inter Ararim & Rhenum ſi occupare potuerunt, quidni Mediomatrici omne illud quod Moſellam inter & Rhenum?

§. XXIII.

Mediomatricorum origo.

De eo rectius quæri poſſet, Mediomatrici, origine Galli num fuerint, an Germani? Dubitationis cauſam ſuggerit Cæſar, qui pleroſque Belgas, quorum in numero Mediomatrici, de Germanica origine gloriatos fuiſſe memorat. Hujus ſane generis Treviri, Eburones, Tungri, Condruſi, Menapii, Nervii fuere, antiquis temporibus in Galliam Belgicam transgreſſi. De Mediomatricis nullum Germanicæ originis veſtigium equidem reperio. Brocomagus, Saletio, quæ Mediomatricorum citeriorum vel Rhenenſium oppida fuerunt, Gallicam etymologiam ſapiunt. Ipſum nomen urbis, quæ caput gentis fuit, Gallicum eſt, quod plures aliæ veteris Galliæ urbes produnt, quæ ſimiliter deſinunt, ut Salodurum, Vitodurum, Batavodurum, Brivodurum, Ernodorum, Iciodorum, Marcodurum, Ternodorum, Theudurum, Valicodorum, quæ omnes Galliæ antiquæ urbes

(*m*) *German. Antiq.* Lib. II. Cap. IX. pag. 33.
(*n*) De *Bello Gall.* Lib. IV. Cap. X.
(*o*) Lib. IV. pag. 295. Edit. Almelov.
(*p*) Loc. cit.
(*q*) In *Notit. Gall.* pag. 472.
(*r*) *Geograph. Antiq.* Lib. II. Cap. III. pag. 293.

urbes fuerunt. Scilicet vox Celtica *Dur*, (s) abjecta terminatione Latina, *amnem* vel *aquam* (t) deſignat: omnia loca in *durum* quæ deſinunt, ad rivum aliquem ſita reperio. Divodurum noſtrum, præter Moſellam, Saliam (u) quoque flumen habet, quod urbem perluit. Sub Divoduri autem nomine urbs hæc apud Hiſtoricos, ſpeciatim apud TACITUM (x) atque PTOLEMÆUM, (y) ſemper occurrit. Hic præter Divodurum quum in Mediomatricis nullum aliud oppidum ponat; quum ANTONINUS plura ad illud itinera dirigat; quum in THEODOSIANA TABULA primariæ cujusdam urbis pictura Divodurum ornetur; nulla nos ratio inducere debet, ut ad aliam, quam ad urbem Metenſem, illud referamus; (z) illuſtria veteris ævi monumenta, quæ in illis partibus magno numero pridem eruta ſunt, & eruuntur quotidie, ſententiam hanc firmant. Divodurum hoc, gentis totius caput, apud interiores vel ulteriores trans Vogeſum Mediomatricos ſitum erat. Exteriores noſtri Rhenenſes, vel Alſatici Argentoratum ſuum, Helvetum, Brocomagum, Saletionemque habuerunt: quæ nomina Gallica fuiſſe nequit dubitari. Argentouaria in Sequanis, & ſpeciatim Gallia Celtica, ſita Gallicæ originis haud dubie eſt. Nomen urbis *Argentoratus*, in Mediomatricis poſitæ, eandem nobis originem, id eſt Gallicam indicat. Nihil itaque inducere nos poteſt, ut Mediomatricos noſtros Alſaticos Germanicæ potius quam Gallicæ originis fuiſſe ſtatuamus.

§. XXIV.

Mediomatricorum ager pars Galliæ Belgicæ.

Occuparunt Mediomatrici, in Celtica Alſatiæ Periodo, inferiorem Alſatiam, Palatinatum cis Rhenum, Lotharingiæ & Bipontini Ducatus partem, territorium & Diœceſin Epiſcopatus Metenſis, ut & Auſtraſiæ veteris illam partem, quæ vulgo, & fortaſſis corrupte, *Weſtrich* appellatur. Mediomatricorum ager ad Belgicam relatus eſt Galliam. Scilicet quum ex CÆSARIS (a) relatu omnis, (præter Narbonenſem, quæ Romana provincia fuit,) Gallia in Aquitanicam, Celticam Belgicamque diviſa fuiſſet, in Celtica numerati ſunt Sequani & Rauraci. Sequanos enim Cæſar & Helvetiós à Belgis ſeparat, & per eos Celticam Galliam Rhenum attingere affirmat. Mediomatrici vero (b) cenſebantur in Belgica, quam à Celtica fluvii Sequana & Matrona diviſere; atque adeo antiquiſſimis temporibus Alſatia ſuperior Celtis, inferior autem Belgis, fuerat adſcripta; utraque ad Galliam Comatam pertinuit. Mediomatrici hi, in bello contra Cæſarem, quum omnis contra Romanos conjuraſſet Gallia, quinque millia militum, ad Aleſiam obſidione Romana liberandam, contulerunt, quot Ambianis, Nerviis, Morinis, Nitiobrigibus ſimul imperata fuerunt. Unde Mediomatricorum vires tam exiguas non fuiſſe judicamus. *Socia*, id eſt, fœderata Romanorum Civitas non ſemel à TACITO (c) appellantur Mediomatrici: ubi non urbs gentis caput, ſed gens omnis ſive Reſpublica tota, intelligitur. Vox *Metenſes*, ab urbe primaria *Metis* (d) orta, poſterior eſt ætate, nec ante *Notitiæ Occidentalis Imperii* Conditorem occurrit. GOLTZII enim vetus Inſcriptio, in qua *Comes Auxiliariorum Metenſium* occurrit, ſuſpecta, imo falſa videtur. HUTTICHIUS (e) hanc de fœmina quadam Mediomatricenſi veterem Inſcriptionem produxit:

D. M.
PRIMNIAE.COMITIL
LAE.QVAE.VIXIT.
ANNIS XX. CIVES. (pro CIVIS)
MEDIOMATRICA.
MATERNIVS. NEM
AVSVS. STRATOR.
COS.ET.LVCIVS.LV
CINVS. MENSOR.
FRVMENTI.NVMER..

Reliquias

(s) MEURISSIUS in *Hiſt. des Evêques de Mets. Préface* pag. 4. duas voces, *durum* & *dunum*, diverſas plane confudit, quum poſterior *collem* denotet.
(t) GIRALDUS CAMBRIENSIS *Itinerar. Cambr.* Lib. I. Cap. VIII. & in *Deſcript. Cambr.* Cap. XV. BUCHANANUS item *Rer. Scoticar.* Lib. II. pag. 64. Errant enim illi, qui à Teutonico vocabulo *Thor, porta*, derivant hoc nomen. Urbs antiqua Celtica, in Celtis poſita, à Celtis condita, nomen quoque Celticum procul dubio accepit.
(u) *Seille.* (x) *Hiſt.* Lib. I. Cap. LXIII.
(y) Lib. II. Cap. VI.
(z) Præter rationem enim nonnulli Divodurum ad Theodonis villam transferre voluerunt; quæ ſententia olim Doctiſſ. Viro, BILIBALDO PIRCKHEIMERO placuit, ut ABRAH. ORTELIUS in *Theſauro Geographico* docet; qui ipſe tamen pro Metenſi civitate ſententiam tulit in voce: *Divodurum.*
(a) Lib. I. Cap. I. de *Bello Gall.*
(b) Teſte Cæſare loc. cit. (c) *Hiſtor.* Lib. IV.
(d) FORTUNATI verſus Lib. I. Cap. IX huc trahi nequit:
" Nomine *Vernemetis* voluit vocitare vetuſtas,
" Quod quaſi fanum ingens Gallica lingua refert.
(e) *Collectan. Antiquitatum Urbis & Agri Mogunt.* Tab. XV.

Reliquias veteris Mediomatricorum in Alſatia juris hodieque reperimus, quando Mediomatricenſis Epiſcopus varia adhuc jura atque dominia directa, in Ochſenſteinenſi & Geroldseckiana Dynaſtia, in Marca item Mauri-Monaſterienſi, aliisque vicinis terris, paſſim exercet. Ipſam urbem Argentoratum ad annum uſque DXCVI. ſub Metenſi Epiſcopatu fuiſſe, atque tum temporis demum Amandum apud Argentoratenſes creatum Epiſcopum, Jacobus Wimphelingius (*f*) docet. Conſentit Meurissius, Madaurenſis Epiſcopus, in *Metenſium Epiſcoporum Hiſtoria*, (*g*) qui vero ad annum DCXXXIX. inſtituti à Dagoberto Epiſcopatus Argentinenſis epocham ponit, atque eo tempore hanc Alſatiæ partem Goerico, Metenſium Epiſcopo, ſubtractam fuiſſe, memoriæ prodit.

PAGI, OPPIDA, VICI ALSATIÆ,
SUB CELTICA PERIODO.

§. XXV.

Pagi veteris Alſatiæ.

Civitas Sequanorum, cujus pars fuit Alſatia noſtra ſuperior, non independens modo fuit & libera, ſed & cum vicina Æduorum civitate certavit potentia. Helvetiorum civitatem omnem in IV. Pagos fuiſſe diviſam ex Cæsare (*h*) diſcimus. *Civitas* enim à *Pago*, ut totum à parte, diſtinguitur. Cæsar (*i*) ait: "In Gallia „ non ſolum in omnibus civitatibus atque pagis partibusque, ſed pene etiam in „ ſingulis domibus, factiones ſunt.„ Livius (*l*) vero: "L. Caſſius à Tigurinis Gallis, „ pago Helvetiorum, qui à civitate (ſcil. Helvetiorum) ſeceſſerant, in finibus „ Allobrogum cum exercitu cæſus eſt.„ Eodem ſenſu Plinius Tacitusque *Pagi* voce utuntur. Sequanicæ Civitatis tres pagos fuiſſe inde concluderes, quod Arioviſto tertiam agri ſui partem reliquerant Sequani, mox alia quoque tertia parte ceſſuri. Prima autem, quam Arioviſto cum Germanis ſuis reliquerunt, ſuperior noſtra Alſatia fuit; altera, quam deinceps Arioviſtus pro Harudibus advenientibus petebat, fuit ſine dubio Burgundiæ, uti nunc appellatur, Comitatus illa pars, quæ Alſatiam tangit. Tertius Civitatis Sequanicæ pagus ergo fuerit tractus, qui ad Rhodani usque ſe extenderat ripam. Quodſi peculiarem pagum noſtri Sequano-Alſatæ compoſuerunt, peculiarem quoque Senatum eos conſtituiſſe neceſſe eſt. Rauracos autem, nobis vicinos, in clientela Sequanorum fuiſſe, vel inde conjiceres, quod non ſemel ſub Sequanis comprehenſi leguntur. Clientelam quum loquor, non ſtipendiariam Solduriorum, de qua ſuo loco, ſed honorariam, prouti Pariſii nempe in Senonum clientela fuerunt, intelligo. Mediomatrici, ad quos inferior pertinuit Alſatia, in quot pagos diviſi fuerint, nullum nobis ſuppetit conjectandi argumentum. Noſtros vero cis Vogeſum, tam altis montium jugis à reliqua Civitate diſtinctos, peculiarem quoque pagum conſtituiſſe, veriſimile eſt.

§. XXVI.

Oppida Alſatiæ Celticæ.

Sed jam Alſatia, ante Romanam Periodum, ſua num habuerit oppida, & quænam illa fuiſſe videantur, diſpiciendum. Apud Rhemos, Sequanis & Mediomatricis noſtris confines, Durocortorum & Bibrax oppida reperiuntur. Interiores Sequani Veſontionem, ut Mediomatrici Divodurum, capita utriusque Civitatis habuerunt. Noſtri exteriores ad Rhenum cur ſua quoque non habuerint oppida, quibus contra frequentiores Germanorum ſe inſultus defenderent? Helvetiam nobis vicinam, quæ CCXL. millia paſſuum in longum, CLXXX. in latum patuit, duodecim oppidis & quadringentis vicis inſtructam fuiſſe Cæsar (*m*) teſtatur. Alſatia, quæ nonniſi tertiam circiter longitudinis & nonam latitudinis Helvetiæ partem continet, minorem oppidorum numerum ſi habuit, nemo mirabitur. In Sequanica noſtræ Alſatiæ parte Gramatum, Larga, Olino, Arialbinnum, Cambes, Uruncæ, Briſiacum, Argentouaria; in Mediomatricenſi Helvetus, Argentoratus, Brocomagus, Saletio, vetera locorum nomina occurrunt, quæ ante Romanam Periodum jam viguiſſe videntur. Si Latinam terminationem his nominibus à Romanis additam tollas, ea incolis Gallis ita enuntiata fuerunt: *Grammat*, *Larg*, *Olin*, *Arialbinn*, *Cambs*, *Urunc*, *Briſac*, *Argentouar*, *Helvet*, *Argentorat*, *Brocmag*, *Salet*. Ex locis his quæ fuerint oppida, definitu difficile eſt. Claudius Ptolemæus, qui in Ægypto Geographiam ſuam ſeculo II. conſcripſit,

(*f*) De *Epiſcopis Argent.* pag. 7.
(*g*) Lib. II. pag. 129.
(*h*) *Bello Gall.* Lib. I. Cap. XII.
(*i*) Lib. VI. Cap. XI.
(*l*) *Epitom.* Lib. LXV.
(*m*) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. V.

conſcripſit, & nonniſi loca illuſtriora annotavit, Argentouariam ſolam ex ſuperiore Alſatia, (Ruſianam enim ſuam, quam Ruffacum noſtrum nonnulli eſſe crediderunt, in Nemetibus ponit, quum Ruffacum ſit in Sequanis, unde plures Ruſianam Ptolemæi ad Oppenheim referunt;) Helkebum vero, Breucomagum & Argentoratum ex inferiore, commemorat. Unde oppida hæc Ptolemæi jam ætate præ aliis floruiſſe concludimus.

§. XXVII.

Nomina oppidorum Celtica.

Gallicis his locis Romani dein, rerum in Alſatia potiti, ſua quoque oppida & munimenta addiderunt. Hunc in cenſum veniunt *Tabernæ* illæ, (quarum tres diverſas apud nos reperimus,) *Concordia*, *Tribuni*, nomina mere Romana, quæ hanc certe originem ſapiunt. Ad inferiorem Rhenum vero Confluentia, (*Coblentz*) Ara Ubiorum, (quæ *Bonna* ſecundum nonnullos,) Colonia Agrippina, (*Cölln*) Vetera, (*Santen*) Colonia Trajana, (*Kellen*) Trajectus Rheni; (*Utrecht*) quæ omnia loca ſunt Romanæ appellationis, adeoque poſt Celticam exſtructa Periodum. Romanis qui in Alſatia ſucceſſere Franci, ſua denique Teutonica nomina oppidis quoque & vicis, à ſe exſtructis, indiderunt. Unde triplex locorum Alſaticorum claſſis, ex triplici, quod apud Alſatas paulatim obtinuit, idiomate orta, quæ ipſa idiomatum diverſitas ex immutata dominatione ſemper prognata eſt. Itaque origo locorum ex indole atque natura nominis dijudicanda: uti à Celticis Anglo-Saxonica apud Britannos ſuos diſtinxit Camdenus, (*n*) qui ex *duno*, *briva*, *rito*, *duro*, *mago* compoſita ad Celtas retulit, quæ vero in *burrow*, *berry*, *ham*, *ſted*, *ford*, *thorp*, *wich* deſinunt, Anglo-Saxonibus adſcripſit, quippe quæ Germanorum terminationibus *burg*, *berg*, *heim*, *ſtadt*, *furdt*, *dorf*, *wic* perfecte reſpondent.

Gallica, quæ memoravimus, Alſatiæ loca, ſi omnia fuere oppida, copiam eorum in tam arcto ſpatio fortaſſe miraberis. Quodſi vero Helvetiæ & Alſatiæ ſitum comparare volueris, frequentiorem oppidis Alſatiæ oram mirari deſines, quod Helvetiam natura Rheno' montibusque munivit, adituque difficilem Germanis vicinis reddidit, quum oræ noſtræ planities aperta Rhenum ſolum defenſorem habuerit. Neque vero Gallica modo, quæ indicavimus, veterum Alſatiæ locorum nomina, ſed & hæc porro eorundem, Gallicæ originis indicia ſunt. Germanos adeo abhorruiſſe oppida, ut ne junctas quidem ſedes in vicis ſuis pati voluerint, teſtis eſt Tacitus, (*o*) qui, ſuam quemque domum ſpatio circumdare, moris apud Germanos fuiſſe obſervat. Unde muros Coloniæ captæ detrahendos exiſtimarunt, ut munimenta ſervitii; (*p*) addita ratione, quod fera animalia, ſi clauſa teneas, obliviſcantur virtutis. Celto-Galli vero oppidorum exſtruendorum morem Græcorum Coloniis, in Gallica Meridionali ora ſedentibus, addiſcere potuerunt; unde apud hos quoque, quam apud Belgas, oppida frequentiora reperias. Ita ſane Justinus: (*q*) " Ab his (Maſſilienſibus) Galli, & „ uſum vitæ cultioris, depoſita & manſuefacta barbaria, & agrorum cultus, & urbes „ mœnibus cingere didicerunt. „ Maſſilia autem, Phocenſium Græcorum Aſiaticorum Colonia, non ante annum CLXIV. Urb. Cond. deducta eſt. Hanc æram ergo nullam Alſatiæ noſtræ urbium antevertere veriſimile eſt. Quo tempore autem poſt æram hanc exſtructæ primitus fuerint Alſatiæ oppida, divinare non licet.

§. XXVIII.

Alia nomina locorum Celtica.

Neque vero Alſatas modo noſtros primis temporibus Celticæ originis & linguæ fuiſſe reputandum eſt. Omnis ripa Rheni occidua quum Gallica fuerit, nomina locis impoſita quoque Gallica fuerunt, quæ Germani, Rhenum tranſeuntes, quum certatim occupaſſent, non aboluerunt. Hinc in eadem Rheni ora nomina noſtris fere ſimilia paſſim reperimus; qualia ſunt: Noviomagus Nemetum, (*Speir*) Borbetomagus, (*Worms*) Maguntia, (quæ à Celtico vocabulo *Magus*, *habitatio* & fluviolo *Cia*, (*r*) quod oppidum perluit, nomen accepit;) Rigomagus, (*Rimagen*) Durnomagus, (vicus *Durmagen*) Noviomagus apud Batavos, (*Nimwegen*) Antenacum, (*Andernach*) Marcodurum, (*Duren*) Noveſium, (*Neuſs*) Gelduba, (vicus *Gelb*) Arenacum, (*Arnheim*) Batavodurum, (*Batenburg*) Lugdunum denique Batavorum. (*Leyden*) Nomina hæc communem omnino originem Gallicam redolent.

§. XXIX.

(*n*) *Britannia*, pag. 22.
(*o*) *Germani.* Cap. XVI.
(*p*) Tacit. *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. XXXIV.
(*q*) Lib. XLIII. Cap. IV.

(*r*) Variæ de etymologia vocis *Moguntiæ* Criticorum ſunt ſententiæ; nonnullis à Mœno (qui ſubinde *Mogonus*) & Cia fluminibus derivare placet. Nobis tamen altera præferenda videtur. Serarius *Rer. Mogunt.* Lib. I. Cap. IV.

§. XXIX.

Falſa quorundam Auctorum opinio.

Qui res tamen Alſaticas ante nos tractarunt, exteri domeſticique Scriptores, in eo conſenſere omnes, ut, quidquid in Alſatia locorum nominumque ſit, præter Romana, id omne nonniſi ex Teutonica antiquitate derivarent, Celticamque adeo omnem præterirent ſilentio; vel quod antiquitatum Gallicarum eſſent incurioſi, vel quod Celticas origines cum Germanicis pertinaciter confunderent; recepta imbuti ſententia, eas Germanis Gallisque fuiſſe communes; ita quidem, ut primario ad Germanos, ad Gallos vero nonniſi ſecundario, pertinuerint: adeoque, quum de Celtica lingua & originibus quæſtio, præcipuam rationem eſſe habendam Germaniæ, cujus incolas omnes Celtas veros fuiſſe, & genuina lingua Celtica uſos, extra omne dubium poount. Opinionem tam communem, tot Scriptoribus noſtrorum ſeculorum probatam, impugnabimus infra, ubi de Celtica Alſatiæ lingua primæva, & de proprio Celtarum ſitu, ſumus acturi. Verum enimvero non noſtræ Alſatiæ tantum, ſed & plerisque Helvetiæ vicinæ Scriptoribus, hæc inſedit opinio, qui, antiquitates & origines ſuas ex Teutoniſmo derivaturi, ſingulares ſæpe in medium proferunt vocum etymologias, ipſumque adeo *Helvetiorum* nomen à Theotiſcis vocabulis *Hell-vetter*, (conſanguinei orci) quod cum cæteris Gallis Dite patre ſe ortos jactarint, inexpectata ſane genealogia, derivant. (*s*) Quam confutans Melchior Goldastus, (*t*) *Hell-hueter* (orci cuſtodes) eos appellatos exiſtimat. Stumpfius autem, (*u*) & Jo. Henricus Hottingerus, (*x*) illorum opinionem præferunt, qui nomen ex *Held-vetter*, (Heroum conſanguinei) vel *Held-vatter*, (Heroum patres) compoſitum eſſe crediderunt. Eandem in claſſem referas *Amagetobriæ* vocis genealogiam, cujus urbis Sequano-Celticæ oomen ex Teutonico *Am getober*, ſeu *Kampfgetober*, quod *prælium* multo cum *furore* ibi initum fuerit, nonnulli derivant. Sunt, qui Olinonem noſtrum ab *Holl*, (latibulo) & *Loh*; (loco ſilveſtri) qui Cambetem à *Kampfs* (pugna) Uruncas ab *ureinzig*, quod *unicus* Alſatiæ ſuperioris locus ſive caput ejus fuerit; Argeotouariam denique ab *Erchentwehr*, quod *fortiſſimum propugnaculum* indicat, deducere fatagunt. (*y*) Omnibus conjecturis his facile inducitur ſpongia, ſi probe diſtinguantur tempora, quibus Celtæ, quibus Romani, quibus Franci, Alſatiam occuparunt; ſpeciatim ſuperiorem; quæ in Sequanorum poteſtate ad Francorum usque tempora manſit. Triboci enim inferiorem Mediomatricis jam ſub Julio Cæſare eripuerunt, nec à Romanis ejecti ſunt. Veriſimiliores vocis *Helvetii* origines reperies infra.

§. XXX.

Celtarum domos conſtruendi ratio.

Verum ad Celtica oppida, caſtra vel vicos, ex diverticulo redeundum. Rationem, qua domos conſtruxerint Celtæ, oos hanc edocet Strabo: (*z*) " E tabulis illæ „ cratibusque in ſpeciem cameræ vel tholi conſtruebantur, multa ſuperinjecta arundine; „ qui mos hodieque in multis Germaniæ villis, pauperioribus præſertim, obtinet, vel in illis etiam, ubi lateres & tegulæ difficilius reperiuntur. De antiquis Germanis Tacitus (*a*) ait: " Ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum uſus; „ materia ad omnia utuntur informi, & citra ſpeciem aut delectationem. „ Haud multo diſſimilis Alſatarum, Germanis vicinorum, ratio fuiſſe videtur. M. Vitruvius Pollio, Architectus Verooenſis, qui Auguſti Imperatoris ætate vixit, ubi de priſcorum hominum vita atque initiis tectorum agit, (*b*) hæc obſervat: " Primum furcis erectis & „ virgultis interpoſitis luto parietes texerunt. Alii luteas glebas areſacientes, ſtruebant „ parietes, materia eos jugumentantes, vitandoque imbres & æſtus tegebant arundi- „ nibus & fronde; poſtea, quoniam per hybernas tempeſtates tecta non poterant „ imbres ſuſtinere, faſtigia facientes, luto inducto, proclinatis tectis ſtillicidia deduce- „ bant. Hæc autem ex iis, quæ ſupra ſcriptæ ſunt, originibus inſtituta eſſe, poſſumus „ ſic animadvertere, quod ad hunc diem nationibus exteris ex his rebus ædificia con- „ ſtituuntur, ut in Gallia, Hiſpania, Luſitania, Aquitania, ſcandulis robuſteis aut ſtra- „ mentis. „ Cæsar quinto *Belli Gallici* ait, caſas in caſtris Q. Ciceronis, qui frater fuit M. Tullii, more Gallico ſtramentis fuiſſe textas. Idem de Britannis notat: " Oppidum „ Britanni vocant, quum ſilvas impeditas vallo atque foſſa munierunt, quo, incurſionis „ hoſtium vitandæ cauſa, convenire conſueverunt. „ (*c*) Simile quid idem Cæſar intellexit, quando Suevorum oppida quædam apud Germanos nominat. (*d*) Naturæ hujus & indolis

(*s*) Henr. Glareani conjectura hæc eſt, cui ut veræ & genuinæ ſubſcripſit Guillimannus *Rer. Helveticar.* Lib. I. Cap. I. pag. 6. nec refragatur Jo. Jacobus Hottingerus *Hiſt. Eccleſ. Helvet.* Tom. I. pag. 56.

(*t*) *Hiſtor. Regni Bohem.* Lib. I. Cap. II.

(*u*) *Chron. Helvet.* Lib. III. Cap. II.

(*x*) *Method. legendi Hiſtorias Helvet.* in Pentade Diſſert. pag. 202.

(*y*) Conjecturas has ſimilesque vide apud Ægid. Tschudium in *Delineatione Veteris Helvetiæ Mſ.* & apud Stumpfium in *Hiſt. Helvet.* Sprengium in *Commentario Rer. Rauracar.*

(*z*) Lib. IV. pag. 301. *Geographiæ* hæc verba leguntur: Τοὺς δ' οἴκους ἐκ σανίδων καὶ γέῤῥων ἔχουσι μεγάλους, θολοειδεῖς ὄροφον πολὺν ἐπιβάλλοντες. Verſio Latina male ita reddit: " Domos è tabulis & cratibus conſtruunt ro- „ tundas, magno impoſito faſtigio. „ Nihil horum in Græco, nec ratio ædificandi Gallorum fuit domos rotundas facere, illisque magna faſtigia imponere, ſed qualem nos ex ipſo Strabone expreſſimus.

(*a*) De *Mor. German.* Cap. XVI.

(*b*) Lib. II. Cap. I.

(*c*) Lib. V. Cap. XXI.

(*d*) Lib. IV. Cap. XIX.

indolis fere fuiſſe oppida veterum Gallorum ad Rhenum, adeoque & apud Alſato-Celtas atque Alſato-Belgas, veriſimile eſt, ita ut unum altero tamen munitius fuerit. Singula ordine, quo poſita fuiſſe videntur, enarrabimus paucis.

§. XXXI.

Gramatum. GRAMATUM. Locus hic, ſoli ITINERARIO ANTONINIANO (e) notus, inter Epamandaturum & Largam poſitus, ſi vere admittendus, in Sundgoviæ noſtræ finibus quæri debet. *Grem-a-ton Aquæ murmur* idiomate Celtico denotat; ſi nomen loci inde natum conjicere lubeat, nec linguæ nec temporis refragabitur ratio.

Larga. LARGA. Romani idiomatis locus, ſed & Celtici eſſe poteſt. ANTONINIANO ITINERARIO, (f) TABULÆque THEODOSIANÆ memoratus, inter Gramatum & Uruncas poſitus. Celticum ab *Argæ* voce deduceres, quæ *locum clauſum* vel *cinctum* notat, ut in Argentouaria docemus. Nomen integrum hodieque ſubſiſtit in villa ad rivum cognominem, haud procul à Phirreto, Sundgoviæ oppido.

Olino. OLINO. Et hic Galliæ Celticæ locus, in Sequanis exterioribus ſitus. Simile nomen veteris Callaicorum Lucenſium oppidi, *Olina*, (g) in Tarraconenſi Hiſpania, quæ etiam Celtica fuit. Sed & Celto-Galatiæ Lugdunenſis, ut CLAUDIUS PTOLEMÆUS eam appellat, rivus *Olina* (h) eſt, eidem Geographo (i) memoratus. Sola IMPERII OCCIDENTALIS NOTITIA, (l) ubi Notitia Ducis Provinciæ Sequanici, ejus facit mentionem; Ptolemæus, Itinerarium & Tabula locum ſilentio prætereunt. Si haud procul Baſilea, uti videtur, ſitus fuit locus, diceres ab *Olen* (*cubitus*) nomen derivandum, quod Rhenus inſignem ibi cubitum facit. Vel ab *Ol* & *lin.* (*retro flumen*) Nihil tamen definiri certo poteſt, tanto minus quum nec ſitus ſit omnino certus, quem RHENANUS (m) & GUIDO PANCIROLUS (n) in hodierno *Holt*, quod prope Baſileam ſitum, ſupereſſe exiſtimant; quibuscum conſentit DUNODUS. (o) Aſpirationes amaſſe olim Germanos, Francos præſertim noſtros, res notiſſima eſt. Locum inſignem fuiſſe neceſſe eſt, quum ſedes ibi Ducis Sequanici fuerit, quam ædificium magnificum, in Notitia expreſſum, repræſentat: ſed hæc ad Romanam Periodum pertinent.

§. XXXII.

Arialbinnum. ARIALBINNUM. *Itinerario* ANTONINI duobus in Itineribus memoratur. Primum de Pannoniis per Mediterranea loca, à Sirmio Treveros usque: (p) dein in Itinere per ripam Pannoniæ à Taurino in Gallias. (q) Utroque in loco meliores Codices habent *Arialbinum*, atque adeo pro vitioſis lectionibus reputandæ ſunt, quæ nobis *Atrialbinum*, *Artalbinnum*, *Arialbinum*, *Arialbinnon*, *Aſtalbinon* obtrudunt. Codices Regii ſeculi X. & XI. tribus in locis quidem habent *Artalbinnum*; Codex optimus vero, qui ſeculi IX. atque adeo antiquior cæteris eſt, conſtanter habet *Arialbinum*, cui duo alii ſeculi X. in prioris Itineris recenſione ſuffragantur. THEODOSIANA TABULA, ex cujus Authentico Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis oram Alſatiæ dabimus, æri inciſam, habet *Arialbinnum*, quam lectionem adoptamus. Nomen apud Sequano-Celtas noſtros ortum jure meritoque reputamus: nec deſunt profecto conjecturæ etymologicæ, ex lingua hac deſumptæ. Notum eſt, vocem *Penn* Celtis *altitudinem*, ſive *colles montes*que, denotaſſe, hinc Alpes *Penninæ*; unde *Penninum* Deum formârunt deinceps. *Ar* Celticum denotat *ſuper*; *Ael*, *Al*, *ſupercilium* vel *oram*, (r) atque adeo etymologiſta ſedulus inde facile locum vel oppidum *ſuper oram collis* poſitum eliciat. Ex Milliariorum, quæ in Itinerario indicantur, menſura ſuo loco docebimus, Arialbinnum ibi ſitum fuiſſe, ubi hodie vicus *Binningen*, Baſileæ vicinus. Veriſimilior certe hæc vocis nativitas eſt illa, quam ex Theotiſco deſumptam apud RUDOLPHUM WETSTENIUM (s) legimus, ubi Arialbinni origines ita exponit: “Ego verum nomen putaverim *Artalbinnum*, atque hoc abjecta, quod frequentiſſimum, adſpiratione, pro *Hart-halbinne*. „ Inter Auguſtam enim Rauracorum & Cambetem interjacet ſilva, cujus nomen adhuc „ hodie *die Hart*. Ingreſſus ejus prope Auguſtam eſt, exitus non procul à Cambete. „ Intermedio tractu videtur locus aliquis fuiſſe, qui vocaretur *Hart-halb-inne*, quod „ nunc diceremus *in der halben Hart*. Ubicunque autem præciſe fuerit locus ille, „ procul à Baſilea diſtare non potuit.„ Ingenioſa conjectura, niſi contra ipſum linguæ Teutonicæ genium peccaret, qui inverſum vocularum ordinem requirit. Germanus enim

(e) In *Itinere à Mediolano per Alpes Grajas Argentoratum*, pag. 349. Edit. Weſſeling.
(f) Loc. cit.
(g) PTOLEM. Lib. II. Cap. VI. pag. 43.
(h) Hodie *Orne*, in Normanniæ Ducatu; urbem *Argentanum* irrigat; unde originem loco & nomini ejus Celticam adſcribimus merito.
(i) PTOLEM. Lib. II. Cap. VIII. pag. 50.
(l) Pag. 135.
(m) *Rer. German.* Lib. I. pag. 14.
(n) *Commentar. in Notitiam Imp. Occident.* Cap. LXXXV.
(o) *Hiſtoire des Sequanois* Tom. I. pag. 30.
(p) *Itinerar.* pag. 238.
(q) Pag. 252.
(r) BOXHORNIUS in *Originibus Gallicis* voce *Ael*.
(s) *Diſſert. de Urſula & XI. M. Virgin.*

enim dixiſſet, *in der halben Hart*, ſive *halb in der Hart*. At præcipuum eſt, quod Wetſtenius apud Germanos ſibi quærendum eſſe cenſuit, quod in Celtica Sequanorum lingua, Germanis peregrina & Alſatis priſcis nativa, quærendum. Adde, quod nomen Arialbinni adſcripſit loco, cui non adſcribendum fuiſſet. *Binningen*, cui attribui locus hic debet, vicus in clivo ſitus eſt, at nunquam in medio ſaltus, qui *Hart* appellatur. Sic & ea concidit conjectura, quæ à radicibus Theotiſcis *Hartel Winn*, quibus *acquiſitio difficilis* denotatur, vocem derivat. Loco ſitus à diverſis aſſignatur diverſus. Sunt qui Mulhuſam, ſunt qui Baſileam ei aſſignant. Poſteriores, ut deinceps videbimus, non male omnino, quando ex Arialbinni ruinis exorta potuit eſſe Baſilienſium civitas. In vico *Binningen*, Baſileæ vicino & impoſito colli, ſitum Arialbinni libentius quam alibi quærerem, quod & ſignificatio vocis, collem deſignans, & diſtantia milliariorum, in eum coincidunt, quod de loco *Kleibe*, paulo infra Baſileam in planitie ſito, quem huc adducit Cluverius, non dixeris. Adde quod in Germanico Rheni latere ſedet.

§. XXXIII.

Uruncæ. Ita nominandi caſu vocem ſcribo, quæ, ob additas locorum inter ſe diſtantias & diſtantiarum menſuras, ablationis caſu in *Itinerario* ponitur, & quidem in optimis Mſſ. appellatione diverſa. Regii Codices meliores, à nobis inſpecti, habent *Uruncis*, *Urincis*, *Orincis*, quæ pro eadem lectione reputandæ. Sed & nonnulli habent *Utirencis*, *Utirenſis*, *Virincis*. Has inter lectiones *Uruncis* præferimus, quod melioribus probatur Codicibus. Nomen non Romanum, ſed Celticum eſt. Remota enim terminatione Latina, *Urun* vel *Orin*, quod remanet, locum *ſuper aquam* ſitum deſignat. *U* Celtis eſt præpoſitio *ſuper*; *run*, *rin*, *Aqua labens*; unde Rheni nominis origines quoque deducendas docuimus. Locum hunc Ptolemæus, ut minora omnia, ſilentio preſſit, illuſtriora tantum annotaſſe contentus. Præterit eum quoque Tabula Theodoſiana. Solum mentionem ejus facit duobus in Itineribus Antonini *Itinerarium*, primò Arialbinnum inter & Montem Briſiacum, (*t*) dein Largam inter & Montem Briſiacum; (*u*) adeoque haud dubie Alſatiæ Sequanicæ pars fuit. Philippus Cluverius (*x*) loci hujus ſitum in vico Briſgoviæ *Zunzen* num recte quæſiverit, quem alii in vico *Sirenz*, Simlerus in oppido *Enſisheim*, quærunt, in Alſatia Romana diſpiciemus. Uruncæ.

§. XXXIV.

Cambes vel Cambas apud Antoninum in *Itinerario* auferendi caſu legitur: uno in loco *Cambete*, (*y*) in alio *Cambate*. (*z*) Celticæ originis apud Sequanos Rhenenſes locus; cui æquivocum Hiſpania Tarraconenſis habet, *Cambetum* nempe, teſte Ptolemæo. (*a*) Nomen hoc cum aliis compoſitum dedit *Cambolectros* Narbonenſes, & *Cambolectros* Ageſinates, quorum utrique ſunt Gallici populi, Plinio (*b*) memorati: dedit *Cambodunum*, à Celtis ad Danubium Coloniis exſtructum, quod Strabo, (*c*) Ptolomæus, (*d*) & Antonini *Itinerarium*, (*e*) commemorant; ita tamen, ut Campodunum & Cambodunum ſcribatur, quod Vindeliciæ vel Rhætiæ oppidum reputatur. (*f*) Male ergo medii ævi Scriptores *Campidona* ſcripſerunt, conſona *b* in *p* converſa, qui uſus hodieque obtinet, ubi de oppido Campidona, & Abbatia ejuſdem nominis, ſermo eſt. Noſtrum *Cambetem* quod attinet, nomen ejus Celticum etiamnum ſubſiſtit, litera vocali poſteriore abſorpta. Diſtantia in Itinerario Antonini ſignata, nomenque ex tanta antiquitate tam conſtanter ſervatum, dubitare nos non ſinit, *Cambetem* veterum eſſe hodiernum *Kembs*. Nulla ex Celticis locorum Alſatiæ appellationibus nomen ſuum minus corruptum, ad noſtram usque diem, ſervavit. Repudiandæ ergo illorum Codicum lectiones, ceu corruptæ, qui nobis *Caribete*, *Cariabete*, produnt. *Cam* in idiomate Celtico ſignificavit *curvaturam*, *anteridem*, *paſſium*, (*g*) imo & *Caſtra*, forte & alia; *Campau* vero ludos apud Celtas denotavit. Ex ſignificationibus his, quænam in origine nominis loci *Cambes* formanda locum habuerit, liberum plane Lectori judicium eſto. (*h*) Cambes.

(*t*) In *Itinere à Taurino in Gallias ad Leg. XXX. per Ripam Pannoniæ* pag. 252.

(*u*) In *Itinere à Mediolano Argentoratum per Alpes Grajas* pag. 349.

(*x*) *Germaniæ Antiq.* Lib. III. Cap. IV. quem ſequitur Spenerus *Notitia Germ. Antiq.* Lib. IV. Cap. II.

(*y*) In *Itinere à Mediolano per Alpes Penninas Magontiacum* pag. 354.

(*z*) In *Itinere ab Andematunno Cambatem* pag. 386.

(*a*) *Geograph.* Lib. II. Cap. VI. nonnulli Codd. Mſſ. legunt *Camberium*, *Cambatum*.

(*b*) Lib. III. Cap. IV. & Lib. IV. Cap. IX.

(*c*) Lib. IV. *Geograph.*

(*d*) Lib. II. Cap. XIII.

(*e*) Pag. 468. Edit. Weſſeling.

(*f*) Petrus Apianus ad *Monachium*, Bavariæ Caput, locum hunc retulit: Aventinus ad *Bergen*, Velserus vero ad oppidum *Kempten*.

(*g*) Davies. *Lex. Cambro-Britann.* & ex eo Boxhornius *Orig. Gallicar.* pag. 14.

(*h*) *Camb-iſc* curvaturam aquæ vel fluminis denotat, Cambrica vel Celtica lingua. Quodſi Rhenus prope Cambetem curvaretur, atque directionem ſuam mutaret, uti apud Baſileam urbem id facit, etymologiam hanc cæteris præferendam eſſe nullus dubitarem. *Camp-peddyd* Caſtra peditum apud eosdem Britannos denotat, ſed vocabula hæc Romana ſuſpicor, quæ ſucceſſu temporis irrepſerint in Celticam.

§. XXXV.

Briſiacum.

Brisiacum. Sequanicæ adeoque & Celticæ originis locus & nomen eſt *Briſac*, cum terminatione Latina, uti ex *Maguntiac*, Maguntiacum, & in ſexcentis aliis locorum nominibus factum. Ptolemæus locum hunc in Geographia non annotavit, nec Tabula Theodoſiana, licet antiquiſſimus ſit, atque primis temporibus cis Rhenum ſive in Alſatia Sequanica poſitus fuerit, ut ſub Periodo Romana docebitur, Primam ejus mentionem reperio in Antonini *Itinerario*, (*i*) quod Uruncas inter atque Helvetum memorat *Montem Briſiacum.* Romani enim priſcæ appellationi *Montem* addiderunt. In Itinerarii Codicibus nonnullis *Mons Obriſiacus*, *Bliſiacus*, *Briaſagus*, corrupte ſcribitur. Veram ejus ſcriptionem definit *Lex Imperatoria* Valentiniani, Valentis & Gratiani, Auguſtorum ad Probum, Præfectum Prætorio Illyrici, Italiæ & Africæ, quæ data eſt III. Kalend. Sept. *Briſiaci*, (*l*) Valentiniano Nobiliſſimo Puero & Victore Coſſ. id eſt, Anno Chriſti CCCLXIX. Ceterum & hoc nomen Celticæ originis procul dubio eſt, ex *bris* & *ac* vel *ach*, quæ voculæ *rupturam aquæ* ſignificant, compoſitum & *Breg*, quod enuntiandum ut *Breſch*, quodque Cambro-Britannis adhuc in uſu eſt, imo credibile Gallicum *breche*, rupturam valli vel muri denotans, ex veteri quoque Celtico ſuum ortum habere. Conſentit lingua Aremorico-Britannica, quæ hodieque rupturas has *breich*, *briſq*, *brix* appellat, ut Gregorius de Rostrenen, (*m*) ipſe Gallo-Britannus, nos docet. Ad montem illum, cui Briſacum inſidet, adeo rumpitur Rhenus, ut diverſis temporibus à dextra & à ſiniſtra montem alluerit, ntrumque ejus latus complexus ſit, atque adeo eundem in inſula poſuerit. Opportune proferemus Georgium Buchananum, qui in *Hiſtoria Scotica* (*n*) ſimili modo vocem *Briſſac* exponit, niſi quod *ac* diminutionem indicare credat, quod nos *aquam* hic deſignare docuimus, uti in aliis oppidis ad Rhenum *Andernach*, *Bacherach*, *Arenach* id ſimiliter occurrit. « Apud Scotos (inquit ille) à *Drix*, quod *veprem* ſignificat, declinatur *Driſſac*, id eſt „ veprecula, & à *Brix*, quod *rupturam* indicat, *Brixac*, quod nunc Galli pronunciant *Briſſac.* Quod enim *Brix* Scotis dicitur, id Galli adhuc *Breſche* appellant, „ nullo diſcrimine in vocum ſignificatione. Scriptura ut diſcrepet, in cauſa eſt, quod „ veteres Scoti, & adhuc univerſi Hiſpani, *x* litera pro duplici *ſſ* utebantur. Itaque „ veteres Galli à *Brix* Cenomanorum oppidum *Brixiam* nominarunt, & à *Brixia* rurſus „ *Brixiacum*, quod vulgo Briſſacum. „ Quodſi Bruſcæ fluminis, prope Argentoratum Ello ſe jungentis, nomen vulgare *Bruſch* ex eodem fonte derivare lubeat, quum & illa haud procul ab oſtiis ſuis in diverſa brachia rumpatur, in conjectura hac nihil inconcinni reperias.

§. XXXVI.

Argentouaria.

Argentouaria. Prima loci hujus mentio apud Ptolemæum Geographum (*o*) occurrit, ſed eadem Ἀργεντουάρια in Rauricis ab eo male ponitur; ponenda in Sequanis. *Itinerarium* Antonini (*p*) & Tabula Theodosiana, nomen ejus Græco more, haud omiſſa nempe vocali *o*, *Argentouaria* ſcribunt. Conſentiunt in hoc optimi & vetuſtiſſimi Codices, ita tamen, ut in nonnullis *e* commutata in *a*, *Argantouaria* legatur, quod Blandinianus & Longolianus quoque faciunt, teſte Hieronymo Surita, Itinerarii Antonini editore. Codex ergo, qui *Argentoraria* habet, in loco hoc exprimendo manifeſte vitioſus eſt. Succeſſu temporis litera *o* ſublata, denique & *u*; unde corrupto nomine *Argentaria* dicta. Ita Ammianus Marcellinus & Aurelii Victoris *Epitome*, urbis hujus nomen in libris ſuis tradidere. Cum quibus *Notitiæ* quædam veteres Provinciarum & Civitatum Galliæ (*q*) conveniunt, ubi nunc *Civitas Argentarienſis*, nunc, & ſæpius quidem, *Caſtrum Argentarienſe* in Provincia Maxima Sequanorum, appellatur. Genuina ergo nominis orthographia eſt *Argentouaria.* Quæreres, an non litera *u* pronuntianda ſit, ut conſona, ut digamma Æolicum, uti nempe vocem pronuntiares, ſi *Argentoſaria* ſcriberetur? Militat pro hac ſententia, quod tres ſyllabæ priores videantur exprimi debere omnes & integræ, prouti in *Argentoratus* exprimuntur, ita ut literam *o* non abſorbeat vocalis ſequens, quæ conſonæ naturam induere poſſet.

§. XXXVII.

(*i*) In *Itinere à Mediolano Argentoratum per Alpes Grajas*, pag. 350.

(*l*) *Cod. Theodoſ.* Lib. VI. Tit. XXXV. Leg. VIII. pag. 242.

(*m*) *Dictionnaire François-Celtique* in voce *Breche* pag. 116.

(*n*) Lib. II. pag. 33.

(*o*) Lib. II. Cap. IX.

(*p*) *Iter à Mediolano Argentoratum* pag. 354.

(*q*) Apud Du Chesne *Scriptor. Rer. Franc.* Tom. I.

§. XXXVII.

Nomina oppidorum originis Celticæ.

Argentouaria & Argentoratus primo intuitu, ſonoque ſuo, Romanæ originis nomina videntur, idque profecto Alſaticarum Rerum Scriptores unanimi huc usque crediderunt conſenſu, quibus & nos olim acceſſimus. (*r*) At accurate rem conſideranti ſe manifeſtavit contrarium. Enimvero plurimorum per Galliam locorum nomina, ut *Argentomagus*, *Argentogilum* vel *Argantogilum*, ut & *Argentodiplum*, quæ Occitaniæ rivi cujusdam appellatio eſt, vocem *Argent* vel *Argant* Celticam, non Latinam nec Germanicam eſſe, ſatis demonſtrant; quod illa nonniſi apud veteres Celtas eorumque colonias, (quo urbs *Argenta* Galliæ Cis-Alpinæ pertinet,) reperiatur. *Mag* enim, quod in compoſito *Argentomagus*, item in *Borbetomagus*, *Rotomagus*, *Noviomagus*, *Brocomagus* &c. occurrit: *Gil* item, quod in *Argentogilum* ſimilibusque, ut *Antogilum*, *Bonogilum*, *Brogilum*, *Caſſenogilum*, *Cantogilum*, *Diogilum*, *Gargogilum*, *Nantogilum*, *Vernogilum* &c. reperimus, voculæ ſane Celticæ ſunt, quæ nonniſi cum Celticis vocibus componi potuerunt, ubi de nomine Gallicis oppidis, caſtris vel vicis imponendo agebatur. *Mag* habitationem, villam, oppidum denotat, & plerumque locorum majorum nominibus reperitur adjectum. (*s*) Voculæ *Gil* ſignificationem quidem nullibi reperio, id tamen obſervo, nonniſi loca minora eſſe, quæ in eam deſinunt. Unde ſi Celtici idiomatis voculæ hæ ſunt, uti profecto ſunt, *Argent*, quæ in *Argentomag* & *Argentogil* easdem præcedit, ejusdem originis eſſe credendum, niſi ex Latina partim, partim ex Celtica, diverſiſſimis linguis, hybridas has voces compoſitas velis, quod genio utriusque contrarium fuit. *Juliobona* & *Auguſtobona* huc trahi non poſſunt: propriis enim exteri populi nominibus unum ex appellativis noſtris facile addimus; uti apud Græcos Juliopolis, Trajanopolis, Conſtantinopolis &c. duas vero appellativas diverſarum linguarum voces vix jungimus. Unde Celticum *bon* nomen Julii Auguſtique nomini proprio à Gallis neceſſario addendum fuit, quum oppida hæc in eorum honorem vel extruerent vel amplificarent. Quodſi vox *Argent* in *Argentouaria* & *Argentoratus* viri cujusdam Romani propria fuiſſet, Celticæ appellationes *touar* & *rat* illi addi potuiſſent, ita ut inde non oriretur vox hybrida. At ſi appellativæ voci Latinæ *Argento* Celticas has addere volueris, exemplum compoſitionis alicujus fingeres, cujus vix ullum reperias alibi. Hadrianus Valesius (*t*) *Argento* & *gilum* Gallica quoque nomina credit, ſed ſignificationem eorum ſe ignorare profitetur; apud Aremoricos, vel apud Cambro-Britannos, ubi veteris idiomatis Celtici veſtigia ſuperſunt, quærendam arbitratus.

§ XXXVIII.

Argentouaria nomen Celticum.

Ratiocinium hoc de Argentomago & Argentogilo, ſi ad Argentouariam noſtram & Argentoratum applicueris, idem de illis ſerendum deprehendes judicium; utramque nimirum originis mere Celticæ eſſe, nihil in nominis utriusque compoſitione apud Romanos quærendum. *Argae* apud Celtas *locum clauſum* denotavit; *douar regionem*; quæ poſterior vox apud Aremoricos inferioris Britanniæ & apud Cambro-Britannos hodieque ſupereſt. Senſus opportunus hinc oritur, *locus clauſus regionis*, quod indicaret, jam ante Romanorum in Alſatia dominationem Argentouariam locum mœnibus clauſum fuiſſe. Si cui placuerit, vocem non ex duabus, ſed ex tribus ſimplicibus componere, eamque in *Ar-gen-tuar* reſolvere, ita ut villam vel oppidum *ad trajectum regionis* poſitum ſignificare poſſit, nec me refragantem profecto habiturus eſt, quando *ar ſuper* vel *ad*, apud Celtas denotaſſe, vel ſola *Armorica*, quæ *Ar-mor ad mare* regionem indigitavit, demonſtrat, ut de Arelato, Ariorica, Arauſione, Arenaco, Arduenna ſilva, ſileamus. (*u*) *Gen* vero apud Celtas deſignavit *trajectum*, ut Camoenus & Baxterus (*x*) obſervant, ita ut *Geneva*, *Genua*que, urbium Celticarum, nomina inde derivanda nemo facile dubitaverit. Plura forte hujus generis proferre poſſet divinationum etymologicarum ferax ingenium; nobis ſufficiat, *Argentouariæ* nominis origines minime apud Romanos eſſe quærendas, oſtendiſſe Lectori. Teutonica enim lingua ad vocem hanc formandam nihil afferre potuit, quando in omni ejus vocabulorum apparatu nihil, quod ad nominis Argentouariæ formationem pertinere poſſit, reperiatur. Quodſi Schilterus, aliique Teutonicarum antiquitatum ſtudioſi, qui Celtica apud Germanos quærenda crediderunt, de *Argentorati* voce aliquid in veteri Theotiſco reperiſſent, quo

vocabulum

(*r*) Vid. *Diſſertat.* noſtra *ſuper Monumentum Legionis Octavæ Aug.* in Commentar. Acad. Reg. Inſcript. Tom. X. pag. 457.

(*s*) Lancelotus in *Commentariis Acad. Regiæ Inſcript.* Tom. IX. pag. 129.

(*t*) *Notitia Gall.* in voce *Argentogilum* pag. 409.

(*u*) In his nominibus *Ar* potius præpoſitio eſt, quam nomen. In aliis ſubinde denotat *aquam*, ut in *Arar*, quod vetus Sauconæ (*Saone*) nomen eſt: item in *Arola* Helvetiæ flumine; in *Araweri* item, Galliæ Narbonenſis rivo.

(*x*) *Gloſſar.* in voce *Cento.*

vocabulum *Argent* opportune referretur, ad linguam Latinam profecto confugituri non fuerant. Sed ſupererat tertia lingua, ab illis duabus diverſa, Celtica nempe, unde origines iſtæ petendæ. Itaque nec illa etymologia locum habere poteſt, quæ Argentouariam à Germanico *Erchentwehr*, quod *fortiſſimum propugnaculum* indicat, ut modo vidimus, derivare conatur. Nec denique in nomine villæ Alſaticæ *Hercken* reliquias nominis Argentouariæ quæſiveris, quas ibi reperiſſe ſe ſibi perſuaſit ECKHARDUS. (*y*) Villam *Horburg* prope Colmariam hodie occupare locum, ubi vetus Argentouaria fuit, ſub Periodo Romana docebimus.

§. XXXIX.

Helvetus. HELVETUS. Primus hic, in Prima noſtra Periodo, Alſatiæ inferioris ſive Belgicæ locus occurrit, ſi cum Rheno deſcendas. *Itinerarium* ANTONINI (*z*) ter ejus facit mentionem. Antiquiores & optimi quique Codices, quos inter Regii noſtri omnes, HIERONYMO SURITÆ, PETRO WESSELINOIO, Itinerarii Editoribus, ignoti, *Helvetus* habent. Placuit tamen Suritæ ùbique *Elcebum* ponere. Weſſelingius vero Codicum, quos ipſe vidit, auctoritate recte ſubſtituit *Helvetum*. Regia Mſſ. ex nono decimoque ſeculo *Helveto* habent, vel *Elveto*, aſpiratione omiſſa, cum quo & illud antiquiſſimi Codicis *Eleuto* conſentit, quum manifeſtus ſit Librarii, duas literas vicinas transponentis, error. Lectiones hæ omnes ſpecie tantum variant, & pro *Helveto* ſtant, adeoque orthographia hæc illi, quæ apud CLAUDIUM PTOLEMÆUM (*a*) occurrit, Ἕλκηβος, merito debet præferri. (*b*) TABULA THEODOSIANA vero in alia omnia diſcedit, atque locum hunc appellat *Helellum*.

HADRIANUS VALESIUS (*c*) ergo, vetus & incorruptum loci nomen *Elcebum* eſſe, male ſibi perſuaſit, atque vetuſtos Itinerarii Libros Mſſ. heic fruſtra in auxilium vocat, quos Suritæ viſos fuiſſe tradit, ſed non tradit ex vero, quum ſcribit: „Hieronymus „ Surita in Æthici (Itinerarium Antoninianum intelligit) Codicibus modo Elcebum, „ modo Elvetum, ac etiam Helveto, ſcriptum reperiri obſervat. Ego enim de *Elcebi* lectione nihil in Notis apud Suritam reperio, eumque adeo in textu *Elcebum* prætuliſſe miror. Itaque ſola Ptolemæi auctoritate hæc denominatio nititur, quæ ipſa tamen non recte literis Latinis per *Elcebus* exprimitur, ſed exprimenda per *Helkebus*, quam Græcus Scriptor ex *Helvetus* facile procudere potuit. Ptolemæum vero, Antonini Itinerarium atque Tabulam Theodoſianam, unum eundemque locum diverſis his tribus nominibus *Helkebus*, *Helvetus*, *Helellus* deſignare, nihil eſt, quod dubitemus, tum ob vocum affinitatem & ſimilitudinem ſoni, tum ob locorum diſtantiam, ut in Alſatia Romana docebitur. Itinerarii lectionem vero cæteris præferendam exiſtimo, quod locorum denominatio Libri hujus concinnatoribus notior eſſe debuit, quam aliis, homini præſertim Græco, in Ægypto ſcribenti. Ex eo tamen diſcimus, vocem Romanis in maſculo genere pronuntiatam fuiſſe *Helvetus*, non Helvetum, quod ex Itinerario diſcere non licet, quum ob diſtantias locorum inter ſe earumque menſuras, quas ſemper indicat, in auferendi caſu nomina ſingula ponat, ut *Helveto*, *Argentorato*, *Arialbinno*, *Cambete*, *Urunciis*, &c. Quicquid horum fuerit, Latina indubie hæc terminatio fuit; qua abjecta remanet *Helvet*, vel *Helv*; quæ eo majori jure Celtica dico, quod communis hæc cum Helvetiis Celtis, vicinis noſtris, appellatio fuit. Sequani enim non minus ac Helvetii Celto-Galli fuerunt. Imo & commune hoc nomen cum Helviis, (*d*) Galliæ Narbonenſis populis, quos PLINIUS *Helvos*, STRABO *Elvos*, appellant; ubi ſane Celtica non Theotiſca vocis eſt quærenda origo. *Helu* autem Celtica lingua *venationem* denotare, docet nos in *Commentariis* ſuis *Hiſtoriæ Naturalis Occitaniæ* Cel. ASTRUC. (*e*) Helvii ergo atque Helvetii à venatione nomina ſua trahere potuerunt; potuit & *Helvetum* noſtrum Alſaticum à venatione vel venatoribus accepiſſe nomen; quando vicus *El* ad fluvium Ellum ſitus, qui hodieque nominis & loci priſci reliquias retinet, ob ſaltus vicinos, olim tamen viciniores, venationi aptiſſimus eſt, olimque longe aptior fuit, quum plena ſilvis ibi omnia eſſent. Sigebertum Dagoberti M. filium in ſaltu illo, ubi Ebersheimenſe Ordinis S. Benedicti Monaſterium deinceps exſtructum, quum venatus eſſet cum patre, dente apri periiſſe, Annales

(*y*) *Diſſert. de Apolline Granno* pag. 20. ubi ſcribit: „ Ex Argentaria Germanis vulgari pronuntiatione „ *Hercken* facillime fieri potuit, Latina terminatione „ ſolum dempta; quum illi olim aſpirationem amarent, „ & *a* vocalem, more Romano & Anglicano, ut *e* pronuntiarent, cujus rei vel mille exempla in promptu „ ſunt. Vici itaque hi, ad Illam prope oppidum „ S. Crucis conſtituti, in ruinis veteris Argentariæ „ ædificati fuiſſe videntur.

(*z*) I. In *Itinere à Taurino in Gallias*, pag. 252. II. In *Itinere à Mediolano Argentoratum per Alpes Grajas*, pag. 350. III. In *Itinere à Mediolano Moguntiacum per Alpes Penninas*, pag. 354.

(*a*) *Geograph.* Lib. II. Cap. IX.

(*b*) Confer ea, quæ ſupra jam hac de re annotavi, Lib. I. §. II. pag. 34. & §. VI. pag. 38.

(*c*) *Notitia Galliarum* in voce: *Helellus* pag. 242.

(*d*) Hodie *le Vivarais*.

(*e*) Part. III. Cap. I. pag. 334.

Annales quidam medii Ævi teſtantur. (*f*) Via publica ibi deviavit à Rheno, à quo vicus *El* duabus leucis Francicis diſtat. Ceterum vocula *Ael*, *El*, apud Celtas quum oram atque ſupercilium (*g*) denotarit, loco nomen inde natum fortaſſis crederes, quod ad fluminis oram poſitus fuerat. Flumen *Ell* ejusdem nominis fuit; utrumque tamen ab eadem radice ortum, non dicerem, multo minus fluvium à loco, aut verſa vice locum à fluvio, ſuam appellationem traxiſſe. Locum ex præcipuis Alſaticis hunc fuiſſe, vel exinde patet, quod apud Ptolemæum memoratur, qui nonniſi illuſtriora loca annotare conſuevit. Primus ergo, quantum novimus, locus hic fuit, qui ex agro noſtro Sequanico in Mediomatricenſem proficiſcentibus occurrit.

§. XL.

Argentoratus.

ARGENTORATI & Argentouariæ nominum fata fuerunt communia. Utriusque urbis origo ab Alſaticarum Rerum Scriptoribus ad Romanos refertur. JACOBUS KOENIGSHOVIUS (*h*) ſec. XV. metrum hoc de Argentorato allegat:

„ Creditur Argentum, ſi fas eſt dicere, nomen
„ Aſſignare loco, quia turba locatur in illo
„ Argentum retinens, quod plus eſt, congregat aurum.
„ Quidquid mundus amat, vel cœlum claudit herile,
„ Hoc quod Styx ambit, aër quod fovet vel adornat,
„ Argentina ſibi & emaci cuncta reſervat.
„ Aut quod Tyna fuit Albans ex ære reperta.
„ Ultima nam Turris argentea vaſa revelat.
„ Vel ſua nomina dat indicio, quando tributum
„ Perſolvit Romæ ſub certa lege dierum.

HIERONYMUS GEBVILERUS (*i*) vero, cui nomen Strasburgi altero antiquius viſum eſt, ita ſententiam ſuam exponit: " Romani, barbaro vocabulo Strasburgi relicto, hanc „ urbem ab argento, legionario militi illic expenſo, & Argentoratum & Argentariam „ noncuparunt, quo nomine & Argentinam dici vulgo putatur. „ FRANCISCUS IRENICUS (*k*) ſcribit: "Argentina, quaſi *Argentea tina*, nuncupatur, quia cenſus ibi colligebatur.„ SCHILTERUS (*l*) denique etymologiam vocis in *Argentariorum actus* reſolvit, actumque per officinam exponit, Argentariorum opificum fabricam Argentorati ſtabilitam fuiſſe arbitratus. Nata hinc Poëtarum juniorum *Argyropolis*, *Argyrope*, (*m*) & Teutonicum *Silberthal*, quod nomen ad tempora usque Ottonis M. geſſiſſe Argentoratum, perſuadere nobis voluit exterus Scriptor. (*n*)

§. XLI.

Argentoratus nomen Celticum.

Romanam ergo Argentorato originem indigenæ exterique Hiſtorici tribuerunt certatim. Verum enimvero, qoum probatum dederimus, *Argento* in voce *Argentouaria* Celticæ non Romanæ originis eſſe, idem nobis de *Argentorato* dicendum, cujus nominis priores tres ſyllabæ utrique voci communes: *rat* vero ſuum quoque Celtis debet exortum. Horum enim idiomate *Rat*, *Red*, *Ryd*, (*o*) *trajectum fluminis*, imo & *oſtia*, denotavit. Vocula hæc in *Ratomagi*, celeberrimi Galliæ ſeptentrionalis emporii, nominis, quod rectius Ratomagus quam Rotomagus ſcribitur, compoſitione occurrit, atqoe *oppidum ad trajectum* deſignat. Huc pertinet quoque *Ritomagus*, quod creditur eſſe *Ratepon*: *Anderitum*, Gabalorum caput olim. (*p*) Apud Aremoricos Galliæ Britones atque Normannos, nomen hoc viget hodieque. Apud illos *Ras Saint Mahé*, apud hos vero fretum, *Ras Blanchart*, qood & *Ras de Blanquet*, imo & *Ras de Gateville*, reperimus. Apud Vaſcones vero *Rat* fluminis nomen etiam nunc ſupereſt. Forte ipſa Franco-Gallica

(*f*) COCCIUS in *Dagoberto* Cap. XV. pag. 139.
(*g*) BOXHORNIUS in *Originibus Gallicis*.
(*h*) *Chron. Alſ.* Lat. Mſ. fol. 40. b. Vid. Ed. Germ. p. 599.
(*i*) *Panegyr. Carol.* pag. 23.
(*k*) *Exeget. Germaniæ* Lib. XI. pag. 369.
(*l*) *Obſervat.* XI. *ad Kœnigshovii Chron.* §. 12. pag. 600.
(*m*) Ita GUNTHERUS in *Ligurino* ſuo Veſontionem vocavit *Chryſopolim*, Auream urbem, quod & alii fecerunt. Cauſam tamen ignorat GILBERTUS COGNATUS in *Burgundiæ ſuperioris Deſcript.* pag. 10.
(*n*) JOHANNES CRAUUS, Presbyter in Motznig in *Tract. de Vitis Imperatorum è Domo Brunsvicenſi oriundorum*, apud MADERUM *Antiquitatum Brunsvic.* pag. 79. Item MART. CRUSIUS in *Annal. Suev.* in *Vita Ottonis*.
(*o*) In veteri Sueo-Gothica lingua, quæ Theotiſcæ dialectus fuit, *Rid* caſas & prædiola in ſilvis noviter exciſis denotavit, ut teſtatur VERELIUS in *Notis ad Hervarar Saga* Cap. X. pag. 115. Sed hæc etymologia, quum Germanica ſit, locum habere non poteſt in definienda origine nominis oppidi, quod a Celtis extructum.
(*p*) Hodie *Javous en Gevaudan*.

Gallica vox *Radeau* à veteri Celtica *Rat* ſuam quoque originem ducit, niſi à Latino *Ratis* derivare malueris. Quodſi ergo oominis *Argentorat* (*us* enim addita à Romanis terminatio eſt,) etymologiam deſignare lubeat, Celticis duabus *Ar-gen*, de quibus modo actum, vocula *rat* addita, *trajectum ſuper oſtia* Celtico nobis reddit idiomate; qui ſenſus nec inconcinnus nec inconveniens eſt, quando apud ipſam Argentoratum urbem Bruſcæ, Ello ſe jungentis, oſtia cernuntur; quo ipſo in loco potuit olim fuiſſe trajectus quidam, commodi publici cauſa, qui ædificiis ibi ſtruendis occaſiooem dederit, unde paulatim enatum eſt oppidum, quod Trajectuum ad Rhenum & ad Moſam urbium nos docent origines. Quodſi vero ex duobus tantum vocabulis ſimplicibus, *Arga* & *rat*, nomen compoſitum velis, ut ſupra de *Argentouar* quoque dictum, nec ſenſus inconcinnus hinc exoritur, *locus clauſus ad trajectum*, ſive oppidum ad trajectum. Atque hoc modo antiquiſſima duo ad Ellum Alſatiæ oppida fuiſſent *Argentouar* & *Argentorat*, illud apud Sequanos Rhenenſes, hoc apud Mediomatricos Rhenenſes, illud Celticæ, hoc Belgicæ Galliæ adſcriptum, atque hinc utrumque nec Germanicæ, nec Romanæ, ſed originis Gallicæ, ſive nomen ipſum, ſive conditores ejus reſpicias.

§. XLII.

Ellus an *Argent* vocatus?

Niſi vox *Argent* in plurium aliorum Galliæ interioris oppidorum nominibus occurreret, Elli fluminis noſtri propriam fuiſſe, & antiquiſſimam hanc appellationem fere crediðiſſem, ita ut Argentoratus Celtis *Trajectus Argent* vocata fuiſſet, ſicut Romani deinceps ſuos Trajectus ad Rhenum & ad Moſam appellarunt. Similitudinis quid habet nomen rivi Argentorato vicini *Ergers*, qui apud Gravenſtadium conjungitur Ello, ut & *Argitia*, *Ergenz*, quæ veterem Rauracorum Auguſtam alluit. Ipſa cognatio nominum ad hanc conjecturam nos invitare videtur. Joannes Georgius ab Eckhart (q) non dubitavit aſſerere, vetuſtiſſimum Elli nomen *Arga* fuiſſe, ex quo paulatim *Alga*, dein *Alla*, *Illa* denique, corrupta vulgi enuntiatione, provenerint. Verum rei probandæ, præter conjecturam ſuam, aliud quum non attulerit fundamentum, in etymologia vocis *Argent* definienda ampliandum reputamus; veriſimiliorem tamen ſententiam conſtanter cenſentes eam, quæ oon à proprio, ſed ab appellandi nomine, eandem derivat.

§. XLIII.

Aliorum de nomine Argentoratus ſententiæ.

Quod autem Eckharto quoque placuit, vocem *Argentoratus* in *Argen* & *toratus* diffindere, partemque poſteriorem à *toractus* deducere, quod uſu vulgari ex Latino *trajectus* paulatim ſit natum, in eo Doctiſſimum Virum omnino deſerimus; ad Latinas origines confugere incongruum reputantes, ubi de vocibus Celticis inſtituitur ſermo. Quodſi vero trajectus fundamentis oppidi jaciendis dedit occaſionem, ſimplicius eſt, Celticum *rat* in auxilium vocare, unde, addita terminatione Romana, natum eſt *ratus*, quod *Argento* additum vocem integram compoſuit, quam inde extorquere Latinam, & trajectum poſt longa itinera in *toratus* detorquere, quod fieri fere nequit, niſi invita Minerva. Verbo denique tangenda eſt D. Joh. Fischarti de originibus Argentoratenſibus conjectura ſingularis; (r) qui veterem Argentoratum ad Ergitiæ (*Ergers*) fluminis oſtia usque, ubi ſe prope Gravenſtadium in Ellum effundit, ſeſquileucæ diſtantia ab Argentorato, primitus ſe extendiſſe, credidit, indeque nomen ortum *Aergentraut*, quod deinceps in Argentoratum abierit. Verum ſomnia heic ſua nobis narrat Fiſchartus: urbs hæc primis ſuis temporibus eo loco, ubi nunc ſita, jam ſtetit. Seculo enim VIII. Adelbertus Alſatiæ Dux, S. Stephani Monaſterium in veteris Argentorati ruinis ſe exſtruxiſſe, profeſſus eſt. Si regeras, tantam urbis fuiſſe amplitudinem, ut ea ad Ergitiæ oſtia usque ſe extenderit, novis erroribus cumulabis errorem.

§. XLIV.

Argentoratus Stratburg vocatum.

Diſcimus hinc, Argentoratum ex duplici origine ſua, duplex quoque accepiſſe nomen. Celto-Galli, primi conditores ejus, Celticum ei nomen *Argentoras* impoſuerunt, atque tum arctioris circuitus fuit, nec multo major ſub ipſis Romanis. Franco-Germani, urbis ab Alemannis deſtructæ reſtauratores, novum & quidem Germanicum

dederunt

(q) *Diſſert. de Apolline Granno Mogouno*, pag. 22.

(r) Apud Bernhardum Herzog *Chron. Alſat.* Lib. III. Cap. III. & X. pagg. 7. & 24. Vid. etiam *Deſcriptio Particula Territoris Argentin.* pag. 21.

dederunt *Stratburg*, (*s*) caſtrum ad ſtratam, (*t*) ſive ad magnam illam & publicam viam, quæ Germanos in Galliam, aut Gallos in Germaniam, ducit. Argentoratenſes originis nominis ſui memores, inſignibus urbis viam inſeruerunt. Ab antiquiſſimis enim temporibus Argentoratus porta & vinculum quaſi commune fuit Gallos inter atque Germanos. Plures vias publicas Romanorum, quæ omnes ſtratæ fuerunt, illa jam ætate ad Argentoratum duxiſſe, *Itinerarium* ANTONINI nos docet. Viæ hæ, ſi non omnes, ſaltem ex parte, ſupereſſe potuerunt, quum in veteris Argentorati ruinis exſtrueretur Strateburgum. Si non ſuperfuerunt, vel ſi neglectæ jacuerunt, (ut apud Italos hodieque Flaminia, Appia, Caſſia, aliæque viæ, jacent neglectæ;) alias tamen Franci, novi Alſatiæ Domini, parari munirive juſſerunt. Verum etymologiis his nec pertinax inſiſto, nec lubens inhæreo; res tamen paucis tangenda erat, quod nulli Hiſtoricorum Alſatiæ juniorum memorata, qui *Argentorati* urbis nominisque origines ex Latio, aut ex Germania veteri, derivandas miro omnes conſenſu crediderunt; quod & ULRICO OBRECHTO atque SCHILTERO contigit. Ille enim in ſuo *Rerum Alſaticarum Prodromo* Celtica cum Germanicis aperte confudit; (*u*) quando Tribocis Celticas origines diſerte adſcribit, quos ortu ſuo Germanos fuiſſe res indubia eſt: quique ex Germania Rhenum tranſierunt, ut inter noſtros Alſatiæ inferioris Mediomatricos, qui Gallicus populus fuerunt, ſedes ſuas figerent. SCHILTERUS (*x*) vero Celticum & Germanicum idioma unum idemque fuiſſe, ſibi certo perſuaſit: opinio, quam multis cum aliis ille habuit communem, ut deinceps videbimus.

§. XLV.

BROCOMAGUS. Celticæ originis locus, ante Romanam dominationem in his locis conditus, id quod nomen ejus, Celticis ex voculis *Broc* & *mag* conflatum, demonſtrat. Apud CLAUDIUM PTOLEMÆUM Βρευκόμαγος *Breucomagus*: in ITINERARIO ANTONINIANO aliisque veteribus Monumentis *Brocomagus* ſcribitur. Præferenda autem lectio Latinorum Scriptorum: AMMIANUS MARCELLINUS certe, bellis Juliani Cæſaris Alſaticis quum interfuerit, nominis pronuntiationem ipſe præſens audivit. Fieri tamen facile potuit, ut vox ſeculo II. quo Ptolemæus vixit, paulo aliter pronuntiaretur, quam quarto, quo vixit Ammianus. *Bromagus* apud Helvetios fuit, Bibiſcum inter ac Minnodunum ab *Itinerario* ANTONINI poſitus, qui etiam in Mſſ. Codd. vocatur *Bramagus*, *Boromagus*, *Viromagus*, de quo CLUVERIUS (*y*) & Scriptores Helvetici. Noſter *Brocomagus* extra dubium eſt hodie vicus inſignis *Brumpt*, *Brumat*, tribus leucis Francicis diſtans Argentorato. Celtica olim lingua *Broc* & *Bruch* lutum ſignificarunt, unde paluſtribus locis nomen hoc merito tributum, quod de *Broburgo*, Morinorum oppido, VALESIUS (*z*) annotat. Vocula Celtica *Bro*, *Bre*, collem, montemve denotat ſubinde, imo & patriam, regionem, ut BAXTERUS (*a*) atque BOXHORNIUS (*b*) docent. Sed ex his ſenſibus nullus hic quadrat, quum è contra ſitus Brocomagi paludoſus hodieque Celticæ vocis ſignificationem determinet. *Mag* vero habitationem & majorem quidem deſignat, id eſt, oppidum vel vicum inſigniorem, ut *Gil* minorem habitationem denotavit. Unde ad credendum inducimur, ante Romanorum in Alſatiam adventum Brocomagum fuiſſe oppidum, à Mediomatricis Celtica ſub Periodo conditum.

Brocomagus.

§. XLVI.

NOVIENTUM. Hujus nominis locum inferiori ſive Gallo-Belgicæ Alſatiæ vindicare ſatagunt nonnulli ex medio ævo Rerum Alſaticarum Scriptores, antiquis ſilentibus. Ebersheimenſis Monaſterii *Charta antiqua* Monaſterium hoc vocant *Novientum*, quas inter prima eſt ex ſeculo X. *Ludovici Infantis*. Inter Hiſtoricos autem ANONYMO *Chronici Ebersheimenſis Monaſterii* Auctore antiquior, id facit, qui, Monaſterii illius Cœnobita, ſeculo XIII. Chronicon ſuum finivit, & *Topologiam Novientenſem* inſcripſit. Sunt, qui vocant *Novietum*. (*c*) Verba ejus ex Codice Mſ. coætaneo, qui in Monaſterio Ebersheimenſi aſſervatur, in medium producimus, quæ

Novientum.

 EDMUNDUS

(*s*) Ita nomen hoc primus ex Veteribus memoriæ reliquit GREGORIUS TURON. Lib. IX. Cap. XXXVI. & Lib. X. Cap. IX. ubi ait: "Qui ſtatim ad Argen„ toratenſem urbem, quam nunc Strateburgum vo„ cant, deductus &c.

(*t*) *Strat*, *Strat*, vox Latina à Germanis civitate donata, quæ *Stratam viam* denotat. Vocabulum *via* per ellipſin omiſſa. Inferiores Germani Latinam pronuntiationem retinent, *Strat*. Unde apud Franco-Gallos natum *Etrée*, apud Italos & Hiſpanos *Strada*. Nomen cum re ipſa à Romanis deſumſere Germani. Sternendi vias modus apud illos receptus, Germanis non modo, ſed & aliis nationibus, fuit ignotus. De origine vocis *Stras*, *Straſſe*, non diſſentiunt à me WACHTERUS, nec FRISCHIUS, in *Gloſſariis* ſuis *Teutonicis*.

(*u*) Vid. pag. 2. & 3. Adde *Diſſertationem* ejus *de Philoſophia Celtica* Num. 2.

(*x*) In *Gloſſario ſuo Teutonico* paſſim.

(*y*) *German. Antiq.* Lib. II. Cap. IV. pag. 16.

(*z*) *Notitia Galliarum* voce: *Broburgus* pag. 101.

(*a*) *In Gloſſario.*

(*b*) *Orig. Gall.* pag. 12.

(*c*) HERCULANUS PLEINFESINUS Cap. II. apud HUGONEM *Monument. ſacræ Antiquit.* ſed Scriptor eſt ſeculi XVI.

Edmundus Martene, (*d*) Chronici Editor, ut fabuloſa & ſuperflua omiſit. Verba Anonymi hæc ſunt : " Cum poſt multa temporum curricula tota Germania & idem
„ pagus à Romanis temporibus Julii Ceſaris ſubacta fuiſſet, Julius Deum terre placare
„ volens, Mercurium videlicet, qui à Deptonicis precipue colebatur, quoniam Deus
„ facundiæ dicebatur, unde etiam Greca etymologia Mercurius quaſi *Mercatorum Kirios*
„ vocatur, ſeu Theutates idem Theutonicorum Theus, quia id genus hominum
„ maxime eloquentie ſtudet, inſulam itaque ingreſſus, ipſum fanum jam vetuſtate
„ collapſum renovavit ac donariis honoravit, nomenque mutans *Novientum* nominavit.
„ Nam antiquitus à primo poſſeſſore *Stanenbruh* vocabatur, unde etiam actenus ſaltus
„ adjacens eo nomine nuncupatur. Deinde ad munimen Romani exercitus caſtella
„ in circuitu munivit; primum ſupra lacum ipſius Ille fluminis, quod Brunduſium
„ nominavit, ſed poſtea à Herolis renovatum & *Brannenbruc* eſt nominatum. Alterum
„ vero in ſaltu juxta villam, que *Hiltesheim* vocatur, conſtruxit, quod actenus *Ertburc*
„ vocatur. Tercium vero juxta villam *Cagenheim*, quod *Altenburc* dicitur. Quartum
„ nihilominus trans flumen juxta montana conſtruxit, ipſumque ab alto ſitu *Apicam*
„ nominavit. Horum itaque caſtrorum caſtellani, cum finitimis populis ipſius pagi
„ ſingulis menſibus ad fanum ſupra dicte inſule venientes, ſacrilegos ſacrificiorum ritus
„ cum ludis Zenicis celebrabant. Sed cum Julius Ceſar per decennium munificentia
„ & benignitate, atque honoribus, omnes Germanos magis quam bello, abſque omni
„ tributo Romano ſubdidiſſet imperio, & auxilio ipſorum Senones Gallos aliaſque
„ circumpoſitas nationes viciſſet, benignitatem & fidem ipſorum erga ſe in hoc
„ remuneravit, quod principes eorum Senatores, minores vero milites Romanos
„ appellavit & conſcripſit. Deinde cum Romam redire diſponeret, conventum in
„ Germania celebravit, omnibuſque valedicens, minores milites principibus commen-
„ davit, ut non quaſi ſervis ac famulis uterentur, ſed quaſi domini ac defenſores
„ miniſteria ipſorum reciperent. Inde accidit, quod preter nationes ceteras Germani
„ milites fiſcales Regni & miniſteriales Principum nuncupantur. „ Hæc Anonymus.

§. XLVII.

Variorum de hoc loco ſententiæ.

Beatus Rhenanus (*e*) prima narrationis hujus ipſe quoque refert, at dubius hæret, num fidem illis tribuat, an deneget. Poſtquam enim ab initio dixiſſet: " Hinc
„ fabulæ natæ: ſtetiſſe templum illic Mercurio ſacrum, in quod Julius Cæſar aliquando
„ ſit ingreſſus litaturus Deo, Novientum inſulam appellatam, ac D. Maternum, Apoſto-
„ lum Germanicarum Provinciarum, effigies ſuperſtitionis ethnicæ ſublatas illinc in
„ neſcio quam voraginem abjici juſſiſſe. „ Subjungit tandem: " Nec prorſus de nihilo eſt
„ ea fama; vidimus enim ipſi veſtigia antiquitatis illic in nemorum collibus, quos
„ vulgus à paganis adhuc cognominat. „ Jodocus Coccius (*f*) hac de re ita ſcribit:
" Aprimonaſterium hodie, inclyta ſecundum D. Benedicti leges familia, ſpectatiſſimum
„ eo loco, ubi quondam, Romanis rerum Dominis, veterum Tribocorum ſuperſtitione
„ infame *Novientum* ſteterat, ambitu ſuo comprehendit. „ Franciscus Irenicus (*g*) paulo aliter: " Novientum, Eberſteinmunſter, locus Alſatiæ, cujus ſitum in Odilia
„ noſtra deſcripſimus, &c. Julius, compoſitis Gallorum rebus, hic aras Mercurio con-
„ ſtruxit, quas S. Maternus diruit, & ita Novientum dictum eſt. „ Quod ſi Novienti nomen Materni demum temporibus ortum; ad Romanam Periodum illud referri deberet. Villa *Noviantus* inter Eccleſiæ Tullenſis bona in *Charta*, Wormatiæ An. DCCCXCIV. ab Arnulpho data, recenſetur; (*h*) ſed Leucorum, non Mediomatricorum, Novientus hic fuit. Licet ergo Novienti Alſatici mentionem ante ſeculum X. non inveniam, ex illo tamen antiquiorum monumentorum ſilentio, locum primæ antiquitati incognitum fuiſſe, inferre non licet. Nomen priſcum per traditionem & ora hominum ad medium ævum uſque tranſire, vel in monumentis conſignatum eſſe, potuit, quæ injuria temporum perierunt. Si Leuci *Noviantum* habuerunt, cur vicini eorum Mediomatrici quoque non habuerint ſuum? Celticæ autem originis vocem eſſe multa Galliæ loca docere nos poſſunt, quæ *Novigentum*, imo ſæpe litera *g* omiſſa *Novientum*, in antiquis Codicibus ſcripta reperiuntur. Talis locus eſt in Tricaſſibus, in Laudunenſi & Verticenſi pagis, alibique. (*i*)

§. XLVIII.

Munimentum Alſatiæ Celticæ.

Argumento de Celticis Alſatiæ oppidis & vicis accenſere forſitan licebit vetuſtiſſimi muri & munimenti reliquias, quæ in excelſis Vogeſi paſſim occurrunt. Odiliani montis murum memorabilem huc refero præſertim, quod ejuſdem fere ſtructuræ eſt, qualem

(*d*) *Theſaur. Anecdotor.* Tom. III. pag. 1125.
(*e*) *Rer. German.* Lib. III. pag. 286.
(*f*) In *Dagoberto* Cap. IV. pag. 26.
(*g*) *Exegeſeos Germaniæ* Lib. XII. pag. 404. Irenici de *Odilia* Liber, qui hic allegatur, nunquam lucem aſpexit.
(*h*) Benoit *Hiſtoire de Toul*, Documentor. pag. 10.
(*i*) Valesii *Notitia Galliar.* pag. 383.

qualem apud Aduaticos (*l*) olim fuiſſe Cæsar (*m*) recenſet, ubi ait: " Cunctis „ oppidis caſtellisque deſertis, ſua omnia in unum oppidum, egregie natura munitum, „ contulerunt; quod, quum ex omnibus in circuitu partibus altiſſimas rupes deſpectusque haberet, una ex parte leniter acclivis aditus in latitudinem non amplius „ ducentorum pedum relinquebatur: quem locum duplici altiſſimo muro munierant: „ tum magni ponderis ſaxa & præacutas trabes in muro collocabant. „ Vogeſianos veteres muros, hinc inde per ejus juga adhuc conſpicuos, deſcribi crederes. Nihil itaque vetat, quo minus de nonnullis eorum dicamus: Alſatas Celtas primum munimentis his dediſſe initium, quæ Romani dein continuarunt & fortiora reddiderunt.

FICTITII ALSATIÆ CELTICÆ POPULI.

§. XLIX.

GEnuinos Alſatiæ incolas & loca, quæ illi ſub Periodo Prima inhabitaverunt, huc uſque retulimus, ut Lectori, quantum in remota & obſcura antiquitate fieri poteſt, Topographicam illius ævi deſcriptionem poneremus ob oculos. Quum autem juniorum Scriptorum facilitas vel præcipitantia non ſemel Provinciæ noſtræ tribuerit, quæ non tribuenda fuiſſent; veritatis, cui ubique litare decrevimus, ratio à nobis exigit, ut ab Alſatia priſca populos illos removeamus, qui partem ejus nunquam conſtituerunt, ſed, vel ex locis Auctorum male intellectis, vel re non ſatis penſitata, augendæ hujus regionis famæ & gloriæ, eidem adſcripti ſunt falſo. Fictitii Alſatiæ Celticæ populi.

Scilicet Sundgoviæ noſtræ multorum calculis male attributi ſunt *Harudes* illi, à Julio Cæsare memorati, & ab eodem cum omnibus Arioviſtinis copiis auxiliisque Alſatia ejecti. Hos tamen Hiſtoricorum quorundam doctiſſimorum fictione in eam reductos comperimus. Faciunt hoc Ægidius Tschudius (*n*) & Franciscus Guillimannus; (*o*) quos duces alii paſſim lubentes ſequuntur. (*p*) Quum enim in Cæsaris *Belli Gallici* Hiſtoria *Harudes*, Germaniæ populum, Arioviſti temporibus Rhenum transiiſſe reperiant, noſtraque ætate apud Sundgovios, circa Enſishemium oppidum, ſilva *Hardt* notiſſima ſit, nulli dubitarunt inferre, veterum Harudum hoc in loco ſupereſſe veſtigia, gentisque hujus coloniam illo olim in loco reſediſſe. Harudes.

§. L.

Bona quidem fide huic conjecturæ ſuæ indulget Tſchudius, at malam Guillimannus ſubjunxit. Hic enim, ut eam veriſimiliorem redderet, Cæsarem, Strabonem, Conradum Urspergensem denique, ſeculi XIII. Scriptorem, advocat teſtes. Priores vero duo, quum nihil aliud de Harudibus proferant, quam quod Arioviſtum in Galliam ſecuti ſint, ex Conrado rem evidentiorem facere conſtituit, atque hæc verba ejus producit: " Eſt in confinio Alſatiæ caſtellum, vocabulo *Briſach*, de quo omnis adjacens „ pagus *Briſachowe* adpellatur, quod fertur olim fuiſſe illorum, qui *Harehogi* „ dicebantur. „ Nihil præter hæc habet Urſpergenſis. Guillimannus tamen hæc porro ei affingit: " Ita per tempus mutata nomina, ut qui olim Briſiaci in Sequanis dicebantur, „ nunc ad Germanos transierint: & qui in Germania *Harudes*, nunc in Sequanis „ *Harter*, teneant nomen. „ Vetuſtiora Conradini Chronici exempla contuli omnia. Primum, quod eſt Anni MDXV. & ſequens, Anni MDXXXVII. cæteraque quæ ſequuntur, nullumque poſtrema hæc verba continere deprehendi. Itaque à Guillimanno addita ex ingenio, non licet dubitare; qui, ut cauſæ ſuæ ſerviret, Hiſtorici ex ſeculo XIII. teſtimonium ſibi favens produxit, atque alios hinc in errorem abripuit; cui fini, non dixerim. Sed jam pridem Guillimanno objectum eſt, in allegandis veterum monumentorum locis eum non integra ſemper fide verſatum. Doctiſſimum Murenſis Cœnobii Abbatem, Dominicum Tschudium, (*q*) eadem de eo conquerentem audiamus: " Guillimannum præſtaret, (inquit,) aut Monaſterii noſtri Murenſis Archivum nunquam „ luſtraſſe, aut ea, quæ inde hauſerat, majori ſtudio, cura & fide, tractaſſe: nam, vel „ unico iſthoc tam pernicioſo errore, (*r*) parum abfuit, quin antiqua & authentica „ ſcripturarum Documenta, quibus ubique in ſuis Habsburgiacis utitur, & gloriatur, „ Viris doctis de veritate ſuſpecta redderet. Guillimanni ſententia.

(*l*) Ubi hodie Namurcenſis Comitatus.
(*m*) *De Bello Gallico* Lib. II. Cap. XXIX.
(*n*) *Helvetia Antiqua Delineatione Mſ.* pag. 166. ſq.
(*o*) *Habsburgiacor.* Lib. II. Cap. V.
(*p*) Laguille *Hiſt. d'Alſace* pag. 2.
(*q*) In Libro: *Origo Comitum de Habspurg ex Monumentis Murenſibus* pag. 97.
(*r*) Ubi nempe agitur de Wernheri Comitis de Habsburg filio, Ottonis nepote, quem Guillimannus vult fuiſſe Wernherum, Tſchudius vero Adelbertum.

§. LI.

Harudes in Galliam transeunt.

Ad Harudes redeundum. Hos quidem Arioviſti temporibus in Sequanicum Galliæ agrum ex Germania tranſiiſſe, res certa eſt. Sed & hoc certum, eos tranſiviſſe, poſtremos. Licet enim in enumeratione populorum Arioviſti ſociorum, & in ipſa acie, primi ab ipſo Cæsare ponantur, (s) ubi nempe Harudes, Marcomannos, Triboccos, Vangiones, Nemetes, Seduſios, Suevos, paribus intervallis conſtitutos enarrat, non minus tamen certum eſt, Harudes omnium horum populorum poſtremos in Alſatiam tranſiviſſe. His enim XXIV. millium numero, brevi ante decretoriam pugnam, Rhenum transeuntibus, nonniſi alteram tertiam agri Sequanici partem Arioviſtus deſtinaverat; ut Divitiacus Æduus in ſua ad Cæſarem Oratione (t) id docet. Exiguo itaque temporis ſpatio in Sequanico agro agitavere Harudes, & quum tertiam ejus partem priorem, Rheno vicinam, illi ſtatim occuparint, qui cum Arioviſto primi tranſierant, Marcomanni, Triboci &c. ut nimirum liber Germanis ſervaretur ex Gallia reditus; Harudibus, qui diu poſt transgreſſi ſunt, nonniſi illa pars tertia agri Sequanici aſſignari potuit, quæ interiorum Sequanorum fuerat, Æduiſque vicinior. Unde hos ipſos Æduos, legatis ad Cæſarem miſſis, conqueſtos legimus: “ quod Harudes, qui nuper in Galliam transportati eſſent, “ fines eorum popularentur. „ (u) Chifletius (x) &, qui eum ſecutus eſt, Dunodus, (y) Harudum nominis reliquias in loco *Monthardou*, ad oppidum *Pontarlier* ſito, inveniſſe ſe, eaque voce *Montem Harudum* deſignari, crediderunt; quibus ego tanto minus repugno, quod conjectura hac opinio noſtra firmatur: Harudes interiora Sequanorum, non exteriora noſtra, occupaſſe; omnis tamen eorum mora breviſſima fuit.

§. LII.

Harudum nulla ſedes in Alſatia fuit.

Enarrare hæc, refutare eſt Harudum in Alſatia ſedes, quippe qui non Alſatiæ noſtræ, à primis Arioviſti comitibus primo jam tranſitu occupatæ, agros occupare potuerant, ſed & in Sequanos poſtquam tranſiverant, cum reliquis omnibus Arioviſtinæ expeditionis populis, victi à Cæſare, atque ex omni Gallico agro pulſi ſunt, rejectique trans Rhenum, unde nuper advenerant. Conjectura à voce *Hard* petita, qua ſaltus ille Sundgoviæ denotatur, frivola plane eſt & nullius momenti, quod vox hæc Germanis vernacula ab antiquo jam *ſaltum* denotavit. (z) Harudes ergo Alſatiam noſtram, nec Celticam, nec Romanam, ullo modo reſpiciunt, quum mora ipſorum nonniſi tranſitoria fuerit. Gens hæc, quod tam diu poſt Arioviſti tranſitum Rhenum tranſivit, non ex vicinis Rheno gentibus, ſed ex remotis fuiſſe videtur. Abrahamus Ortelius (a) prope Conſtantiam eos habitaſſe conjicit. Cluverius, (b) poſt Marcomannos & Seduſios, ad Nariſcorum uſque regionem eos ſe extendiſſe, arbitratur. Hoc modo Franconiæ ac Palatinatus ſuperioris, ut & Noribergenſes agros, cum Sueviæ portione quadam, occupaſſent Harudes.

§. LIII.

Rhenani conjectura de Seduſiis.

Harudibus his, ſuperiori Alſatiæ male adſcriptis, ſuccedant *Seduſii*, quos plurimi inferiori attribuerunt Alſatiæ. Beatus Rhenanus (c) atque Sebastianus Munsterus (d) id faciunt, eoſque appellant *Sebuſios*. Hos, poſtquam cum Arioviſto Rhenum tranſierant, ſedes ad Lutharim poſuiſſe crediderunt. Ita enim Beatus Rhenanus: “ Dubium eſt, qui ſint Sebuſiani; ſatis apparet eos Brocomago Nemetibuſque vicinos “ eſſe, velut intermedios. Dicam quid ego ſentiam: Sebuſiani ſunt Wiſſenburgenſes: “ Nam Alemanni more ſuo Sebuſium priore ſyllaba ſpoliantes, & V. pro B. uſurpantes, “ jam habebant *Vuſium*; cui *Burgum* adjecerunt & factum eſt *Wiſimburgum*, quod “ hodie etymi iſtius ignari, quod ego primus profero, *Vuiſſenburgum* omnes “ appellitant, putaturque *Caſtrum album* ſignificari. Itaque Vuiſſenburgum eſt Sebuſium, “ ipſi cives & accolæ erunt Sebuſii & Sebuſiani, quemadmodum Marcellinus uſurpat. “ Hinc apparet apud Cæſarem libro primo *Commentariorum* non Seduſios legendum, “ ſed Sebuſios, ubi vulgata ſcriptura habet, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Seduſios, “ Suevos. „ Hæc Beatus Rhenanus. Seduſios Julium Cæsarem (e) memoraſſe reperio, ubi prœlium ſuum cum Arioviſto deſcribit: “ Tum demum, inquit, “ neceſſario Germani ſuas copias è caſtris eduxerunt, generatimque conſtituerunt, “ paribuſque intervallis, Harudes, Marcomannos, Triboccos, Vangiones, Nemetes, Seduſios,

(s) *De Bello Gall.* Lib. I. Cap. LI.
(t) Cæsar *de Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXXI.
(u) Cæsar ibid. Cap. XXXVII.
(x) *Veſontionis* Part. I. Cap. XXXV.
(y) *Hiſtoire des Sequanois* Tom. I. pag. 94.
(z) Vid. ea, quæ ſupra in *Conſpectu Alſatiæ* §. XI. pag. 8. de hac voce ſcripſimus.
(a) *Theſauro Geographico* voce *Harudes.*
(b) *German. Antiq.* Lib. III. Cap. III.
(c) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 324.
(d) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. 150. pag. 572.
(e) *De Bello Gall.* Lib. I. Cap. LI.

Seduſios, Suevos : omnemque aciem ſuam rhedis & carris circumdederunt, ne qua „ ſpes in fuga relinqueretur, &c. Rhenanus, locum hunc arbitratus corruptum, eumque, uti vidimus, corrigens, ipſe gravem in errorem incidit, aliosque ſecum abſtraxit. Ex Ammiano enim Marcellino (*f*) emendaturus Cæſarem, & ipſe Codice Ammiani corrupto uſus eſt, qui ita legit: " Audiens Argentoratum, Brocomagum, Tarbellos, „ Sebuſianos, & Nemetas, & Vangionas, & Magunciacum, civitates barbaros „ poſſidentes, territoria earum habitare, primam omnium Brocomagum occupavit. „ Meliores vero Codices, quos in Bibliotheca Regia & Sorbonica conſului, ita habent: *Audiens Argentoratum*, *Brocomagum*, *Tabernas*, *Saliſonem*, *Nemetas &c.* Unde Beati Rhenani Codex dupliciter peccat, quod pro Tabernis *Tarbellos*, pro Saliſone *Sebuſianos* ponit.

§. LIV.

Seduſiorum nulla ſedes in Alſatia fuit.

Omnis ergn de Sebuſiis, Sebuſianis & Sebuſii oppidi nomine, conjectura, & Cæſareanæ lectionis medela, à Rhenano tentata, concidit. Quæcunque autem lectio alteri præferatur, certum eſt, nec Seduſios, nec Sebuſios, nec Sebuſianos, ullo unquam tempore ullove loco in Alſatia ſedes fixiſſe. Venerunt aliis populis Germanis ſociati trans Rhenum cum Arioviſto, & diuturnum cum Æduis bellum geſſerunt, ipſis tandem Sequanis, adeoque & Alſatis, enrumque libertati, fatales. Sed Cæſar præſentiſſimum malo remedium attulit, atque Seduſios hos cum Marcomannis, Harudibus, Tribocis, Vangionibus & Suevis, ejecit. Triboci tum quoque ejecti ſunt, ſed poſtea redierunt, quod Seduſios feciſſe nullibi legimus. Adde quod nec Cæſar, nec ullus veterum dixit, in illa Arioviſtina irruptione Seduſios ſedes poſuiſſe ad Lutharim. Rhenani tamen, viri in orbe literato ſpectati, auctoritatem tam multi ſecuti ſunt, ut hodieque Weiſſenburgum ab Alſatis paſſim, (*g*) & communiter Latine, appelletur *Sebuſium*, quod Baudrandus, (*h*) Hofmannus, (*i*) Hanius, (*l*) Ursenson, (*m*) Knipschild, (*n*) Reusnerus, (*o*) Limnæus, (*p*) Otto, (*q*) aliique plurimi faciunt.

§. LV.

Verior de Seduſiis relatio.

Videmus hoc exemplo, quam facile naſcantur errores, quum viri gravis & docti auctoritate nituntur. Seguſianos ſuos Gallia habuit, Germania ſuos Seduſios. Sequania noſtra hos cum aliis Germanicis gentibus, Arinviſtum comitantibus, primo vidit ut ſocios, poſtea experta eſt hoſtes; denique illos cum Marcomannis, Harudibus, Tribocis, Vangionibus, Nemetibus, Suevis, à Cæſare profligatos conſpexit. Idem ſcilicet Seduſii cum reliquis popularibus fatum experti ſunt; nulla ex his gentibus tum in Alſatia perſiſtere potuit; Triboci enim ipſi tum qunque ejecti ſunt, & nonniſi aliquot annis poſt illud tempus redierunt, ſtabilemque in Alſatia ſedem fixerunt.

Seduſiis his in Germania ab occidente Rhenum, à meridie Nicrum ad Cochari confluentem, ab ortu Redonitium & Æſchium amnes, & à ſeptentrionibus Mœnum, ad Redonitium amnem confluentem, quibus finibus hodieque Palatinatus Rheni & Franconiæ partes ſternuntur, confidenter ſatis, more ſuo, aſſignat Cluverius. (*r*) Quicquid ſit, in ſua redierunt poſt cladem Arioviſtinam Seduſinrum reliquiæ, Marcomannorum & reliquorum ſociorum ſortem expertæ. Sunt qui Seduſins hos, cum Harudibus & Marcomannis, Arioviſto in Germania ſubjectos fuiſſe credunt, reliquos autem in numero ſociorum Arioviſti reputant.

§. LVI.

Tarbelli.

Neque vero Sebuſios modo ſuos nobis invita omni Hiſtoria obtruſit Rhenanus, obtrudit ille nnbis quoque *Tarbellos*. Tarbelli hi in eodem, quem modo excuſſimus, Ammiani loco corruptn, ſedem, & apud Beatum Rhenanum clientelam, invenerunt, qui eos in Alſatiæ inferioris regione, Sebuſiis ſuis vicina, collocavit. Recte omnino hi duo populi junguntur, quorum neuter Lutarim, Alſatiæ flumen, nec agnovit, nec vidit. Tarbellos ſuos Gallia Aquitanica habuit, ſed non Germania; unde nec ex Germania in Alſatiam tranſire potuerunt. Quodſi Beatus Rhenanus Ammiani Marcellini Hiſtoria, Romæ An. MCCCCLXXIV. edita, eo jam tempore uſus fuiſſet, quo ſuos *Rerum*

Germa-

(*f*) Lib. XVI. Cap. II.
(*g*) Bernhard Herzog in *Chron. Alſat.* Lib. X. Cap. I.
(*h*) *Geograph. Lexico*, voce: *Sebuſium.*
(*i*) *Lexico Hiſtor.* voce: *Sebuſiani.*
(*l*) *Deſcript. Landgraviatus Alſatiæ*, Germ. idiomate pag. 326.
(*m*) *Deſcript. Alſatiæ & Briſgoviæ*, ex Melacii *Geographia* deſumpta, Germ. ling. pag. 85.
(*n*) *Civitat. Imperial.* Lib. III. Cap. LVI.
(*o*) *De Urbibus Imperial.* Part. I. pag. 13.
(*p*) *Juris Publici* Lib. VII. Cap. LII.
(*q*) *Not. ad Beat. Rhenan.* pag. 616.
(*r*) *Germania Antiqua* Lib. III. Cap. III. pag. 7.

Germanicarum Libros conſcripſit, pro *Tarbellis* ſuis inveniſſet *Tabernas*, atque adeo incognitos hoſpites Belgicæ non obtruſiſſet Alſatiæ. Exemplum, quod Thomas Wolfius junior poſſederat, poſtea demum in Rhenani manus devenit; nunc in Bibliotheca mea extat, Wolfii & Rhenani obſervationibus margini additis.

§. LVII.

Caracates.

Præter Sebuſios, vel Seduſios & Tarbellos, incolam quoque populum alium; *Caracates* nempe, eidem Belgicæ noſtræ Alſatiæ adſcribit idem Beatus Rhenanus, (s) cui conſentiens eſt Hadrianus Valesius, (t) qui ipſam Argentoratum in Caracatibus ponit. Caracates hi velut ex terra prognati in lucem prodeunt; quippe qui unico, &, uti videtur, corrupto Taciti (u) loco, ſuam originem debent. Apud Tacitum legitur: "Tutor Treverorum copias, recenti Vangionum, Caracatium, & Tribocorum "delectu auctas, veterano pedite atque equite firmavit." Item paulo poſt: "Mox, "ubi duces exercituſque Romani propinquabant, honeſto transfugio rediere; ſecutis "Tribocis, Vangionibuſque & Caracatibus." Germanici & Batavici bellorum, cum Claudio Civili & Claſſico geſtorum, occaſione hæc narrat Tacitus. Præter hanc vero *Caracatium* mentionem, nec apud ullum Græcum Latinumve Scriptorem, nec in alio Monumento, Caracates reperio.

§. LVIII.

Variorum de Caracatibus ſententia.

Valesius eos Tribocis admiſcet; Cluverins (x) in duabus vocibus *Caracatium* & *Caracatibus* mendum eſſe putat; pro illis *Nemetum* & *Nemetibus* conjectura ſubſtituens. Aliam loco medicinam affert Jacobus Gronovius, (y) qui *Tabernatium* & *Tabernatibus* legendum ſuſpicatur. Theodorus Ryckius in Codicibus Mſſ. *Caracatium* & *Ceracatium* reperit; propius vero exiſtimans, *Caraſos* Cæsaris intelligi, qui, cum Eburonibus, Condruſis & Pæmanis, uno nomine Germani appellantur. (z) *Notitiæ Veteris Alſatiæ* Auctor (a) vocem ita emendat, ut Saræ fluminis accolas inde producat, atque adeo *Saracatium*, unius literæ mutatione, à Tacito ſcriptum fuiſſe conjectet. Cellarius (b) autem nihil plane in hoc negotio decidit. Nec ut nos de Caracatibus aliquid definiamus neceſſe eſt, qui argumentis non dubiis oſtendimus, præter Rauracos, Sequanos, Mediomatricos, quorum hi deinceps receperunt Tribocos, nullam aliam in Alſatiæ noſtræ finibus gentem reſediſſe. Non admittenda eſt enim conjectura Gronovii, qua *Tabernates* noſtros in Caracatium locum reponit. Oppidi exigui incolas, qui ipſi nonniſi exigua pars Tribocorum fuerunt, cur Tribocis ſubjungeret; aut quid hi ad bellum hoc grave conferre potuerunt? Valeſius vero Argentoratum quod in Caracatibus ponit, præcipitato id ſane judicio facit, quum in omni noſtro tractu ne minimus quidem locus huic genti relinquatur; quando Helvetus & Brocomagus in Tribocis fuerunt; Argentoratus autem ſita in medio. Beatus Rhenanus Argentorato eos aſſignare auſus non eſt, ſed in ſeptentrionalis Alſatiæ limite ponit prope Nemetes, nominiſque eorundem reliquias in *Drackenfelſia* arce deſtructa ſupereſſe contendit, quam Teutonica lingua *Caracatium* vel *Racatium rupem* fuiſſe appellatam ſibi perſuadet, Lectori ſuo nubem pro Junone oſtentans. Ex ſimilibus etymologiis, quæ duræ profecto, imo ne quidem veriſimiles ſunt, novos procudere populos, toti veterum Geographorum choro ignotos, ſeculi noſtri moris non eſt. Beati Rhenani ævo major in hiſtoricis conjectandi regnavit licentia; quam noſtræ ætatis rigor correxit.

§. LIX.

Dittatium.

Populis, qui Alſatiæ affícti ſunt, nunc oppidum ſubjungo, quod quorundam conjectandi audacia noſtræ quoque adſcripſit Alſatiæ. *Dittatnon* eſt, quod Tschudius, (c) Guillimannus (d) aliique, ad Sundgoviam retulerunt. Bertiana Cl. Ptolemæi editio Διδάττιον appellat; ſed Codices Mſſ. Bibliothecæ Regiæ, qui ſunt ſeculi XIV. habent Διττάτιον; ille, qui Michaelis Apoſtolii manu ſec. XV. deſcriptus eſt, cum nonnullis coætaneis Διττάσιον legit. Gradus κε. ϛ :: με. γο. (id eſt 25. 30 :: 45. 40.) qui adjecti ſunt, docent, locum ſupra confluentes Dubis & Araris poni debere. Gollutius (e) ad urbem Dolam eum ponendum exiſtimat. F. J. Dunonns (f) vero

(s) *Rer. German.* Lib. III. pag. 326.
(t) *Notitia Galliar.* pag. 42. quem ſequitur Laguille *Notice de l'ancienne Alſace.*
(u) Hiſtor. Lib. IV. Cap. LXX.
(x) *Germania Antiqua* Lib. II. Cap. 12.
(y) *Not. ad Taciti* locum cit.
(z) *De Bello Gall.* Lib. II. Cap. IV.
(a) Laguille *Notice de l'Ancienne Alſace.* pag. 9.
(b) *Geograph. Antiq.* Lib. II. Cap. III. pag. 303. ſqq.
(c) *Delineatio Helvetiæ Antiq. Mſ.* pag. 125.
(d) *Habsburgiacorum* Lib. II. Cap. VI. pag. 72.
(e) *Memoires Hiſtoriques de la Republique Sequanoiſe* Liv. II. Chap. XLIX. pag. 201.
(f) *Hiſtoire des Sequanois* Tom. I. p. 104.

vero, vel delendum ex Ptolemæo Dittatii nomen, vel *Διςάτιον* (*bina ſtatio*) legendum, conjicit. Quicquid horum eligas, proſcriptum ex Alſatia *Dittatium*, nec ſitus ejus examinare noſtri eſt fori. In errorem induxit Tſchudium & ejus ſequaces corrupta lectio, quam Ptolemæus, Argentorati impreſſus, ſuggeſſit; ubi locus hic *Diatannium* appellatur, quo in nomine oppidum *Tham* latere crediderunt. Quum vero gradus poſitionis ejus, à Ptolemæo ſignati, huc minime quadrent, Ptolemæus eis neceſſario poſtulandus erat erroris, quum ipſi potius negligentiæ poſtulandi fuiſſent, qui locum, Interpretum aut Typographorum incuria corruptum, opinioni ſuæ ſubſternentes fundamentum, neceſſario in errorem prolabi debuerunt, & revera prolapſi ſunt.

ALSATIÆ CELTO-BELGICÆ MORES.

§. LX.

TOpographia Alſatiæ Celticæ copioſe expoſita, ad Mores, Politiam, Religionem, Linguam & Geſta, veterum ejus incolarum transeundum. Sequani & Mediomatrici noſtri Alſatici pars Galliæ comatæ fuerunt. Capillus eis fuit promiſſus, flavi vel lutei, ut Germanis, coloris, quem arte ſtuduerunt augere. Barbæ modicæ hominibus ex vulgo: nobiliores lævigarunt genas, ita tamen, ut myſtaces demitterent, quibus os fere tegebatur. (*g*) Proceritatem corporis Gallorum in genere laudat DIODORUS (*h*) & CÆSAR; (*i*) hic, "Plerumque omnibus Gallis, (ait,) præ magnitudine „ corporum ſuorum, brevitas noſtra contemptui eſt. „ Diverſis in Alſatiæ locis oſſa molis majoris, An. MDCXVI. Kolbshemii, An. MDCCXXI. Argentorati alibique aliis temporibus effoſſa, Schedæ Alſaticarum Rerum manuſcriptæ teſtantur. Similia apud Sequanos reperta in *Veſontione* ſuo nos docet CHIFLETIUS. (*l*) Unde haud immerito quæras, priſci Alſatiæ incolæ num fuerint gigantes? Ut Galli Romanos (*m*) proceritate ſuperarunt, ita Gallos Germani. (*n*) Sequani noſtri id profeſſi ſunt olim, quum Romanorum exercitus Veſontionem veniſſet. Ita enim CÆSAR: (*o*) "Dum paucos „ dies ad Veſontionem, rei frumentariæ commeatusque cauſa, moratur Cæſar, ex „ percunctatione noſtrorum, vocibusque Gallorum ac mercatorum, qui ingenti „ magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute atque exercitatione in armis, „ eſſe prædicabant, ſæpenumero ſeſe cum iis congreſſos, ne vultum quidem, atque „ aciem oculorum, ferre potuiſſe; tantus ſubito timor omnem exercitum occupavit, ut „ non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret. „ QUINTILIANUS (*p*) Cimbros, qui etiam Germani erant, non minus animorum immanitate, quam corporum, ſuis belluis proximos eſſe, tradit memoriæ. Imò & ſeculo IV. FLAVIUS VEGETIUS (*q*) Germanos, non Gallos, à proceritate commendavit. "Quid adverſus „ Gallorum multitudinem, inquit, paucitas Romana valuiſſet? Quid adverſus Germa- „ norum proceritatem brevitas potuiſſet audere? „ FLORUS (*r*) Teutobochum, Regem Teutonum, à Mario victum, AMMIANUS (*s*) Chnodomarium, Alemannorum Regem, qui Alſatiam ſec. IV. invaſerat, eximiæ proceritatis viros memorant.

Celto-Alſatarum habitus corporis.

§. LXI.

Germanis corporum magnitudine ſimiles æſtimabantur Britanniæ Caledonii, de quibus TACITUS: (*t*) "Rutilæ Calidoniam habitantium comæ, & magni artus, „ Germanicam originem aſſeverant. „ STRABO (*u*) autem, Britannorum proceritatem extollens, illos nonniſi ſemipedem proceriſſimis Romanorum longiores ſibi viſos, teſtatur. Itaque nec Britannorum, nec Germanorum proceritas gigantea fuit, multo minus Gallorum, quippe quos minoris ſtaturæ fuiſſe quam Germanos oſtendimus. De ordinaria corporum magnitudine nationis nobis ſermo. Nulla enim facile gens eſt, quæ non homines extraordinariæ magnitudinis ſubinde produxerit. Ita nonnullorum ex Alſaticis Werdenſium, Rappoltſteinenſium, Hatſtadienſium, Waldnerorum aliorumque Illuſtrium familiis, procerioris ſtaturæ Heroum, mentionem ſubinde faciunt noſtri Annales.

Alſatæ priſci non fuere gigantes.

Athletica

(*g*) LIVIUS Lib. XXXVIII. DIODOR. SICUL. Lib. V. Cap. XXVIII. STRABO Lib. IV. VIRGIL. *Æneid.* Lib. VIII. *Aurea cæſaries ollis* &c.
(*h*) Loc. cit. pag. 305.
(*i*) *De Bello Gall.* Lib. II. Cap. XXX.
(*l*) Part. I. Cap. XLVII. pag. 198.
(*m*) Apud Romanos juſtam legendi tironis militisve ſtaturam quinque pedes cum ſeptem unciis uſualibus explevere, quantum ex VEGETIO Lib. I. Cap. V. & *Codice Theodoſiano* Leg. III. *De Tironibus* colligimus, collegitque CUJACIUS in *Obſervationibus* ſuis V. 21.
(*n*) CONRINGIUS *de Habitus Corporum Germanicorum antiqui & novi cauſis* Cap. II.
(*o*) *De Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXXIX.
(*p*) In *Declam.* III.
(*q*) *De Re milit.* in Præf.
(*r*) Lib. III. Cap. III.
(*s*) Lib. XVI. Cap. XII.
(*t*) In *Vita Agricolæ* Cap. XI.
(*u*) Lib. IV.

Digitized by Google

Athletica præteritorum ſeculorum vivendi ratio, & exercitia equeſtria, tractatio item quotidiana armorum, multum roboris corporibus addidit, quod temporis inſequentis inertia minuit. Oſſa vero illa, quæ gigantum creduntur, quæque manibus meis frequenter tractavi, partim ipſe in Muſeo aſſervo, poſt accuratum examen, non hominum, ſed pecudum, aut etiam belluarum marinarum, fuiſſe, vel ex maxillis dentibusque deprehendi.

§. LXII.

Probatio hujus ſententiæ.

Hæc ego pridem quum annotaſſem, in mea me confirmavit ſententia Jo. Christianus Kundmannus, Vratislavienſium Phyſicus, (x) qui, ex Carpathiis montibus, aliisque ex locis, plurima hujus generis oſſa dentesque quum accepiſſet, non hominis ſed bruti membra agnovit. Ejusmodi oſſa quoque An. MDCLXXXIIX. in Diœceſi Viterbienſi inventa, Romam transmiſſa quum eſſent, placuit Phyſicis Florentiam ſcribere, ut accurata ſceleti elephantis delineatio illis transmitteretur, transmiſſa docuit, oſſa, de quibus quæſitum, elephantina non humana fuiſſe. (y) Nec ad claſſem hanc referre dubito oſſa illa grandiora, quæ in Comitatu Williſau An. MDLXXVII. inventa, (z) in Lucernenſis urbis Prætorio curate ſervantur. Itaque diligenter cavendum à fabulis, quas nimia credulitas frequenter pro veris amplectitur. Sic gigantea Teutobochi oſſa, in Delphinatu quæ credebantur reperta, Claudius Peirescius eluſit, ut in *Vita* ejus teſtatur Gassendus. (a) Kircherus, in oſſibus & cadaveribus hujusmodi recenſendis diligens & copioſus, duos modos oſtendere conatus eſt, quibus in formandis illis uti poſſit natura. Primo intra montium hiatus, pro diſpoſitione concavitatis, intra quos marga gypſea, & in ſale nitroſo liquore ſuperaffuſa, & in lapidem converſa, tales efformare putat figuras, quas matrix exhibet. Secundo, per argilloſæ materiæ, gypſo & nitro mixtæ, devolutionem ex montibus factam ea gigni poſſe, ſibi perſuadet. Sed hæc Kirchero defendenda relinquo. Aliis viſum eſt, oſſa mortuorum vel in ſepulcris augeri, atque majorem in molem excreſcere poſſe. Quidquid horum ſit, de primis Alſatiæ incolis idem, quod de aliarum regionum civibus, ſtatuendum, naturam in procreandis illis ratione ſtaturæ à ſuis non defeciſſe viribus, progreſſu ſeculorum. Sarcophagi antiquiſſimi, qui ex Periodo Romana Francicaque apud nos ſuperſunt, nihil niſi ordinariam veterum Alſatarum proceritatem declarant. Staturoſi fuerunt, ut Auguſtini verbo utar, nequaquam gigantes. Seneca, Suetonius, Philo, gigantes extitiſſe negarunt. Theodorus Ryckius, in ſua *de Gigantibus Oratione*, ſummam hominum proceritatem ſex ſeptemve pedes nunquam exceſſiſſe, probavit. Hercules ipſe intra menſuram ſeptem pedum fuit, ut tradit Solinus.

§. LXIII.

Alſatarum veterum victus.

Ceterum incolis abundaſſe Alſatiam, agri ejus fertilitas dubitare non ſinit, quam Divitiacus Æduus in Oratione ad Cæſarem habita (b) jam extulit; ubi hanc agri Sequanici partem totius Galliæ optimam fuiſſe profeſſus eſt. De Victu Gallorum autem in genere Cæsar obſervat, ut Gallicus cum Germanorum agro non fuerit conferendus, ita nec conſuetudinem victus Germanorum eſſe comparandam cum Gallica, quod Galli meliore lautioreque uterentur. A Romanorum cultu tamen atque humanitate eo longius aberant Sequani noſtri, & Mediomatrici Alſatici, quo à Narbonenſi provincia remotiores fuerunt; ita ut mercatores Romani ad eos non importarent, quæ effeminandis animis inſervire potuerunt. (c) Unde vitæ cultioris ratio prius ad Sequanos, quam ad Mediomatricos pervenit, quod Romanorum Provinciæ illi eſſent propiores. Ex altera parte Alſatarum cum Germanis vicinia effecit, ut cultus antiqui & ſimplicis eſſent tenaciores. Unde quæ de Gallis veteribus generatim Trogus Pompejus (d) ſcribit: *Gens Gallorum aſpera* &c. ad veteres quoque Alſatas pertinet. Potus, ut apud Germanos, cerevifia, quam *Zythum* Galli appellabant; (e) unde hodieque nomen *Cidre, Sider*, apud Gallos Britannosque ſubſiſtit. Nullus vel rarus tum in Gallia vini proventus; (f) intenſe tamen vinum amarunt, quod illis ſubminiſtratum ab Italis.

§. LXIV.

(x) In Tractatu, cui titulus: *Rariora Naturæ & Artis* &c. Art. II. pag 23.

(y) *Miſcell. Nat. Curios.* Dec. II. An. VII. Obſ. 234.

(z) *Mund. ſubterran.* Lib. VIII. Sect. II. Cap. IV. pag. 58. Adde Cysatum in *Deſcriptione Lacus IV. Civitatum ſylveſtr.* Cap. XXII.

(a) Lib. III.

(b) De *Bello Gall.* Lib I. Cap. XXXI.

(c) Cæsar Lib. cit. Cap. I.

(d) Apud *Juſtin.* Lib. IV. Cap. IV.

(e) Diodor. Sicul.

(f) Diodor. Siculus Lib. V. Cap. XXVI. adde Athenæum ex Posidonio, qui, Gallos locupletes vinum ex Italia & Maſſilienſium regione accepiſſe, tradit; nullus ergo vini proventus in Gallia eo tempore fuit. Probus Imp. Gallis permiſit, ut vites plantarent, quod Vopiscus, Victor, Eutropiusque, teſtantur; unde Vini Alſatici & Rhenani quoque origo.

§. LXIV.

Veſtitus eorum pace belloque Tunica & Sago præſertim conſtabat. Togam enim advexere Romani. Braccæ, quas STRABO ἀναξυρίδας vocat, his in oris in uſu haud fuerunt: nonniſi Narbonenſis Gallia à Romanis appellabatur *Braccata*. DIODORUS quidem SICULUS (*g*) omnibus Gallis Trans-Alpinis videtur Braccas tribuere. Verum hac in re Romanis potius, quam Siculo credendum Scriptori. POMPONIUS MELA (*h*) autem & PLINIUS (*i*) ſolam Narbonenſem *Braccatæ* nomine inſignitam, diſertis verbis nos docent. Tunica, corpori non adſtricta, ſed laxior, varia omnino fuit, nunc longior, nunc brevior; rotunda vel quadrata, ſtriata vel ſimplex; nunc brevioribus, nunc longioribus manicis inſtructa. Glabronis cujusdam Galli imago ſemi-extans in Muſei noſtri Lapide antiquo occurrit, qui Generoſiſſimi Viri, FRIDERICI HENRICI BOCK à BLÆSHEIM, liberalitate, ex villa Alſatiæ Gerſtheim, quæ quinque leucis diſtat Argentorato, mihi allatus eſt. Glabro hic geſtat tunicam brevem, formæ quadratæ, nonniſi ad medium uſque tibiæ deſcendentem, atque brevioribus manicis, ad cubitum uſque ſe extendentibus, inſtructam. Siniſtra manu tenet marſupium, vel ſacculum, ejus generis, quem *Bulga* vocarunt Galli, ut auctor eſt *Verrius Flaccus*. Sacculi illi plerumque ſcortei fuerant. Ex collo ejus bulla pendet; aureos torques & brachialia geſtare amabant, ut POLYBIUS, DIODORUS & STRABO (*l*) teſtantur.

Veſtitus. — *Monum. Romanæ, Tab. I. n. 2.*

Quadratam aliam, ſed paulo longiorem, alveolisque ſtriatam, tunicam, quæ nimirum ad medium tibiæ uſque pertingit, duæ nobis Gallorum figuræ, quæ in Ferrati Montis ruderibus reperiuntur, exhibent, quas inter Monumenta illa expreſſimus. (*m*) Una totum lapidem occupat; vas aliquod, vel clavæ aut mallei militaris brevioris genus, (crumena certe, quod MONTEFALCONIUS putavit, non eſt,) manu dextra, ſiniſtra vero librum tenens, non chirothecam, quam tamen idem Montefalconius, & ex eo JACOBUS MARTINUS, (*n*) in Iconibus ſuis ita repræſentarunt explicueruntque. Monumentum ipſum, quum curate examinaſſem, librum vel chartam quadratam oblongam deprehendi. Tunicæ enſis Gallicus, mucrone deſtitutus, ejusdemque fere cum tunica longitudinis, ſuperimpoſitus eſt, quem, neſcio qua ratione inductus, crucem inverſam ex collo pendentem eſſe, ſibi perſuaſit Martinus. (*o*) Altera repræſentatur Gallus, ſuperadditum tunicæ ſagum ſive pallium laxum ſatis geſtans, manumque, quam libro imponit, è pallio exſerens. Huic à dextris eodem in lapide juncta eſt figura alia hominis, tunica ſtriata, rotunda, quæ ad pedes uſque deſcendit, induti, cujus tunicæ extremitas ornata eſt limbo, manica vero totum brachium tegit; dextra manus malleum tenet: cujus generis inſtrumenta, imo & vaſcula, ut corbulam, ciſtulam, cyathum, vel etiam ſchedam, librum, in manibus figurarum, quibus Galli vel Gallæ exprimuntur, plerumque deprehendimus; ut vetera Mediomatricorum monumenta apud MEURISSIUM, Madaurenſem Epiſcopum, in *Metenſis Epiſcopatus Hiſtoria* nos docent. (*p*) Tres has Ferrati Montis figuras, quibus abſciſſa ſunt capita, Sacerdotes Gallicos ſive Druides eſſe JACOBUS MARTINUS, à nobis modo memoratus, in ſuo de *Veterum Gallorum Religione* Libro (*q*) aſſerere ſategit; aſſerti tamen ſui rationem non attulit. Eo ſane tempore, quo Gallicæ Ferrati Montis imagines confectæ fuerunt, Imperatorum Conſtitutionibus ex omni Gallia Druidæ jam pridem fuerant proſcripti.

Tab. II. num. 1. — *Num. 2.*

Tegumentum capitis Gallicum inter Monumenta vetera nullum reperio. Lacinia ſagi contra tempeſtatum injurias ſe muniviſſe videntur, quod togæ ſuæ lacinia quoque fecerunt Romani. Tegumenta pedum quod attinet, huc pertinet *Gallica*, quæ calceamenti genus quoddam fuit apud Romanos, deſumptum à Gallis. Gallicam caligis, quæ tibias etiam texerunt, ſimilem fere fuiſſe, cum JULIO NIGRONIO (*r*) arbitror, non imas tantum calces plantarum, ut crepidæ & ſoleæ, texiſſe, quod ſtatuit BALDUINUS, (*s*) & GRÆVIUS. Gallica M. Antonium intempeſtive uſum eſſe annotat CICERO. (*t*)

I §. LXV.

(*g*) Lib. II. Cap. XXX.
(*h*) Lib. II. Cap. V.
(*i*) Lib. III. Cap. IV. ineunte.
(*l*) *Geograph.* Lib. IV. pag. 302.
(*m*) Conferatur quoque BERNHARDI DE MONTFAUCON *Antiquité Expliquée*. Tom. II. Part. II. pag. 418. Tab. CLXXXIIX.
(*n*) In Libro Gallice ſcripto, *Religion des Gaulois* Tom. I. *Liv* I. *Chap.* XXX. pag. 215.
(*o*) Loco cit. ſcribit: *De ſon col pend en guiſe de bulle une eſpece de croix renverſée, dont le pied eſt fort long.* Examinavi figuram, atque enſem Gallicum perfecte expreſſum deprehendi.
(*p*) Pag. 9. ſeqq. Adde MONTFAUCON *Antiq. Expliquée. Supplem.* Tom. III pag. 38.
(*q*) *Religion des Gaulois* Tom. I. *Liv.* I. *Chap.* XXX. pag. 215.
(*r*) De *Caliga Veterum* Cap. II. pag. 45.
(*s*) De *Calceo Antiquo* Cap. XIV. pag. 136.
(*t*) *Philippica* II. Cap. XXX. ubi non *caligis* ſed *gallicis* legendum AULUS GELLIUS jubet *Noct. Attic.* Lib. XIII. Cap. XXI. Ibid. videatur *Nota* Grævii.

§. LXV.

Veſtitus militaris. Veſtitus militaris Gallo-Alſaticus Tunica quoque fuit & Sagum. Sagum, quod tunicæ ſuperaddere ſæpe ſolebant, chlamydis, lacernæ aut pallii, ſpecies fuit, adeoque amiculum laneum atque apertum. VARRO inter operimenta peregrina, & ſpeciatim Gallica, ſagum recenſere videtur. (u) Sagum fibulis ſubnexum, ſub quo thorax ferreus atque hamatus erat, ut DIODORUS SICULUS tradit, qui Gallicam armaturam omnium diligentiſſime deſcripſit; (w) CÆSAR parcius; quum tamen per novennium fere cum ipſis his Gallis geſſerit bellum. Nonnulla POLYBIUS & LIVIUS ſuggerunt. Ex Diodoro patet, illis fuiſſe ſcutum ingens, ad ſtaturam corporis ſæpe accommodatum, quod Galli lingua patria *Thyreos* appellarunt, ut teſtantur idem Diodorus & Strabo; (unde Britanni etiam nunc lingua ſua *Tarian* nominant ſcutum,) Galeam item æneam, magnis cum appendicibus ad oſtentationem factis, in quibus avium, vel quadrupedum, facies expreſſæ. (x)

§. LXVI.

Arma. Gladius illis Spatha oblonga, ferreis æneisve ex catenis dextro à femore pendens oblique, cui Polybius Liviusque mucrones detrahunt; STRABO, (y) & JULIUS POLLUX, (z) Gallicum enſem vocant *Macheram.* Lancea denique, cuſpidem ferream, cubitus longitudine, præfixam habens. His adde *Geſum*, quod teli genus proprium Gallis, qui viros fortes hinc *Geſos* appellavere, ut docet nos SERVIUS. (a) Veterem hanc primævorum Alſatiæ militum Armaturam dum ego deſcribo, ſimul quoque vetus Monumentum Celtici ævi Alſaticum, quod, An. MDCCXXXVII. ex tenebris erutum, in Antiquaria ſupellectile mea aſſervo, quodque in Monumentorum
Tab. I. n. 4. Romanorum Tabula ſiſtitur, expono. Indutus eſt miles ille omni armatura Gallica, armorum ad defenſionem & ad offenſionem pertinentium. Habet nimirum Galeam inſignem, pinna longiore inſtructam, quæ animalis exprimit faciem; Clypeum majoris formæ rotundum; Lanceam prægrandem, Enſemque Gallicum, latum ſatis & longum, deſtitutum mucrone. Munitus eſt miles tunica ſtriata, quæ ad genua uſque deſcendit, & cincta eſt cingulo. Superadditum ſagum, quod humeros & pectus tegit, atque à tergo ad talos uſque pendet. Ad latus conſpicitur Vexillum, cum galli gallinacei imagine, quæ militem hunc non ſigniferum fuiſſe deſignat; (quomodo enim ille clypeum illum prægrandem & gravem una cum vexillo geſtare potuiſſet?) ſed vexillum eſt index cohortis vel turmæ, cui Lepontius ille miles adſcriptus fuerat. Hujus generis dracones & alia animalia perticæ impoſita vetus ille Arcus triumphalis Arauſicanus exhibet. (b) Figuram hanc Gallicæ nationis militem ſiſtere, reſiduum ex Inſcriptione gentis nomen *Lepontius* probat. Lepontios Galliæ Trans-Padanæ populum fuiſſe, ita ut ad ortum Orobios & Inſubres, ad ſeptentrionem Rhætos & Sedunos, ad occaſum Alpes & Salaſſos, & ad meridiem Libicos, habuerint vicinos, haud dubia res eſt. Multis carris, eſſedis, curribus, in bello utebantur Galli, ut CÆSAR (c) & DIODORUS SICULUS (d) tradunt. Carri hi à LUCANO (e) vocantur *Covini*, qui Belgis præſertim in uſu:

"Et docilis rector monſtrati Belga covini.

Covinum talem exhibet Monumentum, apud interiores Mediomatricos, in urbe Divoduro, Seculi XVI. initio repertum, quod MEURISSIUS (f) cum aliis æri incidi curavit. Covinus erat ſpecies eſſedi, ex quo pugnabant. Confirmat hoc POMP. MELA, (g) ubi de Britannis ait: "Dimicant bigis & curribus, Gallice armati; „ covinos vocant.„ Carri in caſtris & prœliis obtendebantur pro vallo. (h)

§. LXVII.

Virtus militaris. Militarem virtutem apud Celtas præcipue honorari, Ariſtoteles ſuis jam temporibus prodidit. CATO in *Originibus* (i) bellicam gloriam, & eloquentiæ laudem, apud Gallos floruiſſe nos docet. "Plerumque, ait, Gallia duas res induſtrioſiſſime

(u) VARRO de *Lingua Lat.* Lib. IV.
(w) *Bibliotheca* Lib. V. Cap. XXX. pag. 307.
(x) Legio Gallica, à Cæſare conſcripta, galeas alaudæ avis effigie ornatas habuit, unde ipſi Legioni datum nomen *Alaudæ.* SUETON. in *Jul. Caſ. Cap.* XXIV.
(y) *Geograph.* Lib. V.
(z) In *Onomaſtico.*
(a) *Ad Virgilii Æneid.* Lib. VIII. v. 662.
(b) MONTFAUCON *Antiq. Expliquée* Tom. IV. Part. I. *Liv.* VI. *Chap.* VIII. pag. 169. *Planche* 108.
(c) De *Bello Civil.* Lib. I. Cap. LI.
(d) Lib. V. Cap. XXIX.
(e) *Pharſal.* Lib. I. v. 426.
(f) *Hiſtoire des Eveques de Metz* pag. 9.
(g) *De ſitu Orb.* Lib. III. Cap. VI. adde *Schefferum* de *Re Vehiculari* Lib. II. Cap. XXII.
(h) CÆSAR Lib. I. Cap. XXVI. de *Bello Gall.*
(i) Lib. II. citatus à SOSIPATRE CHARISIO *Inſtitutionum Grammat.* Lib. II. apud PUTSCHIUM in *Grammaticorum Latinor. Corpore* pag. 181.

ſiſſime perſequitur, rem militarem & argute loqui. „ In hunc plane modum differit, ex antiquioribus qui ſua deſumſit, Hieronymus: (*l*) " Sola Gallia monſtra non „ habuit, ſed & viris ſemper fortiſſimis & eloquentiſſimis abundavit. „ Sallustii (*m*) dictum eſt, Gallos gloria belli ante Romanos fuiſſe, ut Græci eos ſuperarunt facundia. Inordinata bellandi cupido fecit, ut latrocinia apud eos & apud Germanos non haberent infamiam, modo extra fines civitatis cujusque fierent. (*n*). Sequanorum & Belgarum virtutem dum extulit Cæsar, (*o*) ſimul & extulit Alſatas, quod partim Sequani fuerint, partim Mediomatrici, quorum hi ad Belgas relati ſunt. Sed & vicinorum fortitudo bellicam virtutem veteris Alſatiæ non parum incendit. Circumdederunt eam Germani trans Rhenum, Gallico ſemper litori inſidiantes: à meridie Helvetii, à ſeptentrione Treviri, (*p*) gentes bellicoſæ. Itaque ad bella & prœlia facile eliciebantur, vicinosque elicuerunt. Valuerunt autem Sequani noſtri præſertim equitatu. Lucanus: (*q*)

" Optimus excuſſo Leucus Rhemusque lacerto,
" Optima gens flexis in gyrum *Sequana* frenis. „

Unde Sequanorum equites fuſos apud Tacitum (*r*) gloriatur Silius, Romani exercitus in Gallia ductor.

Equites circa ſe habuerunt *Ambactos* & clientes; (*s*) quales hodie ſunt Procerum vaſalli. Apud Aquitanos vero Clientum ſpecies fuit, qui appellati ſunt *Soldurii*, (*t*) qui Dominis ſuis magis erant devincti; quibus nimirum fata ſua, fortunam & vitam, omnino devoverant. Soldurii genus hominum, quibus ſimiles à Græcis *Συναποθνήσκοντας*, *commorientes*, appellati ſunt. Vocem à Germanico *Sold* (ſtipendium) deduxere nonnulli, quod ad Principis, cui ſe devoverant, vitam defendendam fuerint mercede conducti. Vocem *Soldener* huc referunt Cluverius (*u*) atque Martinius, (*x*) quæ etiamnum apud Argentoratenſes militis civitatenſis ſpecies eſt, atque *hominem ſtipendiarium* in Germanica lingua deſignat. Verum annotari velim, vocem hanc ex Celtica lingua derivandam eſſe, quando Adcantuannus, qui Soldoriorum horum ſexcentos habuit, Aquitanus profecto fuit, cujus gentis idioma à veteri Germanorum idiomate plane fuit diverſum. Veterum ergo noſtrorum Alſatarum Principes Equitesve aluiſſe Soldurios, haud aſſeruerim, quod mores eorum & conſuetudines ab Aquitanorum moribus paulo eſſent diverſi, ſuos tamen habere potuerunt *Ambactos*, quorum frequentior per omnem Galliam invaluerat uſus.

§. LXVIII.

Reliquos Majorum noſtrorum mores ſi examines, tribuitur illis, quod aperti, minimeque inſidioſi, ſimplices, non maligni, fuerint; Hirtio (*y*) Straboneque (*z*) teſtibus. Hinc factum, ut ab aliis facilius circumvenirentur, quum illi alios non circumvenirent, utque aperto potius marte pugnarent, quam dolo; ſtratagematum ignari, vi & audacia magis quam arte inſtructi. In colloquiis verborum parci, Laconiſmi ſtudioſi, rerum tamen ſuarum laudatores, contemptores aliorum, ut Diodorus (*a*) refert. Mobiles inſuper in conſiliis capiendis, (*b*) & ad res novas parati, adeoque factioſi. " In Gallia, inquit Cæsar, (*c*) non ſolum in omnibus civitatibus, atque „ pagis, partibusque, ſed pene etiam in ſingulis domibus, factiones ſunt: earumque „ factionum ſunt principes, qui ſummam auctoritatem eorum judicio habere exiſtimantur: „ quorum ad arbitrium judiciumque ſumma omnium rerum conſiliorumque redeat. „ Libertatis adeo tenaces, ut Sequani noſtri nec ſuperiorem, nec æquales potentia Æduos ferre potuerint; æmulatione hac ſua ipſis denique, & toti mox Galliæ, à Romanis ut jugum imponeretur, fecerunt. Sequani enim niſi Arioviſtum vocaſſent, Galliam ſubigendi Julio Cæſari non fuiſſet data occaſio. Avaritiæ eos uno in loco manifeſte Diodorus (*d*) accuſat, qui alibi miram illis hoſpitalitatem tribuit, ubi, Mores reliqui Alſatiæ Celticæ.

I 2 hoſpites

(*l*) *Adverſus Vigilantium.*
(*m*) De *Bello Catil.* Cap. LIII.
(*n*) Diodor. Sicul. loco cit. Petr. Ramus *de moribus veterum Gallor.* pag 16.
(*o*) Tacitus quoque *Hiſt.* Lib. IV. Cap. LXXVI. *Quidquid roboris apud Gallos, Belgas eſſe,* ſcribit.
(*p*) Quorum inter Gallos virtutis opinio ſingularis, teſte Cæsare de *Bello Gall.* Lib. II. Cap. XXIV. Pomp. Mela Lib. III. Cap. II. ait: *Belgarum clariſſimi ſunt Treviri.*
(*q*) *Pharſal.* Lib. I. v. 424. ſq.
(*r*) *Annal.* Lib. III. Cap. XLVI.
(*s*) Cæsar de *Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XV.
(*t*) Idem Lib. III. Cap. XXII.
(*u*) In *German. Antiq.* Lib. I. Cap. VIII.
(*x*) Martinius in *Lexico Philolog.* voce: *Soldurius*, cujus etymologiam alii non à *Sold*, ſed à *Sel*, *Sol*, *Sil*, (anima) & *duren*, (audere) Theotiſcis quoque vocibus derivant. Aliis placet deducere à *Sala*, id eſt *palatus Principis*, aliis à *Salt*, *Sale*, ſive *victu*; *dur* enim *ſacrum* atque *devotum* notat. Conjectura tamen veriſimilior eſt, quæ à *Sald*, *Sold*, (ſtataria pugna,) atque *Ur*, (vir) Celticis vocibus apud Britannos reſiduis, ubi *Sawdwyr* noſtris adhuc temporibus *militem* denotat, compoſitum hoc derivat. Baxter. *Gloſſar. Antiq. Brit.* pag. 219.
(*y*) De *Bello Afric.* Cap. LXXIII.
(*z*) Lib. IV.
(*a*) *Bibliothec.* Lib. V. Cap. XXXI. pag. 308.
(*b*) Cæsar de *Bello Gall.* Lib. IV. Cap. V.
(*c*) Ibidem Lib. VI. Cap. XI.
(*d*) Lib. V. Cap. XXVII. pag. 305.

hoſpites ab illis promiſcue ad convivia invitari, ſcribit, (*e*) quibus finitis demum ſciſcitari conſueverint, qui ſint, quidve ſuas in oras advenerint.

Galli combuſſerunt mortuos, teſte Diodoro, (*f*) quumqne animarum migrationem crederent, in funeratione mortuorum epiſtolas ad propinquos mortuos in rogos conjecerunt. Cæsar annotat, (*g*) funera eorum fuiſſe, pro cultu Gallorum, magnifica & ſumtuoſa, quæcunque vivis cordi fuiſſe arbitrabantur, eos intuliſſe in ignem, etiam animalia, imo ſervos olim atque clientes, quos dilexerant, qui juſtis funeribus una cremati fuerint.

§. LXIX.

Politia.

Univerſum Galliæ populum in tria genera diſtribuit Cæsar, *Druidum* ſcilicet, *Equitum* & *Plebis*; ubi Equites vocabulo civili magis quam militari ſumit. Plebs ſervorum loco habita, ut idem Cæſar refert, (*h*) quæ ordinario nou adhibebatur conſilio. (*i*) Itaque præcipua auctoritas fuit penes Druidas & Equites, id eſt, penes Nobilitatem. Nec Sequani enim, nec Mediomatrici, monarchice recti ſunt, ſed Magiſtratum annuum, ut videtur, qualem Ædui, quem *Vergobretum* (*l*) appellabant, habuerunt, qui vitæ necisque in ſuos habuit poteſtatem. (*m*) Talis Vergobretus fuit Divitiacus, ipſe quoque Druida, uti videtur, M. Ciceronis & Quinti, fratris ejus, imo & Cæſaris, totiusque Romanorum Senatus, amicus. Hinc Cæsar annuum hoc Vergobreti munus *Regiam poteſtatem*: (*n*) Theutomatum, Olloviconis filium, Nitiobrigum *Regem*: Florus (*o*) Vercingetorigem *Regem*, vocavit improprie, quod & Tacitus (*p*) fecit, ubi Julium Claſſicum, Trevirorum Equitum alæ Præfectum, *domo regia* fuiſſe, memoriæ prodidit. Impropriæ tamen hæ voces Christophorum Browerum, Trevirenſium Rerum gravem Scriptorem, (*q*) in errorem duxerunt. Ex potentioribus quidem nonnulli ſubinde artibus ſuis priucipatum converterunt in regnum. Fecit hoc apud Sequanos noſtros Catamantaledes, & ipſa Cæſaris ætate Caſticus, Catamantaledis filius. (*r*) Orgetorix, qui apud Helvetios Priucipatum tenuerat, atque populares ſuos, ut è terris ſuis emigrarent, induxerat, Caſtico perſuaſit: ut regnum, quod apud Sequanos pater uſurpaverat, apud populares ſuos occuparet; quod eo tempore tentavit Caſticus, quo Arioviſtus jam Alſaticos agros tenuerat. Experientia rerum ergo inductus Cerialis in Oratione ſua ad Gallos apud Tacitum (*s*) dixit: “ Regna bellaque per „ Gallias ſemper fuere, donec in noſtrum jus concederetis.

§. LXX.

Forma adminiſtrandi ſummam poteſtatem.

Forma ergo adminiſtrandi Rempublicam ordinaria Ariſtocratico-Democratica fuit: poteſtas penes Senatum majorem gentis; in ſummis vero rebus decernendis penes populum omnem, vel publicum totius Civitatis concilium. (*t*) Sic Alſatia noſtra trium diverſarum Galliæ Civitatum pars, Rauracorum uempe, Sequanorum, Mediomatricorum, trium quoque Senatuum majorum partem conſtituit, atque eorum recta fuit decretis. Ex forma, quam Civitatibus Galliæ Celticæ Belgicæque Julius Cæſar & ſequentes Imperatores victis illibatam reliquerunt, diſcimus, qualis illa temporibus Periodi Celticæ fuerit. Sed & apud Tacitum (*u*) Rhemenſis Senatus ſub Veſpaſiano Imp. generalem conventum Galliarum indixiſſe legitur: “ Remi per Gallias edixere, „ ut miſſis Legatis in commune conſultarent, libertas an pax placeret. „ Conventus hujusmodi generales plerarumque Galliæ civitatum noſtram hanc diſquiſitionem non reſpiciunt. Tacitus Imperator quum electus eſſet, Senatus Romanus ad Trevirenſes ita ſcripſit: “ Senatus ampliſſimus Curiæ Trevirorum. Ut eſtis liberi & ſemper fuiſtis, “ lætari vos credimus &c. „ (*x*) Ex quibus patet, Senatum primis temporibus eundem fuiſſe, qualis deinceps ſub Romanis perſtitit, quam libertatem Trevirenſium Civitas,

(*e*) Ibidem Cap. XXVIII. pag. 306.
(*f*) Loco cit.
(*g*) De *Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XIX.
(*h*) Lib. VI. Cap. XIII.
(*i*) Quanquam enim Liſcus apud Cæsarem Lib. I. Cap. XVII. *de B. G.* dicat: “ Eſſe nonnullos, quorum “ auctoritas apud plebem plurimum valeat, qui pri- “ vati plus poſſint, quam ipſi Magiſtratus; „ hoc tamen non ad regimen ordinarium pertinet.
(*l*) Teutonico ex nomine *Werckoberſt*, (Operariorum Princeps) vocem deducendam credit Browerus *Annal. Trevir. Proparaſceve* Cap. XII. pag. 32.
(*m*) Cæsar Lib. cit. Cap. XVI.
(*n*) Lib. VII. Cap. XXXII.
(*o*) Lib. III. Cap. X.
(*p*) *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LV.
(*q*) Loco cit.
(*r*) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. III.
(*s*) *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LXXIV.
(*t*) Concilium tamen diverſum ab eo, quod Cæsar Lib. V. Cap. LVI. *B. G. Armatum* appellat, quodque adeo mere bellicum & militare fuit. Ita enim loquitur: “ Indutiomarus armatum concilium indicit. “ Hoc, more Gallorum, eſt initium belli, quo, lege “ communi, omnes puberes armati convenire coguntur; “ &, qui ex iis noviſſimus venit, in conſpectu mul- “ titudinis omnibus cruciatibus affectus necatur. „ Tam bellicoſa jam fuit Gallia vetus.
(*u*) *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LXVII.
(*x*) Vopiscus in *Flor.* Cap. V.

civitas, colonia licet ſub Auguſto vel Tiberio facta, ſervavit. Quum ergo ſingulis civitatibus ſive populis Senatus, ex principibus gentis compoſitus, præfuerit, à tali Sequanicæ Civitatis Senatu ſuperior, à tali Mediomatricorum Gentis Senatu inferior, pependit Alſatia. Alter Veſontione, alter Durocortori, id eſt, in urbibus populorum ſuorum primariis, ſedebant; unde Curia Veſontina, Curia Sequanorum, Curia Durocortori vel Mediomatricorum, ad inſtar *Curiæ Vindoniſſenſis*, *Curiæ Treverorum*, uſitata eſſe debuit forma loquendi; cui titulus honoris tributus, *Splendidiſſimus Ordo*, *Sacratiſſimus Ordo*. Senatus hos majores cum hodiernis Statuum Provincialium conventibus, qui in Germania Galliaque paſſim obtinent, recte comparaveris. In oppidis vero ſecundariis fuit minor, vel municipalis Senatus, à majore pendens. Ita Larga, Arialbinnum, Cambes, Uruncæ, Briſiacum, Argentouaria, ad Veſontino-Sequanicum; Helvetus vero, Argentoratus, Brocomagus, Saletio, ad Divoduro-Mediomatricenſem, Senatum pertinuerunt. Ex minoribus his Senatibus ad publicum totius Civitatis conventum, vel ad Curiam, miſſi ſunt ex primoribus delecti, res tamen, quæ ad ſummam Reipublicæ pertinebant, in totius populi concilio extraordinario tractatæ fuerunt. Ita ſane CÆSAR (*y*) nos docet, ubi ait: " De Republica niſi per " concilium loqui non conceditur.

§. LXXI.

Nomen gentis urbi primariæ datum.

Conventus publici ordinarii totius Civitatis, in populi urbe primaria frequenter habiti, fecerunt, ut publico uſu urbi totius Civitatis nomen tribueretur paulatim. (*z*) Ita Veſontio & Divodurum tractu temporis appellatæ *Civitas Sequanorum*, (*a*) & *Civitas Mediomatricorum*, quod capita harum gentium fuerant. Nonnullæ cum priſco ſuo nomine ipſum quoque gentis, cui præfuerant, nomen paulatim induerunt. Sic Divodurum *Mediomatrici*, *Metis*, *Meta* appellatum, quod in aliis quoque, Belgicæ præſertim Galliæ, urbibus, imo & nonnullis, quæ Germanicæ originis, factum deprehendimus. Ita caput Nemetum, Nemidona; Trevirorum, Treviris; Lutetia, caput Pariſiorum, Pariſii; Agedincum, caput populi Senonum, Senones; (*Sens*) Sueſſionum, Sueſſio; (*Soiſſons*) Bellovacorum, Bellovaci; (*Beauvais*) Tungrorum, Tungri; (*Tongres*) Avaricum, urbs primaria Biturigum, Bituriges; (*Bourges*) Durocortorum denique, Rhemorum oppidum princeps, appellatum eſt Rhemi. JULIANUS IMP. de Lutetia ſcribit, Celtas ſive Gallos urbem vocare *Lutetiam*, quam AMMIANUS, coætaneus ejus, qui ſeptem annis in Gallia militavit, *Pariſios* vocat: manifeſto indicio, principi huic urbi, quod aliis, Belgicis præſertim, urbibus contigiſſe, ut priſco eorum nomini gentis ipſius nomen accederet, ita quidem, ut poſterius dein prius abſorpſerit. Seculo IV. uſum hunc per Galliam invaluiſſe conjicere licet. Veſontio autem, Sequanorum caput quum eſſet, nomen tamen gentis ſuæ nunquam in vulgari lingua accepit, ut, ſicut Lutetia Pariſii, ita Veſontio *Sequani*, vocaretur. (*b*) Adde quod Sequani noſtri exteriores, Vogeſum inter, Juram & Rhenum, habitantes, ab interioribus quaſi ſejuncti, majore libertate, quam interiores, ex frequentiore cum Germanis commercio uſi, peculiarem quaſi, in Republica Sequanorum, Rempublicam conſtituiſſe videntur. Ceterum Sequanos in exteriores, ſive citeriores, & in interiores conſtanter diſtinxi, & ſub illis Alſatas ſuperiores intellexi, JULII CÆSARIS imitatus exemplum; qui (*c*) Galliam omnem in citeriorem & interiorem diſtinxit; idemque in Mediomatricis faciendum exiſtimavi.

(*y*) De *Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XX.

(*z*) Oppidum, Urbs, Civitas, confunduntur ſæpe. Civitas tamen & totam gentis alicujus Rempublicam, & ſpecialius urbem, nonnunquam deſignat.

(*a*) Huc pertinet *Inſcriptio vetus* apud CHIFLETIUM *Veſont.* Part. I. Cap. XXIX. pag. 109.

JOVI O. M. Q. ADGINNIVS.
VRBIC. FIL. MARTINVS. SEQ.
SACERDOS ROMÆ ET AVG. AD
ARAM. AD CONFLVENTES ARARIS.
ET RHODANI. FLAMEN. II. VIR.
IN CIVITATE. SEQVANORVM.

(*b*) CHIFLETIUS tamen in *Veſontione* Part. I. Cap. VI. pag. 28. ſcribit: " Per *Civitatem Sequanorum* " non oppidum unum, aut urbem, apud Cæſarem " intelligi volunt aliqui, ſed totum Sequanorum " Imperium. Verum Sequani olim non tantum pro " gente ipſa, ſed etiam pro Veſontione uſurpati ſunt; " eo modo, quo Rauracos pro Baſilea, Mediomatricos " pro Divoduro Mediomatricorum, Treviros pro " Auguſta Trevirorum, Pariſios pro Lutetia Pariſiorum, " Morinos pro Tarüana Morinorum, Autores dixerunt, " ut annotavit RHENANUS Lib. III. *Rer. German.* in " *Baſilea*: atque ut ipſe Cæſar per Æduorum Civitatem Auguſtodunum intellexit, ita per Sequanorum " Civitatem Veſontionem notaſſe, veriſimile eſt. " Notitia Provinciarum Galliæ, in Lugdunenſi prima, " ſic habet: Civitas Æduorum, hoc eſt Auguſtodunum; " Civitas Arvernorum, Arverna, ita Civitas Sequanorum, cur non Veſontio?

(*c*) De *Bello Gall.* Lib. II. Cap. II.

RELIGIO ALSATIÆ SUB PERIODO CELTICA.

§. LXXII.

Theologia Alſatarum veterum.

IN primæva Alſatia floruit Philoſophia & Religio Celtica, cui Romani deinceps, rerum potiti, ſuam, ex pluribus mixtam, addiderunt. Nullum ex Celticiſmo Alſatico apud nos, nec lapideum, nec ex metallo, ſupereſſe Monumentum nemo mirabitur, qui Celticæ religionis diſciplinam perpenderit, quippe quæ nec templa, nec imagines, primis admiſit temporibus. Ex Græcorum autem Romanorumque contagio craſſior ille Polytheiſmus apud Gallos quoque paulatim invaluit, quem CÆSAR tam multis ſuperſtitionibus, contra quam CICERO vult, (*d*) auctum invenit, ut ſcriberet: (*e*) " Omnis Gallia religionibus admodum dedita fuit. „ Scilicet, ut nihil non temporis diuturnitate corrumpitur, ita Gallia priſcam Religionis indolem immutavit, paulatim, ſtatuas ſculpſit & finxit; unde majorum minorumque Deorum populus, Numinum topicorum ſeges, quos Deos *Municipes* MINUCIUS FELIX, (*f*) *Decuriones* TERTULLIANUS, (*g*) appellavit, apud eos paulatim exortus eſt; ita ut Religio Celtica, (*h*) ex minus impura, impuriſſima fieret. Gallis autem, perinde ut Græcis atque Romanis, triplex Theologia fuit, Phyſica, Mythica, Hiſtorica. (*i*) Primam Druidæ & Euhages vel Eubages, (*l*) tractarunt, (forte Σεμνόθεοι *Semnothei*, apud DIOGENEM LAERTIUM (*m*) appellati;) qui nempe de Deorum natura, voluntate & cultu, de animarum immortalitate & migratione, diſputabant, qui lucos conſecrabant, & cætera ſacrorum myſteria procurabant. Mythica vero atque Hiſtorica pertinebat ad Bardos, & fuit popularis illa Theologia, quæ in cultu Geniorum & Heroum, quos divinis honoribus venerabantur, conſiſtebat.

§. LXXIII.

Syncretiſmus Religionis Gallorum & Romanorum.

Ceterum diverſis nominibus Galli Romanique ſua quum ſignarent Numina, Romani, ſimilitudo quædam inter ſua & Gallica ubi apparuit, idem fere Numen, diverſis ſub nominibus cultum, crediderunt. (*n*) Hinc Eſus, Teutates, Belenus, Taranis, Arduinna, pro Jove, Mercurio, Apolline, Marte, Diana, interpretatione Romana, ſunt habiti, ut TACITUS, Germanorum Theologiam nos edocens, loquitur. (*o*) Hinc ſub Romana dominatione deinceps ſyncretiſmus quidam religionum, politico Romanorum arcano, exortus eſt; cujus illuſtria exempla nobis ſuppeditant venerandæ illæ ſtelæ, in majore Eccleſia Pariſienſi An. MDCCXL effoſſæ, quæ à *Pariſiacis nautis*, ſub *Tiberio Imperatore*, *Jovi Opt. Max.* dedicatæ, Celticorum & Romanorum Numinum nominumque mixturam ob oculos ponunt. In illis enim *Jovis*, *Volcanus*, *Caſtor*, *Pollux*, Romanorum, *Eſus*, *Cernunnos* aliique, Gallorum Dii junguntur. Apud Ambianos lapis, *Apollini* & *Verjugodumno*, (*p*) alius alibi *Dianæ Arduinnæ* dicatus, Romana Celticis numina ſociant. Sequani ergo ac Mediomatrici noſtri, inter ſexaginta quatuor Galliæ populos, poſt Æduos Arvernosque præcipui, & ipſi in veterem Theologiam ſuam Romani quid admiſerunt paulatim. Apud nos enim Mercurii, Beleni, ſive Apollinis, Granni, Mogouni, Caſtoris, Pollucis, Dearum Matrum, ſive Suleviûm, adeoque Celticæ religionis cum Romana mixtæ, veſtigia ſuperſunt. Ex ſyncretiſmo hoc nobis divinare licebit, qualis ſub Periodo Celtica veterum Alſatiæ incolarum eſſe potuerit Theologia, antequam Romana accederet. Ex omni enim illa Periodo, cujus tanta profunditas, nullum, ut dixi, per omnem Alſatiam Monumentum reperio quod religionis Celticæ puræ & genuinæ oſtendat reliquias: defectus,

(*d*) In *Orat. pro M. Fontejo* ſcribit: *Gallos minime ulla religione moveri.*

(*e*) De *Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XVI.

(*f*) In *Octavio* prope initium.

(*g*) *Ad Nationes* Lib. II. Cap. VIII.

(*h*) Gallorum Numina præter CÆSAREM nobis tradunt LUCANUS, AUSONIUS, LACTANTIUS, MINUTIUS FELIX.

(*i*) Unde Dii in naturales, fabuloſos & animales diviſi. Priores ſunt Sol, Apollo, Luna, Ignis, Terra &c. ſub figura humana repræſentati; poſteriores ſunt homines in cœlum relati. Huc ſine dubio pertinet Æduorum Deaſter *Moritaſgus*, cujus nominis quoque frater Cavarini, Senonum Regis, Cæſare in Gallia belligerante, memoratur, qui nomen ſuum à Topico Deo fortaſſe deſumſerat. CÆSAR *B. G.* Lib. V. Cap. LIV.

(*l*) De his AMMIANUS MARCELL. Lib. XV. Cap. IX. STRABO Lib. IV. recenſens Druidas & Bardos, illisque ſubjungens Οὐάτεις, *Vates*. Alter Scriptor ex altero emendandus eſt. Malim ego Strabonem ex Ammiano emendare, pro Romano barbarum, quam apud Ammianum pro barbaro Romanum, vocabulum ſubſtituere.

(*m*) In Procem. *de Vitis Philoſophorum*. Adde STEPHANUM *de Urbibus*, & SUIDAM.

(*n*) CÆSAR Lib. VI. Cap. XVII. ubi de Mercurio, Apolline, Marte, Jove & Minerva, cultis apud Gallos, loquitur, hæc addit: *De his eandem fere, quam reliquæ gentes, habent opinionem.*

(*o*) De *Mor. German.* Cap. XLIII.

(*p*) DU CANGE *Gloſſar. Mediæ Latinitatis.*

defectus, qui Alſatiæ cum omnibus Galliæ provinciis communis eſt. Adde, quod vix ulla apud veteres Celtas Numinum ſimulacra, vix templa extiterunt.

" Arboribus ſuus honos ineſt . . . .
" . . . Simulacraque mœſta Deorum
" Arte carent, cæſisque extant informia truncis.

Item:

" . . . Non vulgatis ſacrata figuris
" Numina ſic metuunt.

inquit LUCANUS. (*q*) Hujus generis apud Orientales antiquiſſimos fuere quoque rudes & informes lapides. *Venus Paphia* nonniſi continuus orbis erat, latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exſurgens, ut TACITUS (*r*) ſcribit. Itaque arbores & truncos informes pro ſimulacris Deorum primitus Celtæ habuerunt. (*s*) Græcorum vero Maſſilienſium & Romanorum Narbonenſis Galliæ vicinia apud reliquos Gallos imagines, arte meliore exſculptas, introduxit pedetentim, in quibus tamen rude quid, vel ſingulare, & à Græca Romanaque Theologia diſtinctum, reperimus, quod vel Hercules noſtri Argentoratenſes, & ſexu carentes, quæ paſſim in Vogeſo noſtro ſuperſunt, ubertim demonſtrant.

§. LXXIV.

Numina Topica Alſatiæ.

Majores noſtros Topica quædam, ſive propria, aut tutelaria Numina, ad aliarum Civitatum exemplum, coluiſſe, vix licet dubitare. Apud Æduos, Sequanis noſtris vicinos, Deus *Moritaſgus*, (*t*) apud Mediomatricos vero Hercules *Saxanus*, apud Colonienſes Deus *Bacurdus*, (*v*) alibi ad Rhenum inferiorem *Sylcianus*, *Ollutius*, *Duſius*, *Circius*, aliique magno numero topici Dii; imo & Deæ locales, *Malviſæ*, *Rumanehæ*, *Vacallinehæ*, *Aſericinehæ*, *Hamanehæ*; *Arduina* item, *Beliſana*, *Hariaſa*, *Tanſana*, *Nehalenia*, (*x*) apud Belgas noſtros paſſim innotuerunt; ut apud Helvetios vicinos *Dea Aventia*. (*y*) Alſaticum hujus generis topicum Numen ex Monumentis noſtris huc uſque eruere non potui. Qui enim in ſcenam producitur *Krutzmannus*, quem in veteri Argentorato ſpecialiter cultum fuiſſe juniores Rerum Alſaticarum Scriptores tradunt, accurata lance perpenſus, nomen hoc ſuum amittit. Ab illis autem, mediæ & recentioris ætatis Scriptoribus, diligenter cavendum, qui id ſibi negotii datum crediderunt, ut vagis & incertis paſſim jactata rumoribus Chronicis ſuis indiſtincte infererent, de teſtium conditione & auctoritate parum ſolliciti. Talium Annaliſtarum Auctorumque fides apud nos nulla eſt: ad Critices ſanæ amuſſim examinanda ſunt omnia. Quanquam vero, quæ ex antiquitate ſuperſunt, Monumenta Alſatica ad Romanam ætatem pertineant, ex illis tamen conjectando divinare licebit, quid à Celtis ad Romanos transierit; adeoque ex Romanis eruenda ſunt Celtica.

§. LXXV.

Mercurius Celticus ſive Teutates.

In hac vero Alſatiæ primævæ Theologia Celtarum nihil reperio, quod MERCURII, ſive TEUTATIS Gallici religioni ſit anteferendum. Nullius ex omni retro antiquitate Numinis imagines frequentiores in Alſatia, quam Mercuriales, occurrunt. Plenus eſt earum Vogeſus, in cujus tractu Dagsburgico, qui vocatur *Vallicula*, (*la Vallete*) haud procul ab Elberſvilla vico, Templi quadrati Mercurialis oblongi area, & imaginum Mercurialium, magno numero conſpiciuntur fragmenta. Sed & Ferratus ſive Dononis in eodem Vogeſo Mons, Dagsburgicis montanis excelſior, & ab iisdem VIII. leucarum ſpatio diſtans, qui in collimitio Alſatiæ & Lotharingiæ eſt, XIII. Mercurialium imaginum, ejusdem fere formæ & fabricæ, at magnitudinis diverſæ, fragmenta in ſummo montis vertice ante hos quinquaginta annos oſtentavit, quarum nonnullæ alio à vicinis translatæ: potiores vero etiamnum ſuperſunt. Alios ejusdem fere generis Mercurios in vicis inferioris Alſatiæ, Hildesheim, Sulzbach prope Wœrtham, in oppidulo Reichshofen, apud Pfalzburgum, Oberbrunnam, item circa Weiſſenburgenſe oppidum, Ædes, Attegiam, Aram, Mercurio dedicatam, invenio. BEATUS RHENANUS

(*q*) *Pharſal.* Lib. III. v. 411. ſqq.

(*r*) *Hiſt.* Lib. II. Cap. III.

(*s*) MAXIMUS TYRIUS *Sermone* XXVIII. obſervat: quercum altam apud Gallos repræſentaſſe ſtatuam Jovis. Ἄγαλμα δὲ Διὸς κελτικὸν ὑψηλὴ δρῦς.

(*t*) *Inſcriptio vetus*:
TI. CL. PROFESSVS. NIGER
OMNIBVS. HONORIBVS. APVD
AEDVOS. ET. LINGONES. FVNCTVS
DEO. MORITASGO. PORTICVM &c.
REINESIUS *Epiſtolar.* pag. 683. SPONII *Miſcell. Erud. Antiq.* Sect. III. n. 87. Hujus generis fuit quoque *Endovellicus*, Celticum Luſitaniæ Numen; de quo Reineſius idem peculiari Diatriba diſſeruit.

(*v*) BROELMANNI *Specim. Hiſtoria Civit. Ubior.* Tab. II.

(*x*) OLIVARIUS VREDIUS de *Dea Nehalenia*.

(*y*) WILDE *Apologie pour la vieille Cité d'Avenche*, pag. 226.

RHENANUS (z) duo Mercurii ſimulacra apud Tabernas Rhenenſes in cœmeterio ſe vidiſſe ſcribit, quæ hodie non amplius ibidem exiſtunt. Mercuriales hæ imagines cunctæ in Mediomatricorum ſive inferiore Alſatia ſunt: in Sequanica ſive ſuperiore invenio nullas. Tam frequens, tam late ad extremos uſque Galliæ fines ad Rhenum extenſus, Mercurii cultus docet, non ſine ratione CÆSAREM de Gallis dixiſſe: (a) " Deum maxime Mercurium colunt: hujus ſunt plurima ſimulacra; hunc „ omnium inventorem artium ferunt; hunc viarum atque itinerum ducem; hunc „ ad quæſtus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. „ Mercurialium imaginum multitudinem ergo apud nos nemo mirabitur. Multo minus mirabitur quisquam, in Numinum Alſaticorum enumeratione, Mercurio nos dediſſe primatum.

§. LXXVI.

Mercurius Teutas & Wodan appellatus.

Mercurius Gallis appellatus eſt *Teutas*, *Teutates*; (b) Gallo-Belgis *Wodan*. (c) Mercurii vero nomen à Cæſaris, Galliæ domitoris, temporibus in eadem invaluit. Ipſum nomen *Teutates*, vel cum aſpiratione *Theutates*, vere Celticum eſt, & *populi patrem* denotat. Apud Aremoricos Gallos, ubi veteris Celticæ linguæ progenies lingua vernacula eſt, *Teut populum*, *Tat patrem* deſignat. (d) Apud Sequanos interiores, & quidem in ipſa Veſontina urbe, An. MDCLXXIX. reperta eſt Inſcriptio, *Mercurio Ciſſonio* dedicata. (e) *Mercurius Nundinator* in lapide prope Wormatiam occurrit. (f) *Mercurio Negotiatori* apud Mediomatricos Divoduri votum ſolvit Numiſius Albinus. (g) Mercuriales noſtræ Inſcriptiones Alſaticæ nec *Teutatis* nomen, nec aliud peculiare epithetum, Mercurio tribuunt.

§. LXXVII.

Mercurii Simulacra Alſatica.

Mercurii hi, quorum præcipuos æri inciſos proferimus, cum ſolitis Græcorum & Romanorum Mercurii attributis & notis deſignantur, caduceo nempe, petaſo, marſupio; ſubinde addita chlamys. Gallum gallinaceum vel caprum nonnulli habent ad pedes. Similem plane Mercurii imaginem deſcripſit nobis LILIUS GREGOR. GYRALDUS; (h) " Vidi in libro Antiquitatum, ait, Mercurii imaginem hoc modo „ effictam, ſilo quidem corporis juvenili, facie imberbi, cum alis ſupra aures; nudus „ vero totus, præterquam quod in dorſo palliolum habere videbatur, dextera marſupium „ continebat, quod ſupra caput hirci jacebat, ſiniſtra vero caduceum præferebat, ad „ pedes illius gallus & hircus ſuberant. Lucro inſuper & mercimoniis Mercurium „ præfecerunt Antiqni. „ In ſimulacris his Mercurialibus id ſingulare deprehendo, quod nullum ex illis talaria habet, nonnulla mulieris mammas uberes exprimunt, omnia Mercurium juvenem, fœmineo qnodam & carnoſiore, vel paululum obeſiore corporis habitu, quam Græci Romanique, repræſentant. Defectum ſexus ſuppleverunt cingulo, quod latera ambit, ex quo vel unus vel duo grandiores annuli, alter alteri incluſus, pendent, qui, Vogeſianum Mercurium vel neutrius, vel utriusque, ſexus ab illis habitum fuiſſe, demonſtrant.

Peculiarem hanc de Mercurio ſuo Mediomatricorum Theologiam fuiſſe dicerem, niſi in Leodienſium urbe peregrinanti mihi CRASSIERIUS Baro, Antiquitatis ſtudioſus, nonnullas ejusdem formæ imagines, illis in oris repertas, monſtraſſet; quæ, Mediomatricos noſtros, cum aliis Galliæ Belgicæ populis, hanc de Mercurio opinionem habuiſſe communem, me ut credam inducunt. Belgas pudoris cauſa ſexum ejus ſuppreſſiſſe putares, ut Mercurium ſuum aliqua ratione à Græco Romanoque diſtinguerent.

(z) *Rerum Germanicarum.* Lib. III. pag. 122.

(a) De *Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XVII. Iisdem verbis de Germania ſcribit TACITUS de *Mor. Germ.* Cap. IX. " Deorum maxime Mercurium colunt, " cui certis diebus, humanis quoque hoſtiis, litare " fas habent.

(b) Phœnicibus, teſte SANCHONIATHONE apud PHILONEM BYBLIUM, Τάαυτος: Ægyptiis vero *Thoyth*, *Thot*, *Thaut*, nomine fere cum Celtis communi. Primum anni menſem ei dicarunt Ægyptii. Sunt, qui ipſum Tuiſtonem, à quo Germani ſuam originem, nonnullique ipſum *Teutonem* nomen, derivant, huc quoque trahere volunt. VOSSIUS de *Idololatria* Lib. I. Cap. XXXVIII.

(c) Gallo-Belgis nomen *Wodan* potius vindicandum eſſe videtur, quam Gallo-Celtis. Vaudani-Mons (*Vaudemont*) Lotharingiæ huc pertinet, qui à Wodano, ibi culto olim, nomen accepit. An vocula *Wod* eadem ſit, quæ Germanica *God*; *Gott*, (Deus) quod Mercurius eminenter *Deus* vocaretur, diſpiciant alii. In *Catecheſi Theotiſca* ECCARDI extat vetus *Profeſſio fidei*, *Franco-Saxonica*, ubi dicitur: *End ec forſacho allum dioboles wercum end wordum, thuna erende, Woden end Saxn-ote.* Id eſt: " Et ego " renuntio omnibus diaboli operibus & verbis, " lucorum cultoribus, Wodano & Odino Saxonico. „ Apud Anglo Saxones & Belgas Mercurii dies vocatur *Wednes-day*, *Woensdach*.

(d) ROSTRENEN in *Præfat.* ad *Dictionarium Franco-Celticum.*

(e) SPONIUS in *Miſcellan. Erud. Ant.* Sect. III. num. 44. MABILLONIUS in *Itinere German.* pag. 5. Edit. Fabric.

(f) SPONIUS loco cit. num. 43.

(g) MEURISSE *Hiſt. des Evêques de Metz* pag. 10.

(h) *Hiſtoria Deor. Syntagm. Nono* pag. 297.

guerent. Quodſi vero duplicem ei ſexum affictum fuiſſe conjicias, in Antiquitate Græca exemplum in Athenienſium Cecrope reperimus, qui ab illis quoque *δίφυὴς* (*duplicis naturæ*) (*i*) dictus eſt, quod vagos antea & promiſcuos Atticorum concubitus in connubia converterat. Sunt, qui annulorum ſymbolum ad divitias referunt, quod, nulla ſexus ratione habita, ad mares fœminasque promiſcue transeant: vel etiam dogmaticum & morale quid in eo latere conjectant. Dogmaticum, quod humanis effigiebus non repræſentandi ſint Dii, vel, ſi craſſa illa Romanorum de Diis eorumque imaginibus imitanda religio, nullum tamen exprimendum eſſe in Numine ſexum. Morale vero, Deum pura mente colendum. (*l*) Quæcunque ſymbolicæ hujus rei ſignificatio ſit, Vogeſiani Mercurii noſtri cum Romanorum Mercurio, Jovis & Majæ filio, attributa communia habent, ſi ſexus defectum mammasque excipias. Hæc attributa ſingularia, quæ Romanæ Gallicæque Theologiæ mixturam demonſtrant, CICERONI ſextum ſuppeditaſſent Mercurium, Gallicum nempe, quem ille ignoraverat; (*m*) ex fratre ſuo Quinto autem, qui plures per annos in Gallia ſub Cæſare militavit, cognoſcere potuiſſet. Quanquam enim illo tempore nullæ adhuc Mercurii ſtatuæ apud Gallos forſan cernerentur, de eo tamen, in omni Gallia culto, non potuit non frequentem inaudiviſſe ſermonem. Mercurius cognomento *Cyllenius* ſive mutilatus (à κύλλος) ab Athenienſibus olim cultus fuit, ob defectum corporis (*n*) in brachio, quod alterum altero brevius ſingebatur, non ob aliquem in ſexu defectum.

§. LXXVIII.

Mercurii fanum fictitium.

Inſigne Mercurii delubrum antiquiſſimis temporibus eo in loco, ubi Novientenſis ſive Ebersheimenſis Abbatia hodie ſita, extitiſſe, ANONYMUS *Chronici Novientenſis*, ſeculi XIII. Auctor, ſcripto reliquit; additque Fanum, vetuſtate collapſum, à Cæſare reſtitutum, donariis & *Novienti* nomine ornatum, quum antea à primo poſſeſſore *Stamenbruch* (*o*) vocaretur. Sed Scriptoris hujus fides in rebus tam remotis eo dubitatior eſt, quod in ipſis quoque ſuo ævo propioribus non ſemel vacillat. Eum ſecutus eſt ſeculo XV. JACOBUS KOENIGSHOVIUS, (*p*) atque FRANCISCUS IRENICUS, ſeculo ſequenti. Neſcio, qui factum, ut BERNHARDUS HERTZOO (*q*) in locum Mercurii ſubſtituerit Dianam. HIERONYMUS GEBVILERUS (*r*) hæc numina conjunxit, Templum Mercurio & Dianæ ſacrum Novienti extitiſſe ſcribens, quorum idola Maternus, S. Petri diſcipulus, deſtruxerit. ELIAS SCHEDIUS (*s*) in Libro ſuo *de Diis Germanis* huic traditioni ſubſcripſit. "Julius Cæſar, (ait) Mercurio Aram in Galliis erexit, quæ demum à D. Materno everſa fuit." Nos traditionem hanc ſuo loco relinquimus: templa tamen apud Alſatas primis temporibus non extitiſſe, ex recepta apud Celtas religione intelligimus. Novientenſe ergo nec temporum injuria vel antiquitate dirui, nec à Cæſare reſtitui, potuit. Porro ſi Cæſar Alſatiam inviſit, in ea tamen vel nullas omnino Mercurii, Dianæ, aliusve Numinis Gallici ſtatuas, aut nonniſi informes & rudes, invenit, quas ille Mercurio vel Dianæ ſuæ æquiparavit.

Ceterum victimis humanis Mercurio à Gallis litatum, ex antiquitate teſtes nos docent LUCANUS atque LACTANTIUS. Hic enim ſcribit: (*t*) "Galli Eſum atque Teutatem humano cruore placabant." Ille ait: (*v*)

"Et quibus immitis placatur ſanguine diro
"Teutates, horrensque feris altaribus Heſus.

(*i*) OVIDIUS *Metamorph.* Lib. II. v. 555. *geminum* dicit; *biformem* JUSTINUS Lib. II. Cap. VI. Vide ATHENÆUM Lib. XIII. Alii tradunt partim hominem, partim draconem, fuiſſe. Fuſe hæc MEURSIUS de *Regibus Athenienſium* Lib. I. Cap. VIII.

(*l*) JACOBUS MARTIN *Religion des Gaulois* Tom. I. Lib. II. Cap. XV. pag. 336. Cap. XVI. p. 441.

(*m*) CICERO de *Natura Deorum* Lib. III. Cap. XXII. ita de Mercurio ſcribit: "Mercurius unus Cœlo patre, Die matre, natus eſt, cujus obſcœnius excitata natura traditur, quod aſpectu Proſerpinæ commotus ſit: alter Valentis & Phoronidis filius, is, qui ſub terris habetur; idem Trophonius: tertius Jove tertio genitus, & Maja, ex quo & Penelopa Pana natum ferunt: quartus Nilo patre; quem Ægyptii nefas habent nominare: quintus, quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interemiſſe, ob eamque cauſam Ægypto præfuiſſe, atque Ægyptiis leges ac literas tradidiſſe. Hunc Ægyptii *Thoth* appellant, eodemque nomine primus anni menſis apud eos vocatur."

(*n*) Nonnulli à Cyllene, Arcadiæ monte, nomen derivant, alii aliunde. GYRALDUS in *Hiſtoria Deorum Syntagm. Nono*, Opp. ejus pag. 299.

(*o*) FRANC. IRENICUS in *Exegeſi Germ.* Lib. XII. p. 404. ſcribit, locum antea appellatum fuiſſe *Stambach*. In re fabuloſa verum nomen inveſtigare, ſupervacaneum eſt.

(*p*) In *Chron. Alſatiæ* Cap. II. pag. 58. & Cap. V. pag. 267. ZEILERUS in *Topographia Alſat.* pag. 14.

(*q*) *Chron. Alſat.* Lib. III. Cap. VII. Fol. XVI.

(*r*) *Chron. Mſ. de Domo Habſpurg* Cap. XXII. BALTHASAR BEBELIUS in *Antiquitatibus Germ. Primæ* Art. I. §. 13. pag. 20.

(*s*) Cap. V. pag. 109.

(*t*) *Divin. Inſtit.* Lib. I. Cap. XXI.

(*v*) *Pharſal.* Lib. I. v. 444.

§. LXXIX.

Belenus ſive Apollo.

Belenum, Gallorum Deum, Romani Apollinem interpretati ſunt, idem numen nonniſi nomine exiſtimantes diverſum. Belenus ergo appellatus eſt Gallis, qui Romanis Apollo. (x) *Foro-Julienſis Inſcriptio*, tutelari illius urbis Deo, *Apollini Beleno*, dedicata, à Philippo à Turre (y) deſcripta, id probat. Urbem hanc à Gallis, qui in Italiam migraverant, conditam fuiſſe, Romani Scriptores aſſerunt. Apollinem Mercurio ſubjungimus, quod ordinem hunc, in Deorum Gallicorum recenſione, ipſe Cæsar obſervat. (z) Cultus illius nonnulla apud Alſatas quoque, non ſub Beleni, ſed ſub Apollinis, nomine extant veſtigia. Memorabilis illa Ara, in veteris Argentouariæ noſtræ ruinis reperta, quam *Apollini Granno Mogouno Q. Licinius Trio dicavit*, jam pridem literati Orbis oculos in ſe convertit. Licet autem dedicatio hæc, Romanis per Alſatiam dominantibus, facta ſit, Apollinem tamen Granni ſorte & Mogouni nominibus, ſub Celtica jam Periodo à Sequanis noſtris Alſaticis, ut topicum aut locale aliquod Alſatiæ numen, cultum fuiſſe, poſſet inferri. *Granni* quidem & *Mogouni* voces nec Græcæ, nec Romanæ, ſed exteræ ſunt. Epitheton illud in univerſa Italia nonniſi ſemel notatur; reliqua apud Vindelicos præſertim, & Scoto-Britannos, unumque adeo in Alſatia noſtra, reperiuntur. Sed & *Mogouni*, *Mouni*, *Mogont.* nomen in noſtro & in Scoto-Britannicis Monumentis ſolis occurrit; topico cuidam Deo tributum, quod in noſtras has regiones, cum Legione Romana tranſlatus, forte tranſtulit Trio; Deum Mogounum hunc cum Apolline Granno conjungens; utrumque veneratione complexus. Mogouni nomen enim peculiarem aliquem Deum, non Apollinem Grannum, reſpicit, ad quem prima ſpecie nomen hoc pertinere videtur. *Mogounus* ergo, in Argentouarienſi Apollinis Ara memoratus, topicum Alſatiæ Celticæ numen dicendus non eſt. De inſigni hoc Marmore deinceps inter Monumenta Romana differemus. In inferiore autem, ſive Mediomatricenſi Alſatia, nihil plane reperio, quod ad Beleni vel Apollinis cultum poſſit referri. Ille ergo, qui in *Ichnographica veteris Argentorati Tabula* Apollinis templum intra hujus urbis mœnia poſuit, quod in *Topographia Alſatiæ* Meriani (a) factum eſſe videmus, quodque Balthasar Beselius in *Antiquitatibus Germaniæ primæ* (b) ex eodem recenſet, ille, inquam, Anonymus ſua figmenta defendat.

§. LXXX.

Mars.

Martem Apollini, in Deorum Gallicorum recenſione, ſubjungit Cæsar, (c) Martique Jovem. Othmarshemio, vico Sundgoviano illuſtri, nomen à Marte natum & datum eſſe, multi crediderunt. Ludovicus Gollutius (d) nomen iſtud explicat *Martis Idolum*. Sebastianus Munsterus (e) de hoc loco ita ſcribit: " Sunt, qui „ villam hanc Othmarsheim, quaſi Othonis Martis domum, dictam eſſe arbitrentur, eo „ quod Otho Martis idolum cultumque illic Gentiliſmi tempore erexerit. „ Paulo poſt hæc addit: " Volunt quidam, hunc locum Otmarſeo denominatum ab idolo Martis, " qui ibi templum habuit, atque in eo honoratus fuit, id quod imago ejus comprobat, „ quæ ante annos ab hinc non multos fuit ibi inventa. „ Munſterum Zeilerus (f) & Ichtersheim (g) in *Topographiis Alſatiæ* ſecuti ſunt. Martis ſtatuam vel ſignum, in vico illo repertam, Deumque hunc ab incolis, ſub Romana dominatione, in Templo publico, vel certe privato inter Penates cultu, honoratum, non equidem abnuerim, tantoque minus ſi Munſteriana relatio de idolo reperto recte ſe habet; hoc enim noſtris temporibus non amplius extat: at nomen loco huic à Marte impoſitum fuiſſe, conceſſurus ſum nunquam; quippe quod in S. Othmari, Abbatis S. Galli, memoriam ei inditum fuit, cui Monaſterio multa bona & jura olim ibidem competebant. Qua ratione ergo in Othmarshemii nominis etymologia Marti poteſt locus concedi? Martem in veteri Argentorato ea in area cultum fuiſſe, ubi jam Templum Epiſcopi eſt, Oseas Schadæus, (h) nulla auctoritate ſuffultus, memoriæ prodidit.

Eſus.

Esum apud Celtas locum tenuiſſe, quem Mars apud Romanos tenuerat, veriſimile eſt. Illos, qui Eſum interpretati ſunt Jovem, errare, dubium eſſe non poteſt, ex quo inſigne

(x) Elias Schedius de *Diis Germanorum*, *Syngram.* I. Cap. V.
(y) *Diſſert. de Beleno & aliis quibusdam Diis Aquilejenſibus.*
(z) De *Bello Gall.* Lib. VI Cap. XVII.
(a) Pag. 51.
(b) Art. I. §. XIII. pag. 21.
(c) Loco cit.
(d) *Memoires de la Republique Sequanoiſe* pag. 16.
(e) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. CXVIII. pag. 514.
(f) *Topographia Alſatiæ* à Meriano edita pag. 41.
(g) *Topograph. Alſatiæ ſuperioris* pag. 67.
(h) *Deſcript. ſummi Argentorat. Templi* Cap. II. pag. 3.

inſigne illud paganicæ Gallorum antiquitatis Monumentum in Lutetienſi Templo majore effoſſum eſt, ubi Jovis imagini proxime jungitur Eſus. *Marti Leucetio* in agro Moguntinenſi dedicatus eſt Lapis, Wittichio (*i*) teſte. *Mars Camulus* veteribus Remis cultus fuit. (*l*) Martem Vincium, Segomonem, Britovium, hinc inde memoratos, ſilentio prætereo. Florus (*m*) annotat, Gallos Inſubres de militum Romanorum præda *Marti* ſuo torquem voviſſe. In Moguntinis ad Rhenum partibus, poſitum Monumentum eſt *Jovi Saramico*, tradente Wittichio; (*n*) ſed Celticis quoque temporibus hoc poſterius eſt. Maximus Tyrius (*o*) quercum altam Jovem apud Gallos repræſentaſſe refert. Signum Jovis æneum, fulmen tenens, quod Argentorati repertum in Muſeo meo aſſervo, Romanam omnino ſapit antiquitatem.

§. LXXXI.

Hercules Arg. ſive *Crutzmana.*

Inter Celticos Deos à Cæſare licet non numeretur Hercules, ejus tamen hoc loco facienda eſt mentio, quod nulla fere natio ſuum non habuerit Herculem; (*p*) quodque Majores noſtros cultui ejus præ aliis deditos fuiſſe, ſtatuæ Herculeæ frequentiores, apud nos repertæ, nos docent; quarum duas ſeculum noſtrum adhuc conſervat, tertia, memorabilior cæteris, ante hos ducentos jam annos periit. De tribus his imaginibus Herculis diſpiciendum eſt, ad quam Alſatiæ Periodum poſſint referri. Argentoratenſium Rerum Scriptores ſi audias, Hercules ſub Alemannico nomine *Krutzmanna* Argentorati, ut particulare urbis numen, ab antiquiſſimis retro temporibus, fuit honoratus. Opinionis hujus, quæ ubique invaluit, primus auctor eſt Daniel Specklinus, civitatis Argentoratenſis Architectus & Geographus; qui *Topographicam Alſatiæ Tabulam* accuratam ſatis, primus, quod novimus, edidit æri inciſam An. MDLXXVI. Hic Antiquitatum Alſatiæ ſtudioſus indagator, at critico deſtitutus judicio, nonnulla urbis Argentorati, & quorundam in vicinia locorum, Monumenta delineavit diligenter: inter quæ ſtatua eſt Herculis ænea vetus, duarum, ut ſcribit, ulnarum magnitudinis, quam in majore Argentoratenſium Eccleſia, in Capella Michaelis Archangeli, à Gentiliſmi temporibus ad annum usque MDXXV. ſervatam fuiſſe, memoriæ prodit: additque, Deaſtrum hunc appellatum fuiſſe *Crutzmana.* Specklinum Oseas Schadæus, (*q*) Bebelius, (*r*) Obrechtus, (*s*) Schilterus, (*t*) Montefalconius, (*v*) Martinus, (*x*) Laguillius, (*y*) aliique magno numero, ſecuti ſunt paſſim. Hos inter Crutzmanæ imaginem ex Specklinianis ſchedis primus, ſed nonniſi ligno & craſſiore Minerva, exſculpi curavit Schadæus; at ſculptoris incuria factum, ut clypeus dextræ, clava ſiniſtræ, contra quam in prototypo eſt, tribueretur præpoſtere. Errorem Schilterus ex authentico correxit: ipſe dum corrigit, in multiplices prolapſus errores.

§. LXXXII.

Specklini relatio.

Docebunt hoc verba ipſa Specklini, quæ ex Germanico idiomate in Latinum bona fide transferimus; his ſolis enim omnis de Deaſtri hujus nomine auctoritas nititur.
“ Poſt mortem Herculis Alemanni, (inquit) populus & ei & Iſidi matri ejus templa „
& imagines poſuerunt, nomen ejus invocarunt, quum ad bellum progreſſi ſunt, „
tanquam præſidis bellorum & bellatoris. Unde tales Deaſtri *Bellatores*, & veteri „
Teutonico idiomate *Crutzmana*, appellati ſunt; etiam ibi, ubi tales adhuc „
ſunt, ita appellantur. Ab illo quoque Alemanni nomen ſuum ceperunt: „
licet hoc Romanis eſſet ignotum, donec bello cum illis conflictarentur. „
Quum deinceps Alemanni Templum in *Trebesburg* (Argentoratum intelligit) „
conderent, Deaſtrum hunc Crutzmana in eodem poſuerunt; qui in eo „
permanſit, donec Clodoveus primum Templum Chriſtianum ibidem condidit. Tum „
Deaſter hic in ſummo Templo memoriæ cauſa ſervatus eſt. Anno MDXXV. „
ex S. Michaelis Capella ſublatus. Optandum, ut ille memoriæ cauſa ſervatus fuiſſet. „

 Multi

(*i*) *Collectan. Antiquit. Mogunt.* num. 24.
(*l*) *Marti Camulo* Templum dedicarunt Cives Remi vel Rhemenſes, Mediomatricis noſtris contigui. Gruter. *Inſcript.* pag. 56. n. 12.
(*m*) Lib. II. Cap. IV.
(*n*) *Collectan. Antiquit. Mogunt.* num. 22.
(*o*) *Sermone* XXXVIII. ſupra allegato.
(*p*) Gallia Herculem Ogmium habuit, teſte Luciano in *Hercule Gallo*, ab initio, Tom. II. Opp. pag. 365. Edit. Græv.
(*q*) In libello, cui titulus: *Summum Argentoratenſium Templum*, pag. 5.
(*r*) *Antiquitat. Germaniæ primæ* Art. I. §. XIII.
(*s*) *Diſſert. de Philoſophia Celtica* num. 6.
(*t*) *Obſervatione* IX. ad *Kœnigshov.* pag. 550.
(*v*) *Antiquité Expliquée* Supplem. Tom. II.
(*x*) *Religion des Gaulois* Tom. II. pag. 31.
(*y*) *Hiſtoire d'Alſace* Lib. IV. pag. 44.

„ Multi tamen, qui Deaſtrum hunc ſæpe viderunt, aſſerunt, talem fuiſſe ex metallo „ conflatum, altitudinis duarum ulnarum, uti hic delineatus eſt. (z)

§. LXXXIII.

Schilteri errores.

Multiplices, quos in ſua de Deaſtro hoc narratione Schilterus (*a*) commiſit, errores ex verbis his perſpicimus facile. I. Nomen ejus male ſcripſit *Krutzmanna*, quod *Crutzmana* ſcribendum fuiſſet. II. Nomen hoc non fuit ſpeciale cujusdam Deaſtri Argentinenſis, ſub hoc nomine à Majoribus noſtris culti, uti viſum eſt Schiltero; quum omnes bellatores à veteribus Germanis appellativo nomine *Crutzmana* voçatos fuiſſe, Specklinus exiſtimaverit, qui nullibi indicat, ſolenne hoc ſtatuæ hujus noſtræ propriumque nomen à cultoribus ejus inditum fuiſſe, ut numini locali vel topico. III. Significatio ejus non detorquenda fuit à Schiltero, ut *Herculem Provocatorem* inde procuderet, quum ipſe Specklinus indicaverit, vocem hanc veteri idiomate Teutonico denotaſſe *Bellatorem*. (*Kriegmann*) (*b*) IV. Statuam hanc Specklinus ipſe non vidit, ſed ab aliis viſam delineatamque accepit, monumentum tam inſigne neglectum fuiſſe dolens. Schilterus autem ſtatuam ab ipſo Specklino deſcriptam delineatamque memorat. V. Statua hæc, Specklini temporibus jam deſtructa & perdita, non potuit eadem eſſe, quæ ſeculo ſequenti eruta demum fuit, Lutetiamque translata; quod tamen prodit Schilterus. Illa, quæ Iſſiaci in Lutetienſi agro etiamnum conſpicitur, diverſæ plane à Speckliniana formæ & moduli eſt, ut icones, quas dabimus, oſtendunt: Argentorati paucis, antequam ex ea efferretur, annis inventa. Prudenti ergo Lectori ea, quæ de *Crutzmana* ab Hiſtoricis noſtris paſſim referuntur, non poſſunt non ſuſpecta, imo, ſi recte inſpiciat, falſa videri.

§. LXXXIV.

Vocis *Crutzmana* ſignificatio.

Vocem *Crutzmana* denotaſſe Bellatorem, omnibusque Herculeis ſtatuis à veteribus Germanis inditam fuiſſe, nonniſi privata fuit Specklini opinio, quæ vera num ſit, nondum compertum: falſa eſſe poſſet profecto, quod Etymologorum Teutonicorum nulli memoratur. Ex opinione hac vaga Specklini ſi inferas, Herculem noſtrum peculiare hoc geſſiſſe cognomen, magnopere falleris; facit hoc tamen cum Schadæo Schilterus, quem Hiſtorici patrii exterique certatim bona fide ſequuntur. Quodſi Argentoratenſium traditionem & famam, per hominum ora nomen Crutzmanæ ad ſua usque tempora tuliſſe, Specklinus dixiſſet, mutarem ſententiam: ſed in alia omnia quum ille abierit, Lectoribus non videbitur mirum, Schilterianæ opinioni, ab Hiſtoricis, qui eum paſſim ſecuti ſunt, receptæ, noſtrum nos denegaſſe aſſenſum. Libri de *Religione Gallorum* Auctor. (*c*) ſi Herculis cognomen *Crutzmana* tam lubrico fundamento niti ſciviſſet, conjecturam ſuam non inædificaſſet eidem, qua epithetum hoc cum *Deuſonienſis* & *Maguſanu* Herculis nominibus, quæ Nummi Poſtumiani & Marmora exhibent, comparare & à communi origine derivare ſategit.

§. LXXXV.

Statua Herculis Romano-Germanica.

Repræſentavit hæc ſtatua Herculem cum clava, clypeo atque pelle leonis; attributis, quæ Græcia & Roma ei adſcripſit; at in eo ſingularis, quod tunica cinctus conſpicitur, quali habitu Herculem nec Græcum nec Romanum expreſſum reperio. Unde Hercules hic

---

(z) Fragmenta Danielis Specklini, ejus manu ſcripta atque delineata, foliis XXXV. majoribus conſtant. Fol. II. ita lingua ſua vernacula ſtyloque corrupto ſcribit: *Nach ſeinem Dott haben ſein Volck Hercules Almanus, auch ſeiner Mutter Iſide, Tempel und Bilder auffgericht, rufften ſeinen Namen und Bild ahn, wan ſey in Krieg wollten, als einen Kriegsgott und Kriegsman, derhalben ſolche Abgotter* Kriegsman, *auff alt Teutſch* Crutzmana, *ſind genandt worden, auch nach wo man ſolche hatt, ſey nannten ſich auch noch ime Alemanier, wie wol diſer Nam den Romern iſt verborgen beleyben, bis ſey mit in kriegz haben. Alß hernach die Alemanier den Tempel zu Trebeſſburg bawten, haben ſey diſen Abgott Crutzmana darin geſtelt, und darin beleyben, bis Clodoveus den erſten Chriſten Tempel dohin bawett. Do iſt ſolcher Abgott im Münſter zur Gedechnuß doſelbs auffgehaben worden, und Anno 1525. auß S. Michels Capel hinweg komen, und wehre zu wunſchen, daß ſolchs zur Gedechnuß wehre auffgehaben worden. Doch haben veill, die ſolchen Abgott offt geſehen haben, das er alſo von Metall auff 2. Ellen hoch ſey geweſſen, wie hie verzeichnett.*

(*a*) *Obſervat.* IX. *ad Kœnigshovium* §. III. pag. 550.

(*b*) Schilterus loc. cit. pag. 551. vocem *Krutzmanna* veteri Theotiſca lingua *Herculem provocatorem* ſignificaſſe exiſtimat, illamque à *Kruazen*, *Cruozen*, (*provocare*) derivat, quæ etymologia ingenioſa quidem, heic tamen locum non poteſt habere.

(*c*) Dom Jacques Martin *Religion des Gaulois* Tom. II. pag. 31.

hic Argentoratenſis ad Celticam Mediomatricorum noſtrorum Theologiam, an ad Tribocorum Germanicam, an mere ad Romanam, referendus ſit, naſcitur quæſtio. Herculem ego nec Celticum, nec, quod Montefalconius facit, mere Romanum dicerem, nec mere Germanicum, ſed Romano-Germanicum, aut, ſi accuratius res definienda, Romano-Tribocicum. Uti enim præ aliis Numinibus Celtæ Mercurium, ita Germani Herculem, Tacito (*d*) referente, coluere. Quamdiu Triboci in Germania habitarunt, nullis ſub ſimulacris ſua numina coluerunt; inconcinnum arbitrati, divinitatem exprimi ſub forma humana. At in Alſatiam transgreſſi, Romanoque ſub Imperio viventes, idem Tribocis, quod & Gallis noſtris, contigiſſe videmus, Numina ut ſua ſimulacris exprimerent. Romanorum ergo Herculem adoptarunt Triboci, ut eorum Mercurium Galli, ita nimirum, ut de ſuo aliquid adderent: addiderunt tunicam ſuccinctam non manicatam, pudoris cauſa fortaſſe, ut Mercurii Alſatici imaginibus, ſexu ſuppreſſo, à Mediomatricis noſtris additi ſunt annuli. Eo veriſimilius autem Herculem hunc Argentorato Tribocenſi, quam Celticæ, adſcribo, quod, in præcipuorum apud Gallos numinum recenſione, Herculem Cæſar omittit.

§. LXXXVI.

Inter Rerum Alſaticarum Scriptores reperiuntur, qui ſub hoc Herculis habitu Imperatorem vel Ducem quendam latuiſſe conjectant, ad Commodi Imperatoris exemplum, qui Herculea ſpecie in nummis aliisque publicis monumentis repræſentari amavit. (*e*) Ingenioſa conjectura, niſi circumſtantiæ eam deſtruerent. Tria enim ſimulacra, inſignibus Herculeis prædita, in civitate Romano-Tribocenſi, adeoque cultui Herculis deditiſſima, eorumque duo eodem in Templo quum reperiantur, an non Herculis ſtatuas eſſe, optimo maximo jure reputamus? Conjectura tam ſimplex, tam veriſimilis, ne ad alias minus probabiles confugiamus, ſuadere videtur. Si regeras, credibile vix eſſe Argentoratenſes, ad Chriſtiana ſacra transeuntes, idola gentilium reliquiſſe in Templo; quando primorum Chriſtianorum ab omni idololatria horror res notiſſima eſt. Nec ego abnuo, Herculem hunc ipſo ſtatim Chriſtianiſmi, apud nos dominantis, initio, quum Templum, Herculi ſacrum, vel à Romanis atque Tribocis, vel à Francis, Gentiliſmum abolentibus, cum aliis ſtatuis, dejectum fuiſſe atque ſepultum. Reſurgere tamen potuit, quum Baſilica Argentinenſis ſeculo XI. exſtrueretur de novo: atque tum forte Capellæ Michaelis Archangeli illatus fuit, vel ut figura ignota, vel ex Hiſtoria ſacra Simſonem illum repræſentans Judæum, aliumve Heroem. Quot alia Galliæ civitatum templa Chriſtiana Deorum Gentilium ſimulacra ſervarunt, quod eorum originem ignorarent & nomen? In Lugdunenſi S. Stephani Eccleſia imago Opis vel Abundantiæ, ſub barbaro apud vulgus nomine *Ferrabo*, ad ſeculum usque decimum ſextum perſtiterat. (*f*) Iſidis ſtatua inſignis in Abbatiæ S. Germani in Pratis Templo, à Lutetiæ Gentilis ævo ad annum uſque MDXIV. illæſa permanſit, quo Monaſterii illius Abbas, Guilielmus Briſſonetus, Meldenſis Epiſcopus, eam juſſit auferri, ut Jacoaus du Breul, (*g*) ipſe S. Germani Cœnobita, teſtatur. Aunustinus in *Epiſtola* (*h*) *ad Publicolam* ſcribit: " Quum templa, idola, luci, in honorem Dei convertuntur, hoc de illis fit, quod „ de hominibus, quum ex ſacrilegis & impiis ad veram religionem convertuntur.

Herculis ſtatua Argentor. prima.

§. LXXXVII.

Argentinenſem hanc æneam Herculis ſtatuam, quæ pridem periit, altera excipit, & ipſa Argentoratenſis ænea, quæ vero adhuc ſubſiſtit, ſeculo XVII. adulto reperta circa *Portam novam*, ubi hodie Capucinorum Monaſterium. Hæc ſtatua ſtaturæ quoque humanæ, IV. ped. VII. poll. eſt, formæque à ſuperiore plane diverſæ. Nihilominus tamen & Romano-Tribocicam cenſeo, ex mixta Romanorum & Germanorum Theologia prognatam. Nuda plane eſt, atque dextra clavam prælongam, ſiniſtra clypei loco exuvias leonis, tenet, cujus pes Herculis ſexum abſcondit. Reperta quum fuiſſet, in manus Jo. Danielis Braunii, Quindecimviri Argentinenſis, pervenit. Anno MDCLXXXIII. Marchio *de Louvois*, Ludovici XIV. rerum bellicarum Adminiſter, eam Pariſios transtulit; unde in Iſſiacenſe, Eſtræi, Franciæ Mareſchalli, ſuburbanum, denique in Domum vicinam *La Barre*, ubi hodie conſpicitur, tranſiit. Ita ſtatua Herculis ænea, à Specklino memorata,

Statua Herculis Arg. ſecunda.

(*d*) *De Mor. Germanor.* Cap. II. " Fuiſſe apud eos „ & Herculem memorant, (Germani, primumque „ omnium virorum fortium, ituri in prælia, „ canunt.

(*e*) Laguille *Hiſtoire d'Alſace.* Lib. IV. pag. 44.

(*f*) Paradin *Hiſtoire de Lion* Lib. I. Cap. XLI.

(*g*) *Antiquites de Paris.* Lib. II. pag. 359.

(*h*) *Epiſt.* XLVII.

memorata, ante medium ſeculi XVI. diſparuit; ſeculo ſequente adulto apparuit alia, ænea quoque, verſus ejusdem ſeculi finem Argentorato ablata. Poſterioris hujus imaginem primos nobis dedit MONTEFALCONIUS, (*i*) at minus accurate, eamque cum priore confudit. Sed & nuperus Rerum Alſaticarum Scriptor LAGUILLIUS ſimulacra hæc duo confudit; Schilterum bona fide ſecutus: qui ſtatuam à Specklino memoratam, Pariſios translatam fuiſſe, re non ſatis examinata, prodidit; qoum poſterior Herculis ſtatua, attributis & forma à priore diverſa, oonniſi paucis, antequam Schilterus Obſervatiooes ſuas ad Kœnigshovium ſcriberet, (*l*) annis, Argentorati fuerit reperta, ubi veritas rei ab eo facile potuiſſet ediſci; quam ego, quinquaginta annos poſt Schilterum ſcribens, ex poſſeſſoris hujus ſtatuæ nepotibus, Senatoribus urbis, & Commentariorum domeſticorum avi ſui hæredibus, didici. Opus ipſum ſtatuæ artis mediocris MARTINUM induxit, ut eam Gallicum Numen & opus reputaret. (*m*)

§. LXXXVIII.

Tertia Herculis ſtatua Argentor.

Tertia denique Herculis ſtatua, ſuperioribus duabus ſtaturæ magnitudine ſimilis, at lapidea, adhucdum inter turris Argentioenſis Templi majoris imagines, à latere boreali, è regione ſalinariæ domus, extat; oulli Scriptorum ooſtrorum, quod miror, ad noſtrum usque tempus, memorata. Et hic Romano-Tribocicus eſt, operisque adeo provincialis, Hercules; à præcedenti hoc ſolo fere diverſus, quod dextra clavam leonisque exuvias ſimul tenet, ſiniſtra plane ouda & libera: ſexum ejus tegente palliolo; ut in ſuperiore pes leonis eundem abſcondit. Lapideus hic Hercules, inter vetera Monumenta Argeotorati, Templum majus quum exſtrueretur, forte repertus, aliis medii ævi ſtatuis, turrim ornantibus, mixtus eſt; vel quod idoli gentilis imaginem eſſe ignoraretur, vel quod opus Gothicæ illius temporis ſculpturæ ſimilius, reliquis ſtatuis opportune jungeretur: durius forſan fatum habiturus, ſi ex Græca aut Rooiana antiquitate fuiſſet artis perfectæ; cui ſeculorum obſcurorum artifices prætulerant ſuam. Quot alia Romanæ Religionis Mooumenta, ſigna, ſtatuæ, vaſa, columnæ, quæ Romanam Argentoratum ornarunt, quas Legionum religio ambitiove poſuerat, non tam temporum injuria, quam ipſorum medii ævi Artificum imperitia neglecta ſunt, & plane perierunt!

§. LXXXIX.

Statuæ hæ non ſunt Celticæ originis.

Tres hos Argentoratenſium veterum Hercules in Iconibus Monumentorum Alſatiæ Romanæ, ad quam Periodum vere pertinent, repræſentamus Lectori, juxta ſe poſitos; qui oos evidentiſſime docent, veteri Argentorato Triboco-Romanæ, ex Germanorum & Romanorum, qui his in oris tum invaluerant, religione, ſpecialius cultum fuiſſe Herculem: nihil tamen inde ad Celtica tempora coocludas, quod Triboci nooniſi Romana ſub Periodo Mediomatricenſem ſive inſeriorem occuparunt Alſatiam. Conſentientem hac in re habemus Montefalconium, qui Celticis temporibus ſtatuam hanc abjudicat, adjudicatque Romanis: recte quidem, ſi Romanæ in Alſatia dominationis tempus intelligas; ſi ipſam vero Religionem, ex Romana & Tribocica ſive Germanica mixti quid Herculem hunc continere dicendum eſt. Forma & attributa ejus Romana ſunt, tunica addita & ſexus abſconditus mores Germanicos ſapiunt, quibus factum, ut Triboci Herculem ſuum, quem primum omnium virorum fortium, ituri in prœlia, canebant, (*n*) forma Romanis uſitata exprimerent; ſimul tamen verecundiæ, quam in Germanis TACITUS (*o*) commendat, conſulerent, vel etiam, ob puriorem eorum de Diis ſententiam, qua, nec cohibere parietibus Deos, oeque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cœleſtium, arbitrabantur, ut idem TACITUS (*p*) ſcribit, ſexum exprimere inſolens & indecorum exiſtimarent. Quæ ipſa quoque cauſa fortaſſis fuerat, quod Mercuriales ſtatuæ omnes Vogeſianæ, de quibus ſupra, ſine ſexu compareant: quum Romani è contra maſculum Deorum & Semideorum ſexum in ſtatuis ſuis diligenter exprimerent.

Sed

(i) *Antiquité Expliquée, Supplement.* Tom. II. pag. 231.

(*l*) KOENIGSHOVII *Chronicon Alſatiæ* à Schiltero editum An. 1698. Argentorati.

(*m*) *Religion des Gaulois* Tom. II. pag. 38. *L'Hercule de Strasbourg ne differe des Hercules Romains, que par le je ne ſçais quoi de vraiment Gaulois, qu'on ne ſçauroit meconnoitre, & qui ſe fait ſentir dans ſon attitude, dans ſa maſſue, pleine de gros noeuds, & dans les tours, que la peau de Lion fait autour de ſon bras.*

(*n*) TACITUS *de Mor. German.* Cap. II.

(*o*) Ibidem Cap. XIX. XX. ubi: *Septa pudicitia agunt.* Item: *Sera juvenum venus &c.*

(*p*) Ibidem Cap. IX.

Sed & Herculem Saxanum vicinis Lotharingis noſtris, ut & Clivenſibus ad Rhenum, Romanorum ætate, cultum fuiſſe reperio. Ara, apud illos haud procul Muſſiponte ei dedicata, Lutetiam in Regii Nummophylacii veſtibulum, Illuſtris Bozei cura, haud ita pridem tranſlata eſt, cujus Inſcriptionem MONTEFALCONIUS atque CALMETUS (q) dederunt. Agri Clivenſis Aram vero ex JOANNIS MAURITII, Principis Naſſovii, *Momonentorum veterum Collectione*, à Jo. KAYSERO edita, in *Antiquitatibus ſuis Septentrionalibus* (r) exſcripſit KEYSLERUS. Hercules Saxanus.

§. XC.

CASTOR & POLLUX antiquitus apud Celtas culti fuerunt. Dioſcuros hos in Galliam appuliſſe, veteribus creditum, ut DIODORUS (s) ex Timæo teſtatur. In Monumento Lutetienſi, à Nautis Pariſiacis ſub Tiberio Imp. poſito, Caſtor & Pollux occurrunt. In noſtris quoque Marmoribus Alſaticis fratres hi Gemelli ſe offerunt: ſed à Romanis ſculpti nihil continent, quod ad Celtica tempora referre poſſimus. Caſtor & Pollux.

VOGESUS Deus Celticæ quoque Theologiæ accenſendus eſt. *Deo Vogeſo* enim Aram dedicatam olim fuiſſe novimus, quæ Tabernis Montanis extiterat, quamque GRUTERUS (t) produxit. Hanc licet poſuerit homo Romanus, Gallos tamen hac parte religioni ſuæ conſentientes habuit, qui ſaltus, nemora, lucos conſecrarunt, illisque pro templis uſi fuerunt. In Vogeſo tot illuſtria religionis priſcæ veſtigia, tot ſtatuæ Mercuriales, tot ſacrorum reliquiæ, paſſim ſuperſunt, ut mirum non ſit, jugis ejus divinitatem quandam adſcriptam fuiſſe, vel certe Deo, quem ei præſediſſe crediderunt, uti Deo Pennino in Alpibus, ipſum montis nomen tributum. Vogeſus.

De Deo RHENO dubitatior res eſt. Huic Galliæ Germaniæque finitori perpetuo divinitatem quoque quum affinxerit Antiquitas, nomen & numen ejus non minus ad Germanos, quam ad Gallos, pertinere potuerat. Monumentum tamen *Deo Rheno* dicatum, quod STEPHANUS BROELMANNUS produxit, in Gallia repertum: quod apud Gallos quoque idololatria craſſior, ex Romanorum contagio, invaluerit prior, apotheoſin Rheni Gallis potius, quam Germanis, vindicandam cenſemus. Quæ in Romano Capitolio etiamnum cernitur ſtatua, ſub *Marforii* nomine, poſtremis his ſeculis nota, Rheni quoque, ſed non ut Dei, imaginem repræſentaſſe creditur. Rheni nimirum, pedibus Domitiani ſubjecti; quæ figura, ut veriſimile, ſervata fuit Coloſſo Domitiani Romæ deſtructo. Rhenus.

§. XCI.

De Diis maribus Gallo-Alſaticis hæc annotaſſe ſufficiat; nunc de Deabus. Inter Deas Gallorum ſolam Minervam CÆSAR (x) recenſet. Hæc alio ſub nomine licet apud eos nota eſſe debuerit, eam tamen Minervæ ſuæ Romanæ æquiparavit. Veſtigia cultus ejus in Alſaticis Monumentis paſſim occurrunt: Elejæ (y) nimirum, Hindeshemii, Brocomagi, (z) Niderbronnæ, Wœrthæ Liechtenbergicæ, ubi in lapidibus illis quadrilateralibus oblongis, qui pluribus numinibus ſimul dicati fuerunt, Minerva locum ſuum conſtanter tuetur. Monumenta hæc Romanæ Religionis, in Alſatia dominantis, haud obſcuri ſunt teſtes; cum Alſatiæ liberæ, ſive, ut appellavimus, Celticæ, priſca religione commixtæ. Minerva.

ISIS inter Gallica numina à Cæſare non numeratur; ſed inter Germanica à TACITO. (a) Si Pariſii, Celticæ Galliæ populi, quorum caput Lutetia fuit, ab Iſide nomen traxiſſent, quod multis placuit, (b) diu antę Cæſaris tempora eam Galli coluiſſent, quum Pariſios inter Celticæ populos ipſe nominet Cæſar. Sed etymologia hæc, quæ nullo alio fundamento, quam nominis ſimilitudine, nititur, ab acutioribus Criticis pridem Iſis.

(q) *Diſſertation ſur les grands chemins de Lorraine* pag. 6.
(r) Cap. III. §. III. pag. 191.
(s) *Bibliotheca* Lib. V. Cap. III.
(t) *Corp. Inſcript.* pag. 94. n. 10.
(v) *Specim. Hiſtoria veteris Civitatis Ubior.* Tab. III.
(x) De *Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XVII.

(y) In Sacriſtia Monaſterii Elenſis.
(z) Lapis Brocomagi repertus in Antiquario meo jam extat.
(a) *De Mor. Germ.* Cap. IX. « Pars Suevorum « & Iſidi ſacrificat.
(b) ANDRE' DU CHESNE *Antiquitez & Recherches des Villes de France* pag. 10.

pridem rejecta eſt. Idem Iſidis nomen nonnullos Alſatiæ Rerum Scriptores induxit, (*c*) ut Iſenburgum, antiquiſſimam apud Rufacum oppidum arcem, monti impoſitam, à Dagoberto Rege exſtructam, nomen hoc accepiſſe crederent, quod Iſis Dea in eo colle antiquitus culta fuerit; quo vici *Iſenheim*, oppido Sultz, Mundati ſuperioris, vicini, nomen quoque pertinere conjectant. Sed hujusmodi divinationes, ex ſolo nominum ſono petitæ, fallaces plerumque, imo fortuitæ, nonniſi obiter tangendæ ſunt, ſi non omnino transeundæ ſilentio. Auſtraſius Franciæ Rex Chriſtianus, idololatriæ gentilium hoſtis, cur arci ſuæ ab idolo Ægyptio nomen imponeret? an non etymologia Teutonica, quæ *Ferream arcem* (*d*) deſignat, veriſimilior eſt? In pago Tigurino ejusdem nominis montem & fanum extare, prodit PLANTINUS. (*e*) "In pago Tigurino, (ait) inter Albium montem & Urſam fluvium, „ mons eſt, in quo multa adhuc veteris cujusdam ædificii rudera reperiuntur. Vulgus „ locum ſua lingua ethnicum templum nominat, & montem *Iſenbergium*, id eſt, Iſidis „ montem; unde ibi Iſidis fanum aliquod fuiſſe conjectura eſt. „ Sub Romanis, in Gallia imperantibus, Iſidem apud Helvetios vicinos, imo & apud alios Galliæ populos, cultam fuiſſe, dubitare nos non ſinit *Wettingenſis Inſcriptio*, haud procul à Thermis Badenſibus Iſidi ſacrata, (*f*) ut & aliæ ei dedicatæ, quæ paſſim in Gallia ſuperſunt, à SCHEDIO, (*g*) GRASSERO, (*h*) MABILLONIO, (*i*) productæ. Sed & Iſenaci, apud Thuringos, urbis origines, derivatas ab Iſide, GERH. Jo. VOSSIUS (*k*) jam pridem rejecit.

§. XCII.

Diana.

Iſidi DIANAM ſubjicio, ejus enim cultum apud Alſatas Mediomatricos ſive inferiores, & eo in loco quidem, ubi hodie Ebersheimenſe Monaſterium eſt, Cæſaris temporibus floruiſſe, ab eoque Templum illuſtre hujus Deæ ibi viſum, Hiſtorici quidem Alſatæ, ſed juniores, tradiderunt. Diana, ſub nomine *Triviæ* in terra, *Lunæ* & *Lucinæ* in cœlo, *Hecates* in Erebo, centumque aliis celebratur epithetis. *Arduenna* quoque cognomen habuit, quod propius nos reſpicit, ab Arduenna quippe, celebri ſilva inter Moſellam & Moſam, ei, ut videtur, impoſitum, uti CHRISTOPHORUS BROUUERUS (*l*) conjecit. BERNHARDUM HERTZOO in *Chronico Alſatiæ* (*m*) prodidiſſe reperio, Dianæ ſtatuam in Ebersheimenſis Monaſterii Templo ad An. MDXXV. usque perſtitiſſe, atque belli ruſticani occaſione, quum ruſtici Templo pro culina uterentur, conflagraſſe; crucis ſignum eo loci dein poſitum, hac addita Inſcriptione:

" Sum locus, quem priſcæ Novientum nomine gentes
„ Dixerunt, delubrumque fuit, quo thura Dianæ
„ Sacrabant, nomen Chriſtoque dicando traduxit
„ Atticho, triſti at omine Apri nunc Manſio dicor;
„ Qui poſuit lacero donaria plurima templo.
„ Indigno ſed id fato gens ruſtica nuper
„ Vaſtavit, furiis quando ferebatur iniquis,
„ Hosque loco & fanis ſacrum vocat altior ignis.

Verſus hi, ſeculo XVI. ſcripti, debile argumentum ſunt rebus probandis, quæ Celticam Alſatiæ Periodum reſpiciunt.

§. XCIII.

Maires ſive Matres Deæ.

MAIRES vel MATRES Deæ meliori jure ad tempora hæc pertinere videntur, quod nomen earum aliquid Celtici, vel certe à Romana Religione diverſi, aut peregrini, ſapere videtur. In Occitania etiamnum nomen *Maïré* pro matre vernaculum eſt. Græci Cybelem, Cererem, Romani Opem, Tellurem, Luam (*n*) aliasque, *Matres* habuerunt. Noſtris Gallicis Matrabus nihil fuit commune cum partu, ſed regionum certarum curam gerere credebantur. Itaque cum Græcorum Romanorumque Nymphis, Dryadibus, Hamadryadibus ſilvarum, agrorum,

(*c*) Vid. CONRADI PELLICANI & CONR. WOLFHARDI (Lycoſthenis) *Deſcriptio Rubeaci oppidi* apud SEBAST. MUNSTERUM *Coſmograph.* Lib. III. Cap. CXXIX. pag. 545. ICHTERSHEIM in *Topographia Alſatiæ* pag. 27.

(*d*) *Eiſene Burg*, à vulgo etiamnum pronuntiatur *Iſene Burg*. Convenit nomen caſtro munitiſſimo, quale rudera ejus demonſtrant. COCCIUS *in Dagoberto* Cap. XXI. pag. 193 huic etymologiæ quoque favet.

(*e*) *Helvet. Antiq. & nova* Cap. XXI.

(*f*) SCHEUCHZER in *Deſcr. Thermar. Badens.* pag. 8.

(*g*) De *Diis Germanis* pag. 155.

(*h*) *Antiquit. Nemauſ.* pag. 42. ſq.

(*i*) *Iter German.* pag. 101. Edit. Fabric.

(*k*) De *Orig. & Progreſſu Idol.* Lib. I. Cap. XXXVIII.

(*l*) *Antiquit. & Annales Trevir. Proparaſceve* Cap. XXIV. pag. 51.

(*m*) Lib. III. Cap. VII. Fol. XVI. Eadem prodit MABILLONIUS in *Itinere Germanico*, pag. 98. Edit. Fabric.

(*n*) De hac vid. VOSSIUS *de orig. & progr. Idol.* Lib. VIII. Cap. XVIII.

agrorum, hortorum, camporum, fluminumque, præſidibus eas verius compares. Imagines earum, hinc inde Inſcriptionibus additæ, hanc conjecturam confirmant, quibus cornucopias, poma varioſque fructus, tenere conſpiciuntur. *Matrabus* his, *Matrabus*, *Matribus*, imo & ſubinde *Matronis*, in Gallia Belgica præſertim, & ad Rhenum, vota ſoluta fuiſſe reperio. *Matris* pro *Matribus* habet *Lugdunenſis Inſcriptio.* (o) Non mirum ergo, eas apud Mediomatricos quoque, tum exteriores noſtros Alſaticos, tum interiores, occurrere. Matrabus enim, monumento ad Ellum, prope Benſeldam oppidum, poſito, *Sextus Clementis filius votum ſolvit*, quod in Alſatia Romana producimus. In ipſa Mediomatricorum Metropoli, Divoduri, *Vicani Vici Pacis Dis* (p) *Matrabus lapidem poſuere.* (q) Julius Regulus, Miles Leg. VI. iisdem *Matrabus* eadem in civitate votum perſolvit. (r) Mediomatricos noſtros ab his *Matribus* nomen accepiſſe, ſunt quibus veriſimile viſum eſt. (s)

§. XCIV.

Matrum Dearum cognomina.

Ex diverſorum locorum, quibus præeſſe credebantur, nominibus, varia & multiplicia cognomina paſſim Matrabus his tributa reperio: ut *Matribus Gerudatiabus*, (t) *Treviris*, (v) *Suebis*, (x) *Vediantiabus*, (y) *Mopatibus*, (z) *Friſavis*, *Brittis*, (a) quæ Britannos forſan reſpexerant. Inſcriptionem in Cumbria: *Deabus Matribus Tramai*, Jo. Seldenus (b) atque Elias Schedius (c) in lucem prodiderunt. Lapis Juliaci dedicatus eſt: *Matronis Rumanehabus*, à loco, qui adhuc vocatur *Rumanheim.* (d) Alius *Matronis Vacallinehis* in Eiflia, ubi hodieque vicus eſt *Wachelendorff:* (e) Reinesius, (f) à Vahali flumine nomen derivat. Appellatæ ſunt quoque Deæ *Suleves*, *Sulevie*, *Sulvæ*, *Sulfæ*, *Sylphæ.* In Lapide prope Lauſannam eruto: *Banira & Doninda, Dedalus & Tato Sulfis ſuis, quæ curam noſtram agunt, monumentum poſuerunt.* (g) *Suleviabus C. Paccius Paſtor veteranus Legionis XXII. votum ſolvit* monumento, quod An. MDCCXLIII. ad arcem Schueppenburg, Bonnam inter & Antonnacum, repertum eſt. (h) *Matronis Gabiabus*, *Junonibus Gabiabus*, *Matribus Vapthiabus*, *Matronis Hamavehis*, Coloniæ Agrippinæ: (i) *Aufaniis Matronis*, (l) imo & *Aufaniabus* (m) *Matribus*, Pannoniorum & Dalmatiarum: *Lucinis Matribus* Lugduni; (n) in Hiſpania *Matribus Gallaicis*, vota ſoluta ſunt. Sed & *Campeſtres* eas appellatas reperio, quod campis præeſſent. In Wurtenbergici Ducatus, nobis vicini, vico Bekinga prope Heilbronnam, An. MDCLXXVII. erutus lapis eſt, cui inſcriptum: *Campeſtribus ex voto*; (o) quod de Mairabus vel Sulevis explicandum eſſe ex marmore apud Fabrettum, (p) *Sulevis & Campeſtribus* dedicato, veriſimile fit. Interdum ſimpliciter *Dominæ* (q) & *Heræ*, apud Gallos Auſtrales, teſte Oihenarto, (r) vocantur. Sunt qui Deas has, ex Druidibus fatidicis fœminis, Gallorum ſuperſtitione in cœlum relatas fuiſſe, conjectant. (s) Illi autem oppido falluntur, qui Parcas Romanorum ad Deas has Matres pertinere volunt. Imagines earum, quæ hinc inde occurunt, contrarium ſatis demonſtrant.

(o) Spon *Recherches des Antiquités de Lyon* pagg. 88. & 90.

*(p) *Dis* pro *Deabus* explicat Scaliger in *Indice ad Inſcript. Gruteri.* Varro tamen de *Re Ruſtica* dixit quoque *Dis* pro *Deabus*; ut Gerhard. Jo. Vossius annotat in *Ariſtarcho* Tom. II. Opp. pag. 213.

(q) Meurisse *Hiſt. des Evesques de Metz* pag. 9. Gruterus pag. 90. num. 1.

(r) Gruter. *Inſcript.*

(s) Martin *Religion des Gaulois* Tom. II. pag. 152.

(t) Sponii *Miſcell. Eruditæ Antiq.* Art. LXXVI.

(v) In *Clivenſi Lapide* apud Keyslerum pag. 441.

(x) Ubi forte legendum *Sulevis.* Lapis extat Tuitii, (*Duitz*) è regione Coloniæ Agrippinæ, teſte Broelmanno *Specim. Hiſt. Vet. Civit. Ubiorum* Tab. III. Adde alium circa Neomagum effoſſum, quem Smetius & Reinesius *Inſcript.* pag. 188. memorant: *Lutatia Sueba.*

(y) Vediantii Galliæ Narbonenſis populus erant. Spon. *Miſcell.* Sect. III. num. 75.

(z) Smetii *Antiquitates Neomag.*

(a) Gisberti. Cuperi *Inſcriptiones & Marmora antiqua:* in Tom. II. *Supplem. Theſauri Antiquit.* Gronovii & Graevii pag. 248. ſqq.

(b) De *Diis Syris* Lib. II. Cap. II.

(c) De *Diis Germanis* Lib. I. Cap. VIII. pag. 118. Adde Reinesii *Inſcript.* pag. 187.

(d) Pighius in *Hercule Prodicio* pag. 72.

(e) Harzheimii *Diſſert. de Religione Antiquor. Ubiorum* Cap. II. pag. 20.

(f) *Inſcript.* pag. 188.

(g) Montfaucon *Antiquité Expliquée* Supplem. Tom. II. *Liv.* VII. *Chap. dern.*

(h) Liber, cui titulus: *Correſpondance des Scavans* ad An. MDCCXLIII. Harzheim *Diſſert.* allegata Cap. II. pag. 21.

(i) Marmora vide apud Stephanum Broelmannum, in *Specimine Hiſtoriæ vet. Civitatis Ubiorum* Tab. III. num. 32.

(l) Gruteri *Inſcript.* pag. 25. num. 11.

(m) Smetii *Antiquit. Neomagenſes* pag. 91. Locus hujus nominis prope Treviros eſſe ſcribitur. Reinesius *Inſcript.* pag. 188. legendum putat *Tanfaniabus*, à Dea Tanfana, cujus templum apud Marſos. Tacitus *Annal.* Lib. I. Cap. LI. Vid. de Matribus Aufaniis Rothius in *Diſſert. de Imagunculis Germanor. Magicis*, quas *Alrunnas* vocant. 8vo Helmſtad. 1737.

(n) Menetrier *Hiſtoire Conſulaire de Lyon.*

(o) Sponii *Miſcell. Erud. Antiq.* Art. LXXXII.

(p) *De Aquæductibus*, pag. 106.

(q) Gruter. *Inſcript.* pag. 90. num. 4.

(r) *Notitia Vaſconiæ.*

(s) Keyslerus in *Diſſert. de Mulieribus Fatidicis Antiquis, Septentr.* Art. LII. pag. 446.

§. XCV.

Campes & Epona.

Cognomen *Campeſtres*, Matrabus tributum, admooet nos Inſcriptionis *Campes & Eponæ*, ab AVENTINO productæ. (*t*) Hæc nobis *Campen*, Deam quoque topicam, indicare videtur, quæ ad loca hujus nominis, adeoque & ad *Cambetem* Alſatiæ, poſſet referri; quum oppidorum, urbium locorumve, appellationes in Numina mutare, non Græcis & Romanis modo frequeos, ſed & temporis ſucceſſu apud Celtas iovaluerit. Aventico ſane, urbi Celto-Helveticæ, Dea præſes tributa *Aventia*, (*v*) teſte *Inſcriptione*, quam videmus. Nomen *Campe*, *Cambe*, *Cambo*, quod in compoſitis Galliæ, Vindeliciæ, imo & Hiſpaniæ Tarraconenſis, locorum nominibus paſſim occurrit, quidem Celticum fuit. Inſcriptionis hujus auctoritas tamen me oondum inducit, ut, inter Rhenenſium & Danubianorum Numina *Campen* peculiarem aliquam Deam fuiſſe, exiſtimem, quum pridem ſuſpicatus ſim, Aventinianam hanc Epigraphen *Campeſtribus & Eponæ* Deabus fuiſſe poſitam. Campeſtres autem Matribus Deabus atque Sulevis additum nomen fuiſſe, annotavimus ſupra. Epona Campeſtribus Deabus opportune addi potuit, quam Deam equorum ſtabularii coluerunt, ut ex APULEJO (*x*) & PLUTARCHO (*y*) addiſcimus. *Deæ Eponæ Maulius Reſtio* apud Salodurenſes mooumentum memorabile condidit: Lapis à me viſus ſupereſt hodieque. (*z*) *Campen* peculiarem Deam tum demum reputabo, quum aliud proſeretur monumentum, in qua illius mentio occurrat diſtincte.

Cercopithœci, ſive Dei ſimii, ſignum æneum, prope Mulhuſium oppidum, in Sundgovia repertum eſt, noſtra ætate. Ægyptiacum hoc numen nonniſi Romanorum temporibus cum Anubi, Æluro, Serapide, Oſiri, Iſide, Horo, Harpocrate, quorum omnium ſigna, vel imagines æneæ, in Muſeo meo extant, in Alſatiam noſtram tranſlatum fuiſſe, æqui rerum judices mecum facile reputabunt.

DRUIDÆ. LUCI: ARÆ.

§. XCVI.

Druidum Nominis origo.

QUod Magi apud Perſas, Gymnoſophiſtæ apud Indos, Chaldæi apud Aſſyrios, id Druidæ apud Gallos, adeoque & Alſatiæ incolas, ſub Periodo Celtica, fuerunt: ſacrorum utpote Myſtæ & Sacerdotes præcipui; ita tamen, ut Principatum quoque rerum civilium in Republica tenerent; quæ poteſtas alias apud Gentes Sacerdotibus data non fuit. Druides ſane Græca, Romana & Germanica, ignoravit religio. Ex Græca tamen lingua *Druidum* nomiois originem derivat PLINIUS, (*a*) quæ recepta apud pleroſque ſententia eſt. De Hebraicis (*b*) vocis hujus originibus ſilemus; quanquam & hæc opinio ſuos fautores invenerit. Nec minus repudiandæ ſunt Teutonicæ ejuſdem origines, quas GERHARDUS JOANNES VOSSIUS (*c*) aliique (*d*) huc trahunt, qui à *Tru*, (fides) vel *Trutin*, (Deus) nomen hoc repetendum exiſtimant. (*e*) Apud Germanos enim nulli Druidæ Cæſaris ævo fuere, ut ipſe CÆSAR (*f*) teſtatur. Inſequeoti tempore ſi apud eos occurrunt, id inde factum, quod Tiberii Claudiique Imperatorum decretis ex Gallia ejecti trans Rhenum ſugerunt: præterquam quod veteres Celtarum per Germaniam coloniæ ſuos quoque Druidas habuiſſe videantur.

Celtica

(*t*) *Annal. Bojor.* Lib. II. Cap. V. pag. 81.

(*v*) DEÆ AVENTIÆ ET GENIO INCOLARUM. Inſcriptio prope Aventicum vetus reperta. MARQ. WILD *Apologie pour la Ville d'Avanche en Suiſſe* pag. 226. quam tamen ad Aventicum referendam non putat JAC. MARTINUS *de Religione veterum Gallorum* Tom. II. pag. 165. ratione non idonea ad hanc ſententiam inductus.

(*x*) *Metamorphos.* Lib. III. pag. 141.

(*y*) *In Parallelis ex Ageſilao Italicor.* III.

(*z*) Vid. FRANC. HAFFNERI *Chron. Solodur.* Part. II. pag. 45.

(*a*) *Hiſt. Natur.* Lib. XVI. Cap. XLIII. ſq. Hunc ſequitur SALMASIUS in *Not. ad Lamprid.*

(*b*) A voce דרושים *deruſſim*, *druſchim*, quod interpretantur *contemplatores*, *indagatores*.

(*c*) *De Idololatria* Lib. I. Cap. XXXV. pag. 98.

(*d*) JO. PHILIPPUS PALTHENIUS apud SCHILTERUM *Theſaur. Antiquit. Teuton.* Tom. III. pag. 212. STRUVIUS *Corp. Hiſtoria Germ.* pag. 31. à voce *Druida* ortum putat nomen *Druhtin* ſive *Truhtin*, quo *Dominus* denotatur & *Deus* apud Germanos. Ita Deus & Miniſtri ejus Sacerdotes uno & communi nomine appellati fuiſſent.

(*e*) GOROPIUS BECANUS Lib. I. derivat à Germanicis vocibus compoſitis *Tro wis*, fidei vel veritatis inſtructor.

(*f*) De *Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XXI. ubi: « Germani multum ab hac conſuetudine differunt: « nam neque Druides habent, qui rebus divinis « præſint, neque ſacrificiis ſtudent. „ Evidens hoc teſtimonium non video quomodo poſſit eludi; unde inter Germanos ipſos conſentiens eſt SAM. SCHURZFLEISCHIUS in *Diſſert. de Inſtitutis Druidum*: HECHTIUS in *Germania Sacra & Literata* Part. I. Lib. I. Cap. XV. in alia omnia licet diſcedat ELIAS SCHEDIUS de *Diis Germanis Syngram.* II. Capp. XXIII. & XXIV. aliique plures, qui eum ſequuntur.

Celtica & Germanica linguæ, diverſæ omnino quum fuerint, Sacerdotum Gallorum nominis etymologiam in Germanico idiomate inconcinnum eſt quærere. Picardi ſententia, qui à Druide quodam, veteri Gallorum Rege, hoc nomen derivat, (*g*) à Beroſo Annii Viterbienſis deceptus, vix digna memoratu. Vox Celto-Aremorica vetus *Deru*, *Dru*, quercum denotat; (*h*) *Derbuecq* quercetum. Jam vero arborum ſacratiſſima omnium in religione Gallorum fuerat quercus: ſine querceis frondibus nunquam Diis ſuis litare ſe poſſe crediderant. In quercetis vel roborum lucis, aut certe ſub quercubus, ſacrificia & reliqua, Diis placandis neceſſaria, faciebant, imo & ſua plerumque habitacula ibidem conſtituebant Druides: nomen inde ſuum traxiſſe credendi, quod *Quercuum cultores* & *Quercetorum incolæ* fuerunt. Monaſterio Truttenhuſano, ad Odiliani montis radices ſito, quod Canonicorum regularium olim, nunc vero deſtructum eſt, Druidum veterum inhæſiſſe nomen, ſuſpicatur Keyslerus. (*i*) At nonniſi ſeculo XII. dominante apud Alſatas lingua Germanica, cœnobium hoc ab Herrade Abbatiſſa Hohenburgenſi exſtructum, & lingua nativa ejus Alſaticaque vulgari *Truttenhuſen*, ſive *Domus Dei*, appellatum, ut *Trutmann* Virum Dei, medio ævo, denotavit. Noſtra ætate Germani Monaſteria Domos Dei, (*Gotteshæuſer*) appellant. Vocula *Trut*, priſco & medio ævo nota, apud Germanos juniores exolevit. Plinius ergo vocem *Druis* recte derivavit à quercu, quod Gallos originem ejus inde derivaſſe didicerat, in eo tamen deceptus, quod à Græca voce δρῦς natam exiſtimavit. Quam facile in conjecturam hanc incidit Scriptor, cui Græca notiſſima, Celtica ignota. Linguas has autem inter ſe diſcrepaſſe, alibi docebo. (*k*)

§. XCVII.

Druidum dignitas.

Druides primos & antiquiſſimos Sacerdotes Alſatia Sequanica & Mediomatricenſis habuerat. Quanta eorum dignitas, imo & in rebus civilibus auctoritas, fuerit, id Julii Cæsaris (*l*) potius quam aliorum verbis exponere viſum. Ille autem ita: „Rebus divinis interſunt, ſacrificia publica atque privata procurant; religiones interpretantur: ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ cauſa concurrit; magnoque ii ſunt apud eos honore. Nam fere de omnibus controverſiis, publicis privatisque, conſtituunt, &, ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, de finibus, controverſia eſt, iidem decernunt; præmia pœnasque conſtituunt: ſi quis, aut privatus, aut publicus, eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos eſt graviſſima: quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum ac ſceleratorum habentur; iis omnes decedunt, aditum eorum ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus præeſt unus, qui ſummam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit; at, ſi ſunt plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur; nonnumquam etiam de principatu armis contendunt. Ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, conſidunt, in loco conſecrato; huc omnes undique, qui controverſias habent, conveniunt; eorumque judiciis decretisque parent. &c. Druides à bello abeſſe conſueverunt, neque tributa una cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis, & ſua ſponte multi in diſciplinam conveniunt, & à propinquis parentibusque mittuntur: magnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent; neque fas eſſe exiſtimant, ea literis mandare, quum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Græcis literis utantur. Id mihi duabus de cauſis inſtituiſſe videntur; quod neque in vulgus diſciplinam efferri velint: neque eos, qui diſcunt, literis confiſos, minus memoriæ ſtudere, quod fere plerisque accidit, ut præſidio literarum, diligentiam in perdiſcendo, ac memoriam remittant.

(*g*) *Celtopædia* Lib. II. pag. 58. Adde Aventinum *Annal. Bojor.* Lib. I.

(*h*) Rostrenen *Dictionnaire François-Celtique*, voce: *Chene*, pag. 160.

(*i*) *Antiquit. Septentrionales & Celticæ* pag. 69.

(*k*) Vid. infra pag. 94. ſq.

(*l*) De *Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XIII. ſeq. Strabo Lib. IV. Cæſari conſentiens eſt. Imo & Diodorus Sicul. Lib. VI. Capp. IX. XII. Plin. *Hiſt. Nat.* Lib. XV. Cap. XLIV. Lib. XVI. Cap. XLIV. Lib. XXIV. Cap. II. Lib. XXIX. Cap. III. Lib. XXX. Cap. I.

§. XCVIII.

Philoſophia & Theologia Druidarum.

Philoſophiæ autem atque Theologiæ Druidum capita hæc fuerunt præcipua: (*m*) „ Non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem transire ad alios; atque „ hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa „ præterea de ſideribus, atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de „ rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate, diſputant, & juventuti tradunt. „ Hæc Cæſar. De augurandi ſtudio Druidum memorabilis apud CICERONEM (*n*) locus eſt; ubi de Divitiaco Æduo, (*o*) qui auctoritate & potentia apud ſuos facile princeps, Æduis ab Arioviſto oppreſſis, auxilii petendi cauſa Romam profectus, Ciceronis domum hoſpitii cauſa iniverat, honorificam mentionem injicit Quintus frater. Ibidem leguntur hæc verba: “ Siquidem & in Gallia Druidæ ſunt, è quibus ipſe Divitiacum Æduum, „ hoſpitem tuum (Marcum fratrem intelligit,) laudatoremque, cognovi; qui & naturæ „ rationem, quam Phyſiologiam Græci appellant, notam eſſe ſibi profitebatur, & „ partim auguriis, partim conjectura, quæ eſſent futura, dicebat. „ Druidum religionem abominandam Romanis reddidit ſacrificiorum humanorum dira ſuperſtitio. Præterquam enim, quod captivos in honorem Deorum ſuorum ſubinde immolaverint, magnis de rebus conſulturi, ex vivi hominis immolati caſu, membrorum convulſione, ex fluxu cruoris, quid eventurum ſit, prædicere ſe poſſe crediderunt. (*p*) Hinc Cæſar Auguſtus religionem Druidarum (*q*) civibus interdixit, Tiberius Druidas omnino ſuſtulit. De eo ſic PLINIUS: (*r*) “ Gallias utique poſſedit, & quidem ad noſtram memoriam: „ Namque Tiberii Cæſaris Principatus ſuſtulit Druidas eorum, & hoc genus Vatum „ Medicorumque. „ Quem locum de Galliis ipſis perperam multos interpretari VOSSIUS arbitratur, quum de urbe ſolum ſit capiendus. Quidquid ſit, Tiberius Claudius Druides in Gallia ipſa abolevit. Teſtis eſt SENECA in *Apocolocynthoſi*: SUETONIUS TRANQUILLUS, (*s*) imo & AURELIUS VICTOR (*t*) in *Claudio* ſcribens: “ Denique bonis auctoribus compreſſa per eum vitia, ac per Galliam Druidarum „ famoſæ ſuperſtitiones. „ TACITUS, ubi de Suetonio Paulino Monam, Inſulam Britannicam, ingreſſo loquitur, (*v*) hæc addit: “ Exciſi luci, ſævis ſuperſtitionibus ſacri; „ nam cruore captivo adolere aras, & hominum fibris conſulere Deos, fas habebant. Quæ apud poſteriores Scriptores de durante hac ſuperſtitione in Gallia, apud LAMPRIDIUM in *Alexandro*, VOPISCUM in *Aureliano*, leguntur, Druidiſſas potius, earumque vaticinia, quam Druidas reſpiciunt. Huc refer de ſacris his conquerentem EUSEBIUM. (*x*) Itaque POMPONIUS MELA, (*y*) qui ſub Claudio Imp. floruiſſe legitur, Druidum Scholas, non ut illuſtres, ſed clandeſtinas in ſpecubus & ſaltibus abditas, deſcribit, quod legibus ſevere eſſent prohibitæ. TERTULLIANUS vero, ſeculo ſecundo ſcribens, ait: *Sed & nunc in occulto perſeverat hoc ſacrum facinus.* (*z*) Druidum ex Gallia expulſio fecit, ut ad Germanos forte transirent; ubi in Celticis coloniis Druidas jam antiquitus viguiſſe credibile eſt. Hæc ſi obſerves, ipſaque diſtinguas tempora, facile cum Cæſare conciliabitur Tacitus, quorum ille Druidas denegat aperte Germanis, hic vero in Libris ſuis adſcribere videtur.

§. XCIX.

Druidum imagines putativæ.

Viam hæc nobis aperiunt, ad ferendam ſententiam de tribus ſimulacris lapideis, inter plurimas Mercurii imagines in Ferrato Dononis Monte, Alſatiæ & Lotharingiæ limite, etiamnum extantibus; quæ Gallicos totidem Druidas Sacerdotes repræſentare HIACYNTHUS ALLIOTUS, (*a*) Mediani Monaſterii in Vogeſo Abbas, ineunte hoc ſeculo mortuus; JOANNES SCHILTERUS, (*b*) qui duo peculiaribus Epiſtolis Mſſ. hac ſuper re ſententiam ſuam declararunt; BERNHARDUS MONTEFALCONIUS, (*c*) & hujus veſtigia

(*m*) CÆSAR loco cit. Cap. XIV.

(*n*) *Divinat.* Lib. I. Cap. XLI.

(*o*) De quo CÆSAR de *Bello Gall.* Lib. I. Cap. XVIII. XIX. XXXI. XLI. & Lib. VI. Cap. XII. qui poſterior locus de itinere ejus Romanu loquitur.

(*p*) DIODOR. SICUL. Lib. V. Cap. XXXII. pag. 308. STRABO Lib. IV.

(*q*) SUETONIUS in *Claudio* Cap. XXV. ſcribit: “ Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, „ & tantum civibus ſub Auguſto interdictam, penitus „ abolevit.

(*r*) Lib. XXX. Cap. I.

(*s*) *In Claudio* loco cit. Quod Plinius Tiberio tribuit, Suetonius Claudio tribuere videtur. SCHUEZFLEISCHIUS Claudium ab utroque Scriptore diverſis nominibus deſignatum exiſtimat in *Diſſert. de Veter. Inſtitut. Druidum*, quæ extat Operum ejus Hiſtorico-Politicorum pag. 812.

(*t*) *De Cæſaribus* Cap. IV.

(*v*) *Annal.* Lib. XIV. Cap. XXX.

(*x*) *Præparat. Evangel.* Lib. IV. Cap. XVII.

(*y*) De *Situ Orbis* Lib. III. Cap. II.

(*z*) TERTULLIANUS in *Apologetico* Cap. IX.

(*a*) In *Epiſtola ad fratrem* ſuum, Ludovici XIV. Medicum, An. 1697. Gallice ſcripta, quæ, nunquam typis impreſſa, in Bibliotheca mea Manuſcriptorum Alſatica extat.

(*b*) In *Obſervationibus ad Monumenta Montis Ferrati*, eodem anno 1697. lingua Germanica ſcriptis, quæ publicam lucem non aſpexerunt, quamque inter Mſſ. aſſervo.

(*c*) *Antiquite Expliquee* Lib. IV. Cap. II. pag 416.

veſtigia premens Jacobus Martinus, (*d*) aliique eorum ſequaces, magna cum veriſimilitudine tradiderunt. Horum tamen Eruditorum ſententiæ ne accederem, duæ rationes me ſemper impediverunt. Primam ex ipſis Auguſti, Tiberii, Claudiique legibus & edictis deſumo. Duorum poſteriorum juſſu omnes ex Gallia proſcripti ſunt Druidæ. Sacerdotibus, quos Cæſarum leges proſcribunt, quos Romanorum Theologia ut ſacrilegos damnat, num monumenta ſolennia ſub Romana dominatione eo in loco erigi potuerunt, ubi religionis Romanæ cum Celtica mixtæ non unum documentum occurrit? Romani, Druidarum religionem abhorrentes, num Monumentis & imaginibus Druidas honoraſſe cenſendi ſunt? Altera, quæ me permovet, ratio, imagines Dononis Montis Druidales ne reputem, ex omni eorum habitu veſtituque petita eſt. Tres omnes tunicis indutæ ſunt Gallicis, inter quas duæ quadratæ. Una pallium tunicæ ſuperadditum habet. Nihil hic annuntiat Druidas: his enim peculiaris veſtitus quin fuerit, dubitare non licet; in harum autem figurarum veſtitu nihil ſingulare, ſed ordinarius Gallorum habitus, comparet. Adde quod ex imaginibus uni gladium impoſitum cernimus. Jus vitæ & necis Druides exercuiſſe quidem, ex Cæſare jam vidimus; gladio tamen Sacerdotem deſignatum eſſe veriſimile non eſt. Inconveniens hoc ſenſit Martinus; allaturusque medelam, ex gladio clavem producere ſtuduit, ſed invito prototypo; quem ego, quum præſens curate examinaſſem, enſem omnino expreſſum deprehendi. Sed & eandem figuram manu ſiniſtra chartam vel librum tenere reperi, quem anonymus deſcriptor male delineans in chirothecam convertit, Montefalconium & Martinum in errorem inducens.

§. C.

Neque tamen propterea minus perſuaſus ſum, ante Romanorum in Alſatiam adventum, in excelſo illo Dononis ſive Ferrati Montis vertice, nobiliſſimum Regionis Lucum Druidumque habitationem fuiſſe, Vogeſique incolas accolasque, cultus religioſi & ſacrificiorum cauſa, ad ſacrum locum illum è longinquo confluxiſſe frequentes. Sed & de eo perſuaſus ſum, Romanos, in Druidalem hunc lucum venientes, non magis ei pepercisse, quam nemoribus illis pepercerant, quæ in Inſula Britanniæ Mona repererunt. Itaque omne deinceps Ferrati Montis cacumen, facie immutata, novæ Religioni, ex duabus commixtæ, ſive Celtico-Romanæ adaptatum fuiſſe, ipſæ ſacræ loci illius religioſi reliquiæ evidenter nos docent. Mercurialium imaginum forma rudis; attributa Romanis ignota; figurarum humanarum Gallicus veſtitus; vocabula *Bellicus* & *Surbur*, quæ ſub cane & apro inſculpta rupi leguntur; hæc omnia, inquam, peregrini & quidem Gallici quid ſapiunt; Romanæque antiquitatis peritorum oculos primo aſpectu offendunt. Romanæ vero Religionis, ibidem quoque exercitæ, teſtimonia fuerunt inſignia Templi quadrati rudera, Inſcriptionumque Romanarum quarundam, ſolito Romanorum ſtylo conceptarum reliquiæ; quæ omnia æri inciſa ſiſtet Alſatia Romana. Omnibus ergo probe conſideratis, non temere concludemus, ut arbitror, tria illa Ferrati Montis ſimulacra, quæ à Viris doctiſſimis ad Druidas referuntur, non eſſe Druidalia, ſed ad aliam primariorum apud Mediomatricos virorum claſſem referri debere. Tribocorum, ſive Germanicæ religionis, nihil inter hæc Monumenta quærendum. Hi enim ex Germania licet Julii Cæſaris temporibus jam ad Mediomatricos tranſierint, & cum eis inferiorem inhabitaverint Alſatiam, eos tamen ad Vogeſi medium uſque penetraſſe non video: nec Teutonicam Antiquitatem ulla ex parte Monumenta hæc ſapiunt; quod tamen viſum eſt Joanni Schiltero, qui Celticam religionem, linguam, antiquitatem, cum Germanica perpetuo errore confudit: Obrechti, Cluverii, Schedii, Picoardi, Rami, aliorumque magno numero Eruditorum, inſiſtens veſtigiis; ut ſuo loco videbimus.

Verior de iisdem imaginibus ſententia.

§. CI.

Druidis, Sacerdotibus viris, Druidiſſas ſubjungimus, quæ ſacris quoque peragendis inſtitutæ fuerunt; quibus etiam jungebantur fatidicæ, Sibyllis Græcorum ſimiles; Dryades, Druiadesque appellatæ. Has apud Mediomatricos noſtros magno numero fuiſſe neceſſe eſt, quum *Antiſtita Druis*, in Inſcriptione, apud Mediomatricos noſtros reperta, memoretur, quæ collegio Druidali fœmineo præfuit. (*e*) Fatidicarum fœminarum apud Germanos habitum deſcripſit Strabo; (*f*) ubi capillo cano, candido veſtitu,

Druidiſſæ & Dryades.

(*d*) *Religion des Gaulois* Tom. I. Lib. I. Cap. XXX.

(*e*) Gruter. pag. 58. num. 9. vel pag. 62. num. 19.

SILVANO. SACR. ET NYMPHIS.
LOCI. APETE. DRVIS. ANTISTITA.
SOMNO. MONITA.

(*f*) *Geograph.* Lib. VII. pag. 452. Edit. Almelov.

veſtitu, carbaſinis amictas ſagulis, quæ fibulis ſubnectebantur, cingulo cinctas æneo, nudisque incedentes pedibus, eas nobis depingit. Unde autem vaticinia ſua deſumſerint, docet PLUTARCHUS, (*g*) & ex eo CLEMENS ALEXANDRINUS; (*h*) qui docent nos, inſpectis amnium vorticibus, rivorum gyris, ſtrepitu ſonituque, factum id eſſe. Druiades noſtræ fatalium bellorum tempore, quo Otho, Vitellius, Veſpaſianus, imperium ſinguli occupare niſi ſunt; Romano interitum prædicabant Imperio; Capitolii, quod tum conflagraverat, incendio ſignum cœleſtis iræ datum, & poſſeſſionem rerum humanarum Trans-Alpinis gentibus, ſive Gallis, portendi, ſuperſtitione vana, ut TACITUS (*i*) loquitur, canentes. Mulier Druias (ita nomen ſcribitur) Gallica Severo Alexandro periculum vitæ à militibus ſuis imminens prædixit, apud ÆLIUM LAMPRIDIUM. (*l*) Aurelianum Imperatorem Gallicanam conſuluiſſe Dryadem, apud FLAVIUM VOPISCUM (*m*) legimus, quæ Claudiæ gentis lætum prædixit imperium: id quod Diocletiano quoque contigiſſe legimus. (*n*) Talem fœminam paſſis & rigidis crinibus (ut Sibyllæ vaticinantes repræſentabantur,) vidimus in Arcu triumphali Arauſionenſium, (*o*) & in Monumento, quod extat Orolauni, (*Arlon*) quod Belgicæ veterum Trevirorum oppidum fuit, hodie Luxemburgenſis Ducatus; ubi Druis ante Tripodem ſedens, in veteri marmore, anaglyptico opere, expreſſa, ſiſtitur. (*p*)

Druidum harum, ſacra procurantium, aliæ virginitatem perpetuam ſervarunt; aliæ maritatæ, at ſemel tantum anno inviſerunt maritum; aliæ ordinario cum conjugibus Druidis matrimonio cohabitaverunt. Aliæ, denique, vaticinandi dono ſingulari præditæ, magnam ſibi in rerum futurarum prædictione auctoritatem conciliarunt. Hanc religionis partem, mulieres nempe vaticinantes, Galli cum Germanis habuere communem. Memorabilis apud TACITUM (*q*) de Velleda virgine apud Bructeros fatidica locus eſt: "Velleda Virgo, (ait) nationis Bructeræ late imperitabat, „ vetere apud Germanos more, quo pleraſque fœminarum fatidicas, & augeſcente „ ſuperſtitione arbitrentur Deas. Tuncque Velledæ auctoritas adolevit: nam proſperas „ Germanis res, & excidium Legionum, prædixerat. „ Matres illæ familias, quæ Arioviſti exercitum in Alſatiam ſecutæ ſunt, fortibus & vaticinationibus ſuis declararunt Arioviſto, non eſſe fas Germanos ſuperare, ſi ante novam Lunam prœlio contendiſſent; id quod Germani ipſi apud CÆSAREM (*r*) teſtati ſunt.

§. CII.

Luci ſacri. Ceremoniæ religioſæ à Druidis peractæ ſunt in LUCIS & Nemoribus ſacris. Templa enim & fana ignoravit Gallia (*s*) ante dominationem Romanam; ab Ægyptiorum, Græcorum Romanorumque, Theologia in hoc plane diſcrepans, quod in Lucis, Quercetis, Nemoribus, vel ad lacus, ad flumina, ſtagna, fontes, aut in apertis ſubinde campis, ſed plerumque ſub quercubus, ſua ſacra celebravit; qui ipſi Luci, quod Diis ſacrati fuerunt, non raro Templorum ſub nomine apud Scriptores occurrunt. Romanos in augurali ſua ſcientia certam regionem, ab Augure verbis conceptis lituo definitam, *Templum* appellaſſe, res notiſſima eſt. (*t*) Lacus ille Toloſatium, in quem aurea dona, quæ Diis fecerunt, conjecerant Galli, templum Gallicum fuit; unde temporis ſucceſſu nati ſunt immenſi theſauri, atque adeo auri Toloſani celebritas. (*v*) Confirmat hoc DIODORUS SICULUS, (*x*) multum auri in ſacellis & delubris Gallorum in Deorum honorem diſſeminatum eſſe, quum ſcribit. Hoc ſenſu intelligendus SUETONIUS, ubi Galliæ Trans-Alpinæ templa Cæſarem expilaſſe commemorat. (*y*) Ipſe Cæſar, de Religione Gallorum ſcribens, non modo Templa ſilet, ſed & lucos, lacus &c. templa fuiſſe Gallorum, ſatis aperte declarat. Sub prima ergo Rerum Alſaticarum Periodo non alia apud Alſatas, quam nemora, luci, ſilvæ, quærenda ſunt Templa.

§. CIII.

(*g*) *In Cæſare* Cap. XXVIII. Tom. I. Opp. pag. 717.
(*h*) *Stromat.* Lib. I.
(*i*) *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LIV.
(*l*) *Vita Severi Alexandri* Cap. LX.
(*m*) In *Aureliano* Cap. XLIV.
(*n*) Vid. VOPISCUS *in Numeriano* Cap. XIV.
(*o*) MONTFAUCON *Antiq. Expliq.* Tom. IV. pag. 170. qui accurate dedit expreſſum. Pars hæc arcus omiſſa eſt in Tabula adjecta *Hiſtoriæ Arauſionenſi*, Gallice ſcriptæ à JOSEPHO DE LA PISE.
(*p*) Vid. *l'Ancienne Tradition d'Arlon*, edit. Luxemburgi 1744.
(*q*) *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LXI.
(*r*) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. L.
(*s*) Vix templa apud Gallos reperias. STRABO tamen Lib. IV. pag. 303. de Sacerdotibus fœminis loquitur, quæ Bacchi ſui templum quotannis detegere ſolitæ.
(*t*) VARRO de *Lingua Lat.* Lib. VI.
(*v*) De Templo Toloſano STRABO *Geograph.* Lib. IV. pag. 287.
(*x*) *Bibliotheca* Lib. V. Cap. XXVII. pag. 305.
(*y*) SUETONIUS in *Julio Cæſare* Cap. LIV.

§. CIII.

Conjecturæ de Lucis Alſaticis.

Oseas Schadæus (z) noſter talem Lucum gentilem eo in loco, ubi majus Argentoratenſium Templum, extitiſſe, ejusque monumentum in puteo Templi ſupereſſe, exiſtimat. Conjectura Jo. Georgio Keyslero (a) veriſimilis viſa eſt, ita enim ſcribit: "Neque illud etiam prætereundum, Majores noſtros ſemper in uſu habuiſſe, „ ut aris & locis ſacris eas regiones ſeligereot, quæ puteum aut footem vivum „ exhiberent, abluendis victimis & auſpiciis inde capiendis &c. „ Paulo poſt: "Teſtatur hac de re ſummum Argentoratenſium Templum, hodienum puteum, mœnibus ſuis „ incluſum, ſervans, ſacris Gentilibus olim adhibitum. Hunc Remigius tempore „ Clodovæi, uti narrant, in uſum baptiſmatis Chriſtiani conſecravit, quod duravit „ usque ad tempora Reformationis, tanta veoeratione, ut aqua ejus in finitimos usque „ vicos portaretur, non ſine aliis etiam ſuperſtitionibus; ex illo autem tempore „ cuilibet liber eſt, uſumque vicinis ædibus præſtat ob aquæ ſalubritatem. „ Hæc Keyslerus. Haud procul Plobshemio vico, tribus ab Argentorato leucis diſſito, in campi planicie ſita eſt ædes, appellata *ad Quercum*; (*zur Aych*) in qua retro altare truncus eſt quercus annoſæ, cum querceto vicino; quem lucum Druidalem fuiſſe, ubi ſacra olim ſua peregeriot Druides, neſcio quo auctore ſcripſit Bernhardus Herzog, (b) eundem Keyslerum (c) nactus ſequacem. Alius ejusdem oominis locus eſt, vico Gerſtdorf, Wœrthæque, Alſatiæ inferioris oppidulo, vicinus. Collegiatam Eccleſiam Divi Leonardi cognominari *ad Quercum* veteres illius chartæ teſtantur, ibidemque amœniſſimum quercetum adhucdum extat, in colle prope Eccleſiam ſitum. Idem quoque de loco, ubi hodie vicus El, medio ævo *Elegia*, ſuperſtitionibus gentilium ootiſſimus, Gervilerus conjectat. (d) Alius Lucus ſacer, quem non quercubus, ſed tribus fagis, in quodam Alſatiæ inferioris loco conſitum fuiſſe volunt, Tribocorum nomini originem dediſſe, commoni fere Scriptorum noſtratium (e) conſenſu traditur; qui nimirum à Theotiſcis vocibus *Drey Buchen* (tribus fagis) *Triboc.os* derivant. Quam debili fundamento hæc etymologia nitatur, docebimus alibi, id jam annotaſſe contenti: Schadæum arboribus his locum aſſignaſſe, ubi jam Epiſcopalis Argentinenſium Eccleſia eſt, Schilterum alibi, aliis feliciore conſilio ſilentibus locum. Verum hæc Druidum religionem reſpicere nequeunt, qui quercus, non fagos, colere ſolebant. Adde, quod Triboci, Germanicus populus, ex Germania in Alſatiam venientes, nomen hoc ſecum attulerunt cis Rhenum, unde tres fagi illæ in Germania, non in Alſatia, quærendæ eſſent, ſi ab illis nomeo ſuum accepiſſet hic populus. Monaſteriorum Bavariæ *Oberalteich*, *Unteralteich*, (f) nomina huc quoque pertinere viſum nonnullis, quod nempe ex ſacris Druidum Quercetis in Cœnobia antiquitus cooverſa creduntur. Nec refragabor ego, qoum Druidæ cum coloniis Celticis quoque in Germaniam Danubianam tranſire potuerint. Sed Druidas arceſſere heic opus noo eſt, quum Germani lucos quoque pro templis habuerint, ut ex Tacito liquet. Quidquid ergo ruderum Templorum ex antiquitate gentili ſupereſt, id ad Romana referendum eſt tempora, quo Othmarshemiana octangularis ædes, inſigne ædificium, mira arte conſtructum, pertinere indubium eſt.

§. CIV.

Aræ.

In Lucis his ſacris, templum referentibus, poſitæ fuerunt Aræ, ad quas ſacrificia peracta; quod Lucanus (g) effatur:

" Lucus erat, longo nunquam violatus ab ævo,
„ Obſcurum cingens connexis aera ramis,
„ Et gelidas alte ſummotis ſolibus umbras.
„ Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes
„ Sylvani Nymphæque, tenent, ſed barbara ritu
„ Sacra Deum, ſtructæ ſacris feralibus aræ,
„ Omnis & humanis luſtrata cruoribus arbos.

Talis

(z) *Deſcriptio ſummi Argentorat. Templi* pag. 35.
(a) *Antiquit. Septentr. & Celticar.* Cap. III. §. IV. pag 48.
(b) *Chron. Alſat.* Lib. III. fol. 12.
(c) *Antiq. Septentr. & Celt.* pag. 68.
(d) Gervilerus in *Commentatio Mſ. de Domo Habsburg.* Cap. XXII.
(e) Oseas Schadæus in *Deſcriptione ſummi Argentor. Templi*, Cap. II. pag. 3. Schilterus *Obſervat. ad Kœnigshovii Chron.* pag. 1064. Inter exteros Cluverius, Spenerus, Martinierius aliique plurimi.
(f) Vetus quercus ſuperior, Vetus quercus inferior.
(g) *Pharſal.* Lib. III. v. 399. ſqq

Talis Nemoris, vel Luci ſacri, veſtigia in Semurionenſi agro, haud procul Alexia diſſito, ſupereſſe volunt: ipſo loci nomine *Mont Dru* (*Mons Druidum*) id ſatis indicante. In Comitatu Burgundiæ, nobis contiguo, prope oppidum *Antre*, Druidæ primarii Sequanorum habitationem fuiſſe ad ſaltum & lacum ibi vicinum, ſibi perſuaſit Dunodus, Societatis Ignatianæ Sodalis. (*h*)

LINGUA ALSATIÆ SUB PERIODO CELTICA.

§. CV.

Linguæ Alſatarum variæ.

Alſatia Vetus cum decurrentibus ſeculis diverſas quoque in regionibus ſuis Linguas ſibi vidit ſuccedere, Celticam, Romanam, Germanicam; prouti nempe exteris nationibus ea ceſſit in prædam. Novum imperium Alſatiæ novam plerumque linguam afferre conſuevit. Sub Celtica Periodo Alſatia omnis, ad Tribocorum usque adventum, unilinguis fuit; poſtquam hi in Alſatia, paulo ante Cæſaris mortem, conſediſſent, accedente Theotiſca, bilinguis facta eſt. Sub Romana Periodo trilinguis evaſit; accedente Latina, quæ cæteras oppreſſit, Celticamque linguam fere omnem abolevit. Theotiſca autem, ſub inſequenti Francorum, quibus nativa fuit, Periodo, novas vires accepit, ſuoque in vigore ad noſtra usque tempora conſtanter perdurat; ita tamen, ut Romanæ plurima, Celticæ pauca, adhuc reſtent veſtigia. Indigenum Alſatiæ ſermonem voco antiquiſſimum illum, &, quantum novimus, primum, qui in Alſatia Libera, ante Romanam dominationem, obtinuit. Primi hujus regionis incolæ nec ut fungi, nec ut inſecta, ex terra prodierunt, ſed in eam advenerunt aliunde. Colonia hæc an ab Aſchenazis Noachidæ (cui nomen *Celta* Cluverius tribuit,) poſteris ducta fuerit, atque à Ponto Euxino, Danubii oras legens, ad Rhenum aſcenderit, eoque tranſito, Sequanorum noſtrorum caput, Veſontionem condiderit, quod Juniores quidam, (*i*) nimia conjectandi libertate, tradiderunt, definiverit nemo. Nec aſſeruerim, idioma, quod antiquiſſimi in oram noſtram advenæ attulerunt, ipſum illud Celticum fuiſſe, quod ante Cæſaris in hanc regionem adventum fuerat in uſu. Ex prima enim qualicunque primorum hominum lingua diverſæ dialecti, ex dialectis linguæ novæ, ex his novæ dialecti, longa millenariorum ſerie naſci potuerunt. (*l*)

§. CVI.

Lingua Celtica à Germanica diverſa.

Quidquid horum ſit, nos de illo idiomate quærimus, quod Cæſar, ad Sequanos veniens, apud eos invenit. Celticum obtinuiſſe tum nemo dubitaverit, ſed quale illud fuerit, curatius inquirendum eſt. Quodſi in noſtris his, vel vicinis partibus, alicubi ejus ſupereſſent reliquiæ, uti Romanæ linguæ in ſuperioris Alſatiæ & Sundgoviæ locis, Vogeſo vicinioribus, etiamnum ſuperſunt, diſquiſitio haud difficilis foret: in harum autem reliquiarum defectu ad alias proficiſcendum regiones. Celticæ linguæ uſum, qualis inter Galliæ invaluerat incolas, in Alſatia quoque noſtra olim invaluiſſe, heic primo ſtabilimus. Rauraci, Sequani & Mediomatrici, qui Alſatiam, ſub Celtica Periodo, incoluerant, antiquiſſimi Galliarum indigenæ, ejusdemque adeo cum reliquis Gallis nationis & originis fuerunt; unde, communi eos cum ipſis Gallis lingua uſos fuiſſe, veriſimile eſt. Mediomatrici enim, licet non ad Celticam, ut Rauraci & Sequani, ſed ad Belgicam fuerint relati, temporibus Cæſaris, natione tamen Galli extiterunt, nec, ut multi Belgarum, ex Germania advenæ. Veriſimilitudini Cæsar & Tacitus certitudinem addunt, qui evidentibus teſtimoniis Germanos moribus, lingua & religione, diverſos deſcribunt à Gallis, quod Libro ſexto de *Bello Gallico* præſertim à Cæſare factum, ubi Lectoribus differentiam hanc, inſtituta comparatione, ob oculos ponit. Ubii haud dubie Germani, in Gallicum Rheni litus ſub Auguſto transducti, origine ſua Germanica erubuerunt, malueruntque deinceps conditoris ſui nomine Agrippinenſes (*m*) appellari. Treviri Nerviique è contra circa Germanicæ originis adſectationem ultro ambitioſi fuerunt, (*n*) tanquam per hanc ſanguinis gloriam ab inertia Gallorum ſepararentur. Tacitus, (*o*) Gothinorum & Oſorum originem tradens, ait: " Gothinos " Gallica, Oſos Pannonica lingua coarguit, non eſſe Germanos.

§. CVII.

(*h*) *Decouverte de la Ville d'Antre*, Part. II. pag. 206.

(*i*) Dunodus, Veſont. Prof. in *Hiſtoire des Sequanois* Tom. I. pagg. 2. 26. 86.

(*l*) Linguarum differentiam conſonæ, dialectorum vocales præſertim efficiunt.

(*m*) Tacit. *Mor. German.* Cap XXVIII.

(*n*) Idem loco cit.

(*o*) Ibidem Cap. XLIII.

§. CVII.

Britanniæ & Galliæ lingua communis.

Alio in loco (*p*) idem Tacitus Æſtyos, qui Germanicus ad Suevicum mare populus fuerant, ritus moresque Suevorum, adeoque Germanorum, habuiſſe annotat; ſed lingua diverſa, Britannicæ propiore, uſos ſubjungit. Jam vero Britanni Gallique uſi ſunt lingua communi, ut Cæſar & Tacitus, rerum Gallicarum peritiſſimi, notant. Cæsar (*q*) addit, moris fuiſſe, ut Galli, qui Druidum diſciplinam diligentius cognoſcere vellent, in adverſam Britanniam proficiſcerentur ad Druidas. Quum autem nullus Druidis fuerit uſus Librorum, ſed Theologia eorum viva voce traderetur diſcipulis, quippe quam literis mandari nefas exiſtimabant, conſentaneum eſt, hos juvenes Gallos communem cum Britannis linguam habuiſſe; cujus enim uſus doctrina, quæ non intelligitur? Cornelius Tacitus, (*r*) *Britannorum & Gallorum ſermonem haud multum diverſum* fuiſſe, in ſuo nos *Agricola* docet. Guilielmus Camdenus (*s*) pluribus vocibus Celticis, apud Britannos hodieque reſiduis, Celticum idioma non Gallis modo, ſed & Britannis, fuiſſe nativum, allaboravit probare.

Accedit his rationibus argumentum, ex Galliæ, quam Cæſar indicat, diviſione petitum. Omnes olim Galli eadem lingua, inſtitutis & moribus, uſi ſunt. Illis autem confines quum eſſent verſus ortum & ſeptentrionem ad Rhenum Germani, verſus occaſum & Africum ad Pyrenæos Hiſpani; factum, ut ex vicinis nationibus illis multi transirent in Galliam, qui utrisque illis Galliæ plagis, Belgicæ nimirum & Aquitanicæ, novas linguas, mores & inſtituta, intulerunt. Hoc in ſtatu Galliam Cæsar invenit, quum ſcriberet: "Gallia eſt omnis diviſa in partes tres; quarum unam incolunt „ Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipſorum lingua Celtæ, noſtra Galli, appellantur. „ Hi omnes lingua, inſtitutis, legibus, inter ſe differunt. (*t*) „ Ita Gallia facta eſt trilinguis, quum vetus & indigena Celtica lingua apud Gallo-Celtas, id eſt Gallo-Gallos, qui inter Belgium & Aquitaniam medii habitaverant, atque adeo veri, puri & genuini Galli permanſerant, pura & incorrupta ſubſiſteret. Quodſi autem Celtica hæc eadem cum Germanica illius ævi fuiſſet, male profecto Celticum à Belgico diverſum idioma Cæſar dixiſſet. Sed & hoc loco teſtis advocandus eſt nobis celebratus ille, Germanorum in Alſatiam irruentium dux, Arioviſtus, ex regionibus Rheno Alſatiæque vicinis exortus; qui, apud populares ſuos Principatum quum obtinuiſſet, tranſitoque Rheno, bellum apud Sequanos noſtros Alſaticos, eorumque vicinos per totos XIV. annos continuaſſet, (*v*) nonniſi *longinqua conſuetudine*, ut Cæsar (*x*) loquitur, Gallicæ linguæ uſum adeptus eſt; inſigne profecto patrii ſermonis ejus, qui Germanicus fuit, à Celtico plane diſcrepantis, argumentum.

§. CVIII.

Alſatarum linguæ primævæ veſtigia.

Alſatas Celtas diverſo à Germanis vicinis idiomate uſos, quum oſtenſum ſit ſatis, oſtendendum jam ſupereſt, quodnam ergo fuerit eorum idioma indigenum atque vulgare; numque ejus alicubi adhuc extent veſtigia. Extant profecto, & quidem non apud Gallos modo atque Britannos, ſed & in ipſa, ut deinceps oſtendemus, Alſatia. Scilicet ab eo tempore, quo Romanorum dominatio Celticam linguam apud Gallos aboluit, in inferioris Gallo-Britanniæ angulos ea ſe abdidit, ibidemque perſtitit: illi mutationi tantum obnoxia, quam linguæ uſuales, quæ per ora hominum migrant, longa ſeculorum ſerie patiuntur. (*y*) Aremorica hæc lingua Gallis vocatur *le Bas-Breton*, quæ cum Gallica Germanicave nihil habet commune, niſi peregrina vocabula, quæ vel uſus cum vicinis, vel religio, paulatim addidit, & cum antiqua conjunxit. (*z*)

M Neque

(*p*) Cap. XLV.

(*q*) De *Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XIII.

(*r*) *In Vita Agricolæ* Cap. XI.

(*s*) *Britannia* pag. 17. ſqq.

(*t*) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. I.

(*v*) Cæsar ibidem. Lib. I. Cap. XXXVI.

(*x*) Lib. cit. Cap. XLVII.

(*y*) Sunt, qui Celtici ſermonis uſum, à Romanis apud Aremoricos abolitum plane fuiſſe exiſtimant, & nonniſi ſeculo V. à Brito-Cambris, quorum multi, Anglo-Saxonum in Britanniæ inſulam adventu territi, inde in oppoſitam Aremoricam fugerant, in eandem Brito-Galliæ provinciam poſtliminio quaſi reſtitutam arbitrantur. Sed, ut huc confugiamus opus non eſt; ſi apud Cambros vetus Celtica, Romanis invitis, ſubſiſtere potuit, cur non in Aremorica quoque ſubſiſtere potuerit?

(*z*) Producta eſt in lucem Brito-Gallica lingua à Paulo Pezronio præſertim, atque Gregorio de Rostrenen, quorum uterque Brito-Gallus, ſive ex Britannia Aremorica ortus, quæ pars olim Galliæ Celticæ fuit, Belgis vicina. Poſterior hic plenam linguæ Brito-Celticæ meſſem nobis dedit in *Lexico Gallico-Celtico*, apud Rhedones haud ita pridem in lucem emiſſo. *Dictionnaire François-Celtique ou François-Breton*, *à Rennes* 1712. 4to. Fine ſeculi XV. jam in lucem prodiit Liber, cujus rubrum: *Catholicon, qui contient trois langaiges, ſçavoir Breton, Franczoys & Latin, par Maitre Auffret Quoatquevevan, Chanoine de Treguier*; 4to à *Treguier* 1499.

Neque vero apud ſolos Aremorico-Gallos Celtici ſermonis multæ ſuperſunt reliquiæ, ſed & apud Brito-Cambros vel Wallo-Britannos; (*a*) quorum Provincia veteribus appellata eſt *Cambria*. (*b*) Hæc regio montuoſa priſcam Britannorum linguam, quæ Celtica quoque fuit, conſtanter retinuit, quum Romani eam ex Britannia proſcribere ſtuderent, ut Romana ſuccederet; atque adeo Celticæ Britannorum antiquitatis reliquiæ in Cambricis montibus, ut Celticæ Gallorum in Aremorica, ſubſtiterunt. Itaque non mortuas inter linguas, ſed inter viventes, (*c*) reputanda eſt vetus Celtica lingua, in duabus filiabus apud Gallos nempe & apud Britannos ſuperſtes; ita ut Cambri & Aremorici, Britannico ſeparati Oceano, ſermonis inter ſe commercia habere poſſint, ſine interpretis ope; quod ante hos centum annos Josepho jam obſervatum Scaligero. (*d*) In religioſos harum gentium uſus noſtra ætate impreſſi ſunt Codices ſacri. Aremoricæ & Cambricæ dialecti; quæ toto licet cœlo videantur diverſæ, à communi tamen Celtica matre prodierunt; diuturnitate temporis, formam exteriorem induentes, ſpecie, non re ipſa, diverſam; quod Polonicæ, Ruſſicæ Bohemicæque, linguis, à communi Slavonica profectis, eveniſſe videmus. Qui Gothicam & Anglo-Saxonicam veterem cum Germanica hodierna contulerit, majorem inter eas diverſitatem reperiet, ab eadem licet radice proveniant. Utriusque hujus idiomatis Celto-Aremorici & Celto-Cambrici ſpecimina ſubjungemus in fine.

§. CIX.

Vocabula Celtica.

Ut vero Lectori quoque genuina quædam Celticæ linguæ vocabula ex antiquiſſimis monumentis ob oculos ponamus, nonnulla ex illis, quæ apud Græcos Latinosque Scriptores, nominatim apud Polybium, Diodorum, Dioſcoridem, Pauſaniam, Heſychium, Suidam, Cæſarem, Livium, Melam, Feſtum, Tacitum, Plinium, Quintilianum, Martialem, Suetonium, Gellium, Macrobium, Columellam, Vegetium, Servium, Iſidorum, Venantium Fortunatum &c. occurrunt, ſelegimus: (*e*) *Alauda, ambactus, ango, aripennis, baro, becco, bardus, benna, briga, briva, braccæ, baracacæ, biberriga, birræ, baritus, cecos, candetum, candoſoccus, caſnar, canteris, caracalla, cateja, caterva, crupellarii, culcitra, dercoma, driangus, dunum, durum, duſius, eglecopala, emarcum, eporedica, ganſa, gnabat, gunia, gurdus, larix, linna, lugos, magus, marga, marra, mataris, mirmillo, murcus, pades, palla, petoritum, planarat, rhaphius, rheda, ſagum, ſapo, ſoldurius, ſparus, ſaunium, tomentum, toles, tripetia, vergobretus, vargus, viſcus, volemon, torus &c.* His adde voces ſequentes haud dubie quoque Celticas: *Arar, bacbaudæ, bardocucullus, brance, chlæna, circius, coccus, covinus, divona, geſſi, geſſata, glaſtum, guvia, leuca, penninus, petor, ratis, taranis, thyreos, tripetia, zythus* aliasque hujus generis plures, ab iisdem Scriptoribus Græcis & Latinis memoratas, quas etiamnum ſervat lingua Anglo-Britannica, ut Guilielmus Camdenus (*f*) tradit; cui ipſa vox *Celtæ* apud Britannos adhuc ſupereſſe videtur, quorum dictio *Gualt* comam deſignat, *Gualtoc* comatam; quod epithetum maximæ Galliarum parti proprium fuiſſe, res paucis ignota eſt. Pezronius (*g*) autem ab alio verbo Celtico *Gallu*, Aremoricis ſuis adhuc uſitato, quod *valorem potentiam*&c

(*a*) *Le Païs de Galles.*

(*b*) Et hanc linguam ſeculo ſuperiore Joannes Davies, Britannus, *Cambrico Vocabulario* in lucem emiſſo, Europæ Literatæ reddidit notiorem. Rubrum libri eſt: *Antiquæ linguæ Britannicæ, nunc vulgo dictæ Cambro-Britannicæ, à ſuis Cymraeca vel Cambrica, ab aliis Wallica, & linguæ Latinæ Dictionarium duplex*, Londini 1632. fol. per *Jo. Davies*. Boxhornius Cambricum hoc Vocabularium in compendium redegit, ſub *Originum Gallicarum* nomine, An. 1654. Amſtelod. 4to. Noſtris vero temporibus linguæ Britannorum primævæ Antiquitates Gloſſario Etymologico illuſtravit Guilielmus Baxterus, uberiorem nobis harum originum ſuppeditans copiam.

(*c*) Rerum periti XI. linguas matrices adhuc viventes in Europa univerſa computant; quatuor nempe majores, ſeptemque minores. Inter poſteriores ſuum quoque locum Celtica habet. Illæ ſunt. 1. Latina cum propaginibus & dialectis ſuis, Gallica, Italica, Hiſpanica. 2. Græca, cujus plures dialecti & idiomata in diverſis illis Archipelagi inſulis. 3. Teutonica, ubi dialecti Saxonum, Danorum, Suecorum, Norvegorum, Belgarum, Friſiorum. 4. Slavonica, cujus dialecti Rutenica, Polonica, Bohemica, Illyrica, Dalmatica, Windica. Septem vero minores ſunt: 1. Celto-Britannica vel Cambrica & Celto-Aremorica. 2. Cantabrica ſive Vaſconica. 3. Hibernica, quæ hodie in uſu Hibernis & Scotis ſilveſtribus. 4. Finnonica, cujus propago Lapponica. 5. Ungarica, ab Hunnis & Avaribus ex Aſia in Europam translata. 6. Tartarica Præcopenſium & Coſacorum. 7. Epirotica vel Albana. Conf. Josephus Scaliger in *Diatriba de Europæorum Linguis*, inter Opuſcula ejus pag. 119. Brerewood *Recherches ſur la diverſité des Langues*, ex Anglico in Gallicum idioma translat. Cap. IV. pag. 34.

(*d*) Apud Paullum Merulam *Coſmographiæ Generalis* Part. II. Lib. III. Cap. XV. pag. 329.

(*e*) Conferantur quoque Altesserra *Rer. Aquitanicar.* Lib. II. Cap. VI. ſqq. Isaacius Pontanus in *Itinere Narbonnenſi* pag. 163. Paulus Merula *Coſmographiæ* Part. II. Lib. III. Cap. XV. pag. 323.

(*f*) *Britanniæ* pag. 17. ſqq.

(*g*) *Antiquitez des Celtes* pag. 8. & 390.

potentiamve ſignificat, quo ipſo Cambri (*h*) etiam utuntur, etymologiam nominis repetit. Sed *Celta profugum* quoque eadem lingua deſignat. (*cilydd*) BAXTERUS (*i*) *homines ſilvaticos* hic adducit; *Coil* enim *ſilvam* Scotis denotat, unde veteris *Caledoniæ* nomen derivatur. Qui enim à Teutonico *held*, (heros) aut *zelt*, (tentorium) vel à Jove, quodam, aut Aſchenaze, quem *Celtam* nominatum fuiſſe volunt, vocem repetunt, vix videntur audiendi.

§. CX.

Nomina propria Celtica.

Appellativis, ut Grammatici loquuntur, vocibus propria quoque Celticorum Numinum, virorum item, fœminarum, locorum, quæ io noſtris Rhenenſibus oris, aliisque vicinis, monumentorum ope, innotuerant, nomina nonnulla ſubjungo. Hæc inter præcipua ſunt: *Teutates*, *Belenus*, Apollo *Grannus*, *Mogounus*, (nomen ex Britannia allatum) *Rhenus*, Hercules *Saxanus*, *Bacurdus*, Deæ *Mares*, *Matres*, *Suleves*. Nomina porro propria civium Sequanorum, *Catamantaledes*, *Caſticus*, *Divixtus*, *Decmius Decmanus*, Silvinius *Balbinus*, *Acos*, *Cantorix*, *Auſero*, *Noſon*, *Diornorex*, *Nimmor Alduovorix*, fœmininum quoque nomen *Plocuſa*, apud CÆSAREM partim, ut & in Lapidibus & nummis antiquis, reperiuntur. (*k*) Apud Mediomatricos vero noſtros exteriores, inferioris Alſatiæ, in Marmoribus *Mattaicara*, *Magiorix*, (*l*) in monumentis Tabernenſibus Alſatiæ: *Glabro* in lapide Muſei noſtri, occurrunt. Apud interiores *Caratacus*, *Caranto*, *Satto*, *Coberat*, *Coberil*, *Helvorix*, *Varicillus*, *Arantillus*, *Meliſcintus*, *Klando*, *Marilis* & *Sigaroſa*, conjuges, *Merocila*, *Devieria*, *Soſa*, fœminæ. (*m*) Apud Treviros, Mediomatricis noſtris ad Rhenum vicinos, *Vecoiſius*, *Folkmarus*, *Pervincus*, *Prudencius Reveres*, *Induciomarus*, *Cingentorix*. *Ojoſus*, *Argiotalus*, *Smertulitanus*, *Vejagenus*, *Sugus*, *Dercoredus*, *Tavenoconda*, apud eundem CÆSAREM partim, partim in monumentis, memorantur. (*n*) His addantur nomina locorum ac fluviorum Sequanicorum & Mediomatricenſium, tum exteriorum noſtrorum, quæ ſupra jam notavimus, tum interiorum, ut *Veſontio*, Sequaniæ oppidum princeps, *Ariorica*, *Amagetobria*, *Epamantadurion*, *Gramaton*, *Larga*, *Rauricon*, *Arialbinnon*, *Olino*, *Cambes*, *Briſiacon*, *Argentovaria*, *Helvetus*, *Argentoratus*, *Brocomagus*, *Saletio*, & caput Mediomatricæ gentis *Divodurum*. Sed & *Birſa*, *Birſicus*, *Ael* vel *El*, *Bruſch*, *Ergers*, fluminum; *Jura* & *Vogeſi* montium; caois item & apri altiſſimæ Ferrati Montis rupi inſculptorum oomina *Belliccus*, *Surbur*, huc pertinere videntor. Illuſtre apud Helvetios *Orgetorigis*, ut & *Nameii*, *Verodoctii*, (*o*) aliaque Gentis illius, oomina Celtica, ejuſdemque cum Rauracenſibus & Sequanicis naturæ, heic quoque referre liceret, ſi inſtituti noſtri id ratio permitteret.

§. CXI.

Celto-Romaniſmus.

Romana terminatione nominibus his & vocibus dempta, quæ remanent, Celticum genium ſapiunt, quo præſertim monoſyllaba *Brig*, *broc*, *mag*, *rat*, *ar*, *dur*, *dar*, *bris*, pertinere exiſtimo; in quibus fragmenta quædam & rudera linguæ vulgaris Celticæ, apud primævos Alſatiæ incolas receptæ, atque à Romanis abolitæ, etiamnum ſuperſunt. Fundamento non deſtitutus hæc conjecto. Quum enim apud Rauracos, Sequanos & Mediomatricos noſtros, ſub Periodo Romana, linguam ſuam paulatim introduxiſſent Romani, Celticiſmus tamen adeo non omnis abolitus eſt, ut eidem potius, tanquam fundamento, ſuperſtructa fuerit oova illa lingua, *Romanenſis* appellata; quæ vere *Celto-Romaniſmus* vocari meretur, ex victi & victoris linguis commixtus. Galli enim, Celticiſmo ſuo nativo aſſueti, Romana quidem adoptarunt vocabula, at Celticæ ſuæ linguæ genium vix abolere potuerunt. (*p*) Uode ſub Romana Periodo verba auxiliaria & articuli nominum declinatorum, cum Celticis vocabulis pluribus, in novum hunc ſermonem *Romanenſem* jam tranſiere; atque hinc plebeja illa, vulgaris & nova

(*h*) BOXHORNIUS in *Lex. Antiq. Britann.*

(*i*) *Gloſſar. Antiquitatum Britannicarum.*

(*k*) CHIFLETII *Veſontio* Part. I. Cap. I. pag. 7. BOUTEROUE *Recherches curieuſes des Monnoyes de France*, pag. 56.

(*l*) Gallicis illis *Dumnorix*, *Orgetorix*, *Vercingetorix*, *Eporedorix*, *Sinorix*, *Ambiorix*, apud Cæſarem reſiduis, ſimile.

(*m*) Vide *Monumenta Lapidea* apud MEURISSE *Hiſtoire des Eveques de Metz.*

(*n*) Apud LEHMANNUM *Chron. Spir.* Lib. I. Cap. VIII. SCHANNATUM *Hiſt. Wormat. Epiſcopatus* Tab. I. HUTTICHIUM in *Monumentis Mogunt.* num. 3. 10. 16.

(*o*) CÆSAR de *Bello Gall.* Lib. I. Cap. VII.

(*p*) Cur non à primis Romanæ dominationis in Gallia temporibus Romanenſis linguæ origines repetam? Recepta ſententia eſt, barbaricarum ex Germania gentium ſeculo V. irruptionibus demum corruptam eſſe linguam Latinam, atque adeo Romanenſem illam Gallicam tum primum exortam, quum Romanum per Galliam occideret imperium. Ego contra ab ipſo Romanæ dominationis apud Gallos exordio linguæ hujus origines jam repetendas exiſtimo,

nova lingua per Galliam & per utramque Alſatiam ſub Romanis jam prognata eſt, quæ medio ævo *Ruſtica*, imo plerumque *Romana* vel *Romanenſis*, vulgo jam *Roman*, *Romance*, appellatur; cujus ſpecimen fœdus illud Caroli Calvi, cum Ludovico Germanico Argentorati An. DCCCXLII. initum, continet; (*q*) quum corruptionis hujus origo communiter à Francorum, Burgundionum, Viſigothorum, in Galliam irruptione petatur. Romaniſmus hic corruptus atque barbaricus in Alſatiæ utriusque angulis, & Juraſſi Vogeſique convallibus, Orbeana præſertim, Lebrahenſi & Albertina, ſive Vileriana, ut & in illo ſuperioris Alſatiæ tractu, qui à vico Capella (*la Chapelle*) ad Beſortium usque ſe extendit, adeoque in Burgundiæ Lotharingiæque confiniis, noſtro adhuc tempore apud incolas viget; ejusdem fere naturæ cum illis eſt, quæ paſſim in Gallia *Romances* appellantur. (*r*) Unde non modo tractus ille verſus Beſortium, ſed & vicinæ Elsgaudiæ regio Jurenſis circa Bruntrutum, ubi ejusdem indolis lingua (*ſ*) vulgaris obtinet, *Pagi Romanenſis* (*t*) nomine venit.

§. CXII.

Patois Alſatiæ dialectus.

Inquirendum jam, an non in Romaniſmo hoc Alſatiæ barbarico, qui vulgo *Patois* dicitur, quique multas ex Teutoniſmo ſuperveniente voces admiſit, ex Celticiſmo quoque aliquid reliquiarum ſuperſit. Supereſſe profecto videri poſſent in eo vocabula plura, illa nimirum, quibus nec cum Romano, nec cum Teutonico idiomate ulla cognatio eſt: præter Celticam enim, Romanam atque Teutonicam, in his oris aliam linguam ullo tempore invaluiſſe non novimus. Enimvero matrem hæc vocabula habuiſſe neceſſe eſt, quæ non alibi quam apud Celtas quærenda, quum Celtica omnium, quas novimus, prima per Alſatiam regnarit. Itaque, uti Teutoniſmus, in Alſatia invaleſcens, pereuntis Romaniſmi reliquias in extrema ejus ora, ad hunc usque diem, ſervavit, ita Celticiſmus abolitus ſua quoque in Romaniſmo invaleſcente veſtigia reliquerat; atque adeo linguam illam adulteratam Romano-barbaram, (*Patois*) quæ apud nos hodieque, uti & apud Sequanos & Lotharingos, vicinos noſtros, ſubſiſtit, trium linguarum, quæ in Alſatia ſibi invicem ſucceſſerunt, farraginem quandam aut colluviem diceres, cujus pleraque vocabula ex Romaniſmo, ratio conſtruendi & verba auxiliaria, ex Celticiſmo, cui Celto-Romaniſmo denique Teutoniſmus ſuperaddidit multa. Adhibui barbaræ hujus linguæ vulgaris peritos, quibus Latinæ quoque & Germanicæ uſus eſt, atqoe cum illis receptarum rerum vocabula examinavi, quibus excuſſis, enatum eſt *Idiotici Romano-Barbari Specimen breve*, quod Lectori, ceu vocum ſingularium, nulli linguæ notarum, in fine proponimus: tanto difficilius productu, quod idioma hoc ſolo in uſu oreque hominum illius regionis verſatur. Originum Linguarum Europæarum indagatoribus Gloſſariolum iſtud cernere non erit ingratum. Exemplo hoc alios excitare geſtio, ut Idiomatum ſingularium, quæ hinc inde, in exiguis ſæpe Europæ tractibus, obtinent, Brevicula colligant. Linguam, quæ nonniſi ore vulgi verſatur, nullibique expreſſa eſt literis, ita literis exprimere, ut in genuino vocabulorum habitu nihil immutetur, quam lubricum ſit, illi experiuntur, qui primi hoc faciendum ſuſcipiunt. Senſit hoc ſuo jam ævo Weiſenburgenſis Monachus, ſeculi IX. Otfridus noſter, qui in *Præfatione* ſua *Evangeliorum* Latina hac de re queſtus eſt. (*v*)

§. CXIII.

(*q*) Nithardus de *Diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii* Lib. III. apud du Chesne *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. II. pag. 374.

(*r*) Romanenſium linguarum (*Romands*, *Romances*,) plures ſunt quoque per Galliam univerſam ſpecies, apud Narbonenſes præſertim, Lemovicos, Belgas &c. In Belgio eadem hæc Romanenſis lingua vocatur *Walonne*. Brabantiæ & Flandriæ pars lingua hac utitur; pars utitur Theotiſca. Nivella urbs ſita eſt in tractu, qui *Roman-Brabant* dicitur. Jean le Maire, qui Ludovici XII. tempore vixit, in Libro ſuo *les Illuſtrations de Gaule* Lib. I. Cap. 16. pag. 44. ſcribit: "*Nous diſons* „ *encores aujourd'hui*, *la Ville de Nivelle eſtre ſituée* „ *au* Roman-Brabant *à cauſe de la difference du* „ *langage. Car les autres Brabanſons parlent Thiois* „ *ou Teuthonique*, *c'eſt à dire*, *bas Alleman*, & „ *ceux ci parlent le vieil langage Gallique*, *que nous* „ *appellons* Walon ou Rommand; & *les vieux Livres* „ *en la dite langue nous les diſons* Rommandz: *ſi* „ *comme le* Rommand de la Roſe. *Et de la dite* „ *ancienne langue Walonne ou Rommande nous uſons* „ *en notre Gaule Belgique*, *c'eſt à dire*, *en Haynau*, „ *Cambreſis*, *Artois*, *Namur*, *Liege*, *Lorraine*, „ *Ardenne* & *le Rommanbrabant*, & *eſt beaucoup* „ *differente du François*, *lequel eſt plus moderne* & „ *plus gaillart*.

(*ſ*) P. Dunod *Lettre*, *à M. l'Abbé de B... ſur les Decouvertes qu'on a faites ſur le Rhin en* 1716. pag. 32.

(*t*) Vulgo *Pays Romain*.

(*v*) " Hujus enim Linguæ (Theotiſcæ, quam etiam „ Franciſcam appellat,) barbaries, ut eſt inculta & „ indiſciplinabilis, atque inſueta capi regulari freno „ Grammaticæ artis, ſic etiam in multis dictis „ ſcriptu eſt propter literarum aut congeriem aut „ incognitam ſonoritatem difficilis. „ Otfridus in *Præfatione Latina*, quam ad Liutbertum, Archiepiſcopum Moguntiacenſem, ſcripſit.

§. CXIII.

Mediomatricorum lingua Celtica.

Quæ de Celtico idiomate huc usque retulimus, ea ad Sequanicam modo Alſatiam, quippe quæ Galliæ Celticæ pars fuerat, pertinere reputares: de Mediomatricenſi, ſive inferiore, vero aliter eſſe ſtatuendum, quod ad Belgas referebatur, ubi Gallo-Belgica lingua receptior. Celtas enim, Belgas & Aquitanos, lingua, inſtitutis legibusque, inter ſe diverſos, ut ſupra jam docuimus, faſſus eſt Cæsar. (w) Dubium hoc facile tollitur, ſi diligenter conſideres, Belgicam linguam, quæ apud Belgas invaluerat, non omnibus Belgicæ incolis fuiſſe communem, ſed illis modo, qui ex Germania advenæ linguam Teutonicam ad Belgas attulerant; indigenis ſuam priſcam ſervantibus. Inter advenas hos Germaniæ populos, qui ante tempora Cæſaris in Galliam transierunt, computantur Eburones, Tungri, Nervii, Condruſi, Pæmani, Menapii Trevirique, Mediomatricis vicini; ſed Mediomatrici ipſi, Rhemi, Sueſſiones, Bellovaci, Veromandui, Ambiani, Atrebates, aliique plures, ex priſcis Galliæ indigenis fuerunt, atque cum ſedibus ſuis linguam, inſtituta, mores Celtarum priſcos, ſervarunt conſtanter. Ipſum ſane Mediomatricorum noſtrorum nomen, nec Romanum, (x) nec Teutonicum, ſed Celticum eſt: perinde ac nomen urbis Mediolani (*Saintes*) apud Santones Gallos. Mediolanum, Italiæ ſuperioris, ſive Galliæ Cis-Alpinæ, originem & nomen Gallis debere, Italicæ Hiſtoriæ gnaros latere non poteſt.

Treviri, Mediomatricis contigui, ex Germanis, Rhenum transeuntibus, ſoli fuerunt, qui Celticam linguam ſibi familiarem & vernaculam reddiderunt, uti illa apud ipſos Celto-Gallos in uſu; adeoque, nativo ſuo idiomate ſepulto, lingua & cultu paulatim facti ſunt Galli, ut Brouuerus, (y) Trevirenſis ipſe, exiſtimat; ex Hieronymo (z) edoctus; qui Galatarum Aſiaticorum linguam cum Treverica conveniſſe dum ſcribit, nonniſi Celticam intelligere potuit; quam nimirum colonia illa Celtica, quæ antiquiſſimis temporibus in Aſiam migravit ex Gallia, ut nativum idioma ſuum conſtanter ſervavit, ſuperaddito Aſiatico Græco. Sic inferiores Alſatæ, licet ad Galliam Belgicam ſub Julio Cæſare fuerint relati, lingua tamen cum interioribus Mediomatricis communi, ſive Celtica, uſi ſunt. Quum deinceps Triboci, ex Germania transeuntes, inter Mediomatricos noſtros ſedes fixiſſent, Celticum & Germanicum idiomata ſimul in Alſatia inferiore aliquandiu viguerunt, donec, utraque paulatim à Romanis abolita, eandem, quam ſuperior Alſatia atque Mediomatrici interiores, ſortem habuerunt; quando eadem utrobique Romanorum imperandi politica ratio, iidem Magiſtratus, eadem Jurisdictio, eædem Romanorum leges & legiones, introductæ. (a) Celticam ergo linguam ſolam in ſuperiore Alſatia, in inferiore autem duas, Celticam nempe Mediomatricorum, & Teutonicam Tribocorum, paulâtim extinxerunt Romani. Romanis dein ſeculo V. ex Alſatia pulſis, Francorum dominantium & vicinorum Alemannorum Teutonica communis Lingua tanto magis apud Alſatos rurſus invaleſcere cœpit, quod Alſatia ad Alemanniæ Ducatum referretur à Francis.

§. CXIV.

Aliorum de lingua vet. Alſat. error.

Haud immerito itaque miramur, qui fieri potuerit, ut omnes, qui ad hunc usque diem de Alſaticis rebus locuti ſunt, Celtici vel Gallici priſci idiomatis nullam omnino rationem habuerint. Vera neglectus hujus cauſa fuit, quod omnium animis ea penitus inſedit ſententia, primis Alſatiæ incolis Teutonicum idioma fuiſſe vernaculum, eique ſub Romanis ſucceſſiſſe Latinum, quod cum Imperio Romano, à Francis in Alſatia everſo, quoque rurſus perierit; ita ut Theotiſcum à Francis veluti poſtliminii jure reſtitutum crederetur. Conſtans hæc Glareani Loriti, Wolfgangi Lazii, (b) Sebastiani Munsteri, (c) Ægidii Tschudii, (d) aliorumque magno numero exterorum, ſed & communis atque recepta Alſaticorum Scriptorum, etiam noſtræ

(w) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. I.

(x) Gallicum, Gallicæ gentis, nomen eſt, ut ſupra §. XXI. not. (*l*) pag. 44. annotavimus.

(y) *Antiquitatum & Annalium Trevirenſium Proparaſceve* pag. 25.

(z) *Præfat. ad Commentar. ad Galatas.* Lib. II.

(a) Solenne fuit Romanis, populos, quos armis ſubegerant, Latinæ linguæ aſſuefacere. Augustinus de *Civit. Dei* Lib. XIX. Cap. XIX. ſcribit: "Data eſt opera, ut Civitas imperioſa, non ſolum jugum, verum etiam linguam ſuam, domitis gentibus, per ſpeciem ſocietatis imponeret."

(b) De *Migrat. Gent.* Lib. V. pag. 161.

(c) *Coſmographiæ* Lib. III. Cap. XXIX.

(d) *Veteris Helvet. Delin. Mſ.* pag. 189.

ætatis ULRICI OBRECHTI, (*e*) & JOANNIS SCHILTERI (*f*) ſententia fuit, quibus, Gallos omnes Germanice locutos eſſe, fuit perſuaſum. TSCHUDIUS, (*g*) ubi de Rauracorum noſtrorum lingua agit, non eos modo, ſed & Sequanos & Mediomatricos, Theotiſce locutos eſſe contendit. In definiendis ergo locorum, fluviorum, montium aliarumque rerum Alſatiæ, originibus ad alios, quam ad Teutonicæ Etymologiæ, fontes recurrere auſus eſt nemo. Ipſe RHENANUS, (*h*) licet Celticiſmi & Teutoniſmi diverſitatem generatim agnoſceret, in etymologiis ſuis tamen contrariam viam ſecutus eſt, atque *Rauricum*, *Cambetem*, *Arialbinnum*, *Argentouarium*, *Argentoratum*, aliaque hujus generis Celtica, ex Germanico idiomate derivare ſategit. Eandem ſententiam omnibus fere Rerum Helveticarum Scriptoribus inſediſſe reperio, qui origines ſuas nonniſi Teutonicas firmiſſime crediderunt. PHILIPPUS CLUVERIUS (*i*) Celticiſmum ſuum Teutonicum non ad Germanos modo, ſed & ad Britannos, Hiſpanos Illyricosque, extendit, atque eos omnes Celticæ linguæ & originis, quam Germanicam reputat, fuiſſe, Literato Orbi perſuadere ſategit; plurimos ſententiæ ſuæ, non inter Germanos modo, ſed & inter Gallos, Italos, Belgas, nactus ſequaces. Verum hac de re peculiari *Excurſu* diſſerendi nobis dabitur occaſio; ubi, ad quam gentem nomen Celtarum olim proprie atque primario pertinuiſſe videatur, inveſtigaturi ſumus. Patebit tum Celticas colonias, per orbem diffuſas, linguam ſuam per Germaniam, Illyricum, Thraciam, ad remotos Aſiæ Scythiæque angulos, diffudiſſe; unde nonnullis nata ſententia, ut Scythicam linguam Celticæ matrem reputarent. (*l*)

§. CXV.

Celtica Lingua non fuit Græca.

Dubius hæſitavi, illorum quoque mentio facienda num ſit, qui Celtas veteres Græciſſaſſe operoſe ſibi demonſtrandum arbitrati ſunt. (Phœniciſtas enim & Hebraiciſtas prætereo ſilentio, qui cum Phœnicica vel cum Hebraica linguis Celticam ita conſpiraſſe voluerunt, ut ab illis parentibus hanc filiam deducerent: prior licet ſententia mire placuerit acutiſſimi ingenii Viro, SAMUELI BOCHARTO: (*m*) poſterior STEPHANO GUICHARTO, (*n*) BORELLO, (*o*) MARCELLO, (*p*) probata.) Helleniſmus ſane plauſibilior poſſet videri, quod Græci meridionalem Galliæ oram ſuis coloniis antiquitus occupaverant: Maſſiliam Phocenſium coloniam fuiſſe, nemo ignorat. Nata hinc JOACHIMI PERIONII, (*q*) JOANNIS PICARDI, (*r*) CAROLI BOVILLI, (*s*) JOANNIS BODINI (*t*) aliorumque, opinio, indigenum veteris Galliæ, adeoque & Helvetiorum Alſatarumque, ſermonem fuiſſe Græcum, quem eundem cum Celtico reputant. (*v*) Falſæ hujus ſententiæ cauſa & origo eſt, quod diuturnitate temporis ex Græco in Celticiſmum multæ voces tranſierunt; unde præcipitato judicio illatum eſt, linguas has tantum diſcrepaſſe dialecto. Scilicet nationum diverſarum vicinia facit, ut ex una in alteram facile fiat vocum migratio. Experta hoc eſt vetus Maſſilia Galliæ, quam CATO (*x*) appellavit *trilinguem*, quod cives ejus Græce, Latine, Celticeque, loquerentur. Quum enim origine Græci fuerint Maſſilienſes, frequens eorum cum Romanis ex una, cum Celtis ex altera, parte commercium fecit, ut trium idiomatum apud eos invaleſceret uſus. Tabulæ literis Græcis confectæ, in caſtris Helvetiorum repertæ, Helvetios, ut reliquos Gallos, characteribus Græcis, non autem lingua Græca, uſos eſſe

(*e*) *Prodrom. Rer. Alſat.* Cap. I, item *Diſſert. de Philoſ. Celtica* num. 2.

(*f*) Jo. FRICKII *Præfat. General.* ad SCHILTERI *Theſaurum Antiq. Teuton.* pag. 3. WACHTER *Gloſſar. German.* voce *Soldurius* pag. 1536.

(*g*) *Delin. Helvetiæ Vet.* pag. 190.

(*h*) *Rer. German.* Lib. II. pag. 211.

(*i*) *German. Antiq.* Lib. I. Cap. VIII.

(*l*) BOXHORNIUS in *Originibus Gallicis* linguæ Scythicæ tribuit, quod Armorico-Celticæ ſuæ PEZRONIUS, eam nempe totius Occidentis fuiſſe communem. Adde Doctiſs. WACHTERI *Gloſſar.* Præf. §. X.

(*m*) In erudito Tractatu, quem inſcribit: *Phaleg & Canaan.*

(*n*) In Libro, cui Tit. *l'Harmonie Etimologique des Langues*, 8vo. Paris, 1619.

(*o*) *Treſor de Recherches & Antiquitez Gauloiſes.* Vide Præfationem.

(*p*) *Hiſt. de France* Tom. I. pag. 11.

(*q*) *Dialog. de Origine linguæ Gall. ejusque cognatione cum Græca.*

(*r*) In *Celto-pædia*, Lib. III.

(*s*) *Tabb. vocum Gallicanarum.*

(*t*) *Method. Hiſtoriarum.* pag. 369.

(*v*) PLANTINUS in *Helvetia antiqua* Cap. XVIII. pag. 129. hoc confutat.

(*x*) Apud HIERONYMUM in *Proœmio Libri ſecundi Commentariorum ad Epiſtolam ad Galatas.*

eſſe declarant. (*y*) Cæſar ipſe ſuo id exemplo confirmat, qui Epiſtolam, Græcis literis Græceque ſcriptam, ad Q. Ciceronem miſerat, ne à Treviris Nerviisque, qui Ciceronis & Labieni hiberna obſederant, conſilia ſua, (*z*) intercepta epiſtola, cognoſcerentur; quam nobis Polyænus (*a*) ſervavit. Alibi, (*b*) ubi de Druidibus, in diſciplinam convenientibus, loquitur, ſcribit: „ Magnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur, „ itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent; neque fas eſſe exiſtimant, ea „ literis mandare, quum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, „ Græcis literis utantur.

§. CXVI.

Idiomatis Græci uſu caruiſſe Gallos, ſatis indicat Cæſar, quod Græce ſcripſit Ciceroni, ne conſilia ejus intelligerentur à Gallis. De Maſſilienſibus, & reliqua Narbonenſi Gallia, nobis ſermo non eſt, ſed de Celtis ſpeciatim, ut & illa parte Belgarum, quæ Celticam linguam retinuit. Literis hi ſive characteribus Græcis, non lingua Græca, ſunt uſi. Licet enim priore loco Cæſar per *literas* ſermonem intelligat, in altero tamen loco omnis rerum verborumque contextus jubet, ut intelligatur *Scriptura*. Germani, ubi linguam ſuam ſcribere primum cœperunt, characteribus ſunt uſi Latinis, ex quibus nata eſt ſcriptura, quæ apud Germanos hodieque in uſu eſt; quod ipſum de Anglo-Saxonica & Runica quoque intelligendum. Qui in Tabulariis publicis ſeculorum ordine Chartas evolvunt, illis hac de re dubitandi nullus relinquitur locus. Antiquiſſimi Codices *Evangeliorum* Otfridi Latinis literis exarati ſunt. Sed & ipſis Druidibus quomodo, ultra characterem ſcribendi, ſermo quoque Græcus tribuatur, ego prorſus non video; quum Divitiacum Æduum, ex Druidum ordine principem, niſi per interpretem Cæſar, licet Græce doctus, non intellexerit. Quodſi Græcus ſermo veteribus Gallis fuiſſet nativus, num Hieronymus (*c*) dixiſſet: Galatas præter Græcam, aliam quoque propriam linguam, Trevericæ ſimilem, habuiſſe? quum tota, quæ eos circumdedit, Aſia, Phryges, Paphlagones, Cappadoces, Bithyni, tum Græce locuti ſint. Treviri autem, quum ex Germania tranſiiſſent ad Gallos, nativam ſuam Teutonicam linguam, paulatim, ut modo obſervavimus, commutarunt cum Gallica. Si Græcum Gallicumque idiomata non fuiſſent diverſa, num Irenæus, (*d*) Lugdunenſis Epiſcopus, Vir Græcus, inter Celtas vivens, in barbarica lingua plurimum ſe laborare profeſſus eſſet? Num Ulpianus ſcripſiſſet: „ Fidei commiſſa quocunque ſermone relinqui „ poſſunt, non ſolum Latina vel Græca, ſed etiam Punica, vel Gallicana, vel alterius „ cujuscunque gentis lingua? „ (*e*) Verba hæc Ulpiani demonſtrant, Celticum idioma non à Græco tantum, ſed & à Latino, plane fuiſſe diverſum. Celtica verba, ut barbara, apud Gellium (*f*) riſere Romani. Inconcinnum ergo eſt Pauli Pezronii ratiocinium, qui, quum in *Antiquitatum Celticarum appendice* magno numero Græca, Latina & Germanica, vocabula produxiſſet, ex illorum cum Celto-Aremoricis harmonia demonſtrare niſus eſt, ad Græcos & Romanos ea perveniſſe per Celtas. Verum inductiones hujus generis vagæ plerumque ſunt falſæ, certe admodum dubiæ. Ad Græcos & Romanos Celtica vocabula plura ſine dubio tranſierunt, quod ipſi Græci Romanique Scriptores fatentur, ex quibus ſyllabum eorum protulimus; cur autem non viciſſim ad Celtas, qui inter Græcos paſſim in Gallia Meridionali habitaverant, multa Græca tranſierint? Aremorici, pertinaciter licet ſuum Celticiſmum defenderint, perpetuo tamen Romani ſermonis auditu plura ex eo verba receperunt in ſuum. An non Germani ab omni tempore ex peregrinis linguis verba mutuarunt? quod nec aliis gentibus inſolens eſt. Rationes diverſitatis.

§. CXVII.

(*y*) Ita Romæ quoque extabat monumentum Gordiani Martyris, Legati Galliæ, ubi Inſcriptio Latinis verbis quidem concepta, at à Gallo characteribus Græcis expreſſa, quam vide in *Roma ſubterranea* Lib. III. Cap. XXII. & apud Mabillon. *Itiner. Ital.* Tom. I. pag. 139.

(*z*) Cæsar de *Bello Gall.* Lib. V. Cap. XLVIII.

(*a*) *Strategem.* Lib. VIII. Cap. XXIII. num. 8.

(*b*) De *Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XIV.

(*c*) *Præfat.* ad Lib. II. *Commentar. Epiſt. ad Galatas.*

(*d*) *Adverſus Hæreſes* Lib. I. præfat. apud Epiphan. *Hæreſ.* XXX. 10.

(*e*) *Leg. Fideicommiſſa* XI. *ff.* de *Legat.*

(*f*) *Noct. Atticar.* Lib. XI. Cap. VII. ubi: „ Poſt „ deinde, quaſi neſcio quid Tuſce aut Gallice „ dixiſſet, univerſi riſerunt.

§. CXVII.

Lingua in Alſatia mutata.

Concludimus hinc, Alſatiam, per omnem ſeculorum decurſum, nonniſi bis linguam mutaſſe, quando nempe Celticæ illi primævæ & indigenæ Romana primum, Romanæ deinceps Teutonica, quæ ad noſtram usque durat ætatem, ſucceſſit; ſed ita ſucceſſit, ut tamen non ubique tolleretur Romana. Itaque ſub Francica Periodo Alſatia facta eſt *bilinguis*, & in eo ſtatu hodieque perdurat, manifeſta tamen veteris Celticiſmi veſtigia, in locorum antiquiſſimorum nominibus verbisque nonnullis, in Romano-Barbara forte lingua reſiduis, retinens. Quodſi enim in hodierna Gallica uſuali vel vulgari, quæ ex Romana corrupta eſt, Celticæque ſucceſſit, plures adhuc ex Celticiſmo voces ſuperſunt, quod Lexicographi Gallici uno ore fatentur, cur non idem Alſatis noſtris, Romanam quoque cum Celtica commutantibus, eveniſſe velis? Vix fieri poteſt, quum in gente quadam idiomatis vernaculi commutatio fit, ut non ex veteri in novum plura vocabula transeant. Hoc modo quatuor illæ Galliæ partes, Celtica, Belgica, Aquitanica, Narbonenſis, ante Romanorum adventum, ſingulæ ſuum idioma habuerunt: in Narbonenſi ſpeciatim viguerat Græcum. Romanorum vero dominatione per Galliam omnem extenſa, Romaniſmus ita invaluit, ut ad noſtra usque tempora perduret, Græciſmo omni abolito, Celticiſmo autem & Aquitaniſmo ad inferiores Brito-Aremoricos & ad Vaſcones relegatis; quarum linguarum prima *le Bas-Breton*, (*g*) altera *la Langue Basque*, (*h*) appellantur. Solus Belgiciſmus, qui ex Teutonico idiomate natus eſt, apud Belgas in ſuis ſe limitibus ſatis conſtanter ſervavit. Germania vero omnis Trans-Rhenana bilinguis eſt, quippe quæ præter Teutoniſmum, ſuam linguam vernaculam, nonniſi Sarmaticiſmum, ſive Slavoniſmum, admiſit, qui in Bohemia, Luſatia, in Brandeburgicis nonnullis & Luneburgicis (*i*) hinc inde tractibus, viget hodieque.

(*g*) De lingua hac Brito-Aremorica, quæ Celticæ, ut vidimus, ſurculus eſt, GREGORIUS DE ROSTRENEN, in præfatione ſua ad *Lexicon Francico-Celticum*, ita diſſerit: *Cette Langue Celtique ou Bretonne ſe parle peu ou beaucoup dans ſept des neuf Dioceſes de Bretagne; & il n'y a que les ſeuls Evechés de Rennes & de ſaint Malo, où on ne la parle point du tout. C'eſt le langage de tout le Dioceſe de Treguer, de celui de Leon, de celui de Quimper, hormis quatre Paroiſſes, de celui de Vannes, ſi vous en exceptés quatorze ou quinze Paroiſſes. On parle cette Langue dans treize ou quatorze Paroiſſes du Dioceſe de St. Brieuc; dans un quartier de celui de Nantes, & dans pluſieurs Paroiſſes de Dol, ſituées dans les enclaves des autres Dioceſes. Il eſt vrai, que le Breton a cela de commun avec toutes les autres langues vivantes, qu'il ſe parle differemment ſelon les differens cantons; car chaque Dioceſe ſemble avoir ſon dialecte particulier, & les mots, qui lui ſont propres, ou ſpecifiques, ne ſe prononcent pas toujours de la même façon dans les deux extremités d'un même Dioceſe.*

(*h*) Vaſconica, ſive Cantabrica lingua, quæ univerſæ olim Hiſpaniæ communis fuiſſe videtur, hodieque in uſu eſt in maxima parte Navarræ, ſuperioris & inferioris, in tota Ipuſcua, Alava atque Biſcaya, item in Lapurdo & Sola. JOSEPHUS SCALIGER in *Diatriba de hodiernis Francorum linguis*, quæ inter Opuſcula ejus varia pag. 125. Vaſconicam inter matrices Europæorum linguas numerat, addito elogio in hæc verba: " Cantabriſmus
" incipit à ſuburbicariis partibus Bajonæ Lapur-
" denſium, & itinere ſex aut ſeptem dierum in
" intima montanæ Hiſpaniæ extenditur. Galli
" omnes, qui ea lingua utuntur, vocant Baſcos,
" vel Baſculos. Hiſpani regionem, in qua illa
" dialectus locum habet, generali nomine *Baſcuença*
" vocant. Nihil barbari, aut ſtridoris, aut
" anhelitus habet: leniſſima eſt & ſuaviſſima, eſtque
" ſine dubio vetuſtiſſima, & ante tempora Romanorum
" illis finibus in uſu erat. Vid. OIHENARTI *Notitia utriusque Vaſconiæ* Lib. I. Cap. XI.

(*i*) Slavicæ hujus vel Venedicæ linguæ (Slavi enim & Venedi unus idemque populus ſunt,) Vocabularium edidit Jo. GEORGIUS ECCARDUS in *Hiſtoria ſtudii Etymologici* pag. 275. quod concinnatum eſt à celebri Viro Jo. FRID. PFEFFINGERO, Vitriani Illuſtratore.

§. CXVIII.

§. CXVIII.

IDIOTICUM

LINQUÆ ROMANO-BARBARÆ, VULGO *PATOIS*, QUÆ IN ALSATIA VIGET.

SIVE

Specimen Vocum, quæ nec cum Latinismo, nec cum Teutonismo, commune quid habent.

Romano-Barb.	Latine.	Gallice.
Ailombrate	Hirundo	*Hirondelle.*
Aiquiaiſſe	Pica	*Pie.*
Aitschegeon	Blatta	*Teigne.*
Baibaine	Cucurbita	*Citrouille.*
Baichatte	Puella	*Fille.*
Bâne	Cœcus	*Aveugle.*
Baniquiait	Strabo	*Louche.*
Bat	Bufo	*Crapeau.*
Beumé	Fons	*Fontaine.*
Biaſſon	Pirum ſilveſtre	*Poire ſauvage.*
Boerre	Anas	*Canard.*
Breuya	Fraus in ludo	*Tricherie au jeu.*
Cale	Calantica	*Bonnet de femme.*
Chiaſai	Animo linqui	*S'evanouir.*
Chroechai	Flare	*Souffler.*
Chyelle	Debilis	*Foible.*
Coincoërre	Scarabeus	*Hanneton.*
Combe	Vallis	*Vallée.*
Creuchon	Furfur	*Son.*
Dſcheraimne	Gallina	*Poule.*
Dſchenâi	Magus	*Sorcier.*
Eplie	Scintilla	*Etincelle.*
Eqyeupai	Spuere	*Cracher.*
Eqyſſe	Sipho	*Seringue.*
Fiuate	Pinus	*Pin*
Geainyai	Mentiri	*Mentir.*
Goené	Tunica fœminea.	*Juppe de femme.*
Grelon	Ruga	*Ride.*
Gruate	Jecur	*Foye.*
Kervoigit	Sutor	*Cordonnier.*
Lavon	Tabula lignea	*Planche.*
Meſê	Leproſus	*Lepreux.*
Nonnai	Merendare	*Gouter.*
Qyaiſſe	Lebes	*Poele.*
Qyeudre	Corylus	*Noiſettier.*
Qyeuoiat	Spurius	*Bâtard.*
Qyeutſchi	Hortus	*Jardin.*
Raigaitſche	Tenax	*Tenace.*
Sevré	Frons	*Front.*
Taichyate	Peſſulus	*Loquet.*
Tépion	Cimex	*Punaiſe.*
Trace	Bilix	*Coutis.*
Voeteuſſe	Favilla	*Cendre chaude.*

N §. CXIX.

§. CXIX.

ORATIO DOMINICA

CELTICA ET TEUTONICA LINGUIS.

Latine.	Aremorico - Celtice.	Britanno - Cambrice.
Pater noſter qui es in cœlis.	*Hon tad pehudy ſou en eſaou.*	*Ein täd yr hwn wyt yn y nefoedd.*
Sanctificetur nomen tuum.	*Da hanou bezet ſanctifiet.*	*Sancteiddier dy enw.*
Veniat regnum tuum.	*Devet aornomp da rouantelaez.*	*Deled dy deyrnas.*
Fiat voluntas tua in terra, quemadmodum in cœlo.	*Da eol bezet graet en douar, evalmaz eon en euf.*	*Gwneler dy ewyllys, megis yn y nef, felly ar y ddaear hefyd.*
Da nobis hodie panem noſtrum quotidianum.	*Ro dimp hyzioa hon bara pemdeziec.*	*Dyro i ni heddyw ein bara beunyddiol.*
Remitte nobis debita noſtra, ſicut nos remittimus debitoribus noſtris.	*Pardon dimp hon pechedou, evalma pardonomp da nep pegant ezomp offanczet.*	*A maddeu i ni ein dyledion, fel y maddeuwn ninnau i'n dyledwyr.*
Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.	*Ha nas dilaes-quet a hanomp en temptation; hoguen hon dilivr dyouz drouc.*	*Ac nac arwain ni i brofedigaeth, eithr gwared ni rhag drwg.*
Quia tuum eſt regnum, & potentia & gloria, in ſecula, Amen.	*Rac dit ez aparchant an rouantelaez an gloar, hac an galhout da biz avyquen, Amen.*	*Canys eiddot ti yw'r deyrnas, a'r nerth, a'r gogoniant, yn oes oeſoedd. Amen.*

Cantabrice vel Vaſconice.	Theotiſce ex Sec. IX.	Saxonice.
Guure Aita ceruetan çarena erabil bedi.	*Fater unſer thu in himilon biſt.*	*Thu vre fader, the eart on heofenum.*
Sainduqui çure icena.	*Giwihit ſi namo thin.*	*Si thin noman gehalgod.*
Ethor bedi çure erreſuma:	*Queme richi thin.*	*Cume thin rike.*
Eguin bedi çure borondatea Ceruan beçala lurrean ere.	*Werdhe willeo thin, ſama ſo in himile endi in erthu.*	*Si thin willa on eorthan ſwa on heofenum.*
Iguçu egun gure eguneco oguia.	*Broot uuiſeraz emezzigan gib uns hiutu.*	*Syle vs to dag urne dægwamlican hlaf.*
Eta barkha detçagutçu gure çorrac, gue gure gana çordun direnei barkhatcen derauztegun beçala:	*Endi ſarlaz uns ſculdhi unſero, ſamo ſo wir ſarlazzam ſcolom uuiſerem.*	*And forgif vs vre gylter, ſwa we forgifath tham the with vs agylthat.*
Eta ezgaitçatçula utz tentamendutan erorcera;	*Endi ni giledi uuiſih in coſtunga.*	*And ne led thu na vs on Koſtunge.*
Aitcitic beguira gaitçatçu gaitcetic. Halabiz.	*Auh arloſi uuiſih fona ubile.*	*Ac alys vs fram yfele. Si hit ſwa.*

RES

RES IN ALSATIA GESTÆ, SUB PERIODO CELTICA.

§. CXX.

Hiſtoriæ Alſatiæ vet. fontes.

CEltica Periodus omnium Alſatiæ Periodorum longiſſima, nonniſi pauca tamen nobis ſubminiſtrat digna memoratu: defectus non tam ex temporum injuria, quam ex ævi illius priſci barbarie, imo & ex recepta Druidum Bardorumque diſciplina, cujus ſuprema lex, nihil ſcripto conſignare, prognatus. Theologia à Druidibus, Hiſtoria à Bardis, nonniſi oretenus tradebantur. Ita quæ aliarum provinciarum, ea noſtræ quoque Alſatiæ, ſors eſt, ut origines ejus vel obſcuræ prorſus, vel mythicæ certe ſint; id eſt, Poeticis fabulis magis, quam incorruptis Rerum Monumentis, tradantur. Res ergo in Alſatia Celtica geſtas ſi ſpectes, in obſcurum, mythicum & hiſtoricum tempus, omnem illam Periodum ſubdividas.* Ad Julii Cæſaria tempora usque omnes ſane res obſcuræ ſunt; ſed addidimus mythicam, quod Scriptores noſtri mediæ ætatis rerum geſtarum defectum figmentis ſuis ſupplere ſtuduerunt: Alſaticam Hiſtoriam turpiter contaminantes, quum lucem ei aliquam afferre viderentur. Solis enim Græcis atque Romanis, & inter hos JULIO CÆSARI præſertim, debemus, qnod in vaſta hac Periodo non omnino cæcutiamus: Geographicas, ſacras item atque civiles, Alſatiæ antiquitates, quas protulimus, nonniſi ex illis & lapideis quibusdam Monumentis, quæ Romanorum religio in Alſatia conſecravit, quæque veluti tabulæ quædam ex magno naufragio ſuperſunt, divinando eruimus. Qui rebus Alſaticis aliunde præſidium quæſiverunt, id eſt, qui ex tenebroſis illis mediæ ætatis temporibus lumen aliquod Hiſtoriæ Alſaticæ afferre ſtuduerunt, in profundam fabularum abyſſum prolapſi ſunt, falſaque miſcendo veris, Lectori incauto obtulerunt quiſquilias; unde Mythicum Alſatiæ Celticæ tempus exortum, in quo non modo veritatem, ſed & veritatis ſpeciem, merito deſideres; quando rationes ejus omnibus Chronologiæ, Geographiæ & genuinæ Hiſtoriæ, rationibus aperte repugnant. Fuit hæc tamen Scriptorum Alſatiæ omnium, qui ante ſeculum XVI. Chronicas conſignarunt Alſaticas, labes communis, qua NOVIENTENSAM præſertim SENONIENSEMque ANNALISTAS, REGIOVILLANUM item noſtrum, aliosve, laboraſſe novimus.

TEMPUS ALSATIÆ FABULOSUM.

§. CXXI.

Reges Galliæ vet. fictitii.

ENimvero ſi Hiſtoricos hos audias, antiquiſſimia Alſatiæ temporibus illuſtria duo regna apud Gallos noſtros, alterum apud Sequanos, alterum apud Trevirenſes, floruerunt; quorum illud ad ſuperiorem, hoc ad inferiorem usque, Alſatiam ſe extendiſſe volunt. De Sequanico antiquiorem non reperio teſtem, quam GOTFRIDUM VITERBIENSEM, ſeculi XII. Scriptorem, Henrico VI. Imp. Sacrorum & Auguſtalium ſcriniorum Præfectum; qui Veſontinis, adeoque Sequanis, Seguinum, An. CCCLXIV. poſt Romam conditam, temporibus Brenni, Regem aſſignat. Ita enim ſcribit:

„ Sede Biſuntinus fuerat tunc Rex Seguinus,
„ Cujus erat Sauna fluvius, Rhodanusque Marinus,
„ Primaque pars Araris, Allobrogusque finus. (*l*)

Unde ſua hæc didicerit Gotfridus, neque ipſe commemorat, neque ego divino. Ex eodem fonte turbido ſua forſan hauſit, unde ſeculo XV. finiente ANNIUS ille, qui ſe VITERBIENSEM quoque dixit, ſua deſumſerat. Annius nempe, ſive Joannes, origine Venetus, gente nobilis, cujus verum nomen fuit *Nani*, ad Dominicanorum Viterbienſium ſe profeſſus eſt familiam. Hic enim An. MCCCCXCV. Beroſum ſuum, Manethonem, Methaſtenem, aliorumque hujus generis Scriptorum, fragmenta eadem, qua Gotfridus, fide in lucem Romæ emiſit. Similis profecto farinæ ſunt Pſeudo-Beroſiana (*m*) hæc: “ Apud Tuyſcones regnat Hercules Alemannus: apud Celtas „ Lugdus, à quo provincia & homines cognomenta ſumſerunt. „ Item paulo poſt: “ Apud Celtas Beligius, à quo illi Beligici (Belgici) appellantur, regnat. „ Quis non manifeſtas in his mythicæ narrationis notas deprehendit, quippe quæ genuinis

(*l*) GOTFRIDUS VITERBIENSIS in *Chron.* pag. 9. apud PISTOR. *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. II. pag. 145.

(*m*) BEROSUS ANNII Lib. V. ſub Mancaleo XIV. Aſſyriorum Rege & ſub Mamelo XVI. Rege.

Græcorum Latinorumque monumentis aperte repugnant; ubi *Alemanni*, & *Lugduni* vocum origines alias longe, quam has Annio relatas, reperimus. Neſcio tamen, an perſonatus hic Annius inter veros impoſtores referendus ſit, qui critico judicio nullo pollens, veteris Hiſtoriæ veræ deſtitutus ſcientia, eadem fide ſcripſit, qua ſua pluribus ante ſeculis ſcripſerat Gotfridus. Burcardo Gotthelfo Struvio (*n*) tamen doctis eum impoſtoribus accenſere viſum eſt, ex recepta ſententia. Quodſi ea, quæ Latinus Latinius, & ipſe Viterbienſis, humaniorum literarum probe gnarus, Antonio Auguſtino narravit, vera ſunt, ab omni impoſtura tamen Annius plane liberandus non eſt, quod Viterbii literas inſculpendas eum curaviſſe lapidi, vineæque dein non procul ab oppido infodi juſſiſſe, ſcribit Latinius, qui dein à vinitore effoſſus atque in urbem delatus eſt. Annius perſuaſit civibus, Viterbii urbis origines ibi contineri, quæ bis mille annis Roma eſſet antiquior. (*o*) Beroſi autem Chaldæi, Manethonis, Xenophontis, Catonis aliaque, fragmenta falſa, quæ forſan pro veris, vivo adhuc Cardinale Fulgoſo, cujus Theologus erat, in lucem edidit Annius, ille ex Codice Mſ. Magiſtri cujusdam Gulielmi Mantuani, (*p*) qui ſeculo XIV. vixit, primum edidit Romæ An. MCCCCXCV. Unde ſua Gulielmus ſumſerit, neſcimus. Gotfridus Viterbienſis, ſimilia fere ſeculo jam XI. narrans, facit, ut figmenta hæc, ævo Carolino ignorata, circa X. vel XI. ſeculi tempus exorta, & ſequentibus aucta, fuiſſe cenſeam; quibus quidvis fingendi libido invaluerat: quibus innumeræ illæ Cœnobitarum Legendæ atque ſine numero fabulæ procuſæ fuerunt. Uti vero impoſtores non appellaveris illos, qui antiquitatum medii ævi non ſatis periti falſa Diplomata, ab aliis efficta, bona fide in lucem edunt; ita, de fragmentorum falſorum editoribus caute quoque pronuntiandum eſſe, æquus rerum arbiter facile mecum arbitrabitur.

§. CXXII.

Trebeta fabuloſus.

Sed Antiquitatibus his Sequanicis mirabiliora ſcilicet ſunt inferioris Alſatiæ fata, ſi noſtros, non minus incautos, Alſatiæ Annaliſtas auſcultes. Fatorum hæc ſeries à Trevirenſibus prodiit, quorum medii ævi Scriptores vaſtum urbi Trevirorum Imperium, Abrahami jam ætate, affingunt, cujus partem Alſatiam quoque noſtram fuiſſe exiſtimant. Trebeta, Nini Aſſyriorum Regis filius quidam ignotus, rejectis novercæ ſuæ Semiramidis nuptiis ab ea Regno expulſus, variisque per orbem erroribus actus, ad Moſellam denique perveniſſe, urbe in ejus litore extructa, Treberim ex ſuo nomine appellaſſe, narratur, magni Imperii futuram mox ſedem. Ulterius enim progreſſum, *Tribotes* quoque noſtros condidiſſe, atque ex ſuo nomine ita appellaſſe, & Trevirenſes & Alſatici Scriptores ſomniarunt. Geſtorum Trevirenſium ſeculi XII. Auctor, quem Golscherum vocat Goldastus, (*q*) inſignia hæc Treverici Regni ad Rhenum ſuperiorem augmenta, non Trebetæ, nec filio ejus fictitio Hero, ſed Ducibus, qui eos ſecuti fuerint, adſcribit. (*r*) "Succeſſu temporum (ait) proſperoque eventu bellorum „ finitimis undique Gentibus, & urbibus devictis, jugum impoſuerunt, in quibus „ quinque urbes nobiliſſimas, in ripa Reni fluminis conſtitutas, hoc eſt, Baſileam, „ Argentinam, Wangiam, Magontiam, Coloniam, cum populis ſuis ſubjugaverunt." At ſeculi ſequentis Scriptor Alſatus, Topologus Novientensis vel Ebersheimensis, (*s*) diſtinctius ait: "Pagus Alſacienſis primitus ab exercitu Trebete poſſeſſus & excultus;" quem in modum alii Trevericarum Alſaticarumque Rerum Scriptores, ſuperadditis figmentis pluribus, veterem Alſatiæ contaminarunt Hiſtoriam. Koenigshovius (*t*) noſter in *Alſatiæ Chronico* Argentoratum, Moguntiam, Wormatiam, Coloniam Aggrippinenſem, Baſileam, mortuo Trebeta, à Trevirenſibus conditas credit. Daniel Specklinus (*u*) vero, Argentinenſium ſeculo XVI. Geographus, Tabernas Alſaticas, ipſa Argentorato antiquiores, decennioque poſt urbem Treverorum à Trebeta exſtructas, atque Caſtellum deinceps eo loco, ubi D. Thomæ Templum eſt, urbi Argentoratenſi adjectum, ex nonnullorum ſententia tradit.

§. CXXIII.

(*n*) *Diſſert. de Doctis Impoſtoribus* §. XXV. pag. 41.

(*o*) Anton. Augustinus *Dialogo* X.

(*p*) Annius ipſe in Præfatione ſua ad M. Catonis fragmenta ita ſcribit: "Quisquis fuerit iſte Cato, qui „ de Originibus ſcripſit, non potui eum integrum „ habere, niſi fragmenta & quidem inordinata, in „ Collectaneis vetuſtis cujusdam Magiſtri Gulielmi „ Mantuani &c.

(*q*) Vide Leibnitium in *Præfatione ad Acceſſiones Hiſtoricas*. Eccardus *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. II. Præf. §. XXI.

(*r*) *Geſta Trevir.* Cap. VI. in *Acceſſionibus Hiſt.* Leibnitii.

(*s*) Apud Martene *Theſaur. Anecdotor.* Tom. III. pag. 1127.

(*t*) Cap. V.

(*u*) *Collectan. Mſſ.* Tom. I. pag. 2.

§. CXXIII.

Non equidem diffiteor, hæc Trevirenſium tradita medio ævo habuiſſe fautores, Marianum Scotum, Sioebertum Gemblacensem, Ottonem Frisingensem, Conradum Ursperoensem, Albertum Stadensem alioſque. Quam exigua vero, vel nulla, ſit horum, ſimiliumque Scriptorum, in rerum, ab ævo ſuo remotarum, narratione fides, norunt Criticæ Artis periti; quos illius ævi Annaliſtarum in fabulis condendis audacia non latet. Homines genuinæ Antiquitatis & Chronologicarum rationum ignari, ſua alter ab altero bona fide deſcripſerunt; dubia cum certis, falſa cum veris, ſine ullo examine miſcentes. Marianum Scotum, ſeculi XI. Scriptorem, primo loco nominavi, quod ante eum nullum reperio, qui Annalibus ſuis figmenta hæc inſeruerit. Ille enim ad An. MMCXCIII. hæc ſcripſit. "Trebata, filius Nini, à Semiramide „ expulſus de Regno, Treverim urbem condidit in Gallia, ante Romam conditam annis „ MCCL. „ (x) Hoc nimirum teſtimonio decantatus ille verſus, Trevirenſi Curiæ inſcriptus, nititur: Fabulæ propagatio.

Ante Romam Treviris ſtetit annis mille trecentis.

Quem verſum nonnulli Gotfrido Viterbienſi adſcribunt, uti teſtatur Kyeiander. (y) Caroli M. tempora has Trevirenſium antiquitates ignorânt. Marianus pauca hæc primus, quem novimus, quum indicaſſet, ſequenti ætate multiplicibus incrementis aucta fuerunt. Quod ipſum quoque alteri illi de Johanna, muliere Papa, figmento contigiſſe video, quæ ſpurios ſuos natales eidem Scoto (z) debere videtur, (antiquior enim Scriptor, quod ſcimus, eam non prodit:) quæque additis, progreſſu temporis, circumſtantiis novis, evaſit ornatior.

Trebeta ſemel in ſcenam productus peperit Tribotes vel Trebocos, qui magni illius Trevirenſium Imperii pars habiti ſunt, quod affinitas nominis id indicare videretur. Hic ipſe vero Tribocenſes origines à Trebeta derivandi pruritus oſtendit, quam parum Scriptores illi genuinæ Antiquitatis fuerint periti. Ex Cæsare enim, Strabone, Tacito, intelligere potuiſſent, Tribocos, Nemetes Vangionesque, nonniſi primorum Imperatorum temporibus ex Germania transiviſſe in Galliam; adeoque Trebetam illum, ſi unquam in rerum natura fuiſſet, regnumque tam potens poſſediſſet in Gallia, non potuiſſe nomen ſuum Tribocis, Germaniæ populo, Germanicum ſolum tum habitanti, communicare. Adde his, quod rei cardo eſt, Treviros ipſos fuiſſe Germanos, & ex Germania antiquitus transiviſſe in Galliam, quod de ſe jactarunt Treviri; Germanicæ originis ſe eſſe ſibi gloriæ ducentes, ut Tacitus teſtatur. (a) Fabula de Tribotibus.

§. CXXIV.

Neque tamen illis modo, quos allegavimus, mediæ ætatis Scriptoribus in alia omnia, genuinæ Hiſtoriæ contraria, diſcedere viſum eſt; ſed & renaſcentibus bonis literis, imo jam renatis, id eſt, XV. & XVI. ſeculis, exercitus reperitur Auctorum, qui, neglectis idoneorum Scriptorum traditis, turbidos fontes ſecuti ſunt: Æneas Sylvius (b) nempe, Nauclerus, (c) Aventinus, (d) Trithemius, Willichius, (e) Münsterus, (f) Krantzius, (g) Wasseeurgius, (h) Irenicus, (i) Kyriander, (l) aliique bene multi; qui tritam omnes ſecuti ſunt ſemitam, non qua eundum erat, ſed qua ibatur, conſtanter ire pergentes. Primus in Alſaticis Antiquitatibus nugari deſiit Beatus Rhenanus noſter, Vir bonis literis imbutus apprime, amicus Eraſmi; Jacobum Wimphelinoium & Hieronymum Gebvilerum noſtros, non labore & induſtria, ſed critico judicio, longe ſuperans. Hic eo ipſo tempore, quo coætanei ſui turbidis his traditionibus inebriati fuerunt, ſubactiore judicio nixus, in ſuis *Rerum Germanicarum* Libris erudito eos ſilentio transivit. Neque tamen ſagacis hujus viri veſtigia legere voluerunt Juniores noſtri, qui ejus & inſequenti mox ætate vixerunt: Danielem Specklinum, Oseam Schadæum, Bernhardum Herzog, alioſque ſimiles intelligo, qui Novientenſis Topologi, Richerii Senonienſis, Fautores fabularum.

N 3 Regio-

(x) Marianus Scotus in *Chron.* Lib. I. Ætat. III. Cap. XVI. apud Pistor. *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. I. pag. 478.

(y) *Annal. Treverorum Auguſtæ* Part. I. pag. 21.

(z) *Chron.* Lib. III. Ætat. VI. ad An. DCCCLIV. pag. 639.

(a) *De Morib. Germanor.* Cap. XXVIII.

(b) In *Germania* ſua Cap. II.

(c) *Chronographia* Fol. XV.

(d) *Annal. Bojor.* Lib. I.

(e) *Not. ad Taciti Germant.* num. 3.

(f) *Deſcript. German.* apud Simon. Schardium *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. I.

(g) *Hiſt. Eccleſ.* Lib. V. Cap. V.

(h) *Antiquités de la Gaule Belgique* fol. II.

(i) *Exegeſeos Germaniæ* Lib. II. Cap. I.

(l) *Annal. Trevror.* Part. I. pag. 21.

Regiovillani vel Kœnigshovii, apocryphas narrationes ſequi maluerunt, quam Beati Rhenani imitari exemplum: ſolita indolis humanæ corruptione, quæ mirabilibus rerum eventibus, falſis licet, magis quam veritatis ſimplicitate, delectatur. Quod in Alſaticis rebus Beatus Rhenanus, id in Trevirицis præſtitit *Annalium Trevirenſium*, ſeculo XVI. finiente, conditor CHRISTOPHORUS BROWERUS, (*m*) WILHELMUM KYRIANORUM, qui ante ipſum *Hiſtoriam* quoque *Trevirenſem* conſcripſerat, erudite confutans, ſed & ipſe mox confutandus à JACOBO MASENIO. (*n*) Hic enim receptam de Trebeta, gentis conditore, traditionem non negligendam arbitratus eſt, quod ea neglecta gloriæ & antiquitati Tevericæ gentis detrahi crederet. Præter Marianum autem, Gotfridum & Ottonem Friſingenſem, antiquos quoque Verſus, qui in lapide quodam reperti ab Urſpergenſi allegantur, teſtes advocavit; quæ teſtimonia ad rem antiquitatis tam remotæ probandam parum facere videntur, quando Verſuum horum originem, ſeculique, quo conditi ſunt, obſcuritatem, ipſa eorum indoles prodit manifeſte.

§. CXXV.

Origo fabularum.

Quicquid horum ſit, Treverici imperii per Alſatiam veſtigia in idoneorum Hiſtoricorum nullo reperimus. Idoneos in tam remota antiquitate Scriptores voco veteres Græcos atque Romanos, ex quibus ſolis haurienda eſt Alſatiæ priſcæ notitia. Nihil quicquam apud hos de Trebeta à Semiramide pulſo, & in Trevericas plagas fugiente, nihilque adeo de oris his noſtris, Trevirenſium imperio ſubjectis. Trebocos autem, vel, ut vere ſcribitur, Tribocos, in Alſatia habitaſſe, incurii illi Scriptores quum didiciſſent, ex nominis ſimilitudine Trebocos & Treviros ejusdem, atque adeo Aſſyriacæ originis fuiſſe ſibi perſuaſerunt: & ne quid figmento perficiendo deeſſet, Trevericæ coloniæ in Alſatiam deductæ auctor eſt additus, quem Tyram fuiſſe perhibent; unde porro nomen *Tyrasburgum* exortum ſit, quod denique, literis per temporis ſucceſſum & additis & ſemotis, in *Strasburgum* degeneravit. Vulgatiorem hanc ſua ætate opinionem fuiſſe laudatus jam ſæpe GEBVILERUS commemorat. (*o*)

Id unum, antequam Trevirenſes noſtros dimitto, ſubjungere libuit, quod, fictitii hujus Trevirorum in Alſatiam inferiorem Imperii cauſas, ego quum quærerem, has veriſimiles repererim. Majores noſtri, Metenſem olim Epiſcopatum per Alſatiam inferiorem ad Rhenum usque ſe extendiſſe, uti alio loco oſtendi, (*p*) traditione intellexerant. Hic autem Epiſcopatus Metropolitano Trevirenſi quum ſubſit, Jurisdictionem Eccleſiaſticam forte cum civili confuderunt; atque Alſatiam noſtram inferiorem civili quoque Trevirenſium Imperio ſubjectum fuiſſe ſomniarunt. Addo aliam: Trevirenſi Galliarum Vicario, à Præfecto Prætorio Galliarum pendenti, ſuberat olim Alſatia, imo maxima Galliæ pars. Inaudientes aliquid his de rebus Annaliſtæ, ut Trevericæ urbis exaltarent potentiam, effinxerunt Trebetam, atque ita poſteros ſeduxerunt incautos.

TEMPUS ALSATIÆ HISTORICUM.

§. CXXVI.

Bella Arioviſtina in Alſatia.

OMnia ergo veteris ævi dum Monumenta revolvo, in tota Periodo Celtica Rerum in Alſatia geſtarum nihil, præter Arioviſtina bella, reperio, quorum initia in hujus Periodi finem incidunt. Arioviſti res, quæ apud Sequanos noſtros evenerunt, quatuordecim annorum tempus conficiunt; quo libera Alſatia triſte ſervitutis jugum ſubivit. Germanicum jugum ab Arioviſto, vicinorum Germanorum Duce, quem ſervatorem imploraverat, Alſatiæ Sequanicæ, ſive ſuperiori, impoſitum: Mediomatricenſis enim, ſive inferior, à Germanis manſit intacta, libertatemque ſuam nonniſi ſub Romanis victoribus amiſit, poſtquam in ſuperiore quatuordecim annis dominati jam fuiſſent Germani; Germanicam autem apud Alſatas ſuperiores dominationem excepit Romana. Libertatis ſuæ amiſſæ cauſa ipſi Sequani fuerunt, quorum æmulatio cum Æduis vicinis omnis origo malorum, toti mox Galliæ futura fatalis; quod totam ſubigendi Galliam Cæſari hinc nata occaſio. Duæ nimirum factiones tum in Gallia viguerunt, quarum unius principatum Ædui, alterius Sequani noſtri & Arverni, tenuerunt: (*q*) utraque totus

(*m*) *Antiquitatum & Annalium Trevirenſium Proparaſceve* Cap. VI. pag. 9.

(*n*) In *Notis ad Browerum.* pag. 77.

(*o*) *Panegyr. Carol.* pag. 21.

(*p*) Vid. ſupra pag. 47. §. XXIV.

(*q*) CÆSAR de *Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXXI. Lib. VI. Cap. XII. In priore loco Cæſar pro Sequanis Arvernos ponit. Ipſos Sequanos in Arvernorum fide & clientela fuiſſe, Divitiacus Æduus Cæſari profeſſus eſt; ſed quod ſuis præſertim ſumtibus bellum illud cum Æduis, Arioviſtum in auxilium vocantes, geſſiſſent Sequani; in loco iſto nominati ſunt ſoli: his autem oppreſſis, Divitiacus ſolos nominavit Arvernos, quod Arioviſtus eos non attigerat.

totius Galliæ dominatum animo agitavit. Ædui parem, Sequani ſuperiorem, ferre noluerunt; ambitione utrique genti funeſta. Acceſſit, ut STRABO (*r*) teſtatur, inter Sequanos Æduosque peculiaris de vectigalibus Araris contentio; quorum reditus utraque gens ſibi vindicaverat, quod Araris limitem inter eas conſtituit. Cauſam vero ſuam Sequani ſpecioſiorem ut redderent, graviter in Æduos invecti ſunt, quod conniventia eorum factum, ut Romani ſuum in Gallia ſtabilirent imperium. Contra potentatum ergo Æduorum à Sequanis in auxilium accerſiti ſont ex adverſo Rheni litore Germani, (*s*) ob bella, communibus armis in Italia geſta, veteres Sequanorum amici, hoſteſque Romanorum communes. (*t*) Germanorum circiter millia quindecim cum Arioviſto (*u*) in Galliam primum tranſiverant, quatuordecim, ut videtur, annis, antequam Cæſar cum Arioviſto confligeret. Arioviſtus enim, in ſua ad Cæſarem reſponſione, (*x*) de Germanis ſuis jactat, eos intra XIV. annos non ſubiiſſe tectum; quod de primi tranſitus, primique cum Æduis prœlii, tempore intelligendum. Cæſareanum autem cum Arioviſto prœlium in annum V. C. DCXCVI. Æræ Capitol. incidit, à quo ſi quatuordecim annos retro computes, incidis in annum V. C. DCLXXXII. ante Æram Chriſt. LXXII. Epocha in Annalibus Alſaticis memorabilis: quod Germanicorum, ſub Arioviſto duce, populorum jugum Alſatica hæc ora ſuperior ſubire tum cœperit, per totos deinceps XIV. annos ab eodem Arioviſto occupata, donec à Cæſare repelleretur trans Rhenum.

§. CXXVII.

Germanorum origo.

Vocem *Germani* primum in occidente, Arioviſtini hujus tranſitus tempore, innotuiſſe, populiſque Rhenum inter, Danubium & Viſtulam, habitantibus imponi cœpiſſe, ſunt, qui conjectant. (*y*) Trahitur nempe huc Tribus illa, ab HERODOTO (*z*) inter XII. Perſiæ Tribus, & quidem inter genus Aratorum, ſub nomine *Germani*, memorata; quam ex Perſia pridem ad Paludem Mæotidem migraſſe, atque hinc denique Arioviſto duce Rhenum tranſiviſſe, exiſtimant. Enimvero tribum aliquam, ſub nomine *Germani*, in Perſide extitiſſe olim, imo etiamnum exiſtere, nemo negaverit; eam vero deinceps ad Paludem Mæotidem habitaſſe, DIONYSII PERIEGETÆ, qui huc trahitur, locus non indicat. Sed & Arioviſti exercitum, ex genuinis & veteribus Germaniæ incolis compoſitum, Cæſar ſatis aperte declarat. Germaniæ ergo nomen, recens licet & nuper additum dicatur à TACITO, (*a*) temporibus Cæſaris tamen antiquius fuit. In Faſtis Triumphalibus anni V. C. DXXXI. jam legitur: M. CLAUDIUS MARCELLUS A. DXXXI. COS. DE GALLEIS INSUBRIBUS ET GERMANIS &c. SPOLIA OPIMA RETULIT. (*b*) Hæc diu ante Jul. Cæſarem vocem *Germani* jam innotuiſſe, Cæſaremque adeo primum non fuiſſe, qui in Commentariis ſuis voce ea ſit uſus, demonſtrant.

§. CXXVIII.

Arioviſti Principatus.

Arioviſtum Cæſar *Regem* ſtylo ſuo appellat, quo Viri, in Gallicis civitatibus auctoritate pollentes, ſubinde eidem Reges vocantur. Enimvero Principatum Arioviſtus tenuit apud populos, qui ad dextram Rheni oram, Alſatiæ oppoſitam, habitaverant. Hic quum conflixiſſet cum Cæſare, in exercitu ejus Harudes, Marcomannos, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Seduſios, Suevos, (*c*) fuiſſe legimus, qui CXX. millia expleverunt, quum primo tranſitu nonniſi XV. millia, ut modo dictum eſt, cum eo Rhenum tranſiſſent. (*d*) Unde omni illo quatuordecim annorum intervallo, quo apud Sequanos noſtros dominatus eſt Arioviſtus, novis ſemper ex Germania copiis & acceſſionibus auctum fuiſſe perſpicimus; quorum poſtremi fuerant Harudes, qui XXIV. millium numero advenerunt, paulo ante quam Cæſar cum Arioviſto pugnavit. Germanici tamen hi populi, qui in Galliam paulatim transgreſſi ſunt, non omnes ſub Arioviſti principatu in Germania vixiſſe videntur, ſed Marcomanni præſertim, qui nimirum

(*r*) *Geographia* Lib. IV.
(*s*) Arioviſtus id ipſe dicit in reſponſione ad Jul. Cæſarem: "Tranſiſſe Rhenum ſeſe non ſua ſponte, „ ſed rogatum & accerſitum à Gallis: non ſine magna „ ſpe, magniſque præmiis, domum propinquosque „ reliquiſſe. „ CÆSAR Lib. I. Cap. XLIV.
(*t*) STRABO *Geograph.* Lib. IV. pag. 293.
(*u*) Simile nomen habuit Inſubrum Dux quidam apud FLORUM Lib. II. Cap. IV. Sed mire in hoc nomine variant Codices MSſ. Ceterum Arioviſti nomen eſſe Teutonicum, & à Romanis in ſuam linguam detorſum, nemo dubitaverit. Germanicum *Ehrenveſt* (honore firmus) huc trahere placet pleriſque.
(*x*) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXXVI.
(*y*) CHARLES LE GENDRE, MARQUIS DE S. AUBIN, *Antiquités de la Monarchie Françoiſe*, & ex eo DOM JAQUES MARTIN *Eclairciſſemens hiſtoriques ſur les Origines Celtiques & Gauloiſes* pag 152.
(*z*) Lib. I. Cap. CXXV.
(*a*) *De Morib. Germanor.* Cap. II.
(*b*) GRUTER. *Inſcript.* Tom. I. pag. 297.
(*c*) CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. I. Cap. LI.
(*d*) Divitiacus in Oratione ad Cæſarem Lib. cit. Cap. XXXI.

nimirum Rheno contigui Sueviam hodiernam tenuerant, nomenque ſuum inde, ut veriſimile eſt, acceperunt, quod ad limitem Germaniæ Galliæque habitaſſent, (e) qui deinceps ſub Maroboduo ſuo, apud ipſos quoque Priocipatum tenente, at Regnum affectante, in Boiohemum, Tiberii Imp. tempore, tranſierunt. (f) SPENERUS (g) Harudum & Seduſiorum quoque Regem fuiſſe Arioviſtum veroſimile putat. Tribocos autem, Nemetes atque Vangiooes, ab Regno Arioviſtino in Germania excludit, & recte fortaſſis excludit, ſed falſa tamen uſus ratione; quia ſcilicet populos hos ante Arioviſtum in Gallico litore Rheni jam habitaſſe, quod conſentaneum vero non eſt, exiſtimat. (h) Quocunque in Germaniæ populo Principatum exercuerit Arioviſtus, primos cum eo Rhenum tranſiviſſe Marcomannos, limitis Rhenenſis accolas, dubitare vix licet. Hi tranſitus ſocii victoriæ quoque, contra Æduos mox reportatæ, fuerunt participes. Quoties cum Æduis conflixerit Arioviſtus, ooo liquet: ſolius decretoriæ pugnæ, quæ ad Amagetobriam pugnata eſt, reperimus memoriam.

§. CXXIX.

Variorum opiniones de Amagetobria.

In exprimendo *Amagetobriæ* nomine Commentariorum Cæſaris Codices variant omnino: ſunt, in quibus *Magetobriam*, *Magetrobiam*, *Magetobrigam*, *Amagetobrigam*, *Amagetobriam*, leginus. Locum hunc nec Græcorum, nec Latinorum, Scriptorum ullus memoravit, unde minime mirum, ſi de ſitu ejus inter ſe digladiantur eruditi, quando Divitiacus, in Oratione ad Cæſarem habita, ſolus, & in tranſitu modo, ejus facit mentionem, ne levi quidem indicio oobis relicto de ſitu. (i) Graviter enim erravit BAUDRANDUS, (l) in Antonini Itinerario Amagetobriæ mentionem fieri exiſtimans. NICOLAUS SAMSONIUS, Geographus celebris, non diſſentiente LABBEO, Magetobrigam aliquando interpretatus eſt *Magſtat*, (quod oppidulum Lotharingiæ, ſex leucis Marſalio, verſus boream diſtans,) ſola oominis ſimilitudine ad hanc inductus ſententiam; quam tamen mutavit deinceps, (m) quum ad Bingium (n) urbem, prope oſtia Navæ, Rheno ſe jungentis, Amagetobriam refert, ſubdubitans licet, atque falſa AUSONIANI verſus: (o)

« Æquavit Latias, ubi quondam Gallia Cannas, »

interpretatione innixus; quem de Arioviſtina contra Gallos pugna explicandum eſſe cenſuit, (p) omnes licet circumſtantiæ rei geſtæ contrarium ſuadeant. CAROLUS BOVILLUS (q) atque MEYERUS (r) oppidum *Maſieres*; alii *Trajectum ad Moſam*, huc trahere voluerunt. Propius ad rei veritatem acceſſit BLASIUS VIOENERIUS, (s) qui Amagetobriam in oppido *Montisbeligardi* quæſivit. Quem locum BARTHOL. MARLIANUS (t) per *Toaut* ad Rhenum deſignare velit, ubi Amagetobriam veterem quærendam eſſe putat, noo equidem divino.

§. CXXX.

Dunodi ſententia.

Neque vero heic tranſeundus ſilentio eſt Societatis Jeſu Sodalis, DUNODUS, nova & peculiari ſententia adſtruere conatus, Bruntrutum urbem, Epiſcopi Baſileenſis, in Sundgoviæ noſtræ finibus, ſedem, Amagetobriam illam Cæſaris eſſe, apud quam prœlium Arioviſti cum Gallis ſit habitum. (u) Sed aſſeruiſſe hoc noo contentus, alterum

(e) *March-manner*, homines limitanei, vel ad limitem habitantes, cuſtodes finium.

(f) STRABO Lib. VII. VELLEJUS PATERCULUS Lib. II. Cap. CVIII. TACITUS *Germ.* Cap. XLII.

(g) *Notitia Germaniæ Antiquæ* Lib. IV. Cap. II. pag. 163.

(h) Ibid. Tom. II. Lib. VI. Cap. V. pag. 292. Cur autem inter populos Germaniæ, qui Arioviſtum in Galliam ſecuti ſunt, Harudes nempe, Marcomannos, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Seduſios, Suevos, ſoli Triboci ante Cæſaris tempora jam in Gallia habitaverint, quod Spenerus vult, non equidem video.

(i) CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXXI.

(l) In *Lexico Geographico* voce: *Amagetobriga.*

(m) Vid. SANSON *Remarques ſur la Carte de l'Ancienne Gaule* pag. 6.

(n) Ejuſdem ſententiæ eſt JOANNES GODVINUS. Conf. ORTELII *Theſaur. Geograph.* & BAUDRAND loco cit.

(o) In *Moſella* vers. 2.

(p) Vocis etymologiam (quaſi diceres *Nahebruck*) id ſuadere Samſonius credidit, infirmo fundamento. Auſonius aliud plane prœlium in oculis habuit, quum *Galliæ Cannas* memoraret. Illud forte, quod TACITUS *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LXX. ſqq. deſcribit; Veſpaſiani Imperio, poſt Vitellii cædem, nondum ſatis bene firmato.

(q) In Libello ſuo *de Linguarum vulgarium differentia.*

(r) Apud ORTELIUM *Theſaur. Geogr.* voce: *Magetobria.*

(s) In *Notis ad Commentar. Julii Cæſaris* in Gallicam linguam translatos.

(t) *Deſcriptio veterum Galliæ locorum*, in voce: *Magetobria.*

(u) *P. Dunod*, in Libello Gallico An. MDCCXVI. edito, cui Tit. *Lettres a M. l'Abbé de B.* * * pag. 24. ita de Amagetobria ſcribit: *Porrentruy eſt dans le Pais des Sequanois, & des Sequanois-Rauraques, contre le Rhin, car il n'y a que ſept lieues de Porrentruy à Bâle, qui eſt ſur le Rhin. Porrentruy eſt eloigné de Beſançon de trois journées, ſur tout pour une Armée. Voila ce qui revient au juſte à la ſituation d'Amagetobrie, ſelon ce qu'en marque Ceſar, du coté de Beſançon & du coté du Rhin.*

alterum quoque ejus prœlium, in quo victus à Cæſare Arioviſtus, Bruntruti habitum fuiſſe demonſtrare ſategit; quum tamen utrumque aſſertum omnibus rerum circumſtantiis plane repugnet, quæ duo hæc prœlia diverſis in locis habita fuiſſe indicant. Amagetobrienſe ſpeciatim, non ſeptem modo leucis à Rheno, quæ Bruntruti diſtantia eſt, ſed in Sequanorum Æduorumque confinio initum fuiſſe, ut credamus, omnia nobis indicare videntur. Primarium argumentum à nomine loci, leucæ unius ſpatio diſtantis à Bruntruto, qui hodieque *Julii Cæſaris Campus* appellatur, deſumit Dunodus. Nec negaverim ego, Cæſarem omni illo bellorum, cum Gallis geſtorum, intervallo caſtra prope Bruntrutum aliquando poſuiſſe: pugnam vero ejus cum Arioviſto apud Bruntrutum initam pernego, ſuo id loco probaturus aperte. Quodſi etiam Dunodo hanc ſuam, de prœlio Cæſaris cum Arioviſto, hypotheſin liberaliter concedam; num inde, primum quoque Arioviſti cum Æduis prœlium eodem in loco habitum fuiſſe, concludas? Temerariis ſuperiorum temporum judiciis factum, ut rudera fere quævis, ex Romana imo & Francica antiquitate, tribuerentur Cæſari. Amagetobria ſane, nec in Bruntruto, quod in Rauracis ſitum, nec in citerioribus Sequanorum locis, quæ propiora ſunt Rheno, ſed apud interiores Sequanos, verſus Æduorum fines, inveſtiganda. Hoc ipſe Dunodus in alio, quem *de veteri Aventico* antea ſcripſit, (x) Libro quoque jam docuerat, ubi Amagetobriam vel in Montebeligardo oppido, vel in veteri Epamantaduro, quod hodie *Mandeurre*, quærendam eſſe ſuſpicatus eſt.

§. CXXXI.

Veriſimilior conjectura.

Cluverius (y) atque Cellarius, (z) de loco hoc inveniendo deſperantes, fruſtra eſſe, ſemperque futuros crediderunt eos, qui eum perveſtigare laborant. Sequanici tamen agri, ſive Comitatus Burgundiæ, locus eſt, ubi Araris Lignonem fluvium excipit; non procul ab oppidulo *Pontailler*, (a) prope vicum *Broye*, juxta quem, ut Chifletius (b) teſtis eſt, collis planus & amplus, prœlio aptiſſimus, conſpicitur; ubi antiquitus urbem fuiſſe conſtans incolarum fama tradit; diſtrictum illum hodieque vocant *Moigte de Broye*. Num quod nomen ſimilius eſſe poteſt *Magetobriæ*, ubi Arioviſtus cum Gallis prœliatus eſt? Burgundicarum Rerum Scriptor San-Julianus (c) refert, apud Pontallienſes famam vigere, amplam & ſpatioſam olim urbem juxta eos fuiſſe, cujus præter memoriam, à patribus in filios transmiſſam, nihil ſuperſit. Enimvero, quum Sequani, ab Æduis laceſſiti, Arioviſtum in auxilium vocaverint, apud Sequanos exteriores vel Rhenenſes, qui eum, ut amicum opem laturum, admiſerant, imo advocaverant, theatrum belli quæri non debet; apud interiores & quidem in Æduorum confinio quærendum. Hujus vero *Moigte de Broye*, quem memoravi, ſitus huc optime quadrat. Locus in duorum rivorum confluentium angulo, ſilvis & paludibus defenſus, ubi caſtra ſua commodiſſime poſuit Arioviſtus, in Sequanorum finibus Æduis inſidiaturus, prœlio huic habendo aptiſſimus fuit; victoria autem, quam ab Æduis Arioviſtus apud Amagetobriam reportavit, non minus victoribus Sequanis, quam victis Æduis, eſt viſus fatalis. Utriſque duras leges Arioviſtus dictavit.

§. CXXXII.

Sequanorum ſub Arioviſto ſtatus.

Divitiacus Æduus triſtem Sequanorum noſtrorum ſtatum Cæſari cum dolore depinxit. (d) Superbe & crudeliter Arioviſtum, ubi ſemel Gallorum copias prœlio vicerat, imperare cœpiſſe conqueritur. Nobiliſſimi cujusque liberos obſides poſcere, & in eos omnia cruciatus exempla edere, ſi qua res non ad nutum ejus facta ſit. Hominem eſſe barbarum, iracundum, temerarium: non poſſe ejus imperia diutius ſuſtineri. Addit denique, hoc miſeriorem eſſe gravioremque fortunam Sequanorum, quam Æduorum, quod ſoli nec in occulto quidem queri, nec auxilium implorare, auderent; abſentisque Arioviſti crudelitatem, velut ſi coram adeſſet, horrerent: propterea quod reliquis fugæ facultas daretur; Sequanis vero, qui intra fines ſuos Arioviſtum recepiſſent, omnes cruciatus eſſent perferendi. Quam miſera hinc Alſatiæ ſuperioris conditio fuerit, nemo non perſpicit. Arioviſtus enim noſtram hanc, præ omnibus, agri Sequanici partem, primo ſtatim transitu ſuo occupaverat, retinueratque conſtanter, ut nempe Rheni oram in poteſtate ſua haberet, liberumque ad has partes itum & reditum ſibi ſervaret.

(x) Anno 1709. ſub Titulo: *Decouverte de la Ville d'Antre*, Tom. II. Diſſert. V. Cap. XIV. pag. 200.

(y) *German. Antiq.* Lib. II. Cap. VIII. pag. 31.

(z) *Geograph. Antiq.* Tom. I. pag. 289.

(a) Diverſum ab oppido *Pontarlier*, quod ad Dubim flumen & montem Juram eſt ſitum; ubi transitus montis, ex Cis-Jurana in Trans-Juranam Burgundiam, (*Pais de Vaud*) minus difficilis eſt.

(b) *Veſontion.* Part. I. Cap. XXXV. pag. 139. Dunod *Hiſtoire des Sequanois* pag. 94.

(c) Scriptor ſeculi XVI. *Antiq. Burgund.* Lib. I. Cap. IV.

(d) In Orat. ad Jul. Cæſarem, *de Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXXI.

ſervaret. Quum vero major identidem Germanorum copia in Galliam ad Arioviſtum accederet, & pro advenientibus XXIV. millibus Harudum aliam nunc quoque tertiam agri ſui partem à Sequanis Arioviſtus exigeret; hi denique communem cum priſtinis hoſtibus, id eſt, cum ipſis Æduis, cauſam fecerunt. Divitiacus Æduus totius Galliæ cauſam apud Julium Cæſarem, qui in Galliam Proconſul advenerat, egit. Cæſar quum Arioviſtum Galliæ imperium animo agitare, Suevorumque pagos centum ad Rhenum jam ſedere, intellexiſſet, ut cæteris ſe Germanis in Gallia jungerent, maturandum eſſe ratus; & feſtinatis itineribus verſus Arioviſtum cum exercitu ſuo progreſſus, Veſontionem occupavit, dum ad Rhenum, in Alſatia vel in Rauracis, Arioviſtus hæreret, Veſontione digreſſus Cæſar verſus Juram properavit, conflicturus cum hoſte, ſeptimoque die nonniſi XXIV. millia paſſuum ab Arioviſto diſtare viſus eſt.

§. CXXXIII.

Arioviſti cum Romanis conflictus.

Secundus ergo, quem novimus, ſe nobis jam offert Arioviſti apud Sequanos noſtros conflictus: quatuordecim circiter poſt proelium ad Amagetobriam annis: (e) L. Calpurnio Piſone Cæſonio & Aulo Gabinio Coſſ. qui annus V. C. DCXCVI. Æræ Capitol. ante Chriſtum LVIII. primusque poſt Julii Cæſaris Conſulatum; quum in Gallia Proconſul eſſet. Altera hæc pugna in Sequanis commiſſa, non jam inter Gallos atque Germanos, ſed Romanos inter atque Arioviſtum, qui cum Marcomannis, Seduſiis, Harudibus, Suevis, Vangionibus, Nemetibus atque Tribocis, Sequanorum terras tenebat. Eo memorabilius autem hoc proelium eſt, quod Galliæ ſubigendæ Romanis hinc nata occaſio, &, ut ipſi credebant, juſtiſſima cauſa. Libertas nimirum Galliæ tum conclamata videbatur, vicinis cedenda in prædam; Germanis ne an Romanis, ferro transigendum. Arioviſtus imperium Galliæ pridem animo agitabat, evocatis identidem novis ex Germania copiis, quæ veluti diluvium inundaverant Galliam. Et jam centum pagi Suevorum ad Rhenum acceſſerant, eundem tranſituri, niſi interveniſſet Cæſar, Galliarum Pro-Conſul. Romanorum hic dominationi proſpiciens opportunam belli Germanis inferendi occaſionem invenit, Æduos ab Arioviſto oppreſſos; Æduos, quos Populi Romani *fratres* jam pridem Senatus appellaverat; in quorum gratiam M. Meſſala & M. Piſone Coſſ. ab eodem Senatu decretum: uti, quicunque Galliam Provinciam obtineret, Æduos cæteroſque Populi Romani amicos defenderet. (f) Arioviſtus ergo, inſolenter victoria uſus, quum ſuperbe & avare in Gallia imperaret, ut vidimus, & petita Cæſaris arroganter contemneret, res gladio commiſſa.

§. CXXXIV.

Locus ubi prœlium commiſſum.

In quo Sequanorum tractu ſecundæ hujus pugnæ ſit quærendum theatrum, à multis non minus, quam de primæ loco, quæſitum. Sunt, qui Enſisheminm inter atque Sennam, (*Cernay*) Alſatiæ ſuperioris atque Sundgoviæ oppida; ſunt, qui ad Divi Apollinaris ædem in eadem Sundgovia; (g) ſunt, qui ad confluentem Dubis & Allii amnis, in vico Comitatus Burgundiæ, quem *Dampierre* vocant, V. millia paſſuum infra Montisbeligardenſe oppidum; (h) ſunt denique, qui in Rauracis & ſpeciatim ad Bruntrutum, Elsgaudiæ caput, (i) gravem hanc Germanis ſtragem illatam eſſe, reputant: illi nimirum, qui Amagetobriam quoque putant eſſe Bruntrutum, atque adeo utramque Arioviſti pugnam eidem loco vindicant. Equidem prœlii tam illuſtris campum Alſatiæ vel Sundgoviæ noſtræ lubens vindicarem, ſi ſalva veterum Hiſtoricorum auctoritate id mihi facere liceret. In deſcribendis ejus circumſtantiis, ut ſupra quoque in Amagetobriæ nomine, variant Julii Cæſaris Codices, quorum plerique nonniſi quinque millia paſſuum, à loco pugnæ ad Rhenum usque, Germanos fuga emenſos eſſe teſtantur. Quodſi

(e) In reſponſione ad Cæſarem Arioviſtus ait: « Quum vellet congrederetur; intellecturum, quid » invicti Germani, exercitatiſſimi in armis, qui intra » annos XIV. tectum non ſubiiſſent, virtute poſſent. » CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXXVI.

(f) CÆSAR Lib. cit. Cap. XXXV.

(g) BEATUS RHENANUS *Rer. Germ.* Lib. I. pag. 13. ubi locum hunc milliario Germanico à Rheno & Baſilea diſtare ſcribit. Adde GOLLUT *Memoires Sequanoiſes Liv.* I. *Chap.* XIII. pag. 2. 3. D. Apollinaris Monaſteriolum hoc Præpoſitura vel Prioratus eſt hodie, ad Lucellenſem Ciſtercienſium Abbatiam pertinens.

(h) CLUVERIUS *in German. Antiq.* Lib. II. Cap. VIII. pag. 31.

(i) DUNOD, *Lettres à M. l'Abbé de B*** pag. 24. ubi ita: *On voit encor à preſent le camp de Ceſar, à une lieue de Porrentruy, ſur une Montagne, au bas de la quelle ſe donna la bataille, comme Ceſar a marqué, & où Ceſar vainquit Arioviſte. On y voit encore le donjon de ce Camp, les enceintes, les entrées & les ſorties comme Ceſar le repreſente. Le Camp s'appelle encore aujourd'huy* le Camp de Jule-Ceſar, *il n'a point d'autre nom. La Montagne, où eſt le Camp, s'appelle encore* le Mont terrible, *par corruption* le Mont Terri. *Ceſar repreſente ſi bien la Montagne où étoit ſon Camp & la plaine, qui eſt au bas, où la bataille ſe donna, qu'on ne peut s'y méprendre. En voyant ces trois endroits, le Camp, la Montagne, & la plaine au deſſous, de la maniere que Ceſar les a decrit, en les voyant, dis-je, les Commentaires de Ceſar à la main, on ne peut plus en douter. On voit ce ſemble non pas tant par ſes propres yeux, que par les yeux de Ceſar, tout ce qu'il en a marqué.*

Quodſi lectio hæc admittitur, vera eſſe poſſet Beati Rhenani, vel eorum, qui pugnam in Rauracis factam ſcribunt, conjectura. At refragatur Plutarchi, (*l*) graviſſimi Scriptoris, in fugam hanc *quadringenta ſtadia*, quæ L. milliaria conficiunt, computantis auctoritas; refragatur Orosins, (*m*) qui Cæſaris Commentarios in plerisque ſecutus eſt, Germanos in fugam verſos, & per quinquaginta millia paſſuum cæſos, teſtatus. Longiorem ſane, quam quinque modo milliarium, fugam ipſe toto verborum contextu indicare videtur Julius Cæsar; ait enim: " Hoſtes terga verterunt, neque prius fugere deſtiterunt, „ quam ad flumen Rhenum millia paſſuum ex eo loco circiter * * * * pervenerunt. „ Ibi perpauci aut viribus confiſi tranare contenderunt, aut lintribus inventis ſalutem „ ſibi petierunt. In his fuit Arioviſtus, qui naviculam deligatam ad ripam nactus ea „ profugit: reliquos omnes equites conſecuti noſtri interfecerunt. „ Hæc longam profecto fugam, longamque perſecutionem, deſignant. Sic demum verbis Cæſaris vis & admiratio, longitudine inſecutionis & magnitudine cædis, quam Auctores annotant, conſtabunt. Adde, quod illis in partibus caſtra habuerit Cæſar, ad quas à Sequanis & Æduis commeatus commode ſupportarentur, quod difficilius futurum erat, ſi cum exercitu Rheno fuiſſet vicinus. Quis denique Arioviſtum paſſurum fuiſſe crederet, ut impune Cæſar ad extremos usque Sequanorum citeriorum, ſive Rhenenſium, id eſt, ad Alſatiam noſtram ſuperiorem, cum exercitu ſuo progrederetur impune? ubi Germanici populi, Arioviſtum ſecuti, ſuas jam ſedes ſtabiliverant; in tertia nimirum parte illa, quam optimam totius Galliæ Cæſar (*n*) vocat, Sequanisque ereptam? in qua comprehenſam quoque fuiſſe ſuperiorem Alſatiam, vel ex eo conjicimus, quod agri Sequanici limitem ad Rhenum Germanis ſuis potius, qnam partes interiores, habitandum & cuſtodiendum conceſſit, ut liber ei ſemper eſſet in Germaniam reditus. Cæſaris locum ergo Ciacconius, Hotomannus, atque poſt hos Cellarius, (*o*) corrigentes pro quinque mill. paſſuum *quinquaginta* poſuerunt.

§. CXXXV.

Sed & præter rationes has, longe graviſſimas, ipſa totins rei geſtæ, ut à Cæſare narratur, ſeries nos docet, non in noſtris his, verſus Rhenum, Sequanicis oris prœlium hoc Arioviſtinum potuiſſe committi, ſed in interiore Sequania. Agitaverat quidem paulo ante in Sequanis ad Rhenum, adeoque in Alſatia ſuperiore, vel ejus vicinia, Arioviſtus, ut centum Suevorum pagos, (*p*) in Galliam quoque tranſituros, de quibus ſæpe jam dictum, exciperet; ſed quum de Cæſaris conſiliis certior factus eſſet, à finibus ſuis tridui viam proceſſit, ut Veſontionem occuparet: ut ipſe de eo Cæſar teſtatur. (*q*) Fines hi profecto non alii eſſe poſſunt, quam ad Rhenum, Germaniam verſus. Cæſar autem magnis ex Provincia itineribus factis Veſontionem occupavit. Hinc, omnibus rebus qnum proſpexiſſet, profectus eſt, non recto itinere, ſed, ut ipſe ſcribit, *millium amplius quadraginta circuitu.* (*r*) Enimvero rectum iter nonniſi per aſpera & ſaltuoſa loca ſuſcipere potuiſſet; in circuitu hoc *loca aperta* invenit. Dubi flumine ergo ad dexteram relicto, per ſiniſtram Veſulium verſus iter ſuſcepit; præter loca aperta id quoque conſecutus, ut Leuci & Lingones ei, Sequanos peragranti, ſubminiſtrarent frumenta. (*s*) Quum iter non intermitteret, ſeptimo denique die, XXIV. mill. paſſ. ſive octo horarum ſpatio, ab Arioviſti copiis abſuit Cæſar. (*t*)

Non in Alſatia quærendus.

§. CXXXVI.

His omnibus diligenter conſideratis, prœlium haberi non potuit V. mill. paſſ. à Rheno; quum Arioviſtus, audito Cæſaris itinere, ipſe à Rheno, Veſontionem verſus, profectus ſit itinere tridui, quod quinquaginta circiter mille paſſuum diſtantiam à Rheno effecit. Nec tutum profecto Arioviſto futurum erat, fauces illas, ubi Juraſſus & Vogeſus ſe fere tangunt, circa Beſortium nempe, à Cæſare occupari. Firmus ad eas ſubſtitit Arioviſtus, poſtquam Cæſarem diurnis nocturnisque itineribus Veſontionem attigiſſe intellexiſſet. Quodſi vero à Ranracenſi vel Sequanica Rheni ora, ubi pontis & tranſeundi locus aptiſſimus, Veſontionem verſus per L. millia paſſuum pergas, ad Montisbeligardi oppidi confinia pervenis, circa quæ prœlium videtur commiſſum. Ab hoc autem oppido LXX. milliaria Romana Veſontionem computantur itinere recto,

Conjectura de hoc loco.

 quibus

(*l*) In *Julio Cæſare* Cap. XXVIII. Σταδίους τετρακοσίους, vel ſecundum alios Codices, Henr. Stephano teſte, τριακοσίους ponit Plutarchus. Octo ſtadia unum milliare, vel mille paſſus, conficiunt.

(*m*) *Hiſtor.* Lib. VI. Cap. VII. pag. 389.

(*n*) *De Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXXI.

(*o*) Vide Ciacconium & Hotomannum in *Notis ad Cæſarem*, & Christoph. Cellarium in *Differt. de Cæſaris bellis adverſus Arioviſtum aliosque Germanos*, num. 28.

(*p*) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXXVII.

(*q*) Lib. cit. Cap. XXXVIII.

(*r*) Ibidem Cap. XLI.

(*s*) Ibidem Cap. XL.

(*t*) Ibidem Cap. XLI.

quibus ſi XL. milliaria circuitus à Cæſare facti addas, oritur inde ſumma CX. mill. paſſ. Cæſar autem ſeptimo die ab exploratoribus certior factus eſt, Arioviſti copias XXIV. millibus paſſuum abeſſe; hos ſi à CX. deducas, reſtant LXXXVI. mille paſſus, quos, ſeptem dierum ſpatio, cum exercitu ſuo haud difficulter emenſus eſt Cæſar, (u) XII. milliaribus Romanis, quæ IV. Francica conficiunt, in ſingulos dies contributis. Ipſe Cæſar, belli Gallici tempore, non ſemel XX. millia paſſ. cum exercitu ſuo uno die confecit. Nec diſputaverim ego cum PHILIPPO CLUVERIO, (x) ad Comitatus Burgundici vicum *Dampierre* pugnam hanc pugnatam credente: locus enim hic nonniſi V. mill. paſſ. à Montebeligardo remotus eſt, Veſontionem verſus, adeoque verſus occaſum. Sic Alſatia prœlii hujus theatrum non fuit, ſed vicina Burgundia, Alſatiæ limes.

§. CXXXVII.

Acies Germanorum.

In prœlii hujus acie Germanorum inſtructa, annotamus hæc duo. I. Arioviſtus copias ſuas *generatim*, ut CÆSAR (y) loquitur, ſive ſecundum genera nationum, conſtituit, paribusque intervallis Harudes, Marcomannos, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Seduſios, Suevos, collocavit, omnemque aciem ſuam rhedis & carris circumdedit: ne qua ſpes in fuga relinqueretur. Carris autem mulieres impoſitæ, quæ in prœlium proficiſcentes milites paſſis crinibus flentes implorabant, ne ſe in ſervitutem traderent Romanis. Harudibus nimirum, licet poſtremi & nuper quidem demum in Galliam advenerint, primus in acie locus à Cæſare datus, ſecundus Marcomannis, tertius Tribocis, inde ſecuti ſunt reliqui; Suevi omnium poſtremi fuerunt, quod virtus eorum præ cæteris Germanis eminuit. II. Alterum hujus prœlii ſingulare & memorabile eſt, quod phalangem tum Germani, in unum agmen coacti, effecerint, ſcutis ſupra capita contextis, teſtudinis inſtar, in Romanorum irrupturi aciem; quam vero Romani, agilitate & audacia inſignes, ſupra obductam ſalientes teſtudinem, revulſis ſcutis perfoderunt, omnemque adeo Germanici exercitus diſſolverunt compagem. (z)

§. CXXXVIII.

Alia de hoc prœlio.

Tempus commiſſi prœlii in æſtatem incidit; Cæſar ipſe in Oratione, ad exercitum Veſontione habita, id indicat clare, quum ait: " Frumentum Sequanos, Leucos, „ Lingones ſubminiſtrare, jamque eſſe in agris frumenta matura. „ (a) Quodſi cæſorum Germanorum numerum quæras, PLUTARCHUS illum ponit immanem, octo nempe myriadum, id eſt, octoginta millium. Divitiacus apud Cæſarem dixerat, centum & viginti millia Germanorum ſub Arioviſto extitiſſe in Gallia. DIO CASSIUS (b) ſcribit, fugientes nec in ſalvo fuiſſe Rhenum ingreſſos, quum in ipſo flumine multos Romani occiderint, alios ipſe amnis abſorpſerit. Oroſius hæc annotat: " Inſaturabiliter cæſi „ ſunt, nec conjici potuit numerus Germanorum, vel quantus pugnæ adfuerit, vel „ quantus fuerit occiſorum. „ Nec diu tantæ cladi ſuperſtes videtur ſuiſſe Arioviſtus, quum nihil de eo deinceps Hiſtoria prodat. Titurius Sabinus quarto poſt prœlium anno de Arioviſto, ut mortuo, apud Cæſarem loquitur. (c) Prœlio interfuere Triboci; in Alſatia inferiore ſtabilem mox ſortunarum ſuarum ſedem poſituri, teſteſque futuri ad poſteros, duorum Galliæ populorum, de potentatu certantium, æmulatione factum eſſe, ut libertatem ſuam non Alſatia modo, ſed & omnis amitteret Gallia, de cujus imperio tum inter Romanos Germanoſque certatum. Quodſi ergo in decretoria hac pugna Germani evaſiſſent victores, jugum eorum jam tum ſubiiſſet Gallia, quod nonniſi quinque poſt ſecula, quibus Romani rerum in Gallia potiti ſunt, Francorum dominatione exorta, ſubiit: una nimirum pugna quoties imperia ſtabilit, evertit. Sic omnes Germani, qui vel cum Arioviſto, vel eo apud Sequanos noſtros dominante, Rhenum tranſierant, à Romanis aut cæſi, aut Gallia ejecti ſunt; illique modo, qui lintres invenerant, (d) quive natare didicerant, in Germaniam redierunt, uti rerum geſtarum Auctor ipſe CÆSAR nos docet. (e) Qua ergo ratione, Tribocos, poſt cladem acceptam, in Alſatia ſubſtitiſſe atque firmas ibidem ſedes fixiſſe, conjicere licebit? Ante Cæſaris tempora vero eos in Alſatia non habitaſſe, inde facile diſcitur, quod inter cæteros populos, qui Arioviſtum ex Germania ſecuti ſunt, nominantur quoque Triboci.

§. CXXXIX.

(u) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. XL.

(x) *Germ. Antiq.* Lib. II. Cap. VIII. Adde CHIFLETIUM in *Veſontione* Part. I. pag. 142.

(y) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. LI.

(z) OROSIUS *Hiſt.* Lib. VI. Cap. VII.

(a) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. XL.

(b) Lib. XXXVIII.

(c) Lib. V. Cap. XXIX.

(d) Ubi nunc Baſilea ſita eſt, ut conjicit BEATUS RHENANUS *Rer. Germ.* Lib. I. pag. 13. & Lib. III. pag. 103.

(e) De *Bello Gall.* Lib. I. Cap. LIII.

§. CXXXIX.

Arioviſti & Romanor. in Alſatia dominatus.

Arioviſtus ergo omnium, quod novimus, primus in Alſatia Sequanica dominatus eſt, at temporarius modo, quatuordecim annorum, Rex, quem Coccius propterea *Alſaticum* vocat. (*f*) In Mediomatricorum ſive inferiore Alſatia Arioviſtum quoque dominatum eſſe, veriſimile non eſt, quod à Sequanis, non à Mediomatricis, in auxilium vocatus fuerat. Ceterum Arioviſtus in Alſatia, ſive apud Sequanos, quos armis continuit, aliter, quam apud ſuos trans Rhenum, regnaverat. Reges, quos Germanis & Gallis veteribus imperitaſſe reperimus, auctoritate magis, quam imperio, ſuæ genti præfuerunt. Caſtici pater Catamantaledes, Sequanus, regnum in Sequanis multos annos obtinuiſſe, apud Cæsarem (*g*) ſcribitur; atque hinc à Senatu Populoque Rom. ut Arioviſtus quoque, *Amicus* appellatus eſt. Eandem, quam pater, auctoritatem & potentiam Caſticus filius ut affectaret, ab Orgetorige, Helvetio, inducebatur: qui ipſe quoque Orgetorix Dumnorigem Æduum, Divitiaci fratrem, idem ut faceret, tanto facilius induxit, quod Principatum apud eos obtinens eundem haud difficulter converſurus erat in regnum. Cæſar, Arioviſti copiis ex Gallia pulſis, exercitum ſuum in Sequanis ad hibernandum reliquit, hibernisque præpoſuit Labienum, ipſe vero in Galliam citeriorem profectus eſt. Labienus itaque Romanorum primus Alſatiæ præfuit, ſed Sequanicæ, ſive ſuperiori; Mediomatricos enim, qui inferiorem habitabant, Cæſar anno ſequenti demum bello aggreſſus eſt, unaque eos æſtate cum reliquis Belgis ſubegit; adeoque inter duas Alſatias, à Romanis devictas, annus interceſſit. Quamvis autem Cæſar Sequanos & Mediomatricos A. Urb. Cond. DCXCVI. & DCXCVII. ſubegerit, illa tamen dominatio recens gentem utramque non impedivit, quin ad Aleſiam urbem, ab obſidione Romanorum liberandam, auxilia mitterent; quæ liberatio ſi locum habitura fuiſſet, Cæſar cum Romanis ſuis ex univerſa Gallia à Vercingetorige ejiciendus erat. Sequani cum Senonibus, Biturigibus, Xantonibus, Ruthenis, Carnutibus, XII. millia; Mediomatrici vero cum Ambianis, Petrocoriis, Nerviis, Morinis, Nitiobrigibus, nonniſi quina millia, ſuppeditavere. (*h*) Rauracis & Bojis ſolis XXX. millia imperata fuiſſe annotatur, ſed numero huic tam inæqualis proportio cum reliquis ineſt, ut errorem, à librariis commiſſum, non poſſis non ſuſpicari. Ad Sequanicæ Provinciæ tutelam Olinonem Juniamque Colonias, illam adverſus Germanos, hanc adverſus Helvetios, conſtitutas tum fuiſſe, cum Gollutio (*i*) aſſerere nolim. Colonia Junia certe à Julio nomen habere haud potuit. Hæc rerum in Alſatia Celtica geſtarum eſt ſumma.

EXCURSUS
DE
CELTIS.

§. I.

Cauſa Excurſus.

PRimam Alſaticæ Hiſtoriæ Periodum quod appellaverim Celticam: Alſatis priſcis Religionem, Cultum, Mores & Linguam Celtarum quod conſtanter tribuerim: Galliſque adeo Celticum nomen quod adſcripſerim ſolis, non unum Lectorum meorum ſortaſſis offendet; qui, refragantibus Veterum monumentis, id à me factum eſſe judicabunt. Nec ego hoc eorum de mea ſententia judicium miror; qui multiplices de Celticis Originibus Criticorum opiniones, tot libris expoſitas, & à mea diverſas, non ſemel perpendi, deprehendique in argumento hoc tractando plerumque aberratum à vero. Dubios ergo ne Lectores meos relinquam, inſtituti mei rationem ſum paucis redditurus, antequam Alſatiæ Celticæ finem imponam; ut non ſine conſilio, nec abſque gravibus cauſis, ita me ſcripſiſſe intelligant.

(*f*) In *Panegyri Leopoldi Auſtr. Epiſcopi Argent.* pag. 144.

(*g*) Lib. I. Cap. III.

(*h*) Cæsar de *Bello Gall.* Lib. VII. Cap. LXXV.

(*i*) *Hiſt. Sequan.* Lib. II. Cap. XI.

Celtæ & Galli eadem vox.

Vox Celtæ, Gentis illuſtriſſimæ nomen, toti antiquitati celebratum, Romanis in Gallia imperantibus, vulgari popularium lingua uſurpari deſiit, eique vocabulum Galli, nec origine, nec ſignificatione, ſed pronuntiatione modo Romanum, ſucceſſit. Cæsar (a) ait: " Gallia eſt omnis diviſa in partes tres, „ quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipſorum lingua Celtæ, „ noſtra Galli, appellantur; „ quem Pausanias quoque ſequitur in *Atticis*, (b) ubi de Gallis: " Ut Galli appellarentur, nonniſi ſero uſus obtinuit: Celtas enim quum „ ipſi ſe antiquitus, tum alii eos, nominarunt. „ Idem quoque tradit Appianus: (c) „ Ad Celtas usque (inquit) quos ipſi (ſc. Romani) Gallos cognominant: „ & Strabo (d) de Græcis, nomen Celtis non illos dediſſe, ſed in Narbonenſi provincia primum deprehendiſſe, & dein ad omnes Gallos extendiſſe, refert. Galli ergo lingua ſua Celtica ſe non Gallos, ſed *Gueltas* vel *Keltas*, (e) appellaruot. Romano autem ſermone apud eos invaleſcente, priſtina quoque nomen ſuum pronuntiandi ratio apud eosdem paullatim diſparuit: Græco idiomate tamen κέλται & γάλλαι promiſcue uſurpari continuatum eſt. (f) Auguſtus jam *Celticæ* Galliæ nomen aboluit, & *Lugdunenſem* ſubſtituit.

§. II.

De Celtis opiniones diverſæ.

Quicquid ſit de origine & ſono vocis; nobis præſertim curæ eſt, examinare, ad quem populum nomen hoc vere pertinuerit olim. Diverſæ hac de re ſunt Scriptorum recentioris ævi ſententiæ, quæ commode ad quatuor claſſes poſſunt referri. Sunt I. qui omnes generatim Europæas gentes antiquitus communi Celtarum nomine comprehenſas eſſe exiſtimant: inter quos Ortelius, (g) Hoffmannus, (h) Harduinus, (i) Pelloutierius, (l) eminent. Sunt II. qui maximam Europæ partem, uti Pezronius, (m) & Marcus Velserus, (n) vel præcipuos ſaltem populos ejus, Hiſpanos nimirum, Gallos, Britannos, Germanos atque Illyrios, Celtarum nomine deſignatos crediderunt, qua in ſententia Cluverius (o) perſtitit; Italiam, regiones trans Viſtulam, cæterasque Orientis nationes, excludens. Sunt III. qui ad Germanos tantum & Gallos vocem hanc ejusque ſignificationem reſtringunt: quo pertinent Raphael Volaterranus, (p) Henricus Glareanus, (q) Ulricus Obrechtus, (r) Joannes Schilterus, (s) Leibnitius, (t) & nuper demum Illuſtriſſimus Comes Henricus à Bünaw, (u) Vir omni elogio dignus. Sunt IV. denique, qui ad Germanos ſolos Celtarum nominis ſignificationem præcipue pertinuiſſe, atque adeo nonniſi ſecundario ad Gallos translatum fuiſſe contendunt; quos inter præcipui Christophorus Browerus, (x) Daniel Morhofius (y) & Jac. Carolus Spenerus. (z) Ex diverſis his opinionibus veriſimilitudinis ſpeciem nonnullas habere; nullam autem cum veritatis amuſſi exacte convenire reperio: examine inſtituto edoctus, veram Celtarum patriam inter Pyrenæos montes, Oceanum, Alpes & Rhenum, adeoque in ſola Gallia veteri, eſſe quærendam. Ex primis autem & patriis finibus ſuis Celtæ quum ſæpius magnis agminibus ad diverſas orbis habitabilis partes migraſſent, frequentesque Colonias per omnes orbis partes miſiſſent, factum, ut Scriptores nonnulli veteres, recentioresque fere omnes, in quærendis Celtarum ſedibus, patriam primariam gentis

(a) *De Bello Gall.* Lib. I. Cap. I.

(b) Lib. I. Cap. III. ὀψὲ δέ ποτε αὐτοὺς καλεῖσθαι Γαλάτας ἐξενίκησε, Κελτοὶ γὰρ κατά τε σφᾶς τὸ ἀρχαῖον καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ὠνομάζοντο.

(c) In Præfat. Μέχρι Κελτῶν, οὓς αὐτοὶ (ſc. οἱ Ῥωμαῖοι) Γαλάτας προσαγορεύουσι.

(d) Lib. IV. pag. 288.

(e) De origine & ſignificatione vocis actum eſt ſupra §. CIX. pag. 90. ſq.

(f) In Notitia Imperii Occid. Cap. XIX. pag. 34. Celtæ ſeniores & juniores inter Auxilia Palatina memorantur.

(g) Tabulam hic ſuam Europæ *Celticam* vocat.

(h) In *Lexico Hiſtor.* voce: *Celtæ.*

(i) In *Notis* ad Plinium Lib. VI. Cap. XIII. Not. 13.

(l) *Hiſtoire des Celtes Liv.* I. *Chap.* III.

(m) *Antiquité des Celtes* pag. 192.

(n) *Rerum Boicarum* Lib. I. pag. 2.

(o) Cluverius in *Germania Antiqua* Lib. I. Cap. II. pag. 24. Eandem tuentur ſententiam Jodocus Coccius in *Oratione inaugurali Molsheimenſis Academiæ* pag. 142. Coccejus in *Juriſpubl. Prudentia*, in Prolegomen. pag. 6. referendus quoque huc aliquo modo Josephus Scaliger *Epiſtolar.* Lib. III. Epiſt. CCLXXVI. Mezerat in *Hiſtoire de France avant Clovis* pag. 4. l'Abbe' Gedoyn *Recherches ſur les Hyperboreens* Vid. Memoires de l'Academie Tom. VIII. pag. 117. Charles le Gendre *Antiquité de la Nation & de la Monarchie Françoiſe* pag. 210. ſq.

(p) *Geograph.* Lib. III. ineunte.

(q) In *Commentariolo vetuſtæ Germaniæ populorum* apud Schardium Tom. I. pag. 71. ſq.

(r) In *Prodromo rerum Alſaticar.* pag. 2. & in *Diſſertatione de Philoſophia Celtica* §. II.

(s) In *Gloſſario Etymologico* & in *Obſervat.* I. ad *Chronicon* Koenigshovii §. VIII. pag. 441. Item in *Præfat.* ad *Chron.* §. IV. ubi Gallos appellat *Celtas Occidentales.*

(t) In *Collectaneis Etymolog.* Part. II. pag. 157. & in *Scriptor. Rerum Brunſvicenſ.* Tom. I. pag. 8. Not. (a)

(u) In *Hiſtoria Germaniæ* Tom. I. pag. 630.

(x) In *Annal. Trevirenſ. Proparaſceve* pag. 15.

(y) *Unterricht von der Teutſchen Sprach* Cap. II. pag. 11.

(z) In *Notitia Germaniæ Veter.* Lib. III. Cap. IV. pag. 121. Not. (u) qui tamen etiam ibi cum Cluverio contendit, Celticum vocabulum, primis temporibus, omnes ad occidentem Europæ nationes complexum eſſe.

Digitized by Google

gentis à regionibus, in quas Coloniæ ejus migrarunt, quasque patriam Celtarum ſecundariam appellares, non ſatis diſtinguerent; atque adeo omnes illas terræ partes, in quibus colonias Celticas deprehendebant, falſa inductione ipſam Celticam reputarent primariam; quæ vera eſt tot opinionum erronearum origo.

§. III.

In tam multiplici recentiorum varietate Scriptorum omnis jam diſcutienda antiquitas, & diligenter videndum, quid præſidii ſingulæ hæ opiniones in eadem reperiant. Perluſtratis ergo, ſtudioque accurato collatis inter ſe diſcuſſisque, Græcorum Latinorumque Scriptorum, ubi Celtarum mentio fit, locis, Obſervationes quasdam collegimus, quas ulteriori tractationi præmittendas arbitramur. *Obſerv. I.* Nomen Celtarum Gallis tributum.

Obſervavi I. Scriptores veteres, tam Græcos, quam Latinos, quotquot eorum nobis Celtas deſcribunt, nomen *Celtarum* tribuere Gallis; & quidem vel illis, qui Alpibus, Rheno, Oceano, Pyrenæis montibus, & Mediterraneo mari, circumſcripti fuerant, Gallique Trans-Alpini à Romanis vocati ſunt: vel illis, qui circa Padum in ſuperiore Italia habitaverunt, & Gallorum Cis-Alpinorum nomine à Romanis appellari ſueverunt: imo & Regiones, à Gallis trans & cis Alpes habitatas, iidem Scriptores *Celticam* appellarunt. Innumeris ex Antiquitate teſtimoniis hoc aſſertum firmarem, ſi ulli unquam veniſſet in mentem, à communione nominis Celtici Gallos excludere. Gallos autem ſive Celtas Cis-Alpinos omnes à Trans-Alpinis genus & originem ſuam, adeoque & nomen, duxiſſe, evidentibus teſtimoniis ex Livio, (a) Justino, (b) Polybio (c) Diodoro Siculo, (d) Strabone, (e) Plutarcho, (f) demonſtratum eſt pridem; nec hodie quisquam illud vocat in dubium.

Obſervavi II. Veterum Scriptorum plerosque nomen Celtarum Germanis nunquam tribuere. Referendi huc ex Græcis Herodotus, Aristoteles, Polybius, Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnassensis, Strabo, Dionysius Periegetes, Plutarchus, Ptolemæus, Athenæus, Stephanus Byzantinus: ex Latinis Cæsar, Livius, Mela, Plinius, Lucanus, Silius Italicus, aliique, qui modo alicubi in ſcriptis ſuis de Celtis egerunt. Ex his Strabo, Dionyſius Periegetes, Plutarchus, Ptolemæus & Cæſar, nomen Celtarum Germanis tam aperte denegant, ut Celtas à Germanis diſerte diſtinguant; cæteri Gallos nomine Celtarum ubi deſignant, id certe ita faciunt, ut, licet manifeſta diſtinctio inter Celtas & Germanos apud eos non occurrat, nullum tamen apud eosdem ſe manifeſtet indicium, unde ſuſpicio poſſit oriri, eos nomen Celtarum, quo Gallos deſignant, ad Germanos quoque extendere. Horum ergo in numero ſunt ex Græcis Herodotus, Ariſtoteles, Polybius, Diodorus, Athenæus, Stephanus Byzantinus, omnesque, quotquot ſunt, ſolo Cæſare, ut vidimus, excepto, Scriptores Latini. *Obſerv. II.* Nomen Celtarum Germanis non datum.

§. IV.

Priorem claſſem, eorum nempe, qui Celtas à Germanis diſtinguunt, quod attinet, manifeſtus eſt Strabo, ubi Rhenum limitem orientalem Celticæ tradit. (g) "Dictum „ eſt ſupra, (inquit) univerſam Celticam verſus occaſum Pyrenæis definiri montibus: „ utrumque mare tam exterum quam internum tangentibus, ab oriente autem Rheno, „ qui eſt Pyrenæ parallelus. „ Et alio in loco (h) de Germanis: "Statim ergo „ trans Rhenum, poſt Celticos populos, orientem verſus ſita loca Germani incolunt, „ à Celtis parum differentes: cætera ſimiles Celtarum, de quibus diximus. „ Similiter Dionysius Periegetes Celtas ſtatim à Pyrenæis montibus, & ad fontes Eridani ſedem habere ſcribit: Germanos autem circa ſilvam Hercyniam collocat; quam, ex Cæsare (i) notum eſt, ſe ultra ſpatium LX. dierum illis temporibus per Germaniam extendiſſe. "Facile, ait Dionysius, (l) fines invenies Europæ: Cujus videlicet extremo „ ſub *Scriptorum claſſis prior.*

(a) Lib. V. Cap. XXXIV.
(b) Lib. XXIV. Cap. IV.
(c) Lib. II. *Hiſtor.* pag. 147.
(d) Lib. XIV. pag. 321.
(e) Lib. IV. pag. 298.
(f) In *Vita Camilli* pag. 135.
(g) Lib. IV. pag. 267. Εἴρηται γάρ, ὅτι τὴν Κελτικὴν ταύτην ἀπὸ μὲν τῆς δύσεως ὁρίζει τὰ Πυρηναῖα ὄρη, τῆς ἑκατέρωθεν θαλάττης, τῆς τε ἐκτὸς καὶ τῆς ἐντὸς προσαπτόμενα. Ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν ὁ Ῥῆνος παράλληλος ὢν τῇ Πυρήνῃ. Confer quoque Lib. II. pag. 189. ſqq.
(h) Lib. VII. pag. 443. Εὐθὺς τοίνυν τὰ πέραν τοῦ Ῥήνου, μετὰ τοὺς Κελτούς, πρὸς τὴν ἕω κεκλιμένα Γερμανοὶ νέμουσι, μικρὸν ἐξαλλάττοντες τοῦ Κελτικοῦ φύλου· τἄλλα δὲ παραπλήσιοι -- ὄντες, οἵους εἰρήκαμεν, τοὺς Κελτούς.
(i) *De Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XXV.
(l) Verſ. 280. ſeqq. --- Ῥεῖα τέρμα κέχυται Εὐρωπείης
Τῆς ἤτοι πυμάτη μὲν ὑπὸ γλωχῖνα κέονται
Ἀγχοῦ στηλάων μεγαθύμων ἔθνος Ἰβήρων,
Μῆκος ἐπ' ἠπείροιο τεταγμένον, ἄχρι βορείου
Πινακοῦ κέχυνται ψυχροὶ ῥόοι, ἔνθα Βρεττανοὶ
Λευκά τε φῦλα νέμονται, ἀρειμανέων Γερμανῶν
Ἑρκυνίου δρυμοῖο παραθρώσκοντες ὀρύγματι.
Ἤπειρον κείνην [illegible] βοείη
Τοῖς δ' ὑπὸ Πυρηναῖον ὄρος, καὶ δώματα Κελτῶν
Ἀγχόθι πηγάων [illegible] Ἠριδανοῖο.

„ ſub angulo habitant prope columnas magnanimorum gens Iberorum, in longitudinem „ continentis verſa, ubi borealis Oceani diffuſum eſt frigidum fluentum, ubi Britanni „ Albæque gentes habitant, martiorum Germanorum Hercyniæ ſilvæ præterſalientes „ montium juga. Continentem illam ſimilem eſſe ferunt corio bubulo. Poſt hos autem „ Pyrenæus mons, & domicilia Celtarum prope fontes pulchrifluí Eridani.„ Ita PLUTARCHUS quoque Germanos diſtinguit à Celtis in *Vita M. Craſſi*: (*m*) "Quum Cæſar (inquit) „ in occidente & Celtas ſubigeret, & Germanos. „ Et in *Vita Cæſaris*: (*n*) "Cæſar „ ſecunda vice palam cum Germanis pro Celtis pugnavit; „ & (*o*) rurſus: "Parabat „ & inſtituebat Cæſar Parthos bello petere; his ſubjugatis Scythiam invadere, incur- „ ſatisque quæ Germanis circumjecta ſunt, ac ipſa Germania, per Celtas regredi in „ Italiam. „ Sic PTOLEMÆUS in *Geographia* ſua Celto-Galatiam à Germania probe diſtinguit, dum Tabula III. Europæ (*p*) Celto-Galatiam in Aquitaniam, Lugdunenſem, Belgicam & Narbonenſem, diſtribuit: & deinceps, in Anacephalæoſi ejusdem Tabulæ tertiæ, limitem ejus orientalem Germaniam conſtituit; ita enim ibi: (*q*) "Tertia „ Europæ Tabula continet Gallias in quatuor provinciis. Circumſcribitur autem Tabula „ ab ortu Germania magna, Italia & Rhætia.

CÆSAR denique, quum Gallorum Celtarumque nomen pro uno eodemque habet, *Celtarumque* tantum indigenæ, *Gallorum* vero linguæ Romanæ, vocabulum eſſe tradit. (*r*) "Tertiam Galliæ partem, ait, incolunt, qui ipſorum lingua Celtæ, noſtra „ Galli appellantur. „ Certe dum Gallos perpetuo à Germanis, Galliamque à Germania, diſtinguit, Celtas quoque ab iisdem diſtinxiſſe cenſendus eſt. Diſtinguit eos I. *Finibus*; dum Rhenum fluvium Galliam à Germania dividere aſſerit: "Belgæ, inquit, (*s*) „ proximi ſunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt; „ & rurſus: (*t*) "Undique „ loci natura tuti Helvetii continentur: una ex parte flumine Rheno latiſſimo atque „ altiſſimo, qui agrum Helvetium à Germanis dividit; iterum: (*u*) "Paullatim autem „ Germanos conſueſcere Rhenum tranſire, & in Galliam magnam eorum multitudinem „ venire, populo Romano periculoſum videbat. „ Diſtinguit II. *Natura ſoli*, & victus conſuetudine. Ita Gallus ipſe Divitiacus Aeduus, ubi de Germanis, qui Sequanicos agros occupaverant, loquitur: (*x*) "Horum primo circiter millia XV. Rhenum „ tranſiſſe, poſteaquam agros & cultum & copias Gallorum homines feri ac „ barbari adamaſſent; „ & paulo poſt: "Neque enim conferendum eſſe Gallicum cum „ Germanorum agro, nec hanc conſuetudinem victus cum illo comparandam. „ (*y*) Diſtinguit III. *Lingua*, non tantum dialecto, ſed indole penitus genioque diverſa, ut vidimus. (*z*)

§. V.

Scriptorum claſſis poſterior.

Poſteriorem vero claſſem quod attinet, eorum nempe, qui Gallos dum Celtas appellant, diſerte tamen eos à Germanis non diſtinguunt, eidem Scriptores venerandæ auctoritatis, Herodotum & Ariſtotelem, dedimus antesignanos. Hi enim Germanos nullo modo Celtas appellant, ut à multis creditum eſt: ſed potius, ſi rem accurate inſpicias, pro noſtra ſententia faciunt. Herodotus & Ariſtoteles Iſtrum fluvium in Celtis quidem oriri ſcribunt; ſed nihil inde pro Germanis concludas, quod uterque in locis allegatis Celtas ad Pyrenen, (Pyrenæos montes) qui nihil cum Germania habent commune, collocet. HERODOTUS præterea eos poſt Cyneſios ſtatuit eſſe Europæorum ultimos, qui ad ſolis occaſum habitarent. Ita enim ſcribit: (*a*) "Iſter fluere incipiens à Celtis „ atque urbe Pyrene; Celtæ autem extra cippos Herculis ſunt, Cyneſiis finitimi, „ omnium in Europa ad occaſum habitantium ultimis. „ ARISTOTELES (*b*) ait: "Ex Pyrenæo, hic mons eſt Celticæ, æquinoctialem occaſum ſpectans, Iſter & „ Tarteſſus defluunt. „ Manifeſte hæc teſtantur, Herodotum & Ariſtotelem Iſtri vel Danubii

(*m*) Pag. 567. Καίσαρος τὰ ἑσπέρια καὶ Κελτὰς καὶ Γερμανοὺς καταστρεφομένου.

(*n*) Pag. 716. Δεύτερον δὲ πρὸς Γερμανοὺς ἄντικρυς ὑπὲρ Κελτῶν ἐπολέμησεν. (ὁ Καῖσαρ.)

(*o*) Pag. 735. Παρεσκευάζετο δὲ καὶ γνώμην (ſc. ὁ τῷ Καίσαρι) στρατεύειν μὲν ἐπὶ Πάρθους, καταστρεψαμένῳ δὲ τούτους - - διὰ τῆς Σκυθικῆς ἐμβαλεῖν, καὶ τὰ περίχωρα Γερμανοῖς, καὶ Γερμανίαν αὐτὴν ἐπιδραμόντι, διὰ Κελτῶν ἐπανελθεῖν εἰς Ἰταλίαν.

(*p*) Lib. II. Cap. VII.

(*q*) Lib. VIII. Cap. II. Ὁ τρίτος πίναξ τῆς Εὐρώπης περιέχει τὰς Γαλλίας ἐν τέτρασιν ἐπαρχίαις. Περιορίζεται δὲ ὁ πίναξ ἀπὸ μὲν ἀνατολῶν Γερμανίᾳ μεγάλῃ, Ἰταλίᾳ καὶ Ῥαιτίᾳ.

(*r*) Lib. I. Cap. I. *de Bello Gall.*

(*s*) Loco cit.

(*t*) Lib. cit. Cap. II.

(*u*) Ibidem Cap. XXXIII.

(*x*) Ibidem Cap. XXXI.

(*y*) Huc pertinet Liber VI. Cæſaris *de Bello Gall.* à Capite XI. - - XXIX. ubi diverſitatem morum Galliæ & Germaniæ incolarum prolixe deſcribit.

(*z*) Confer ſupra pag. 88 §. CVI.

(*a*) Lib. II. pag. 102. Ἴστρος ποταμὸς ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν καὶ Πυρήνης πόλιος ῥέει. Οἱ δὲ Κελτοί εἰσι ἔξω Ἡρακλείων στηλέων. Ὁμουρέουσι δὲ Κυνησίοισι, οἳ ἔσχατοι πρὸς δυσμέων οἰκέουσι τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ κατοικημένων.

(*b*) Lib. I. *Meteorol.* Cap. XIII. Tom. I. pag. 768. Ἐκ δὲ τῆς Πυρήνης, τοῦτο δ' ἐστὶν ὄρος πρὸς δυσμὴν ἰσημερινὴν ἐν τῇ Κελτικῇ, ῥέουσιν ὅ τε Ἴστρος καὶ ὁ Ταρτησσός.

Danubii fontes in Pyrenæis quæſiviſſe, quas in Germania debuiſſent quærere. Pyrenæi autem Gallos omnino, Germaniam vero nullo modo, reſpiciunt.

§. VI.

Obſ. III. Celtarum nomen Germanis tributum.

Obſervavi III. Auctores, qui Celtarum nomen Germanis tribuant, nonniſi pauciſſimos eſſe. Hos inter primus eſt Arrianus, qui Iſtrum fluvium, apud Germanos ſcaturientem, in Celticis oriri, & per plures gentes Celticas fluere, aſſerit: (*c*) " Tertio „ poſt hanc pugnam die (inquit) Alexander ad Iſtrum fluvium pervenit, omnium, „ qui in Europa ſunt, maximum, qui ampliſſimum terræ tractum alluit, & per gentes „ bellicoſiſſimas fluit, inprimis per Celticas, in quibus etiam fontes ejus oriuntur. „ Eadem quidem Herodotum & Ariſtotelem de Iſtro fluvio tradere jam vidimus; quos tamen per Celticam non ideo Germaniam, ſed re vera Galliam, deſignaſſe, ex ipſis eorum verbis oſtenſum eſt. In Arriano autem ea non occurrunt, ex quibus poſſit concludi, eodem, quo Herodotus & Ariſtoteles, errore eum fontes Iſtri in Gallia quærere. Quodſi tamen quis pertinaciter id contendere vellet, pro confutanda ejus opinione non ſatis argumentorum nobis eſſe, fatendum eſt. Arrianum autem ſub Celtis Germanos vere intellexiſſe, vel inde conjiceres, quod illis temporibus alii adhuc ex Scriptoribus Græcis voce Celtarum ita uſi eſſe reperiuntur. Præter Arrianum enim hic referendus quoque Appianus, qui per Celtas ſe denotare Germanos aperte ſatis oſtendit, quando nonnullos ex Trans-Rhenanis Celtis Romanorum imperio parere aſſerit: ait enim: (*d*) " In Europa duo maxime fluvii Romanorum imperium finiunt, Rhenus & Danubius: . . „ Alicubi tamen trans hos quoque amnes Celtis Trans-Rhenanis nonnullis imperant. „ Tanto minus vero dubium eſt, Germanos hic per Celtas intelligi, quo certius conſtat, Romanos Germaniæ communi conſenſu limitem verſus occidentem Rhenum dediſſe. (*e*) Sic Cimbri eidem Appiano vocantur gens Celtica, (*f*) quos Germanos fuiſſe clare nos Tacitus *de Moribus Germanorum* docet. Arriano Appianoque ſubjungendus Pausanias; qui nomen Celtarum Germanis quoque dare videtur, dum Romanos eam tantum Celtarum partem ſibi ſubjeciſſe ſcribit, quæ ſibi digna imperio ſuo eſſe videbatur: reliqua vero Celtarum, quum occupare potuiſſent, ob nimium frigus & terræ ſterilitatem conſulto prætermiſiſſe. Sic enim ille: (*g*) " Romanis vero Thracia tota ſubjecta eſt, & „ Celtarum tantum, quantum judicaverunt imperio ſuo dignum; reliqua eorum, quæ „ nulli uſui viſa ſunt, quod aut immodicis frigoribus aut ſoli ſterilitate laborarent, „ conſulto miſſa fecerunt. „ Verba hæc neque de Italis, nec de Hiſpanis, nec de Gallis, nec de Pannonibus, intelligi poſſe, vel ex eo patet, quod Pauſaniæ temporibus, qui ſub Antoninis Imperatoribus vixit, omnes illi populi penitus jam in Romanorum poteſtate fuerant. (*h*) Sunt ergo ea intelligenda de Germanis, quos nunquam plane à Romanis ſubigi potuiſſe, ex Hiſtoria Romana notum eſt. (*i*) Sed & Dionem Cassium Germanos Celtas vocare multis teſtimoniis poteſt probari, ex quibus nos duo tantum proferemus. " Rhenus, inquit, (*l*) ex Alpibus Celticis paulo ſupra Rhætos „ oritur: inde verſus occidentem profluens ad ſiniſtram Galliam ejusque incolas, ad „ dextram Celtas dividit, tandemque in Oceanum exit: „ & alibi: (*m*) " Celtæ „ quidam, quos etiam Germanos vocamus, quum omnem Celticam quæ ad Rhenum „ eſt occupaſſent, effecerunt, ut illa Germania vocaretur. „ Jungendus his tandem Suidas, qui in *Lexico* ſuo, in voce Κελτοὶ, ſcribit: " Celtæ, nomen gentis; hi & „ Germani vocantur. „ (*n*)

P §. VII.

(*c*) Lib. I. *De Expedit, Alexandri* Cap. I. pag. 8. Ἀπὸ δὲ τῆς μάχης τριταῖος ἀφικνεῖται Ἀλέξανδρος ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν Ἴστρον, ποταμῶν τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην μέγιστον ὄντα, καὶ πλεῖστον γῆν ἐπερχόμενον, καὶ ἔθνη μαχιμώτατα ἀπείργοντα. τὰ μὲν πολλὰ Κελτικά, ὅθεν γε καὶ αἱ πηγαὶ αὐτῷ ἀνίσχουσι.

(*d*) In Præfat. pag. 4. Ἐν δὲ τῇ Εὐρώπῃ ποταμοὶ δύο, Ῥῆνός τε καὶ Ἴστρος, μάλιστα τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν ὁρίζουσι· - - - περάσαντες δὲ ἔνια καὶ τῶνδε Κελτῶν τῶν ὑπὲρ Ῥῆνον ἄρχουσιν ἐνίων.

(*e*) Strabo Lib. VII. ineunte; Mela Lib. III. Cap. III. Tacitus *de Moribus German.* Cap. I. Dio Cassius Lib. XXXIX. pag. 113.

(*f*) Lib. I. *de Bello civil.* pag. 625. Κίμβροι γένος Κελτῶν & *de Bellis Illyric.* pag. 1196. de Κελτοῖς τοῖς Κίμβροις λεγομένοις, *Celtis, quos Cimbros vocant,* ſermonem facit.

(*g*) Lib. I. in *Atticis* Cap. IX. pag. 22. Ῥωμαίοις δὲ Θρᾴκη τε πᾶσά ἐστιν ὑπήκοος, καὶ Κελτῶν ὅσοι μὲν ἀχρεῖον νομίζουσι διά τε ὑπερβάλλον ψῦχος, καὶ γῆς φαυλότητα, ἑκόντες παρεῖδον· τὰ δὲ ἀξιόλογα ἔχουσι καὶ ταῦτα.

(*h*) Appianus in Præfat.

(*i*) Tacitus *de Moribus German.* Cap. XXXVII.

(*l*) Lib. XXXIX. pag. 113. ſq. ὁ γὰρ δὴ Ῥῆνος ἀναδίδωσι μὲν ἐκ τῶν Ἄλπεων τῶν Κελτικῶν, ὀλίγον ἔξω τῆς Ῥαιτικῆς· προχωρῶν δὲ ἐπὶ δυσμῶν, ἐν ἀριστερᾷ μὲν τήν τε Γαλατίαν, καὶ τοὺς ἐποικοῦντας αὐτήν, ἐν δεξιᾷ δὲ τοὺς Κελτοὺς ἀποτέμνεται, καὶ τελευτῶν ἐς τὸν Ὠκεανὸν ἐμβάλλει.

(*m*) Lib. LIII. pag. 503. ſq. Κελτῶν γάρ τινες, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες, Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν.

(*n*) Κελτοί, ὄνομα ἔθνους, οἱ λεγόμενοι Γερμανοί.

§. VII.

Obſ. IV. Celtarum Natio ab aliis diſtincta.

Obſervavi denique IV. reliquas Europæ nationes, præter Gallos & Germanos, à nullo Scriptore, qui alicujus tantum eſt fidei, ſive Græco, ſive Latino, Celtarum appellatione ſignari: quando ab antiquiſſimis temporibus, & per omnia deinceps æva, ab Hiſpanis, Britannis, Italis, Illyriis, Scythis, Thracibus, Græcis aliisque Europæis gentibus, Celtas accurate diſtinctos reperimus. Diſtinxit jam PLATO ab Hiſpanis, Thracibus & Scythis, quando *de Legibus:* (o) "De ipſa ebrietate (inquit) quæſtio eſt, „ illiusne uſus qualis apud Scythas & Perſas invaluit, permittendus ſit, & qualis etiam „ apud Carthaginenſes, Celtas, & Hiſpanos & Thraces. „ Diſtinxit ſimiliter ARISTOTELES à Scythis & Thracibus, (p) & Celticam ab Illyrio, Thracia, Epiro & Scythia: "In „ Illyrio, inquit, (q) Thracia & Epiro, aſini ſunt parvi, in Scythia & Celtica ſunt „ plane nulli; „ imo etiam ab Italia & Hiſpania: (r) "Ex Italia ferunt viam usque ad „ Celticam, Celtoligures & Hiſpanos, protendi, Heracleam vocant. „ POLYBIUS diſtinguit Hiſpanos à Celtis: "Pyrenæi montes, inquit, (s) quibus Hiſpani & Celtæ invicem „ ſeparantur: „ & in formula fœderis, inter Hannibalem & Macedones icti, mentio ab eo fit populorum in Italia, & Celtica, & Liguria. (t) DIODORUS SICULUS quoque Celticam ab Hiſpania ſeparat. "Hercules, inquit, (u) Hiſpaniæ regno viris inter „ populares optimis tradito, cum exercitu in Celticam perrexit &c. „ Sic porro DIONYSIUS HALICARNASSENSIS Celtas ab Hiſpanis, Scythis, Thracibus, ut & Græcis, diſtinguit: " Duplex vero, inquit, (x) eſt natio, nam aut Græcus eſt, vel barbarus. A genere „ transeamus ad ſpecies: vel eſt Athenienſis, vel Lacedæmonius, vel Bœotus, vel Ion, „ vel Scytha, vel Thrax, vel Celta, vel Hiſpanus. „ STRABO quoque diſcriminat eos à Britannis & Hiſpanis; " Timoſthenes, inquit, (y) & Eratoſthenes, & qui eos ætate „ anteceſſerunt, plane ignari fuerunt Hiſpanicarum Celticarumque rerum, ac multis „ modis magis Germanicarum & Britannicarum. „ Sic etiam ab Illyriis, Thracibus, Græcis, Macedonibus. " Quin & Illyrii, inquit, (z) & Thraces, propinqui quum „ Græcis tum Macedonibus, inde initia belli contra Romanos duxerunt: neque finis fuit „ belligerandi antequam omnia, intra Iſtrum & Halyn ſita, Romani ſuæ fecerunt „ ditionis. Eadem acciderunt Hiſpanis & Celtis, & aliis, quicunque Romanorum „ imperio parent. „ Sic DIONYSIUS PERIEGETES diſtinguit eos ab Hiſpanis & Britannis: (a) PLUTARCHUS à Græcis, (b) Britannis, (c) Scythis & Italis; (d) & Celticam quoque ab Illyrico. (e) ARRIANUS ſejungit Celtas ab Hiſpanis, Scythis, & mediæ inferiorisque Italiæ populis, Tyrrhenis, Lucanis, Brutiis, (f) ut & à Triballis. (g) APPIANUS eosdem à Græcis, Theſſalis, Macedonibus, Thracibus, Illyriis, Pannonibus, Italis, Hiſpanis & Dacis, (h) diſtinguit. PTOLEMÆUS Celticam ab Hiſpania, Britannia, Baſtarnia, Italia, Thracia, Macedonia, Illyrico & Græcia: (i) STEPHANUS tandem BYZANTINUS etiam Celtas Celticamque, ab Hiſpania, (l) Britannia, (m) Italia, Theſſalia, Macedonia, (n) diſtinctim commemorant. Ipſa Scriptorum horum proferre verba, modus diſſerendi, quem nobis propoſuimus, non patitur.

§. VIII.

(o) Lib. I. pag. 637. Μέθης δὲ αὐτῆς πέρι πότερον ὥσπερ Σκύθαι χρῶνται καὶ Πέρσαι χρηστέον, καὶ ἔτι Καρχηδόνιοι, καὶ Κελτοὶ, καὶ Ἴβηρες, καὶ Θρᾷκες.

(p) Lib. VII. *Politic.* Cap. II. Tom. III. pag. 571.

(q) Lib. VIII. *de Hiſtor. Animal.* Cap. XXVIII. Tom. II. pag. 406. Ἐν τῇ Ἰλλυρίδι καὶ τῇ Θρᾴκῃ καὶ τῇ Ἠπείρῳ, οἱ ὄνοι μικροί. Ἐν δὲ τῇ Σκυθικῇ καὶ Κελτικῇ ὅλως οὐ γίγνονται.

(r) In Libro *de mirabil. auſcultat.* pag. 724. Tom. II. Ἐκ τῆς Ἰταλίας φασὶν ἕως τῆς Κελτικῆς, καὶ Κελτολιγύων, καὶ Ἰβήρων, εἶναί τινα ὁδὸν, Ἡράκλειαν καλουμένην.

(s) Lib. III. pag. 267. Τῶν Πυρηναίων ὀρῶν, ἃ διορίζει τοὺς Ἴβηρας καὶ Κελτούς.

(t) Lib. VII. pag. 701. Ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ Κελτίᾳ, καὶ ἐν τῇ Λιγυστικῇ.

(u) Lib. IV. Cap. XIX. pag. 226. ſeq. ὁ δ᾽ οὖν Ἡρακλῆς τὴν μὲν Ἰβήρων παραδοὺς τὴν βασιλείαν τοῖς ἀρίστοις τῶν ἐγχωρίων, αὐτὸς δ᾽ ἀναλαβὼν τὴν δύναμιν καὶ καταλύσας εἰς τὴν Κελτικὴν, κ. τ. λ.

(x) In *Arte Rhetorica* pag. 118. Διπλοῦν δὲ τὸ ἔθνος, Ἕλλην ἢ βάρβαρος. Μετὰ τὸ κοινὸν ἐρχόμεθα ἐπὶ τὸ εἶδος, Ἀθηναῖος, ἢ Λάκων, ἢ Βοιωτὸς, ἢ Ἴων, ἢ Σκύθης, ἢ Θρᾷξ, ἢ Κελτὸς, ἢ ἀπὸ Ἰβηρίας.

(y) Lib. II. pag. 149. Τιμοσθένης καὶ Ἐρατοσθένης, καὶ οἱ ἔτι τούτων πρότεροι τελέως ἠγνόουν τά τε Ἰβηρικὰ, καὶ τὰ Κελτικά· μυρίῳ δὲ μᾶλλον τὰ Γερμανικὰ καὶ Βρεττανικά.

(z) Lib. VI. pag. 439. ſq. Καὶ Ἰλλυριοὶ δὲ καὶ Θρᾳκῶν οἱ πλησιόχωροι τοῖς τε Ἕλλησι καὶ Μακεδόσιν ἀρχὰς ἔλαβον τοῦ πρὸς Ῥωμαίους πολέμου, καὶ διετέλεσαν πολεμοῦντες μέχρι καταλύσεως ἁπάντων τῶν ἐντὸς Ἴστρου, καὶ τῶν ἐντὸς Ἅλυος. Τὰ δ᾽ αὐτὰ ἔπαθον καὶ Ἴβηρες καὶ Κελτοὶ, καὶ ἅπαντες οἱ λοιποὶ, ὅσοι Ῥωμαίων ὑπακούουσι.

(a) In *Carmine* ſuo v. 280. ſqq.

(b) Tom. II. pag. 113. In *Conſolat. ad Apollonium.*

(c) In *Vita M. Craſſi* pag. 567.

(d) In *Vita Cæſaris* pag. 715.

(e) In *Vita Cæſaris* pag. 714.

(f) Lib. VII. *De Exped. Alexandri* Cap. III. pag. 475.

(g) Lib. I. *De Exped. Alexandr.* Cap. I. pag. 11.

(h) In Præfat.

(i) In Τετραβίβλῳ Lib. II. fol. XVI. b.

(l) In Ἀφροδισιάς pag. 200.

(m) In Πρεττανική pag. 646.

(n) In Ἡράκλεια pag. 384. ſqq.

§. VIII.

Examinatur teſtimonium Plinii.

Quæ ex Plinio, Strabone, Plutarcho, PEZRONIUS, (*o*) CLUVERIUS, (*p*) VELSERUS, (*q*) PELLUTIERIUS, (*r*) afferunt loca, ut vel univerſæ Europæ, vel præcipuis ejus populis, nomen Celticum vindicent, ea non magni ſatis momenti eſſe videntur. PLINIUM extrema Europæ promontoria, unum in finibus Hiſpaniæ, (*s*) alterum juxta Hyperboreos, propinquum Aſiæ, (*t*) cum adjacentibus oris, *Celtica* appellare non negamus; ſed quod ille oras quasdam & promontoria, ad extremos Europæ fines ſita, *Celticas* vocet, num inde concludas, omnem terrarum tractum, qui finibus his continetur, ab eo Celticam dici? Ex nullo ſane Plinii loco id apparet, qui cunctis Europæ regionibus peculiare nomen ſuum tribuit, nec ullibi eas communi *Celticæ* appellatione deſignat. Potius ergo dicendum erit, quod ſupra jam annotavimus, quum Celtæ, Galliæ incolæ, magnas olim colonias per omnes fere tractus Europæ miſerint, Plinium illos quandoque agros, quos in magnis Europæ regionibus Celtæ occuparunt, ex nomine novorum colonorum appellaſſe, qui ex Gallia in illas orbis partes migrarunt; nam Celtas quidem ex Gallia magnis quoque coloniis in Hiſpaniam eſſe progreſſos, partemque etiam eorum regionem circa Artabrum, vel Celticum illud Plinii promontorium, occupaſſe, ex STRABONE diſcimus. (*u*) Eosdem in orientales etiam Europæ fines, Hyperboreis vicinos, perveniſſe refert PLUTARCHUS, dum τοὺς Γαλάτας τοῦ Κελτικοῦ γένους, Gallos Celtas Oceani ſeptentrionalis oras, ſuperatis montibus Riphæis, invaſiſſe, atque ultima Europæ inſediſſe, (*x*) teſtatur.

§. IX.

Teſtimonia Strabonis & Plutarchi.

Illi denique Græci, qui à CLUVERIO & VELSERO ex Strabone teſtes proferuntur, quos inter præcipuus eſt EPHORUS, qui dimidiæ Europæ incolas olim Celtas vocarint, tam levis ſunt auctoritatis & fidei, ut ne minima quidem in his rebus eorum ratio poſſit haberi. De Ephoro generatim DIODORUS SICULUS: (*y*) "Certi quid apud Ephorum nemo requiret, qui veritatem in multis neglexiſſe eum videbit: „ & SENECA; (*z*) "Ephorus non religioſiſſimæ fidei, ſæpe decipitur, ſæpe decipit. „ A Strabone vero inter eos refertur, qui Eratoſthenem præceſſere, & rerum Celticarum plane ignari fuerunt: "In præſentia, inquit, (*a*) id à nobis ſit dictum, & Timoſtheuem, & Eratoſthenem, & qui eos ætate anteceſſerunt, plane ignaros fuiſſe Hiſpanicarum Celticarumque „ rerum: ac multo magis Germanicarum & Britannicarum. „ Ephorum enim Eratoſthenem ætate temporis præceſſiſſe clare docet STRABO. (*b*) Non alia etiam ex cauſa eum in ipſis illis locis, à Velſero & Cluverio citatis, allegavit; quam ut veterum Græcorum in Geographia ignorantiam illuſtri quodam exemplo oſtenderet: ſic enim STRABO: (*c*) "Nam de priſcorum Græcorum ſententia hoc dico, quod ſicut, in cognitis „ verſus ſeptentrionem regionibus, gentes omnes uno ab eis nomine Scythæ vel Numidæ, „ uti ab Homero, vocabantur, poſteaque cognitis etiam regionibus occiduis incolæ harum „ Celtæ vel Iberi, aut mixto nomine Celtiberi, vel Celtoſcythæ, dicebantur, diverſis „ gentibus propter ignorantiam uno nomine appellatis; pari ratione etiam tota terræ pars, „ quæ meridiem ſpectat, Æthiopia ab illis vocatur: „ & paulo poſt: (*d*) "Vetus „ quoque de Æthiopia opinio ex Ephoro conſtare poteſt, qui in Oratione de Europa „ inquit, cœli ac terræ locis in quatuor diductis partes, eam, quæ eſt verſus ſubſolanum, „ habitari ab Indis: quæ verſus Auſtrum ab Æthiopibus: quæ verſus occaſum à Celtis: „ Aquiluni objectam à Scythis. „ Et alibi: (*e*) "Ephorus Celticam facit magnitudine „

„ longe

(*o*) *Antiquité des Celtes* pag. 190. ſq.

(*p*) *Germania Antiqua* Lib. I. Cap. II. pag. 24.

(*q*) *Rerum Boicar.* Lib. I. pag. 2.

(*r*) Celeberr. PELLOUTIER in eleganti Libro *Hiſtoire des Celtes Liv.* I. *Chap.* III. pag. 24. ſq.

(*s*) Lib. IV. *Hiſtor. Natur.* Cap. XX.

(*t*) Lib. VI. *Hiſtor. Natur.* Cap. XIII.

(*u*) Lib. III. pag. 203. 230. 238.

(*x*) In *Vita Camilli* pag. 135. Ἐπὶ τὸν βόρειον Ὠκεανὸν ὑπερβαλόντες τὰ Ῥιπαῖα ὄρη ῥυῆναι καὶ τὰ ἔσχατα τῆς Εὐρώπης κατασχεῖν.

(*y*) In *Bibl. Hiſtor.* Lib. I. Cap. XXXIX. pag. 37. Ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἄν τις παρ' Ἐφόρῳ ζητήσειε ἐν παντὶ τρόπῳ τἀκριβές, ὁρῶν αὐτὸν ἐν πολλοῖς ὠλιγωρηκότα τῆς ἀληθείας.

(*z*) Lib. VII. *Natural. Quæſt.* Cap. XVI.

(*a*) Vid. ſupra pag. 114. not. (*y*)

(*b*) Lib. I. pag. 1. & 2.

(*c*) Lib. I. pag. 58. Φησὶ γὰρ κατὰ τὴν τῶν ἀρχαίων Ἑλλήνων δόξαν, ὥσπερ τὰ πρὸς Βορρᾶν μέρη τὰ γνώριμα ἑνὶ ὀνόματι Σκύθας ἐκάλουν, ἢ Νομάδας, ὡς Ὅμηρος· ὕστερον δὲ καὶ τῶν πρὸς ἑσπέραν γνωσθέντων Κελτοὶ καὶ Ἴβηρες, ἢ συμμίκτως Κελτίβηρες καὶ Κελτοσκύθαι προσηγορεύοντο, ὑφ' ἓν ὄνομα τῶν καθ' ἕκαστα ἐθνῶν ταττομένων διὰ τὴν ἄγνοιαν, οὕτω τὰ μεσημβρινὰ πάντα Αἰθιοπίαν καλεῖσθαι.

(*d*) Lib. I. pag. 59. Μαρτυρεῖ δὲ καὶ Ἔφορος τὴν παλαιὰν περὶ τῆς Αἰθιοπίας δόξαν, ὅς φησιν ἐν τῷ περὶ τῆς Εὐρώπης λόγῳ, τῶν περὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν τόπων εἰς τέτταρα μέρη διῃρημένων, τὸ πρὸς τὸν ἀπηλιώτην Ἰνδοὺς ἔχειν, πρὸς νότον δὲ Αἰθίοπας, πρὸς δύσιν δὲ Κελτούς, πρὸς Βορρᾶν ἄνεμον Σκύθας.

(*e*) Lib. IV. pag. 304. Ἔφορος δὲ ὑπερβάλλουσάν τε τῷ μεγέθει λέγει τὴν Κελτικήν, ὥστε ἅσπερ νῦν Ἰβηρίας καλοῦμεν, ἐκείνοις τὰ πλεῖστα προσνέμειν μέχρι Γαδείρων.

„ longe excedentem, dum maximam partem ejus regionis, quam Hiſpaniam nunc „ vocamus, usque ad Gades ad eam computat. „ Velſerus ergo atque Cluverius, quum Ephorum hunc in teſtimonium vocant, animadvertere etiam debuiſſent, eum à Strabone non ut teſtem fide dignum proferri, ſed ut talem, qui nullam penitus rerum Celticarum notitiam habuerit. Et ſic etiam cum veteribus illis Græcis, à Cluverio ſimiliter ex Strabone citatis, comparatum eſt; quos STRABO (*f*) ne tanti qnidem habet, nt nomen eorum indicet; ſed generatim ut tales prætermittit, qui, in prima & rudi adhuc occidentalium Europæ regionum notitia, claram de earum incolis cognitionem nondum habuerunt. Sed & HIPPARCHUM apud eundem STRABONEM (*g*) Velſerus male putat, per Celticam deſignaſſe aliam regionem quam Galliam, ex ea ratione, quod Hipparchus ſolem in Celtica totas per æſtatem noctes lucere ſtatuat. Quodſi locum illum curate inſpexiſſet Velſerus, vidiſſet facile, Hipparchum quidem Celticam ſuam nimis verſus polum arcticum & ſeptentrionem protrudere, imo & longitudinem illius à meridie verſus boream, nimis quam par eſt, extendere; per Celticam tamen nullam aliam terram, quam Galliam, intelligere. Eodem enim in loco in Celticæ regionibus ſolis altitudinem à Maſſilia verſus ſeptentrionem pergendo computat: ultra Celtas, & propius verſus ſeptentrionem meridionalem, Britanniæ partem ponit; quæ certe nulli alii regioni, quam Galliæ poſſe convenire, vel tironibus in Geographia ignotum eſſe nequit. Quod tandem PLUTARCHUM attinet, trahitur huc quoque locus ex *Vita Marii*; (*h*) ubi occaſione irruptionis à Cimbris in Italiam factæ refert, Romanos quosdam de Cimbris & Teutonis credidiſſe, gentes eos Celticas eſſe, Celticamque ab extremo Oceano ad paludem Mæotidem usque pertingere. Sed omnis ille locus declarat, Plutarchum ibi non ſuam de Celtica ſententiam, ſed Romanorum quorundam, novo hoſtium adventu territorum, inanes fictiones proferre: qui ipſe quam diligenter Celtas à Germanis, Hiſpanis, Britannis, Illyriis & Scythis, diſtinguat, non uno documento ſupra probatum eſt.

§. X.

Celtarum nomen quibus datum?

Ex illis, quæ prolata ſunt hactenus, concludimus tandem, Scriptores antiquos, quotquot eorum Celtas vel leviter deſcribunt, *Celtarum* & *Celticæ* nomina Gallis Galliæque tribuere omnes; nonnullos Scriptores nomen Celtarum non Gallis modo dare, ſed etiam Germanis: paucos quoque, ſed ſuſpectæ prorſus fidei, & attentione vix dignos, dimidiam Europæ partem, ad ſolis occaſum, quoque Celticam vocare. Qui Europam univerſam *Celticæ* nomine appellet, inter Veteres nullus reperitur. Corruit ergo ſtatim Ortelii, Hoffmanni, Harduini, Pellutierii, ſententia; qui omnes generatim Europæas gentes antiquitus communi Celtarum nomine comprehenſas eſſe exiſtimant, quod ex omni retro antiquitate nullus Scriptor conſentiens ſit. Certum enim omnino eſt, ne ſuſpectiſſimæ quidem fidei vetuſtos Auctores, rerumque Geographicarum quam maxime rudes, ultra dimidium Europæ Celticam Celtasque extendere. Sed & Pezronii, Velſeri, Cluverii, Scaligeri, Jodoci Coccii, Mezeræi, Speneri, Cocceji, Gedoyni, Caroli le Gendre, eorumque fautorum, ſententia corruit, qui vel maximam Europæ partem, vel præcipuos ſaltem ejus populos, Hiſpanos nimirum, Britannos, atque Illyrios, cum Germanis & Gallis, nomine Celtarum deſignatos fuiſſe putant: quippe quæ unico Ephori & quorundam Græcorum, quorum nomina fere ignoramus, teſtimonio nititur. Ephorus ab ipſis jam Veteribus, à Diodoro Siculo, atque Seneca, malæ & ſuſpectæ fidei, ut vidimus, in plerisque accuſatur: à Strabone autem, accurato veterum cenſore, una cum antiquiſſimis iſtis Græcis, rerum Geographicarum & præcipue Celticarum, plane ignarus judicatur. Ex eodem Strabone ſolo ipſum illud Ephori, antiquiſſimorumque illorum Græcorum, de Celtis teſtimonium petitur: & ipſe rurſus Strabo aperte ibi profitetur, ſe priſcorum Græcorum in Geographicis ignorantiam illuſtri quodam exemplo demonſtrare. Teſtimonium porro eſt, ex prima adhuc Græcorum de occidentalibus Europæ partibus notitia, qualis incerta tantum fama acquiri, & hinc obſcura admodum, & confuſa eſſe, ſolet. Quin poſterioribus ſeculis, cum cæteris creſcentibus ſcientiis, in claram quoque lucem Geographia emergeret, & innoteſcere magis occidentales Europæ regiones inciperent, vel ex Græcis vel Romanis nemo repertus eſt, qui in Celtarum Celticæque ſitu deſcribendo Ephorum antiquiſſimosque illos Græcos rudes ſecutus ſit. Cadit tandem etiam Broweri, Spenerique ſententia, quorum poſterior, poſtquam plurimos Europæorum remotiſſimis temporibus Celtas vocatos eſſe contenderat, dein nomen hoc una cum Browero ſolis Germanis præcipue competiiſſe, & ſecundario tantum ad Gallos translatum eſſe, aſſerit. Quum enim ab omnibus Scriptoribus Gallos, à paucis Germanos etiam, Celtarum nomine deſignatos

(*f*) Lib. I. pag. 58. loco paulo ante pag. præced. not. (*e*) allegato.

(*g*) Lib. II. pag. 127. ſq.

(*h*) Pag. 411.

deſignatos eſſe viderimus; quomodo hoc nomen præcipue dici poteſt Germanis conveniſſe, quum tamen illud his longe rarius, quam Gallis tributum, & à plurimis antiquorum vel nunquam datum, vel aperte negatum ſit? Et quomodo ſecundario tantum ad Gallos potuit pertinere, quibus plurimi & graviſſimi inter antiquiores hoc nomen non tantum primario, ſed ſolis etiam, tribuerunt.

§. XI.

Germanis an nomen Celtarum conveniat?

Supereſt jam adhuc ſententia RAPHAELIS VOLATERRANI, HENRICI GLAREANI, & qui noſtris temporibus eos ſecuti ſunt, ULRICI OBRECHTI, JOANNIS SCHILTERI, GUILIELMI LEIBNITII, & Illuſtr. HENRICI Comitis de BÜNAW, qui, in illa de Celtarum vocis ſignificatu diverſitate opinionum, nonniſi Gallis & Germanis, & quidem æqualiter, nomen Celtarum datum eſſe enuntiant. Probabilior eſt hæc, quam omnes, quas huc uſque protulimus, ſententiæ; propterea quod reliquæ ex omni antiquitate nullom aut ſuſpectiſſimæ tantum fidei teſtes, hæc autem tales producat, qui in rebus hiſtoricis apud omnes ſatis auctoritatis & fidei meruerunt: quorum etiam pronunciatione ſtandum ſine dubio eſſet, niſi magno quoque numero alii obſtarent; qui nec fide, nec auctoritate, prioribus cedunt, & ſolis nonniſi Gallis nomen Celtarum manifeſtọ attribount. Utræque horum ſententiæ ſibi invicem contrariæ ſunt, & hinc etiam ſimul ſtare non poſſunt. Quapropter in re tam dubia utriusque aſſertionis teſtes examinandi ſunt, & ex ſingulorum in his rebus notitia & auctoritate de ipſa rei veritate judicandum. Gallis ſolis nomen Celtarum, uti ſupra jam oſtendimus, tribuunt, ex Græcis Herodotus, Ariſtoteles, Polybius, Diodorus Siculus, Dionyſius Halicarnaſſenſis, Strabo, Dionyſius Periegetes, Plutarchus, Ptolemæus, Athenæus, Stephanus Byzantinus: ex Latinis Cæſar, Livius, Pomponius Mela, Lucanus, Plinius. Qui vero, præter Gallos, etiam Germanos hoc nomine appellant, ex Græcis ſunt Appianus, Pauſanias, Dio Caſſius, Suidas, &, ſi addere velis, Arrianus, quanquam in hac re adhuc dubius: ex Latinis autem nemo.

§. XII.

Teſtimonia negativa.

Jam ſi prioris ſententiæ teſtes ponderantur; ſunt hi, viri graviſſimæ in Hiſtoria auctoritatis, & magno utique numero: ſunt tales, quibus in cognoſcenda rei veritate nec ſtudium nec occaſio defuit: plerique eorum illis vixerunt temporibus, quibus Celtica lingua adhuc in uſu fuerat; quibus integer populus ſua ſe dialecto adhuc Celtas nominabat; talibusque adeo ſeculis, quibus de vera Celtarum ſignificatione judicari eo diſtinctius poterat: fuerunt partim ipſi haud dubie Celtæ, uti Livius, Cis-Alpinus ipſe Gallus, Patavinus nempe, nec propterea æquior Gallis; (i) partim inter Celtas multos annos verſati fuerunt: uti Cæſar, qui per totum novennium bella cum Gallis geſſit, omnem Galliam armis peragravit, & in Germaniam quoqoe transüt; cui pro ſumma, qua flagrabat, vincendi cupidine neceſſe erat in ſingularum gentium nomina, indolem, conſuetudines, linguam, in ſitus & terminos regionum, in populorum diverſitatem, ſedulo & ſolerter inquirere: in quem parum redundabat utilitatis ex nomine, quo gentes, quarum limites deſcribebat, quasque in publico orbis conſpectu ſubegerat, appellaret; qui, quod Germanos à communione nominis Celtarum excluſerit, non voluit hinc aliquid Gallis præ Germanis tribuere, vel ſibi ex devicta Celtarum tota gente, quæ orbem olim tenuit, majus quid honoris & famæ comparare: nam Germanos etiam prœliis atrociſſimis vicit, & ſuorum temporum Gallos à veterum Celtarum virtute degeneraſſe, Germanisque inferiores eſſe, ſcribit. (l) Et quanquam ASINIUS POLLIO, nimius veterum cenſor, qui in ipſo quoque Livio Patavinitatem deprehendit, Commentarios Cæſaris parum diligenter, parumque integra compoſitos putet veritate, (m) non tamen deterruit ſua cenſura TACITUM (n) & STRABONEM, (o) graviſſimæ auctoritatis Hiſtoricos, quin illum, ut ſummum Auctorem laudarent, ac in illis, quæ de Gallis vel Celtis ſcribunt, præcipue conſulendum ſequendumque exiſtimarent. Stant denique præter Cæſarem à priore ſententia omnes ad unum veteres, qui ſtudio Geographiæ præ aliis incubuerunt, Strabo, Dionyſius Periegetes, Ptolemæus, Stephanus Byzantinus, Pomponius Mela, Plinius: quique adeo in tali materia, quæ ad Geographiam pertinet, præ aliis quoque fidem merentur.

(i) PETR. RAMUS *de Moribus Veterum Gallorum* pag. 27. ſq.

(l) Lib. VI. de *Bello Gall.* Cap. XXIV.

(m) SUETONIUS in *Cæſare* Cap. LVI.

(n) *De Morib. German.* Cap. XXVIII.

(o) Lib. IV. pag. 267.

§. XIII.

Teſtimonia affirmativa examinata.

Contra poſterioris ſententiæ teſtes ſunt primo pauci numero, & juniores ætate: omnium eorum ætas non ultra dimidium ſecundi poſt Chriſtum natum ſeculi aſcendit; tempus, quo ante ducentos jam annos Cæſar Celtas ſuperaverat, Romanæque adeo leges, Romani magiſtratus, Romanum forum, Romana lingua, in illis introducta partibus fuerunt: quo Celtica lingua, quæ temporibus Cæſaris in tertia tantum parte Galliæ adhuc vigebat, & indigena Celtarum appellatio, ipſo teſtante Pauſania, in deſuetudinem jam abiiſſe credenda eſt. Itaque tum temporis non amplius tam facile in veram Celtarum ſignificationem inquiri potuit, quam quum ſupereſſet adhuc lingua, ex qua hujus gentis appellatio profecta aliis dein gentibus nota eſſe cœpit: unde in hac controverſia magna certe eſt ratio antiquiorum habenda; à quibus quum juniores ſecedunt, magnam erroris commiſſi præbent ſuſpicionem; præſertim quum Athenæus, Vir inter doctiſſimos ſui ſeculi reputandus, item Ptolemæus & Stephanus Byzantinus, accurati Geographi, quanquam ejuſdem ſint ætatis, ſe illis non jungant, ſed antiquiorum veſtigia premant, nomenque Celtarum nonniſi Gallis adſcribant. Ceterum ſunt teſtes, qui nec conſulto de Celtis ſcripſerunt, nec Geographiæ etiam docendæ præcipue operam dederunt: quin in propriis ſuis, quoad res Celticas, teſtimoniis partim ſibi ipſis contradicunt, partim manifeſto falſa referunt. Sic Appianus, quum recte enuntiaſſet, (p) Romanos veterem Celtarum gentem novo & ab ipſis invento nomine Gallos appellaſſe, multisque id in locis confirmaſſet; (q) omnia tandem hæc iterum alio in loco evertit, quando Gallorum & Celtarum nomen à filiis Polyphemi Cyclopis, qui illis populis imperaverint, uno eodemque tempore originem traxiſſe ſcribit. Suidas quum prius vocem Celtarum per Germanos explicaſſet, eandem hanc explicationem ſuam verbis ſequentibus clare deſtruit; & exempla tantum de Gallis profert. Senones certe, quos in confeſſo eſt Gallos fuiſſe, uti ex Polybio, (r) Floro (s) & aliis, patet, Celtas ille vocat: & Valerium Tribunum militum ex victoria, in ſingulari certamine de quodam ex illis Celtis reportata, nomen *Corvini* adeptum eſſe tradit, quod iterum ex Livio (t) & Floro (u) conſtat, bello cum Gallis contigiſſe, victumque à Valerio Gallum fuiſſe. Dio Cassius autem in rebus Celticis, quæ ſua etiam tempora reſpiciunt, manifeſtam ignorantiam prodidit, quum populos Galliæ in Narbonenſes, Lugdunenſes, Aquitanos & Celticos, dividit; (x) Lugdunenſesque ita falſiſſime diſtinguit à Celticis: nomen enim Galliæ Lugdunenſis, quod Auguſtus invenit, nomini Celticæ Galliæ, mutatis paulo finibus ejus, ſucceſſiſſe notum eſt: ita ut Plinius Lugdunenſem & Celticam Galliam eandem eſſe profiteatur, (y) & Ptolemæus eosdem populos in Lugdunenſi Gallia recenſeat, (z) qui Cæſaris temporibus ad Galliam Celticam relati ſunt. Hujus vero Dionis teſtimoniis quam maxime nituntur, qui Celticum nomen re vera Germanis etiam conveniſſe affimant: & Spenerus quoque ejus inprimis aſſertione ſententiam ſuam ſupra allegatam, qua Celtarum nomen Germanis olim magis, quam Gallis, competiiſſe credit, tueri non dubitat. Præcipuus locus Dionis, ad quem provocant, eſt Libro XXXIX. (a) & tamen in ipſo illo loco manifeſtas iterum ſuæ in rebus Celticis ignorantiæ notas Dio oſtendit. Aſſerit enim ibi, antiquiſſimis temporibus & Gallos & Germanos uno Celtarum nomine appellatos fuiſſe: poſtea, quum perſpectum fuiſſet, gentes has flumine Rheno tanquam à natura ſeparari, nominibusque etiam eos hinc diſtingui placuiſſet, nomen Celtarum illis tantum tributum eſſe, qui ad dextram Rheni ripam accoluerint, Germanique etiam poſtea dicti fuerint: illos vero, qui ad ripam Rheni ſiniſtram habitaverint, nomen Gallorum accepiſſe: quæ certe omnia Dionis tradita tam procul à veritate remota ſunt, ut omnibus veterum monumentis repugnent. Ab antiquiſſimis temporibus Germanos unquam eſſe Celtas appellatos probari non poterit, niſi huc Ephorum & antiquiſſimos illos referas Græcos, à Strabone citatos; qui ex manifeſta ignorantia, ut vidimus, nomen hoc præter Gallos aliis etiam, & quidem non tantum Germanis, ſed toti occidentali Europæ parti, aſſignarunt. Nomen autem Celtarum, poſtquam Gallia & Germania nominibus cœperunt diſtingui, tantum Germanis non vero Gallis conveniſſe, adeo contra omnem fidem hiſtoricam eſt; ut certe nunquam accuratius Gallos Celtarum nomine vocari, Celtasque à Germanis diſtingui, reperiamus, quam ipſis ab temporibus Cæſaris, & per duo deinceps continua ſecula; quibus profecto tam Galliam, quam Germaniam

(p) In Præfat. fol. II. & *de Bello Hiſpan.* pag. 421.
(q) Pag. 545. ſq. *de Bello Hannibalis*, Lib. I. *de Bellis Civil.* pag. 625.
(r) Lib. II. pag. 150. & 152.
(s) Lib. I. Cap. XIII.
(t) Lib. VII. Cap. XXII.
(u) Lib. I. Cap. XIII.
(x) Lib. LIII. pag. 503.
(y) Lib. IV. Cap. XVII.
(z) Lib. II. *Geograph.* Cap. VIII.
(a) Pag. 113. ſq.

Germaniam, peculiare pridem nomen habuiſſe, apud omnes in confeſſo eſt. Hæc ſane attendere debuiſſent, qui in definienda Celtarum ſignificatione tantum Dionis auctoritati tribuerunt; ſi vel invita ratione fidem auctoris in antiquioribus ſequi decreverunt, quem in recentioribus, & ætati ſuæ proximis rebus, hallucinatum eſſe conſtat, quum tamen harum longe majorem, accuratioremque habere notitiam potuerit.

§. XIV.

Judicium ex collatione teſtium.

Comparatis ergo utrinque teſtibus, pro illis tuto pronuntiare poſſumus, qui nomine Celtarum ſolos Gallos appellant, Germanosque à communione hujus nominis totos excludunt. (*b*) In Veterum de hoc argumento diſſenſu, ubi nonniſi ex ipſa teſtium collatione lis poteſt dijudicari, quacunque ratione pugnare velis, ſemper pro prioribus ſententią cadet. Quodſi teſtium numero pugnes; ſunt ſedecim contra quatuor, ad ſummum quinque: ſi antiquitate & rei cognoſcendæ facultate; ſunt antiqui, & præſentes temporibus, quibus examinari res potuit, contra juniores, & à dictis temporibus jam remotos: ſi cognoſcendæ veritatis ſtudio; ſunt Geographi, qui ſitum populorum ſibi præcipue examinandum ſumſerunt, contra Scriptores, qui in argumento hoc Geographico operam non collocarunt præcipue: ſi ipſius denique teſtimonii qualitate, ſunt ſibi conſtantes, contra ſibi contradicentes, & in ipſis etiam Celticis circa ea, quæ tempora ſua reſpexerunt, multum & manifeſte deceptos. Male ergo M. Velserus, quando aſſerit, (*c*) vocem Celtarum, qua longiſſimæ ætatis memoria reſpiciatur, tam Gallos quam Germanos complexam eſſe; dein vero ultra Rhenum arctatam paulatim, acciſis poſtmodum magis magisque finibus, in ultima demum Gallia hæſiſſe, partemque illius comprehendiſſe circiter tertiam. Nos inverſo Velſeri ordine, verius & confidentius pronuntiamus: Celtarum nomen, ſi manifeſtas quorundam fabulas excipimus, ab antiquiſſimis temporibus ſolis Gallis datum; per plurimas ætates & per ſeculorum ſeriem conſtanter à Scriptoribus hoc ſenſu ſervatum; extincta tandem Celtica lingua, indigenaque Celtarum appellatione obſoleta, à quibusdam falſo ad Germanos quoque eſſe translatum.

§. XV.

Coloniæ Celtarum.

Ut vero Lector facilius perſpiciat, qui factum, ut de Celtarum patria tam diverſæ oriri potuerint Scriptorum ſententiæ, paucis modo indicabimus illuſtriores Colonias, quæ ex veteri Celtica ad plurimos Europæ, imo & Aſiæ, partes quasdam tranſierunt. Præter Celticas Colonias, quæ diverſis temporibus in Italiam migrarunt, omnemqne ſuperiorem ejus partem, ut ſupra dictum eſt, occupavere, nonnullæ quoque Celtarum Coloniæ in Hiſpaniam, tum Luſitanicam, tum Tarraconenſem, tranſierunt; cujus rei veſtigia apud Ptolemæum, (*d*) Melam, (*e*) Strabonem, (*f*) Plinium, (*g*) & Stephanum Byzantinum, (*h*) reperimus. Britannia quoque Celticarum Coloniarum plena fuit, uti Cæsar (*i*) ipſe teſtatur; ubi nonniſi interiora inſulæ indigenis Britannis habitata, maritimam vero partem à Gallis, ex Belgio adventantibus, occupatam recenſet. Quodſi Tacitum (*l*) audias, Britannos ille omnes à Gallis originem ſuam trahere credidit. Præter has Italiæ, Hiſpaniæ Britanniæque, Celtarum Colonias illæ quoque præſertim illuſtriſſimæ fuerunt, quæ, Sigoveſo Duce, ex Gallia in Germaniam tranſierunt. Harum aliæ circa ſaltus Hercynios, aliæ in Pannonia, aliæ ad Illyricos ſinus, reperiuntur. De Helvetiorum Bojorumque, qui Celticæ gentes fuerunt, in Germanicam migratione evidens ſane teſtis eſt Tacitus. (*m*) Volcas Tectoſages Mela, (*n*) Plinius, (*o*) Strabo, (*p*) Ptolemæus, (*q*) Livius, (*r*) Florus, (*s*) commemorant, Cæsarque (*t*) eos ad Hercyniam quoque ſilvam ſedes occupaſſe exiſtimat. Sed & Æſtyi atque Gothini inter Germanos habitantes, Celticæ originis populi fuerunt: illi ad dextrum Maris Suevici, hodie Balthici, litus; hi autem verſus Viadrum

(*b*) Sententiam hanc ſeculo jam XVI. Bodinus in *Methodo Hiſtoriarum* pag. 350. ſq. aliquatenus amplexus eſt: quanquam cauſam bonam male defenderit, verbis Scriptorum veterum ſæpe perverſe intellectis.

(*c*) *Rerum Bojicar.* pag. 2. ſq.

(*d*) *Geograph.* Lib. II. Cap. V. ſq.

(*e*) Lib. III. Cap. I.

(*f*) Lib. III. pag. 245. ſqq.

(*g*) *Hiſt. Nat.* Lib. III. Cap. I.

(*h*) In Voce *Ἀσία*.

(*i*) *De Bello Gall.* Lib. V. Cap. 12.

(*l*) In *Agricola* Cap. XI.

(*m*) *Germania* Cap. XXVIII.

(*n*) *De Situ Orbis* Lib. II. Cap. V.

(*o*) Lib. III. Cap. IV.

(*p*) Lib. IV. pag. 286. & Lib. XIV. pag. 850.

(*q*) Lib. II. Cap. X.

(*r*) Lib. XXXVIII. Cap. XVI.

(*s*) Lib. II. Cap. XI.

(*t*) *De Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XXIV.

Viadrum commorati. Gothinos non fuiſſe Germanos, Gallicum idioma coarguit, ut Tacitus (*u*) loquitur. Æſtyorum lingua Britannicæ prupior ab eodem Tacito (*x*) dicitur; Britannicam autem Celticæ ſororem extitiſſe, ſupra (*y*) docuimus. Carnos, Japydes, Tauriſcos, Sigoveſianæ quoque Celtarum Coloniæ partem fuiſſe vix licet dubitare, ſi *Faſtorum Triumphalium* Fragmento, (*z*) & Straboni, (*a*) fides tribuenda. De Scordiſcis Gallis, ad Danubii & Sabis confluentes ſedentibus, Justinus (*b*) nos inſtruit.

§. XVI.

Coloniarum coloniæ novæ.

Neque vero Coloniæ hæ Celticæ, ex Gallia matre prodeuntes, filiarum titulo diu contentæ fuerunt, quippe quæ & ipſæ mox matres evaſerunt. Illa nimirum, quæ in Hercyniis Germaniæ ſaltibus, in Norico & in Pannonia, ſuas ſedes elegerat, & ipſa coloniam novam deinceps in Thraciam, Cambaule Duce, emiſit, ut Pausanias, (*c*) fidus Scriptor, nos docet. Imo ipſa hæc Cambaulis, in Thraciam procedens, colonia brevi poſt novas alias Celticæ ſuæ Gentis in orbem colonias emiſit, quæ ultra ducenta virorum millia compoſuerunt; quæque partim cladibus ſuis, partim proſpero armorum ſucceſſu, celeberrimum in Hiſtoria ſibi nomen compararunt. Eorum enim una pars ſub Belgio Duce Macedoniam & Illyricum, altera ſob Brenno Pæoniam, tertia ſub Cerethrio, ſive ut Livius vult, Lomnorio & Lutario, Regulis, Thraciam invadere decreverunt. (*d*) Poſtrema hæc felicem præ reliquis nacta eſt ſortem, quippe quæ anno V. C. CCCCLXXV. poſt Delphicam Brenni cladem primo, in Aſiam transgreſſa, Nicomedi, Bithyniæ Regi, contra hoſtes ejus tulit auxilium, ab eoque magnam regni partem, mercedis loco, obtinuit; unde novum Galatiæ vel Gallo-Græciæ Regnum in Aſia minore exortum, (*e*) cujus limites Strabo (*f*) deſcribit. Tectoſages, Trocmi & Toliſto-Boii, coloniam hanc compoſuerunt. (*g*) Celto-Scythica denique, ut & illa, quæ in Decumatibus agris trans Rhenum, in relicta à Marcomannis ſede, Auguſtæo ævo, conſedit, Coloniæ non ſunt transeundæ ſilentio. De Celto-Scythis apud Strabonem (*h*) leguntur plura; hi verſus ortum & ſeptentrionem inter Scythas, ut Celtiberi verſus occaſum inter Iberos, habitarunt. Decumates agros vero, Gallicis colonia plenos fuiſſe, Tacitus (*i*) ignorare nos noluit. Ex Celticis his coloniis, tam late per Europam præſertim diffuſis, ipſe ratiocinabitur Lector, quam facile fieri potuerit, & unde re vera factum ſit, ut Geographi Hiſtoricique in errorem traherentur, nonnullique Regiones, Celticis habitatas colonis, pro vera Celtica ſumerent; quum tamen patria genuina Celtarum, vel Celtica primaria, nonniſi in veteri Gallia ſit omnino quærenda. Sed hac de re peculiari Libro (*l*) uberius diſſeremus alibi.

§. XVII.

Alſatiæ Celticæ clauſula.

Ita Celticæ Rerum Alſaticarum Periodo finem imponimus, quam *Celticam* appellamus, quod Alſatia veterum Celtarum pars fuerat: quod in ea mores, lingua, Philoſophia & Religio, Celtarum viguerunt; licet ſola ſuperior Galliæ Celticæ accenſeretur, inferior Belgicæ. Medias inter tenebras emenſi ſumus ſalebroſum hoc iter, nulli Hiſtoricorum Alſatiæ ante nos tritum; qui vel intolerabilibus fabulis totam hanc inundarunt Periodum: quod Koenigshovio, Specklino, Herzogio, Schadæo (*m*) aliisque, Trebetam & Babyloniorum imperium in Alſatos crepantibus, contigit: vel falſis inſiſtentes principiis, Teutonicos mores, Religionem & linguam, in Alſatia Celtica quærendos arbitrati ſunt, Celticos ubi quærere debuiſſent: vel denique prudentiore conſilio omnem hanc Periodum tranſierunt ſilentio. Per viam hanc inacceſſam, dumis & vepretis conſitam, imo & rupibus aſperam, Critica duce, prudenter incedendum fuit & caute. In tam vaſta enim opinionum & traditionum vulgarium eremo, ex abditis ſuis locis, protrahenda in lucem fuit hiſtorica veritas; quam ſi nos non ubique attigimus, veriſimilitudinem

(*u*) *Germania* Cap. XLIII.
(*x*) Ibid. Cap. XLV.
(*y*) §. CVII. pag. 89.
(*z*) Apud Gruter. *Inſcript.* pag. 298.
(*a*) *Geograph.* Lib. VII. pag. 481. ſq.
(*b*) Lib. XXXII. Cap. III.
(*c*) Lib. X. pag. 843. Justinus Lib. XXIV. Cap. IV. Lacarry *Hiſt. Colon. Gall.* Cap. XIII.
(*d*) Pausanias loc. cit. Livius hæc fuſe Lib. XXXVIII. Cap. XVI.
(*e*) Justinus Lib. XXV. Cap. II.
(*f*) Lib. XII. pag. 850.
(*g*) Strabo Lib. IV. pag. 286.
(*h*) Lib. XII. pag. 774.
(*i*) *Germania* Cap. XXIX.
(*l*) Cui Titulus: *Vindiciæ Celticæ.*
(*m*) Osræ Schadæi hujus monſtroſa Volumina MSſ. formæ majoris in Tabulario Argentinenſi ſervantur, quæ Aſſyriorum, Babyloniorum, Trojanorum Romanorumque, potius quam Alſatiæ Hiſtoriam, exponunt.

dinem tamen ſumus conſtanter ſecuti. Scriptorum credulitas, & in rebus dijudicandis temeritas, majus Hiſtoriæ noſtræ damnum, quam ipſa temporum injuria, attulit. Unde in repurganda ea plus operæ, quam voluiſſem, impenſum; quæ reſtant, rediguntur ad pauca. Enimvero barbara & inculta plane ante Romanorum ætatem Alſatia, artium & ſcientiarum ignara, num illuſtrium aut memorabilium rerum copiam nobis potuit offerre? Itaque Divinationem, potius quam Hiſtoriam, appellares ea, quæ in hac Epocha tractantur: ubi ex ſparſis Græcorum Latinorumque Scriptorum locis, undique collectis, ex Monumentorum fragmentis atque ruderibus, divinandus fuit Alſatiæ antiquiſſimæ ſtatus. Nec meliorem provinciæ nobis vicinæ, in originibus ſuis eruendis, quam nos, expertæ ſunt ſortem: apud quas ſi quid ex ea temporum Periodo lucis ſupereſſet, noſtræ quoque tenebræ diſpellerentur ex parte. Eodem illorum Annales morbo, quo noſtri, laborant. Annianis aliisque ſimilibus figmentis repleta ſunt omnia; quibus ſublatis, pauciores veritatis reliquiæ illis reſtant, quam nobis: inſtituto examine calculoque ſubducto, plura, quæ illis offeramus, nos habere, quam quæ nos ab illis accipiamus, reperio. (*n*) Dapes uberiores expectet Lector ex Romanorum Periodo. Hi literas artesque à devictis Græcis Romam quum transtuliſſent victores, easdem liberali manu per omnes imperii ſui populos dein late diffuderant: ita ut priſcos Alſatas libertatis amiſſæ haudquaquam pœnitere debuerit. Libertas, Literarum ignara, an non ipſa ſervitute deterior eſt? Mihi ſane Alſatia non illuſtrior modo, ſed & felicior ſub Romana dominatione, quam ſub ſqualida ſua libertate, cenſetur. Evidentius hoc fiet, cum eam, quam ingredimur, Periodum emenſi fuerimus, ad quam illuſtrandam nos ſine mora accingimus.

(*n*) Natum hinc Scriptoribus, melioris notæ, junioribus conſilium, ut regionum nobis vicinarum, Lotharingiæ, Burgundici ſive Sequanici Comitatus, Helvetiæque Hiſtoriam quum ſcribant, Periodum hanc, ceu fabuloſam, ſicco pede tranſeant; fabularum, in quas deceſſores eorum inciderunt, evitaturi charybdim. Enimvero, quis Genuinæ Hiſtoriæ ſtudioſus illa SIMPHORIANI CHAMPIERII, RICHARDI WASSEBURGII, Lotharingicorum Scriptorum, commenta hujus Periodi ferat? Quis GOLLUTII de Sequanorum originibus non averſetur fictiones? Cui non primordia Helvetica, ETTERLINO, STUMPFIO, memorata, nauſeam movent? Plerorumque noſtri ævi Scriptorum Libri hæc ſilentio premunt, quæ tamen non omnino prætereunda fuiſſent. Laudandum Viri Ampliſſimi, LUDOVICI BOCHATI, Rerum Helveticarum nuperi Scriptoris, conſilium; qui in Commentariis ſuis, multa cum eruditione Gallice editis, antiquitates gentis ſuæ, quanta potuit ſagacitate, eruere & divinare conatus eſt. Evitavit ſcopulum, ad quem deceſſores ejus fere omnes alliſerant, Teutonica confundentes cum Celticis, novamque adeo futuris Helveticæ Hiſtoriæ Scriptoribus viam aperuit. Quodſi denique ad Trans-Rhenanos quoque noſtros progrediaris vicinos, quot fabularum putidarum chiliades in *Suevicis Annalibus* coacervavit MARTINUS CRUSIUS, diligentiſſimus alias & vaſtæ eruditionis Scriptor: cui BUCELINUM, LAZIUM, SPANGENBERGIUM, aliosque hujus generis plures, haud immerito jungas: qui in colligenda multifaria rerum Hiſtoricarum farragine operoſi, de digerenda vero minus ſolliciti, famæ ſuæ magis conſuluiſſent, ſi ſubactiore judicio fabuloſa à veriſimilibus, dubia à certis, ficta à veris, diſtinxiſſent curatius.

CHRONOLOGIA
PERIODI CELTICÆ.

	Anni Urb. Cond.	Anni Ante Æram Dionyſ.
Sigoveſus Celticas Colonias ex Gallia in Germaniam ad Danubium ducit; Rheno in ſuperioris Alſatiæ partibus tranſito.	163	591
Arioviſtus Rhenum in Sequanis tranſit, & Æduos ad Amagetobriam vincit.	682	72
Helvetii oppida ſua & pagos comburunt, & ex Helvetia emigrant; paulo poſt à Julio Cæſare victi in eam redeunt.	696	58
Arioviſtus à Julio Cæſare, Proconſule Galliarum, profligatur in Sequanis, qui ſubjiciuntur Romanis; unde Alſatia ſuperior Romana.	696	58
Æſtate ſequenti Expeditio in Belgas & Mediomatricos ſuſcepta, qui victi; unde & Alſatia inferior fit Romana.	697	57
Belgæ univerſi, Remis exceptis, adeoque & Mediomatrici Alſatæ, à Cæſare deficiunt; ſed eodem & ſequenti anno reducuntur ad obſequium.	698	56
Univerſa Gallia deficit; ſed Cæſar, Avarico, Gergovia, Alexia, captis, omnem in poteſtate ſua habuit, atque Romano Imperio ſubjecit. Ad bellum hoc Rauraci, Sequani & Mediomatrici, ſuas quoque copias miſerunt. Sequani cum Senonibus, Biturigibus, Xantonibus, Ruthenis, Carnutibus, XII. mill. Mediomatrici, Ambiani, Petrocorii, Nervii, Morini, Nitiobriges, V. millia, Rauraci & Boji XXX. millia.	702	52

ILLU-

Digitized by Google


ALSATIA
ANTIQVA
Usque ad Seculum V.
EXPLICATIO
SIGNORVM
Urbes antiquae.
Oppida Romanis cognita.
Castra
Castella
Romanorum.
Castellorum Romanorum rudera.
Viae Rom
Procha
Alemaññis,
Loca recentiora ad situm ali-orum cognoscendum idonea.
Rhenus antiquus et novus
ARGENTORATUM
ARGENTOUARIA
RHENUS FL.
AUGUSTA RAUR
VINDONISSA
Milliaria Romana
Leguae Gallicae
Porta Ferrea
Sept 26°
Mer 26°
25°
Occidens

ILLUSTRATÆ ALSATIÆ

LIBER SECUNDUS.

ALSATIA ROMANA.

SECTIO PRIMA, GEOGRAPHICA.

STATUS ALSATIÆ ROMANÆ.

§. I.

Conſpectus Periodi Romanæ.

SECUNDA, quam deſcribere aggredior, Alſatiæ ætas, ſeculorum numero multum ſuperatur à prima: rerum & eventuum gloria primam longe exſuperat. Hac enim Periodo ornatiore ſub habitu, novaque ſub ſpecie, ſe ſiſtit Alſatia. Superior Rauracos & Sequanos, adeoque Gallos, priſcos incolas ſuos, conſtanter retinuit, inferior novos ex Germania admiſit Tribocos: utraque armis moribusque exculta, Imperio Romano floreſcente, effloruit: utraque ſub iisdem Romanis Chriſtianæ Religionis accepit ſemina, atque adeo mores, politiam, ſacra & linguam, cum dominatione, pedetentim mutavit, ex unilingui jam facta trilinguis; Germanica per Tribocos accedente, per Romanos autem Latina, quæ dominatrix Celticam & Germanicam paulatim oppreſſit, ut ſola regnaret.

Initium hujus Periodi.

Periodi hujus auctor eſt Divus ille Cæſar Julius, qui anno Urbis conditæ DCXCVI. L. Calpurnio Piſone & Aulo Gabinio Coſſ. ante Æram Chriſtianam LVIII. Arioviſto ex omni Sequanorum regione, cum Germanis ſuis, trans Rhenum rejecto, apud Sequanos Alſatas Romanæ dominationis fundamina poſuit. Finis hujus Periodi in pugnæ Tolbiacenſis decretoriæ, cum Alemannis à Clodovæo pugnatæ, tempus, adeoque in Æræ Dionyſianæ annum CCCCXCVI. incidit: quo, poſt repulſos ab ora Rheni Romanos, nudato barbaris irrumpentibus limite, quem Alemanni in his partibus occupaverant, dubius Alſatiæ ſtatus ſuum finem accepit; quum nimirum Francica dominatio nutanti ſucceſſiſſet Romanæ. Julius Cæſar ergo, primo Pro-Conſulatus ſui Gallici anno, Rauracos & Sequanos; ſequenti Mediomatricos cum reliquis Belgis, contra Romanos conſpiraſſe eos prætexens; tertio Aquitaniam, cum omni reliqua Gallia, Romanorum ſubjecit Imperio. Quarto anno in Germaniam, ponte ſuper Rhenum

facto, transiit; quinto transfretavit in Britanniam; ſexto varias in Gallia turbas ſedavit; ſeptimo denique Gallos pleroſque, pro libertate arma capientes, capta Aleſia, quam octoginta millium exercitus Gallorum defendit, prœlio fatali devicit; qui omnium annorum Pro-Conſulatus ejus glorioſiſſimus. Ab hoc demum tempore bona fide Romanorum dominationem omnis agnovit Gallia; eorumque adeo in his quoque partibus Rhenanis ſtabilitum imperium eſt.

§. II.

Mutationes Geographicæ.

Geographicæ rationes Alſatiæ, Romana ſub dominatione, variis mutationibus obnoxiæ fuerunt. Primam omnium ſubiit Alſatia inferior, quæ Cæſareani belli tempore accepit Tribocos. Hi quidem cum Arioviſto in Alſatiam ſuperiorem jam pridem tranſierant, ſed cum eodem expulſi à Cæſare, bellorum civilium inter eundem Cæſarem atque Pompejum occaſione, ex reliquis Germaniæ gentibus Rhenum rurſus ſoli tranſierunt, ſtabilemque in Alſatia inferiore pedem, novo ſub Imperio, novi incolæ poſuerunt. Sub Auguſto, Julii Cæſaris ſucceſſore, quum Cis-Rhenana inſtitueretur Germania, inferior Alſatia ei fuit adſcripta. Auguſtus enim amplificandæ majeſtatis Romanæ cauſa, ut invictæ Germanorum nationi imperare videretur, Galliam ripenſem ad Rhenum appellavit Germaniam: unde Germaniæ cis Rhenum origo, quæ in Superiorem Inferioremque diviſa quum eſſet, Alſatia inferior, quæ Mediomatricenſis nuper, nunc Tribocica, ad Germaniam ſuperiorem fuit relata. Idem Auguſtus Rauricos quidem exornavit colonia, at nihil ejus ad Alſatiam referas, quod nonniſi extrema Rauricenſis agri pars exiguam Sundgoviæ noſtræ partem conſtituit. Geographica hæc Alſatiæ ratio ad tempora usque Conſtantini M. duravit. Tum enim nova plane quum exoriretur Imperii totius Romani in quatuor Præfecturas diviſio, Alſatia utraque ad Præfecturam Prætorii Galliarum pertinuit; Gallia in tres Diœceſes iterum ſubdiviſa, unaquæque Diœceſis ſuum Vicarium habuit, omniſque tum Alſatia Trevirenſi Vicario ſubjecta. Huic ſubordinati fuerunt Præſes & Dux Sequanici, quibus Alſatia ſuperior ſuberat; ut & Comes Argentoratenſis & Dux Moguntiacenſis, ad quos Alſatia ſpectavit inferior. Eidem quoque tempori Maxima Sequanorum ſuam originem debere videtur, quum Rauraci, Helvetii & Sequani, adeoque & Alſatia ſuperior, quæ Sequanica fuit, huic Maximæ Sequanorum adſcriberentur; quæ *Maxima* ab amplitudine, à præcipua ejus gente vero *Sequanorum* nomen accepit. Sed jam cuncta examinanda ſigillatim.

CAPUT I.

ALSATIA SUPERIOR CELTICA.

§. III.

Alſatia ſuperior non Belgica.

ALſatia ſuperior, ſive Raurico-Sequanica nullam in Geographicis rationibus ſuis converſionem memorabilem vidit, antequam cum reliquis Sequanis, cum Rauracis atque Helvetiis, in unam, quæ Maxima Sequanorum appellata, provinciam coaleſceret; quam non ante quartum Æræ Dionyſianæ ſeculum prognatam reperio. In ea indigenæ veteres Celticæ originis perſtiterunt immoti. Contigiſſe tamen mutationem volunt non juniorum modo Scriptorum plerique, ſed & veterum haud contemnendæ auctoritatis nonnulli: qui nimirum Alſatiam ſuperiorem ex Celtica temporibus his Belgicam factam eſſe memoriæ tradiderunt. Res ergo ſubjicienda examini, ut Lector inſtruatur diſtincte, cujus Galliarum Provinciæ pars fuerit Alſatia Sequanica. Tribocicæ enim ſors in dubium fuit nunquam vocata; quæ Belgica habetur ab omnibus.

Bellum Pompejanum civile, quod Julium Cæſarem, ex Gallia devicta redeuntem, excepit, alterumque, quod eodem Dictatore interfecto exortum eſt, impediverunt, ne res Gallicæ ordinarentur. Succeſſor ergo Auguſtus, rebus ſedatis in Galliam tranſiit, atque Lugduni Seguſianorum præſertim, quod celeberrimum emporium, (a) arcis inſtar, in medio Galliæ ad illuſtrium fluminum confluentes ſitum, omnibusque Galliæ partibus propinquum, per aliquot annos commoratus eſt: à qua urbe

(a) STRABO *Geograph.* Lib. IV. fin.

urbe plures quoque vias, & inter eas unam ad Rhenum, Agrippa deinceps aperuit. Primum, quod Auguſtus, apud Gallos hærens, ſuſcepit, opus erat Cenſus; quo Galliam omnem Comatam, adeoque & noſtram Rhenenſem, recenſuit. (*b*) Alterum, quod Galliæ partes earumque populos hinc inde alio modo diſtribuit. Retinuit quidem generatim Narbonenſem, Aquitanicam, Celticam, Belgicam, uti apud Cæſarem referuntur; ſed ex Celtica XIV. populos inter Garumnam Ligerimque detraxit, ut Aquitaniæ, nimis arctæ, eos adjiceret, eamque adeo reliquis Galliis æquipararet: quo facto, nomen Celticæ in Lugdunenſem commutavit, Lugduno capite conſtituto provinciæ; hæc nobis teſtis prodidit STRABO, (*c*) illi ætati vicinus. *Celticæ* nomen ergo in uſu Latine loquentium ſcribentiumque eſſe tum deſiit.

§. IV.

Quinam Belgicam credant.

Difficilior quæſtio eſt, an Auguſtus, qui quatuordecim populos ex Celtica abſtraxit, ut Aquitaniæ adderet, ex eadem Celtica Sequanos, Rauracos & Helvetios, quoque detraxerit, ut adjiceret Belgicæ? Sive, an Auguſtus Galliæ Belgicæ limites ad Alpes protulerit, quos Julius Cæſar apud Sequanos Celticæ populos terminavit ad Rhenum? Quodſi Plinium & Ptolemæum magnæ auctoritatis conſulamus Scriptores, affirmanda eſt quæſtio. PLINIUS, (*d*) qui Romæ ſub Veſpaſianis ſcripſit, *Sequanos, Rauricos, Helvetios, Coloniam Equeſtrem & Rauricam*, liquidiſſime Belgis annumerat; atque deinceps in Lugdunenſis Galliæ, quæ Celticæ ſucceſſit, expoſitione populos hos prorſus omittit. (*e*) CLAUDIUS PTOLEMÆUS, (*f*) qui præſtans ſuum Geographicum opus, ſub Antoninis, ſed in Ægypto, conſcripſit, per hæc omnia conformis eſt Plinio, atque eosdem Sequanos, Rauricos atque Helvetios, accenſet Belgicæ, ita ut de utriusque hujus Scriptoris mente nullum prorſus dubium ſuperſit.

§. V.

A Strabone Celtis adſcripta.

Ex altera vero parte inſignem quoque Geographum STRABONEM, qui Romæ, ſub Tiberio Imperatore, ſcripſit, in alia omnia diſcedere video. Hic enim ubi Gallicas res in Opere ſuo exquiſito diligenter enarrat, in ſuperiore hac Rheni parte Geographicas Julii Cæſaris rationes exacte ſequitur, qui Sequanos & Helvetios Celtis adſcribit. CÆSAR (*g*) ait: "Celtarum partem initium capere à flumine Rhodano, & à Sequanis „ Helvetiisque flumen Rhenum attingere. „ Sequani ergo atque Helvetii, ex mente Cæſaris, Celtæ fuerunt. Eodem fere modo STRABO (*h*) ſcribit: "Poſt Aquitaniam „ & Narbonenſem Galliam ea ſequitur regio, (Celtica vel Lugdunenſis) quæ à Ligeri „ & Rhodano ad Rhenum pertingit. &c. Hujus Regionis ſuperiora, quæ ſunt ad fontes „ Rheni atque Rhodani, usque ad mediam fere planitiem, Lugduno (id eſt Galliæ „ Lugdunenſi vel Celticæ,) ſunt ſubdita: reliqua ad Oceanum vergentia ſub alia ſunt „ provincia, quam ſibi Belgæ vindicant. „ (ſive ſub Gallia Belgica) Quid evidentius, quam Strabonem ſuperiora Rheni, ad mediam fere planitiem, Galliæ Lugdunenſi adſcribere? Quo usque vero hæc ad oram Rhenenſem ſe extendat planities, Strabo tranſivit ſilentio. Planities incipit, ubi Rhenus ex Alpibus prodit atque Juraſſum præterivit, quod apud Laufenburgum atque Rhinfeldam facit, id eſt, paulo ſupra Baſileam. Planities quæ ſequitur ad Lugdunenſem adhuc Galliam referenda; hæc autem planities Rauracorum & Sequanorum agros ad Rhenum componit. Ea demum, quæ verſus Oceanum vergunt, ad Belgicam pertinent. Quanquam ergo limites inter Lugdunenſem & Belgicam ad Rhenum non determinaverit Strabo, ſed laxe modo indigitaverit, ſatis aperte tamen oſtendit, ſe Helvetios, Rauracos Sequanosque, ad Celticam, ut Julius Cæſar, vel Lugdunenſem, ut Auguſtus eam appellavit, referre. Strabonis hanc fuiſſe ſententiam inter Criticos dubium non eſt; qui diſſenſum ejus à Plinio atque Ptolemæo fatentur; ſed de modo, tantos inter ſe conciliandi auctores, ſolliciti ſunt.

 §. VI.

(*b*) LIVII *Epitome* Lib. CXXXIV. Anno præcedente DCCXXVI. Urb. Cond. Cenſum Urbis Romæ perfecit, quo quadragies centum millia Civium capita cenſa ſunt. DIO Lib. LIII. ab init. *Ancyranum Monum.*

(*c*) Lib. IV. pag. 288.

(*d*) *Hiſt. Natur.* Lib. IV. Cap. XVII.

(*e*) Cap. XVIII.

(*f*) *Geographia* Lib. II. Cap. IX.

(*g*) *De Bello Gall.* Lib. I. Cap. I.

(*h*) Lib. IV. pag. 292. ubi ita: Μετὰ δὲ τὴν Ἀκουιτανὴν μερίδα, καὶ τὴν Ναρβωνῖτιν, ἡ ἐφεξῆς ἐστι, μέχρι τοῦ Ῥήνου παντὸς, ἀπὸ τοῦ Λίγηρος ποταμοῦ καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ . . . Ταύτης δὲ τῆς χώρας τὰ μὲν ἄνω μέρη, τὰ πρὸς ταῖς πηγαῖς τῶν ποταμῶν, τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ, μέχρι μέσων σχεδόν τι τῶν πεδίων, ὑπὸ τῷ Λουγδούνῳ τέτακται. Τὰ δὲ λοιπὰ καὶ παρωκεανιτικὰ, ὑπ' ἄλλῃ τέτακται μερίδι, ἣν ἰδίως Βέλγαις προσνέμουσιν.

§. VI.

Germania Cis-Rhenana.

Ab lite autem hac pendet & altera de Cis-Rhenana Germania, quam in ipſa Galliæ Belgicæ ora Rhenenſi Auguſtus inſtituit, diſputatio. Ex auſtrali enim Belgicæ limite Germaniæ ſuperioris limes quoque auſtralis dijudicandus eſt. Recentiores Gallicarum, & ſpeciatim quoque Alſaticarum Rerum, imo & Burgundicæ Helveticæque Hiſtoriæ, Scriptores, in diverſas heic partes abire nemo mirabitur, quum duarum, in quas ſciſſi ſunt, partium utramque gravibus ex ipſa antiquitate teſtibus ſe tueri perſpiciet, aliis in Plinianas & Ptolemæanas, aliis in Strabonis, ſe vertentibus partes; ita, ut magnis ſe auctoribus tueantur utrique. Quodſi nova hæc Galliæ diviſio brevi illo ſpatio, quod inter Strabonis atque Plinii tempora fuit, contigiſſet, res dubia non foret; quod unusquisque Scriptorum horum diviſionem, ſuo ævo receptam, ſecutus eſſe poſſet videri. Sed, in ipſo illo Tiberiani & Veſpaſianorum temporis intervallo, nullam hujusmodi Galliarum diviſionis mutationem contigiſſe legimus; nec Plinii Ptolemæique aſſeclæ ad eam confugiunt. Galbam quidem interpellant nonnulli, mutationem hanc ſub eo factam ſuſpicati. (*i*) Ego vero Galbam, qui vix ſolium conſcendens Imperii æmulum Othonem expertus eſt, de ordinandis Galliæ rebus cogitare potuiſſe non video, ſuis Romæ nondum firmatis: ipſeque ſeptimo poſt imperium ei delatum menſe occiſus. Trahitur quidem huc Nummus argenteus Galbæ, in cujus parte averſa trium Galliarum capita occurrunt, cum Inſcriptione: *Tres Galliæ.* (*l*) Nummus autem ille quid aliud oſtendit, quam Aquitanicæ, Belgicæ & Lugdunenſis, Galliarum, in agnoſcendo Galba Imperatore, concordiam? uti in alio ejusdem Galbæ nummo Gallia Hiſpaniaque dextras ſibi jungunt, in concordiæ ſignum; quod duæ hæ provinciæ Galbam pro Imperatore omnium primæ agnoverant. (*m*) In conciliandis ergo Strabone Plinioque, & hujus aſſecla Ptolemæo, fruſtra laboratur: diſcedendum in partes.

§. VII.

Inveſtigatio veritatis.

Vel Strabo vel Plinius damnandus erroris. In Alſatiæ noſtræ ſuperioris Geographicum ſtatum directe hæc influunt; quippe quæ Raurica ſemper atque Sequanica fuit. Quodſi diſtributio Galliæ, Julii Cæſaris temporibus nota, ab Auguſto immutata non fuit; ſi Rauraci & Sequani ex Celtica, quam Lugdunenſem appellavit Auguſtus, non abſtracti fuerunt, Plinium Ptolemæumque erraſſe dicendum eſt. Equidem Strabonis auctoritatem non poſſum non Plinianæ præferre, quando ille & Cæſaris Dictatoris & Auguſti diverſas Galliæ diviſiones diſtincte exponit, alterique alteram immediate ſubjungit; (*n*) qui Auguſti tempora ipſe vidit, & ſub ejus ſucceſſore Tiberio Libros ſuos magno cum judicio atque labore conſcripſit. Hic autem præter imminutionem, quam Celtica ſub Auguſto ab Aquitaniæ partibus paſſa eſt, nullam enuntiat; atque adeo illam, quam eundem Auguſtum in partibus Rheni feciſſe volunt, prorſus ignorat, ita quidem, ut, Celticam ad Rhenum usque fuiſſe extenſam, tribus in locis (*o*) aperte teſtetur. Libri quarti initio ait: ea, quæ à Lugduno ad ſuperiora Rheni pertingunt, Lugduno eſſe ſubdita, id eſt, ad Lugdunenſem Galliam pertinere. In medio autem ejusdem Libri, ubi de Lugdunenſi fuſius agit, iterum Lugdunenſis provinciæ ſuperiora ad fontes Rheni pertingere, diſerte enuntiat, atque ſpeciatim in ea Sequanos collocat, quorum terminum orientalem Rhenum noſtrum figit. Inde, populos Lugdunenſis Galliæ ad Rhenum commemorans, Sequanos repetit, illisque Helvetios jungit; quæ omnia firmam Strabonis deliberatamque ſententiam comprobant, Sequanos atque Helvetios ad Lugdunenſem Galliam ſua, id eſt, Tiberii Imperatoris ætate, pertinuiſſe. Auguſtus ergo Galliæ Belgicæ non attribuit Sequanos, ſed eodem in ſtatu, quo Cæſaris Dictatoris temporibus fuerunt, eos reliquit; adeoque Alſatia ſuperior in priſtino, quo ſub Cæſare Dictatore fuerat, ſtatu permanſit. Enimvero, ſi in Rhenanis partibus populos quoque nonnullos Celticæ vel Lugdunenſi Galliæ detraxiſſet Auguſtus, neſcio quomodo id fugere potuiſſet Strabonem, qui reliqua, Celticæ detracta, tam curate annotavit. Qui porro fieri potuiſſet, ut Scriptores reliqui, qui tertio, quarto quintoque, ſeculis Res Romanas tradiderunt, Geographicas Cæſaris

(*i*) ÆGID. BUCHERIUS in *Belgio Romano* Lib. I. Cap. I. pag. 3.

(*l*) VAILLANT *Numismata Imperatorum præſtantiora*, Tom. II. pag. 78. MEDIOBARBUS in *Theſauro Numismatico* pag. 99. PATINUS ad *Suetonii Galbam*, pag. 345.

(*m*) Gallia ſub Julio Vindice tumultuari cœpit contra Neronem, & in Hiſpania Galba ſalutatus eſt Imperator, omnesque fere Hiſpaniarum Galliarumque civitates, teſte SUETONIO, ipſi acceſſerunt.

(*n*) Lib. IV. pag. 267. & 268.

(*o*) Pagg. 268. 292. 295. Edit. Almelov.

Cæſaris & Strabonis rationes, neglectis Plinianis, tam diligenter ſecuti fuiſſent? Quo in numero Melam, (*p*) qui diviſionem Galliæ Julio delineatam ita ſequitur, ac ſi de nova Auguſti diſpenſatione nihil quidquam audiviſſet; Eutropium, Plutarchum, *Notitiam Imperii*, *Galliarum*que veteres nonnullas, repono. Ipſi Fautores Plinii reliquorum Scriptorum, ſi Ptolemæum excipias, in Julianis Galliæ rationibus adoptandis, conſenſum adeo profiteri coguntur, ut Ægidius Bucherius (*q*) fateatur, in Julianam Galliæ partitionem omnia, velut orbe circumducto, relabi.

§. VIII.

Sed in hujus argumenti inveſtigatione ad Tacitum me præſertim converto, qui poſt Julium Cæſarem omnium optime Galliam novit. In hujus ego Annalibus duo loca reperio, quæ, Sequanos ad Galliam Belgicam, Taciti ævo, non fuiſſe relatos, ſatis clare nos docent. In priore, (*r*) ubi de morte Auguſti, de ſucceſſione in Imperio, de Germanico, per Gallias cenſum accipiente, ſermo, ita loquitur Tacitus: " Germanicus „ quanto ſummæ ſpei propior, tanto impenſius pro Tiberio niti. Sequanos proximos „ & Belgarum civitates in verba ejus adegit. „ Sequanos à Belgis heic diſtingui nemo non videt. In poſteriore loco, (*s*) ubi de Gallorum rebellionibus agitur, duo earum exſtimulatores nominantur, apud Treviros Julius Florus, apud Æduos Julius Sacrovir. *Florus Belgas*, *Sacrovir propiores Gallos, concire*, verba ſunt Taciti, ubi Belgis opponuntur Galli proprie dicti, qui Cæſari Celtæ, Auguſto Gallia Lugdunenſis. Belgicus tumultus primum compoſitus eſt, C. Silio duce, qui turbas, à Sacroviro apud Gallos, ſive in Celtica, motas, ut quoque componeret, Celticam verſus progreſſus eſt. Ita autem hæc exprimit Tacitus: " Silius cum legionibus duabus incedens, præmiſſa „ auxiliari manu, vaſtat Sequanorum pagos, qui finium extremi & Æduis contermini, „ ſociique in armis erant. „ Silius nimirum, Belgico bello finito, tranſivit ad Celtas. Hos inter primos adiit Sequanos, in extremitate Celticæ ſitos & ad Rhenum usque extenſos, Belgisque confines, quos propterea *finium extremos* Tacitus appellat; eorumque pagos vaſtavit, quod Æduis contermini atque in armis ſocii fuerunt. Itaque Silius ex inferiore Alſatia, quæ Belgica, in ſuperiorem, quæ Sequanica fuerat, tranſiit, atque, ab his exterioribus Sequanis ad interiores progreſſus ipſos, denique Æduos petiit, Celticum bellum compoſiturus, ut compoſuerat Belgicum. Unde nemo non facile colligit, Sequanos à Belgis ſub Tiberio atque ſub Domitiano, Nerva, Trajano, ſub quibus Tacitus ſcripſit, plane fuiſſe diſtinctos, atque adeo ad Celticam Lugdunenſemve Galliam pertinuiſſe.

Taciti teſtimonium.

§. IX.

Irrefragabiles ſunt iſtæ Strabonis, Pomponii Melæ, Taciti aliorumque, qui eos ſecuti ſunt, auctoritates. Suppetunt tamen & aliæ rationes, quæ, Sequanos ex Lugdunenſi Gallia ab Auguſto in Belgicam non fuiſſe translatos, docere nos poſſunt. Enimvero inæqualitati diſtributionis provinciarum Galliæ allaturus remedium, ut Aquitanicam augeret, Lugdunenſi XIV. populos verſus occaſum ademit Auguſtus. Quodſi eidem Sequanos, Rauracos Helvetiosque, ademiſſet, malum, quod evitare voluerat, auxiſſet; nulla inter Belgicam cæterasque Gallias fuiſſet proportio. Quam vaſta enim fuiſſet extenſio Belgicæ, ſi illa omnes, à fontibus ad oſtia usque Rheni, populos comprehendiſſet & urbes? Vaſtiſſimæ Regiones illæ, ab Alpibus & Juraſſi initiis, cis & trans Vogeſum omnes, una cum reliquis inter Sequanam, Oceanum Germanicum & Rhenum, tranſcribendæ eſſent ſoli Belgicæ Galliæ; quanta inter hanc & reliquas Galliæ partes inæqualitas naſceretur? Verum Plinianis aſſeclis concedamus pauliſper, Helvetios, Sequanos, Rauricos, in Belgica Gallia reputatos fuiſſe; qui & quando factum eſt, ut illi Belgis rurſus eriperentur, & quis denique novæ hujus mutationis auctor fuit atque promotor? Plinianam ſi diviſionem admittis, duo ſunt quærendi Imperatores, quorum alter priſtinas Geographicas Galliæ rationes mutaverit, alter reſtituerit; neutrum tamen Hiſtoria prodit. Sed & probe notandum, quod Plinius ipſe mutationis hujus auctorem non prodit, ſed ſimpliciter Galliæ populos, cum diſtributionibus ſuis in partes, enarrat. Translatio Sequanorum in Belgicam attributa Auguſto nonniſi conjectura vel inventum eſt noſtri ævi Scriptorum, qui eam Auguſto affingunt.

Aliæ rationes.

His

(*p*) *De ſitu Orbis* Lib. III. Cap. II.

(*q*) Loco cit.

(*r*) *Annal.* Lib. I. Cap. XXXIV.

(*s*) *Annal.* Lib. III. Cap. XL. & XLV.

His rationibus adde, quod Rauraci, Sequani atque Helvetii, non ejus fuerint nationis & indolis, ut cæteris Germaniæ Cis-Rhenanæ & Belgicæ populis commode adjungi potuerint. Erant enim natura & origine Celtæ, vel Galli proprie dicti, à Belgis moribus & lingua diverſi. Auguſtus in Belgica duas quum inſtituiſſet cis Rhenum Germanias, ortum, mores & linguam, reſpexit Germanicos, hosque ſeparavit à Gallis genuinis, proprieque ſic dictis. Abſonum enim fuiſſet, Gallicos populos appellare Germanos, eorumque Regionem Germaniam. Tribocorum noſtrorum, Nemetum, Vangionum, ut & Ubiorum, ex Germania in Galliam transitus, ſedesque ad Rheni ſiniſtram poſitæ, nullam Auguſto occaſionem dedere, ut extenderet Belgicam, ſed ut duas in eadem Germanias poneret erigeretve, Lugdunenſem autem ad Rhenum intactam relinqueret. Hoc autem modo rationes ſuæ conſtant ſuperiori Germaniæ, cujus limitem auſtralem, vel initium, nec ad fontes Rheni, nec ad Juraſſum, vel ad Rauracos, (*t*) ſed ad collimitium ſuperioris inferiorisque Alſatiæ ponendum. Superior inferiorque Germania, quæ dein prima & ſecunda appellata eſt, omni tempore Galliæ Belgicæ, nunquam Lugdunenſis, partes reputatæ fuerunt.

§. X.

Maxima Sequanorum.

Neque vero transeundum ſilentio eſt, Maximam Sequanorum, ſeculo quarto prognatam, quæ Sequanos, Rauracos & Helvetios complexa eſt, nec ad Belgicam Galliam, nec ad Germaniam primam, pertinuiſſe, ſed ſeparatam ab omnibus fuiſſe provinciam; unam nempe ex XVII. quæ tum enatæ fuerunt, cujus caput Veſontio. In hac Provincia Ammianus duas præcipuas urbes, Veſontionem nempe & Rauricum, ſe vidiſſe teſtatur. Veſontio Maximæ Sequanorum Metropolis fuit. Maxima Sequanorum autem diſtincta erat à Germania prima, quæ procul dubio Belgicæ pars fuerat. Omnis enim Belgica in Germaniam primam & ſecundam, item in Belgicam primam ſecundamque, ſubdiviſa fuit, nihilque adeo cum Maxima Sequanorum habuit commune; uti id ex illis, quæ de Maxima Sequanica jam expoſituri ſumus, patebit uberius. Accedit ultimo loco, quod cum Geographicis his rationibus veteres Eccleſiaſticæ Conciliorumque rationes mire conſpirent. Veſontio Sequanicarum & Rauricarum Eccleſiarum ad hunc usque diem Eccleſia mater eſt; nihilque prorſus cum Belgica habet commune, quæ ibi demum incipit, ubi finitur Sequanica. Rationibus his non contemnendis inducor, ut turbatas Plinii Ptolemæique, in recenſendis Belgicæ populis, Geographicas rationes deſeram, & in ea, quam apud Julium Cæſarem legimus, quamque Strabo & Mela, Auguſto fere coætanei, conſtanter ſecuti ſunt, in ſuperioris Alſatiæ ſtatu nihil ab Auguſto immutatum eſſe ſentiam.

§. XI.

Valeſii ſententia.

In alia tamen omnia diſcedere video inſignem Geographicarum Galliæ Rerum indagatorem, HADRIANUM VALESIUM, (*u*) quem alii paſſim ſecuti ſunt, quos inter præſertim CHRISTOPHORUS CELLARIUS. (*x*) Imo & Rerum Helveticarum Scriptores plerique, Pliniana fide commoti, Helvetiam ſuam in veteri Belgica poſuerunt. Enimvero Valeſius, ut in Geographica hac deſcriptione Plinii Ptolemæique auctoritatem extolleret, hæc addidit: (*y*) "Ambo Marcum Agrippam & Divum Auguſtum, in populis ac „ terminis, unicuique Galliarum provinciæ aſſignandis, ſunt ſecuti. Neque vero ignoramus, PLINIUM (*z*) de Commentariis his alicubi ita ſcripſiſſe: "M. Agrippam „ quidem, in tanta Viri diligentia, præterque in hoc opere cura, cum orbem terrarum „ Urbi ſpectandum proponeret, erraſſe quis credat, & cum eo Divum Auguſtum? „ Is namque complexam eam porticum, ex deſtinatione & Commentariis M. Agrippæ „ à ſorore ejus inchoatam, peregit. „ Sed verba hæc alio plane loco leguntur, quam ubi de Gallia ſermo. M. Vipſanius Agrippa, Vir admodum diligens, ac in hoc opere laborioſus, pictum in tabulis orbem terrarum populo Romano in magnifica porticu, quæ ab ipſo nomen *Porticus Agrippæ* accepit, ſpectandum propoſuit; quæ à ſorore Agrippæ mortui, ex deſtinatione & Commentariis ejus inchoata, ab Auguſto perfecta ac conſummata eſt. Porticus hæc Straboni non minus quam Plinio patuit. Ille plura itinera ſuſcepit, ut Geographicum opus ſuum perficeret, quod magna cura, judicio, multaque

(*t*) CELLARIUS *Geographia Antiq.* Tom. I. Lib. II. Cap. III. pag. 370.

(*u*) *Notitia Galliarum* pag. 296. ait: "Sequani „ & Helvetii Celticæ detracti ab Auguſto, & Belgicæ „ ſunt attributi. „ Adde pagg. 297. & 520. pag. 297. "Belgicæ Auguſtus Sequanos & Helvetios adjecit, „ qui fuerant ante Celticæ.

(*x*) *Geographiæ Antiquæ* Lib. II. Cap. III. pag. 255. & 274. ubi Helvetios primos ponit in Belgicæ populis.

(*y*) Pag. 521. ſeq.

(*z*) Lib. III. Cap. II.

multaque perfectum eſt opera; ut adeo, Straboni præ Plinio major auctoritas in hoc negotio cur tribui debeat, non equidem videam. Porticus hæc, in definiendis Galliæ rebus, Plinium omnino reddere potuiſſet ab errore immunem, ſed non reddidit; cujus documenta hæc damus: Germanias duas cis Rhenum Plinius alto, quod mireris, ſilentio premit, quas Tacitus, coætaneus ejus, Suetonius, Dio, Marmora omniſque Hiſtoria, tam frequenter loquuntur, quas Agrippa & Auguſtus in Tabulis ſuis, in Porticu hac poſitis, omittere non potuerunt, quum ab ipſo fuerint Auguſto creatæ.

§. XII.

Plinii & Ptolemæi errores.

Idem Plinius in exponendis Galliæ diviſionibus adeo ſibi ſæpe non conſtat, ut Celticam, ſive Lugdunenſem, Galliam, à Garumna ad Sequanam uno in loco extendat; paulo poſt, ſui quaſi oblitus, eandem provinciam ad Ligerim terminet; inter Julianam & Auguſteam Galliæ diviſionem veluti dubius fluctuans. (a) Ptolemæum autem quod attinet, ille Rhenum aſcendendo Nemetes ponit ante Vangiones: Argentoratum in Vangionibus, Argentouariam in Rauracis, graviſſimis erroribus, ponit; quum priorem in Tribocis, poſteriorem in Sequanis ponere debuiſſet. Sed & Mogontiacum in inferiore Germania collocat, quæ ſuperiori fuit conſtanter adſcripta. Idem Sequanos omnes trans Juram relegat à Rheno. Aventicum & Coloniam Equeſtrem, indubitatas Helvetiæ urbes, ita quidem, ut Caput Helvetiæ devenerit Aventicum, Ptolemæus Sequanis inſigni errore aſſignat: utramque Maximæ Sequanorum recte aſſignaturus, ſi provincia hæc, ſeculo IV. demum exorta, jam tum nata fuiſſet: Ptolemæus enim ſeculo ſecundo Geographiam ſuam jam ſcripſit. Superioris item Germaniæ limitem auſtralem Ptolemæus nimis extendit, quando illi populos ſuperioris Alſatiæ, Sequanos Rauracosque, adjicit, qui tamen ei nunquam attributi fuerunt, quod in priſtino ſemper ſtatu permanſerant, ab omni Germanorum irruptione intacti, ſecus quam Alſatiæ inferiori contigiſſe novimus. His addimus, quod Christophorus Cellarius, licet Plinium & Ptolemæum, præ Strabone, ſequatur, de utroque tamen querimoniam agat, quod Julii & Auguſti diviſionem confuderint, ſive Julianæ diviſioni ex Auguſtea adjecerint aliquid, ut illam corrigerent, quam tamen nec ipſi perſecuti ſint plene; unde & contra eos diſputare coactus eſt. (b)

Brevis ergo, quam ex dictis colligimus, ſumma huc redit: Auguſtus, Cæſaris ſucceſſor, res Galliæ ordinans, Celticæ quidem quatuordecim populos ab occidentali parte detraxit, ut Aquitanicam augeret; à latere Rhenenſi eidem abſtulit nihil: Sequanique adeo noſtri, Rauraci atque Helvetii, Celticæ Galliæ ab antiquo adſcripti, in eadem Celtica, quam Auguſtus Lugdunenſem vocavit, perſtiterunt; nec ab alio, poſt Auguſtum, Imperatore eidem adempti ſunt. Contrariæ ſententiæ ſui addictus olim, (c) quam, re curatius examinata, mutavi. Poſtquam ſeculo IV. nova Galliarum in XVII. provincias exorta diviſio, Maximam Sequanorum, ex Sequanis, Rauracis Helvetiiſque, compoſitam, in Lugdunenſi Gallia prognatam reperimus; quæ in peculiarem provinciam, à Lugdunenſibus quatuor, Belgicis duabus, Germaniciſque duabus, diſtinctam, coaluit. Hujus pars olim ſeptentrionalis extrema fuit Alſatia ſuperior; de illa ergo ſpeciatim agendum.

MAXIMA SEQUANORUM.

§. XIII.

Galliæ diviſio.

Maxima Sequanorum, quæ & Sequanica Provincia, Sequanicum (d) vel ſimpliciter Sequani, (e) appellata, Cæsari, Straboni, Plinio, Ptolemæo, Dioni, cæteriſque trium priorum ſeculorum Scriptoribus & monumentis, ignorata, nonniſi ſeculo quarto innotuit; poſtquam nimirum quatuor illæ ſolidæ Galliarum partes, Narbonenſis, Aquitanica, Lugdunenſis & Belgica, in plures paulatim partes minores, & quidem in XIV. primo, inde XVII. ſubdividerentur provincias. Subdiviſionem

hanc

(a) Conferatur *Hiſt. Nat.* Lib. IV. Cap. XVII. cum Cap. XVIII.

(b) Christoph. Cellarius *Geograph. Antiq.* Lib. II. Cap III. pag. 373.

(c) Confer. pag. 42. §. 14.

(d) In Notitia Imperii occurrit: "Præpoſitus rei privatæ per Sequanicum & Germaniam primam." Item: "Vir ſpectabilis, Dux Provinciæ Sequanici." Inter duodecim Duces occurrit quoque *Sequanicæ Dux.* Sect. XXXIV.

(e) Eutropius id facit atque Ammianus, ut mox videbimus.

hanc deſcripſit Sextus Rufus, (*f*) quem alii Rufum Feſtum vocant, qui *Breviarium* ſuum *Imperii* dedicavit Imperatori Valenti. Ex octodecim enim illis, quas memorat, Provinciis, ſi quatuor, in Britanoiis Transmarinis poſitæ, detrahantur, quatuordecim reſtant. Nova dein Lugdunenſis & Viennenſis ſectione, à prima Lugdunenſi Senoniam, à ſecunda Turoniam, diſtraxerunt, unde quatuor Lugdunenſes exortæ; à Vienoenſi autem avulſa prodiit Narbonenſis ſecunda. Tres hæ provinciæ, ſuperioribus quatuordecim additæ, numerum denique XVII. complerunt, quæ immutatio ad tempora Gratiani Imp. refertur. (*g*) Uode, calculo probe ſubducto, conſequitur, majores illas quatuor partes, in quas omnis Gallia à Romanis antiquitus fuit diviſa, ita deinceps ſubdiviſas fuiſſe, ut Narbonenſis in quinque, Aquitania in tres, Belgica in quatuor, Celtica vel Lugdunenſis in quinque, ſecarentur provincias; quarum Lugdunenſium quintam Blondellus (*h*) aliique Maximam Sequanorum reputarunt. Inter undecim provincias, quæ à Præſidibus rectæ ſunt, Maximam hanc Sequanicam *Notitia Imperii* ponit: duas Belgicas vero, duasquê Germanias, inter ſex Conſulares; quem ſeptendecennalem provinciarum Gallicarum numerum tribus in locis Notitia repetit. (*i*) In hac ergo diviſione acquieſcendum eſt, (*l*) atque adeo una XVII. provinciarum fuit Maxima Sequanorum, cujus partem ſeptentrionalem extremam compoſuit ſuperior Alſatia.

§. XIV.

Maximæ Sequanor. limites.

Neque vero vaſtus hujus provinciæ ambitus ſolos complexus eſt Sequanos: ad eandem relati ſunt Rauraci atque Helvetii; & hi quidem, ſi non univerſi, illi tamen, qui inter Juram montem & Urſam flumen habitaverunt, Trans-Juranæ Burgundiæ deinceps nomine noti. Orientalis enim Helvetia, quæ ab Urſa ad Rhenum usque pertingit, Rhætiæ primæ fuit adſcripta, hodieque Conſtantienſi Epiſcopatui, qui Vindoniſſæ olim fuit, ſubjecta. Maximæ ergo Sequanicæ, in Celtica vel Lugdunenſi prognatæ, Rhenus ad ortum fuit limes, ad occaſum Araris, ſive Saoconna, quæ Sequanos diviſit ab Æduis; à meridie Lacus Lemannus, provincia Viennenſis prima & Alpes Grajæ; à ſeptentriooe vero Foſſa noſtra provincialis, conſtans & perpetuus ſuperioris Alſatiæ limes, eandem terminaverat: quibus limitibus hodiernus Burgundiæ Comitatus, Helvetia ad Rhenum usque, & Valeſiæ pars, Baſileenſis Epiſcopatus cum urbe Baſilea, Sundgovia item cum ſuperiore Alſatia, continentur.

Metropolis Civilis & Eccleſiaſtica fuit *Veſontio*, *Viſontio*, *Beſuntium*, *Biſuntium*; ita enim diverſimode exprimitur. Dioni Οὐισοντίων, Ptolemæo Οὐισόντιον. Veſontioni, ut Metropoli civili, *Notitia Galliarum* Sirmondiana, quæ optima, hæc ſubjicit:

„ Metropolis Civitas Veſoocienſium.
„ Civitas Equeſtrium Nojodunus. (*m*)
„ Civitas Elvitiorum Aventicus. (*n*)
„ Civitas Baſilienſium.
„ Caſtrum Vindoniſſenſe. (*o*)
„ Caſtrum Ebredunenſe. (*p*)
„ Caſtrum Rauracenſe. (*q*)
„ Portus Abucini. (*r*)

§. XV.

(*f*) Sextus Rufus, qui de victoriis ac Provinciis populi Rom. anno Chriſti CCCLXV. ſcripſit, de Provinciis Gallicis pag. 14. ita loquitur: “ Sunt in „ Gallia cum Aquitania & Britanniis decem & octo „ Provinciæ: Alpes maritimæ, Provincia Narbonenſis, „ Viennenſis, Novempopulana, Aquitaniæ duæ, Lugdu- „ nenſes duæ, Alpes Grajæ, Maxima Sequanorum, Germa- „ niæ duæ, Belgicæ duæ: in Britannia Maxima Cæſa- „ rienſis, Flavia, Britannia prima, Britannia ſecunda.

(*g*) Petrus de Marca *de Primatibus*, §. LXV. pag. 161.

(*h*) *Primauté de l'Egliſe* pag. 678.

(*i*) Sect. XXXIV. XXXVI. XLVIII.

(*l*) Galliæ diviſionem in VII. provincias, quam nonnulli anxie quæſiverunt, ſilentio tranſeo. Præcipuum hujus opinionis defenſorum argumentum, ex Notitia Imperii petitum, non ſtringit. Rubrica enim, qua Vicarius Præfecti Prætorio Galliarum, *Vicarius per ſeptem Provincias*, ſignatur, mendoſa eſt; reſcribendum eſſe *ſeptemdecim*, numerus Provinciarum ibi expreſſus nos docet. Conf. Petrus de Marca *de Primatibus* &c. David Blondellus quoque Libro alleg.

(*m*) Hodie *Nion*, X. mill. Paſſ. Geneva diſtans, in Pago Vaudenſi ad Lacum Genevenſem ſita. Epiſcopatus hujus oppidi translatus eſt Belicam, *Belley*.

(*n*) *Avanche*, urbs Caput olim Helvetiorum; ex cujus ruinis ſurrexit hodiernum oppidulum *Wiſlisburg* in Pago Vaudi. Marius Aventicensis, cujus *Annales* ſuperſunt, ſeculo Sexto Epiſcopus loci hujus fuit. Epiſcopi ſedes tranſlata dein Lauſannam, unde Epiſcopus a temporibus Reformationis exulat, ſedetque plerumque Friburgi Uchtlandiæ.

(*o*) Vindoniſſa nobilis olim urbs, Epiſcopi ſedes, quæ Conſtantiam tranſlata eſt, Vindoniſſa everſa; cujus rudera adhuc ampla cernuntur in Ergovia verſus Urſæ Arolæque confluentes, haud procul à Rheno. Locus tam celebris hodieque in ruinis viſitur. Tempore, quo Notitia hæc Galliarum conſcripta fuit, *Caſtrum* appellabatur, quo nomine oppida deſignabantur minora.

(*p*) *Ioerdun*, oppidum ad Juræ montis pedes, atque ad lacum hujus nominis, ſitum. Sedes olim Epiſcopalis.

(*q*) Hodie *Augſt*. Ante Auguſtum fuit oppidum: ſub Auguſto Colonia Militaris facta; unde Auguſta Rauracorum ab Alemannis vaſtata Caſtrum evaſit, Cathedra Epiſcopalis tranſlata Baſileam.

(*r*) Portus Abucini, qui & Portus Bucini. Vix ullus Geographorum locum hunc deſignare audet. Ad Lacum Lemannum vel in vicinia ejus ſitus eſſe potuit. Vicum *Buſſigni* vel *Buchillon* huc referre placuit nonnullis. Solæ Notitiæ Galliarum loci hujus faciunt mentionem.

§. XV.

Nominis Etymologia.

Maximæ Sequanorum nomen à præcipuo & nobiliore ejus populo ortum: unde eam, ſuo ævo jam notam, ſimpliciter *Sequanos* appellavit Ammianus, (s) ubi ait: “Apud Sequanos Biſontios videmus & Rauracos; aliis potiores oppidis multis.„ Quod & Eutropium feciſſe video, (t) ubi de Helvetico Cæſaris bello ita: “Is primo „ vicit Helvetios, qui nunc Sequani appellantur.„ Helvetii nunquam accenſiti ſunt Sequanis, ſed Maximæ Sequanorum attributi fuerunt. *Maxima* autem appellata eſt, non quod re vera cæterarum Provinciarum maxima, vel, ut Chifletius (u) conjicit, prima & præcipua. Neutra harum rationum locum heic habet, ſed quod una de maximis. Lugdunenſis tertia enim & Belgica ſecunda non minoris, quam Maxima Sequanorum, erant extenſionis. Et ſuam Maximam Cæſarienſem provinciam, Vicario Britanniarum ſubjectam, Britannica Inſula habuit, ut *Notitia Imperii Occid.* teſtatur; (w) cujus Metropolim Sextus Rufus in *Breviario* Verolamium ponit. Maxima hæc Britannica nomen ſuum à Maximo, Galliæ Britanniæque Tyranno, accepiſſe, ſunt, qui exiſtimant. Maximus autem nonniſi poſt Valentinianum & Valentem Impp. ſub Theodoſio Magno circa An. Chr. CCCLXXXIII. tyrannidem arripuit. Sextus Rufus, circa An. CCCLXX. ſub Valentiniano I. & Valente ſcribens, Maximam Cæſarienſem jam retulit; qui ergo hæc nomen ſuum à Maximo Tyranno accipere potuerat? Sic Britannica Maxima & noſtra Sequanica ab extenſione ſua cognomen acceperunt.

§. XVI.

Appellationis origo.

Quo tempore potiſſimum diviſio hæc inſtituta fuerit, inter eruditos disquiritur; aliis Maximæ hujus origines jam ad Auguſtum, aliis ad Hadrianum, aliis ad Conſtantinum M. vel ad Theodoſium M. referentibus. Ad Auguſtum eas refert Christophorus Lehmannus, (x) vix nactus ſequacem. Onuphrii Panvinii, aut Petri de Marca, ſententiæ nec ego poſſum accedere; qui novam hanc diviſionem, in quibusdam provinciis ab Imperatoribus ſeculi I. inſtitutam, ſub Hadriano vel Antonino ad XIV. Provinciarum numerum excreviſſe exiſtimant. (y) Conjecturæ hujus fundamentum Panvinius in Appiano Alexandrino, qui ſub Hadriano vixit, reperire ſe credit. Nec diffiteor, Scriptorem hunc Romani Imperii provincias & populos omnes ordine ac ſigillatim recenſere; in recenſione autem nullum plane diviſionis ejus, quam in Sexto Rufo, in Notitia Imperii, in Notitiis reliquis Galliarum, legimus, deprehendo veſtigium. Petrus de Marca, Tiberii & Neronis principatu, duas Germanias, à Belgica reliqua jam diſtractas, allegat, atque documentis, ex ſequentium Imperatorum Hiſtoria productis, illuſtrat. Sed præter duas Germanias aliam Gallicarum Provinciarum ſubdiviſionem nec producit, nec producere potuit Doctiſſimus Præſul. Quod enim ex Inſcriptione apud Gruterum, (z) M. Aurelii principatu poſita, non ſolum duarum Germaniarum, ſed & Belgicæ diviſionem in primam & ſecundam, colligi poſſe exiſtimavit, in eo ſane prorſus aberrat; quum, omnibus diligenter examinatis, nihil inde extorqueas, quam Belgicam Galliam in Germanias duas atque Belgicam minorem tum ſubdiviſam fuiſſe; quod ſub Auguſto jam factum dubitaverit nemo. Sub hoc autem, imo & ſub ſecundi tertiique ſeculorum Imperatoribus, nihil prorſus invenio, quod Maximam Sequanorum deſignet. Hæc omnia ſollicite quum indagaret Marca, fide aliena in errorem inductus eſt. Vetus enim, quam porro allegat, Inſcriptio, quæ in urbe Conſtantia eſt, à Jano Grutero (a) multisque aliis Scriptoribus relata, quæque ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Conſtantio atque Galerio Valerio Cæſaribus, poſita, in cujus fine *Provincia Maxima Sequanorum* memoratur, illa, inquam, neſcio à quo temeratore corrupta, non Marcam modo, ſed & plures alios eruditos, ſeduxit, ut, Diocletiani Imp. principatu Maximam Sequanorum in Lugdunenſi Gallia jam prognatam, exiſtimarent.

(s) Lib. XV. Cap. II. pag. 79.
(t) *Breviar. Hiſt. Rom.* Lib. VI.
(u) *Veſontion.* Part. I. Cap. II. pag. 9. ubi ſcribit: “Inter has (Provincias Galliæ) prima & præcipua fuit Sequanorum, propterea que Maxima ab omnibus dicta.„
(w) Sect. XXXVI. & XLIX. pag. 62. & 95. edit. Labb.
(x) *Chron. Spir.* Lib. I. Cap. IX.
(y) Onuphrius Panvinius *in Commentariis Republica Rom.* Lib. III. pag. 415. Petrus de Marca in *Differt. de Primatibus* num. 63. pag. 159.
(z) *Inſcript.* pag. 375.
(a) *Inſcriptionum* pag. 166. num. 7. ita legitur: IMP. CAES. C. AVRE. VAL. DIOCLETIANVS. PONT. MAX. SAR. MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. XI. IMP. X. COS. V. P. P. ET IMP. CAESAR. M. AVR. VAL. MAXSIMIANVS. AVG. PONT. MAX. SAR. MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. X. IMP. VIII. COS. IIII. P. P. ET. IMPP. CAESS. MVRVM. VITVDVRENSEM. A. SOLO. INSTAVRARVNT. CVR. AVRELIO. PROCVLO. V. C. PROV. MAX. SEQ.

§. XVII.

Conſtantiæ Inſcriptio vera.

Genuinum marmoris exemplum, ex Prototypo, fideliter ediderunt PETRUS APIANUS (*b*) & JOANNES STUMPFIUS. (*c*) Neſcio qui factum, ut naſutus, antiquitatis non ſatis peritus, verba, quæ temporis injuria decuſſit, ex ingenio ſuo reſtituere vel ſupplere, atque ſiglis V. C. ex ingenio ſuo adjicere ſit auſus: *Prov. Max. Seq.* uti Scriptores juniores eam paſſim prodiderunt. Inſcriptionem ex Stumpfio genuinam Lectoribus propono, ut nihil prorſus de Maxima Sequanorum in ea legi intelligant:

IMP. CAES. G. AVRE. VAL. DIOCLETIAN.
SAR. MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. XI. IMP.
IMP. CAES. M. AVR. VAL. MAXIMIAN.
MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. X. IMP. VIIII. COS.
. . NVAL. CONSTANTIVS. ET. GAL. VAL. M.
CAESS. MVRVM. VITVDVRENSEM. A. S.
CVR. AVRELIO PROCVLO. V. C. PR . . .

Sed & præter Monumentum Conſtantienſe, Concilii Arelatenſis I. anno CCCXIV. habiti, ſubſcriptiones Petrus de Marca, ſententiæ ſuæ defendendæ cauſa, allegat. Inter eas quidem Viennenſis Provincia, quæ à Narbonenſi avulſa fuit, occurrit; ſed Concilium hoc, nonniſi ſeculo IV. habitum, non evertit ſententiam, ſolidarum quatuor Galliæ partium in minores ſectionem, ſi Germanias duas excipias, ante ſeculum IV. in Monumentis non conſpici. Nec *Codex Theodoſianus* nobis contrariatur. (*d*) Antonius enim Marcellinus, qui primæ Lugdunenſis ibi dicitur Præſes, nonniſi anno CCCXIX. hanc Provinciam rexit.

Verior ergo pervincit ſententia, Geographicam Alſatiæ formam ab Auguſto Imp. ad Conſtantinum M. usque, notabilem non ſubiiſſe mutationem, ſed cum reliquis quatuor majorum Galliæ partium ſubdiviſionibus, Maximam Sequanorum exortam, quando Germania ſuperior inferiorque in primam ſecundamque mutata eſt; quando Narbonenſis, Aquitanica, Lugdunenſis, in primam, ſecundam, imo & in plures Provincias, communi omnes formula ſubdiviſæ fuerunt. Scilicet in Præfecturas majores quatuor Romanum orbem Conſtantinus diſtribuit, Orientem nempe, Illyricum, Italiam Galliamque, unde Imperia veluti quatuor exorta ſunt; ſingulis ſuus datus eſt Præfectus Prætorio. Præfecturæ Galliarum ſuberant tres Vicariatus, ſive Dioeceſes:

I. Hiſpaniarum, ubi VII. Præſidiales Provinciæ.
II. Galliarum, ubi Provinciæ XVII.
III. Britanniæ cum V. Provinciis.

Ut adeo Præfectura Galliarum in totum comprehenderit XXIX. Provincias.

§. XVIII.

Lugdunenſis Quinta.

Ceterum Maxima Sequanorum in Notitiis recentioribus, & apud Iſidorum Mercatorem, (quem per contemptum multi *Peccatorem* vocant,) *Lugdunenſis Quinta*, imo & *Sexta*; quin & ſubinde perverſe *Germania Tertia*, appellatur. *Notitia Galliarum*, quam JOSEPHUS SCALIGER protulit, Lugdunenſi quartæ continuo Lugdunenſem quintam ſubjicit, cujus Metropolis conſtituitur *Civitas Criſpolinorum*, (*e*) *hoc eſt Veſontio.* Quodſi hæc Notitia genuina eſt, ut JOSEPHUS SCALIGER, PAULUS MERULA, (*f*) MASSONUS, (*g*) URSTISIUS (*h*) aliique, exiſtimant, Maxima Sequanorum indubie Lugdunenſis Quintæ quoque nomen obtinuit. HADRIANUS VALESIUS (*i*) tamen non huic modo, ſed & cæteris, quas Chesnius protulit, Notitiis Galliæ, Sirmondiana excepta, ſuam denegat fidem; quod nimirum ſententiæ ejus, quæ Maximam Sequanorum ad Galliam Belgicam refert, non favent. Scaligerianam ergo Notitiam hanc recentiſſimam ac mendoſiſſimam judicat. Et ille tamen ipſe, opinionem ſuam ut probet, minoris longe antiquitatis auctoritatisque allegat libellum, ubi Maxima Sequanorum vocatur *Germania Tertia.* Rubrum libelli eſt: *Nomina Regionum & Civitatum Galliæ.* Hunc ex Bibliothecæ Thuaneæ

(*b*) *Inſcriptionum* Ingolſtadii An. MDXXXIV. editarum pag. 454.

(*c*) *Chronici Helvetici* Lib. V. Cap. X. pag. 396.

(*d*) Leg. I. *Cod. Theod.* Tit. III. Lib. XI. Tom. IV. pag. 52.

(*e*) Veſontio dici cœpit Chryſopolis ſive Aurea Civitas, ante hos circiter nongentos annos; unde Notitia hæc corrupte ſuam *Criſpolim* compoſuit.

(*f*) *Coſmographiæ* ſuæ Lib. III. Cap. XIX.

(*g*) *Notitia Epiſcopatuum Galliæ quæ Francia eſt*, apud CHESNIUM Tom. I. pag. 45.

(*h*) *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. I. pag. 3.

(*i*) *Notitia Galliar.* pag. 520.

Thuaneæ Codicibus edidit Andreas Chesnius: (*l*) ſed ad marginem obſervat editor, unum modo Codicem hanc præ ſe ferre lectionem; quam Chesnii obſervationem Valeſius, ſuæ ut cauſæ ſerviret, præterivit ſilentio. Enimvero Germaniam Tertiam omnes Notitiæ Civiles & Eccleſiaſticæ veteres ſilent, omnisque vetus ignorat Hiſtoria. Quodſi ergo æqua lance rem ponderes, majorem profecto fidem meretur Notitia Galliæ, quæ Maximam Sequanorum facit Lugdunenſem quintam; Notitia eoim hæc, licet non ejusdem cum Sirmondiana, majoris tamen ætatis & auctoritatis eſt, quam altera illa, quæ eandem Maximam Sequanorum vocat *Germaniam tertiam.* Illa certe, quam Sirmondianæ fide proximam dico, Josephum Scaliogrum, Paulum Merulam, (*m*) aliosque magni nominis viros, invito Valeſio, patronos invenit.

§. XIX.

Max. Seq. non fuit Belgica.

Idem Haorianus Valesius, ubi Sequanos noſtros atque Helvetios ab Auguſto Galliæ Belgicæ adſcriptos fuiſſe probare contendit, (*n*) Rufum Feſtum atque Notitiam provinciarum Galliæ, ut cauſæ ſuæ patronos, in auxilium vocavit: ex diſpoſitione provinciarum, quæ in illis occurrit, apparere exiſtimans, Maximam Sequanorum pertinuiſſe ad Belgicam. Ego vero Rufum Feſtum Valeſianæ ſententiæ, potius quam noſtræ, favere non video. Ille enim Maximam Sequanorum inter Lugduneoſes duas & Germanias duas in medio ponit; ita ut Germaniis duabus non magis præfixa, quod Valeſius ſibi perſuaſit, quam Lugdunenſibus ſubjuncta, poſſit videri. Alpes Grajæ enim, ab eodem Rufo poſt Lugdunenſes proviocias poſitæ, non minus pars Galliæ Lugdunenſis fuerunt, quam ipſa Maxima Sequanorum. Idem de Ammiano dixeris, quem tamen cauſæ ſuæ patronum idem allegat Valeſius. Ita enim ſcribit Ammianus: (*o*) "Numerantur provinciæ per omnem ambitum Galliarum: Secunda Germania, prima „ ab occidentali exordiens cardine, Agrippina & Tungris munita, civitatibus amplis „ & copioſis. Dein prima Germania, ubi præter alia municipia Mogontiacus eſt, & „ Vangiones, & Nemetæ, & Argentoratus, barbaricis cladibus nota. Poſt has Belgica „ prima Mediomatricos prætendit, & Treviros, domicilium Principum clarum. Huic „ adnexa ſecunda eſt Belgica, qua Ambiani ſunt, urbs inter alias eminens, & Catalauni „ & Remi. Apud Sequanos Biſontios videmus & Rauracos, aliis potiores oppidis „ multis. Lugdunenſem primam Lugdunus ornat & Cabillonus, & Senones, & „ Biturigæ, & mœnium Auguſtuduni magnitudo vetuſta. „ Sequanos, ioter Belgicam & Lugdunenſem ab Ammiano poſitos, an non ad hanc æque ac ad illam poſſes referre; in medio harum provinciarum quum eos ab Hiſtorico poſitos reperias? Id certum eſt, Rufum & Ammianum ordinem recenſionis ſuæ ita inſtituere, ut Rufus à Mari Mediterraneo, Ammianus ab Oceano, ſive oppoſita parte, recenſionem incipiant. Non negaverim tamen Ammianum, in hoc provintiarum Gallicarum recenſu, negligentius eſſe verſatum. Fatebitur hoc, quicunque cum Rufo & Notitia Sirmondiana vel obiter Ammianum contulerit. Nec *Notitia* denique *Provinciarum Galliæ*, à Sirmondo edita, Maximam Sequanorum adſcribit Belgicæ. In ea quidem Belgicis duabus Germaniisque duabus Maximam Sequanorum ſubjungi videmus; at qua ratione cum Valeſio inſeras, Maximam Sequanorum Galliæ Belgicæ quintam fuiſſe provinciam? Ratiocinium hoc evertit *Notitia Imperii*, quæ Germaniis duabus, Belgicisque duabus, ſubjungit Alpes Maritimas, Alpes Penninas & Grajas, quibus demum Maxima Sequanorum ſubjungitur. Ex Notitia Imperii autem Notitiam Galliarum illuſtrare corrigereque dubitaverit nemo; poſterior hæc minoris auctoritatis fideique quum agnoſcatur ab omnibus. Quæ hactenus diſputata ſunt, abunde demonſtrant, Sequanicos populos, ſuperioremque adeo Alſatiam omnem, nec Julii Cæſaris, nec Auguſti ævo, quo generalis Galliarum diviſio ſubſtitit, nec ſequentibus ſeculis, poſtquam Maxima Sequanorum ſurrexit, Belgicæ Galliæ unquam adſcriptos, ſed Celticæ vel Lugdunenſis Galliæ partem ſemper conſtituiſſe. Inferior autem Alſatia omni tempore Belgica fuit, & nova Belgicæ ſubdiviſione exorta, Germaniæ *ſuperioris*, quæ *prima* dein appellata eſt, membrum conſtituit. De Maxima Sequanorum hæc ſatis. Nunc ad Mediomatricos, ſive ad Alſatiam Inferiorem transeundum.

 CAPUT

(*l*) *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. I. pag. 8.
(*m*) *Coſmographia* Part. II. Lib. III. Cap. XIX. pag. 356.
(*n*) *Notitia Galliar.* pag. 521.
(*o*) Lib. XV. Cap. XI. pag. 79.

CAPUT II.

DE MEDIOMATRICIS ET TRIBOCIS.

§. XX.

Triboci.

ALſatia Mediomatricenſis ſive inferior, ſub ipſo Periodi Romanæ exordio, duplicem mutationem ſubiit: quarum utraque ſtatum ejus Geographicum non mediocriter immutavit. Prima contigit, cum Triboci, Germanicus populus, ſub Periodi Romanæ initio, inter Mediomatricos noſtros anteriores in perpetuum ſedes fixiſſent. Altera, cum Germania Cis-Rhenana ab Auguſto inſtitueretur: quam in ſuperiorem inferioremque cum ſubdiviſiſſet Germaniam, Alſatia inferior Germaniæ ſuperiori ab eodem fuit adſcripta. De Tribocis itaque primo loco, inde de duplici Germania Cis-Rhenana agendum.

Orthographia nominis.

Tribocorum nomen à Græcis & Latinis Scriptoribus varie exprimitur. Cæsari *Triboci*, *Triboces* & *Tribocci*; Tacito *Treboci* & *Triboci*; Plinio (*p*) *Tribochi*; Straboni Τριβόκχοι; Ptolemæo Τριβόκκοι, appellantur. Ammiani Marcellini *Tribotocos*, rectius *Tribunos*, male huc trahit Beatus Rhenanus, (*q*) quod oppidi vel caſtelli Romani, non gentis, fuiſſe nomen videtur. Genuinam hujus nominis ſcripturam nos docet Columna lapidea, in veteris Brocomagi ruinis An. MDCCXXXVI. reperta, quam in Antiquario meo aſſervo, ubi *Civitas Tribocorum* ſcribitur, atque adeo Taciti orthographia firmatur.

§. XXI.

Etymologiæ variæ.

Etymologiam vocis *Triboci* præterirem ſilentio, niſi graves Hiſtoricos illi examinandæ laborem impendiſſe cernerem. Vix locum meretur opinio, quæ à Trebeta, Nini & Semiramidis fictitio filio, & Treverici Imperii ficto auctore, nomen hoc derivat; quod facit Daniel Specklinus. (*r*) Nec illi quoque inſiſtendum, quæ Anonymi cujusdam fuit apud Obrechtum; (*s*) qui Tribocos ex tribus Teutonicis vocibus *die Rhin wohner*, in unam contractis, nempe *Dry-wohner*, ortam eſſe conjecit. Quot aliis populis, Rhenum cis & ultra accolentibus, nomen hoc tribuendum fuiſſet? Nec Colerus (*t*) denique audiendus, à *tribus pagis*, quos inhabitarint, *Tribachos* appellatos fuiſſe, opinatus, unde paulatim natum ſit *Tribochi*, *Triboci*.

Veriſimiliorem etymologiam primus protulit Conradus Celtes Protucius, (*u*) à *tribus quercubus*, quæ antiqua Religione Nymphis conſecratæ fuerint, nomen illis datum fuiſſe arbitratus; quam ſententiam Alſatici Scriptores, Schadæus, (*x*) Coccius, (*y*) Bebelius, (*z*) Obrechtus, Schilterus; imo & exteri, Willichius, (*a*) Cluverius, (*b*) Spenerus, (*c*) Martinierius aliique magno numero, ſecuti ſunt, Germanicam gentem *Tribocos* à Germanicis vocabulis *Drey buchen*, (tribus fagis) nomen ſumſiſſe, unanimi judicantes conſenſu. Obrechtus (*d*) ita: "Tribocos à tribus fagis, „ (*von dreyen Buchen*) nomen tuliſſe, conſenſu quodam Scriptorum proditur: nec diſplicere „ ſibi hanc ſententiam teſtatur Cluverius, acerrimus Germanicarum antiquitatum „ inveſtigator. Habuit quos ſequeretur multos: qui & vicum Alſatiæ *zu den dreyen* „ *Buchen* in argumentum trahunt. „ Schilterus vero (*e*) oppidulum hujus nominis in Alſatia à tribus illis fagis, ubi conventus publici habiti ſint, & unde Tribocis nomen exurtum, ad hunc usque diem nomen quoque ſuum retinuiſſe exiſtimat. At mihi locum

(*p*) Lib. IV. Cap. XVII.
(*q*) *Rer. Germ.* Lib. I. pagg. 18. 38. 222. & 288. Rhenanus, corrupto Ptolemæi Codice uſus, *Tribonos* apud eum ſcribi credidit.
(*r*) In *Collectaneis* MſT. pag. 3.
(*s*) *Prodrom. Rer. Alſaticar.* Cap. I.
(*t*) *Not. ad Taciti German.* Cap. XXVIII.
(*u*) Celtes *de Hercynia ſilva* pag. 743. Vid. Conr. Peutingerus in *Sermonibus Convival.* pag. 33. Irenicus in *Exegeſi Germaniæ* Lib. XI.
(*x*) *Deſcript. ſummi Argentorat. Templi* Cap. I.
(*y*) Coccius in *Dagoberto* Cap. IV. pag. 31. & in *Panegyrico Leopoldi* pag. 146.
(*z*) *Antiquitates Eccleſiaſt. Germaniæ primæ* pag. 15.
(*a*) *Commentar. ad Taciti German.* pag. 567.
(*b*) *Germaniæ Antiq.* Lib. II. Cap. XI.
(*c*) *Notitia Germaniæ Antiq.* Lib. VI. Cap. V. Spenerus conjecturam hanc Cluverium auctorem habere putat, quam Celtes ſec. XV. jam dedit.
(*d*) *Prodrom. Rer. Alſat.* Cap. I. pag. 2.
(*e*) *Obſervat.* XIX. *ad Kœnigshov.* pag. 1064. ſcribit: *Und laſſt man immittelſt bey der gemeinern Meynung, daſs ſie* Tribocchi, *oder Dribucher, von dem noch übrigen Stadtlein zun dreyen Buchen genannt worden, daſelbſt der vornehmſte Sitz und Zuſammenkunfft des Volcks wird geweſen ſeyn*

locum in Alſatia inferiore, ubi Triboci habitaverant, quærenti nullus appellationis hujus nec vicus, nec oppidulum, nec alius ullibi oræ noſtræ locus, repertus eſt, quem huc poſſem referre. Imo ſi vel aliquem hujus nominis locum inferior Alſatia haberet, nonniſi forte fortuna id prognatum fuiſſet, quando non Alſatici indigenæ fuerunt Triboci, ſed natales eorum in Germania quærendi, ex qua cum in Alſatiam migraſſent, nomen *Triboci* jam ſecum attulerant. Sed ſi à religione nomen derivandum, nullam à cæteris Germanis peculiarem religionem quum habuerint, ſed omnes Germani templorum loco lucos ſuos coluerint, non video, cur Triboci nomine iſto præ aliis Germaniæ populis inſigniri debuerint. In Germania ergo ſolum natale Tribocorum quærendum eſt; quærendus etiam ibidem *Trium Fagorum* locus & nomen; ſi nimirum vocis Tribocorum etymologiam hanc demonſtraveris veram. (*f*)

§. XXII.

Etymologiæ receptæ confutatio.

Philippo Cluverio, extero Scriptori, atque conjecturis ſuis nimium ſæpe indulgenti, hanc conjecturam tanto magis indulgemus, quod eam ex aliis, & noſtratibus fortaſſe didicit. " Nec enim eorum perinde diſplicet ſententia, (inquit) qui dictam ſic nationem arbitrantur à loco, qui nunc Elſatiæ vicus dicitur *zun dreyen* „ *Buchen.* „ (*g*) Jacobus Carolus Spenerus (*h*) eundem in ſenſum ſcripſit: " Conjectura eſt, à tribus fagis, quas fortaſſis numinis inſtar Tribocci coluerunt, „ adnomen acceptum eſſe, & vicus in vetuſtis Triboccorum ſedibus ſuperat *zun dreyen* „ *Buchen*, id eſt, *ad tres fagos* appellatus; veteris fortaſſis ſuperſtitionis indicia, nomi- „ niſque exhibens originem. „ Obrechto autem, Schiltero aliiſque, in ipſa Alſatiæ luce ſcribentibus, id excidere potuiſſe, ut alter vicum, alter oppidum, hujus nominis in Alſatia inferiore poneret, quorum nulla omnino mentio in ullis Alſatiæ Topographicis tabulis, Commentariis hiſtoricis, hominumque memoria, occurrit, id profecto Lectoribus vix credibile videbitur.

Fagorum cultus religioſus nec apud Germanos, nec apud Gallos, fuit in uſu, ſed quercuum. Germanis luci pro templis fuerunt; ſed nihil de fagis, imo ne de quercubus quidem, Tacitus; unde nulli quoque Germanis Druidæ. Sed & ternarius fagorum numerus male heic adducitur; non enim ſub tribus modo fagis, ſed in fagetis Germani, ut in quercetis Galli, ſua ſacra peregerunt. Abſit ergo Etymologia petita à fagis.

§. XXIII.

Tribocor. ſedes in Germania.

Tribocos indigenam Germaniæ gentem fuiſſe, in tanto Hiſtoricorum veterum conſenſu, dubitare non licet. (*i*) Quam vero Germaniæ plagam definite occupaverint, difficilior quæſtio. Lucis aliquid nobis afferunt ea, quæ de Arioviſto ſcribit Cæſar Dictator. Inter Germaniæ populos, quos Arioviſtus, contra Romanos pugnaturus è caſtris eduxit, (*l*) præter Tribocos noſtros, Vangiones, Nemetes, Seduſios, Suevos, Harudes, fuerunt quoque Marcomanni, qui in Suevia hodierna habitarunt. Non equidem dixerim, omnes hos, qui ſe Arioviſto junxerant, eidem fuiſſe ſubjectos; quando ab initio nonniſi cum XV. millibus in Galliam tranſivit. Marcomannos tamen Arioviſtini regni fuiſſe participes, hæc nobis perſuadent, quod gens, indubie ad Rheni limitem habitans, (*m*) unde Marcomannorum nomen acceperat, regibus ſubinde paruerit; ut Maroboduus, cum illis in Bojohemum ſub Auguſto profectus, nos docet. Nec credibile eſt, Sequanos in auxilium vocaturos fuiſſe Regem longinquum, quum Marcomannos ſibi vicinos haberent. Marcomanni hi, ut & Harudes atque Seduſii, partem illam, quæ inter Rhenum, Danubium, & Nicri confluentem, ut veriſimile eſt, occuparunt, antequam à Maroboduo in vacuas Bojorum ſedes traducerentur. Num vero Triboci quoque noſtri in Arioviſtino Germaniæ regno habitarint, an militiæ ejus tantum fuerint participes, vel mercenarii, quum ductu ejus tranſirent in Galliam, id nec Cæſar, nec Strabo, nec Plinius, nec Tacitus, definivere. Strabo (*n*) Tribocos Germanicam gentem fuiſſe, ex patria ſua in Mediomatricos cis Rhenum translatam, annotat, Germaniam generatim deſignaſſe contentus; nec apud cæteros Hiſtoricos plura

(*f*) Confer ea quæ pag. 87. §. CIII. dicta ſunt.

(*g*) Cluver. *Germania Antiq.* Lib. II. Cap. XI. pag. 38.

(*h*) *Notitia Germaniæ Antiquæ* Lib. VI. Cap. V. pag. 292.

(*i*) Ita *Plinius* Lib. IV. Cap. XVII. Tacitus in *German.* Cap. XXVIII. Tribocos haud dubie Germanorum populum eſſe aſſerit. Strabo Lib. IV. Γερμανικὸν ἔθνος appellat. Cæsar inter Germaniæ gentes, Arioviſti ſocias, ponit eoſdem.

(*l*) Cæsar *de Bello Gall.* Lib. I. Cap. LI.

(*m*) Vid. ſupra pag. 102. ſq. §. XXVIII.

(*n*) *Geograph.* Lib. IV. pag. 295. Edit. Almelov. Μετὰ δὲ τοὺς Ἐλουηττίους, Σηκουανοὶ καὶ Μεδιοματρικοὶ κατοικοῦσι τὸν Ῥῆνον. Ἐν οἷς ἵδρυται Γερμανικὸν ἔθνος περαιωθὲν ἐκ τῆς οἰκείας Τρίβοκχοι. i. e. " Poſt Helvetios ad „ Rhenum ſunt Sequani & Mediomatrici, in quibus „ Triboci, gens Germanica, eo ex patria ſua „ tranſlati.

plura reperimus. Quum autem Plinius (o) Germanos omnes in genera quinque, Vindelos, Ingævones, Iſtævones, Hermiones atque Peucinos, diſtribuat, Iſtævonesque appellet populos Rheno vicinos; Triboci noſtri, antequam Rhenum transiverant, in perantiqua hac, ut videtur, & generali diviſione, à ſitu deſumta, in Iſtævonum claſſe, ut etiam Nemetes Vangionesque, reputati fuerunt.

§. XXIV.

Tempus transitus Tribocor.

Primum Tribocorum transitum, quo in Sequanos, adeoque in Alſatiam ſuperiorem, cum Arioviſto penetrarunt, effectu caruiſſe vidimus, quando à Julio Cæſare trans Rhenum rejecti ſunt omnes. Sed de transitus ſecundi tempore quæritur, quo ſtabiles in perpetuum ſedes cis Rhenum, in Alſatia Mediomatricenſi ſive inferiore, obtinuerunt Triboci. Inter belli civilis Cæſareani turbas eos Rhenum transiviſſe, ex illis, quæ Cæſar Dictator ipſe memoriæ prodidit, non ſine cauſa conjicio. Cæſaris vero auctoritatem, præ reliquis omnibus, hac in re locum habere, nemo dubitaverit. Neque errat ille profecto, ubi Sequanos & Mediomatricos ad Rhenum usque extendit; nec ſibi contrariatur, quum Tribocos ad Rhenum quoque collocat. Contrarietas diſparet omnis, ſi tempora diſtinguas. Ante Arioviſtum nullum Tribocorum veſtigium cis Rhenum occurrit. Cum Arioviſto primum eos adveniſſe legimus, ſed quatuordecim poſt annis, cum Nemetibus, Vangionibus & reliquis Germanis omnibus, à Cæſare ejecti ſunt Gallia. Idem Cæſar, Commentarios *de Bello Gallico* decennio poſt ſcribens, in Alſatico litore ponit Tribocos; indicatque adeo, poſt Gallici demum belli finem, duranteque civili, quum in turbis illis novus Imperii Romani ad Rhenum limes non ſatis defenderetur, & in ipſa Gallia, nuper domita, exorti eſſent tumultus, in Galliam rediiſſe Tribocos, atque cis Rhenum, inter Mediomatricos, ſedem ſtabilem poſuiſſe. Illis enim belli civilis, Cæſarem inter atque Pompejum, temporibus, nudatum eſt hoc imperii latus ad Rhenum, portaque Germanis, ad transitum paratis, aperta; ubi legiones & præſidia, in finibus Provinciarum poſitæ, ad inteſtinos tumultus revocabantur. Ipſe Cæſar ex Gallia legiones ſibi fidas, atque inter eas præſidium quoque ex caſtris in Vogeſo monte, abduxit; ut Lucanus (p) nos docet.

§. XXV.

Contraria ſententia refutata.

In contrarias tamen partes heic diſcedere video Philippum Cluverium (q) atque Hadrianum Valesium. (r) Cluverius Tribocos, ante Arioviſti in Galliam adventum, in Gallico litore jam reſediſſe; Valeſius vero ab ipſis belli Arioviſtini temporibus, in Galliæ Belgicæ parte, Rheno proxima, eos permanſiſſe, ſtatuunt, illisque Nemetes & Vangiones ſocios jungunt. Verum enimvero Geographi juniores, qui in ſecundo hoc Rheni transitu Tribocis comites addunt Nemetes atque Vangiones, hosque cum Tribocis, Cæſare adhuc vivente, cis Rhenum jam ſediſſe exiſtimant, veritatem rei non ſatis perpendiſſe videntur. Nec Nemetum enim, nec Vangionum, ut in Cis-Rhenanis partibus habitantium, ante Veſpaſianorum ætatem, ullum, quod ſcimus, veſtigium apud Scriptores occurrit. Tribocorum autem, tanquam populi cis Rhenum habitantis, mentionem diſerte facit Cæſar, ut vidimus, ubi Rhenenſis oræ accolas, ad Gallicum latus, enarrans, per Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, *Tribocorum*, Trevirorumque, fines Rhenum ferri commemorat; (s) Cæſar, inquam, qui Arioviſtum & Germanos omnes, expeditionis illius ſocios, Harudes, Marcomannos, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Seduſios, Suevos, ex Gallia nuper ipſe ejecerat. (t) Hic autem Tribocos ad Rhenum poſitos, qui in Commentariis ſuis enarrat, cur Nemetes Vangionesque tacuiſſet, ſi Tribocis in ora Rhenenſi Gallica jam tum fuiſſent adjuncti? Cur Strabo, diligens & accuratiſſimus Scriptor, utramque hanc gentem, Nemetes nempe Vangionesque, transiviſſet ſilentio, ſi ſua, id eſt, Tiberii Imp. ætate jam habitaſſent ad Rhenum

(o) *Hiſt. Nat.* Lib. IV. Cap. XIV.

(p) *Pharſalia* Lib. I. v. 397.
"Caſtraque, quæ Vogeſi curvam ſuper ardua
" rupem &c.

(q) *German. Antiq.* Lib. II. Cap. X. Cluverium ſequitur Jac. Carolus Spenerus in *Notitia Germ. Antiq.* Lib. VI. Cap. V. num. 3. pag. 294.

(r) *Notitia Galliar.* pag. 230. & 386.

(s) Lib. IV. Cap. X. *de Bello Gall.* Verba Cæſaris hæc ſunt: "Rhenus oritur ex Lepontiis, qui Alpes " incolunt, & longo ſpatio per fines Nantuantium, " Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, " Tribocorum, Trevirorum, citatus fertur. " Philippus Cluverius *Germ. Antiq.* Lib. II. Cap. X. corrupti Codicis errore ſeductus, pro *Nantuatium* legit *Nemetum*, refragantibus melioris notæ Codicibus; atque hinc ordinem, à Cæſare in recenſendis obſervatum, male excuſat. Alium inſuper errorem error hic peperit; ex ipſo enim hoc loco probare conatur Cluverius, Nemetes Vangionesque jam ante Arioviſtum, eodem ſcilicet, quo Triboci, tempore, ſuas cis Rhenum fixiſſe ſedes. De Nemetibus & Vangionibus deinceps dicemus, probaturique ſumus, eos nonnisi medio ſec. I. cis Rhenum habitare cœpiſſe.

(t) Cæsar *de Bello Gall.* Lib. I. Cap. LI.

Rhenum? Tam illuſtrium Hiſtoricorum, Cæſaris nempe atque Strabonis, auctoritas facit, ut ipſa Scriptorum horum ætate Tribocos ſolos adhuc in Gallia habitaſſe, Nemetes autem atque Vangiones poſtea demum ſuperveniſſe, exiſtimem; quod uterque Scriptor oræ Rhenenſis, Belgicæque Galliæ, accolas incolasque, & inter eos Tribocos nominatim, recenſens, Nemetes tamen & Vangiones ſilentio premit. Regeris: at TACITUS (u) PLINIUSque (x) commemorant eos. Recte omnino, quod illorum temporibus Nemetes atque Vangiones jam cis Rhenum habitaverant. Quum autem Tacitus Pliniusque ſub Veſpaſianis Imperatoribus vixerint, Lector ipſe dijudicet, num populorum horum, in Galliam transeuntium, epocham inter Tiberii & Veſpaſianorum tempora recte poſuerim. Ita gravium Hiſtoricorum ſtat ſalva auctoritas & ſua ſingulis fides; ſinguli litoris Rhenani & Galliæ Belgicæ ſtatum, ratione temporis ſui habita, perſcripſerunt, atque adeo inter ſe minime pugnant.

§. XXVI.

Cauſa transitus Tribocor.

Cauſam migrationis hujus, à Tribocis ſolis ſuſceptæ, ſi quærere lubeat, ea inveſtigatu non plane difficilis eſt. Illud ignoratur omnino, bona cum Mediomatricorum gratia, an illis invitis, armorumque adeo impetu, ſedes has ſuas inter Mediomatricos occuparint Triboci. Quicquid hujus rei ſit, fertilitas agri validiſſimum illectamentum eſſe potuit, ut litus hoc ſuo, id eſt, Germanico præferrent. Cerialis apud TACITUM (y) dixit: " Eadem ſemper cauſa Germanis tranſcendendi in Gallias, libido „ atque avaritia, & mutandæ ſedis amor: ut relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, „ fœcundiſſimum hoc ſolum vosque ipſos poſſiderent. Ceterum libertas & ſpecioſa „ nomina prætexuntur, nec quisquam alienum ſervitium & dominationem ſibi concu- „ pivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet. „ Hæc ipſa Tribocos quoque noſtros ratio in Gallicam Rheni ripam, uti credo, adduxit. Sequani Galliæ Narbonenſi viciniores, & Mediomatrici noſtri, Sequanis proximi, incultam barbariem prius quam Germani exuerant. Alſatici hæc ſoli cultura & bonitas jam Arioviſtum, Germanorum Ducem, invitaverat, ut fertilem Sequanicum agrum Germanis, comitibus ſuis, quorum in numero Triboci, deſtinaret. Tribocos vero cum Harudibus, Marcomannis, Nemetibus, Vangionibus ipſoque Arioviſto, victos Cæſar licet trans Rhenum repulerit, paulo poſt tamen ſoli noſtri Triboci, non quidem in Sequanicam vel ſuperiorem Alſatiam, quam illis cæterisque eorum ſociis Germanis Arioviſtus deſtinaverat, ſed in Mediomatricenſem, vel inferiorem, redierunt. Nec dubito, quin eos ad migrationem hanc, in ſiniſtrum Rheni litus ſuſcipiendam, ipſa Arioviſtina expeditio invitaverit, quod regionis fertilitatem tum propius conſpexerant. Rationibus his alia accedere potuit. Suevorum natio, potens & valida, ex ſedibus ſuis, Baltico mari, quod inde Suevicum appellabatur, vicinis, Rhenum verſus à Julii Cæſaris temporibus movere ſe cœperat; ita quidem, ut Uſipetes, Tenchtheri, Ubii, Germaniæ populi, ab illis protruſi, in Galliam transierint, quæ res Cæſari exercitum in Germaniam ducendi dedit occaſionem. (z) Hæc ipſa forte cauſa etiam, præter alias, Tribocos, ut transirent, permovit. Solis ergo Tribocis Alſatia Mediomatricenſis primo ceſſit in prædam, qui Sequanorum ad Rhenum jam ſunt facti vicini. Tribocorum autem exemplum quum paulo poſt ſequerentur populares eorum Nemetes atque Vangiones, Germanorum cis Rhenum potentia ita prævaluit, ut Mediomatricorum dominatio & nomen, in his oris ad Rhenum, paulatim obſoleſcerent; atque adeo, in ſecundi & ſequentium ſeculorum Scriptoribus, de Mediomatricis ad Rhenum nulla amplius mentio occurreret.

§. XXVII.

Tribocor. limites.

Limites Tribocorum quod attinet, occidentalem ad Moſellam usque extenſum fuiſſe conjectat RHENANUS. (a) Videtur tamen fuiſſe Vogeſus, quem montem Triboci cum Mediomatricis diviſerunt, ita ut latus ejus orientale ceſſerit Tribocis, occidentale vero in Mediomatricorum poteſtate remanſerit. Idiomatis Teutonici uſus nonniſi in orientali, ſive Alſatico, Vogeſi latere hodieque obtinet, quum in occidentali, quod Mediomatricos veteres aſpexit, Romana, vel Romano-Gallica, uſitetur à vulgo. PHILIPPUS CLUVERIUS, (b) iisdem Tribocis à meridie limitem aſſignaturus, lineam parallelam ex oriente in occidentem ducit, quæ in principium gradus latitudinis XLVIII. incidit, à Burchemio & Rheno ad Murtæ amnis in Lotharingia fontem. A ſeptentrione denique flumen Motram, quæ Hagenoam perluit, & apud Druſenhemium Rheno

S jungitur,

(u) *Germania* Cap. XXVIII.
(x) *Hiſtor. Natur.* Lib. IV. Cap. XVII.
(y) *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LXXIII.
(z) CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. IV. Cap. IV.
(a) *Rer. Germanicar.* Lib. III. pag. 326.
(b) *Germ. Antiq.* Lib. II. Cap. X. pag. 38.

jungitur, Tribocos à Nemetibus ſeparaſſe arbitratur. In utroque hoc limite deſignando hallucinatur Cluverius, meridionalem nimium extendens, borealem coarctans. Equidem divinare haud poſſum, quo nixus fundamento flumen Motram Tribocis limitem borealem aſſignarit Cluverius; BALTHASAREM BEBELIUM, (*c*) JAC. CAROLUM SPENERUM (*d*) alioſque, in errorem inducens. Ceterum illuſtrando boreali Tribocorum limiti lucem aliquam poteſt afferre limes auſtralis Nemetum. Quodſi Spirigovia ad Landaviam urbem, id eſt, ad amnem Queicham, vetera ut Documenta probant, terminata fuit: quod CHRISTOPHORUS LEHMANNUS in *Chronico Spirenſi* (*e*) docuit; quidni Tribocos, Nemetibus conterminos, ad Queicham uſque ſe extendiſſe ſtatuamus? Ita præcipua Tribocorum oppida vel caſtra fuerunt Brocomagus, Helellum vel Elcebus, Tabernæ, Concordia. His, neſcio qua oſcitantia, Briſiacum montem adjecit Balthaſar Bebelius, qui nonniſi Sequanis accenſeri potuerat. Si tamen Nemetes ad Luteram vel Selzam uſque promovere velis, non equidem repugno.

§. XXVIII.

Summa rerum Tribocor.

Summa ergo rerum, quas de gentis hujus antiquitatibus novimus, huc redit: Triboci fuerunt origine Germani, ante Cæſaris Dictatoris tempora haud procul à Rheno ſuperiore in Germania magna habitantes, Marcomannis vicini. Cum Arioviſto rege ex Germania tranſierunt Rhenum in Sequanis, ſive Alſatia ſuperiore, ut his atque Arvernis contra Æduos auxilio eſſent, circa annum Urb. Cond. DCLXXXII. at, quatuordecim poſt annis à Cæſare victore cum Arioviſto cæſi, pauciſſimo numero redierunt ad ſuos. Belli civilis autem, Cæſarem inter & Pompejum, temporibus Tribocorum natio priſtinas ſuas in Germania ſedes reliquit, atque in ſiniſtra Rheni ripa inter Mediomatricos novas occupavit, illo nimirum in tractu, qui inter Vogeſum, Rhenum, Foſſam Provincialem atque Nemetes, extenditur, maximamque inferioris Alſatiæ partem componit.

§. XXIX.

Monumenta de Tribocis.

Neque tamen Hiſtorici modo veteres Græci atque Latini Tribocos noſtros loquuntur, ſed loquuntur & Marmora. Hæc inter duo ſunt, quæ populum ipſum ſive totam gentis civitatem memorant; duo, quæ binos cives, ex Civitate Tribocorum ortos, ſed alibi mortuos. Univerſa *Tribocorum Civitas* in Lapide milliari, Valeriani Imp. temporibus poſito, quem ipſe in veteri Brocomago detexi, & in Antiquarium meum repoſui, occurrit. De quo Lapide inſigni inter Monumenta Romana agetur ſpeciatim. In alio, quem Stutgardia tenet, *Triboci* & *Boi* memorantur conjunctim. (*f*) Repertus eſt hic Lapis Marbaci Suevorum, in quo Tractu prima Tribocorum ſedes, ante quam Rhenum tranſiverant, quærenda videtur.

Inter ſingulos autem Tribocorum cives, reperio duos, quorum alter Lugduni, alter Romæ, deceſſit. Lugduni Seguſianorum extat Lapis antiquus, memoriæ MATTONI RESTITUTI CIVIS TRIBOCI NEGOTIATORIS ARTIS MACELLARIÆ dicatus. (*g*) Mattonus hic civis fuit Tribocus, ſed artis ſuæ negotium Lugduni exercuit, ubi mortuus eſt, atque ſepulcrale hoc monumentum à Ruttonia Martiola conjuge, à filiis ſuis Mattonio Germano atque Mattonio Reſpectino, accepit. Sponius Mattoni patriam, non apud noſtros Tribocos, ſed in Trevoltio, (*Trevoux*) Breſſiæ provinciæ ad Ararim fluvium oppido, tribus leucis ſupra Lugdunum, quærendam putavit. Sed nullo documento Sponius potuit probare, oppidi hujus incolas antiquitus appellatos fuiſſe Tribocos; unde in ſententiam ejus tranſire non poſſumus. Oppidum hoc ſane inter veteris Galliæ loca locum non habet. Quidni Mattonus civis eſſe potuerit Tribocus, & negotiari Lugduni, quum Poppilius, natione Sequanus, civis quoque fuerit Lugduni: C. Liberius Decimanus, civis Viennenſis, Nauta Araricus, in eadem urbe Lugduno commoratus ſit? quod Inſcriptiones apud PARADINUM (*h*) atque GRUTERUM teſtantur. (*i*) Romæ denique, in Urſinianis Campi Martii ædibus, conſpicitur monumentum, T. NIGRIO SIMILI TRIBOCO EX GERMANIA SUPERIORE dicatum; (*l*) quod Nigrium hunc ad Tribocos noſtros

(*c*) *Antiquit. Germaniæ Primæ Argentoratenſis Eccleſiæ* Art. I. §. X. pag. 14.

(*d*) *Notitia German. Antiq.* Lib. VI. Cap. V. pag. 296.

(*e*) Lib. VII. Cap. XXIV. ubi retractat ea, quæ Lib. IV. Cap. IX. in contrarium dixerat.

(*f*) ULR. PREGIZERUS in *Suevia & Wirtembergia ſacra* pag. 225. ſq. GRUTERI *Inſcript.* Tom. II. pag. 1010. a

(*g*) SPON *Recherches des Antiquités de la Ville de Lyon* Cap. III. pag. 62. PARADIN *Hiſtoire de Lyon* pag. 437. GRUTERI *Inſcription.* Tom. I. pag. 647.

(*h*) *Hiſtoire de Lyon* pag. 444.

(*i*) Vid. CHIFLETII *Veſontio* Part. I. Cap. XXIX. pag. 109.

(*l*) GRUTERUS *Inſcript.* Tom. II. pag. 850.

noſtros pertinere docet, cum alii in Germania ſuperiore Triboci, quam noſtri Alſatici, non fuerint. Hæc rerum converſio in Mediomatricenſi, ſive inferiore Alſatia, contigit, quæ novos jam incolas Tribocos recepit.

CAPUT III.

DE GERMANIA CIS-RHENANA, SPECIATIM SUPERIORE.

§. XXX.

Origo nominum.

Ante ævum Auguſtæum nonniſi una Germania fuit, quæ inter Belgicam nempe Galliam, Rhætiam, Noricum, Pannoniam, ſive Rhenum atque Danubium, ex una, & inter Sarmatiam, aut Viſtulam Oceanumque, ex altera parte, ſita fuerat. At in nova ſua Galliæ ordinatione Auguſtus orientalem Belgicæ partem, Rheno contiguam, novo nomine addito, appellavit Germaniam, eamque in ſuperiorem & inferiorem diviſit. Geographicæ hujus appellationis originem ad Auguſti tempora referri debere, Dio Caſſius, Tacitus, Suetonius, nos dubitare non ſinunt. MESSALAM CORVINUM non allego, quod Liber ejus Criticis non ſine ratione ſuſpectus eſt. Auguſtum autem ita alloquitur: "Ad Danubium Rhenumque, tuis auſpiciis, victorioſiſſime Principum, „ perventum, & utriusque fluminis utramque ripam tuæ induſtriæ ſubjugavere vires. „ Duæ Germaniæ, inferior & ſuperior, tibi uni ceſſere. „ Hæc Pſeudo Meſſala. DIO CASSIUS, (*m*) licet Germaniæ hujus novæ auctorem diſerte non profiteatur Auguſtum, ſatis manifeſte tamen eum indicat; quando occaſione partitionis Provinciarum, inter Auguſtum Senatumque factæ, mentionem quoque ſuperioris inferiorisque Germaniæ facit, & ſuis utramque Provinciis Auguſtum adjeciſſe, commemorat. Dionem autem hoc loco, non pro ſua ſeculi III. quo vixit, ætate, ſed de ævo Auguſti loqui, totius narrationis circumſtantiæ declarant. TACITUS (*n*) in Tiberii Hiſtoria utriusque Provinciæ, ut antea conſtitutæ, pluribus in locis facit mentionem. In Auguſti morte de exercitibus, Germanias duas inſidentibus, ita ſcribit: "Duo apud ripam Rheni „ exercitus erant: cui nomen ſuperiori, ſub C. Silio Legato; inferiorem A. Cæcina „ curabat. Regimen ſummæ rei penes Germanicum. „ Nec cujuspiam fere in Tacito Provinciæ, quam utriusque hujus Germaniæ, frequentior mentio. In *Hiſtoriarum* Libro primo *Superior* Germania & *Inferior* Germania, atque in plurali numero *Germaniæ*, memorantur. Eodem in Libro nunc *Germanos*, nunc *Germanicos* exercitus, appellat: quos SUETONIUS in *Tiberio* exercitus *Germanicianos* in Germania vocat. Ex quo cognoſcitur, Germaniæ ſuperioris inferiorisque appellationem Auguſti temporibus ortam.

§. XXXI.

Tempus appellationis.

Quo autem Imperii Auguſtæi tempore id factum ſit, ſi conjicere liceat, ad annum urbis cond. DCCXXVI. ante Æram vulg. XXVII. rem opportune referimus. (*o*) Hoc ipſo enim anno, quum paulo ante, ſententia Munatii Planci, nomen *Auguſti* tributum eſſet Cæſari, in Galliam ipſe venit Auguſtus; res ibi civiles ordinavit, (*p*) Aquitaniam Imperio Romano adjecit, (*q*) conventus egit Narbone, cenſumque à tribus Galliis egit. (*r*) Decennio ante, Agrippa, Avus Agrippinæ, Ubiorum gentem, imo & Sicambros, ex Germania in Gallias transduxerat. (*s*) Triboci autem noſtri, vivo adhuc Cæſare Dictatore, uti vidimus, inferiorem jam Alſatiæ oram occupaverant; atque adeo omnis ora Rheni ſiniſtra Germanicis gentibus fuit repleta, quam hinc commode & vere potuit appellare Cis-Rhenanam Germaniam. Inſequenti tempore, anno nempe Urb. Cond. DCCXLV. ante Æram vulg. VIII. nova Germanorum in Galliam translatio facta eſt, quando Auguſtus Suevos & Sicambros transduxit. (*t*) Tiberius item, Auguſti privignus, Germanis exercitibus, mortuo nuper (*u*)

fratre

(*m*) Lib. LVIII. pag. 503. & 512.
(*n*) *Annal.* Lib. III. Cap. XLI. Lib. IV. Cap. LXXIII.
(*o*) Vid. *Index Chronologicus Rerum Gallicar. & Francicarum Scriptoribus præfixus* Tom. I. pag. 125.
(*p*) DIO CASSIUS Lib. LIII. pag. 512.
(*q*) AURELIUS VICTOR *Epit.* Cap. I. EUTROPIUS *Hiſt. Rom.* Lib. VII.
(*r*) *Epitome Liviana* Lib. CXXXIV.
(*s*) STRABO Lib. IV. p. 194. TACITUS *Annal.* Lib. XII. Cap. XXXIX.
(*t*) SUETONIUS in *Auguſto* Cap. XXI. TACITUS loco cit. AUREL. VICTOR *de Impp. Rom.* Cap. I.
(*u*) Anno IX. ante Æram vulgar.

fratre ejus Druſo, præfectus, quadraginta Germanorum millia in Gallicum litus trajecit. (x) Sed hæc quum fierent, jam conſtituta fuit cis Rhenum Germania, quando novam Galliæ Provinciarum ordinationem, poſt alteram illam priorem, ab Auguſto deinceps non ſuſceptam reperio. CHRISTOPHORUS CELLARIUS (y) tamen, Germaniæ Cis-Rhenanæ inſtitutionem nonniſi poſt ultimam hanc translationem Germanorum locum habuiſſe, conjecit. Poſt Auguſti ætatem Germaniæ ſuperioris inferiorisque mentio in antiquis Marmoribus ſub Nerva, (z) Hadriano & Antoninis, (a) ſub Septimio Severo, (b) ſub Severo Alexandro, (c) ſub Aureliano, (d) Imperatoribus paſſim occurrit: quæ omnia, conſtantem ab Auguſti ævo ſuperioris & inferioris Germaniarum notitiam, ubertim demonſtrant. Ita, quum Geographis ante Auguſtum nonniſi Belgica innotuiſſet Gallia, dein Germanica quoque Gallia innoteſcere cœpit, quum Belgicæ nempe Galliæ ora Rhenenſis Germania Cis-Rhenana, id eſt, Germania in ſolo Gallico poſita, appellaretur. Ut autem à nova hac cis Rhenum Germania vetus illa trans Rhenum, quæ genuina & primaria fuit, diſtingueretur, cœpta hæc fuit appellari *Germania Magna*, imo & paulo poſt *Germania Barbara*, quod noſtra Cis-Rhenana minor quidem, at cultior & moribus politior eſſet. SALVIANUS, Maſſilienſium Presbyter, ex Germania Inferiore oriundus, (Coloniæ enim Agrippinæ natus fuit,) in Libris ſuis *de Gubernatione Dei*, (e) quos ſeculo V. conſcripſit, Germaniam, quæ tum *Prima* vocabatur, *Barbaram*, ſed non ſenſu Romano vocat. HIERONYMUS easdem regiones Cis-Rhenanas mitiore verbo *Semibarbaras ripas* appellavit. (f) Populi, quibus jus Civitatis Romanæ conceſſum, publico & ſolenni ſtylo *Barbari* appellari non poterant.

§. XXXII.

Cauſa appellationis.

Sed ad Auguſtum redimus. Politica ratio glóriæque pruritus hunc Imperatorem induxit, ut in Geographicis Galliæ Belgicæ ad Rhenum rationibus mutationem ſuſciperet: ad ſuam Imperiique Romani dignitatem pertinere exiſtimans, ut invictis Germanis imperare crederetur: idque inter memoranda Principatus ſui, ad omnium temporum memoriam, pertinere putavit. Cis-Rhenani autem Germani Romanam dominationem bona fide agnoverant, quod de Trans-Rhenanis vix poterat ſperari. Enimvero, ſi præter Tribocos, Ubios, nuper in Galliam translatos, computes quoque illos, qui antiquitus jam in Belgicam ipſi vel transiverant, vel penetraverant armis, ut Treviri, Gugerni, Menapii, Tungri, Sunici, Toxandri, Batavi, Caninefates, Catti, Nervii, Condruſi, Eburones, Cæreſi, Segni, Pæmani, omnes origine Germani, conſilium Auguſti, quo Rhenenſem Galliæ Belgicæ oram appellavit Germaniam, eo minus culpandum eſſe exiſtimabis.

§. XXXIII.

(x) SUETONIUS *in Tiberio Imp.* Cap. IX. quadraginta millia dedititiorum transducta computat. EUTROPIUS vero Lib. VII. Cap. V. quadringenta millia ponit: quem numerum ex Eutropio in Suetonium eſſe transferendum, exiſtimat LIPSIUS *Admirandor.* Lib. I. Cap. VII.

(y) *Geographia Antiqua* Lib. II. Cap. III. pag. 370.

(z) GRUTER. *Inſcript.* pag. 245. num. 8.
IMP. NERVAE. AVG.
GERMAN. INFERIOR.
PONT. MAX. TRIB. POT.

(a) GRUTER. loco cit. pag. 457. num. 6.
C. POPILIO. C. F. QVIR.
CAROPEDONI. COS. VII. VIR. EPVLON.
SODALI. HADRIANALI. LEGATO.
IMP. CAES. ANTONINI AVG.
PII. PROPR. GERMANIAE. SVPER.
ET. EXERCITVS. IN. EA. TENDENTIS, &c.

(b) GRUTERUS pag. 84. num. 5.
BIVIS. TRIVIS. QVADRIVIS
AVREL. VICTORINVS. MIL. LEG. XXI.
P. IM. COS. GERM. SVPERIORIS
V. S. M. L.
IMP. SE. SEVERO. AV....
EX IT. ET .....
... MARCELLO COS. ..

(c) GRUTERUS pag. 381. num. 1.
C. CAESONIO C. F. QVIR. MACRO.
RVFINIANO. CONSVLARI. SODALI. AVGVSTALI.
COMITI. IMP. SEVERI. ALEXANDRI. AVG.
CVR. RP. LANIVINOR. II. PRO. COS. PROV.
AFRICAE. CVR. AQVAR. ET. MINIC.
LEG. AVG. PR. PR. GERMAN. SVPERIORIS &c.

(d) MURATORII *Corp. Inſcript.* Tom. I. pag. 397. num. 4.
L. MARIO. L. F. QVIR. MAXIMO
PERPETVO. AVRELIANO. COS.
SACERDOTI. FECIALI. LEG. AVGG. PR. PR.
PROVINCIAE. SVRIAE. COLAE.
LEG. AVG. PR. PR. PROVINCIAE.
GERMANIAE. INFERIORIS.
ITEM. PROVINC. BELGICAE.

(e) Lib. VII. pag. 243. Edit. Rittershus. pag. 233. ait: "A ſolo patrio effuſa eſt (gens Gothorum „ & Wandalorum) in Germaniam primam, nomine „ barbaram, ditione Romanam; poſt cujus exitium „ primum arſit regio Belgarum, deinde opes Aquitanorum luxuriantium, & poſt hæc corpus omnium „ Galliarum.

(f) In *Epiſtola* XLI. ad Ruffinum ſcripta. Hieronymum Treviris apud Belgas aliquando fuiſſe, vitæ ejus Scriptores pridem annotarunt.

Digitized by Google

§. XXXIII.

Germania cis Rhenum Galliæ adſcripta.

Licet autem nova cis Rhenum tunc exoriretur Germania, Gallicum tamen nomen in oris his non plane exoluit: quæ pro Gallico ſolo conſtanter habebantur, quanquam novi ejus incolæ fuiſſent Germani. Unde omnis hic tractus, habita civium ratione, *Germania*, ſoli autem ſive regionis reſpectu *Gallia*, vocabatur ſubinde. Batavus ille Claudius Civilis apud TACITUM, (*g*) ſe ipſum & populares ſuos ac conſanguineos *Gallos* appellat: " En ego, (inquit) præfectus unius cohortis, & Caninefates, „ " Batavique, exigua Galliarum portio. „ Eodem Libro (*h*) omnes pariter Belgas, nullis Germanis exceptis, Gallos iterum vocat: " Opperiendas Trans-Rhenanorum gentes; „ quarum terrore fractæ populi Romani vires obtererentur. Gallos quid aliud, quam „ prædam victoribus, & tamen quod roboris ſit, Belgas ſecum palam aut voto ſtare. „ Idem Tacitus, qui Germanias cis Rhenum nobis ſæpe enarrat, alio loco hæc ſcribit: " Nec deerat pars Galliarum, quæ Rhenum accolit. „ (*i*) In *Notitia Imperii*, ſeculo IV. conſcripta, Fabrica Argentoratenſis armorum omnium inter Gallicas prima memoratur: (*l*) quum eodem tempore in eadem *Notitia Imperii*, & in *Notitia Galliarum* ejusdem ævi, Argentoratus ad Germaniam primam relata legatur. Diverſas has appellationes, diverſo reſpectu natas, ſi JACOBUS WIMPHELINGIUS (*m*) noſter atque THOMAS MURNERUS, qui de Germania cis Rhenum magno cum animorum motu, ſeculi XVI. initio, inter ſe certarunt, probe notaſſent, nonniſi verborum pugnas ſe movere ipſi facile intelligere potuiſſent. Idem fecit ANONYMUS quidam, *Spicilegii Antiquitatum Palatinarum cis Rhenum* auctor, qui hæc quoque non ſatis perpendens bonam cauſam male defendit. Nemo profecto non facile perſpicit, Auguſtum Gallicas gentes, ut Sequanos, Rauracos atque Helvetios, qui origine, lingua & moribus Galli fuerunt, incongrue appellaturum fuiſſe Germanos. Nec opus ei fuit, Germanorum nomen populis mere Gallis, imponere, quando, à Sequanorum cum Tribocis collimitio, omnis ora Rheni Gallica, ad ejus oſtia usque, habitata fuit à populis origine nationeque Germanis; quo in numero primi erant noſtri Triboci, (quibus brevi poſt Nemetes Vangionesque ex Germania acceſſerunt,) Treviri inde, Ubii, Gugerni, Menapii, Batavi, apud quos hodieque ſunt oſtia Rheni.

Germaniam ergo omnem Cis-Rhenanam in Gallia Belgica, quæ Germanicas gentes ſola admiſit, prognatam, vel ſi mavis, à Belgica avulſam fuiſſe, ex allatis concludimus; idque PTOLEMÆUS, (*n*) & AGATHEMERUS, (*o*) diſerte teſtantur.

§. XXXIV.

Limites Germaniæ Cis-Rhenanæ.

Magnam hæc in determinandis Germaniæ Cis-Rhenanæ limitibus nobis lucem affundunt. Quum enim termini ejus extra Galliæ Belgicæ fines quærendi non ſint, Alſatia ſuperior autem Celticæ vel Lugdunenſi ſemper fuerit adſcripta, hæc ipſa ſuperior Alſatia ad Germaniam Cis-Rhenanam referri non potuit: quum hujus initium ſit ibi figendum, ubi Alſatiæ ſuperioris eſt finis: ſive, quod redit eodem, Germania Cis-Rhenana & Alſatia inferior, ipſaque Gallia Belgica ab eodem Geographico puncto proficiſcuntur. Punctum autem hoc in Provinciali noſtra foſſa quærendum, quæ duas Alſatias ſeparat; millibus paſſuum ſupra Seleſtadium ſita. Quodſi Eccleſiaſtico ſtylo rem exprimere velis, in Baſilienſis & Argentoratenſis Diœceſeon collimitio verſatur hoc punctum; quod ipſum duarum Provinciarum Eccleſiaſticarum, Veſontinæ & Moguntinæ, quoque collimitium eſt, ubi nempe Maxima Sequanorum Germaniæ Primæ collimitanea fuit. Antiquiſſimum hunc duarum Alſatiarum limitem Lector, rerum curioſus & ſagax, diligenter annotet, mecumque miretur, qui tandem evenerit, ut duæ, duarum ab omni tempore tam diverſarum Provinciarum, portiones in unam, quæ hodie conſpicitur, coaluerint Alſatiæ Provinciam. Scilicet nonniſi poſt multas ruinas, poſt

funeſtas

(*g*) *Hiſtoriar.* Lib. IV. Cap. XXXII.
(*h*) Cap. LXXVI.
(*i*) TACITUS *Hiſtor.* Lib. I. Cap. LI.
(*l*) *Notitia Imperii Occident.* Cap. XXIX. pag. 60. Edit. Genev.
(*m*) Liber ejus Latine editus ſub titulo: *Cis Rhenum Germania*, cui ſe oppoſuit THOMAS MURNERUS Libro ſcripto: *Nova Germania.* CONRADUS PEUTINGERUS in *Sermon. Convival.* pag. 21. ita hac de re ſcribit: " Wimphelingius, Germaniæ illuſtrator, „ contra Germanos quosdam, patriæ deſertores, „ pugnam ſubiit, & una cum ſuis commilitonibus „ peritiſſimis, Thoma Wolfio aliisque, vicit.

(*n*) *Geograph.* Lib. II. Cap. IX.

(*o*) *Geograph.* Lib. II. pag. 220. ſcribit: Τῶν δὲ Γαλατῶν, ἃς πρότερον Γαλατίας ἔλεγον, ἤδη καλουμένων, ἡ μὲν Ἀκυιτανία, ἡ δὲ Λουγδουνησία, καὶ ἡ Βελγική, ἐν ᾗ εἰσιν αἱ δύο Γερμανίαι πρὸς τὴν ἔξω τείνουσαι θάλασσαν. " Galliarum vero, quas prius Galatias vocabant, „ deinceps politarum, Aquitania, & Lugdunenſis, „ & Belgica, quæ complectitur duas Germanias, in „ mare externum tendentes. „ Vide eundem Agathemerum, inter HUDSONI *Geographiæ veteris Scriptores Græcos Minores*, Tom. II. Cap. IV. pag. 37.

funeſtas populorum urbiumque ad Rhenum ſtrages, ab Alemannis toties illatas, facta hæc mutatio eſt; quando nimirum ſub Francis, Politicæ & Eccleſiaſticæ rei ad Rhenum reſtauratoribus, omnia ex veteribus ruinis in novam fere formam redacta fuerunt: ſola Eccleſiaſticæ Provinciæ forma maximam partem remanente.

§. XXXV.

Sententiæ contrariæ.

Hæc ita quum ſe habeant, multis tamen recentioris ævi Scriptoribus in alia omnia diſcedere viſum eſt. Sunt enim, qui Germaniæ Cis-Rhenanæ initium ab ipſis Rheni fontibus, adeoque ab Adula, monte Rhætorum, (p) repetunt; quicquid à fontibus ad oſtia usque fluminis ad oram ſiniſtram ſitum eſt, huc referendum eſſe cenſentes. Sunt, qui paulo magis deſcendunt, & apud Helvetiæ auſtralis limites Cis-Rhenanæ quoque Germaniæ principium figunt. (q) Sunt denique, qui initium hujus Provinciæ nonniſi à Juraſſi montanis, ubi hæc nempe verſus Rhenum excurrunt, Cis-Rhenanæ Germaniæ initia ponunt, Helvetiosque adeo ab eadem excludunt, Rauracos vero Sequanosque noſtros Rhenenſes eidem includunt. (r) Omnium vero harum ſententiarum patroni, ut mihi quidem videtur, rem non accurate determinant; quum ex calculo eorum Rauraci noſtri, & anteriores ad Rhenum Sequani, Germaniæ Cis-Rhenanæ adſcribendi fuiſſent. Immo ſi ipſa veterum Geographorum oracula conſulimus, nec illa nobis rem reddunt clariorem. Claudius Ptolemæus (s) duas cis Rhenum Germanias ab Helvetiis, à Lingonibus, Mediomatricis aliisque Belgicæ Provinciæ, ſtrictiori ſenſu ſumtæ, populis circumdatas ſiſtit. Quum enim in Belgicæ ſuæ deſcriptione à populis, verſus mare habitantibus, recenſionem inchoaſſet, atque inde à Morinis, Batavis, Bellovacis, Ambianis, Toogris, Menapiis, Nerviis, Veromanduis, Sueſſionibus, Rhemis, Treviris, Mediomatricis, ad Leucos usque progreſſus eſſet, Leucis relictis, ad duas cis Rhenum Germanias enarrandas ſe vertit; quarum urbes Rhenum aſcendendo recenſens, ubi ad Juram usque pervenit, Germaniæ ſuperioris punctum ibi veluti figit; denuoque ad Leucos ſuos, atque adeo ad Provinciam Belgicam, redit, ejusque populos reliquos, Lingones nempe, Helvetios & Sequanos interiores exponit. Dio Cassius, (t) ut modò oſtendimus, nihil certi definit, quando Cis-Rhenanæ Germaniæ caput, Superiorem nempe Germaniam, nonniſi laxe appellat eam, quæ Rheni fontibus propior eſt. Nec clarior in hoc argumento eſt Marcianus Heracleota, (u) Geographus, in ſuo *Periplo*; ubi Adulam montem, in quo oritur Rhenus, & occidentale Rheni oſtium, non duarum modo Germaniarum, ſed & totius Galliæ Belgicæ, limitem conſtituit. (x) Jam vero ſupra docuimus, Ptolemæum Helvetios quoque accenſuiſſe Belgicæ, ita tamen ut eos non accenſeret Germaniæ. Hujus ergo veſtigiis Marcianus inſiſtens, Belgicæ totius duarumque adeo Germaniarum terminos uno eodemque ambitu deſcribit. Inde tamen nemo inferat, Marcianum in ſubdiviſione Belgicæ, initium Germaniæ ſuperioris ab Adula monte fontibusque Rheni repetiviſſe; quum partem hanc, Adulæ vicinam, ad Tribocos usque, Belgicæ, proprie ſic dictæ, accenſere potuerit, ſive illi Belgicæ parti, quæ à Germania Cis-Rhenana diſtinguebatur: quæ ipſa Ptolemæi hypotheſis fuit, quam Marcianus quoque videtur eſſe ſecutus. Quodſi Commentarii, quos de Gallia conſcripſit Agrippa, quosque Strabo (y) & Plinius (z) allegant, hodieque ſupereſſent, ille, expeditionibus ſuis Gallicis clarus, rem nobis fortaſſe diſtinctius poſuiſſet ob oculos.

§. XXXVI.

(p) *Excurſus in Hiſtor. Helvet.* pag. 6.

(q) Guillimannus *de Rebus Helvet.* Lib. I. Cap. I. ſcribit: "Ptolemæus cum eandem Belgicam „ Provinciam, quæ ſecundum Rhenum eſt, in Ger- „ maniam ſuperiorem & inferiorem diviſiſſet, Hel- „ vetios in Germania ſuperiore poſuit, potiſſima parte „ Sequanis attributa.

(r) Stumpfius *Hiſt. Helvet.* Lib. III. Cap. VI. pag. 144. Plantinus *Helvet. Antiq.* Cap. I. pag. 5. Willichius *in Tacitum.*

(s) *Geographia* Lib. II. Cap. IX. pag. 53.

(t) Lib. LIII. pag. 503. Κελτῶν ἔνιοι, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες, Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν, τὴν μὲν ἄνω, τὴν μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ πηγάς, τὴν δὲ κάτω, τὴν μέχρι τοῦ Ὠκεανοῦ τοῦ Βρεττανικοῦ οὖσαν. Hoc eſt: "Celtæ quidam, „ quos Germanos vocamus, quum omnem Celticam „ regionem, quæ ad Rhenum eſt, occupaſſent, „ effecerunt, ut ea Germania vocaretur: Superior, „ quæ Rheni fontibus propior eſt, Inferior, quæ ab „ hoc usque ad Oceanum Britannicum ſeſe extendit. „ In loco hoc Dionis pro *Celtica* legendum vel intelligendum eſſe *Belgicam*, ipſe totius rei contextus docet. Adde, quod Dio nunquam in Græco ſuo textu voce *Belgæ* aut *Belgica*, ſed pro ea ſemper Κελτικαὶ & Κελτική, *Celtæ* & *Celtica*, neſcio, qua cauſa, utatur. Confer hac de re Ægidium Bucherium in *Belgico Romano* Lib. I. Cap. XII. pag. 27.

(u) Ex Heraclea Ponti ortus, in *Periplo* maris externi, tam Orientalis, quam Occidentalis, *Scriptor. Geographiæ veteris Minor.* à Jo. Hudſono editorum Tom. I. pag. 50.

(x) Ead. pag. Ἔστι δὲ τῆς Βελγικῆς σὺν ταῖς δύο Γερμανίαις τὸ μῆκος ἀπὸ τῶν τοῦ Ῥήνου ποταμοῦ ἐκβολῶν ἀρχόμενον &c. Paulo poſt: Τὸ δὲ πλάτος αὐτῆς ἄρχεται μὲν ἀπὸ τοῦ Ἀδούλα ὄρους, ἢ τοῦ κοινοῦ πέρατος τῶν Ἄλπεων, καταλήγει δὲ ἕως δυσμικοῦ τοῦ Ῥήνου ποταμοῦ στόμα.

(y) Lib. IV.

(z) *Hiſt. Natur.* Lib. IV. Cap. XVII.

§. XXXVI.

Enimvero ſi principium hoc pro fundamento ſubſternimus, Auguſtum Gallicos populos à Cis-Rhenana excluſiſſe Germania; Rauraci, Sequani atque Helvetii, quod origine non fuerunt Germani, à Germania Cis-Rhenana excluſi ſunt: ſed ab omni tempore Celtæ, Gallicæque originis, adeoque Celticæ Galliæ, quam Auguſtus Lugdunenſem appellavit, adſcripti. Nec ulla nobis prodit Hiſtoria, Auguſtæo ævo tribusque primis Æræ Chriſtianæ ſeculis, ullum Germaniæ populum in Raurico aut Sequanico agro ſedes poſuiſſe: veteres potius, quotquot ſuperſunt, Annales contrariantur. Galli enim his in partibus adeo non admiſerunt Germanos, ut ex Gallico litore in Germanicum potius ipſi transierint; quod Colonia Helvetica, adeoque Celtica, quæ partem aliquam trans Rhenum, prope ſilvam Hercyniam, occupavit, *Eremus Helvetiorum* appellata, probat abunde. Probant Galli noſtri litorales, qui Marcomannis, ex hodierna Suevia ſub Maroboduo, qui in Auguſti aula educatus fuerat, diſcedentibus, vacuas illas inter Rhenum Danubiumque regiones, TACITO (*a*) teſte, occuparunt. In Geographicæ hujus diſcuſſionis difficultate nobis ſuccurrit AMMIANUS MARCELLINUS. (*b*) Hic enim Sequanos & Rauracos à Germania prima excludit omnino, ubi ita ſcribit: " In prima Germania, præter alia municipia, Mogontiacus " eſt, & Vangiones, & Nemetæ, & Argentoratus, barbaricis cladibus nota. " Germania prima vero, etſi nonniſi ſeculo IV. ſuum nomen acceperit, commune tamen Geographici limitis ad oram Rheni initium habuit. Expoſita Germania prima, Ammianus de utraque Belgica agit, atque tum denique de Sequanis & Rauracis loquitur; neutros ad primam pertinuiſſe Germaniam aperte ſat indicans. Quodſi autem Sequani & Rauraci Germania ſuperiore excluſi fuerunt, multo magis Helvetios, quippe qui ſupra Rauracos ad Rhenum habitaverant, ab eadem ſecluſos reputaveris. Cum Ammiano Marcellino concordat *Romanarum Provinciarum Libellus*, ubi legitur: " In Germania prima Civitates numero quatuor: Metropolis Civitas Moguntiacenſis; Civitas Argentoratenſium; Civitas " Nemetum, Civitas Vangionum. " Concordant *Notitiæ Galliarum* omnes, quas inter Sirmondiana illa, quæ incorrupta & omnium optima eſt. Et qua ratione Rauraci, Sequani, Helvetiique ad Germaniam Primam referri potuerant, quos in Conſtantiniana diviſione ad Maximam Sequanorum relatos fuiſſe novimus? Superioris ergo Germaniæ vertex nec apud Sequanos Rauracosque, nec apud Helvetios, multo minus apud Rhætos in Adula monte, ad Rheni fontes, ſed in media Alſatia, ſuperioris nimirum inferiorisque collimitio, quærendus eſt, ut ex iis, quæ huc usque protulimus, Lector concludet; priſcusque adeo Belgicæ limes, ſub Julio Cæſare notus, ſub Auguſto ſervatus eſt.

Probatio refutationis.

§. XXXVII.

Ne quis vero Tribocos noſtros Germaniæ ſuperiori annumeratos fuiſſe dubitet, vetus Marmor Romanum produco, in quo T. Nigrius Similis, Tribocus, qui Romæ obiit, expreſſis verbis EX GERMANIA SUPERIORE prognatus memoratur. (*c*) Ceterum ad Germaniam ſuperiorem pertinere Tribocos, uti nemo facile dubitavit; ita initium ejus à Tribocis petendum, adeoque quicquid ſupra Tribocos ad Rhenum à Germania Cis-Rhenana excludendum. Id nemo hactenus ſat diligenter adſtruxit. (*d*) Scriptorum Hiſtoriæ Helveticæ de Germania Cis-Rhenana ſilentium facit, ut eos pro ſententia mea fere teſtes appellem. TSCHUDIUS (*e*) quidem Helvetiam ſuam Belgicæ tribuit, Plinii & Ptolemæi auctoritate ſubnixus; STUMPFIUS (*f*) & GUILLIMANNUS (*g*) ſpecialius eam Germaniæ ſuperiori adſcribunt. HOTTINGERUS vero, RAHNIUS, LAUFFERUS, WALDKIRCHIUS, BECKIUS, FUESLINUS, quorum poſteriores adhuc vivos, non ſine honoris præfatione nominamus, non Galliam modo Belgicam, ſed & Germaniam cis Rhenum, in ſuis Helveticæ Hiſtoriæ Commentariis tacuerunt: niſi enim diviſionem hanc, ut rem peregrinam, ad Helvetiæ veteris Geographiam minime pertinere credidiſſent, qua ratione eam transire potuiſſent ſilentio?

Triboci Germaniæ ſuperiori adſcripti.

§. XXXVIII.

(*a*) *Germaniæ* Cap. XXIX.
(*b*) Lib. XV. Cap. XI.
(*c*) GRUTERI *Inſcript.* Tom. II. pag. 850.
(*d*) BUCHERIUS in *Belgio Rom.* Lib. I. Cap. XII. num. 10. pag. 29. indicavit rem, ſibi ipſi tamen, ut alibi oſtendimus, ſubinde non concors.
(*e*) *In Veteris Helvetiæ Delineatione* MS. pag. 9.
(*f*) *Chron. Helvet.* Lib. III. Cap. VI.
(*g*) *De Rebus Helvet.* Lib. I. Cap. I.

§. XXXVIII.

Limes occidentalis.

Hæc de limite meridionali Cis-Rhenanæ Germaniæ. De termino occidentali quoque dubitatur à multis: ubi nempe finita fuerit, verſus occaſum, Cis-Rhenana Germania, atque adeo, nbi eadem Galliæ Belgicæ, arctiore ſenſu ſumptæ, fuerit confinis. CHRISTOPHORUS CELLARIUS (*b*) limitem hunc determinare auſus non eſt; ait enim: " Latitudinem ab occaſu ſolis non facile quisquam determinaverit. „ Omnes tamen circumſtantiæ Vogeſum finitorem indicant, quando ab altero ejus latere Lingones, Leuci & Mediomatrici ulteriores, (in citeriorum enim modo ſedes transiere Triboci, temporisque progreſſu Nemetes,) omnes Gallicæ originis gentes habitarunt, quæ Cis-Rhenanæ Germaniæ non potuerunt adſcribi. Tribocos enim nltra Vogeſum penetraſſe non reperi. Auguſtus vero in ſua Germaniarum diſtributione comprehendit Germanos. Conſentientem hac in re PTOLEMÆUM (*i*) reperio. Quanquam enim Belgicam longiorem, quam par eſt, verſus auſtrum fecerit, quod Helvetios eidem attribuit: quanquam Germaniam Cis-Rhenanam ad Juram Montem usque, adeoque longius protenderit, quam par eſt, latitudinem (*l*) tamen ejus juſtos intra limites definivit, quando Lingones, Leucos, Mediomatricos, (interiores intelligo) non ad Germaniam cis Rhenum, ſed ad Belgicam, diſtincte retulit.

§. XXXIX.

Bucherii ſententia.

In alia autem omnia heic iterum BUCHERIUS in *Belgio* ſuo *Romano* (*m*) diſcedit, qui, quum recte omnino Sequanos, Rauracos atque Helvetios, à Germania ſuperiore excluſiſſet, quod longitudini ejus ad Rhenum ademit, latitudine compenſare annifus eſt, atque adeo populos hos, trans Vogeſum ſitos, Germaniæ ſuperiori accenſendos exiſtimat. " Parum æqua, (inquit) parum concinna, futura fuit utriusque Germaniæ „ Cis-Rhenanæ partitio, ſi à ſuperiore Treviri, imo ſi & Mediomatrices, Veroduni „ Leucique, abfuiſſent. Nam Germania ſuperior, etiam cum his omnibus, inferioris „ magnitudinem non adeo ſuperat. „ At vero in Provinciis dividundis ratio non ſemper habita fuit extenſionis, nec hoc remedio inæqualitas tollitur. Sed de Bucherio confutando non ſollicitus ſum, qui ipſe noſtra cum hypotheſi plane concordat. Poſtquam enim alibi Ammiani & Libelli Romanarum in Gallia Provinciarum loca retuliſſet, (*n*) ſic ſcribit: " Ita ſuperioris qnidem Germaniæ longitudo ab Rheni „ puncto, quod hodiernas Baſileenſem ſeu Rauracenſem & Argentoratenſem Diœceſes „ Eccleſiaſticas diſterminat, inceperit: & circa fluviolum Ar, (quem Obrincam ſeu „ Abrincam, non Ptolemæi quidem, ſed verum, Cluverius exiſtimat) Antennacum inter „ ac Bonnam, ubi Diœceſis oritur hodie Colonienſis, deſierit: latitudo vero Rhenum „ inter ac fere Voſagum montem, tum Saravi fluvii ſuperiora patuerit. „ Bucherius in poſteriore loco nobiſcum conſentiens eſt; in priore diſſentit. Fallitur quoque MARTINIERIUS, (*o*) Scriptor eruditus & diligens, quando Germaniæ cis Rhenum ſuperioris populos, ex Ptolemæi mente, enumerans, in limite ejus meridionali & in occiduo peccat. In meridionali, quod Helvetios, in occiduo, quod Lingones, huic Provinciæ à Ptolemæo attribui ſcribat, quum utrosque ab eo excludi evidenter ſat pateat. Reliqui duo Cis-Rhenanæ Germaniæ limites, orientalis nempe atque ſeptentrionalis, extra omnem controverſiam poſiti ſunt. Orientalis minime omnium dubius eſt, quod in Cis-Rhenanæ & Trans-Rhenanæ Germaniæ diviſione nonniſi habita fuit ratio Rheni. Septentrionalis limes à PTOLEMÆO, (*p*) & ab AGATHEMERO, (*q*) definitur, quorum hic diſerte ſcribit: *duas Germanias in mare externum tendentes*, quibus verbis Oceanum Germanicum, qua Batavos & Toxandros alluit, in quem Rhenus, Moſa & Scaldis, devolvuntur, indigitat.

§. XL.

Germaniæ Cis-Rhenanæ diviſio.

Tam longe ad oram Rhenenſem Gallicam quum ſeſe extenderit Cis-Rhenana Germania, in duas ea rurſus ſubdiviſa eſt partes. Illa, quæ Rheno propior, appellabatur Germania Superior, quæ propior Oceano, Germania Inferior. Quis inter utramque

(*b*) *Geograph. Antiqua* Lib. II. Cap. III. pag. 371.

(*i*) *Geographia* Lib. II. Cap. IX.

(*l*) Latitudo hic ſumitur ratione formæ ipſius provinciæ, non Geographico & Aſtronomico ſenſu.

(*m*) Lib. I. Cap. XII. num. 10. pag. 29.

(*n*) *Belgii Rom.* Lib. I. Cap. II. pag. 4. ſq.

(*o*) DE LA MARTINIERE *Dictionnaire Geographique*, ſub voce: *Germanie ſuperieure.*

(*p*) Lib. II. Cap. IX.

(*q*) Loco cit.

GEOGRAPH.

utramque fuerit limes, examinandum jam ſupereſt. CLAUDIUS PTOLEMÆUS (r) flumen *Obringam* duarum iſtarum Proviociarum facit diſterminatorem. MARCIANUS HERACLEOTA, (s) Ptolemæum ſecutus, nomen immutat aliquantum & flumen 'Αβρίκκα, *Abriccam*, appellat. Geographi recentiores in flumine hujus nominis acquieſcunt, ſed in eo diſcrepant, cuinam ex fluminibus, hodie notis, Ptolemæus hoc impoſuerit nomen. Sunt Viri Eruditi, qui Aaram: ſunt, qui Navam: ſunt denique, qui in altera Rheni ripa Mœnum, Obringæ nomine à Ptolemæo deſignatum, conjectant. Qui Obringam in Aara, (*Aar*, *Aer*,) Aquilam vocat ALTINOIUS, (t) flumine quærunt, ita ratiocinantur: Ubios ad inferiorem, Vangiooes ad ſuperiorem, Germaniam refert Ptolemæus, in medio horum ergo Obringa eſt. Notabilior autem in illis partibus quum non reperiatur, quam *Aara*, Bonnam inter & Confluentiam è regione Entziæ ſupra Rimagen ſe Rheno adfundens, conſentaneum eſt, ut idem amnis ſit Ptolemæi Obringa. Hæc PHILIPPI CLUVERII (u) ſenteotia eſt, quam CHRISTOPHORUS CELLARIUS, (x) SPENERUS, (y) aliique ſequuntur: quæ vero id incommodi habet, quod cum ipſo Ptolemæi ſyſtemate haudquaquam cohæreat. Mogonciacum enim ſuum in inferiore Germania ponit idem Ptolemæus, licet erroneus; Obringa flumen ergo ſupra Moguntiacum neceſſario quærendum eſt, niſi eum ſibi ipſi contradicentem inducas. Eorum autem ſententia, qui Obringam in Nava flumine quærunt, Ptolemaicæ huic ordinationi non repugnat, ſed fautores pauciſſimos reperit. Mœnum huc plane noo pertinere, facile perſpicit quisque, quod Germaniæ Trans-Rhenanæ flumen Cis-Rhenanas provincias dividere non potuit. Mœno autem Moguntiæque qui vicinus eſt, ad dextram Rheni ripam, Ringoviæ Tractus, & ille ſpeciatim, qui *Ober-Ringau* (z) Germanis appellatur, Ptolemæum in errorem induxit, ut è Pago vicino conſtitueret flumen, & quidem flumen cis Rhenum. JOANNIS HEROLDI, (a) MARQUARDI FREHERI, (b) ÆGIDII BUCHERII, (c) MENSONIS ALTINOII, (d) hæc ſententia eſt; qui poſterior tamen Cluverii de Aara conjecturæ adhæret, hanc autem nominis Obringæ originem & derivationem admittit. Enimvero antiquum prorſus eſt Pagi hujus nomen. Ex Traditionibus Fuldenſibus, quas BROUUERUS, (e) diligentiſſimus Antiquitatum indagator, inſpexit, addiſcimus *Vubringowa* Carolinis temporibus ab inſula Rheni infra Moguntiam inchoaſſe.

§. XLI.

Aliorum ſententiæ

Simplicior eſt alia conjectura Anonymi, ab eodem allegata Ortelio; quæ ex Germanica voce compoſita *Ober-Rhin*, (f) Obringam (g) Ptolemæi prognatam ſuſpicatur. Receptior ſententia tamen illa eſt, quæ favet Moſellæ. Tuentur eam BILIBALDUS PIRCKHEYMERUS, (h) SEBASTIANUS MUNSTERUS, (i) BEATUS RHENANUS, (l) JODOCUS WILLICHIUS, (m) ANDREAS ALTHAMERUS, (n) CHRISTOPH. BROUUERUS, (o) RICHARDUS WASSERUROIUS, (p) ANTONIUS BAUDRANDUS, (q) HADR. VALESIUS; (r) CHRISTOPHORUS vero CELLARIUS (s) ambiguus eſt, vel ſibi ipſi non conſtans, uti annotavimus modo: quippe qui uno loco pro Moſella ſtat, alio pro Aara. Id hic in tranſitu annoto, quod Ptolemæi cauſam egregie ſe promovere exiſtiment, qui Moſellam Obringa

T ab

(r) Lib. II. Cap. IX. ubi ſub initium Capitis 'Οβρίγγα ποταμοῦ nomen occurrit, quod in medio Capitis appellatur 'Οβρίγγα, & quidem tribus vicibus ſub hac forma repetitis. Idem Ptolemæus nominibus ſingularibus Scaldim vocat *Tabulam*, & Sabin *Phrudim*.

(s) In *Periplo* pag. 50. Edit. Hudſon.

(t) *Notitia Germ. Infer. Antiqua* pag. 78.

(u) *Germania Antiqua* Lib. II. Cap. XIV.

(x) *Geograph. Antiq.* Tom. I. Lib. II. Cap. III. pag. 371. ubi immemor prioris ſententiæ eſt; pag. 268. pro Moſella pugnaverat, ſibi ipſi non conſtans.

(y) *Notitia Germaniæ Antiq.* Lib. II. Cap. II. pag. 67.

(z) Superior Pagus Rhenenſis.

(a) Apud ORTELIUM in *Theſauro Geographico* voce: *Obrincus*.

(b) In *Notis ad Auſonii Moſellam* pag. 98.

(c) *Belg. Rom.* Lib. I. Cap. II. pag. 4.

(d) *Notitia Germaniæ Inferioris antiqua* pag. 78.

(e) *Antiquitatum & Annalium Trevirenſium Proparaſceve* Cap. XXV. pag. 66.

(f) Rhenus Superior.

(g) BEATUS RHENANUS *Rer. Germanicar.* Lib. III. pag. 325. ex *Obrinca* nomen *Hondsrucken*, qui Tractus hodiernæ Weſtraſiæ eſt, ortum eſſe exiſtimat. Ita enim ſcribit: " Obrincam videntur mihi, qui " huc immigrarant Alemanni, ſuo more tandem in " Canis tergum detorſiſſe. Nam addita adſpiratio " primum eſt, & inſerta litera S, ut fieret " HOBSRINCEN; quam vocem incognitam nec aliquid " ſignificantem imperitum vulgus in HONDSRUCKEN " vertit. " Alias hujus generis conjecturas apud Rhenanum reperimus plures, quas pauci adoptant.

(h) *Explicatio Locorum per Germaniam* apud SCHARD. *Script. Rer. Germ.* Tom. I. pag. 91. & in Operib. ejus pag. 98.

(i) *Germaniæ Deſcriptio* apud eundem SCHARD. Tom. I. pag. 242.

(l) *Rer. German.* Lib. I. pag. 16. & Lib. III. pag. 325.

(m) *Commentarii in Taciti Germaniam* Cap. I.

(n) *Ad Taciti German.* apud SCHARD. Tom. I. pag. 2.

(o) *Antiquitatum & Annalium Trevirenſium Proparaſceve* Cap. XXV. pag. 66.

(p) *Antiquités de la Gaule Belgique* fol. I.

(q) *Lexicon Geograph.* in voce, *Moſella.*

(r) *Notitia Galliarum* pag. 389.

(s) *Notitia Orbis Antiqui* Tom. I. Lib. II. Cap. III. pag. 268. collata cum pag. 371.

GEOGRAPH.

ab eo deſignari ſtatuunt, quum alias tam memorabile flumen omiſiſſe dicendus eſſet. Sed quid mirum, ſi Ptolemæus, in Ægypto ſcribens, ſiluit Moſellam, cujus nec Cæſar, nec Strabo, nec Plutarchus, meminere? Quodſi autem hoc modo ſalva ſtat Ptolemæi diligentia; Auſonius ex altera parte negligentiæ damnandus eſt, quod Moſellæ deſcriptionem exhibens, nomen Obringæ præterierit ſilentio. Et ille tamen, à Gratiani in Germanos & Suevos, ad Lupodunum profligatos, expeditione redux, Moſellam & Navam ipſe transiverat; ut initio Carminis ſui, quod *Moſellam* inſcripſit, ipſe nos docet. Ceterum hæc Obringæ de Moſella explicatio Ptolemæum ipſum ſane adverſarium reperit. Hic enim inferioris Germaniæ loca enumerans, Batavodurum, Vetera, Coloniam Agrippinenſem, Bonnam, Trajanam Legionem, Moguntiacum, denique Obringam fluvium, recenſuit. Obringam itaque ſupra Moguntiacum ponit; jam vero Moſella eſt infra Moguntiam, atque adeo non poteſt eſſe Obringa, niſi Ptolemæum ſibi contrariari fatearis, ut ſupra jam monui.

§. XLII.

Germaniæ cis Rhenum an contiguæ?

Sed & hæc nonnullis quæſtio agitatur: An duæ cis Rhenum Germaniæ ſibi invicem contiguæ fuerint? Viſum eſt enim, duas cis Rhenum Germanias non fuiſſe contiguas, ſed Treviros Belgicæ, à Germania Cis-Rhenana diſtinctæ, addictos & ad Rhenum usque extenſos, inter Superiorem Inferioremque Germaniam inceſſiſſe medios, duasque adeo diſſecuiſſe Germanias. Sententiæ hujus patronus eſt Ægidius Bucherius. (*t*) Nec ego Treviros Rhenum attigiſſe diffiteor, quippe qui à Germania magna Rheno fuerunt diſtincti, qui Vangiones, Mediomatricos & Virodunos, ad meridiem; Rhemos Tungrosque ad occaſum; Ubios ad ſeptentrionem, habuerunt vicinos. Rheno à Germanis diſtinctos docet Cæsar: (*u*) "Rhenus per fines Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatri-" corum, Tribocorum, Trevirorum, citatus fertur." Et alio in loco: (*x*) "Civitas " Trevirorum ..... Rhenumque, ut ſupra demonſtravimus, tangit." Item: (*y*) " Firmo in Treviris præſidio ad pontem (Rheni) relicto." Strabo ipſe, qui potiorem longævæ ætatis ſuæ partem ſub Auguſto etiam ſuperſtes exegit, & ſub Tiberio obiit, Treviros ad Rhenum incolere, apud illos à Romanis, belli Germanici tempore, adeoque ſuo ævo, pontem conſtructum fuiſſe memorat. (*z*) Plinius (*a*) autem gentes, Rheni accolas, ubi enarrat, poſt Vangiones nominat *Ubios*, hinc *Gugernos*, *Batavos*, omiſſis Treviris. Unde conjiceres, Ubios ſub Auguſto transductos, Trevericum ad Rheni oram agrum occupaſſe, Trevirosque ab illo tempore non amplius tetigiſſe Rhenum. Suetonius (*b*) tamen, Caligulæ natale ſolum exponens, hæc memorat: "Plinius " ſecundus in Treviris, vico Ambiatino, ſupra Confluentes genitum ſcribit." Quæ Treviros Plinii ætate Rhenum adhuc tetigiſſe demonſtrant. Idem Plinius ergo, qui in recenſione populorum ad Rhenum omiſit Treviros, alio in loco, quem Suetonius profert, eos ad Rhenum extendit. Non difficilis conciliatio eſt, ſi Treviris contigiſſe dicamus, quod Mediomatricis noſtris citerioribus contigit. Hi Tribocos, & paulo poſt Nemetes quoque, Treviri autem Vangiones & Ubios, ex Germania transeuntes, receperunt; adeoque nationes mixtæ habitarunt inter ſe, ita ut tractum illum communem à prioribus incolis, adhuc reſiduis, *Treviros*, à poſterioribus, qui ſupervenerant, nominaveris *Ubios*. Licet autem Treviri illum agrorum ſuorum Tractum, Rheno vicinum, transitu Ubiorum, amiſerint, remotiora tamen omnia in Trevirorum poteſtate manſerunt; quorum Metropolis Auguſta Trevirorum, nobilis illa Præfectorum Belgicæ, atque deinceps ſeculo IV. Vicariorum Galliæ, ſedes. Jurisdictionem Treverici Præfecti ad Rhenum usque ſe extendiſſe, duasque interſecuiſſe Germanias, veriſimile non eſt. Intercurſatio hæc minus fuiſſet concinna, & limitis Romani ad Rhenum cuſtodiam contra Germanos debilitaſſet. Auguſtus, Germaniam Cis-Rhenanam inſtituens, Trevirorum partem, proximam Rheno, à Germanis occupatam, (Ubii enim nuper ex Germanica ripa in Gallicam, & quidem in agros Trevirorum, transducti fuerant,) eidem adſcripſit. Confluentes autem & Antonacum, (*c*) tribus infra Confluentes milliaribus, Duci Mogontiacenſi attribuit *Notitia Imperii.* (*d*) Liber hic quum conderetur, Germaniæ quidem primæ & ſecundæ jam obtinuerant nomina. Primæ adſcribitur Moguntia, Moguntiacenſis autem Ducis fines eosdem fuiſſe credibile eſt, qui olim Præſidis Germaniæ ſuperioris extiterant, adeoque ultra Moſellam ſe extendit Germania ſuperior.

§. XLIII.

(*t*) *Belg. Roman*, Lib. II. pag. 5.
(*u*) *De Bello Gall.* Lib. IV. Cap. X.
(*x*) Ibid. Lib. V. Cap. III.
(*y*) Lib. VI. Cap. IX.
(*z*) Lib. IV.
(*a*) *Hiſt. Natural.* Lib. IV. Cap. XVII.
(*b*) In *Caligula* Cap. VIII.
(*c*) Hodie *Andernach.*
(*d*) *Notitia Imp. Occident.* pag. 145. Edit. Pancir.

§. XLIII.

Germania ſuperior & inferior.

Hoc modo Germaniæ ſuperiori Rhenus ad orientem, Obringa ſive Aara ad ſeptentrionem, Vogeſus ad occaſum, & Alſatia noſtra Sequanica vel ſuperior, aut, ſi mavis, Baſilienſis & Argentoratenſis Diœceſeon confinia, verſus meridiem, tribuendi ſunt limites. Germania inferior reliquam omnem oram Rhenenſem, ad Oceanum usque comprehendit. Cæteri Galliæ Belgicæ populi vero, ut Mediomatrici ulteriores, Leuci, Lingones, Rhemi, Sueſſiones &c. ad Matronam, Sequanam & Oceanum usque, habitantes, Belgicæ, arctiori ſenſu ſumptæ, adſcripti fuerunt; & quidem progreſſu temporis, quum Belgica in primam ſecundamque ſecaretur, Urbs Trevirorum Belgicæ primæ, Durocortorum Rhemorum Belgicæ ſecundæ, capita evaſerunt. Diviſio hæc tam ſolennis tamque recepta fuit, ut Tacitus ipſos exercitus Romanos *ſuperiorem inferioremque* vocaret, (*e*) qui vel ſuperiorem vel inferiorem cis Rhenum cuſtodiverunt Germaniam. Tacito ſuffragatur Suetonius. (*f*) Status hic ſuperioris Germaniæ, ad quam Alſatia inferior pertinuit, per tria Chriſtianorum ſecula priora duravit; quibus Belgicam Galliam nonniſi in tres partes ſubdiviſam cognovimus, Belgicam nempe ſtrictius dictam, Germaniam ſuperiorem atque inferiorem. Conſtantiniano ævo autem, plures aliæ ſubdiviſiones quum naſcerentur per Galliam, quum Lugdunenſis, Aquitanica & Narbonenſis, diſcerperentur in partes, ſuperioris & inferioris Germaniæ ſuppreſſa ſunt nomina, ut in locum eorum prima & ſecunda ſuccederent.

§. XLIV.

Germania prima & ſecunda.

Novis his Galliæ ſubdiviſionibus ortis exoritur quæſtio: Num prima & ſecunda Germaniæ eosdem habuerint limites, quos Superior Inferiorque habuerant? Christophorus Cellarius (*g*) exiſtimavit, fieri potuiſſe, ut Superior Germania latior aliquantum, quam prima eſſet, & in Belgicam primam excurreret; concludit denique: " Quidquid hujus rei eſt, neque adfirmari argumentis poteſt, " neque etiam negari. " Mihi vero, Germaniæ Superioris limites, quos conſtituimus, cum Germaniæ primæ limitibus comparanti, nulla ſe notabilis diverſitas offert. Non enim incorrupta tantum illa *Galliarum Notitia Vetus*, quam Sirmondus in lucem edidit, ſed & reliquæ omnes, unanimi conſenſu Germaniæ primæ urbes ita enuntiant:

" Metropolis Civitas Mogunciacenſium.
" Civitas Argentoratenſium.
" Civitas Nemetum.
" Civitas Vangionum.

Quæ enumeratio ab illa non diſcrepat, quam in ſuperioris Germaniæ expoſitione protulimus. Hoc modo Vogeſus ab occaſu limitem quoque Germaniæ primæ conſtituit; Lingonibus nempe & Mediomatricis ulterioribus ex eadem excluſis, quos ſuperior quoque excluſit Germania. Sed & rationem quæſivere Geographi, cur Germania hæc nomen acceperit *Prima*. Bucherius, (*h*) Bebelius, (*i*) aliique appellationis originem inde deducunt, quod Romanis ex Italia venientibus Germania hæc occurrerit prima, at in eo ſane falluntur aperte. Uti enim Dioni (*l*) facile largior, Germaniæ ſuperiori id nominis eſſe datum, quod fontibus Rheni propior eſſet, ita à Bucherii opinione eam ob cauſam recedo, quod non Germania modo cis Rhenum, ſed & reliquæ omnes Galliarum Provinciæ, Narbonenſis nimirum, Aquitanica, Lugdunenſis in primam, ſecundam, imo & in plures ſubdiviſæ fuerunt Provincias; quod Rhætiis, Pannoniis, Mœſiis aliisque Provinciis obtinuit. His in partitionibus autem, quum non propinquitatis Italiæ, ſed temporis fuerit habita ratio, non video, cur in Cis-Rhenanæ Germaniæ diviſionis nominisque ratione inveſtiganda, ad alias diverſasque confugiamus origines.

(*e*) Superior exercitus dicitur pro ſuperioris Germaniæ exercitu. *Hiſtoriar.* Lib. I. Cap. LV. ſqq. Inferior exercitus pro inferioris Germaniæ exercitu. Ibid. Cap. LXI. ubi: " Valenti inferioris exercitus " electi, cum Aquila quintæ Legionis & cohortibus " alisque ad XL. millia armatorum data. XXX. " millia Cæcina è ſuperiore Germania ducebat.

(*f*) In *Vitellii Vita* Cap. VIII. & in *Domitiano* Cap. VI.

(*g*) *Geographiæ Antiqua* Lib. II. Cap. III. pag. 371.

(*h*) *Belgii Romani* Lib. I. Cap. XII. pag. 29.

(*i*) Bebelius in *Antiquitatibus Germaniæ Primæ* pag. 6.

(*l*) Lib. LIII.

§. XLV.

Teſtimonia veterum.

Concilii Agrippinenſis Acta (*m*) Germaniæ ſecundæ faciunt mentionem: Nam à caſtris Germaniæ ſecundæ literæ, adverſus Euphratam hæreticum miſſæ, in illis memorantur. Hilarius, Pictavorum in Gallia Epiſcopus, literas ſoas de Synodis Epiſcopis Germaniæ primæ & ſecundæ inſcripſit. Quæ vero Civitates & Diœceſes cuique Germaniarum fuerint adſcriptæ, *Libellus Romanarum Provinciarum* exponit: "In Germania „ prima Civitates numero quatuor: Metropolis Civitas Moguotiacenſis, Civitas Argen- „ toratenſium, Civitas Nemetum, i. e. Spira, Civitas Vangionum, i. e. Wormen. „ Exponit *Notitia Imperii*, & ſpeciatim Notitia Galliarum, ſub Honorio Imp. confecta. Poſtquam autem Barbari in Romanum Imperium, adeoque in noſtram quoque Germaniam primam, intuliſſent pedem, Barbara cognominari cœpit. Semibarbaram Hieronymus, ut oſtendi, appellat. Inter *Decretales* LEONIS MAGNI (*n*) extat Epiſtola, quæ ad univerſos Germaniarum Regionum Epiſcopos An. CCCCLX. ſcripta creditur; qua queritur Pontifex: "Quod quidam Germaniarum ac Galliarum urbium Epiſcopi „ frequenter Chorepiſcopos vel Presbyteros deſtinarent, qui abſente Pootifice altaria „ erigerent, baſilicasque cooſecrarent, &c. „ Germania Trans-Rhenana hic intelligi nequit, quod adhuc ethnica eſſet. Sed Epiſtola hæc inter ſpurias reputanda. Illo enim tempore omnia ad Rhenum in ruinis adhuc jacuerunt. Ab An. CCCCVII. quo Alemanni ſub Honorio Imperatore Gallicam cis Rheoum oram tenueruot, ad An. CCCCXCVI. ſive ad Francorum dominationem usque, perpetuis Alemannorum vaſtationibus limes Rheni oudatus plane ſuit & pervius: urbes litoris Rhenani cuſtodes everſæ caruerunt Epiſcopis. (*o*) Anno CCCCLI. ſupervenit Attila, qui è Pannonia innumerabiles Hunnorum copias per utramque Danubii ripam ducens ad Rhenum, urbes & propugnacula Romanorum ſubvertit, (*p*) junctisque ſibi, in ſpem prædæ, Germaniæ populis, Rhenum ſæviente hieme transgreſſus, Metenſem urbem, pridie Paſchatos occupat, incendit, oppida vicina deditione capit, partim ferro & igne exſcindit, quæ ruina non potuit non noſtram quoqoe affligere Alſatiam. His, & vicinorum præſertim Alemannorum ad Rhenum ſuperiorem, Francicisque ad inferiorem Rhenum, perpetuis in Galliam irruptionibus factum, ut non Germaniæ modo noſtræ cis Rhenum, ſed & omnes Galliarum Provinciæ conquaſſarentur, & ex ſuis quaſi ſedibus excuterentur. Unde paulatim hæc Romanorum diviſio Galliæ concidit, imo & vetera pleraque populorum & urbium Galliæ nomina immutata fuerunt, quum renatæ ex ruinis urbes multæ nova nomina ſumereot vel acciperent; quod Argentorato ooſtræ quoque contigit, quæ Teutonicum nomen *Stratebnrg* accepit.

§. XLVI.


Diviſio Germaniæ recentior.

Quæ media ætate invaluit Germaniæ in ſuperiorem inferioremque diviſio, ad noſtram hanc Periodum non ſpectat. Trans-Rhenanam enim ſive Magnam potius, quam noſtram hanc reſpexit Germaniam. Superior nimirum comprehendebat Terram Rhenenſem, Sueviam, Bavariam, Franconiam, quæ in Ludis Equeſtribus dicebantur *die vier Lande* (quatuor Regiooes.) Inferior autem comprehendebat univerſam Saxoniam, quæ juris Saxonici. Unde diſtinctio in Juris Franconici & Saxonici Provincias nata. Diviſio ſuperioris & inferioris Germaniæ, quæ hodie obtinet, cum noſtra hac veteri nihil habet commune. Non modo enim Cis-Rhenanam hanc noſtram, ſed & Trans-Rhenanam, atque adeo univerſam, Germaniam complectitur, cujus meridionaliores Regiones Germania ſuperior, ſeptentrionaliores vero Germania inferior, in Tabulis, Syſtematibus Geographicis, communique Europæ uſu, appellantur.

CAPUT

(*m*) Tom. II. *Concilior*. pag. 615. ſed Acta ſuſpecta.
(*n*) Num. 88.
(*o*) BLONDELLUS *Apologia pro Hieronymo* pag. 133. Idem in *Pſeudo-Iſidoro* pag. 567. URSINUS *de Eccleſiar. German. Orig.* Lib. II. Cap. I. pag. 24. & Cap. V. num. 6. pag. 54. ÆGIDIUS BUCHERIUS Epiſtolam hanc tueri conatur *in Belgio Rom.* Lib. XVII. Cap. XIV. pag. 532. Sed illi quoque non ſemel aquam hærere videmus.
(*p*) PROCOPIUS *de Ædificiis* Lib. IV. Cap. V.

Digitized by Google



Digitized by Google

HEODOS. SEGMENTU
LSATIA ROMANA.



CO BIBLIOTH. CAES. VINDOB.


GEOGRAPH.

Alſatiæ Romanæ oppida.

Auguſta Rauracorum.

Auguſtæ Rauracor. ſitus.

Appellationis initium.



Rigomagus.viiii.
Antun
TREVERI.
Ausana.xii.
Beda.xii.
ATRI
Vimo.Burimedio.
Matriconvoi.
xlii.
xiii.
Abiolica. vi.
Condate.xxx
Leminco.xvi.
Mar
Culabone.xii.
Caro
Augustum.xiii.
Bocc
CAVAR
Alaunio.xiiii.
Segusterone
Reis.Apollinaris.
xxxii.
Ad turrem
Paccianis
iiii.
Tharrvte.
xii.
Lambiridi.

CAPUT IV.

DE URBIBUS, OPPIDIS, CASTRIS ET MUNIMENTIS, ALSATIÆ ROMANÆ.

§. XLVII.

Alſatiæ Romanæ oppida.

DIverſas Alſatiæ Romanæ diviſiones generatim conſideravimus, nunc deſcendendum ad partes, omniſque diſcutienda eſt Romana antiquitas; ut quidquid urbium, oppidorum, caſtrorum, munimentorum, aliorumque locorum, in omni illo tractu, quem hodierna complectitur Alſatia, ſub hac Periodo extitit, lectori repræſentemus. A Rauracis ducendum initium, indeque per Sequanos, Tribocos, ad Nemetes progrediendum. Ex his enim populis compoſita fuit vetus Alſatia, ita quidem, ut Rauracorum, Sequanorum, Nemetum, extrema tantum Alſatiam contingerent, Tribocorum autem Civitas omnis ei fuerit incluſa.

Auguſta Rauracorum.

Quamvis autem nonniſi extrema pars Raurici agri borealis hodiernæ Sundgoviæ noſtræ compoſuerit partem, ubi nimirum Rauracorum & Sequanorum collimitium fuit, uti in Periodo Celtica vidimus, conveniens tamen eſſe videtur, ut ad gentis hujus metropolim usque excurramus, atque præcipua illius urbis, florentiſſimæ olim, poſtea ſolo æquatæ, in ruinis ſuis tamen adhuc minas ſpirantis, fata examinemus; ex cujus, ut matris, fortuna, Sundgoviæ quoque noſtræ Rauracenſis, à Sequanica diſtinguendæ, fata pendebant. Accedit, quod ævo Carolino viſum eſt tempus, quo omnis Rauricus Ager comprehenſus fuit in Alſatiæ Ducatu, qui trans Juram, ad Arolam usque, Helvetiæ flumen, (q) tum ſe late extenderat, uti ſuo loco docebo.

AUGUSTA RAURACORUM.

§. XLVIII.

Auguſtæ Rauracor. ſitus.

In Gallica ergo Rheni ripa, ad Ergitiæ (r) Filinæque (s) oſtia, duobus milliaribus Francicis ſupra Baſiliam, atque uno infra Rhinfeldam, ſita fuit olim urbs *Rauricum*, Rauracorum mater communis; quæ ſub Auguſto aucta eſt Veteranorum Colonia, temporis ſucceſſu in vicum converſa. (t) Loci ad Rhenum trajiciendum opportunitas fecit, ut ab antiquis retro temporibus oppidum ibi conderent Rauraci, quod illis contra Germanorum Rhætorumque incurſiones (u) præſidio foret. Celtarum coloniæ, quæ ex Gallia in Germaniam, multis ante Æram Chriſt. ſeculis, migrarunt innumeræ, apud Rauracos Rhenum transiverunt pleræque; ut litora deinceps Danubiana, in Noricum, Pannoniam, imo & in Bojohemum, progreſſuræ legerent.

Appellationis initium.

JULIUS CÆSAR, qui omnium, quos legimus, Scriptorum primus Rauracorum gentem commemoravit, oppidi tamen gentis mentionem non fecit. HIERONYMUS SURITA (x) quidem ad vetuſtos Commentariorum Cæſaris Codices provocat, in quibus *Rauracum oppidum* & *Rauraci populi* diſtinctim nominentur, ſed nec tales egu Codices ullibi vidi, nec ab aliis unquam viſos me legere memini. Cajetana, quam mox producemus, Inſcriptio, Auguſti Imp. ætate, Munatio Planco, Coloniæ Rauricæ ductori, poſita, nomen oppidi prima dedit, illudque *Rauricam* vocat, niſi vocem adjectivo ſenſu malis accipere, & ad Coloniam referre, quod multis cum Surita incongruum videbitur. (y) PLINIUS, (z) qui diu poſt coloniam eo ductam ſcripſit, urbem ipſam diſtincte *Rauricum* vocat. "Iſter (ait) ortus in Germaniæ jugis montis Abnobæ, ex „ adverſo Raurici, Galliæ oppidi. „ AMMIANUS MARCELLINUS, (a) media immutata vocali,

(q) Medio ævo *Comitatus Rore* ibi fuit, ubi hodie Arovia eſt. In vicinia ejus ad pedes montis *Schaffmat* (quod communiter *Pratum Ovium* interpretantur, TSCHUDIUS dicendum putat *Schachmatt*,) vicus eſt *Ror*. Comitatus & vici nomina reliquiæ eſſe poſſunt veteris appellationis *Raurici agri*.

(r) *Ergolz*, *Ergeta*.

(s) *Violenbach*, Vulgus *Fielinen* vocat. TSCHUDIUS *Delin. Vet. Helv.* MS. pag. 137.

(t) Vicus hodie appellatur *Augst*. Duo ſunt hujus nominis vici, ſibi invicem propinqui. Alter Auſtriacæ ditionis, alter Baſilienſis territorii eſt. In hoc poſteriore rudera veteris Auguſtæ reperiuntur, adeoque in Baſilienſi, ita tamen, ut aliqua pars urbis antiquæ hodiernum Auſtriacum territorium tetigerit.

(u) STRABO *Geograph.* Lib. IV. Rhætos ut inquietos & vicinis graves deſcribit. Vindelici hic intelliguntur, ſub Rhætis ſæpe comprehenſi, ut Rauraci ſub Sequanis.

(x) *Emendationes in Itinerarium Antonini Augusti* pag. 509.

(y) Inſcriptionis verba ſunt: *In Gallia Colonias deduxit, Lugdunum & Rauricam.*

(z) *Hiſt. Nat.* Lib. IV. Cap. XII.

(a) Lib. IV. Cap. X. ubi: " Prope Rauracum „ ventum eſt, ad ſupercilia fluminis Rheni.

vocali, *Rauracum* effert. (*b*) Scilicet, uti populus ipſe *Rauraci*, *Raurici*, ita & Metropolis ejus *Rauracum*, *Rauricum* appellabatur promiſcue; perinde uti *Maſſiba* in nummis quoque appellatur *Maſſalia*.

§. XLIX.

Nominis origo.

Num ante Romanam dominationem aliud nomen peculiare, à nomine gentis diſtinctum, habuerit Rauracum, plane non liquet. Frequens quidem apud veteres Gallos, ut propria quadam appellatione ſignarentur Metropoles. Sequani Veſontionem, Mediomatrici Divodurum, Ædui Bibracten, Sueſſiones Noviodunum, Rhemi Durocortorum, Lingones Andomatunum, Bituriges Avaricum, Senones Agedincum, Pariſii Lutetiam &c. adeoque ſuam ſingulæ gentes urbem matrem habuerunt, cujus nomen à nomine gentis diſtinctum. Rauracorum Metropolis ſi proprium olim nomen habuit, illud temporum injuria periiſſe neceſſe eſt, prouti ipſa quoque duodecim oppidorum, quæ in Helvetia olim extiterunt, (*c*) nomina maximam partem perierunt. Urbem hanc ſuam, in qua publicus Civitatis Senatus, populique concilium habebatur, Rauraci, Helvetiorum imitati exemplum, in Galliam interiorem migraturi, combuſſerant, at una cum Helvetiis à Cæſare, gregis inſtar, in ſua ſtabula rejecti, paulo poſt reſtauraverunt. (*d*) Reſtaurata ſub Julio Cæſare, & quadraginta poſt annis ſub Augusto, amplificata fuit Militari Colonia, unde *Colonia Raurica*, & *Auguſta Rauricorum* cœpit appellari. Priore nomine in Munatiano Monumento & apud PLINIUM (*e*) venit, niſi quod in nonnullis ejus Codicibus *Colonia Rauriaca* legitur. CLAUDIUS PTOLEMÆUS eam Auguſtam primus appellat, Ῥαυρικῶν Αὐγοῦστα, (*f*) *Rauricorum Auguſta*, ſed omiſſo Coloniæ titulo. In *Itinerario* ANTONINI *Auguſta Rauracum*: (*g*) in *Tabula Peutingeriana*, ſive Theodoſiana, *Auguſta Ruracum* dicitur, quæ ipſa quoque Tabula orbem Trevirenſem Auguſtam Trevirorum, cum Claudio Ptolemæo, appellat, quam TACITUS (*h*) *Coloniam Trevirorum* vocavit. Tiberianus nummus, cum epigraphe, in parte poſtica: COL. AUGUSTA RAURACOR. ab HUBERTO GOLTZIO (*i*) prodoctus, ſi inter genuinos reputaretur, duo nomina, *Coloniæ* ſcilicet atque *Auguſtæ*, quod nullibi reperimus, conjungeret. Sed Goltzii auctoritas jam pridem decepit CLUVERIUM, (*l*) decepit VALESIUM, (*m*) aliosque.

§. L.

An urbe vocata Raurici.

Quum autem temporis progreſſu factum ſit, ut apud plurimos Galliæ populos, gentis nomen plurale urbi quoqoe matri ſoli tribueretur, ita ut urbs Divodurum vocari cœperit Mediomatrici, urbs Durocortorum Rhemi, urbs Avaricum Bituriges, urbs Agedincum Senones, urbs Teruanna Morini, urbs Lutetia Pariſii, uti ſupra (*n*) annotavi; mirum non eſt, AMMIANUM MARCELLINUM (*o*) Raoracorum urbem non *Rauracum* modo, ſed & *Rauracos* appellaſſe. Idem facit ANTONINI *Itinerarium*, quod uno in loco Auguſtam Rauracum, altero eandem *Rauracos* nominat. (*p*) EUNAPIUS SARDIANUS (*q*) denique, qui ſub Valentinianis vixit, non ſilentio transeundus, qui in *Vitis Cæſarum*, apud CONSTANTINUM *de Legationibus*, ait: Πρὸς τοὺς Ῥαυράκοις, ὃ ἐςι φρούριον, *apud Rauracos, quod Caſtrion eſt*; ubi Interpres male vertit: *quod eſt Romanorum Colonia*. In *Notitia Provinciarum & Civitatum Galliæ*, à SIRMONDO edita, (*r*) hæc Colonia Raurica, immutato plane ſtilo, uti apud Eunapium, *Caſtrion Rauracenſe*, in alia *Rauricenſe*, vocatur: quod ſeculo V. quo Notitia hæc condita, priſtinus ejus jam exoleverat

(*b*) Similis fere nominis oppidum apud Santones fuit *Rauranum*, *Itinerario* ANTONINI in itinere de Aquitania in Gallias, inter Aunedonnacum & Limonum pag. 459. In *Tabula Theodoſiana* appellatur *Raurana*. Locus *Raum*, *Rom*, priſci nominis veſtigia conſervat.

(*c*) CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. I. Cap. V.

(*d*) Idem. Cap. XXVIII.

(*e*) Lib. IV. Cap. XVII. ubi ſcribit: « Lingones » fœderati, Remi fœderati, Mediomatrici, Sequani, » Raurici, Helvetii; Coloniæ Equeſtris & Rauriaca.

(*f*) *Geographiæ* Lib. II. Cap. IX.

(*g*) In Itinere à Mediolano per Alpes Penninas Magontiacum pag. 353. Edit. Weſſel.

(*h*) *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LXII.

(*i*) *Theſaur. Rei Antiquar.* pag. 237.

(*l*) *Germaniæ Antiquæ* Lib. II. Cap. III.

(*m*) *Notitia Galliar.* pag. 467. In eandem referendus eſt claſſem ſimilis nummus, Aventicenſi Coloniæ ab eodem Goltzio adſcriptus, quem ſub Domitiano cuſum ait, cum Inſcript.

COL. IVL. AVANTICOR.

ſed eum Numiſmaticarum Rerum Scriptores & Numophylacia ignorant. Valeſius tamen, nummi hujus auctoritate inductus, à Julia Titi filia Aventicenſem Coloniam *Juliæ* nomen accepiſſe exiſtimat. CAROLUS PATINUS & Theupolianus apud Venetos Theſaurus, COL. IUL. item COL. IUL. FLAV. AUG. exhibent, ſed Juliam Avanticorum illi, cum cæteris optimæ notæ Antiquariis, prorſus ignorant.

(*n*) Lib. I. §. LXXI. pag. 69.

(*o*) Hiſt. Lib. XV. Cap. XI. « Apud Sequanos Biſontios videmus & Rauracos, aliis potiores » oppidis multis.

(*p*) In Itinere à Tauruno in Gallias pag. 251. ubi: *Finibus*, *Vitoduro*, *Vindoniſſa*, *Rauracis*, *Artalbinno* &c.

(*q*) In *Excerptis* CONSTANTINI PORPHYROGENNETÆ de *Legationibus*, quæ extant in *Hiſtor. Byzantinæ Scriptor.* Tom. I. pag. 12. Edit. Venet.

(*r*) Apud DU CHESNE *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. I. pag. 4.

Digitized by Google

GEOGRAPH.

exoleverat ſplendor; atque adeo Rauricum vetus in caſtrum, ſive oppidum minus, muro tamen cinctum, degeneraſſet; uti Argentouaria noſtra, eodem tempore ab Alemannis deſtructa, *Caſtrum Argentarienſe*; & Vindoniſſa ab altera Juræ parte ad Rhenum ſita, *Caſtrum Vindoniſſenſe*, in eadem Galliarum Notitia vocantur.

§. LI.

Auguſtæ Rauracor. ætates.

Tres ergo diverſæ loci hujus appellationes fuerunt, ex fatorum ejus diverſitate prognatæ. Primitus Rauricum vel Rauracum appellatio communis, à Romanis recepta, inde Colonia Raurica, Auguſta Rauracum & ſimpliciter Raurici; denique Caſtrum Rauricenſe, vel Rauracenſe, invaluerunt. Ex his Raurici oppidi incrementis & decrementis, ſtatibusve variis, variæ quoque exortæ ſunt ejusdem ætates, Infantia, Adoleſcentia, Senectus. In prima nonniſi mediocre oppidum fuit, quum omnes totius Raurici Agri incolæ ante cladem, à Cæſare acceptam, non ultra XXIII. millia hominum, quæ poſt reditum ad ſex millia redacta ſunt, expleverint. Secunda vero ætate Rauricum, Romana colonia auctum, urbs potens & munita evaſit, nobili Auguſtæ Rauracum titulo ſuperbiens, & maſcula jam effloreſcens juventa. Hac ſub Periodo mœnibus, turribus, munimentis, Aquæductibus, Templis, Theatro, Balneis, aliisque ædificiis & operibus publicis, ornata in pulcherrimæ civitatis molem excrevit, eoque in ſtatu permanſit, donec quarto quintoque ſeculis dextri Rheni litoris accolæ, Alemanni feroces, Civitatum munitarum infenſiſſimi hoſtes, non in ejus modo, ſed & in cæterarum Rheni ſuperioris urbium, limitis Romani cuſtodum, conjuraſſent perniciem: quod Alemannorum exemplum & aliæ nationes barbaræ, in magna illa gentium migratione ex ſeptentrione venientes, ſecutæ ſunt; quæ omnes in Galliam & Hiſpaniam penetraturæ limitem perruperunt Rhenenſem. Unde tertia ejus ætas ſucceſſit, ſenilis nempe, imo decrepita, in qua Rauricum non à nupero tantum Coloniæ Auguſtæ ſplendore decidit, ſed ne ad primum quidem oppidi ſtatum redire ullo modo potuit; convertendum in Caſtrum. Scriptor tamen ſeculi ſeptimi RAVENNAS GEOGRAPHUS (*s*) ex veteri memoria adhuc appellavit *Auguſtam*. Nec mirum, quum vel in villam converſus priſcum retinuerit nomen, uti Auguſta Prætoria in *Aoſta* contractum. (*t*)

§. LII.

Situs Auguſtæ Rauracæ.

Indubitatæ hæ nominis priſci Coloniæ Auguſteæ reliquiæ, vaſta ædificiorum magnorum rudera, Inſcriptiones, numiſmata, gemmæ, & alia hujus generis plura, urbis nobiliſſimæ, à Romanis habitatæ, veſtigia nuntiant. Sed quam illæ urbem, niſi Rauricam, poſſunt nuntiare? Indicat eam ſatis diſerte ANTONINI *Itinerarium*, quod uno in loco Vindoniſſa ad Rauracos M. P. XXVII. in alio autem ab urbe Saloduro M. P. XXII. Auguſtam Rauracum computat; nec ab eo *Tabula Theodoſiana* diſſentit, niſi quod utramque diſtantiam facit æqualem, ſive XXII. M. P. PTOLEMÆUS Auguſtam Rauricam ponit ſub gradu longitudinis XXVIII. longitudinis autem XLVII. 10. Quicquid ſit, menſura hæc omnis ad vicum Rhenanum Rauracenſem *Augſt* manu nos ducit. Inveniuntur tamen, qui veterem Rauracorum Auguſtam cum Baſilia urbe aperte confundunt. Faciunt hoc SAMMARTHANI (*u*) fratres, ubi in Baſilienſibus Epiſcopis ſcribunt: *Auguſta Rauricorum, Baſilea, . . . Colonia erat Raurica.*

Qui autem fieri potuerit, ut Auguſtæ Rauracorum ſitus à Rheno in Comitatum Burgundiæ relegaretur ad oppidum *Mandeurre*, id nemo non mecum mirabitur. Fecit id tamen DUNODUS, (*x*) è Sodalitio Jeſu. Hic Caſtrum Rauracenſe ab Auguſta Rauracorum ita diſtinguit, ut hanc Burgundiæ operoſe adſcribat, illud vero ad Baſiliam pertinere exiſtimet, quod ex Druſi caſtello caſtrum, ex caſtro urbs denique evaſerit, cui Baſiliæ nomen impoſitum. Quodſi profecto Antonini Itinerarium Tabulamque Theodoſianam diligentius inſpexiſſet Dunodus, non Auguſtam Rauricam, ſed Epamanduodurum vetus in hodierno *Mandeurre* facile inveniſſet; quod unanimi conſenſu faciunt juniores Geographi, ſimilitudine vocis & diſtantia locorum, in Monumentis notata, ad id inducti. Sed quid mirum, Rauracos in Burgundia quæſitos ab eo, qui Aventicum vetus,

(*s*) Lib. IV. Cap. XXVI. pag. 187.

(*t*) In Picardia quoque villa eſt *Augt*, ad maris litus, quod nomen ex *Auguſta*, reſiduum eſſe creditur: quem ad modum ex priſco Coloniæ Agrippinæ nomine contractum *Collen* ſupereſſe videmus. Scriptorum medii ævi quorundam ignorantia factum, ut locum hunc, quum Auguſtæ nomen ſemper retinuerit, *Auguſtodunum* appellarent, quod JONAM BOBIENSEM, *S. Euſtaſii Vita* Scriptorem ſeculo VII. item ANONYMUM *Vita S. Agili Abbatis Rebacenſis*, in Diœceſi Meldenſi, Auctorem feciſſe video. MABILLON *Vita Sanctorum.*

(*u*) *In Gallia Chriſtiana.*

(*x*) In Libro: *Decouverte de la ville d'Antre* Part. II. pag. 178. & 196.

vetus, Helvetiorum caput, in Burgundico quoque oppido *Autre* quæſivit; nullos in utraque conjectura ſua nactus ſequaces. Itinerarium Antoninianum ſane Auguſtam Rauracum uno in loco, inter Vindoniſſam & Arialbinnum, in alio inter Salodurum & Cambeten collocat., quæ Rauracæ Auguſtæ poſitio locum in Rhenenſi itinere quærendum eſſe indicat.

§. LIII.

Conditor Coloniæ Rauricæ.

Conditor Coloniæ Rauricæ fuit L. Munatius Plancus, ut ex Monumento ejus Cajetano elucet; ſive ſolus, ſive cum aliis; (y) Romanas enim Colonias, civicas præſertim, ex veteri inſtituto ducebant Triumviri, ſubinde Quinqueviri, Septemviri, imo & plures; (z) qui deinceps Duumviros, Decuriones (a) & reliqua Coloniæ munera, conſtituerunt, novisque colonis diſtribuerunt agros. Non ſemel tamen factum, ut uni colonia ducenda committeretur. Piſanorum coloniam, quæ *Obſequens Julia* dicta, non Triumviri, ſed unus Valerius, à Cæſare rem magnam atque difficilem, ut Tullius ait, juſſus perficere, duxit atque civitatis agros veteranis diviſit. Ita & Munatio ſoli Coloniæ Rauricæ ducendæ cura ab Auguſto tradi potuerat. Unde juniores coloniam hanc frequenter appellavere Munatianam; at veterum nullus ei nomen hoc dedit. Coloniæ ſuos Romæ habuerunt patronos: ductor primarius plerumque hanc clientelam ſuſcepit. Aventicenſis Helvetiorum Coloniæ Patronus celebratur C. Lælius, apud GRUTERUM, (b) ſi modo C. Lælii nomen ex fragmento vicino recte adjecit Paulus Guilielmus, qui eam Grutero communicavit. Similis Inſcriptionis fragmentum apud Rauricos repertum eſt, quod Coloniæ Patronum memoravit, ſed temporis injuria ejus nomen decuſſit. (c) Ut autem Coloniæ hujus Rauricæ origines accurate definiantur, chronologicus rerum Planci præmittendus eſt index, cujus ductu in clariore luce verſabitur Lector.

§. LIV.

Res geſtæ Planci.

L. Munatius Plancus, ex gente plebeja natus,

A. DCXCIV. Æræ Varron. Quæſtor fuit provincialis.

A. DCXCIX. Tribunus Plebis.

A. DCC. in Gallico Cæſaris bello Legatus Legioni præfectus fuit. (d)

A. DCCIX. Sub Cæſare Dictatore tertium Prætor urbanus, eodemque anno Præfectus Urbis fuit, ut Nummi teſtantur. (e)

A. DCCX. Legatus Cæſaris in Gallia ulteriore cum Prætorio vel Proconſulari imperio, tribus Legionibus Præfectus, dum Lepidus Narbonenſi præeſſet. Hoc anno Cæſar occiditur. Senatus Planco imperium prorogavit in Gallia, unde CICERO eum *Imperatorem* appellat. (f) Eod. anno Senatus Planco Lepidoque diffidens, ne Antonio ſe jungant, illis Silanoque in mandatis dat, ut Viennenſibus, quos Allobroges Vienna ejecerant, ad confluentes Rhodani Ararisque, urbem conderent, unde Coloniæ Lugdunenſis origo, (g) oppidum enim aliquod jam in monte vicino extiterat. Huc pertinere videtur celebris ille Munatii denarius argenteus, quo Jovis Capitolini caput laureatum ex una, atque ex altera parte Colonus, boves agens & ſtivam ducens, exhibetur cum epigraphe: *L. Munatius L. F. Plancus.* (h) Vacca bovi alligata, ſulcum muro novæ urbi condendo ducens aratro, indubitatus Coloniæ Romanæ typus eſt. Nomen Planci ab eo conditam arguit. Coloniis militaribus vexillum plerumque additur, (i) quod & Coloniam, ex Civibus & Militibus mixtam, denotare potuerat. Munatium Plancum Colonias duas duxiſſe quum conſtet, togatam nempe & militarem; nummus hic,

(y) In Lugdunenſi Colonia ducenda Collegæ Planci fuerunt Silanus & Lepidus.

(z) Decemviri quoque & Vigintiviri Coloniæ deducendæ, vel agris attribuendis ſæpe creati ſunt.

(a) Capite centum Decuriones decreti fuerunt à Triumviris, coloniam eo ducentibus. CICERO in *Orat. Agraria* II.

(b) *Inſcript.* pag. 427. WILD *Apologie pour la Ville d'Avenche* pag. 73. & 75.

(c) PATIN *Relations Hiſtoriques* pag. 112. Sed & aliæ Civitates ſuos habuere Patronos, uti exempli cauſa Sedunenſis. Vide SIMLERUM *Valeſia* ſuæ Lib. I.

(d) CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. V. Cap. XXIV. & ſeq.

(e) VAILLANT *Nummi Familiarum Romanar.* Tom. II. pag. 152. Cæſar ſex præfectos urbis tum conſtituit. DIO Lib. XLIII. PIGHIUS in *Annal. Rom.* Tom. III. pag. 460. Planci Tribunatum plebis ad annum hunc ponit. Quum autem Æram Catonianam ſequatur, annus DCCIX. Æræ Varronianæ, quam nos ſequimur, illi eſt annus DCCVIII.

(f) *Epiſt.* I. & VIII. Libri X. *ad Familiar.*

(g) DIO Lib. XLVI. hæc nobis memoriæ prodidit. EUSEBIUS in *Chronico* ſcribit: "L. Munatius Plancus, „ Ciceronis diſcipulus, Orator habetur inſignis, qui „ quum Galliam Comatam regeret, Lugdunum con- „ didit.

(h) VAILLANT *Nummi Familiar.* Tom. II. pag. 153.

(i) VAILLANT in *Nummis Coloniarum* paſſim.

GEOGRAPH.

hic, quod nullum militare ſignum habet, Lugdunenſem Coloniam deſignare credendus eſt: Rauricam enim militarem fuiſſe, omnes circumſtantiæ ſuadent. Plancus inter hæc dubius hæſit, Antonii, an Senatus Decimique Bruti, (qui à Julio Dict. deſignatus fuerat, ut cum Planco Conſulatum gereret,) partes ſequeretur. (*l*) Sed Antonii denique partes, quod & Lepidus & Aſinius Pollio jam fecerant, amplexus eſt. (*m*) Fecit hoc, ne Conſulatum, à Cæſare nuper illi decretum, amitteret, & ut Triumvirorum favore triumphi aſſequeretur honores; quibus ut placeret, fratris quoque ſui, Cn. Planci Plotii, proſcriptionem promovit: uti Lepidus Triumvir, qui mox cum Planco Conſul fuit, L. Paulum fratrem nuper proſcripſerat. (*n*)

§. LV.

An. DCCXI. Romam reverſus, menſe Decembri triumphavit de Gallia, uti FRAGMENTUM CAPITOLINUM (*o*) teſtatur; venerabile teſtimonium. Cajetana, quam mox daturi ſumus, Planci Inſcriptio Gallicum triumphum ſilentio præterit, Rhæticique tantum facit mentionem. Scomma militare in hoc triumpho, ob utriusque triumphantis Fratres nuper proſcriptos: *Planci Triumphus.*

DE GERMANIS NON DE GALLIS DVO TRIVMPHANT CONSVLES.

Plancus & Lepidus Conſules appellantur, quod in annum ſequentem jam deſignati fuerant. Plancus, in Gallia adhuc hærens, à CICERONE *Conſul Deſignatus* vocatur. (*p*)

An. DCCXII. Conſul fuit prima vice, & quidem cum Æmilio Lepido Triumviro, quum Cæſar Dictator Decimum Brutum Planco deſtinaſſet Collegam. (*q*)

An. DCCXIII. M. Antonii Legatus, à Fulvia uxore Antonii, qui ſe cum L. Antonio fratre Conſule contra Cæſarem Octav. conjunxerat, in auxilium venire juſſus eſt. (*r*) Plancus tum Legionem Cæſaris, quæ Urbem peteret, concidit in itinere: unde à militibus *Imperatorem* iterum appellatum fuiſſe veriſimile eſt. Conjeceram olim, voculam *iterum* in Cajetana Inſcriptione ad triumphum Rhæticum, quem cum Tiberio An. DCCXXIX Plancus egit, referri debere. Sed in aliam me ſententiam abire coegit M. Antonii Nummus, ubi hic *Triumvir Reip. Conſt.* vocatur ab una, & ab altera parte legitur: *Plancus Imp. iterum.* (*s*) M. Antonius autem An. Urb. Cond. DCCXXIV. jam periit, quum biennio ante inimicitia ejus cum Cæſare Octav. ſe manifeſtaſſet, adeoque Triumviratus omnino jam fuiſſet diſruptus. Denarius ergo hic in honorem Antonii Triumviri hoc tempore cuſus videtur, quo Plancus Antonii Legatus erat. Quumque idem Nummus ab ea parte, ubi Planci nomen, *Guttum* repræſentet, ad Sacerdotium ejus Septemviratus Epulonum, qui in Cajetana Inſcriptione memoratur, vas hoc ſacerdotale lubens retulerim. *Imperator appellatus.*

An. DCCXVIII. Plancus Conſul iterum factus, ut ONUPHRIUS PANVINIUS (*t*) conjicit, cum Coccejo Nerva, ſed modo ſuffectus, adeoque pauciſſimi forte temporis, unde à multis præteritus. PLINIUS Plancum bis Conſulem fuiſſe ſcribit. (*u*) Inde Syriam obtinuit M. Antonii nomine, ut auctor eſt Appianus, qui Plancum ſimpliciter nominat. Unde ſunt, qui de altero ejus Conſulatu ſubdubitant. (*x*)

§. LVI.

An. DCCXXII. Plancus, à Cleopatra ſugillatus, quod Antonio diſſuaſerat, ne ea bello intereſſet, ad Cæſaris Octaviani partes tranſivit, eique teſtamentum Antonii, contentorum conſcius, prodidit. Octavianus eum honoribus extulit. De hoc tranſitu ejus ſilentio tranſeunda non ſunt, quæ refert VELLEJUS: (*y*) "Plancus, (ait) non „ „ judicio *Ad Cæſaris partes tranſit.*

U

(*l*) VELLEJUS Lib. II. Cap. LXIII. & LXIV. ubi: "Plancus dubia, id eſt, ſua fide, diu, quarum „ eſſet partium, ſecum luctatus, ac ſibi difficile con- „ ſentiens, & nunc adjutor D. Bruti, deſignati Con- „ ſulis, Collegæ ſui, Senatuique ſe literis venditans, „ mox ejusdem proditor. „ Item: "Plancus Anto- „ nianarum adjutor partium, ſpem magis oſtenderat „ auxilii, quam opem ferebat Antonio.

(*m*) Plancum Antonii ſtudioſum fuiſſe vel Nummi indicant. Extant aurei argenteique denarii, ubi Antonii Triumviri nomen ex una, Planci ex altera parte comparet. VAILLANT *Nummi Familiarum* Tom. II. pag. 155.

(*n*) VELLEJUS Lib. II. Cap. LXVII.

(*o*) L. MVNATIVS. L. F. L. N. PLANCVS.
PROCOS. AN. DCCX.
EX. GALLIA. IV. K. IAN.

ONUPHRIUS PANVINIUS in *Faſtis & Triumphis Rom.* pag. 209. Ubi notandum eſt, annum 710. ab Onuphrio ſuppletum, qui Marmorum Capitolinorum Æram, id eſt, Catonianam, ſecutus An. 710. triumphum hunc ponit, quem Varroniana ponit ad 711. Addatur PIGHIUS in *Annal. Rom.* ad An. 710. pag. 479. Ceterum Marmora hæc Capitolina Æram Catonianam ſequuntur: Varronianam CICERO, AUGUSTUS, VELLEJUS, PLINIUS, PLUTARCHUS, TACITUS, CENSORINUS, potiorque pars Romanorum ſecuta eſt. Eandem adoptavit FL. JOSEPHUS. Secundum hanc Ludi ſeculares ab Imperatoribus indicti ſunt. Ex Junioribus BARONIUS, SCALIGER, PETAVIUS, MARSHAMUS, Varronianam quoque probarunt; quam & nos ſequimur. Ex hoc calculo Palilia, ſive annus primus Romæ conditæ, in annum III. Olympiadis VI. incidit. Cato poſuit annum IV.

(*p*) Lib. X. *Epiſt.* I. & VIII. *ad Famil.*

(*q*) VAILLANT in *Nummis Conſular.* Tom. II. pag. 155. Conſulatum hunc Planci vocat ſecundum, neſcio quo fundamento.

(*r*) APPIANUS *de Bello Civili* Lib. V.

(*s*) VAILLANT *Nummi Familiar.* Tom. II. pag. 155.

(*t*) *Faſtor. Conſular.* Adde ALMELOVEEN *Faſtos Conſulares.* pag. 103.

(*u*) *Hiſtor. Natur.* Lib. XIII. Cap. III.

(*x*) PIGHIUS in *Annalib.* ad An. DCCXVII. pag. 492.

(*y*) Lib. II. Cap. LXXXIII.

„ judicio recta legendi, neque amore Reipublicæ aut Cæſaris, (quippe hæc ſemper „ impugnabat,) ſed morbo proditor, cum fuiſſet humillimus adſentator Reginæ & infra „ ſervos cliens, cum Antonii librarius, cum obſcœniſſimarum rerum & auctor & „ miniſter, cum in omnia & in omnibus venalis, cum cæruleatus & nudus, caputque „ redimitus arundine, & caudam trahens, genibus innixus, glaucum ſaltaſſet, in convivio „ refrigeratus ab Antonio, ob manifeſtarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæſarem. „ Et idem poſtea clementiam victoris pro ſua virtute interpretabatur. „ Hæc Vellejus, magnus Tiberii, vitioſiſſimi principis, ſed non Munatii, adulator.

An. DCCXXVII. Planci ſententia Cæſar Octavianus à Senatu *Auguſtus* eſt appellatus. (z)

An. DCCXXXII. Cenſor factus cum P. Æmilio Lepido; (a) qui poſtremi ex privatis Cenſores.

An. DCCXXXIX. exercitum contra Rhætos cum Tiberio duxit.

An. DCCXL. cum eodem triumphavit de Rhætis. Paulo poſt ædem Saturni de manubiis Rhætorum fecit; (b) ex edicto Auguſti, quo juſſerat, ut Diis pars manubiarum ab hoſtibus reportatarum conſecraretur ab illis, qui agerent triumphum. (c) Altum inde de Planco per plures annos ſilentium, nihilque amplius rerum, ab ipſo geſtarum, occurrit. In Faſtis Conſularibus quidem

An. DCCLXVI. L. Munatius Plancus L. F. L. N. cum C. Silio in Fragmentis Capitolinis, (d) quæ hic deſinunt, Conſul memoratur. Conſulatum hunc ad Filium Planci referre ætatis ratio jubet. Qui enim credibile, in vivis adhuc fuiſſe Patrem An. DCCLXVI. qui An. DCXCIV. Quæſtor provincialis jam fuit. Sed & ad Munatii noſtri potius, quam ad fratris ejus, filium referrem hunc Conſulem. Quicùnque fuerit, poſt Conſulatum in Galliam profectus, teſtis fuit ſeditionis militaris in Germanicum Cæſarem motæ, quam Tacitus (e) prodit. Quis talem profectionem Planco patri, nonagenario minimum ſeni, ſi adhuc vixiſſet, adſcriberet? Sententiæ meæ fautorem habeo Joannem Glandorpium (f) & Vaillantium. (g)

Planci mors.

Incertum ergo Munatii noſtri tempus eſt mortis, qui verſus ſenium vergebat, quum Coloniam Rauricam duceret. Imago ejus ſenilis in Nummo argenteo Munatiæ gentis exprimitur, quam Planci filius, L. Plancus Triumvir monetalis, in Patris memoriam cudi curavit, verbis Coronæ querceæ inſcriptis: S. P. Q. R. OB CIV. SER. (h) Cave coronam hanc ad ullum Munatium referas, quæ ad Auguſtum pertinet. Civica quotannis offerebatur Auguſto, quam Triumviri monetales expreſſerunt in nummis. Monetæ percuſſæ tempore Plancum noſtrum jam obiiſſe neceſſe eſt; viventis imago enim non fuiſſet nummis inſculpta.

§. LVII.

Planci Monumentum ſepulcrale.

Hæc vitæ Munatianæ chronologica Synopſis ad figendam Coloniæ Rauricæ Epocham nos ducit, lucemque affundit Cajetanæ Inſcriptioni, quæ in Mauſoleo ejus hodieque ſubſiſtit. Extructum illud fuiſſe videtur, Planco vivente, ut mortuo eſſet ſepulcrale Monumentum. Inſcriptio enim nec ætatis, nec mortis ejus, ullam facit mentionem, quæ in hujuſcemodi monumentis prætermitti non ſolet. Stupendam hanc marmoream molem rotundam, quam *Turrim Orlandinam* nunc vulgus appellat, in Cajetano promontorio poſitam, quæ è longinquo ſeſe peregrinantibus terra marique offert, contemplatus ſum An. MDCCXXVII. menſe Aprili, Roma quum Neapolim peterem; Harrachiorum Comitum individuus comes. (i) Duobus illa murorum ſolidorum circulis conſtat: quorum exterior, ex ingenti quadrato ſaxo compactus, in diametro habet LXXXIV. pedes, unde magnitudo ejus colligitur. Nec minor altitudo, quum XXVII. ſaxorum ſeſquipedalium ordinibus evehatur in altum. Impoſita corona pinnis efformata, armorumque ſpoliis mire ornata eſt. Intrantibus per oſtium occurrit ambitus, ſeptem fere pedes latus, quem circulus interior opere lateritio ſpiſſo, altaque teſtudine exteriori

(z) Suetonius *Auguſt.* Cap. VII. Censorinus Cap. XX.

(a) Dio Lib. LIV. Plinius *Hiſt. Natur.* Lib. XIII. Cap. III. bis Cenſorem fuiſſe Plancum ſcribit.

(b) Romæ in trabe marmorea legitur:

L. PLANCUS L. F. COS.
IMP. ITER. DE MANIB.

Pighius in *Annal. Rom.* ad An. DCCXI. pag. 481. Suetonius *Auguſt.* Cap. XXIX. ait: *A Munatio Planco ædes Saturni exſtructa.*

(c) Dio Lib. LIV.

(d) Fragmenta Capitolina ad annum Urb. Cond. DCCLXV. ponunt: quia Æram Catonianam ſequuntur.

(e) *Annal.* Lib. I. Cap. XXXIX.

(f) *Onomaſticon Familiar. Rom.* in voce *Munatia.*

(g) Loco ſæpe allegato.

(h) Morellius *in Theſauro Familiar. Rom.* Tab. XXV. num. 18. Vaillant *Nummi Familiarum* Tom. II.

(i) Illuſtriſſimum par Fratrum, quorum alter Erneſtus purpuræ proximus erat, quum juvenis obiiſſet: Ferdinandus alter, Auguſtiſſimæ Thereſiæ Mediolani Pro-Rex, hic lubens meritoque commemoro, ut & Ephorum eorum, Marcium Abbatem, Virum, ingenio & prudentia validum.

exteriori, conjungit. Interior altiſſime clauſus concameratione formam rotundi templi in medio ædificii repræſentat, cum quatuor peramplis ſtatuarum loculis. Interiores parietes tectorio marmorato mire expoliti ſunt, magnoque candore renitent. Nullas feneſtras habet tota moles, radii per oſtium intromiſſi locum illuſtrant abunde. Plancianum hoc Mauſoleum ejusdem fere architecturæ eſt cum Cæciliæ Metellæ Monumento, quod Romæ, haud procul ab Urbe conſpicitur, at majeſtate ſuperat: quod & de Plautiæ gentis Mauſoleo dicendum.

§. LVIII.

Super oſtium titulus Planci, pulcherrimis & grandioribus literis, in Tabula ſculptus eſt. (*l*) Inſcriptio quum à plurimis vel corrupte vel imperfecte, & non ſatis accurate, ſit prodita, eam Antiquitatum ſtudioſis correctam & ex Monumento ipſo deſcriptam heic damus: Inſcriptio Mauſolei.

L. MVNATIVS L. F. L. N. L. PRON.
PLANCVS COS. CENS. IMP. ITER. VII. VIR
EPVL. TRIVMP. EX. RÆTIS. ÆDEM. SATVRNI
FECIT. DE. MANIBIS. AOROS. DIVISIT. IN. ITALIA
BENEVENTI. IN. OALLIA. COLONIAS. DEDVXIT
LVODVNVM. ET. RAVRICAM. (*m*)

Unicum hoc ex omni antiquitate teſtimonium ſupereſt, quod Coloniæ Rauricæ Conditorem aperiat; ſed teſtimonium venerandum & grave. Quodſi Latini Auguſteæ ætatis Hiſtorici ſupereſſent, de Coloniis illius ævi plura, quam ex Græcis, diſceremus. Quot Coloniarum ipſarum, nedum Conditorum, memoria periiſſet, niſi Marmorum auxilio prodiiſſent in lucem, Hiſtoria ſilente. (*n*) Veronam & Peruſiam Colonias unquam appellatas fuiſſe, lapides ſoli nos docent. Julius Cæſar octoginta civium millia in transmarinas Colonias miſerat, quarum notitiam ſine Inſcriptionibus & nummis nullam haberemus. (*o*)

§. LIX.

Lugdunenſis colonia, eodem auctore Planco prognata, plures, quam Raurica, brevi nacta eſt teſtes, Imperatorum & Cæſarum quum fieret ſedes. Tria olim in veteri Gallia inclaruerant Lugduna: Convenarum Lugdunum (*Comminges*) apud Aquitanos, Batavorum Lugdunum apud Belgas, & noſtrum Seguſianorum Lugdunum apud Celtas, Galliæ Lugdunenſis caput. Ex Lugdunis his ſolum Seguſianorum fuit colonia, & quidem novis mox ſub Claudio Imp. epithetis *Copiæ*, *Claudiæ*, *Auguſtæ*, condecoranda; quod Marmora, à PARADINO, MENETRIERIO, SPONIO, producta, nos docent. Ad poſtrema Inſcriptionis Cajetanæ verba obſervat RHENANUS: (*p*) "Neceſſe eſt, oppidum „ ſtetiſſe, quo colonia fuerit deducta: neque enim idem eſt, urbem condere & condere „ coloniam. Conditur urbs, dum exſtruitur, ubi ante non erat: conditur colonia, „ dum miſſis colonis occupatur. „ Idem ergo Raurico contigit, quod Lugduno, utrumque ante deductam coloniam oppidum fuit. Munatiani Monumenti Inſcriptio, ſi chronologicum rerum, à Planco geſtarum, ordinem ſervavit, Rauricam Coloniam poſt Lugdunenſem à Planco inſtitutam fuiſſe indicat. Sed in hujusmodi monumentis munerum & dignitatum gradus, non ordinis temporum, fuit habita ratio; contra quam MENETRIERIUS (*q*) exiſtimat. Licet autem cæteris in rebus temporis ordo in Inſcriptione non fuerit ſervatus, in coloniis Munatii tamen annotandis ſervatus eſt. Lugdunenſis coloniæ deductæ Epocham GUILIELMUS PARADINUS (*r*) viginti duobus annis ante Æram Dionyſ. ponit, adeoque anno Urb. Cond. circiter DCCXXXII. ſive ultra viginti annos ante Conſulatum Planci. CLAUDIUS DE RUBYS (*s*) vero, Paradini cenſor & corrector acerrimus Plancus ductor Col. Lugd.

(*l*) Mauſolei hujus Iconem diligentiſſime expreſſit PETRUS SANTUS BARTULUS, in Libro: *Sepolcri Antichi* &c. ex quo ſuam deſumſit BERNHARDUS DE MONTFAUCON in *Antiquitate Illuſtrata*, Lat. & Gallice edita, Tom. V. pag. 178. Inſcriptionem autem ſolam dedit LIPSIUS, qui à Fulvio Urſino eam acceperat, & omnium optime STEPH. VINANDUS PIGHIUS in *Hercule Prodicio* pag. 320. atque GRUTERUS *Inſcript.* Tom. I. pag. 439. Adde ONUPHR. PANVINIUM *Commentar.* in Libr. II. *Faſtorum* pag. 170. At male CLUVER. *Germ. Ant.* Lib. II. Cap. V.

(*m*) ÆGIDIUS LACARRY in Tract. *de Coloniis Gallicis* pag. 893. aliique errant, quando *Rauricum* vel *Rauricum* pro *Rauricam* poſuerunt. Idem fecit PATINUS in *Familiis Rom.* in *Munatia*, pag. 120.

(*n*) Huc referendæ Cædicia, Iſtonia, Lupia, Pampia, Senviſſa, Æſis, Apuleſium aliæque, quarum memoria Marmorum ope ſervata. ONUPHR. PANVINIUS in *Commentar. Reip. Rom.* Lib. III. pag. 330. ſqq.

(*o*) NORIS *Cenotaphia Piſana* Differt. I. Cap. II. pag. 20. & 24.

(*p*) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 263.

(*q*) *Hiſtoire Conſulaire de Lyon* pag. 87.

(*r*) *Hiſtoire de Lyon Liv.* I. *Chap.* VII. pag. 9.

(*s*) *Hiſt. veritable de la Ville de Lyon* Lib. I. Cap. II.

acerrimus, natales Lugduni ad annum Urb. Cond. DCCXI. rejicit: quæ epocha Dionysio Petavio, (t) Jacobo Sponio, (u) aliisque plurimis probata. Claudius Menetrierius (x) vero, Ariſtarchus utriusque, & in alia omnia diſcedens, Lugdunenſis Rauricæque coloniæ origines uno in loco poſt triumphum, de Rhætis An. DCCXL. à Tiberio & Planco actum, collocat: in alio, (y) ſibi non conſtans, inter Lugdunenſis & Rauricæ coloniæ deductionem magnum interjicit ſpatium, Rauricamque poſt An. DCCLXVII. ſive XIV. Æræ Dionyſianæ, quo Auguſtus obiit, relegat. Munatius Plancus quidem, ſed à noſtro diverſus, tum geſſit Conſulatum, uti modo annotavimus, eoque geſto ad Germanicum profectus in Galliam, ſeditionis militum Romanorum ipſe teſtis fuit. Hac ſedata miſſos in Rhætiam veteranos commemorat Tacitus, (z) *ſpecie defendendæ Provinciæ, ob imminentes Suevos*, revera autem, ut rebellionis participes ſepararentur.

Ab his ipſis veteranis Rauricam Coloniam ſuas origines cepiſſe, Menetrierius conjicit, ſed conjicit male: quum Rhæticam coloniam Tacitus verbis expreſſis, non Rauricam, indicet. Sed & anno hoc quum Auguſtus obierit, (a) *Auguſtæ* nomen Raurica Colonia non facile accepiſſet. Adde, quod & ipſe Munatius, Coloniæ ductor, non amplius inter vivos tum agitaſſe cenſendus ſit, vel certe nonagenarius ſenex reputandus: quem in Galliam ad Germanicum, militandi cauſa, profectum fuiſſe, quis ſibi perſuadeat? Menetrierius ergo utriusque Coloniæ, à Planco ductæ, epocham dum ſollicite quærit, neutram invenit, non exigua licet eruditione inſtructus. Sed nos ſuum illi Lugdunum relinquimus, de Raurica Colonia unice ſolliciti.

§. LX.

Rauricæ Col. ductæ tempus.

Conſulatum ſane An. DCCLXVI. geſtum ad quemvis alium Plancum, quam ad Coloniæ Rauricæ ductorem, ſupra retulimus. Conſentientes habeo viros doctiſſimos, Justum Lipsium (b) & Joannem Glandorpium. (c) Quodſi Cajetanum Monumentum Planci expreſſiſſet ætatem, in clara luce verſaremur. Nunc ex collatis inter ſe circumſtantiis rerum conjectura omnis petenda eſt. Suadere autem hæ nobis videntur, ut Coloniæ Rauricæ deductæ tempus in annum Urb. Cond. DCCXL. Cn. Lentulo & M. Licinio Coſſ. ante Chriſtum anno XIV. referamus.

Conjecturæ meæ fundamentum ex Dione deſumo, qui Auguſtum hoc anno apud Gallos egiſſe, multasque in Galliam & Hiſpaniam dimiſiſſe colonias, ſcribit: (d) quarum tamen coloniarum nullam recenſet. Turbatas ille Galliæ res tum redegit in ordinem, Imperii proſpexit limitibus; quumque eo ipſo tempore grave bellum cum inquieta Rhætorum gente eſſet finitum, Auguſtus Coloniam in Rauracis Rhætis & Germanis oppoſuit. Vivus & vegetus tum adhuc eſſe potuit Munatius Plancus noſter, qui victoriam nuper à Rhætis reportaverat, annoque ſequenti ex illis triumphavit. Ex hoc calculo inter Lugdunenſis & Rauricæ Coloniarum conſtitutionem toti XXVIII. anni interceſſerunt. Si quem offendat, Coloniæ Rauricæ conſtitutionem à me poni anno, qui Planci triumphum de Rhætis præceſſit; quum Cajetana Inſcriptio Coloniam Rauricam, poſt reliqua ejus geſta commemoret; illi quæ jam dicta ſunt repeto: in marmoribus & nummis, ubi res geſtæ enumerantur, non facile temporis rationem haberi; quod tritum eſt illis, qui ejusmodi monumenta frequentius tractant. Munatianum marmor an non Conſulatum & Cenſuram Planci prius memorat, quam Imperatoris titulum, Plancus licet Imperatoris honore ornatus triumphaverit, ante quam Conſulatum Cenſuramque geſſiſſet? Quodſi quis tamen, ſuæ ſententiæ tenax, coloniæ Rauricæ initia nonniſi poſt Rhæticum triumphum, in Monumento memoratum, ponenda eſſe, pertinacius contendat, illi concedimus, ut deductionem coloniæ poſt actum triumphum ad An. DCCXL. adeoque uno anno ſerius ponat; quando indubitatum, omnes Munatii res geſtas, in Monumento narratas, An. Urb. Cond. DCCXL. jam fuiſſe completas.

§. LXI.

(t) *Doctrina Temporum* Lib. XIII. pag. 367.

(u) *Recherches des Antiquités de Lyon* pag. 3.

(x) *Diſſertatione tertia de Coloniis Romanis Lugdun.* pag. 17. quæ præfixa eſt *Hiſtoriæ* ejus *Lugdun.* Gallice ſcriptæ. Adde ipſam Hiſtoriam pag. 93. Ceterum in hoc libro Menetrierius operoſe probat, Lugdunum pridem extitiſſe, antequam Coloniam in eam Plancus deduxerat, & quidem in monte vicino a Græcis antiquitus conditum.

(y) Ibidem pag. 97.

(z) *Annal.* Lib. I. Cap. XLIV.

(a) Auguſtus obiit anno Urb. Cond. DCCLXVII. Æræ Varron. XIV. Kal. Sept. ætatis An. LXXV. natus Conſule Cicerone.

(b) Lipsius ad hunc Taciti locum. Lib. I. *Annal.* Cap. XLIV. ſcribit: " Munatium illum eſſe, " qui Cenſor fuit An. DCCXXXII. fuge credere: " non facile ætas fert, non Taciti verba.

(c) *Onomaſtici Romani* pag. 613.

(d) Lib. LIV.

§. LXI.

Raur. cujus generis Colonia.

Ceterum Coloniæ nomen triplici modo urbs potuit acquirere. Primo, quum à fundamentis exſtructa à novis plane Colonis, in area, ubi nulli prius incolæ. Alter modus, quum in oppidum pridem exſtructum, aliumve locum, jam antea habitatum, fuit ducta Colonia: vel in ſupplementum, vel in pœnam priorum civium, vel quod opportunitas loci id requirere videatur. Ita Coloniæ, & togatæ, & militares, & mixtæ, condi deducive ſolebant; (*e*) atque hinc nova nomina novarum urbium Coloniis indita. Tertius, quum abſque ulla Veteranorum aut Civium traductione urbs nomine tantum & jure Coloniæ fuit donata: id eſt, ex Municipio aut Præfectura evaſit Colonia, quod Anagniæ, Cumis aliiſque, contigiſſe legimus. Receptiſſima fuit Claſſis ſecunda, ad quam binas noſtras Munatianas, imo & Agrippinenſem, referendas cenſemus. Sunt quidem, qui in poſtremam hanc novos colonos non fuiſſe deductos exiſtimarunt, ſed veteres incolas loci Germanos donatos fuiſſe jure Italico. At Tacitus (*f*) confutat eos, ubi: "In oppidum (inquit) Ubiorum, in quo genita erat Agrippina, veteranos „ coloniamque deduci imperat. „ Rauracum noſtrum, antequam Romanos acciperet colonos, oppidum jam fuiſſe, omnes circumſtantiæ clamant. Colonis vero auctum Munatiana moles docet aperte, quando Lugdunum & Rauricam colonias à Planco ductas profitetur. Quodſi Raurica urbs jus ſive privilegia & prærogativas modo accepiſſet coloniæ, abſque colonis, Inſcriptionis Munatianæ verba aliter concepta fuiſſent. Idem de Lugduno dicendum, ubi incolæ oppidi in monte fuerunt, antequam Munatius Viennenſes exules ibi poneret; uti ex Plutarcho haud obſcure addiſcimus, atque ex eo Claudius Menetrierius (*g*) operoſe adſtruxit. An Petrus de Marca, (*h*) Romanos colonos Lugdunum à Claudio Imp. primum fuiſſe deductos, recte aſſeruerit, noſtrum heic diſcutere non eſt. Lipsius, Labbeusque docuerunt, Lugdunenſem Coloniam ex profugis Viennenſibus compoſitam quidem, Romanos tamen colonos eis fuiſſe immixtos.

§. LXII.

Coloniæ Romanæ ad Rhenum.

Ceterum nulla unquam ad dextram Rheni ripam à Romanis conſtituta fuit Colonia. Ad ſiniſtram, pro Rheno cuſtodiendo, à Romanis intra unius ſeculi ſpatium tres ductas fuiſſe reperimus. Prima, ſi tempus reſpicias, Raurica noſtra fuit, imo & omnium ſuprema, ſi ad ſitum advertas; quippe quæ Rheni fontibus propior reliquis, ſed & Danubii fonti propinqua: unicaque ad Rhenum ſuperiorem Colonia. Reliquæ duæ ad inferiorem poſitæ, Colonia Agrippinenſis Ubiorum, (*Cœllen*) & Colonia Trajana. (*i*) (*Kellen*) Colonia Agrippinenſis, & temporis ratione & ſitus, ad Rhenum eſt ſecunda Colonia; ab Agrippina, Germanici Cæſaris & Agrippinæ, neptis Auguſti, filia, Caji Imp. ſorore, Claudii Imp. conjuge & Matre Neronis, exſtructa, quod ibi genita eſſet, ut Tacitus (*l*) tradit. Colonia Ulpia Trajana denique & temporis, quo deducta, & ſitus ratione fuit omnium trium poſtrema. Hæc, ut & Raurica noſtra, periit; ſola remanente media, quæ ad hunc usque diem nomen *Coloniæ* retinet. In cæterarum nominibus tamen hodiernis priſcæ dignitatis originiſque veſtigia adhucdum ſuperſunt. (*m*) Bonna nunquam *Coloniæ Juliæ* inſignita fuit nomine, licet id aſſeruerit Lacarrius. (*n*)

§. LXIII.

Coloniæ Juliæ, Auguſtæ.

Urbes immunitate aliqua, ſeu titulo Coloniæ; à Julio Cæſare donatæ, vel à novis colonis illius juſſu funditus exſtructæ, appellatæ ſunt *Juliæ*. Quæ ab Auguſto originem vel nova jura acceperunt urbes, *Auguſtæ* ſunt dictæ; quæ vero à Julio Cæſare

conſtitutæ

(*e*) Hyginus *de Limit. conſtitut.* de Auguſto ait: " Quibusdam deletis hoſtium civitatibus novas urbes „ conſtituit; quosdam in veteribus oppidis deduxit, „ & colonos nominavit.

(*f*) *Annal.* Lib. XII. Cap. VII.

(*g*) *Hiſtoire Conſulaire de Lyon* Diſſert. I.

(*h*) *Diſſert. de Primatu Lugdunenſi* pag. 288.

(*i*) Menso Altingius *in Notitia Bataviæ* pag. 45. ubi hanc ſimpliciter *Coloniam Trajanam* fuiſſe appellatam oſtendit, quum Dacica Trajani Colonia vocaretur *Ulpia Trajana*, & Numidica ſimpliciter *Ulpia.*

(*l*) *Annal.* Lib. XII. Cap. VII. ad An. Urb. Cond. DCCCIII. ubi: "Agrippina, quo vim ſuam „ ſociis quoque nationibus oſtentaret, in oppidum „ Ubiorum, in quo genita erat, Veteranos Coloniam- „ que deduci imperat; cui nomen inditum ex voca- „ bulo ipſius. Ac forte acciderat, ut eam gentem, „ Rheno transgreſſam, Avus Agrippa in fidem acci- „ peret. „ Ubii nimirum Rhenum transgreſſi ſunt, Vipſanio Agrippa Conſule, qui Avus fuit Agrippinæ An. Urb. Cond. DCCXVII. Vid. Ægidius Gelenius *de Magnitudine Coloniæ Agrippinenſis* Syntagm. I. pag. I.

(*m*) Uti *Augst* ab Auguſta, ita *Kellen* à Colonia Trajana, ſupereſt. Uterque vicus ignobilis; hic Clivenſis hodie Ducatus inter Noveſium & Neomagum, tribus millibus paſſuum à divortio Rheni.

(*n*) *Hiſt. Coloniarum Galliæ* Lib. IV. Cap. XX. Vicus olim Bonna, vallo ac muro, ad oppidi inſtar, à Romano milite cincta in uſum Caſtrorum primæ Legionis. Caſtra hæc prima inferioris exercitus, ſed nunquam Colonia.

GEOGRAPH.

conſtitutæ primum; ab Auguſto novis colonis frequentatæ, *Juliæ Auguſtæ* vocabantur; ut Julia Auguſta Berytus, Julia Auguſta Heliopolis, Julia Auguſta Cremna. Quæ ſimpliciter Cæſareæ dicuntur, ab alterutro conſtitutæ fuerunt. Duo de triginta Colonias ab Auguſto Imp. vel ejus ſub auſpiciis, ductas fuiſſe, TRANQUILLUS (*c*) annotat, ſed non nominat. Non omnes tamen ſub eo conſtitutæ vocabantur *Auguſtæ*, ſed nec omnes urbes coloniæve, quæ Auguſtarum inſigniuntur titulo, ad Cæſarem Auguſtum referendæ ſunt; quod cognomen hoc ab aliis quoque Imperatoribus poſt Auguſtum conceſſum eſt urbibus. Ipſa ſane Agrippinenſis Colonia, ſexaginta & quod excurrit annis poſt Rauricam, Auguſto pridem mortuo, condita, *Auguſtæ* tamen ornata eſt nomine, teſte veteri apud Beneventanos marmore; (*d*) ubi *Colonia Claudia Auguſta Agrippinenſium* appellatur. Nec de Lugdunenſi Colonia res prorſus indubia, quando agnomen obtinuerit *Auguſtæ*, quum jam An. DCCXI. adeoque diu ante Auguſti Imperium à Planco colonia illa condita fuerit. Noviodunum Sueſſionum vero, Celtica veteri appellatione depoſita, ab Auguſto nomen Latinum Auguſtæ Sueſſionum accepit: quo etiam Colonia Aug. Trevirorum, Colonia Auguſta Vindelicorum, aliæque referendæ ſunt. Scilicet, quibus nomen Auguſtæ proprium, uti Rauricæ noſtræ accidit, illæ ad Auguſtum plerumque referendæ ſunt: quibus vero nomen proprium aliud eſt, atque cognominis loco acceſſit Auguſta, quod Aventicenſi contigit, illæ poſteriores eſſe poſſunt Auguſto: quandoquidem cognominum ambitio, an adulatio, mire poſt Auguſtum creverat, & ſingulæ urbes ſibi, quotquot vellent, propria ſæpe auctoritate delegerant, uti DIO (*e*) notavit. Ceterum, qui factum ſit neſcio, ut ORTELIUS (*f*) aliique Spiram, Alſatiæ vicinam, inter *Urbes Auguſtas* referre voluerint, quum omnis eam Antiquitas ſileat; ipſum quoque Itinerarium Antonini, quod Æthico adſcribunt nonnulli; ad quod tamen Ortelius provocat.

§. LXIV.

Raurica Colonia Auguſta.

GUILLIMANNO (*g*) aliiſque veriſimile viſum, coloniæ Rauricæ non ipſo deductionis tempore datum nomen *Auguſtæ*, ſed hoc temporis demum acceſſiſſe progreſſu. Sententiæ ſuæ cauſam non protulit Guillimannus, quam forte credidit, quod ante Ptolemæum nullus Scriptorum eam nominat *Auguſtam*. Verum enimvero Coloniam militarem veteranorum, à Conſulari & Cenſorio viro, qui titulo Imperatoris non ſemel ornatus fuit, qui Cæſarum, Dictatoris & Auguſti, gratia tot annis floruerat, hujuſque ſub auſpicio ductam, in Provinciam limitaneam, quæ ad Auguſtum ſpectabat, ad aliarum exemplum, eo ipſo tempore, quo ducta eſt, Coloniæ Auguſtæ nomen accepiſſe, cur dubitaremus, nulla quum ratio in contrarium militet? Neque vero, præter *Auguſtæ* axioma, ullum aliud epithetum Rauricam Coloniam habuiſſe novimus. Soror ejus Lugdunenſis, quæ ad majorem ſubito ſplendorem aſcendit, variis ornata eſt titulis, à Claudio Imp. *Claudia*, ob divitias vero & abundantiam rerum *Copia*, fuit cognominata. Colonia Aventicenſis quoque ab Imperatore Flavio Veſpaſiano, ſub quo ducta, nomen *Flaviæ* accepit, ſed inſuper *Piæ*, *Conſtantis*, *Emeritæ*, acceſſerunt elogia. (*h*) Aliæ *fideles*, *florentes*, *novæ*, *firmæ*, *illuſtres*, *fortiſſimæ*, *primiſſimæ*, *ſplendidiſſimæ*, appellabantur: quorum epithetorum nullum Rauricæ unquam Coloniæ acceſſit.

Opportunitas ſitus.

Oppidi Raurici ſitus tanta opportunitas fuit, ut ad coloniam eo ducendam facile invitarit Auguſtum. Porta hæc eſt, quæ aditum Rauraci Agri claudit & aperit illis, qui ex Italia, Rhætia Helvetiaque, profecti per Vocetium montem adveniunt, vel qui Rheno ſupra Rauracum trajecto cum deſcendere, aut in Galliam penetrare, conantur. Unde hodieque belli tempore militum ibi præſidium ponitur; hoſtibus utrinque obex. Accedit duorum fluviolorum, Filinæ nimirum atque Argitiæ, conjunctio, quæ ubi in urbe facta eſt, paulo poſt uno oſtio devolvuntur in Rhenum; qui Auguſtæ Rauracæ mœnia olim alluebat.

§. LXV.

(*c*) *In Auguſto* Cap. XLVI.

(*d*) Apud LIPSIUM in *Notis* ad Lib. XII. *Annal. Taciti.* EBERHARDUS RAU *Monumenta Vetuſtatis Germanicæ, de Ara Ubiorum* &c. pag. 9.

(*e*) Lib. LIV.

(*f*) *Theſaur. Geograph.* in voce: *Nemetes*, ubi appellatam fuiſſe tradit Auguſtam Nemetum.

(*g*) *Rerum Helvet.* Lib. III. Cap. XI.

(*h*) Teſte veteri Marmore apud STUMPFIUM, GUILLIMANNUM, GRUTERUM *in Inſcript.* pag. 427. & WILDIUM *in Apologie pour la Ville d'Avenche* pag. 73.

§. LXV.

Finis ergo hujus deducendæ Coloniæ varius eſſe potuit. Locus tam opportunus præſidio valido firmandus: eoque validiore, quod Imperii fuit limes, ubi ab omni tempore frequentes fuerunt tranſitus Rheni. Situs ejus paulo infra catarractas minores Rheni, ubi fluminis curſus immutatur, & facta inflexione ſeptentrionem verſus dirigitur. Sed & ad conſilium hoc ſuſcipiendum Auguſtum invitare potuerat, incolarum Raurici Agri raritas; ob Germanos vicinos periculoſa, quos loca illa non ſatis habitata occupandi libido tenuerat. Id ipſum ſane ne fieret jam timuit Julius Cæſar, Rauracos Helvetiosque emigrantes ad ſuos agros relegans. Enimvero temeraria Rauracorum in Galliam interiorem migratio, quam cum Helvetiis infeliciter ſuſceperant, eorumque, poſt cladem à Romanis acceptam, reditus in penates combuſtos; inſecutus mox Arioviſti cum Germanis ſuis cis Rhenum ad Rauracos & Sequanos tranſitus, quorum ager Rhenenſis per totos XIV. annos ab Arioviſtinis copiis occupatus, non potuit non incolarum veterum raritatem producere; (*i*) cui Planci colonia remedium attulit, atque ſimul Rauricorum nativorum patrimonio pepercit; quum alias Romanorum Triumvirorum coloniæ deducendæ perticam, ſive decempedam, exhorreſcerent Provinciales; (*l*) cujus perticæ forma adhuc in nummis viſitur. Sed & Auguſtum denique ad Coloniam hanc ducendam excitare potuerunt turbulenta Rhætorum, qui ad Danubium usque habitaverant, ingenia & perpetui motus, quos nuper Plancus in ordinem redegerat. Adeoque & inquietam Rhætiæ gentem, & ſimul Germanorum in Gallicum Rheni litus tranſeundi pruritum, Colonia Munatiana compeſcuit. Eundem finem habuit Auguſtus, quum coloniam Auguſtam Vindelicorum duxiſſet. Adverſus duas has bellicoſas nationes, quarum Rhætica nondum ſatis pacata, altera implacabilis & conſtans Romanorum hoſtis fuit, Rauricenſe hoc Armamentarium extructum, unde vel inferretur bellum, vel repelleretur illatum. Habuit enim à meridie Vocetium, Juræ partem, vicinum, qui ibi Rhenum attingit; ab ortu Abnobam montem, ubi fontes Danubii, qui una cum Rheno fortiſſimus erat limes Romanus. Adde quod Danubianarum atque Rhenenſium Legionum commune vinculum hæc colonia conſtituit, per quod illæ inter ſe communicaverant: atque ita Pannoniæ, Noricum, Vindelicia, cum urbibus Rheni commercium non interruptum Coloniæ Rauricæ ope habuerunt, nonniſi ſec. IV. interrumpendum. (*m*)

Finis Coloniæ Raurac.

§. LXVI.

Sub Conſtantio Julianoque Imperatoribus, quum Vadomarius, frater Gundomadi, in illis Alemanniæ partibus, quæ hodie Briſgoviam & Silvam Martianam Abnobamque montem comprehendunt, adeoque in regionibus, Rauricæ urbi ex oppoſito ſitis, regnaſſet, & ad Lacum usque Lemannum penetraſſet, Alemannici hujus belli occaſione numeroſas ſemper copias apud Rauracos fuiſſe, ex Ammiano intelligimus. Vadomarius Conſtantium Imp. qui anno CCCLIV. pontem ibi ſtruere conabatur, impedivit quidem, at quum per loca vadoſa Conſtantius Rhenum tranſiiſſet, eum in Regno ſuo expertus eſt hoſtem. Sed irruptionibus his Alemanni vinculum illud Rheni Danubiique interruperunt. Anno CCCLV. Conſtantium Imp. ex Rhætia, adeoque à Danubiano latere hoſtem Vadomarius vidit, dum Julianus Cæſar ab altero verſus Rhenum inſtaret. Anno CCCLVII. Barbatio, Magiſter peditum, cum XXV. millibus armatorum à Conſtantio Imp. miſſus eſt, ut ibi obſervaret Alemannos, dum Julianus eos ex Inſulis Rheni ejiceret, Galliamque ab Alemannis purgaret. Anno CCCLX. Julianus Imp. quum Rhenum aſcendiſſet, & paſſim arcibus contra Alemannos muniviſſet, ad Rauracos usque venit, rebusque ordinatis ibi, Veſontionem profectus eſt, ut Viennæ hiemaret. Anno denique CCCLXI. quum Julianus contra Conſtantium ipſum proficiſci decreviſſet, Rhenum apud Rauracos tranſivit, exercitumque ſuum per Danubii oram deduxit.

Col. Raur. contra Aleman.

§. LXVII.

(*i*) Rauracorum XXIII. millia emigraverunt; nonniſi tertia pars rediit; unde vix octo millia hominum Rauricenſem agrum tum coluerunt. CÆSAR *Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXIX. ubi annotatur ſumma omnium emigrantium CCCLXVIII. mill. redeuntium vero nonniſi CX. mill.

(*l*) Dabantur novis Colonis duo, quatuor, imo ad ſeptem usque, agrorum jugera, imo plura quandoque. Plura hac de re SEXTUS JUL. FRONTINUS in Libro *de Coloniis* paſſim. De Colonia Volterrana ſcribit: "Lege Triumvirali eſt aſſignata, in Centu„rias ſingulas jugera CC." Vid. pag. 360. Edit. Rob. Keuchen.

(*m*) TACITUS *Hiſtor.* Lib. I. Cap. LXVII. hujus rei documentum nobis exhibet; ubi Epiſtolas, quæ Germanici exercitus nomine ad Pannonicas Legiones ferebantur, ab Helvetiis interceptas fuiſſe, memoriæ prodidit. Literæ enim hæ per Argentoratum Auguſtam Rauracorum, inde per Vindelicos ſive Rhætos, viamque adeo Danubianam, ad Pannonias pervenire debuiſſent.

§. LXVII.

Raurica Juris Italici.

Ante Syllam colonias tantum togatas reperimus, poſt Syllam militares pleræque; Cæſar enim & Auguſtus ejus exemplum ſecuti ſunt. Triumviris deducendæ coloniæ limites, & jugerationis modus dabantur. De Nuceria ita ſcribit Frontinus: (n) „ Nuceria Conſtantina muro ducta juſſu Imperatoris Auguſti. Iter populo debetur „ LX. Ager ejus limitibus Julianis aſſignatus eſt; lege Auguſti limites aſſignati, & „ alibi in abſoluto reſident. „ Tergeſtina Colonia ab Auguſto deducta eſt. Vetus Inſcriptio notat: IMP. CÆS. MVRVM TVRRESQVE FECIT. Non omnibus ergo Coloniis ductus eſt murus. Sed & veteribus incolis in agros illis relictos jurisdictio ſalva permanſit. (o) Rauricam Coloniam muro clauſam fuiſſe nemo dubitaverit, quod eam Rheni cuſtodem Auguſtus conſtituit. Nec ratio nobis ſuppetit, ob quam veteribus Raurici oppidi incolis priſcum jus ſuum ereptum fuiſſe credamus; Raurico illi jure ſuo provinciali vixerunt, quum ſuo quoque jure peculiari viverent novi coloni, Rauricis mixti. Quo jure autem novi hi uterentur coloni diſpiciendum eſt paucis. Colonus, coloniæ novæ adſcriptus, jus Civitatis, quo prius gaviſus eſt, amiſit, & jus illius acquiſivit coloniæ, ad quam nomen profeſſus eſt. (p) Quadruplicis generis Coloniæ apud Romanos extiterunt, prouti nempe Quiritium, Latii, Italiæ aut Provinciali, jure regerentur. Jus Quiritium uti perfectius fuit jure Latino, ita Italicum Provinciali perfectius. Coloniis Trans-Padanis C. Cæſar Dictator creatus Romanam civitatem, ſive jus Quiritium, donavit, poſtquam Pompejus Strabo illis antea jam jus Latii dediſſet, quod factum poſtquam tota Italia fuerat civitate ornata: (q) Julius Paulus, magnus ille Romanorum Jure Conſultus, ſub Sept. Severo & Caracalla Conſul & Præfectus Prætorio, varias enarravit colonias, quæ jure Italico vixerint, interque eas Lugdunenſem & Viennenſem in Gallia, Agrippinenſem in Germania inferiore, nominavit. (r) Rauricam præterivit ſilentio, veriſimile tamen, eam jure Italico rectam fuiſſe ad inſtar ſororum. De Auguſta ſua Vindelicenſi idem probavit Marcus Velserus. (s)

§. LXVIII.


An non Juris Latii?

Nemauſus (*Nimes*) Colonia jure Latii donata fuit, uti Strabo refert. (t) Jus Latii conſtabat præcipue in facultate ſuffragii ferendi, honores & Magiſtratus petendi Romæ. Sed jus hoc nonniſi ad Magiſtratus pertinuit. Unde qui in Latinis civitatibus Ædilitatem vel Quæſturam geſſerant, ii cives Romani, Magiſtratus petendi gratia, fiebant, non item reliqui. Hoc jus pro Lugdunenſibus ſuis petiit Claudius Imp. & obtinuit. Orationis à Claudio habitæ fragmenta, duabus tabulis æneis, An. MDXXIX. Lugduni repertis, & in Curia ibi ſervatis, legimus hodieque. Orationem fere ſimilem, pro omnibus Gallis à Claudio Imp. habitam, Tacitus (u) nobis ſervavit. Lugdunenſes Tabulas has omnibus optime expreſſit Dominicus Colonia in Libello, Gallice ſcripto. (x) Juris Latini prærogativam Lugdunenſibus datam fuiſſe, mirum non eſt. Quodſi Raurica Imperatorem quoque concivem habuiſſet, idem forte jus auſpice eo obtinuiſſet. Quum autem urbes & coloniæ nonnullæ, tum Italicæ, tum provinciales, præter jus Italicum, jure quoque Immunitatis gauderent, non otioſa quæſtio eſt, an Colonia Raurica, jure Italico uſa, *Immunis* quoque, vel *Libera* fuerit? Immunitas hæc tributum ſive cenſionem reſpexit. Carolus Sigonius, (y) qui materiam de Romani Imperii incolarum juribus erudite digeſſit, Rauricam, eo ipſo, quod Italico jure fruebatur, immunem omnino declaraſſet & liberam. At cæteris in rebus tam diligens, tam perſpicax Scriptor, duplicem cenſum non ſatis diſtinxit. Aliud enim capitis erat, aliud ſoli tribntum. Italici juris urbes atque coloniæ à cenſione capitis liberæ atque immunes fuerunt, ſed non à ſoli tributo. Unde immunitas capitis ab immunitate ſoli fuit plane diverſa. Diverſitatem Julius Paulus in Cæſarienſibus colonis annotavit diſtincte, ubi à Veſpaſiano Patre tributum capitis illis remiſſum, à Tito filio etiam ſolum immune factum eſſe, perſcribit. (z) Plinius, qui ultra centum annos ante Julium Paulum vixit, colonias immunes ſive liberas à coloniis juris


(n) *De Coloniis* pag. 357.
(o) Hyginus, Auguſti Libertus, *de Limitibus conſtituendis*, in *Auctoribus Rei agrariæ à Goeſio* editis, pag. 206.
(p) Antonius Augustinus *Antiquitatum* Dialogo VI.
(q) Asconius Pedianus in *Cicer. Orat. Piſon.*
(r) Leg. VIII. §. I. II. D. de Cenſibus.
(s) *Rer. Auguſt. Vindel.* Lib. IV. pag. 231.
(t) Lib. IV.
(u) *Annal.* Lib. XI. Cap. XXIV.
(x) *Antiquité de Lyon.*
(y) *De Antiquo Jure Civium Romanorum, Latii, Italiæ, Provinciarum* Lib. III.
(z) Loco cit. §. VII. ubi: „ Divus Veſpaſianus „ Cæſarienſes colonos fecit, non adjecto, ut & juris „ Italici eſſent; ſed tributum his remiſit capitis: „ ſed D. Titus etiam ſolum immune factum interpretatus eſt.

Digitized by Google


RVDERA THEATRI RAVRICI ex Sec. XVIII.




ICHNOGRAPHIA THEATRI RAVRICI.



RVDERA MOENIVM AVGVST. RAVR.



RVDERA THEATRI RAVRICI *ex Sec.* XVI.



EX SCHEDIS AMERBACH.

Digitized by Google




Fig. 3.



Rudera lateris Orientalis

Fig.

Ichnographi



delin.







Fig. 2.



Rudera lateris Occidentalis

juris Italici aperte diſtinguit. (*a*) Quum enim Cæſarauguſtam vocaſſet Coloniam immunem, paulo poſt Accitanæ Coloniæ jus Italiæ datum fuiſſe tradit. Liberis Coloniis autem Lugdunenſem accenſet. (*b*)

§. LXIX.

Immunitatis Jus.

Concludimus hinc, Urbes & Colonias quasdam ſpeciale Immunitatis jus, & quidem vel in totum, vel ex parte, habuiſſe. Si in totum immunes, nec tributum ſoli ſolverunt. Si ex parte, immunes modo fuerunt à capitis cenſione, quippe quæ durior fuit quam ſoli tributum. Jus Italicum à capitis cenſione liberos reddidit, non à ſoli tributo. Quodſi ergo colonia non immunis Italico donata eſt jure, immunitatem à cenſu capitis obtinuit; ſi immunis jam fuit, antequam jus Italicum acciperet, alia ex jure hoc illi acceſſerunt; ut participatio juris civilis in traditionibus per nexum, in uſucapionibus, in jure militiæ aliisque, de quibus Sigonius. Ita Provinciales Coloniæ, quum Italico jure donarentur, non ideo factæ ſunt à tributo ſoli immunes: nec vice verſa Coloniæ, ſive ab omni, ſive à capitis tantum tributo liberæ, ideo & juris Italici fuerunt, quippe quod plura alia privilegia ſecum involvit. Jacobus Cujacius (*c*) hæc omnium optime elucidavit ſolideque diſcuſſit.

Viam hæc nobis ſternunt, ut de Coloniæ Rauricæ, quam jure Italico rectam, adeoque à capitis cenſione liberam, docuimus, diſtincte pronuntiemus. Scilicet immunitatem à tributo ſoli ei adſcribere non poſſumus, quod ab hoc onere eam non liberavit Italicum jus, atque adeo Raurica inter immunes & liberas Colonias locum non habet. Illæ enim Civitates atque Coloniæ vere immunes liberæque vocabantur, quibus ab omni plane tributo competebat immunitas. Factum hinc, ut Plinius (*d*) nec Rauricos, nec Coloniam Rauricam, liberis, id eſt, immunitate donatis, adſcriberet. Sic ſolum ſoli cenſum ærario Romano ſolvit Colonia Raurica. Quodſi Colonia Raurica non fuit immunis omnino, vel libera, multo minus eam *fœderatæ* jura vel nomen habuiſſe neceſſe eſt; quo tamen elogio gloriabatur Aventicenſis Colonia. Hæc prærogativam iſtam benefactori ſuo debuit Flavio Veſpaſiano, qui vel Coloniam eo juſſit deduci, vel certe Coloniæ jus urbi conceſſit; imo & privilegio eandem ornavit, ut ex ſuo quoque nomine *Flaviæ* agnomentum deſumeret. Notitiam hanc Marmori, in Patroni ſui honorem, Trajani ætate, poſito, debet Aventicum; quod ſupra protulimus. Lingones & Remi, temporibus Plinii, inter fœderatos reputati ſunt. Hæc de Colonorum Rauricorum, ab Auguſto miſſorum, jure, quod cum jure veterum incolarum nihil habet commune. De ipſius Rauracorum populi, ſive veterum agri Rauricenſis incolarum, qui à Colonis diſtincti fuerant, ut & de Sequanorum noſtrorum, conditione & ſtatu loquemur deinceps.

§. LXX.

Auguſtæ Rauracor. munimenta. *Vid.* Tab. Ichnogr. Aug. Rauricæ.

Frequentes Rheni tranſitus apud Rauricam urbem vix ſinunt nos dubitare, illo tempore, quo Colonia hæc munimentis atque præſidiis floruit, Rhenum ibi ponte ſtratum, & in adverſa ripa munitum fuiſſe propugnaculo, Germanis primum, inde Alemannis, ſiniſtram Rheni ripam infeſtantibus, opponendo. Reperiuntur hodie in duabus Rheni Inſulis, (*e*) Rauricæ ripæ oppoſitis, Arcium turriumque munitarum reliquiæ, de quibus varia conjecturaruut juniores. Beatus Rhenanus (*f*) ait: "Extant adhuc in contraria ripa arcis validiſſimæ veſtigia, qua ſe primum adverſus Germanos, deinde contra Alemannos, advenam gentem, tutati ſunt Romani." Sebastianus Munsterus (*g*) in eundem ſenſum: "Habet quoque Auguſta ultra Rhenum à parte Germaniæ inſigne propugnaculum, cujus adhuc monumenta in modum diruti caſtri cernuntur; ex quo Romani obſtiterunt Germanis, cum Rhenum trajicere in illis partibus conarentur." Uterque in ea opinione perſtiterat, conſtantem ſemper alveum Rheni fuiſſe, arceſque has ab initio trans Rhenum fuiſſe erectas.

(*a*) *Hiſt. Nat.* Lib. III. Cap. III. Lib. IV. Cap. XII.

(*b*) Lib. IV. Cap. XVIII. ait: *Secuſiani liberi, in quorum agro Colonia Lugdunum.*

(*c*) In *Obſervationibus* Lib. X. Cap. XXXV.

(*d*) Lib. IV. Cap. XVII.

(*e*) Duabus his Inſulis circa An. MDCCXL. acceſſit tertia, quæ omnes nonniſi unam conſtituerant: & hæc ipſa Romanorum temporibus non inſula fuit, ſed continenti adhæſit.

(*f*) Lib. III. pag. 262.

(*g*) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. XCI. pag 505.

At monendus eſt Lector, falſam opioionem hactenus omnes tenuiſſe, qui eas omni tempore trans Rhenum ſitas, atque adeo à Raurica orbe Rheno ſeparatas, fuiſſe exiſtimaverunt. Rhenus poſt hujus urbis deſtructionem, ab hac parte irrumpens, boreale ejus latus abrupit, & per illud alveum novum, à veteri plane diverſum, cooſtituit. Ripæ veteris Germanicæ veſtigia adhuc conſpiciuntur, quæ in veteris Rauricæ tabula curate expreſſimus; unde apparet à dexto latere ſe avertiſſe flumen, ut in ſiniſtrum irrueret, partemque urbis, veteri Rheno proximam, ad Germanos transferret, novasque ibi inſulas tractu temporis gigneret. Ramus ille Rheni, qui inſulis à dextra eſt, nomeo *Rheni veteris* apud accolas retinet, Romanorumque ætate verus alveus fuit. Alveus hodiernus ergo partem veteris munitionis occultat, cujus ruinæ obſervantur in Rheno, quum ſiccitatis tempore moles aquæ minoitur. Ita, quæ in duabus inſulis Rheni turrium arciumque conſpicimus rudera, ea olim cis Rhenum extiterant, adeoque propugnaculum pontis ad Germanicam ripam eſſe noo potuerunt. Sed nec ad Druſum, aut ad Valentinianum I. arces has referre licebit. Urbs Rauricum caſtella ſua & munimenta, quum conderetur, accepit, quibus tractum Rheni vicioum ſatis ipſa defenderat. Quæ Druſus & Valentinianus exſtruxerunt ad Rhenum, illis tantum in locis extructa fuerunt, ubi nulla urbs fuit ad ripam. Fidem hæc faciunt, Rauricam urbem ad Rhenum uſque ſe extendiſſe, cootra quam opinatus eſt Beatus Rhenanus; qui urbem aliquantulum à Rheno ſeparatam fuiſſe exiſtimavit, cautione tamen adjecta, eam habuiſſe munimentum, Rheno flumini imminens. Ceterum oon in hoc ſolum, ſed & in plurimis aliis, Alſatiæ præſertim, locis alveum ſuum mire mutavit Rhenus. Teſtis eſt urbs Briſacum, Romanorum ætate ſita cis Rhenum. Teſtis ipſa Beati Rhenani patria, Rhinoviæ oppidum, maximam partem Rheno pridem abſorptum.

§. LXXI.

Pons Rheni.

Sed redeamus ad pontem. Hic illis temporibus ſecurior fuit, quibus Imperii Romani limes ad Mœnum, Alemannum (*Altmuhl*) & Nicrum, fluvios usque fuit promotus. Romanis autem Alemannorum virtute, ad ſua domi defendenda, ſeçulo IV. cis Rhenum relegatis, pons locum habere vix potuit. Unde Conſtantius Rhenum apud Rauracos (ita enim ſec. IV. urbs ipſa appellabatur, quum totius populi nomen plurale daretur Metropoli,) tranſiturus, molitus eſt pootem, ſed ne faceret, prohibuerunt Alemanni. Valentinianus I. qui refrenandis Alemannis caſtra & caſtella Romana cis & trans Rhenum magno ſtudio reparaverat, (*b*) ſi & pontem reſtituit, pons non diu duravit; hoſtibus Germanis, circa ſeculi V. initium, undiquaque mox verſus Rhenum ruentibus. Pons ille quum conſtitutus fuiſſet, à Germanico latere propugnaculum habuiſſe oeceſſe eſt: quale Trajanus quoque ad pootem ſuum Danubianum, per quem ex Mœſia tranſibatur in Daciam, quod objiceret Dacis, erexit. Hujus veſtigia in Valachia hodierna ſuperſunt, ut reliquiarum pontis illius Ichnographia, ex Tranſylvania mihi tranſmiſſa, me docet. Rauricenſis vero propugnaculi, quod pontem olim defenderat, rudera ſe non manifeſtant.

§. LXXII.

Urbis amplitudo & ſitus.

Veteris Rauricæ Auguſtæ ruinæ magnæ urbis ſepulcrum ſpectatori annuntiant. Amplitudinem ejus, in flore conſtitutæ, moltiplicia ædificiorum fundamenta & rudera, quæ noo in collibus modo, ſed & in campis circumjacentibus, extant, & frequentius eruuntur, ſatis ſuperqoe declarant. Vaſta illa murorum moles, in acclivitate exſtructa, Aquæductus ille per aliquot leucas extenſus, Templum maximis columois marmoreis inſtructum, Columbaria, Laconica, Pavimeota operis teſſelati multiplicia, ſolidus & elegans ille cinctus murorum, cujus fragmentum adhuc integrum fere extat, omnia hæc urbem non exiguam, ſed incolis illuſtribos plenam olim ſpleodidamque, loquuntur. Plerisque, qui de Auguſta veteri Rauracorum egerunt, inſedit opinio, urbem in collibus modo & in acclivitate ſitam, planitiem vero omnem extra muros fuiſſe; hac ratiooe inter urbem & Rhenum intervallum ſat magnum reperires. Neque vero nos, nobiliſſimam urbis partem in clivo & acclivitate fuiſſe, negabimus uoquam, quum rudera hoc ipſum ſatis demonſtrent; at omnem urbis circuitum his modo terminis includere ooo una ratio vetat. Latius multo, & in ipſam quidem planitiem, pomœria Rauricæ extendere jubet Ammianus, qui eam cum Veſontione præcipuas totius Sequanicæ Proviociæ urbes, ut jam dictum, appellat, cæterisque omnibus longe præponit. Jubeot tot fundamenta, tot magnorum omnis generis ædificiorum, de quibus locutum, reliquiæ, oumeroſa & varia

(*b*) Ammianus Lib. XXVIII. Cap. II.

varia ſupellex profana & ſacra, fibulæ, vaſa, gemmæ, ſigna, numismata omnis formæ & ex omni metallo, quæ præteritis, (*i*) & noſtro præſertim ſeculo, non in illa modo planitie, quæ inter collem & Rhenum, ubi vicus jam cernitur, ſed etiam in altera, quæ inter collem & Argitium eſt, ubi templi veſtigia reſtant, eruentibus terram ſe nunquam non offerunt. Jubent denique arcis validiſſimæ rudera, & turres in continenti olim, nunc in inſulis poſitæ, quas Beatus Rhenanus & Munſterus, in Germanica Rheni ripa primitus exſtructas & Germanis oppoſitas fuiſſe, crediderunt. Has autem turres Romanorum ævo cis Rhenum fuiſſe, atque adeo exteriorum urbis munimentorum, mœnibus ipſis contiguorum, effeciſſe partem, ſupra ſatis clare, ni fallor, oſtenſum eſt. Narboni tamen Martio, Arelato, Nemauſo, Narbonenſis olim Galliæ urbibus, Trevirenſi item & Agrippinenſi Coloniis, Rauricam minime æquipararem, imo nec ſorori ejus Lugdunenſi Coloniæ. Aventicenſis etiam Coloniæ rudera majora longe & extantiora, quam Rauricæ, ſpectatorum oculis ſe facile offerunt.

§. LXXIII.

Auguſtæ Rauricæ mœniorum veſtigia extantiora ſi eſſent, urbis circuitus determinatu haud foret difficilis. In hac tanta vero temporum injuria, quæ exiguam eorum partem tantum ſervavit, reliqua omnia evertit plane atque disjecit, vel certe ſub terra ſepelivit profunde, ad conjecturas procedendum. Deſumimus has ex ruderibus, ædificiorum fundamentis & antiquitatum reliquiis, quæ ad pomœria vetera præter propter inveſtiganda manuducere nos poſſunt. In hac inveſtigatione ergo ſatis veriſimiliter deprehenditur urbis Rauricæ Urbis circuitus & mœnia.

Longitudo DCCCLXXI. perticarum. (*toiſes.*)
Latitudo verſus Rhenum CCLXI.
Latitudo à parte oppoſita CCCCLXXV.
Circuitus totius urbis MMCCCCXLVI.

Mœnium pars exigua adhnc ſupereſt, & illa quidem integra fere, quæ non ſine jucunditate ſeſe intuentibus offert. Lapides quadriformes, mediocris magnitudinis, affabre junctos & eleganter concinnatos, ſpectator miratur. Murum interſecat laterum rubrorum ſeries, veluti faſcia; omnia tam integra, tam illæſa, ut novum hujus ſeculi opus, ad omnia ſecula porro duraturum, exiſtimares. Paraſtatis hinc inde murus ille inſtructus eſt; ſed & inſtructus ſemi-orbiculatis turriculis, ita quidem confectis, ut pars earum concava interius inſpicientibus intuenda ſe præbeat, vel ut arietum impulſibus magis, quam convexa, reſiſteret, vel ut terræ, in vallem vicinam ibi præcipiti, eo fortius reſiſteret.

§. LXXIV.

Sed jam ad interiora urbis examinanda progrediamur. Clivoſa pars ejus in hoc Theatrum. examine diſtinguenda à plano. In clivoſa eminet tractus, qui muros urbis Filinamque rivum aſpicit; ibi enim ingentia vaſtiſſimi ædificii ſemi-circularis rudera cernuntur, quæ vulgus *novem turres* appellat, quæque intuentium admirationem excitant. Veteris Theatri hæ vaſtæ reliquiæ ſunt. Craſſa ea Minerva dedit SEBASTIANUS MUNSTERUS. (*l*) BONIFACIUS AMERSACHIUS vero, apud Baſilienſes olim Juris Conſultus illuſtris, & rei Antiquariæ cultor, ab Eraſmo hæres teſtamento ſcriptus, ruinas has An. MDLXXXIX. diligenter delineavit, ejusque Schedas cum reliquis antiquitatis cimeliis Bibliotheca Baſilienſis Academica aſſervat. Ex his CAROLUS PATINUS tenuem ſciagraphiam *Relationibus* ſuis *Itinerariis* inſeruit, æri inciſam. Deſcriptio vero ſuperficiaria, quam ibidem ſuppeditat, diverſorum ædificiorum ruinas confundit, atque rem omnem nonniſi obiter tangit. Dignum tamen eſt inſigne hoc rudus, ut ſingulæ ejus partes examinentur diſtinctius. Ædificium ex legibus Architectonicis veterum exacte compoſitum, magnam cum Saguntino (*m*) apud Hiſpanos theatro ſimilitudinem habet, niſi quod Rauricenſe hemicyclo minus eſt, Saguntinum vero majus hemicyclo. EMANUEL MARTINUS, Alonenſis Decanus, in *Epiſtola ad Zondodarium*, Apoſtolicæ Sedis Legatum, diligenter & erudite inſignes veteris hujus Theatri reliquias deſcripſit.

(*i*) Varias antiqui operis res, ſua ætate in villa Augſt, quæ in planitie eſt, erutas ſcribit URSTISIUS loco cit. pag. 26.

(*l*) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. XCI.

(*m*) Hodie *Morvedro*, Muri Veteres, regni Valentiæ oppidum; nomen à veteris Sagunti muris ruderibusque accepit, nonniſi tribus milliaribus Romanis diſtabat à mari. Saguntus, vel Saguntum, nec Colonia, nec Municipium, ſed civium Romanorum oppidum, perhibetur à PLINIO Lib. III. Cap. III.

GEOGRAPH.

§. LXXV.

Amerbachii errores.

Schedas Amerbachianas benigne mecum communicavit Baſilienſis Academia, multis mihi nominibus veneranda & cara, in qua olim CHRISTOPH. ISELIUM, JO. BERNOULLIUM, SAM. BATTIERIUM, magni nominis Viros, adoleſcentulus ego ſum nactus Doctores. In ipſo examinis hujus initio deprehendi, Amerbachium falſo prorſus fundamento inniti. Quamvis enim ruderum ipſe aſpectus, atque ejusdem conſideratio propior, omni ex parte nonniſi Theatrum annuntient, Amphitheatrum tamen ibi omnino quærendum eſſe, Amerbachius, neſcio quibus argumentis, tam certo ſibi perſuaſit, ut quum nulla plane alterius dimidiæ partis reperiret veſtigia, ligneam eam fuiſſe traderet, quam diuturnitas temporis & putredo deſtruxerit. Ex falſo principio non potuerunt non hinc inde falſæ concluſiones prognaſci, quarum præcipua eſt, quod ſemicircularis figuræ ædificio ſemi-ellipticam tribuit. Theatra enim circulari forma exſtruebantur, Amphitheatra fuerunt elliptica. Sed & divinare non potui, quæ Amerbachium induxerit ratio, ut in ædificio tam regulari mediam viam nobis repræſentaret obliquam, recta & regularis quum haod dubie fuerit, ut noſtra Ichnographia id docet. Denique quum tres viæ, quæ ad Orcheſtram ducebant, in quatuor partes ædificium dividerent, ille quatuor has partes totidem cuneos appellavit, in Amphitheatrorum & Theatrorum Architectonico ſenſu prorſus improprie, atque has partes cuneiformes cum cuneis internis, genuinis & veris in cavea formatis, confudit.

§. LXXVI.

Deſcriptio Theatri. *Vid.* TAB. THEATRI.

Quamvis autem Amerbachiana deſcriptio plurimis in locis confuſa ſit atque obſcura, in nonnullis non ſatis exacta imo & falſa: in aliquibus tamen uſui nobis fuit, quod Amerbachius ante hos centum & ſexaginta annos extantiora plurium partium veſtigia videre potuit, quæ ab illo tempore prorſus diſparuerunt. Ex Schedis ergo ejus deſumſimus, quæ uſui eſſe potuerunt; ut Ichnographia Theatri genuina & vera oculis ſubjiceretur Lectorum: reliqua ex rei ipſius natura & indole, & proportione rerum, & Vitruvianis rationibus, quantum licet, ſupplevimus.

Situs Theatri.

Totum ædificium impoſitum eſt colli, molliter inſurgenti à latere ſiniſtro ſive ſeptentrionali, & verſus dextrum ſive meridionale rurſus deſidenti, & quidem ſalutari inſtituto. Sic enim, teſte VITRUVIO, (*n*) & fundamentorum ratio fit facilior, &, ut EMANUEL MARTINUS (*o*) in Theatro Saguntino ingenioſe annotavit, diſcreta verborum terminatio, voce illo collis curvamine amplexuque collecta, ad ſummum usque conſervatur. Nec parum ad augendam reſonantiam confert Theatrorum figura, quam idcirco in omnibus, & in noſtro quoque, circularem deprehendimus. Murus ita clauſit Theatrum, ut Orcheſtra eſſet verſus occaſum. Meridiani aeris impetum excludi debere, ſuadet Vitruvius. Eſt autem hujus Theatri ambitus externus ABC hemi-cyclo paulo minor, & fere DIII. pedum Rhinlandiæ. Internus DEF, CCXL. pedum. Chorda externa AC, ducta ab utroque cornu A & C, CCCLIII. pedum; Interna DF, CLXVII. pedum. Perpendicularis media EG, LXXIII. pedum. (*p*)

§. LXXVII.

Muri Theatri.

Cingitur Theatrum muro cæmentitio duplici, exteriori nempe atque interiori, lapidibus ſive ſilicibus cineraceis, gilvis liventibusve tecto ſeu incruſtato, qui, laterum coctorum formam præ ſe ferentes, longitudine circiter ſemi-pedis, craſſitudine unciarum trium, inter ſe alternis ordinibus jucundiſſimo aſpectu variati ſunt. Murus exterior H ex duobus aliis compoſitus eſt, quorum prior *a* totum ædificium ambit, poſterior *b* vero

(*n*) Lib. V. Cap. III.

(*o*) In *Epiſtolis ſuis* Lib. IV. Epiſt. IX.

(*p*) Magna hic inter Amerbachianam & noſtram deſcriptionem differentia. Amerbachius totum ædificium, uti vidimus, perperam vocavit Amphitheatrum, eidemque figuram dedit ſemiovali octava circiter parte ſtrictiorem. Duæ vero vel præcipuæ pro figura circulari militant rationes, I. Quod iisdem poſitis, productaque integra ovali Amerbachiana, axis minor neceſſario æquatur majori, ac proinde Ellipſis degenerat in circulum. II. Quod diſtantiæ, AD vel Aπ, BE, FC vel Cπ, inter circulos parallelos, ABC & DEF, ut infra pluribus oſtendam, ex ipſo calculo Amerbachiano fere deprehenduntur æquales, quod in Ellipſibus diverſis, ad eundem axem poſitis, nullo modo obtineri poteſt. Nec obſtat, quod ambitus externus Amerbachianus, quem poſuit DXXXIV. ped. à noſtro differat, quum & ambitus interni inter ſe congruant, & quod cuivis arridebit, in dimetienda amplitudine ruderum, polygoni irregularis magis ſpeciem, quam circuli præ ſe ferentium, potius calculo quam regula, ut fecit Amerbachius, ſit utendum.

vero à priori VII. fere pedibus diſtat, atque eidem forma, denſitate IV. vel V. ped. ſæpius etiam altitudine, reſpondet. His muris inſertæ ſunt pilæ interiores *c*, turrium rectangularium ſpeciem efficientes, & poſteriorem murum altitudine XXXIII. ped. æquantes; latæ ſunt ped. VII. aut paulo minus, denſæ IV. vel V. atque inter ſe diverſimode diſtant. Ne autem moles totius ædificii ob terræ & glareæ ingeſtæ vim disrumperetur, paraſtadum inſtar ambiunt totum corpus turriculæ *d*, non intermiſſa ſerie, ut videtur, cohærentes, atque muro poſteriori *b* ita inſertæ, ut earum cornua à pilis interioribus excipiantur. Figura turricularum refert ſegmentum circulare hemicyclo majus, cujus chorda *e f* circiter ped. VII. media perpendicularis *g h*, IV. pedes continet. Denſitate vero plerumque ſunt ped. IV. & ſæpius minore. (*q*) An vero toti muro priori *a* pilæ exteriores fuerint appoſitæ, affirmare non auſim. Superſunt duæ integræ *k*, binasque alias *l* adfuiſſe ſatis manifeſtum eſt. Latæ ſunt in ſuperiori parte ped. XII. aut minus, prominent foras pedes circiter XIII. altæ à ſolo ped. XIII. ſiquidem non in eandem altitudinem exſurgunt, qua murus *a* apparet, cui nectuntur, & ejusdem inferiorem tantum partem firmant. Singulæ hæ pilæ *k*, *l*, tres diſtinctiores habent ordines, ex quibus infimus eſt latiſſimus, ſecundus exilior, & magis adhuc ſupremus, ſingulique ordines ſaxis majoribus rubeis ſunt interſtincti. Murum interiorem, orcheſtram ambientem, ejusdem cum exteriori figuræ circularis, adfuiſſe, oſtendit portio ejus K, quæ alicubi ruderibus liberata ab effoſſo ſolo eminet ped. XVIII.

§. LXXVIII.

Viæ ad Orcheſtram.

Ad Orcheſtram ipſam tres ducunt aditus ſeu viæ, Q, R, S, ædificii corpus in quatuor partes L, M, N, O, dividentes. Earum latera, tam extrema verſus occidentem ſpectantia, AD, FC, quam ad vias ſeu aditus ſita, *mn*, *op*, *qr*, *st*, *ux*, *yz*, muris munita ſunt, quibus eodem, ut dixi, modo turriculæ circulares annectuntur. Veriſimile autem eſt, turriculas ponderis ſuſtinendi cauſa fuiſſe appoſitas, quod ut firmius faciant, murus alius P, denſus fere ped. IV. non eorum cavo antepoſitus, ſed contraria ratione in partibus L, M, poſtpoſitus cernitur. Præterea molis firmandæ gratia, muros intercurrentes T adfuiſſe in parte M, manifeſtiſſime apparet. Latus eſt ibidem ped. V$\frac{1}{2}$. longus pedes circiter LXXXIV. ad ſimilitudinem exterioris H, atque interioris K, formatus. Ex tribus viis prima & tertia Q, S, ejusdem fere ſunt figuræ, ambæ plano itinere ab exteriori ædificii parte ad murum interiorem ducentes. Latæ ſunt paulo poſt principium ped. XI$\frac{1}{2}$. circa exitum VII. Differt via ſecunda R à prima tertiaque, Q, S, quod illæ recto planoque itu ad orcheſtram ducant; hæc per ſcalam interciſam ad eandem deſcendat. Lata eſt ſcala ad ſupremum gradum pedes VI. in infimo V$\frac{1}{2}$. Tribus locis interciſa quatuor habet areolas, quarum prima *α* longa eſt ped. VIII. ſecunda *β*, X. tertia *γ*, VII. quarta vel infima *δ*, V. Pars prima ſcalæ habet gradus XII. ſingulos altitudine fere pedis unius, latitudine pedis & dudrantis; ſecunda pars gradus VII. ejusdem altitudinis, latos ſesquipede; tertia gradus XV. alititudine pedis, latitudine pedis & trientis. (*r*)

(*q*) Diſſentit Amerbachius. Non exacte, inquit, formatæ ſunt turriculæ in ſemi-circulum, ſed ſemi-ovali ſpecie longiores paulo quam latiores. Ipſa autem ædificandi ratio requirit, ut turriculæ ſint figuræ maxime reſiſtentis, vel circularis, & hemicyclo majores, ut propius inter ſe jungantur.

(*r*) Ipſa ſcalæ deſcriptio Amerbachiana longitudinem viæ R 93. ped. oſtendit: habet enim areola prima pedes

areola prima pedes	- - - -	8.
Gradus 12. latitud. 1$\frac{3}{4}$.	- -	21.
areola ſecunda	- -	10.
Gradus 7. latitud. 1$\frac{1}{2}$.	- -	10$\frac{1}{2}$.
areola tertia	- -	7.
Gradus 15. latitud. 1$\frac{1}{3}$.	-	20.
areola quarta	- -	5.
Longitudo ſcalæ	- -	81$\frac{1}{2}$.
Diſtantia inter murum *a* & *b*	-	7.
Latitudo muri *a*	- -	4$\frac{1}{2}$.
Longitudo viæ	- -	93. ped.

Non ſolum igitur Amerbachius ſibi ipſi contradicit, ponendo longitudinem ſcalæ 73. ped. verum etiam, ut ſupra annotavi, diſtantia BE rectis AD & FC, quas ſingulas 97. circiter ped. ſtatuit, fere æqualis deprehenditur, unde ſatis tute colligimus, arcus ABC & DEF non ellipticos, ſed circulares & concentricos fuiſſe. Nec majori negotio oſtendam, longitudinem *x u* viæ S Amerbachianam 84. ped. falſam eſſe, (de longitudine primæ Q 93. ped. non dubito.) Directiones enim viarum tendent vel verſus centrum X, vel verſus punctum G, nec ſub variis angulis, ut Amerbachio placuit, ad Orcheſtram ducent. In utroque caſu figura ædificii erit vel ovalis vel circularis. Si fuerit ovalis, recta *x u* neceſſario ſemper major eſſet recta BE; ſi fuerit circularis, in caſu primo, recta *x u* eſſet æqualis BE; in caſu ſecundo vero major quam BE, nunquam igitur recta *x u* ipſa BE minor eſſe poterit. His ſtabilitis ſingularum partium L, M, N, O, ambitus, tam exteriores quam interiores, ex mea ſententia apponam.

Arcus A *m*	— 114$\frac{1}{4}$.	ped. - -	Amerbach.	132.
o q	— 120.	- - -	———	129.
s u	— 120.	- - -	———	125.
y C	— 114$\frac{1}{4}$.	- - -	———	114.
Latitudo 3. viar.	34$\frac{1}{2}$.	- - -	———	34$\frac{1}{2}$.
	503.	Ambit.	extern.	534$\frac{1}{4}$.
Arcus D *n*	— 53.	- - -	———	62.
p r	— 56$\frac{1}{2}$.	- - -	———	46.
t x	— 56$\frac{1}{2}$.	- - -	———	58.
z F	— 53.	- - -	———	58.
Latitudo 3. viar.	21.	- - -	———	21.
	240.	Amb	intern.	245.

Ex utroque ſcalæ latere apparent duo muri, quorum prior, per portam ingredienti dexter, latus eſt in principio ped. IV. areolæ primæ α altitudine æqualis. Poſt eodem curſu ultra ſcalæ primam partem ad areolam β tendit, inde depreſſior areolæque β æqualis factus, gradus habet transverſos tres lapideos, verſus murum partis ſecundæ M clauſum ſcandentes. Tum ſtrictior æquali altitudine ad viæ R extremum decurrit, illicque inferiore ſui parte in dextrum latus converſa, murum ſubterraneum conficit. (r) Siniſter poſt gradum nonum liquido conſpicitur, ubi longe ſtrictior muro ipſi oppoſito apparet. In areola β duos habet gradus transverſos lapideos, inde conſtanti altitudine ad finem viæ R, decurrit, & in infima ſui parte ad ſiniſtrum latus inflexus alium murum ſubterraneum efficit.

§. LXXIX.

Scalæ, Sedilia, Orcheſtra.

In extremitatibus duarum partium M, N, occurrunt quatuor ſpatia, η, θ, λ, μ, lata circiter ped. VII. longa ped. XXII$\frac{1}{2}$, XIII$\frac{3}{4}$, XVIII$\frac{1}{2}$, XX$\frac{1}{2}$, totidem ſcalis ligneis, ut videtur, olim inſervientia, ex quibus ad ipſa ſedilia, ædificio hactenus deſcripto procul dubio impoſita, perventum eſt. Scalas ligneas ibidem fuiſſe id argumento eſt, quod murus interior, ſolidus atque integer, nullas immiſſorum ſeu adjunctorum lapidum notas, foramina ferramentave, ſed tantum transverſæ ligneæ nigricantes maculas, ex aqua pluvia putredine formatas, præ ſe ferat; ac præterea prope viam ſecundam R lapis, ad pedem ligni ſcalaris continendum repertus fuit. Ipſorum ſedilium nulla ſuperſunt hodie veſtigia. Loca vero honoratioribus deſtinata prope finem viarum, & præcipue prope finem viæ ſecundæ R, fuiſſe, varia rudera hinc inde detecta perſuadent. Ex adverſo enim viæ Q occurrit murus ſubterraneus V, cujus principium & finis ignotus eſt. Ab exitu vero viæ ſcalaris diſtat circiter pede uno murus oppoſitus Y, denſus pedes V$\frac{1}{2}$, ſupra ſolum pendens & in altum XII. circiter pedum menſura ita erectus & fornice ſuſtentatus, ut per ſcalam exeuntibus nullo ſit impedimento, ſed liberrimus ſub eo pateat transitus. Huic alius oppoſitus Z, decem circiter ped. diſtans, detectus eſt. Muri hi in orcheſtra exſtructi ſuggeſtum portabant, in quo Coloniæ Proceres, Duumviri nempe, Decuriones, vel Senatores & Sacerdotes, ſedebant; nec dubium, quin ad extremitatem viæ tertiæ S. in eadem Orcheſtra ſimilis ſuggeſtus ſymmetriæ cauſa fuerit exſtructus, nulla licet ejus veſtigia ſuperſint. Romæ Senatores in Orcheſtra ipſa ſedebant, quæ interjecta fuit inter cuneos & ſcenam: (s) Theatri noſtri Orcheſtra major fuit ea, quæ in Theatro Saguntino ſupereſt. Primi XIV. gradus, qui ab Orcheſtra incipiebant, Equitibus deſtinati fuerant, ſequentes ordini plebejo. Gradus illi vero, ſive ſedilia, ab imo in ſummum ita aſcendebant, ut ſemi-circulus ſemper augeſceret; atque adeo ſuperior quisque plures ſpectatores admitteret, qui per meatus varios ad vomitoria, & ex illis in ſedilia progreſſi ſunt, ut ibi deſtinata ſingulis ordinibus loca diverſis in cuneis (u) occuparent. Hoc autem commode ut fieri poſſet, ſemi-circulares illi gradus neceſſario hinc inde ſcalis interrumpendi fuerunt, per quas in loca ſua deſcendere aſcendereve ſpectatores poſſent, quum ex vomitoriis prodiiſſent in caveam. Binæ autem quæque ſcalæ, (x) radiorum inſtar in altum eductæ, caveam in plures partes cuneiformes diviſerunt, ita ut & cavea & ſpectatores ipſi dividerentur in cuneos, unde apud Suetonium (y) cunei Equeſtris & Senatorii ordinis memorantur. Sed & ipſi cunei præcinctionibus aliquot interrupti fuerunt. Præcinctio gradus fuit duplo altior latiorque cæteris, quibus ſpectatorum ordines diſtinguebantur: quam diſtinctionem Leges Roſcia & Julia theatrales ordinarunt. In Saguntino nonniſi duæ præcinctiones fuerunt, in Theatro Marcelli tres. Ceterum Raurici Theatri ſedilia num lapidea, ut communiter erant, an lignea fuerint, non immerito quæritur. Lapidea ſi fuiſſent, cur ex magna illa copia, quæ ad ædificium tale requiritur, non ſupereſſent nonnulla? In horum ergo defectu pronuntiandum pro ligneis. Eadem nos ratio invitat, ut ſedilia caveæ, ſive univerſam caveam, non fornicibus, ſed ſolido impoſitam fuiſſe, ſtatuamus. Quodſi enim ſtatueres fornices, veſtigia eorum alicubi in ruderibus Theatri comparerent, uti comparent in aliis. Solidum hoc tamen perforatum meatibus, qui ad vomitoria ſpectatores ducebant. Hi nimirum, ubi ex tribus aditibus unum intraverant, ſcalas invenerunt, per quas ad meatus & ad vomitoria progrediebantur.

§. LXXX.

(r) Ob latitudinem viæ R 11$\frac{1}{2}$. ped. latitudinem ſcalæ 6. ped. Amerbachius muro dextro in principio latitudinem minus veram 6. ped. dedit.

(s) Unde Suetonius in *Julio Cæſare* ſcribit, Decimum Laberium, ſeſſum in quatuordecim, ſcena per Orcheſtram transiviſſe. Apud Græcos in hoc loco geſticulatores & ſaltatores ſaltabant, unde loco datum eſt nomen.

(u) Vitruvius Lib. V. Cap. VI. Juvenalis VI. 61.

(x) Qui ſero veniebant, in his ſcalis ſedes occupabant, *excuneati* hinc dicti.

(y) *Domitian.* Cap. IV. *Auguſt.* Cap. XLIV. Adde Lipsium *de Amphitheatris* Cap. XIII.

§. LXXX.

Aliæ partes.

Hæc de partibus Theatri rotundis, de Orcheſtra nimirum, Cavea, de muro externo internoque, inter quos cavea omnis à ſummo ad imum extendebatur. In oppoſita his parte fuerunt ſcena, proſcenium atque pulpitum, (z) quæ inter duo theatri cornua protendebantur, oculis ſpectatorum objecta. Horum nihil in Theatri Rauricenſis ſupereſſe ruderibus mirum non eſt, quod illæ partes communiter fabricarentur ex ligno. Pulpitum, in quo ſtabant hiſtriones, quinque circiter pedum altitudine ſuit, normam hanc tradente Vitruvio. Ædificii tamen cujusdam, quod Rauricenſis Theatri parti primæ L adjectum fuerat, Amerbachii temporibus ſupererant rudera. Illud partim ex lapide rubente, partim ex cæmentitiis lapidibus, conſtructum, & ex muris transverſis compoſitum fuerat. Uſus ejus hiſtrionibus multiplex eſſe potuit: Machinis verſatilibus ſcenæ variis ibi cuſtodiendis, item aulæis veſtibus, quas dramati repræſentando neceſſarias ſervabant, mutandis, ipſique per actuum intervalla ibidem agitabant, donec in ſcenam pulpitumque prodirent. Nec omittendi ſunt putei ω, ad XXXIII. ped. à ſuprema parte muri A D, ad ſolum usque deſcendentes, quibus in reſtinguendis incendiis uti potuiſſent. Marcellianum igne periiſſe ſupra notatum eſt. Pone theatrum Rauricum, Amerbachii ætate, magnarum columnarum fragmenta jacuerunt, quæ porticum formaverant, cujus magnitudinem determinare non licet. Pompeji Romæ & Polenſe, apud Dalmatas, theatra tales porticus habuerunt, latas & amplas. Sed & inter theatri hujus ruinas, Amerbachii ætate cernebatur adhuc ſaxum oblongum, cui ſemipedalibus literis Romanis inſcriptum M. IULI; item aliud cum literis M O. Lapides hi Duumvirorum Coloniæ Rauricæ, aut ejus, cujus pecunia factum eſt opus, vel etiam Architecti, nomina nobis ſervaſſent, ſi integri fuiſſent reperti. Quamvis enim leges vetabant aliud, quam Principis, aut ejus, cujus pecunia id factum, operi publico nomen inſcribi, (a) Architecti tamen nomen addebatur ſubinde.

§. LXXXI.

Comparatio Theatri Raur. cum aliis.

Præcipua Romæ Theatra, Pompeji, Scauri atque Marcelli, (b) fuerant. Poſtremum hoc Auguſtus Marcelli ſub nomine condidit, (c) uti Porticum quoque ſub nomine Octaviæ, quæ fuit mater Marcelli. Pompejanum quadraginta millibus ſuffeciſſe, Plinius (d) annotavit. Scauri cavea ſupra LXXX. mille ſpectatorum capax erat. (e) Marcellianum Vitruvii opus fuiſſe à nonnullis creditum eſt; (f) incendium ruinæ ejus dedit occaſionem: attamen rudera magnifica adhuc Romæ viſuntur. (g) Rauricenſis noſtri magnitudo ut clarius Lectori ponatur ob oculos, Tabulam ei exhibemus, quæ comparationem inter Marcellianum, Rauricenſe & Saguntinum, inſtituit, & ut res evidentior fieret, Rauricenſe in medio poſuimus

THEA-

(z) Jul. Cæsar Bulengerus in *Deſcript. Theatri Romani & Græci*, præmiſſa Libris ejus *de Theatro*.

(a) Leg. Opus ff. *de Opere Publico*.

(b) Inter admiranda Romæ Amphitheatra & Theatra recenſet Plinius Lib. XXXVI. Cap. V.

(c) Obierat Marcellus ante dedicationem Theatri, referente Dione Lib. LIII.

(d) Lib. XXXVI. Cap. XV.

(e) Idem Plinius loco cit.

(f) Alexander ab Alexandro *Genialium Dierum* Lib. IV. Cap. XXV. Donati *Roma Vetus & Nova* Lib. III. Cap. VIII. pag. 194. ſq.

(g) Formam externam Theatri Marcelli vide apud Jul. Cæsar. Bulengerum *de Theatris*. Ichnographiam vero ejus exactam dedit Serlius, & poſt hunc Antonius Desgodetz in excellenti Libro: *Les Edifices antiques de Rome*, Cap. XXIII. pag. 291. ſqq. Liber prodiit Lutetiæ 1682. fol.

THEATRORUM MARCELLI, RAURACENSIS ET SAGUNTINI, COMPARATIO.

	Theatrum Marcelli, quod ſemi-circulare.	Theatrum Rauracenſe, quod hemi-cyclo minus eſt.	Theatrum Saguntinum, quod hemi-cyclo majus.
Diameter hemi-cycli, ſive linea ducta ab utroque cornu, palmos (*b*) ſive dodrantes pedis Romani habet.	556.	496.	330.
Diameter Orcheſtræ.	245.	234.	96.
Ambitus hemi-cycli externi.	873.	706.	564.
Ambitus Orcheſtræ.	384.	252.	162.
Area totius hemicycli continet palm. quadr.	121347.	84072.	53840.
Area Orcheſtræ.	23424.	13104.	4656.
Area Caveæ.	97923.	70968.	49184.
Numerus ſedilium in Cavea, poſita eorundem latitudine $3\frac{1}{4}$. palm. & ſinguli hominis ſedentis $1\frac{3}{4}$. deductoque præcinctionum & ſcalarum ſpatio.	14500.	11000.	7500.
Numerus ſedilium in Orcheſtra, tributis ſingulis hominibus palmis $2\frac{1}{4}$.	2500.	1400.	600.
Numerus omnium ſpectatorum.	17000.	12400.	8100.

Sedilium numerus.

Sedilium latitudo trium palmorum & quadrantis, quam in Saguntino obſervavit Martinus, inducit nos, ut in Rauricenſi noſtro XXXVIII. circiter ſedilia ſive gradus, & duas Præcinctiones, extitiſſe credamus. Singuli gradus, ſecundum regulam Vitruvianam palmo pede, vel XX. digitis alti, externam Theatri altitudinem LXXXVIII. fere palmorum producunt. Unde etiam murum exteriorem XXXIII. pedibus altiorem, atque ad ſimilitudinem Theatri Arauſionenſis, quod ipſe inſpexi, exſtructum fuiſſe arbitror.

§. LXXXII.

Ordo Architecturæ.

Ceterum quum in omnibus Romanorum Theatris & Amphitheatris diverſi quoque Architecturæ ordines comparere ſolerent, non immerito quærimus, ad quemnam referendum fuerit Rauricenſe Theatrum? Docuiſſent id nos Columnarum fragmenta, quæ prope portas Theatri adhuc vidit & delineavit Amerbachius, niſi illo jam tempore tam fuiſſent confractæ, ut nulla plane ſupereſſent capitula; Zophorique ita ubique mutilati, ut nulla prorſus triglyphorum perſtitiſſent veſtigia. In unico tamen Columnæ ſtriatæ ſcapo Doricæ Architecturæ indicium ſupereſt, quando ornamenta hæc reſpuit ordo Tuſcanus. Jonicum vero ordinem Theatri noſtri ſtructura & indoles non facile admiſit. Solidum hoc ædificium non expoſitum eſſe potuit ruinæ, qualem Theatri apud Fidenas memorat TACITUS, (*i*) cujus caſu magna hominum multitudo periit, unde Senatus Conſulto cautum, ne quis in poſterum theatra, niſi ſolidæ firmitatis, exſtrueret. Theatri Rauricenſis Deſcriptioni diutius, quam par eſt, ſi nonnullis immoratus videbor, illi, quæſo, perpendant, in omni noſtra ora Rhenenſi nulli ædificii ſimilis rudera ſupereſſe. In reliqua etiam Gallia omni non obviæ ſunt Theatrorum reliquiæ: imo, ſi Alaunenſe apud Normannos, Arauſionenſe apud Cavaros, excipias, nullæ fere ſuperſunt. Tanto magis ergo Rauricenſibus incolis præſtantes has Romanæ dominationis reliquias gratulamur.

§. LXXXIII.

(*b*) Palmus dodrantem, ſeu tres quartas partes, pedis Romani efficit. Pedes autem Pariſinus, Rhinlandicus, Romanus hodiernus & antiquus, habent rationem numerorum 1440; 1391; 1320; $1324\frac{1}{2}$.

(*i*) *Annal.* Lib. XIV.

GEOGRAPH.

§. LXXXIII.

Aquæductus.

Ab his Theatri ruderibus, ducentorum fere pedum intervallo, Aquæductus (*l*) inſignis veſtigia adhucdum ſuperſunt, de quibus Beatus Rhenanus (*m*) ita ſcripſit: “ Subterranearum veſtigia paſſim apparent Liechtſtallum usque, ubi puto ſpeculam „ fuiſſe Romanorum in monte: unde conjicere poſſumus Auguſtæ magnitudinem, tum „ quam amplis ſuburbiis cincta fuerit. Nihil autem admirabilius, quam fornices ſubter- „ ranei, toto ferme ſpatio, quod modo diximus, è quadratis lapidibus exſtructi. „ Sebastianus Munsterus addit: “ Habet cuniculus ille tantam latitudinem & „ altitudinem, ut duo viri erecti ſimul ſine offenſione incedere per ipſum valeant. „ Fuerunt ab intra parietes ejus gypſo & cruſta complanati, admixtis contuſis ſilicibus „ & tegulis. „ Urstisius vero hæc habet: “ Meatus quidam abhinc ſubterraneus „ ſecundum imam montis acclivitatem, ultra Liechtſtalli oppidum ad viculum usque „ *Betken*, trium horarum itinere diſtantem, ducitur, altitudine ſua viri ſtaturam „ ſuperans; qui quanquam multis in locis ruptus terraque repletus ſit, alibi tamen „ longitudinem ejus ſupra triginta paſſus ſubire licet. Aquæductum fuiſſe, libramentum „ cæteraque veſtigia docent. „ Aquæductus, vias ſtratas & cloacas, inter tria Romæ miranda Dionysius Halicarnassensis (*n*) merito poſuit: Frontinus (*o*) præcipuum magnitudinis Imperii Romani indicium reputavit. Noſter hic Rauracenſis Aquæductus dignum majeſtate Romana opus fuit, nonniſi ſumptibus immenſis & immani labore paratum. Per quatuor enim Francicas leucas aquam Rauricæ, & quidem ſuperiori ejus parti, quæ colli impoſita, advexit. Structuram ejus ſolidam ex Rhenano & Munſtero protulimus, qui altitudinem tamen ejus internam nimis exaggerant, quum hominis menſuram non æquet omnino. (*p*)

§. LXXXIV.

Aquæ unde ducta.

Aqua hæc petebatur ex uno alterove illorum ramorum, qui Ærgitiam componunt, ut omni tempore pura, limpida, & ſufficiente copia, adveheretur. Sed ex hydroſtaticæ legibus locus eligendus erat, cujus altitudo aquam in Rauricæ colles propelleret. Ærgitia in illa parte Juraſſi, quæ *Pratum Ovnum* vocatur, à ſex ſeptemve fontibus ſumit originem, qui paulatim conjunguntur in unum, ita ut à Liechtſtallio (*q*) Rauricam usque uno alveo procedat. Romani, plus quam ullus populus, circa aquas delicioſi, ex his fontibus ſelegerant ſibi, quos uſibus publicis deſtinarent; unde Aquæductum exſtruendi prognata neceſſitas. Locum, ubi Aquæductus ſuas hauſerit aquas, determinare non poſſumus. Veſtigia tamen ejus circa Betkam, & præcipue prope villam *Lauſen*, inſignia ſuperſunt. Inde Liechtſtallium usque progreſſus directionem ibi ſuam, quæ hactenus ab ortu in occidentem tendebat, in ſeptentrionem ad Rauricam Coloniam convertit; quam ubi magnam partem permeaverat, reliquit Ærgitiam; quæ quum ſiniſtram petens Rheno ſe jungeret, aquæductus ad dextram deflectens aquas ſuas ad receptaculum, collem verſus, detulit, unde in diverſas dein collis illius diſtributæ ſunt partes; quum illa urbis nobiliſſima regio primariis, uti videtur, civibus habitata fuerit.

Conjecturæ aliorum.

Specum hanc receptaculi & diribitorii aquarum eſſe reliquias, eo minus dubitare licet, quod diverſæ ejus cameræ etiamnum ſuperſunt, ex quibus aquam per tubos in varias partes dimiſſam eſſe clare perſpicimus. Subterranei hujus fornicis uſus manifeſtus quum ſit, & antiquitatum peritis indubius, reperti tamen ſunt conjectatores, qui Romanorum diverticula hæc fuiſſe crederent; per quæ, veluti cuniculos quoſdam, hoſtilem illi vim metuentes, vel longa obſidione fatigati, ſeſe ſubducere potuiſſent. Beatus Rhenanus (*r*) hæc quidem rejicit, at aliam conjecturam, non veriſimiliorem, ſuggerit; “ Veriſimilius eſt, (inquit) aquæductus fuiſſe, non quidem aquæ fontanæ, cujus „

(*l*) Vulgus ab aliquot ſeculis reliquias has *Heidenloch* (Cryptam paganorum) appellat. Urstisius *Hiſtor. Baſil.* pag. 27.

(*m*) *Rer. German.* Lib. III. pag. 259. cujus verba innominato Auctore tranſcripſit Seb. Munsterus, Amerbachii æqualis, in *Coſmographia* Lib. III. Cap. XCI. pag. 505.

(*n*) Lib. III.

(*o*) *De Aquæduct.* Lib. II. num. 106.

(*p*) Romæ Aquæductus XIV. fuerunt, de quibus Fabrettus. Procopius ait, ea latitudine & profunditate fuiſſe, ut Eques per eos libere evadere potuerit. *Hiſtor. Gothica* Lib. I. Cap. XIX. In numero variant Scriptores, pro ratione ævi quo vixerant. Conf. Fabrettus *de Aquæductibus Diſſert.* III. pag. 147.

(*q*) Oppidum Liechſtal leucæ Franciæ intervallo à Colonia Raurica diſtat.

(*r*) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 259. quem fideliter ſecutus eſt Seb. Munsterus loco cit.

„ illic crebræ ſunt ubique ſcaturigines, ſed fluvialis potius, quæ ſordes civitatis ablueret; „ in quem uſum Baſilea plurimas ſub terra teſtudines habet, quæ res ad munditiem, „ urbis inprimis, conducit. Neque enim Argentorato quicquam aliud magis officit, „ quam quod hujusmodi egeſtoriis ſtructuris caret. „ Theſauri ibi reconditi fabulam, quæ in vulgi ſermone hodieque durat, paulo poſt Rhenanus ſubjungit.

§. LXXXV.

Arx ſive Caſtellum.

Sed nec ſilentio prætereunda eſt pars illa urbis, colli impoſita, Filinæque fluviolo propior, quæ ab accolis conſtanti traditione appellatur *Caſtellum*. (t) Prima hæc forte fuit & primaria arx oppidi, antequam Colonia fieret, & poſt Coloniam deductam munitior reddita. Hoc enim Caſtellum nec ad Druſi, nec ad Valentiniani I. caſtella, ſuper Rhenum condita, facile referas, quippe quæ non in urbibus, ſed locis apertis, ad Rhenum exſtructa fuerant. Conjiceres forte, poſt urbem everſam caſtrum hoc à Romanis conditum, vel certe reparatum, ut præſidio eſſet contra Germanos; atque adeo Rauricenſis caſtri nomen in *Galliarum Notitia* hinc fuiſſe prognatum. Conjectura veriſimilis, niſi omnes illius ævi rationes contrarias haberet. Enimvero ſi hoc Rauricæ Caſtellum, poſt urbem deſtructam, reſtauratum unquam fuit, reſtauratio vel ab Aetio, vel ab Ægidio, Romanis in Gallia Ducibus, vel ab Alemannis, vel à Francis, fieri debuit; ſub horum enim populorum ditione paulatim Raurica vixit. Aetium ad Rhenum ſuperiorem bella geſſiſſe non reperimus; illi enim cum Francis ad inferiorem, & in Narbonenſi cum Gothis, ſemper pugnandum erat. Bello autem, quod cum Burgundis geſſit anno CCCCXXXV. Rhenum non attigit, cujus oram Rauricam, Sequanicam & Germaniæ primæ, Alemanni tenerent; de quibus expellendis Aetius cogitare non potuit, qui & ipſe An. CCCCLV. à Valentiniano III. fuit occiſus. Ægidius vero circa Sueſſiones, in meditullio Galliæ, rem Romanam contra hoſtes ſuſtentavit utcunque, atque adeo Romanas ad Rhenum arces non reſtauravit; circa annum CCCCLXIV. mortuus, quo Alemanni adhuc in his partibus dominati ſunt. Alemanni autem ripæ utriusque domini, Rhenum cur clauſiſſent munimento? illi, qui arcium caſtellorumque fuerunt hoſtes infenſi. Franci poſt Tolbiacam victoriam Alemanniæ & Galliæ Rhenenſis domini, quem in finem Rhenum muniviſſent, univerſa ab illis devicta quum fuiſſet Alemannia?

§. LXXXVI.

Templum.

Sed jam à collibus in planitiem deſcendimus, ubi inter Theatrum & Ærgitiam flumen inſignia rudera ædificii cujusdam, in parte urbis remotiore à Rheno, verſus plagam meridionalem ſiti, occurrunt. Rhenanus, Munſterus, Urſtiſius, Patinus, illud ne verbo quidem tetigerunt. Ichnographicam deſcriptionem in Rauricarum Antiquitatum Tabula prima in ima parte exhibemus. Fundatio ejus duriſſimo lapide in ſolidam exſtructa molem, quantum ſuſpicari licet, ad templum vel ædiculas aliquot ſuſtentandas inſerviit. Ad majeſtatem Templi non parum facere crediderunt, ſi à cætero urbis ſolo extaret vel emineret. Vitruvius certe non quærit, an Templis apponendi ſint gradus, ſed tanquam neceſſariam partem eos ponit. Figuram habet rectanguli, cujus latera AB, BD, DC, & AC, fere ad quatuor mundi puncta cardinalia ſpectant. Longitudo AB eſt circiter LXXX. ped. Paris. latitudo BD ped. XXVI. vel tertia pars longitudinis. Tota hæc area in tres partes, E, F, G, diviſa eſt, quarum primam & tertiam, E & G, quæ alarum inſtar ſunt, altiores parte media F fuiſſe, adhuc ſatis apparet. Figura paulum à quadrato differunt, quum longitudo CH vel ID ſit XX. ped. latitudo AC vel BD ped. XXVI. ſeu eadem ac totius ædificii. Pars media F eandem cum prioribus habet latitudinem, longitudinem HI, ped. XL. Tam latus orientale HI, quam occidentale KL hujus partis mediæ, duabus apſidibus, vel loculis M, M & N, N, ſed diverſo modo poſitis, ornatum eſt. In latere occidentali KL reſecantur primo ex utraque parte ſex pedes, KO & LP; deinde ſequuntur duæ apſidulæ, N, N, radio ſex pedes longo deſcriptæ, & quadrantis formam referentes, quibus pro ambulatione libera impetranda laxamentum Q adjectum eſt. Ex columnarum autem veſtigiis R & S, tam ex hac, quam adverſa, parte inventis, apparet, hanc ædificii frontem fuiſſe tetraſtylon, quæ laxamenti & columnarum diſpoſitio, tam aſpectum venuſtum, quam aditum liberum, effecit. Duæ lateris orientalis apſides, M, M, prorſus ſont ſemi-circulares, eodem radio ſex ped. deſcriptæ, ac prope partes extremas, E & G, poſitæ.

Tab. I. Antiq. Raur.

Fig. 1.

Fig. 2. & 3.

Ibidem

(t) *Auf Caſtelen.*

Ibidem non ſolum, ut ſupra dixi, quatuor columnarum S, verum etiam ambulationis T, eandem cum toto ædificio longitudinem habentis, reperiuntur indicia, quam pluribus intercolumniis ornatam fuiſſe, varia columnarum fragmenta X, ſolo hinc inde ſepulta, oſtendunt.

§. LXXXVII.

Templi partes reliquæ. *Fig.* 3.

Ex hac fundationis deſcriptione conjecturæ locus eſt, ad extremas jam dictæ ambulationis T partes, adfuiſſe ſcalas, quibus ad ædificium impoſitum perveniretur. Illud autem & templum fuiſſe, & præcipue figuram rectanguli AD habuiſſe, arbitror. Hac ratione partes extremæ E & G efficerent duas cellas, ſive ædiculas, duobus numinibus dicatas, quas pars media F, gradibus ad a & b, & fortaſſis etiam intercolumniis ibidem poſitis, ab iisdem diſtincta, inter ſe jungeret. Sic enim pars media T formam nunc nanciſcitur regularem, & puteus ad c repertus in medio templi locatur. Quodſi Capitolinum olim Romæ templum tres ejusmodi Cellas, (σηκὰς) quarum media Jovi, dextra Minervæ, læva Junoni ſacra, habuit: (*t*) quidni Templum hoc numinum duorum cultui dedicari potuiſſet? Sed & quibusdam ſi conjectura placeret, plurium hoc cellarum templum fuiſſe, pluribus dedicatum numinibus, nec ego ſane refragaturus ſum. Quum enim in lateribus fundationis quatuor apſides fuerint, ubi ſtatuæ numinum collocari potuerunt, Templum hoc ſex numinibus dedicatum quin credamus nil vetat. Nemauſi ego vidi rudera Templi Dodecathei, duodecim Numinibus majoribus ſacrati, ubi ſex apſides ſive loculi in uno, & totidem in altero latere conſpiciuntur, in quibus XII. illi Dii, quos *Cæleſtes* vocabant, reponerentur. Templum hoc extra muros urbis vulgo *Dianæ Fanum* appellatur. In Raurici Templi cellarum aliqua poſitus fuit coloſſus ille Numinis ignoti, ex ære conflatus, cujus digitus, in ruinis illis hoc ſeculo repertus, amicorum liberalitate in Muſeum noſtrum pervenit. Apſides non ſatis altitudinis habuerunt, ut coloſſea hæc ſtatua ibi collocari potuerit. Quicquid ſit, ædificium hoc venuſtum & elegans, optimæ Romanorum in arte ædificandi ætatis partus, Rauricæ Coloniæ ornamentum haud exiguum attulit atque decus inſigne.

Fig. 1.

§. LXXXVIII.

Inſcriptionum parvus numerus.

Hæc de inſignibus Auguſtæ Rauracorum ruderibus, & ædificiorum reliquiis, majeſtas eorum annotare me juſſit. Non ſemel tamen dubius hæſitavi, qui factum, ut Marmora Literata, tam exiguo numero, apud Rauracos reperiantur, quum in Aventicenſi & Equeſtri, imo & in Auguſtea Vindelicenſi, Coloniis tot Lapides, Inſcriptionibus ornati, jam pridem eruti fuerint, & adhucdum eruantur non raro. Mirum præſertim eſt, nullum unquam cippum milliarem, ſive leugarem, in omni illo Tractu fuiſſe detectum; cujus tamen generis plures, quibus interſtitia locorum notabantur, ibi fuiſſe neceſſe eſt. Brocomagus certe, in Tribocis noſtris oppidum, quum unum ejusmodi, Tractus autem Aquenſis, in Marchionatu Badenſi, IV. cippos milliares protulerit, Rauricam regionem in hunc usque diem ſuos occultaſſe dolemus, niſi barbarie hominum ad alios uſus tranſlati fuerunt. Sed & vix tres quatuorve Inſcriptiones, & quidem nonniſi mutilas, novimus, quas ſuo loco proferimus: reliquas violentia ævi aut injuria temporum periiſſe omnes, veriſimile non eſt. Monumentorum defectus facit, ut ea, quæ interiorem Rauricæ ſtatum reſpiciunt, ignoremus. Ignoramus cognomen, quo ab Imperatoribus hæc quoque Colonia ornata forte fuit; cohortes item præſidiarias, quæ ibi cuſtodiverant Rhenum. Duumviros, Decuriones, Procuratores, Quæſtores ejus, Seviros item & Sodales Auguſtales, (quos in honorem Auguſti inſtitutoris ſui haud dubie creaverant) Sacerdotes, cæteraque publicorum officiorum nomina, gentes item Familiasque, quæ ibi habitaverant, ludos, feſta, imo & numina peculiari religione à Rauracis culta, & alia plura, ignoramus. Hæc ex parte ſaltem proditura eſſent in lucem, ſi ad veterum ædificiorum fundamenta usque terra effoderetur. Tempus in apricum fortaſſe producet, quæ ſeculo noſtro adhuc invidet fatum, & poſteritati reſervat. Ex paucis, quæ ſuperſunt, Inſcriptionibus Rauricis videtur poſſe concludi, *Juliam* & *Veturiam* Gentes ibi habitaſſe. Sed & nomen *Viſurix* Gallicum in Inſcript. occurrit. Signa Apollinis, Palladis cum haſta, Mercurii ænea, quæ ibi Amerbachiano ævo jam eruta, in Bibliotheca publica Baſilienſi ſervantur, oſtendunt, Numina hæc inter Deos Penates ab incolis quibusdam culta fuiſſe. Seculo noſtro diverſis temporibus Mercurii quoque ænei, ibidem detecti, religionis Gallorum oſtendunt reliquias, apud quos Mercurius præcipue cultus, ut Cæſar nos docet. Pallas apud noſtros quoque Mediomatricos, eorumque ſucceſ-

(*t*) Dionysius Halicarnassensis *Antiquitat.* Lib. III. Cap. LXIX. & Lib. IV. Conf. Donati *Roma Vetus & Nova* Lib. II. Cap. IV.

ſores Tribocos, culta fuit, cujus imaginem Lapidi inciſam Ellenſis Eccleſia aſſervat, quæ inter reliqua Monumenta æri inciſa, infra producitur. Magnitudinis juſtæ ſtatua nulla, nec ænea oec lapidea, quantum novimus, effoſſa eſt Rauricæ, ſed fragmenta modo, inter quæ memoratus Coloſſi digitus. Duobus Bonifaciis, Amerbachio atque Fæſchio, Baſilienſibus, vetus Raurica debet, quod theſauri ejus, annorum ſucceſſu ibidem reperti, oon perierint, aut ad exteros paulatim pervenerint. Hi duo celeberrimi Viri, alter ſeculi XVI. (*u*) alter XVII. magna cura conquiſiverunt, quicquid in ruinis illis ætate ſua effoſſum repertumve fuerat. Amerbachiana in Univerſitatis Baſil. Bibliothecam, An. MDCLXI. publicis ſumptibus redempta, transiverunt. (*x*) Alterum vero Muſeum in Fæſchianæ Familiæ manibus adhuc eſt, atque novis acceſſionibus ſubinde augetur.

§. LXXXIX.

Via prima.

ITINERARIO ANTONINI & TABULÆ THEODOSIANÆ, quæ ejusdem ætatis eſſe videntur, debemus notitiam Viarum duarum, quarum una ad Aventicum, altera ad Vindoniſſam, atque inde ad ulteriora, ducebant. In prima via, Aventicenſis itineris, interſtitia locorum ita ordinantur: (*y*)

Aventico Helvetiorum.
Petineſca - - - - M. P. XIII.
Saloduro - - - - M. P. X.
Auguſta Rauracum - M. P. XXII.

Unde ioter Rauricam & Aventicenſem Coloniam interſtitium XLV. M. Paſſ. oritur, quæ hic milliaria Gallica ſive leugas indicant, quarum XLV. faciunt XXII. horas itineris communes. Hæc ipſa eſt menſura itioeris ab Aventico Rauricam usque, ſi per Petineſcam, (*z*) Oltenam & Rupem ſciſſam inferiorem, (*Nieder-Hauenſtein*) obi via Romana transibat, illud inſtituas. (*a*) Quodſi autem milliaria Romana hic ſtricte intelligas, ſumma eorum XLV. nonniſi XV. horas explet, qui calculus diſtantiæ haudquaquam reſpondet. Circa Viæ hujus directiooem obſervandum eſt, illam ejus partem, quæ Raurica Salodurum ducebat, oon per Rupem ſciſſam ſuperiorem, (*Ober-Hauenſtein*) quæ tum nondum erat exciſa, & recentioris ævi opus eſt, ut CHRISTIANUS URSTISIUS (*b*) prodit, ſed per inferiorem Rupem ſciſſam, proceſſiſſe. Itaque ooo per oppidum *Waldenburg* (quod vulgus male *Wallenburg* vocat,) tum Juraſſus transibatur, ſed itinere verſus villas *Gelterkinden* & *Zeglingen*, atque arcem *Homburg*, directo, quod per Rupem ſciſſam minorem (*c*) ad oppidum Oltenam, atque inde Salodurum, perducit. Circuitus hic aliquot horarum eſt, cui numerus, in Itinerario annotatus, reſpondet, ſi milliaria Gallica ſive majora Romanis, quæ Leugæ appellantur, intelligas. XXI. M. Paſſ. efficiunt XIV. leugas cum tertia parte unius leugæ, vel Legæ. Id ut admittamus, invitat nos ipſum Antonini Itinerarium, quod *Vitoduro*, *Vindoniſſa*, *Rauracis*, ſiglam *Leg.* adjecit: quæ oon *Legionem*, oti Surita credidit, ſed *Legam* vel Leugam Gallicam veterem denotat, quæ, tertia parte major milliario Romano, hodiernæ autem Francicæ Leucæ partem dimidiam non omnino conficit. BERGIERIUS *de Viis Militaribus Romanorum*, (*d*) & poſt eum DANVILLIUS, (*e*) præclarus ſeculi oostri Geographus, demonſtrarunt hoc fuſe.

§. XC.

(*u*) Bonifacius Amerbachius, idem de quo ſupra, qui Ichnographiam Theatri Raurici delineavit, Filius fuit Joannis Amerbachii, celeberrimi Baſilienſis typographi, Græcarum & Latinarum Literarum periti, quem Eraſmus æque ac filium magni fecit. Bonifacius obiit An. 1562. relicto filio Baſilio, ut & Fauſtina filia, quæ Jo. Oporino, celebri Typographo Baſil. nupta fuit. JO. JAC. LEU in *Lexico Helvetico*, voce: *Amerbach*.

(*x*) PATIN *Relations de ſes Voyages* pag. 123. ſcribit id factum eſſe pretio novem mille Thalerorum.

(*y*) In Itinere à Mediolano per Alpes Penninas Magontiacum, *Itinerarii Antonini* pag. 353.

(*z*) Petineſcam ÆGID. TSCHUDIUS *Deſcript. Vet. Helvet.* MS. pag. 98. *Buren* interpretatur, CELLARIUS *Biel*. Veriſimilius tamen huc pertinere videtur *Bœzingen*, villa leuca Francica diſtans Biela, quo in loco diſtantiæ ab Itinerario indicatæ rectius collimant.

(*a*) Aventico Bœzingam
Bœzinga Salodurum
Saloduro Oltenam
Oltena Zeglingam
Zeglinga Auguſt. Raur.

Leugæ Gallicæ 45. faciunt 22. horas, qui calculus egregie heic quadrat.

(*b*) *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. VIII. pag. 29. & Cap. XI. pag. 38.

(*c*) *Nieder-Hauenſtein*, qui tranſitus Juraſſi eſt inter ſuperiorem Rupem ſciſſam & Pratum Ovinum.

(*d*) *Hiſtoire des Grands Chemins de l'Empire Liv. III. Chap. XXXVII.*

(*e*) D'ANVILLE *Eclairciſſemens Geographiques ſur l'Ancienne Gaule* pag. 115. ſeqq.

GEOGRAPH.

§. XC.

In ſecunda via, ubi Vindoniſſenſe iter (*f*) ad Rauracos, hæ menſuræ ponuntur: Via ſecunda.

Auguſta Vindelicum.	
Guntia - - -	M. P. XXII.
Celio Monte -	M. P. XVI.
Campoduno - -	M. P. XIIII.
Vemania - - -	M. P. XV.
Brigantia - -	M. P. XIIII.
Arbore Felici -	M. P. XX.
Finibus - - -	M. P. XX.
Vituduro - -	M. P. XXII. Leg.
Vindoniſſa - -	M. P. XXIIII. Leg.
Rauracos - -	M. P. XXVII. Leg.

Tabula Theodosiana tantum XXII. M. P. ponit inter Vindoniſſam & Rauracos, atque adeo idem intervallum viæ conſtituit, quod inter Rauracos & Salodurum Itinerarium notat. Inter Brigantium & Arborem Felicem (*g*) Rhenus transeundus erat. Viæ hæ ambæ dirigebantur ad Italos, & quidem Vindoniſſenſis per Danubii ripam ad Auguſtam Vindelicorum, atque inde ad Pontem Æni, ad Tridentum per Rhæticas Alpes ducebat Veronam. Aventicenſis ad Alpes Cottias, quæ hodie Ceniſius Mons. Sed & Narbonenſis Gallia per Aventicum opportune adibatur.

Aventicenſem & Vindoniſſenſem viam excepit tertia, quæ continuatio fuit Viæ Rhenenſis, Vindoniſſa ducentis ad Rauricam, quæ nempe ad Argentoratum & Coloniam Agrippinenſem tendit. Via hæc, noſtram quum reſpiciat Alſatiam, uberius à nobis exponetur deinceps. Quarta Via ab Auguſta Raurica Veſontionem deduxit, atque adeo ad Sequanos. Julianus inivit eam, quum An. CCCLX. Auguſta Rauracorum proficiſceretur Viennam, ut ibi hiemaret. (*h*) Quum limes Romanus primis ſeculis tribus ad Nicrum & inde ad Danubium Rhenum usque fuiſſet promotus, atque adeo Decumates Agri ſinus Imperii & pars provinciæ haberentur, uti Tacitus (*i*) loquitur, credibile eſt, per eosdem Decumates agros, adeoque per Brisgoviam & Ortenaviam, viam quoque directam fuiſſe, antequam Alemanni in illis oris invaleſcerent; ſed ſi quæ unquam ibi extitit via Romana, periiſſe neceſſe eſt, quod ne minimum quidem ejus veſtigium compareat ullibi. Tertia & quarta via.

§. XCI.

Vicina Coloniæ Rauricæ oppida nunc quoque paucis tangemus. In oppoſita parte Rheni, apud Marcomannos, deinceps Decumates agros, Rauracorum vicinos ad ortum, nullas urbes quæſiveris, ſed apud Vindelicos, Sequanos, & apud Helvetios, qui ab ortu, occaſu & à meridie, circumdederant Rauricam. In ipſo Rauricenſi Agro nihil vicinius ei Arialbinno, antequam Baſilia conderetur: *Olino* enim & *Robur* inter Caſtella reputantur. Apud Sequanos fuere Cambes, Mons Briſiacus & Argentouaria, apud Helvetios Salodurum & Vindoniſſa, ubi XXI. Legio, (*l*) Forum Tiberii, Aquæ Helveticæ & Turicum. (*m*) Aventicum autem, quæ Tacito (*n*) caput Helvetiorum, ſive urbs præ reliquis eminens, (uti Veſontio & Rauricum apud Sequanos) omnium Coloniarum Auguſtæ Rauracæ proxima fuit, nonniſi XXII. leucis Franc. ab ea diſtans. In Vindelicia, Rauracis & Helvetiis contermina, Sanctio (*o*) omnium proxima Rauricæ fuit. Inde Cambodunum atque Brigantium, (*p*) & quæ agmen claudit Auguſta Vindelicorum Colonia, noſtræ Rauricæ ſoror: quam ſplendidiſſimam Rhætiæ Provinciæ Coloniam Tacitus (*q*) appellat, quod Rhætia, ampliore ſenſu ſumpta, compre- Urbes viciniores Rauricæ.

(*f*) Antonini *Itinerar.* in itinere per Ripam Pannoniæ à Taurino in Gallias pag. 250.

(*g*) Oppidum *Arbon.*

(*h*) Ammianus Lib. XX. Cap. X.

(*i*) *German.* Cap. XXIX.

(*l*) Tacitus *Hiſt.* Lib. IV. Cap. LXI. LXX.

(*m*) Turicum vetus nomen genuinum Tigurinæ urbis fuiſſe, ex Lapide An. 1747. ibidem reperto diſcimus: quem illuſtravit Epigraphicæ Antiquitatis promus condus Io. Gasparus Hagenbuch, apud Turicenſes Profeſſor celebris, in *Epiſtolis Epigraphicis*, quæ reconditæ antiquitatis theſaurum continent.

(*n*) *Hiſtor.* Lib. I. Cap. LXVIII.

(*o*) Locus ab Ammiano Lib. XXI. Cap. V. memoratus, quem ad oppidum *Seckingam* referunt Geographorum plerique, Ortelius, Cluverius, Baudrandus, Samſonius, Cellarius, Spenerus. Medio ævo appellabatur *Saccomum.*

(*p*) Strabo Lib. IV. pag. 142. Brigantium & Cambodunum in Vindelicis ponit.

(*q*) *Germania* Cap. XLI. Quæ verba de Auguſta Vindelicorum Colonia, intelligi debere oſtendit Marcus Velserus *Rer. Auguſtæ Vindel.* Lib. III. pag. 212.

comprehenderat quoque Vindelicos. Coloniæ hujus Auctorem indicat nomen *Auguſtæ.* Ptolemæus eam vocat *Coloniam Auguſtam*, nominiſque priſci veſtigia in vulgari ejus appellatione *Augsburg*, uti in Raurica *Augst*, hodiedum ſuperſunt. Inſtituendæ Vindelicorum Coloniæ eadem cauſa, quæ ut Rauricam inſtitueret, Auguſtum induxit; ut Rhæti nimirum in obſequio continerentur, & ab irruptionibus Danubianis retinerentur Germani.

§. XCII.

Vicinæ Regiones.

In *Tabula Theodoſiana* pars dextra Rheni, ſive Ripa Germanica, ex adverſo Brigantii, usque ad Regionem Argentouariæ oppoſitam, *Alemannia* appellatur. Tractus hic partem Sueviæ Trans-Danubianæ, Civitates ſilveſtres Auſtriacas, atque Brisgoviam fere omnem, complectitur. Hercynia ſilva prope Rauracos Helvetiosque à Germanica Rheni ripa incepit, ut Julius Dictator (*r*) ſcribit: „ Hercynia ſilva oritur ab Helvetiorum, & „ Nemetum, & Rauracorum, finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines „ Dacorum &c. „ Montis hujus pars propior Rheno ſpeciatim Silva Marciana (*s*) in *Theodoſiana Tabula* appellatur. Ille vero montis hujus Tractus, ubi Danubius oritur, *Abnoba* dicitur à Tacito; (*t*) qui alio quoque loco (*u*) annotat: „ Inter Hercyniam „ ſilvam, Rhenumque & Mœnum amnes, Helvetii, ulteriora Boji, Gallica utraque gens, „ tenuere. „ Incolæ ergo Hercyniæ ſilvæ Rauracorum proximi trans Rhenum accolæ fuerunt. (*x*) Hi ipſi accolæ vicinorum Helvetiorum Colonia erant, quæ ex Helvetia in Vindeliciam & Germaniæ partem, Rauracis oppoſitam, migraverat: ut adeo Helvetios à meridie & ab ortu vicinos tum habuerint Rauraci. His Helvetiis Trans-Rhenanis, in Germanico ſolo habitantibus, confines fuerunt & Marcomanni, & Vindelici; quorum hi dextram Danubii & Rheni oram accoluerant; adeoque & ipſi contermini Rauracis. Verum enimvero Auguſta Rauracorum à latere illo, quo Rhenum attigit, id eſt, Germaniam Vindeliciamque aſpexit, (è regione enim ejus fere collimitium Vindeliciæ & Germaniæ fuit) ſub Romana Periodo frequentius novos vicinos accepit. Marcomanni quum verſus finem Imperii Cæſaris Octaviani Auguſti, relicta ſua ſede ad Rhenum, in Bojohemum migraſſent, in vacua eorum loca ex Gallis noſtris Rauracis & Sequanis, leviſſimus quisque, ut Tacitus (*y*) memorat, transivit; unde novorum incolarum quædam prognata colluvies, nomenque regionis Marcomanniæ in *Decumates Agros* immutatum eſt. Seculo quarto denique in eadem regione Alemanniæ exortum eſt nomen; cui Suevicum denique, Francica ſub Periodo, acceſſit, poſtquam Auguſta Raurica jam periiſſet. In his Alemannis, quibus multi Rauracenſium erant immixti, graviſſimos dein hoſtes experta eſt Rauracorum Auguſta; non ſemel infeſtis armis ab iisdem petita.

§. XCIII.

Fata Auguſtæ Raurac.

Fata enim Auguſtæ Rauricæ variis fortunæ viciſſitudinibus obnoxia fuerunt. Pericula ei non ſemel, & quidem gravia, ab inteſtinis Imperii Romani motibus imminuerunt. Julius Vindex, natione Gallus, inter populares ſuos auctoritate pollens, quum turbas contra Neronem in Gallia excitaſſet, Galbamque Imperatorem proclamaſſet, Sequani & ſpeciatim Veſontio, (*z*) Galbæ adhærens, illis turbis fuere impliciti; at nihil inde periculi ad Rauracos derivatum reperio. Periculoſior tempeſtas mox imminuit Rauracis, motibus Vitellianis exorta, quum Cæcina cum exercitu ad Helvetios acceſſiſſet, plenus furore. Fabius Valens cum XL. millibus armatorum à Vitellio miſſus eſt, ut per mediam Galliam ad Cottianas Alpes, & per easdem in Italiam, transiret; (*a*) atque ſic ille per Treviros, Mediomatricos, Leucos, Lingones, Æduos, Lugdunenſes, benigne ſatis ubique receptus, transivit. A. Cæcina ſuperioris Rheni exercitum triginta millium, in Vitellii partes pertractum, per Sequanos ad Helvetios duxit, quo itinere per Rauracos recta via transiviſſe, atque Vindoniſſam verſus feſtinaſſe, videtur: Penninis enim jugis, transitu propiore, hic degredi juſſus. Quas partes tum ſecuti fuerint Rauraci, non traditur; veriſimile tamen, Legionem, quæ tum apud Rauracos præſidiaria fuit, easdem cum ſuperioris

(*r*) *De Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XXV.

(*s*) Hodie Silva nigra, *Schwartzwald.*

(*t*) *Germania* Cap. I.

(*u*) Ibid. Cap. XXVIII.

(*x*) Hercynia ſilva apud Rhenum incipiens, denique à Danubio ſe ſiniſtrorſus convertit, uti Cæsar id annotat, atque dein Bohemicos illos Sudeti montes, Buchoniam Thuringicam, & Saltus illos Brunsvicenſium atque Luneburgenſium, *auf dem Harz*, format. Unde, quicquid fere apud Germanos ſaltuum eſt, pars Hercyniæ hujus ſilvæ cenſetur.

(*y*) Tacitus *Germ.* Cap. XXIX.

(*z*) Dio Cassius Lib. LX.

(*a*) Tacitus *Hiſtor.* Lib. I. Cap. LXI.

GEOGRAPH.

ſuperioris Rheni Legionibus partes, adeoque Vitellianas, eſſe ſecutam; (*b*) Legione XXI. quæ Vindoniſſæ apud Helvetios Rhenum cuſtodiebat, pro Vitellio ſtante. (*c*) Helvetii contra, Galbæ cædis ignari, eum adhuc Imperatorem coluerunt. Apud hos ergo cuncta ferro vaſtavit Cæcina, Helvetiique palantes in Vocetium montem fugerunt; qui extrema pars Juræ, ad Rhenum tendentis, Rauracos ab Helvetiis ſeparat. (*d*) Aventicum Claudii Coſſi eloquentia ſervatum. Intacta à furore Cæcinæ tum fuiſſe videtur urbs Raurica, quæ Legionis ibi excubantis ſubjecta arbitrio, cæterorum Sequanorum, & ſpeciatim Veſontinæ urbis, Galbæ partibus conſtanter adhærentis, exemplum imitari non auſa fuiſſet. Gravia hæc pericula Rauricæ, non ab hoſte externo, ſed ab ipſo Romano milite, prognata fuerunt ſeculo primo. Sequentibus duobus Rauricæ ſecuritatem nemo mirabitur, quum perpenderit, limitem ultra Rhenum Danubiumque à Romanis Imperatoribus paulatim ad Nicrum & Mœnum usque ita fuiſſe promotum, ut Germanicas has regiones Hadrianus ſecundo, atque Probus tertio, ſeculo communiverint vallo, unde Rheni ſuperioris magna ſecuritas orta. Hactenus felicia Rauricæ tempora.

§. XCIV.

Adverſa fortuna.

Sed quum ſeculo IV. Conſtantinus non politicas modo Imperii rationes, ſed & militares mutaſſet, atque præſidia Romana debilitaſſet ad Rhenum, mirum non eſt, Legiones ex vallo Romano ab Alemannis nuper ejectas, & ad Gallicam Rheni ripam rejectas, hanc ipſam vix defendere, & ab irruentibus Alemannis tutari, potuiſſe. Ita gravioribus periculis denuo expoſitam ſe Raurica vidit, & quidem tanto majoribus, quod imminutas Imperii vires intelligerent Germani, Romanas Legiones jam non amplius in Germania expectantes, ſed ipſi tranſituri in Galliam, ut Romanis bellum inferrent. Quod Franci ad inferiorem Rhenum, id ad ſuperiorem Alemanni, tentarunt: ſub Conſtantio præſertim Imperatore, qui, Galliam ut contra Alemannos defenderet, Julianum creaverat Cæſarem. Theatrum belli tum apud Rauricos ortum, apud quos, vel certe in eorum vicinia, & Romani & Alemanni, prouti vices rerum armorumque variaverant, Rhenum tranſire ſolebant. Julianus ad Argentoratum, Gratianus ad Argentouariam, quum viciſſent Alemannos, Raurici ſemper eos apud ſe tranſeuntes viderunt, qua de re in Annalibus hujus Periodi ſigillatim agetur. Turbis his non parum atteri cœpit urbs Raurica; res tamen ſuas ſuſtentavit utcunque; ita ut Ammianus Marcellinus, qui Theodoſio imperante, circa An. CCCLXXXVI. (*e*) Hiſtoriam ſuam conſcripſit, Rauricæ, ut florentiſſimæ urbis, faciat mentionem, ubi ad An. CCCLV. dicit: "Apud Sequanos Biſontios videmus & Rauracos, aliis potiores „ oppidis multis. „ (*f*) Scriptor, teſtis oculatus, Rauricam & Veſontionem, reliquis omnibus Sequanicis urbibus præponens, eo ipſo magnam adhuc & florentem deſignat. Teſtimonio hoc confutantur Petrus Ramus, (*g*) Cluverius, (*h*) Plantinus (*i*) aliique, qui Auguſtam Rauricam Juliani ætate ab Alemannis jam fuiſſe deſtructam volunt. Guillimannus (*l*) deſtructionis non determinat tempus, ſed à Valentiniano I. reparatam in Caſtrum dum ſcribit, everſam eam antea fuiſſe profitetur. At quomodo Auguſta Raurica in Caſtrum jam erigi potuit, An. CCCLXIX. quum Arces & Caſtella ad Rhenum Valentinianus erigeret, quam Ammianus ipſe, (*m*) An. CCCLXXXVI. quo ſcripſerat, adhuc florentem depingit. Eunapius Sardianus, ſub Gratiano vivens, quem Cluverius advocat teſtem, videat, cur Auguſtam Rauricam φρούριον (*Caſtellum*) appellet.

§. XCV.

Tempora meliora.

Nec reliquis hujus ſeculi annis magni alicujus belli veſtigia reperio, quo Raurica potuiſſet everti. Alemannorum vires, Argentoratenſi & Argentouarienſi prœliis attritæ, tam brevi tempore non potuerunt reparari, ut memorabile quid contra Galliam vicinam tentarent, aut urbes & Legiones Romanas, quæ cuſtodiverant Rhenum, aggrederentur. Unde

(*b*) Legio una & viceſima; Tacitus loco cit. alii legunt: *Undevigeſima.*

(*c*) Hinc ipſa hæc Legio hoſtilem in Helvetios, Galbæ adhærentes, animum oſtendit, atque occaſionem dedit, ut Cæcina Municipium Badenſe in illis partibus everteret. Tacitus *Hiſt.* Lib. I. Cap. LXVII.

(*d*) Idem Cap. LXVIII.

(*e*) Ammianus poſt Gratiani mortem, qui An. CCCLXXXIII. periit, Libros ſuos Hiſtoriarum conſcripſit, & ante ruinam templi Serapidis Alexandrini, cujus, ut ſtantis adhuc meminit, quod An. CCCLXXXIX. Theodoſii edicto disjectum eſt.

(*f*) Ammian. Lib. XV. Cap. XI. pag. 79.

(*g*) Petrus Ramus, loci hujus apud Ammianum immemor, ex eo, quod idem Auctor Baſiliam, & Caſtellum *Robur* ei vicinum, memorat, conjicere auſus eſt, Rauricam jam tum fuiſſe deletam. Vide Rami *Diatribam de Baſilea ad Senatum Populumque Baſil.* pag. 4.

(*h*) *German. Antiq.* Lib. II. Cap. III. pag. 21.

(*i*) *Helvetia Antiqua & Nova* pag. 308.

(*l*) *Rer. Helvet.* Lib. III. Cap. XI. pag. 384.

(*m*) Ammianus Marcell. Lib. XXVIII. Cap. II.

Unde Liber, qui *Notitia Imperii utriusque* inſcribitur, item ille, quem *Itinerarium Antonini* vocant, imo & *Tabula Theodoſiana*, tria Monumenta fere coætanea, ſub Arcadii & Honorii Imperatorum initia, adeoque ſeculi quarti fine, compoſita, Rhenanum noſtrum limitem ut integrum & illibatum, deſcribunt. Itinerarium & Tabula urbem noſtram appellant *Auguſtam Rauracum*, & Tabula ſpeciatim, in delineationibus & picturis ſuis, eam magno cum ædificio deſignat, quale nonniſi illuſtrioribus urbibus, ut Aventico quoque Helvetiorum, adjicitur.

Fata ſeculi V. — At ſeculi quinti initia lugubrem urbis Rauricæ nobis ſcenam aperiunt: medium ſeculi ſcenam ejus fatalem; ita quidem, ut illa plurimas Rhætiæ, Maximæ Sequanorum, & Germaniæ primæ, adeoque & Alſatiæ urbes, fatorum ſuorum ſocias ſemper haberet. Stilico, origine Vandalus, cui ſummam Imperii Honorius commiſerat, Germanicas nationes occulte inſtigavit, ut Galliam Italiamque aggrederentur, quo inter turbas illas Eucherium, filium ſuum, ad Imperium promoveret. Rhenus & Danubius ita præſidiis nudati ſunt. (*u*)

§. XCVI.

Senectus Auguſtæ Rauricor. — Colonia ergo hæc ſuas ætates, uti vidimus, habuit: quadraginta annos & quod excurrit, antequam occideret, in ſenectute transegit. Senectutem ejus appello tempus, quo Galliarum Notitia illam non in urbium claſſem amplius retulit, ſed à civitatibus diſtinxit, eam *Rauracenſe Caſtrum* appellans. Hæc ipſa ſenectus autem diuturna non fuit, quippe quæ ab An. CCCCVII. ad An. CCCCLI. duravit, quo Raurica ſuum obiit fatum, ſuis ſub ruinis ſepulta. Rauricæ ſenilis ætas incepit, quum Vandali, Alani, Suevi, & cum his plures aliæ nationes, fine anni CCCCVI. (*o*) Rhenum transiverunt. Locus transitus à nullo licet Hiſtoricorum & Chronographorum illius ævi notetur, in Germania prima tamen eos præſertim transiviſſe veriſimile eſt, quod Hieronymus locorum illius Tractus ad Rhenum præſertim facit mentionem; ubi Magontiacum, quæ Germaniæ primæ caput, ſubverſam, multa hominum millia apud eos in Eccleſia trucidata, Vangiones longa obſidione deletos, Nemetes & Argentoratum in Germaniam translatos, memorat. (*p*) In limitem Rheni, ubi hic Germaniam primam alluit, quum à barbaris tam graviter ſævitum, num ſalva tum eſſe potuit Rauracorum Auguſta? quæ à Vandalis, Alanis, Suevis, ſi manſiſſet intacta, ab Alemannis tamen vicinis, tum quoque, ut Hieronymus annotat, Rhenum transeuntibus, ut altera Carthago, quod impetus eorum toties retardavit, delenda fuerat, ne noceret in poſterum, aut certe liberum illorum tranſitum Rheni impediret. Barbarica hæc in Galliam irruptio triſtia Alemannorum in Rauricam urbem conſilia promovit. His enim non firmum modo pedem in Agro Raurico ponere jam licuit, quod toto ſuperiore ſeculo fruſtra tentaverant, ſed & Danubianus limes, à Stilicone nudatus, Vindeliciam & Helvetiam Trans-Urſanam illis aperuit, quæ à Rhætiæ provincia tum avulſæ & ab Alemannis occupatæ fuerunt. Sed & Rauraci, in hoc rerum ſtatu, à Maxima Sequanorum diſtracti, in Alemannorum dominatiooem tranſierunt, donec in ſeculi hujus fine tranſirent ad Francos.

§. XCVII.

Burgundiones. — Supervenere mox Burgundiones; & hos enim HIERONYMUS in *Epiſtola ad Gerontiam* inter populos Germanos, qui Galliam tum vaſtaverant, recenſet: in *Chronico* tamen ſpecialius de illis, ſeptennio poſt, (*q*) annotat, quod *partem Galliæ Rheno propinquantem* obtinuerint. Quodſi Burgundiones, qui & ipſi Vandalici generis fuerunt, (*r*) non

(*u*) PAULUS OROSIUS, Honorii Aug. æqualis, *Hiſtor.* Lib. VII. Cap. XXXVIII. ita de Stilicone ſcribit: " Alaricum . . . ad terrendam Rempublicam „ reſervavit. Præterea gentes alias, copiis viribusque „ intolerabiles, quibus nunc Galliarum Hiſpaniarum- „ que provinciæ premuntur, hoc eſt, Alanorum, „ Suevorum, Vandalorum, ipſoque ſimul motu im- „ pulſorum Burgundionum, ultro in arma ſollici- „ tans, deterſo ſemel Romani nominis metu, ſuſci- „ tavit. Eas interim ripas Rheni quatere, & pulſare „ Gallias voluit, ſperans miſer ſub hac neceſſitatis „ circumſtantia, quod & extorquere imperium genero „ poſſet in filium, & barbaræ gentes tam facile com- „ primi quam commoveri valerent. „ Oroſii ſententiæ Ammianus & Tiro Proſper conſentiunt.

(*o*) HIERONYMUS *in Chronico Euſebiano* ad Arcadii & Probi Conſulatum An. CCCCVII. ſcribit: " Vandali & Alani Gallias, trajecto Rheno, pridie „ Kal. Jan. ingreſſi.

(*p*) Verba Hieronymi ex *Epiſtola* ejus Undecima, quæ ad Gerontiam viduam ſcripta eſt, hæc ſunt: " Quicquid inter Alpes & Pyreneum eſt, quod „ Oceano & Rheno includitur, Quadus, Wandalus, „ Sarmata, Halani, Gipedes, Heruli, Saxones, „ Burgundiones, Alemanni & hoſtes Pannonii, vaſta- „ runt. Mogontiacum, nobilis quondam civitas, „ capta atque ſubverſa eſt, & in Eccleſia multa ho- „ minum millia trucidata. Vangiones longa obſidione „ deleti Remorum urbs præpotens, Ambiani, „ Attrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus, tranſlati in Germa- „ niam. Aquitaniæ, novemque populorum, Lugdu- „ nenſis & Narbonenſis provinciæ, præter paucas „ urbes, populata ſunt cuncta. Quas & ipſas foris „ gladius, intus vaſtat fames.

(*q*) Luciano & Heracliano Conſulibus ad An. CCCCXIV. *Theſaur. temporum* SCALIGERI pag. 191.

(*r*) PLINIUS Lib. III. Cap. XLVI. Apud AMMIANUM Lib. XXVIII. Cap. V. Sobolem Romanam ſe dicunt.

non ſtatim cum Vandalis, Alanis & Suevis, Rhenum tranſierunt; neceſſe eſt, eos brevi poſt, illis in Hiſpaniam digreſſis, tranſiiſſe. Cur enim hi, qui ſuperiore jam ſeculo regiones circa Nicrum flumen tenuerant, Alemannis confines, (s) in illo omnium fere Germaniæ populorum verſus Galliam motu, non aliquid ſibi arriperent, qui jam Valentiniano I. (t) fœderati, atque dextræ Rheni ripæ vicini? (u) Tranſierunt ergo tum quoque in Galliam Burgundiones, & *partem Rheno propinquantem*, ut vidimus, id eſt, tractum à Rheno non longe remotum, occuparunt: ſi enim ipſam Rheni oram occupaſſent, Hieronymus *propinquam* dixiſſet, uti dixit, quum de Francis oram Rheni vere tenentibus loquitur. (x) Gallicam noſtram Rheni ripam nunquam tenuerunt Burgundiones•, quum omnis id Hiſtoria ſileat; ſed ab ea ad Sequanos interiores progreſſi ſunt, quorum Regio nomen Burgundiæ mox ab illis accepit. (y) Enimvero in ſuperiori hac Rheni parte locum illis non reliquerant Alemanni, utriusque litoris Rheni, & in Helvetia Trans-Urſana, & in Maxima Sequanorum, & in Germania prima, jam poſſeſſores & domini. Sic illas ex Maxima Sequanica terras tum occupaverant Burgundiones, quæ aliquantum remotiores extiterunt à Rheno, quas hodie Burgundiæ Comitatum vocamus, quæque Alemannis fuere confines. Unde *Hieronymianum Chronicon* circa An. CCCCXXXVI. (z) ſcribit, Burgundionum Regem *intra Gallias* habitaſſe, quum bello eundem obtriviſſet Aetius.

§. XCVIII.

In tam fatali Galliarum diluvio, (a) quo univerſæ provinciæ inundatæ fuerunt, Interitus
nemo, uti puto, mirabitur, ſi urbs limitanea, præſidiario milite omnique auxilio Auguſtæ
deſtituta, tot hoſtibus diverſis, mœnium impatientibus, (b) expoſita, mœnibus, Raurac.
munimentis, Duumviris, Decurionibus, Senatuque ſuo privata, in Caſtrum redacta eſt ſubito, quod priſtinæ magnitudinis ne quidem umbram retinuit: incolis magnam partem gladio, fame, miſeria, pereuntibus, vel fuga diſperſis. (c) Qui ex tempeſtate hac ſervati fuerunt, reſtituta quiete, fertiliorem opportunioremque navigationi & commerciis locum, novæ veluti coloniæ condendæ, elegerunt Tractum illum, ubi Birſicus Rheno conjungitur, unde Baſiliæ civitatis origines, vel ſi mavis, augmenta; quæ urbs ex Arialbinno vicino & Raurico deſtructo prognata, cujus prima fundamenta nautæ & piſcatores jam pridem jeciſſe videntur, quæ ex vico paulatim in civitatem converſa, quum Auguſta Raorica converteretur in vicum: nonniſi pauperioribus in everſa urbe manentibus, vel certe ad illam redeuntibus, tempeſtate finita; uti infra, ſub Baſilia docebimus.

§. XCIX.

Hic Rerum Rauracenſium ſtatus illo temporis intervallo, quod ab An. CCCC. ad Urbs
CCCCL. effluxit: unde *Notitia Provinciarum & Civitatum Galliæ*, (d) tum condita, caſtrum
Auguſtam Rauricam non Civitatem, ſed *Caſtrum Rauracenſe* appellat, Baſilia vero inter evaſit.
Z
Civitates

(s) Ammianus loco cit.

(t) Idem ibidem.

(u) Hieronymus & Cassiodorus *in Chronicis.* Orosius item Lib. VII. Cap. XXXII.

(x) *Theſauro* Scaligeri. pag. 194. "Pars Gal„liarum propinqua Rheno, quam Franci poſſi„dendam occupaverant, Aetii Comitis armis „recepta.

(y) Sunt, qui non ſine fundamento conjiciunt, Burgundiones bona cum Romanorum gratia pedem firmum poſuiſſe in Gallia. Jornandes ſane de *Rebus Geticis* Cap. XXXVI. ſcribit: "Burgundiones, quon„dam Milites Romani; tunc vero jam in numero „auxiliorum exquiſiti. &c. „ Cum Valentiniano I. erant fœdere juncti, uti dictum. Unde Idatius in *Chronico* dixit: "Burgundiones à Romanis rebella„verunt, Duce Aetio debellantur.

(z) Theodoſio XV. & Valentiniano IV. Coſſ. *Theſauri temporum* pag. 194. Eandem cladem annotat Tiro Prosper Aquitanus in *Chronico*, apud Canisium in *Theſauro Monumentorum*, a Basnagio rurſus in lucem emiſſo, Tom. I. pag. 316.

(a) Quod vivis coloribus depingit Salvianus *de Gubernatione Dei* Lib. VI. & VII.

(b) Præter Ammianum Marcellinum, cujus locum jam protulimus, Procopius quoque rem eandem annotavit in Libris ſuis *de Ædificiis Juſtiniani* Lib. IV. Cap. V. ubi de Trans-Danubianis Regionibus ſcribens ait: Τειχομαχεῖν τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις οὐδαμῆ ἔγνωσαν. *Barbaris illius regionis oppugnare mœnia non noverant.*

(c) Rauracis noſtris idem contigit, quod paulo poſt ipſius Romæ incolis, quum Alaricus Urbem cepiſſet. Vivis rem coloribus depingit Hierooymus in Palæſtina Bethlehemi tum degens, qui à plurimis incolis Romanis divitibus, ad paupertatem redactis, & in Orientem venientibus, miſerum Urbis ſtatum intellexit. Ille in *Præfatione ad Librum VII. in Ezechielem* ita ſcribit: "Quis crederet, ut totius „orbis extructa victoriis Roma corrueret, ut ipſa „ſuis populis & mater fieret, & ſepulcrum? ut tota „Orientis, Ægypti, Africæ, litora olim dominatricis „urbis ſervarum & ancillarum numero complerentur? ut quotidie ſancta Bethlehem nobiles quon„dam utriusque ſexus, atque omnibus divitiis „affluentes, ſuſciperet mendicantes? quibus quo„niam opem ferre non poſſumus, condolemus, & „lacrymas lacrymis jungimus.

(d) Quam Sirmondus in *Conciliis Galliæ* & Duchesnius in *Scriptoribus Rer. Francicarum* Tomo I. ediderunt.

GEOGRAPH.

Civitates (*e*) numeratur. Eandem experta eſt ſortem Vindoniſſa, quæ, ex urbe florente & magna, tum *Caſtrum Vindoniſſenſe* evaſit. Caſtrum denotavit oppidum exiguum, (*f*) quod vicum potius majorem appellares vel burgum, ubi nec Epiſcopus, nec Comes, nec Præfectus, nec ullus Judicum Provincialium, ſedem habuerat. Sunt tamen, qui receptiore ſenſu vocem hanc intelligere malunt, & Auguſtam Rauricam tum in Arcem vel Caſtellum commutatam fuiſſe arbitrantur; ſimile nimirum illis, quæ Druſus & Valentinianus I. ad Rhenum conſtruxerant. Caſtellum quidem, Druſianis illis ſimile, haud adeo magno labore in Rauricæ Auguſtæ ruinis exſtrui potuiſſet. Inſignis & vaſta illa moles Theatri, ex lapidibus quadris confecta, cujus ingentia rudera etiamnum in colle cernuntur, facile in caſtellum potuiſſet converti. Nemauſenſe Amphitheatrum, Hadriani Mauſoleum, ſequentibus quoque ſeculis, in caſtella, & arces converſa fuerunt, quod in Arcu triumphali Arauſione quoque factum eſſe video. At Romani Imperii ſtatus per ſeculum quintum, ad ejus uſque deſtructionem, ſatis abunde nos docet, limitem Rheni, Honoriano ſub Principatu, legionibus nudatum fuiſſe, quæ ne viſcera Imperii quidem potuerunt defendere. Unde Roma ſeculo hoc fuit quater direpta. (*g*) Cui bono ergo Caſtellum hoc fuiſſet exſtructum, cui defendendo legiones non aderant? Adde quod Alemanni, utriuſque ripæ Rhenenſis domini, exſtructionem caſtelli contra ſe non fuiſſent paſſuri. Credibilius longe, Rauricam, barbaris An. CCCCVII. undique irruentibus, privatam munimentis, ſub dubia tum novorum Dominorum clientela, veluti in ſervitute vixiſſe, ita ut in oppidorum minorum claſſe vix locum tueretur; in pejorem forte ſtatum reducta, quam fuerat, ante quam Colonia fieret. Mirum ergo non eſt, in Rauracenſibus ruinis veterum Imperatorum nummos ad Honorium uſque reperiri, uti Antiquitatum in illis oris curioſi obſervant. (*h*) Sub hoc enim Imperatore prima & præcipua ejus deſtructio facta eſt; poſteriorum autem Imperatorum numiſmata nonniſi rarius ibi occurrere poſſunt. Quidquid ſit de qualitate nummorum, copia eorum, quæ in agris, raſtro aut aratro ſubactis, paſſim & quotidie per tot ſecula occurrit, ſubitam incolis eorumque fortunis cladem illatam eſſe, manifeſte declarat. Unde illorum conjectura nequaquam poteſt admitti, qui Rauricam urbem paulatim decreviſſe atque collapſam fuiſſe exiſtimant. (*i*) Hic ipſe enim Rauricæ ſtatus ſeneſcens diuturnus non fuit, quippe qui nonniſi à ſeculi V. initio ad Hunnicæ irruptionis tempora uſque, hoc eſt, ad medium ejuſdem ſeculi, duravit. (*l*)

§. C.

Attilæ irruptio.

Attila enim, poſtquam Thraciam Illyricumque vaſtaverat, cum Hunnis ſuis circa An. CCCCLI. fatalem Auguſtæ Rauricæ cladem inferre viſus eſt. Ex Pannonia (*m*) nimirum, Danubium cum innumerabili exercitu relegens, Galliam intrare decrevit, eoque in itinere propugnacula, ab Imperatoribus olim Danubio utrimque impoſita, ſubvertens, ut PROCOPIUS (*n*) teſtis eſt, Rhenum acceſſit, & quidem, uti videtur, circa Brigantiam, ubi quod à Vandalis, Alanis, Suevis, Burgundionibus, non deſtructum ſupererat, apud Vindelicos, Rauricos, Sequanos, Tribocos alioſque Rheni accolas penitus deſtruxit, obvia quæque proſternens, vel, ut BEDA (*o*) loquitur, civitates atque caſtella excidens. Transitum hunc circa Hercynium ſaltum eſſe factum SOLLIUS SIDONIUS APOLLINARIS (*p*) teſtatur:

" Cecidit

(*e*) Sed & *Civitas Elvitiorum Aventicus*, ibidem memorata, eam tum nondum deſtructam fuiſſe indicio eſt.

(*f*) Vide CANGII *Gloſſarium* in voce: *Caſtrum*.

(*g*) Alaricus Viſigothorum Rex An. CCCCX. Genſericus Vandalorum Rex An. CCCCLV. Odoacer Herulus An. CCCCLXV. Ricimer An. CCCCLXXII. Romam ceperunt.

(*h*) RUDOLPHUS WETSTENIUS in *Diſſert. de Urſula*.

(*i*) SEB. MUNSTERUS in *Coſmograph.* Lib. III. Cap. XCI.

(*l*) Ab anno CCCCVII. quo Alani, Vandali, Suevi, irruerunt in Galliam, ad An. CCCCLI. quo Hunni venerunt.

(*m*) Ex Pannonia adveniſſe Attilam GREGORIUS TURONENSIS quoque teſtatur Lib. II. Cap. VII.

(*n*) PROCOPIUS *de Ædificiis Juſtiniani* Lib. IV. Cap. V. id aperte oſtendit; ubi enim priſcorum Imperatorum curam circa oram Danubianam, oppidis & caſtellis firmandam, expoſuiſſet, addit: Χρόνῳ δὲ ὕστερον Ἀττίλας στρατῷ μεγάλῳ ἐσβεβληκὼς, τά τε ὀχυρώματα πόνῳ οὐδενὶ ἐς ἔδαφος καθεῖλε, καὶ γῆν Ῥωμαίων ἀντιταζοντος οὐδενὸς ἐληΐσατο τὴν πολλήν. *Poſtmodum vero Attila, cum ingenti exercitu irrumpens, munitiones illas nullo negotio diſturbavit, ac late Romanum Imperium populatus eſt, nemine repugnante.* Fallitur ergo HADR. VALESIUS *Rer. Franc.* Lib. IV. pag. 158. aliique cum eo, qui Germaniam magnam eum peragraſſe, Rhenumque prope Coloniam transiviſſe volunt. In illo Germaniæ tranſitu quot obſtacula ratione commeatus, itinerum &c. Danubium relegendo non modo plurima loca ad utramque ripam poſita, ſed & itineris ab utraque ripa in via Romana faciendi opportunitatem invenit. Adde quod magni exercitus fluminum ripas legere amant in expeditionibus ſuis. Si Coloniæ Agrippinæ Rhenum transiviſſet Attila, quomodo ibi obvios habere potuiſſet Burgundiones? quos ad ipſum tranſitum Rheni ei occurriſſe ſcribit CASSIODORUS & PAULUS DIACONUS *de Epiſcopis Metenſibus* apud FREHERUM *Corp. Hiſt. Franc.* pag. 173.

(*o*) In *Hiſtoria Eccleſiaſt.* Lib. I. Cap. XIII.

(*p*) *Carmine* VII. verſu 326. ſqq. Pater Sidonii Apollinaris Arvernus fuit, Præfectus Prætorio Galliarum An. CCCCXLIX. quam dignitatem & Avus ejus An. CCCCXII. poſſederat.

„ Cecidit cito ſecta bipenni
„ Hercinia in lintres & Rhenum texuit alno.
„ Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
„ In campos ſe, Belga, tuos.

In Brigantini Lacus vicinia id contigiſſe AVENTINUS exiſtimat. Illi ſane falluntur, qui ad Argentoratum hoc referunt. (q) Tum vero Rauracenſe, Vindoniſſenſe & Argentarienſe caſtra, cum aliis ad Rhenum locis, ita everſa atque proſtrata, imo funditus fere exciſa fuerunt, ut ex ruinis ſuis nonniſi in villas reſurgere potuerint. Novas plane urbes in vicinia exſtruere, quam everſas reſtaurare, maluerunt nepotes. (r) Poſtquam enim Attila in Vindeliciæ confinio cum Helvetiis & Rauracis Rhenum trajeciſſet, vel Rheni ripam legens deſcendit verſus Argentoratum, ut urbem Mediomatricum peteret, quam & evertit, uti teſtes ſunt IDATIUS (s) atque TURONENSIS ANTISTES: (t) vel recta Sequanos petiit, ut NICOLAUS OLAHUS, Archiepiſcopus Strigonenſis, in ſuo *Attila* (u) tradit. Quodſi locis quibusdam in Galliæ introitu pepercit Attila, quantum furorem in illa effudiſſe neceſſe eſt, in quæ poſt cladem, in Catalaunicis campis acceptam, redeundo inciderat. Unde Rhenus ab eo bis male habitus, & Attila à SIDONIO APOLLINARI (x) *Rheni hoſtis* vocatus eſt.

§. CI.

Ita urbs Raurica ab anno XIV. ante Æram Dionyſianam, ab Auguſti Cæſaris nempe, conditoris ſui, temporibus florens, anno CCCLVI. ab Alemannis cum plurimis Galliæ urbibus male habita, ſed reſtituta, An. CCCCVII. ſeneſcere cœpit, An. CCCCLI. funditus periit, atque ſub ſuis plane ſepulta cineribus eſt, nullo tempore reſurrectura. AVENTINUS (y) annotat, Gundaricum & Segimundum, Reges Burgundionum, Hunnis, in Galliam irruentibus, reſtitiſſe & ab illis fuiſſe cæſos, occiſos. URSTISIUS (z) hoc Sigismundo, Gundicarii fratri, adſcribit, & in Baſilienſium finibus factum eſſe conjicit, conſentientem habens ANDREAM DU CHESNIUM; (a) quæ conjectura veriſimilior, quod PROSPER (b) & CASSIODORUS (c) Gundicarium longe ante ab Hunnis interemptum ſignificare videantur. (d) Ab hujus ſeculi V. adulti temporibus Auguſtæ Rauricæ Hiſtoria deſinit, nec ejus ullibi, ut reſtitutæ, occurrit memoria. Anonymus Ravennas, ſeculi VII. Scriptor, ubi loca ad Rhenum enarrat, *Auguſtam Rauracum* quidem nominat, ſed præter nomen ejus nihil adducit, veterum Geographorum fidem ſecutus.

Tempus everſionis.

Non poſſumus ergo non approbare Jo. STUMPFII, (e) Hiſtoriæ Helveticæ diligentiſſimi Scriptoris, conjecturam, qua Valentiniani III. & Marciani Impp. temporibus ſecundam, ſive plenariam, Rauricæ everſionem contigiſſe putat; in eo fortaſſe non ſatis accuratus, quod everſionem hanc, Hunnis attribuendam, Alemannis adſcribat. Alemannos quidem urbium everſores maximos fuiſſe, ſupra oſtendimus, cujus rei teſtes tot Gallicæ urbes, ab illis ſub Conſtantio Imp. everſæ. Inter has vaſtationes Rauricam tum fuiſſe ſervatam, ex prolato AMMIANI loco probavimus, qui urbem hanc ipſe ſub Juliano adhuc vidit florentem. Unde prima everſio urbis irruptioni, à Vandalis, Alanis & Suevis, An. CCCCVII. factæ, adſcribenda videtur: ſecunda & plenaria Attilæ An. CCCCLI. in Galliam irruenti, & ex eadem poſt Catalaunicam pugnam in Pannonias redeunti. Alemanni, qui Vandalos ſecuti ſunt in migratione trans Rhenum, firmum apud Rauracos, Sequanos & in Germania prima, quum poſuiſſent pedem, terras, quas conſtanter retinere decreverant, cur flamma, igne & ferro vaſtaſſent? muros quidem ubique dejecerant, à Vandalicæ irruptionis temporibus in Gallica ora Rhenenſi fixam ſedem tenentes, Romanis expulſis.

(q) Vide infra in Argentorato.

(r) Vindoniſſæ interitus occaſionem dedit originibus oppidi Bruck; Auguſtæ Rauricæ everſio Baſiliam peperit; ex Argentouariæ cineribus ſurrexit Colmaria, & ex Argentorato everſa Strateburgum.

(s) In *Chronico ad Olympiadem* CCCVIII. ubi: “ Gens Hunnorum pace rupta deprædatur Provincias „ Galliarum. Plurimæ civitates effractæ: in Campis „ Catalaunicis, haud longe de civitate, quam effregerant, Mettis, Aetio Duci & Regi Theodorico, „ quibus erat in pace ſocietas, aperto marte confligens, divino cæſa ſuperatur auxilio. „ In *Theſauro Temporum* JOSEPHI SCALIGERI pag. 25.

(t) GREGORIUS TURONENSIS Lib. II. Cap. VI.

(u) Cap. IV. ROBERTUS, Altiſſiodorenſis Monachus, tamen in *Chronico*, quod NICOL. CAMUSATUS edidit, vult, Attilam, poſt cladem acceptam, Lingones & Veſontionem evertiſſe.

(x) *Epiſtolarum* Lib. VII. Epiſtola XII. ad Ferreolum.

(y) *Annal. Bojor.* Lib. II. Cap. LIII. num. 23.

(z) *Epitome Hiſtoriæ Baſil.* Cap. III. pag. 25.

(a) *Hiſtoire des Rois, Ducs & Comtes de Bourgogne, Liv.* I. *Chap.* II. pag. 6.

(b) Theodoſio XV. & Valentiniano IV. Coſſ. hoc eſt, anno Chriſti CCCCXXXV.

(c) *Chron.* ſub Theodoſio II. pag. 394. *Operum* ejus à GARETIO editorum.

(d) Vide *Diſſertationem* noſtram *de Burgundia Trans-Jurana.*

(e) *Chron. Helvet.* Lib. XII. Cap. II.

§. CII.

Sedes Epiſcopi tranſlata.

Factum hinc, ut Epiſcopatus Rauracenſis, illis temporibus, transferretur Baſiliam. Juſtinianus, Rauricorum Epiſcopus, occurrit quidem in *Actis Concilii*, quod An. CCCXLVI. Agrippinæ, ſive Coloniæ, habitum fuiſſe creditur. Sed Acta illa, non unam ob cauſam, dubia & ſuſpecta reputamus, addam & falſa. Continuatur inde quidem nomen Rauracenſium Præſulum, urbe Raurica licet deſtructa, quando An. DXXXIII. pro Adelphio, Epiſcopo Rauracenſi, Synodo Aurelianenſi Aſclepius interfuiſſe memoratur. Primus Epiſcopus Baſilienſis occurrit An. DCCCLIX. quo Concilium apud Saponarias, villam in Suburbano Tullenſi, celebratum eſt; cui *Fredebertus Baſilienſis Epiſcopus* ſubſcripſit, qui An. DCCCLX. Synodo apud Tuſiacum, villam territorii Tullenſis, habitæ, nomen ſuum quoque dedit. Si quis inde concludendum exiſtimet, ſedem Epiſcopalem circa medium ſeculi IX. Baſiliam demum fuiſſe tranſlatam, ille obſervet, Epiſcopos Baſilienſes à regione Diœceſeos potuiſſe vocari Rauracenſes, vel eo tempore, quo Baſiliæ jam ſederant, ut Baſilienſem Epiſcopum ſe hodie vocat, qui Bruntruti reſidet: Lauſanenſem, qui plerumque Friburgi: Genevenſem, qui Anecii. Illis autem, qui Rauracenſem & Baſilienſem Epiſcopatus olim ſeparatos fuiſſe, atque tum coaluiſſe in unum, exiſtimant, haud quaquam accedo. Ex his colligimus, quid de illorum ſit ſtatuendum ſententia, (*f*) qui Auguſtam Rauricam ab Hungaris demum ſeculo X. everſam fuiſſe cenſent, quum illi ſub Conrado I. Germanorum Rege, An. DCCCCXVII. ex Pannonia venientes, Alemanniam, Baſiliam, Alſatiamque noſtram, tranſito Rheno, vaſtaſſent, ut Hermannus Contractus (*g*) docet. Illo nimirum tempore nec civitas, nec caſtrum amplius vel oppidulum, ſed vicus aliquis, vel ad ſummum Burgus, quem vocant, in veteri Rauracorum Auguſta ſupereſſe potuit; cujus everſio magna non fuiſſet jactura. (*h*) Vindoniſſa diutius nomen civitatis retinuit. Hujus enim Epiſcopus Bubulcus Epaonenſi Synodo Burgundiæ An.° DXVII. celebratæ interfuit, ut ejus *Acta* teſtantur, (*i*) ubi poſt Maximum Genavenſem Epiſcopum legitur: *Bubulcus in Chriſti nomine Epiſcopus Civitatis Vindoniſſæ relegi & ſubſcripſi, die & Conſule ſupra ſcripto.*

§. CIII.

Memoria Col. Raur. renovata.

Ceterum Coloniæ, in Rauricam ductæ, memoria renovata fuit à Senatu Populoque Baſilienſi An. MDXXVIII. quo Munatio Planco inclyta Reſpublica ſtatuam in Curiæ ſuæ aula erexit; in cujus baſe elogium, auctore Beato Rhenano (*l*) noſtro, hoc legitur:

L. MVNATIO. PLANCO. CIVI. ROMANO. VIRO. CONSVLARI. ET. PRAETORIO. ORATORIQVE. AC. M. CICERONIS. DISCIPVLO. QVI. POST. DEVICTOS. RHAETOS. AEDE. SATVRNI. DE. MANVBIIS. EXTRVCTA. NON. MODO. LVGDVNVM. SED. ET. RAVRICAM. COLONIAM. DEDVXIT. QVAE. AVGVSTA. FVIT. APPELLATA. AB. OCTAVIO. AVGVSTO. TVM. RERVM. POTIENTE. S. P. Q. BASILIENSIS. TAMETSI. ALEMANNORVM. TRANSDVCTI. COLONI. SVBACTIS. AC. DEPVLSIS. RAVRICIS. AMORE. TAMEN. VIRTVTIS. QVAE. ETIAM. IN. HOSTE. VENERATIONEM. MERETVR. VETVSTISSIMO. TRACTVS. HVIVS. ILLVSTRATORI. CVLPA. TEMPORVM. PRORSVS. ABOLITAM. MEMORIAM. POSTLIMINIO. RENOVARVNT. ANNO. M. D. XXVIII.

Franciscus Guillimannus (*m*) Inſcriptionem hanc critico judicio ſubmittit, eamque non ſiniſtre reprehendit, quod Alemannos, qui oram hanc occuparunt, Colonos transdoctos appellat, quum Vandalis, Alanis, Suevis, Gallicam Rheni oram vaſtantibus, vel ipſi interfuerint, vel certe illos mox ſecuti, vacua & vaſtata loca occuparint. Alterum vero reprehenſionis caput, circa vocem *Auguſtæ*, quod attinet, in eo Rhenanum erroris male poſtulavit Guillimannus, falſæ opinioni circa Coloniæ deductæ tempus inhærens; qui ſi Epocham ejus ad An. DCCXL. Urb. Cond. poſuiſſet, de nomine *Auguſti*, in Octavium Cæſarem nondum collato, non moviſſet querelam.

(*f*) Beatus Rhenanus *Rer. Germanicar.* Lib. III. pag. 265.

(*g*) In *Chron.* ad An. DCCCCXVII.

(*h*) Ita quoque ſentit Urstisius in *Hiſtoria Baſil. Epitome* Cap. III. pag. 26. & Vir ampliſſimus Jo. Jacobus Leu, de Helvetica Hiſtoria præclare meritus, in *Lexico Helvetico* Part. I. pag. 392.

(*i*) *Conciliorum* Labbei Tomo IV. pag. 1582.

(*l*) Idem hic & Argentouarienſem Inſcriptionem condidit, poſitam Horburgi, ut ſuo loco.

(*m*) *Rer. Helvet.* Lib. III. Cap. XI. pag. 386

GEOGRAPH.

§. CIV.

Topographicam Auguſtæ Rauracæ veteris ruinarum Tabulam, omnemque ſtatus ejus præſentis notitiam, quam Rauricam appellares anaſtaſin, Magnificorum Illuſtriſſimæ Reipublicæ Baſilienſis Procerum, atque ſpeciatim Viri graviſſimi, Jo. RUDOLPHI FÆSCHII, Tribuni plebis, benevolentiæ & humanitati me debere, gratus profiteor. Conſultiſſimus vero GEORGIUS SCHWEIGHAUSERUS, J. U. L. Concilii Majoris Aſſeſſor, Vir meritiſſimus, atque HIERONYMUS DIENAST, J. U. L. Cancellariæ inter primos adſcriptus, ſuæ in me amicitiæ pignus daturi, nulli operæ pepercerunt, ut ex veteribus vaſtisque ruinis reſurgeret Raurica: quam omnes Rerum Helveticarum Rauricarumque Scriptores nonniſi leviter attigerunt. Amerbachius autem, unice de Theatro ſollicitus fuit, licet in eodem deſcribendo non ſatis accuratus, imo plane falſus in eo, quod ruinas has pro Amphitheatro venditarit. Auctores relationis.

ROBUR.

§. CV.

AUguſtæ Rauricæ Caſtellum *Robur* non ſine ratione ſubjungo. Quamcunque enim de ſitu ejus amplectaris ſententiam, nullum in Rauracis locum, Auguſtæ viciniorem, Caſtello hoc reperis. Valentinianus I. Imp. jam anno Æræ Dionyſianæ CCCLXIX. Rheni oram caſtellis arcibusque munivit, ut coerceret Germanos, ſpeciatim Alemannos. Ita enim ſcribit AMMIANUS MARCELLINUS: (n) " Valentinianus, magna animo concipiens „ & utilia, Rhenum omnem à Rhætiarum exordio ad usque fretalem Oceanum magnis „ molibus communiebat, caſtra extollens altius & caſtella, turresque aſſiduas per „ habiles locos & opportunos, qua Galliarum extenditur longitudo: nonnunquam „ etiam ultra flumen ædificiis poſitis ſubradens barbarus fines. „ Quinquennio poſt, Gratiano Aug. III. & Æquitio Coſſ. hoc eſt, An. CCCLXXIV. ex Alemannia, cujus aliquot Pagos vaſtaverat, redux, munimentum prope Baſiliam ædificavit, quod accolæ *Robur* appellant, uti idem AMMIANUS (o) nos docet. Scilicet ex *Codicis Theodoſiani* Chronologia addiſcimus, Valentinianum die XXI. Maji & XX. Junii anni CCCLXXIV. apud Treviros fuiſſe. Expeditionem inde in Alemanniam ſuſcepit, ex qua redux munimentum *Robur* conſtruxit, vel ante expeditionem jam inchoatum perfecit. Robore quum verſaretur, X. Julii *Conſtitutionem* edidit & ad Conſtantium miſit. (p) Ibidem allatus eſt ei nuntius de clade Illyrici, Quados item & Sarmatas tranſiviſſe Danubium. Robur Caſtellum.

Robur hoc omnium, qui ſuperſunt, Hiſtoricorum ſolus memorat Ammianus; qui & auctorem caſtelli, & tempus, quo illud conditum, diligenter exponit. Conditor ejus indubitatus eſt Valentinianus I. qui penultimo vitæ ſuæ anno munimentum iſtud perfecit, obiiſſe enim hunc Imperatorem anno CCCLXXV. qui Gratiani & Æquitii Conſulatum ſecutus eſt, teſtatur AMMIANUS, (q) & quidem in ipſa contra Quados expeditione, quorum in Danubianum Imperii Rom. limitem irruptionem didicerat Robore. CHRISTIANUM URSTISIUM ergo fefellit memoria, quando in *Baſilienſis Epiſcopatus Hiſtoria* (r) *Robur* à Valentiniano II. extructum fuiſſe ſcribit, atque adeo patris opus attribuit filio, qui patre moriente vix fuerat quinquennis. Haud dubie ex Urſtiſio id bona quoque fide inſertum eſt *Lexico Hiſtorico Baſilienſi*, (s) lingua Germanica à Viris Doctiſſimis edito. Caſtelli conditor.

(n) Lib. XXVIII. Cap. II.

(o) Lib. XXX. Cap. III. ubi ita: " Secuto poſt „ hæc anno, Gratiano aſcito in trabeæ ſocietatem „ Æquitio Conſule, Valentiniano poſt vaſtatos aliquos „ Alamanniæ pagos munimentum ædificanti prope „ Baſiliam, quod appellant accolæ *Robur*, offertur „ Præfecti relatio Probi, docentis Illyrici clades.

(p) Lib. XXX. *Cod. Theodoſ.* de *Curſ. Publ.* Data Robore VI. Id. Jul. Gratiano III. & Equitio Urb. Conſ. Coſſ. hoc eſt An. CCCLXXIV. Valentinianus I. hanc Conſtitutionem ad Conſtantium direxit, ita ut duorum Collegarum Auguſtorum quoque nomina ſuo adjungeret. Itaque Valentinianus I. Valens & Gratianus, Auguſti eam edidiſſe leguntur, quorum nomina Conſtitutioni præfixa ſunt. Conſtitutio hæc agit de Veſtibus Militaribus earumque translationibus.

(q) Lib. XXX. Cap. VI. AURELIUS VICTOR *in Epitome.* Obiit d. 17. Nov. 375.

(r) Lib. II. Cap. III. pag. 77.

(s) In voce *Baſel.*

§. CVI.

Locus Caſtelli.

De loco autem, ubi *Robur* olim ſitum, dubitatior res eſt. Licet enim ad Rhenum, & prope Baſiliam quidem, Caſtellum hoc absque ullo dubio quærendum ſit, Auctores tamen in eo determinando mire diſſentiunt. Tschudius (*t*) Robur ad urbem Rheinfeldam refert. Stumpfius (*u*) è tribus Wartenburgenſibus arcibus, quæ An. MCCCLVI. terræ motu dejectæ fuerunt, quæque nonniſi unius leucæ Francicæ intervallo ſupra Baſiliam ſitæ ſunt, mediam, cujus turris adhuc ampla extat, huc pertinere credidit. Nummi, & alia antiquitatis fragmenta, ibi ſubinde eruuntur. Sunt qui, nominis ſimilitudine inducti, arcem *Rotberg*, in Rauracis ſitam, ſed ad Salodurenſes ſpectantem, huc trahere volunt, uti Stumpfius Urſtiſiusque teſtantur. Simlerus Robur hoc propius verſus Baſiliam, atque in loco, *Rothauſs*, (*x*) ſupra Birſam, poſitum fuiſſe cenſet. Alii vero Turrim Salinariam, ad Birſici oſtia Baſiliæ conditam, pertioere huc credunt: (*y*) cujus turris antiqoitatem ego tantam eſſe non puto, uti mox in *Baſilia* dicetur. Cluverius (*z*) denique ita Ammiani verba accipit, ut ipſam Baſiliam *Robur* ab accolis dictam exiſtimet, quum id nominis munimento cuidam, prope Baſiliam, datum ſcribat Ammianus; cujus locum male profecto intellexit Cluverius.

Urstisius (*a*) tamen, Hofmannus (*b*) & Jac. Christophorus Iselius, (*c*) cujus Doctiſſimi viri, Præceptoris olim mei & cognatione mihi devincti, manes adhuc veneror, pro alto munitoque loco illo ſentiunt, ubi hodie ſummum Baſilienſium Templum atque viretum vicinum eſt. (*d*) Area illa, cui inſidet Cathedralis Eccleſia, medio noſtroque adhuc ævo *Burgus* vocatur, Germanice *auf Burg*, hoc eſt, io *Caſtro*. Chartæ Epiſcopales teſtaotur id paſſim. Petrus Epiſcopus Synodo, pro conſervanda libertatis Eccleſiaſticæ immunitate habita, An. MCCXCVII. vetat: "Ne intra terminos „ Caſtri, ſive atrii Eccleſiæ Baſilienſis, alicui Canooicorum vis fiat. „ Caſtro autem hos limites aſſignat: "A porta Rodolfi Craſtonis Canonici, usque ad Curiam Præbendalem Johannis de Dieſſen ab una parte. In alia vero parte à Curia D. R. „ Craſtonis usque ad extremitatem Curiæ præbendalis D. de Gundolzheim. „ (*e*) Adde, quod teſtatur Urſtiſius, ſua ætate & ſpeciatim An. MDLXXVI. quum in area illa domus exſtrueretur effodereturque cella vinaria, numismata aliquot ænea Imperatorum Romanorum illic ſe reperta vidiſſe. Imo & ooſtris temporibus io eadem illa area effoſſi ſunt nummi quidam ænei, ipſius Valentiniani Imp. typo impreſſi, quod Doctiſſimus Iſelius noo ſemel in ſermonibus ſuis, mecum habitis, repetiit. Area hæc urbi quidem, progreſſu temporis, incluſa eſt, at ſeculo IV. extra Baſiliam ſita, quæ tum nonniſi oppidum mediocre fuiſſe videtur, quod oec Itioerarium Antonini, nec Tabula Theodoſiana, nec Notitia Imperii ullibi ejus mentionem ſecerunt. Robur ergo in colle, vicino Baſiliæ, cujus urbis prima ſtamina circa Birſicum fuerant, non ſine ratione collocamus.

§. CVII.

Origo nominis.

Caſtello huic nomen *Robur* non ab ipſo Valentiniano I. conditore ejus, ſed ab accolis, Rauracis nempe atque Romanis, ſorte ipſis Baſilienſibus, impoſitum, ut ſcribit Ammianus. Ingenioſa eſt Celeb. Viri, Jacobi Sprenghii, (*f*) apud Baſilienſes Profeſſoris, conjectura, qui ex Teutonico idiomate *Rorburg* ioterpretatur: Tschudius *Ruburg*, *Burgus prædæ*, quod conditum ſit, ut prædæ, ex Germanis reportatæ, ibi aſſervarentur. Coojecturis his ſubſcriberem lubens, niſi Rauracos, Gallicam gentem, Germanicæ linguæ uſum nondum habuiſſe, veriſimile foret; qui ſi novum idioma didiceruot, uti profecto id facere coacti ſunt, Imperantium linguam, id eſt, Romanam calluerunt. Vocem *Robur* vere Latinam crediderunt Valentinianus, Valens & Gratianus, Imperatores, quum Conſtitutiooem, ibi loci editam, ſignarent *Robore*, quod

(*t*) *Delineatio Veteris Helvetiæ* Mſ. pag. 142.

(*u*) *Chron. Helvet.* Lib. XII. Cap. XVI. Neque diffitetur Urstisius in *Hiſtoria Epiſcopatus Baſil.* Lib. II. Cap. III. pag. 77. opinionem hanc admodum receptam fuiſſe: quam haud ita pridem renovavit Anonymus *Memorabilium Agri Baſilienſis* ſcrutator in Parte I. pag. 9. Liber Germanica lingua editus, ſub Titulo: *Merckwuerdigkeiten der Landſchafft Baſel.*

(*x*) Locum ad ripam Rheni ſitum deſcribit Urstisius in *Epitome Hiſtoriæ Baſil.* Cap. IV. pag. 17. Superioribus ſeculis ibi habitaverant Eremitæ Paulini.

(*y*) *Lexicon Hiſtor. Baſil.* Germanicum, in voce *Baſel*, ſententiam hanc allegat.

(*z*) *Germania Antiqua* Lib. II. Cap. V.

(*a*) *Epitome Hiſt. Baſil.* Cap. VII. pag. 69.

(*b*) *Lexici Hiſtorici* voce: *Robur.*

(*c*) In *Lexico Univerſali Hiſtorico* loco cit.

(*d*) Pars illius areæ vulgo vocatur *die Pfalz.*

(*e*) Urstisius loco cit. pag. 70.

(*f*) In *Commentario Rer. Rauricarum* pag. 4. Urstisius in *Hiſtoria Epiſcopatus Baſil.* Lib. II. Cap. III. pag. 77. ait, ſi ſoni vocis habenda ſit ratio, referri huc poſſe vetus illud caſtrum *Froburg*, verſus Juram ſitum. Verum hoc à Rheno nimis remotum eſt.

quod facturi non fuerant, ſi Robur à *Burgo* nomen cepiſſet, quum ipſi Romani voce *Burgus* pro Caſtro, media Latinitate, uti conſueverint, quemadmodum ex Flavio Vegetio addiſcimus. (*g*) Nondum ſane ad liquidum à Criticis deductum eſt, an Germanicum *Burg* à Latino *Burgus*, an Latinum à Germanico, originem ſumſerit. Apud Romanos autem *Robur* varia denotavit. Locus in carcere Tulliano fuit, hoc nomine clarus. (*h*) Scriptores, præſertim Poetæ, *Robur* pro quercu uſurpant: unde *Roborum luci* apud Plinium. Nomen à firmitate impoſitum cur dubitares quum firmiſſimum contra hoſtes robur, (*i*) vel propugnaculum fuerit? Nec abſonum, à quercu, ſi malueris, vel querceto, derivare nomen, quod placuit nonnullis. Quercetum enim antiquiſſimum illo ipſo in loco cum annoſis quercubus adhuc noſtris temporibus viſum. Robora & roboreta originem dedere oppidis, quo *Rovere*, *Rouvere*, *Roveredo* facile referas. Silva prope Lutetiam Pariſiorum eſt, quercubus frequens, (*l*) quæ ſcriptis medii ævi *Roboretum* appellatur. Fuit & apud Hiſpanos *Roboretum*, quod Antonini *Itinerarium* memorat, ponitque inter Compleuticam atque Pinetum, qui locus pinis conſitus, ut Roboretum roboribus.

§. CVII.

Romani hujus ad Baſiliam Caſtelli duratio diuturna non fuit. Vandalica irruptio anni CCCCVII. ei quoque fatalis haud dubie fuit: ab eo enim tempore Alemanni, qui Vandalos, Alanos & Suevos, in tranſitu Rheni ſecuti ſunt, hujusmodi munimentum in oris his paſſuri non fuerant. Extructum ergo quum fuerit An. CCCLXXIV. atque circa An. CCCCVII. deſtructum; tempus, quo ſubſtitit, nonniſi XXXIII. annorum fuit. Area ejus mœnibus urbis Baſiliæ creſcentis paulatim incluſa eſt. Fata Caſtelli.

BASILIA.

§. CVIII.

Robori Baſiliam, ei vicinam, & in Rauracis ſitam, ſubjungo, quod Caſtellum hoc temporis progreſſu cum ea coaluit. Urbes ſunt paucæ, quæ à tenuibus initiis tam ſubita incrementa ceperint, ac Baſilia civitas, duabus milliaribus Francicis ab Auguſta Raurica, verſus boream, diſtans. Sita eſt ad Rhenum, ubi Birſa & Birſula ſua oſtia habent: illa paulo ſupra urbem, hæc circa ejus extremitatem, ubi boreale ſuburbium paulo infra incipit. Septentrionalis Rauracorum hic fere angulus eſt, Sequanis Rhenenſibus, quos exteriores vocavi, vicinus. Urbs, partim in collibus, qui leniter acclives ſunt, partim in convallibus, ſita eſt, vallem Birſula vel Birſicus perluit, ſordesque urbis abſtergens in Rhenum devolvit, (*m*) prope pontem, qui duas urbes, Rheno ſeparatas, conjungit. Circa ipſa hæc Birſici oſtia facillimus eſt Rheni trajectus, (*n*) qui unico ibi alveo, altis minime crepidinibus, nullis item ſcopulis exaſperantibus aquas, placide decurrit. Baſiliæ ſitus.

Prima hæc urbis incunabula fuiſſe Scriptorum plerorumque opinio eſt. Hominum, eo commeantium, frequentia, qui commercii & itinerum cauſa ex Gallia in Germaniam, & vice verſa Rhenum tranſiverant, fecit, ut nautæ, piſcatores, caupones, (*o*) magno numero ibidem coirent, vallemque illam inhabitarent, ſenſimque futuræ urbis fundamenta jacerent. Tractus commercio aptiſſimus, ſalubris, amœnus & fertilis, pluribus irriguus fontibus, (*p*) vicinos invitavit, ut ædes ibi ædibus jungerent; ut Auguſtæ Rauracorum incolæ, à Barbaris ſua ſede ejecti, tempeſtate finita, in jucundiore hac regione novas ſedes figere maluerint, quam ad dirutas ſuas ædes redire. Urbis origo.

§. CIX.

(*g*) Lib. IV. Cap. X.

(*h*) Tacitus *Annal.* Lib. IV. Cap. XXIX.

(*i*) Uti hodie Gallis propugnacula hujusmodi *Forts* appellantur.

(*l*) *Bois de Boulogne.*

(*m*) P. Ramus *Baſilea* ſuæ pag. 5. " Sub terra, " (ait) ſtructuræ fornicum ac teſtudinum, ad munditiem urbis, corradendis undique & abluendis " ſordibus, per urbem totam plurimæ Birſulam " accipiunt. &c. Ex operibus Urbis Romæ Plinius " Cloacas, à Tarquinio factas & ab Agrippa reſtitutas, ſuffoſſis montibus ſeptemque corrivatis " amnibus ita celebrat, ut nullum majus arbitretur.

(*n*) Arioviſtum cum Germanis ſuis fugatum, ad Trajectum hunc navicula inventa, quæſiviſſe ſalutem, Urstisius *Epitom. Hiſt. Baſil.* Cap. V. pag. 45. conjicit. Auguſtæ Rauricæ hoc factum Carolo Patino veriſimilius viſum eſt.

(*o*) Similes origines aliarum urbium vicinarum, ut Schafhuſii, Ulmæ, Heidelbergæ, tradunt Hiſtorici.

(*p*) Meretur hic afferri locus apud P. Ramum: " Aquæ, (inquit) præter Rhenum, Vieſam, Birſam, Birſulam, ſaluberrimæ per totam urbem " derivantur, ut fontibus tum publicis tum privatis " ſupra trecentos perennibus, Civitas, non modo ad " quotidianum Civium uſum potando, lavando, " aquando, ſubitis incendiorum caſibus occurrendo, " ſed imprimis ad inſigne decus urbis & ornamentum " prædita ſit. " Hæc P. Ramus jam An. MDLXXI. miratus eſt; quid dicturus, ſi hujus ſeculi ornamenta urbis videret?

Digitized by Google

§. CIX.

Orthographia Nominis.

Ita temporis ſucceſſu factum, ut quum per quatuor prima Æræ Dionyſianæ ſecula Pagi Rauraci caput Auguſta Raurica fuiſſet, ſeculo V. Baſilia caput ejus evaſerit. Urbs hæc Galliæ Lugdunenſis, inde Maximæ Sequanorum, nulli veterum Hiſtoricorum aut Geographorum ante ſeculum IV. memorata eſt. AMMIANUS MARCELLINUS omnium primus ejus facit mentionem, (q) & quidem eo in loco, quem paulo ante protulimus, (r) ubi Valentinianum I. prope *Baſiliam* munimentum, Robur accolis dictum, condidiſſe ſcribit. Ammiani Codices Mſſ. & ſpeciatim Sorbonicæ Bibliothecæ Codex, quem diligenter inſpexi, omnes habent *Baſiliam*. In NOTITIA *Provinciarum ac Civitatum Galliæ*, poſt Ammianum condita, *Civitas Baſilienſium:* in RAVENNATE, ſeculi VII. GEOGRAPHO, *Bazela* dicitur. Eadem orthographia uſi ſunt deinceps Scriptores Francici ſeculo IX. niſi quod in duabus *Vitis Caroli* M. Haido Epiſcopus *Baslenſis* nuncupatur. In *Tabula Diviſionis Regni Lotharii* anno DCCCLXX. urbs *Baſula*; Ager vero *Baſalchowua* vocatur. (s) ANNALES METENSES ad An. DCCCXI. Haidonem Epiſcopum de *Baſala* memorant. (t) THEGANUS *Vita* Ludovici Pii coætaneus Scriptor, primus *Baſileam* urbem vocavit, qui uſus apud pleroſque deinceps obtinuit. Fredebertus *Baſileenſis* Epiſcopus (u) An. DCCCLX. Tullenſi II. Synodo ſubſcripſit; qui in Tuſiacenſi *Baſilienſis* nominatur. *Baſilia* apud Ammianum ſine ullo epitheto, abſolute, ſimpliciterque occurrit, nec additur, urbs, oppidum, caſtrum, caſtellumve fuerit, an vicus.

§. CX.

Baſiliæ Antiquitas.

Seculo IV. jam urbem fuiſſe veriſimile non eſt, quod nec Antonini Itinerarium, nec Tabula Theodoſiana, nec Notitia Imperii, quæ illius ævi partus ſunt, ullam ejus faciant mentionem. Frequentibus illis bellis Alemannicis, quæ Ammianus, rerum geſtarum præſens teſtis, tam diligenter deſcripſit, qui Veſontionem & Rauricam urbes vidiſſe ſe memorat, Baſiliæ quoque urbis alicubi occurriſſet memoria, ſi illo jam tempore in urbium claſſe locum occupaſſet. PHLEGON TRALLIANUS quidem, Adriani Imp. Libertus, (x) ubi illos, qui centum annos vixerunt, enarrat, *P. Nevii*, *L. Filii*, *Baſiliæ* viventis, mentionem injicit. Sed hæc Baſilia Italiæ fuit; profitetur enim Phlegon initio Capitis, ſe Italos recenſere, quos ex ipſis Cenſuum Commentariis conquiſiverit. Baſiliam ergo ſuam Italia habuit jam ſeculo II. Sed & Gallia Belgica Baſiliam ſuam vidit ſeculo IV. ANTONINI *Itinerarium* (y) enim in itinere à Durocortoro Divodurum usque ponit *Baſiliam*, quam Valeſius vicum eſſe exiſtimat, cui *Albæ Ripæ* cognomen: PHILIPPUS CLUVERIUS (z) in alia diſcedit, NIC. BERGERIUS (a) vero ignoti ſitus locum eſſe arbitratur. Sed & cætera, quæ de antiquioribus Baſiliæ Rauricæ originibus Chronica quædam medii ævi Baſilienſia Mſſ. proferunt, quaſi Valeriani & Gallieni temporibus Baſilia jam fuiſſet everſa; quæ item de Pantalo, Baſilienſi Epiſcopo, undecim millium Virginum Urſulæque comite ad An. CCXXXVIII. ponuntur, tam parum fidei hiſtoricæ habent, ut ea ſicco pede transeamus. Num ſeculo V. temporibus Attilæ, Pantalus vixerit, examinabitur alibi.

§. CXI.

Incrementa Civitatis.

Qualiscunque Baſiliæ noſtræ Rauricæ ſtatus fuerit, ante ſeculum quintum, illa in hujus decurſu tanta incrementa jam ceperat, ut in *Notitia Provinciarum* & Civitatum Galliæ veteris, illis temporibus conſcripta, & à Sirmondo edita, inter quatuor Civitates Maximæ Sequanorum quarta numeretur:

Provincia Maxima Sequanorum num. IV.
Metropolis Civitas Veſoncienſium.
Civitas Equeſtrium Nojodunus.
Civitas Elvitiorum Aventicus.
Civitas Baſilienſium.

Paulo

(q) Lib. XXX. Cap. III.
(r) Ubi de Munimento *Robur* actum eſt.
(s) ANNALES *Bertiniani* ad An. DCCCLXX. apud DU CHESNE *Scriptores Rer. Francicar.* Tom. III. pag. 240.
(t) Apud DU CHESNE loco cit. pag. 295.
(u) *Concilia* LABBEI Edit. Regiæ Tom. VIII. pag. 681. & 705.
(x) In Libello *περὶ Μακροβίων*, *de Longævis* Cap. I. pag. 107. edit. Joh. Meurſii. ubi: Πόπλιος Νέβιος, Λευκίου υἱὸς, πόλεως Βασιλείας.
(y) Pag. 364. Edit. Weſſeling.
(z) *Germaniæ Antiqua* Lib. II. Cap. IX.
(a) *Hiſtoire des Grands Chemins* Lib. III. Cap. XXXIX.

Paulo poſt ibidem, in eadem Provincia, *Caſtrum Rauracenſe* ponitur. In *Capitulatione* de nominibus Regionum Galliæ, quæ ex Thuaneæ Bibliothecæ Codd. Mſſ. pervetuſtis edita eſt, & apud CHESNIUM (*b*) reperitur, eadem fere occurrunt his verbis repetita:

Civitas Baſilienſium, Baſilia.

Mira hinc Rauracenſium illius ævi rerum prognata mutatio. Baſilia, nuper in Rauracis vix nomine nota, nunc civitas eorum primaria evaſit: Auguſta Raurica vero, pluribus ſeculis clara, in caſtrum, mox in caſas, converſa eſt: adeoque Baſilia, in Auguſtæ Rauracæ locum ſuccedens, Rauricenſis Epiſcopatus ſedes tum viſa. Subita hæc vici tam tenuis incrementa ex aliorum locorum decrementis, atque deſtructione præſertim, provenerunt. Auguſta Raurica, Robur & Arialbinnum, de quo mox verba faciemus, uno eodemque tempore everſæ, incolas ſuos Baſiliæ dederunt; atque adeo paulatim in unam omnes ſimul coaluerunt civitatem: ſed civitatem abſque mœnibus, quæ Alemanni, munimentorum ad Rhenum tum deſtructores, haud admiſſuri fuiſſent. Quemadmodum vero poſtremi hujus ordinis Scriptores, in originibus Baſilienſibus narrandis, gravem anachroniſmum committunt, ita ex altera parte metachroniſmo intolerabili peccant, qui ad Henrici II. Imp. tempora origines ejuſdem ablegant. Hic enim urbem, ab Hungaris An. DCCCCXVII. everſam, reſtituit, non novam extruxit, licet NICOLAUS CUSANUS Cardinalis, ſeculi XV. Scriptor, id aſſerere ſit auſus. (*c*)

Antiquitatum ergo Baſilienſium ſumma huc redit: Conditores ejus primos fuiſſe vel Rauracos, hoc eſt, Gallos, vel Romanos, vel ex utriſque mixtos. Qui temporis progreſſu ex Auguſta Raurica, Arialbinno, Olinone, Robore, & aliis forte locis, acceſſerant, ejuſdem fuere Gallicæ vel Romanæ originis; quibus denique ex Alemannis, ſeculo V. rerum in hac ora poſitis, acceſſerant multi. Triplex natio, triplex religio gentilis, triplex idioma, illa ætate apud Baſilienſes invaluerant: inter quæ tamen idiomata Germanicum tandem, ſub Alemannis & Francis, ſeculo quinto ſextoque prævaluit; uti triplicem Religionem mixtam, Gallicam nempe, Romanam, Alemannicam, eodem tempore Chriſtianiſmus evertit. Ceterum non inconcinna eſt HADRIANI VALESII (*d*) conjectura, SALVIANUM, ubi de *Maſſilienſium* excidio loqui videtur, de *Baſilienſibus* agere, Librariorumque errore factum, ut horum loco Maſſilienſes ſubſtituerentur. Verba SALVIANI (*e*) hæc ſunt: „Non „ hoc agitur jam in Magontiacenſium atque Maſſilienſium Civitate, ſed quia „ exciſa atque deleta eſt. Non agitur Agrippinæ, ſed quia hoſtibus plena. Non „ agitur Treverorum urbe excellentiſſima, ſed quia quadruplici eſt everſione proſtrata. „ Maſſilia hic ſane locum non reperit, ſed Baſilia, quæ in Vandalica irruptione eadem mala ſubiit, quæ cætera ad Rhenum oppida ſubierunt; niſi quod citius ex ruinis ſuis reſurrexit, ab Alemannis benignius habita.

§. CXII.

De Baſiliæ nominis Orthographia dictum eſt ſupra, nunc de Etymologia ejus pauca annotabimus. BEATUS RHENANUS (*f*) rejicit originem Græcam Βασιλεία, *Regia* urbs; quod nomen ei impoſitum nonnulli crediderunt, quia ab Henrico II. Rege reſtaurata. Sed nomen hoc ſexcentis ante Henricum annis jam Baſilia habuerat. Alii ob amplitudinem elegantiamque epitheto *Regiæ* ornatam crediderunt: quaſi vero illi, qui fundamenta urbis jecerant, caſas ſuas in tantam olim urbem excreturas fuiſſe præſciverint. Neque tamen illa, quam Beatus Rhenanus producit, multo tolerabilior opinio eſt, quando à *Paſſu*, qui Gallis trajectus eſt, *Paſſileam* primitus dictam fuiſſe conjectat; quæ ſententia PETRO RAMO (*g*) non diſplicet. Num illi, qui à Baſiliſco, fictitio alite, illic invento, denominatam volunt, nugentur, diſquirere opus non eſt. HEROLDUS à L. Minutio Baſilo, illo forte, quem JUL. CÆSAR, (*h*) memorat: alii à Baſilina, Juliani Apoſtatæ matre, id nominis derivant; at opinionis ſuæ firmandæ nullos teſtes producunt. Alias ejuſdem momenti conjecturas collegit URSTISIUS, (*i*) cujus verba produco: „Petrus Ramus cogitandum monet, „ num Baſilii Sarmatæ ad utramque Danubii ripam apud Strabonem, aliqua belli tempe- „ ſtate

Etymologia nominis.

(*b*) *Scriptorum Rer. Francicar.* Tom. I. pag. 7.
(*c*) *Concordantia Catholica* Lib. III.
(*d*) *Notitia Galliar.* pag. 76.
(*e*) *De Gubernatione Dei* Lib. VI. ubi de Circenſibus ac Theatralibus Ludis ſcribit.
(*f*) *Rer. German.* Lib. III pag. 266.
(*g*) In *Baſilea* ejus An. MDLXXI. edita in 4to. pag. 1. Addit RHENANUS loco cit. „Unde etiam „ Baſella Moſellanica, (quam vulgo *Paſſel* appellamus,) „ ſibi nomen vendicavit, ut ſit dicta Baſilea, quaſi „ Paſſilea.
(*h*) *De Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XXIX.
(*i*) *Epit. Hiſt. Baſil.* Cap. V pag. 52. Adde *Hiſtoriam Epiſcopatus Baſil.* ab eodem URSTISIO triennio poſt Germanice editam in fol. anno nempe 1580. ubi eadem repetit, Lib. II. Cap. IV. pag. 77.

„ ſtate huc deducti, nomen urbi dederint. (*l*) Futilis eſt etymologia Hartmanni
„ Schedel in complemento *Speculi Hiſtoriarum* Vincentii, qui Baſileam dictam exiſti-
„ mavit, quaſi *ſine baſi*, eo quod frequentibus terræmotibus concuteretur. Non minus
„ ridicula eſt, quam Joannes de Palomar, Concilii Baſilienſis orator, in frequenti
„ regni Bohemiæ conventu An. MCCCCXXXIII. Pragæ commentus eſt, dum eam
„ ex duabus dictionibus Græcis, *βάσις* & *λαὸς*, compoſitam eſſe docuit, eo quod Synodi
„ decretis Chriſtianus populus in fidei dogmatibus confirmandus erat.

§. CXIII.

Turris Salinaria.

Ad ſiniſtrum latus Birſici fluminis, ubi ſe in Rhenum præcipitat, ex adverſo portus Baſiliæ urbis, antiqua ſtat turris ad Rhenum, alta ſatis & quadrangularis, ex lapidibus quadratis conſtructa, quæ hodie, à ſale illic aſſervato, *Salinaria turris* appellatur. Hanc ſub Romanis Imperatoribus jam conditam multi crediderunt, vel ad cuſtodiam Rheni, vel certe ut trajectus, qui commercii cauſſa Gallos inter atque Germanos, etiam Auguſtæ Rauricæ florentis ævo, ibi fuiſſe creditur, contra aggreſſores defenderetur. (*m*) Carolus Patinus (*n*) Turrim hanc ædificium Romanum eſſe exiſtimat, eam ob cauſam, quod Wartenbergæ arci prorſus ſit ſimilis, quam etiam ex Druſi caſtellis unum eſſe non dubitat. Nec negaverim ego, Romanorum Impp. temporibus, circa Birſici oſtia, turrim olim extitiſſe: at turrim illam, quæ nunc ibi ſedet, Romanæ Architecturæ opus eſſe, non facile conceſſurus ſum, quod altera ad pontem turris, haud procul à Salinaria diſtans, ejuſdem ſtructuræ eſt. Hæc vero ponti contigua, non vetuſtior eſſe poteſt ipſo ponte, quoniam ei exacte reſpondet, ejuſque cauſa evidenter ſatis conſtructa fuiſſe videtur. Pontem anno demum MCCXXVI. Waltheri Epiſcopi temporibus, qui cum civitate Baſilienſi hac ſuper re tranſegit, fuiſſe conſtructum, (*o*) documenta publica aperte teſtantur. Quodſi autem poſteriorem hanc Turrim ſeculo XIII. antiquiorem conſtituere non poſſumus; Salinariæ quoque, ſorori ejus, major eſt deneganda antiquitas. Eadem plane antiquæ Turris Tabernenſis Alſaticæ, quæ Palatii Epiſcopalis angulum nuper conſtituerat, ratio fuit. Julianum Cæſarem tres Tabernas, contra Alemannos muniviſſe, quum ex Ammiano, teſte oculato, didiciſſent juniores Hiſtorici, turrim antiquam antiquiorem judicarunt, quam par eſt, & verum Juliani opus eſſe crediderunt. At turris haud ita pridem quum deſtrueretur, ex omni ejus ſtructura deprehenſum eſt, mediæ ætatis Architecturæ Germanicæ opus eſſe, ſimilemque plurimis in Alſatia turribus, quæ magno numero hodiedum in ea ſuperſunt. Diſcimus hinc, circa veterum ædificiorum rudera caute eſſe pronuntiandum. A medii ævi Architectis ſtructæ ſunt turres, Gothicæ, ut loquuntur, formæ, Romanis ſæpe haud multum diſſimiles, duratione & ſoliditate fere æquales, quas recentior ætas haud raro opus jactat Romanum.

§. CXIV.

Arces vicinæ.

Druſi caſtellorum, ad Rhenum exſtructorum, quam hinc inde fecimus, mentio admonet nos, ut Arcium quarundam celebrium, Baſiliæ vicinarum, rudera, quæ ad Druſum quoque referre nonnullis libitum, verbo tangamus. Patinus (*p*) in hoc argumento liberalis eſt. Tria caſtella in defenſionem Rheni ab Auguſta Raurica Baſiliam usque computat. Primum in ipſa urbe Auguſta ſitum fuiſſe credidit, de quo ſupra jam actum, quod hodieque Caſtelli nomen apud accolas retinet. Secundum ex Wartenburgenſibus caſtellis unum eſt, leucæ intervallo à civitate Baſilia diſtans: quod alii interpretati ſunt *Robur*, uti modo oſtenſum. Tertium cenſet Salinariam urbis Baſiliæ turrim, quam ideo ad Druſiana caſtella refert, quod eadem ſit ſtructura, idemque ædificii

(*l*) P. Ramus loco cit. pag. 4.

(*m*) Beatus Rhenanus *Rer. Germanicar.* Lib. III. pag. 267. ſcribit: " Quia munimento opus
„ habebat trajectus adverſum Germanos, & mox
„ Alemannos, ideo duo propugnacula erexere Ro-
„ mani; quorum fundamentis turres iſtas duas
„ impoſitas credo, quas hodie videmus, alteram in
„ capite pontis, alteram paulo inferius à ſale hodie
„ nomen habentem, quod in ea aſſervatur. „ Petrus Ramus pag. 4. *Baſilea* ſuæ ait: " Veriſimile eſt, etiam
„ florente Auguſta trajectum eundem ad Birſulam
„ fuiſſe, propter humiliorem ripam, ideoque cum
„ Germanis commerciorum uſum faciliorem.

(*n*) *Relations Hiſtor. des Voyages* pag. 110.

(*o*) Pons partim lapideus partim ſublicius eſt.

(*p*) Ibidem pag. 109. ubi occaſione Caſtelli, in Auguſta Raurica ſiti, hæc ſcribit: *Le Principal Château, que ceux du Pays appellent encore aujourd'huy* das Schloſs, *pouvoit être auſſi une partie de la Ville, c'étoit l'un des trois, dont on avoit fortifié le paſſage du Rhin, qui étant plus bas en ces quartiers là qu'ailleurs, eſt d'autant plus facile à être traverſé. Ariowiſte ſe ſauva par là, après avoir été batu par Ceſar, & quelques temps après, Druſus y fit bâtir dans le voiſinage le Bourg des Gardes, qu'on appelle encore aujourd'hui* Wartemburg. *La tour du Sel, qui reſte a Bâle proche le pont, eſt batie de cette même manière: de telle ſorte, qu'on peut preſumer, que ces trois eſpèces de Châteaux avoient eté batis pour decouvrir plus promptement les ennemis, & s'oppoſer vigoureuſement à leur paſſage, de quel coté qu'ils le priſſent.*

GEOGRAPH.

ædificii genus, quod in Wartenburgenſibus obſervatur caſtellis. De primo & tertio caſtello, ſive turre, jam dictum. Wartenburgenſe vero quod attinet, ſitus ejus, à *Memorabilium Agri Baſilienſis* Scriptoribus, ſollicite deſcriptus, talis profecto eſt, ut incredibile ſit, Romanos ibi oon conſtruxiſſe caſtellum; præſertim quum ipſi Auguſtæ Rauricæ, à qua nonniſi milliarii unius Francici intervallo diſtabat, adeoque in medio fere, inter Auguſtam & Baſiliam, conſtitutum erat, magno potuerit eſſe præſidio. Adde, quod arctiſſimæ ibi fauces ſunt inter montes & Rheoum; atque ex illa ſummitate, tanquam ex ſpecula quadam, magnus ſatis Germaniæ tractus conſpici poſſit. (q) Reliquiæ antiquitatis Romanæ, quæ ibi effodiuntur, ſententiam firmant. An vero Druſi Germanici, an Valentiniani I. opus fuerit, nequit definiri. Quodſi ad Valentinianum referas, diverſum tameo à Robore caſtellum debet cenſeri, quod Robur Baſiliæ nunc incluſum eſt mœnibus.

ARIALBINNUM.

§. CXV.

Robur & Baſiliam ſeculo IV. jam extitiſſe percepimus, Itinerarium tamen & Tabula utrumque hunc locum præterivere ſilentio: ſed annotant *Arialbinnum*, in via militari Rhenenſi, quæ Argentouariam ducit. Arialbinnum, inquam, quod Geographi omnes tacuerunt. De nominis hujus origine, ex Celtica lingua diſſeruimus ſupra. (r) Orthographiam quod attinet, *Arialbinnon* antiquiſſimi Codicis Regii habent; *Tabula Theodoſiana* conſpirat, quæ locum bis eodem modo nominat, niſi quod io uno literam duplicat. Doctiſſimus Wesselingius tamen, qui Regios Codices non viderat, in ſua Itinerarii Editione, in utroque loco *Artalbinnon* prætulit. Arialbinnum.

Locum hunc varie interpretantur juniores: Guillimannus (s) neſcio quem locum Hartelfingen heic comminiſcitur. Beatus Rhenanus, (t) Lazius atque Gollutius, (u) villam *Panzenheim*, prope Othmarshemium; Simlerus atque Ortelius (x) *Mulhuſium*, Alſatiæ Sequanicæ oppidum, huc pertinere exiſtimant. Sed qua ratione urbs, à Rheno tribus horis remota, trahi huc poteſt? (y) Rudolphus Wetstenius (z) in ſilva Sundgoviæ *Hardt* locum quærendum eſſe cenſuit. Christophorus Cellarius (a) nihil determinat. Dunodus Jeſuita (b) Geographicas rationes omnes, ut Burgundiæ ſuæ placeret, evertere ſolitus, Ariaricam & Arialbinnum pro uno eodemque loco habet, & utrumque nomen in oppido Comitatus Burgundici *Pontarlier* inveniſſe ſe putat. Philippus Cluverius (c) haud dubie pro Baſilia decidendum eſſe exiſtimavit. Sequuntur eum Brietius, (d) La Carry, (e) Bauoranous, (f) aliique multi. Cluverius non contentus eſt uno Arialbinno, ſed duo, majus nempe atque minus, effingit; quorum illud ad Baſiliam, hoc vero ad locum aliquem ulterioris ripæ, quem corrupte *Kilben* (g) ſcribit, referendum eſſe ſtatuit. Conjecturam hanc ſuam Cluverius defendat. In eo tamen laudandus, quod in Baſilia Arialbinnum eſſe quærendum conſtanter aſſeruit. In Baſiliæ ſuburbano enim Binninga eſt villa, in qua Arialbinni reliquiæ ſupereſſe videotur. Ipſum nomen ejus recens veteris appellationis veſtigia retinuit: quodſi enim Germanicam terminationem tollas, media pars vocis *Arialbinnon* in hodierna adhucdum ſubſiſtit. Pari modo, prioribua ſyllabis abjectis, ex Epamanduoduro *Mandeurre*, ex Cenomano *Mans*, prognatum eſſe videmus. Variorum Sententiæ.

§. CXVI.

Situs ejus peramœnus in clivo molliter elevato, puritas aeris, locum omni ex parte commendabilem reddit. Itinerarium Imperis Romani duobus in itineribua Arialbinnum recenſuit. Primum in itinere de Pannoniis in Gallias per mediterranea Situs Arialbinni.

 loca

(q) Bruckner *Merckwürdigkeiten der Landſchafft Baſel* I. *Stuck* pag. 13. de anno MDCCXLVIII.
(r) Lib. I. §. XXXII. pag. 50.
(s) *Habſpurg.* Lib. II. Cap. VI.
(t) *Rer. German.* Lib. III. pag. 278.
(u) *Memoires des Sequanois* pag. 16.
(x) *Theſaurus Geograph.* voce: *Arialbinnum.*
(y) Sententiam hanc tamen Mulhuſini Scriptores, Petri & Fürstenbergraus ſequuntur, qui adhuc MSS. latent.
(z) *Diſſertat. de Urſula & XI. Mille Virginibus.*
(a) *Geograph. Antiq.* Lib. II. Cap. III. pag. 287.
(b) *Decouverte d'Antre* Part. II. pag. 201.
(c) *German. Antiq.* Lib. II. Cap. V.
(d) *Parallela Geographia veteris & nova* Part. I. Lib. I. pag. 28.
(e) *De Coloniis Gallicis* Lib. IV. Cap. XVII. pag. 800.
(f) In *Lexico Geographico* voce *Arialbinnum.*
(g) Verum nomen eſt *Kilbe.*

loca Treveros usque: & paulo poſt in itinere per ripam Pannoniæ à Tauruno in Gallias ad Leg. XXX. In priore Arialbinnum inter Vindoniſſam & Montem Briſiacum ponitur: (*b*) in poſteriore aotem inter Rauracos & Uruncas. (*i*) Vindoniſſam inter & Arialbinnum in eodem Itinerario M. P. XXIII. diſtantia ponitur, ita tamen ut vocem *Leugas* adjectam videamus Vindoniſſæ. Inter Kauracos vero & Arialbinnum XXVII. M. P. ſignantur, illisque ſigla *Leg.* adjicitur, quæ *Legas* vel *Lengas* hic intelligeodas indicat. *Tabula Theodoſiana* ab Itinerario heic multum recedit; quippe quæ Arialbinnum à Rauraco oonniſi VI. M. P. majora vel leugas computat, quum Itinerarium XXVII. poſuerit. In hac veterum Monumentorum diſcrepantia procedendum eſt caute. Ubi Tabula & Itinerarium inter ſe pugnant, Tabulam præferendam eſſe exiſtimo. Hæc enim Theodoſii Magni ætate compoſita Librariorum erroribus ſubjecta oon fuit, ſed ad noſtra usque tempora transivit; quod Itinerario non contigiſſe videmus, cujus Codices, diverſis ſeculis conſcripti, corruptioni multo magis obnoxii fuerunt. Errores ſuos circa Arialbinni diſtantias ipſum ſane Itinerarium prodit. Quum enim uno in loco Vindoniſſa Rauracos XXVII. (*l*) & Rauracis Arialbinnum totidem Mill. Paſſ. poſuiſſet, unde LIV. M. P. (*m*) oriuntur, quæ Vindoniſſam inter & Arialbinnum intervallum ibi componunt; paulo poſt tamen in altero itinere, trajectum à Vindoniſſa Arialbinnum uno tractu ſignans, oonniſi XXIII. Mill. Paſſ. ponit. Inſignem ergo Itinerarii corruptionem in loco hoc quum contigiſſe intelligamus, Tabulam Theodoſianam ſequemur; & eo tutius ſequemur, quod ea VI. Mill. Paſſ. vel Leugas inter Rauricos & Arialbinnum ponit, alioque in loco numerum eundem conſtanter repetit: non modo enim in itinere Rhenenſi, ſed & in Veſontino, eadem VI. Mill. Paſſ. occurrunt. Quodſi autem menſuram hanc ſex leucarum Gallicarum ad Binningam applicemus, atque duas Gallicas in unam Francicam ordinariam noſtri ævi computemus, quod facieodum eſſe infra docebo, Binningæ ſua ſatis conſtat menſura, quæ duarum dimidiæque horarum itinere ab Auguſta Raurica diſtat, uti Territorii Baſilienſis Topographica Tabula, An. MDCCXXIX. Baſiliæ æri inciſa, me docet. Arialbinnum denique, Baſiliæ tam propinquum, ſeculo V. ſive Vandalica irruptione vaſtatum, ſive ſpontanea Civium derelictiooe imminutum, cum Baſilia coaluiſſe videtur; quum Arialbinnenſes Baſiliæ, opibus creſcentis, Cives, quam vicini, eſſe maluiſſent. Hoc modo Baſilia ex Auguſtæ Rauricæ, Roboris & Arialbinni, habitatoribus, in unam civitatem paulatim coeuntibus, nata, & ita quidem, ut brevi tempore in Civitatem ſat magnam excreverit.

OLINO.

§. CXVII.

Olino.

ARialbinno & Baſiliæ vicinus fuiſſe creditur locus *Olino*, quem omnium Antiquitatis Monumentorum ſola memorat *Notitia Dignitatum Imperii.* (*n*) Maximæ Sequanorum Præſidem habuit, qui unus ex XXXI. Præſidibus Romanorum in Occidente fuit, & Veſontione habitavit. Eadem Provincia à Duce Militari recta eſt, qui *Dux Provinciæ Sequanici*, locus autem, ubi ſedit, *Olino* appellabatur. Perpetuum ibi præſidium fuit militare, pro cuſtodia limitis Rheni cootra Germanos: vel, ſi mavis, ad tuendum ibi Rheoi trajectum. *Milites Latavienſes*, vel potius *Batavienſes*, *Olinone* ponuntur ab Auctore *Notitiæ Imperii.* In Provincia Sequanici ergo, ſive Maxima Sequanorum, quæ non Sequanos & Rauracos modo, ſed & Helvetios complexa, hic locus quærendus eſt. Præcipue tamen apud Sequanos, ſed lato ſenſu ſumtos, quo Rauraci ſimul comprehenſi fuerunt. Mirum eſt, locum tam celebrem olim, ex omni Hiſtoricorum excidiſſe memoria. Primus eum definire auſus eſt BEATUS RHENANUS, qui nominis priſci reliquias in ſuburbano Baſilienſium loco *Hole* (*o*) ſupereſſe exiſtimat. Hic à trajectu Baſilienſi Rhenano vix ſemi-leucæ Francicæ intervallo ſubductus erat, atque trajectui recta reſpondet. Situs amœnitas locum commendat. Plura antiquitatis monumenta

(*b*) *Itinerarii* pag. 238. Edit. Weſſel.

(*i*) *Itinerarii* pag. 252.

(*l*) Duo Regii Codices pro XXVII. Mill. Paſſ. nonniſi XVII. habent.

(*m*) Summa XLIV. oritur, ſi duos Codd memoratos ſequamur; ſed utraque lectio corrupta eſt, & cum altera diſtantia pugnat.

(*n*) *Notitia Imperii Occid.* pag. 135. Edit. Pancirol.

(*o*) Locus eſt in colle, qui valleculam Binningenſem ingredientibus ad dextram eſt, vix mille paſſibus ab urbe diſtans. Ne hoc quidem tempore exolevit nomen, vocatur enim *Holee.* BEATUS RHENANUS *Rer. German.* Lib. I. pag. 14. " Olino, „ (inquit) caſtellum, ubi hodie nemusculum eſt, „ vulgo *Holé* dictum & viculus, veteris villæ nomine, „ proxime Baſileam. „ Pag. 276. ita ſcribit: " Olinonem hodie Baſilienſes vocant *Holé*, nam amant „ aſpirationes Germani. Protenditur verſus vicum „ Altſchvilerium. Ibi non ſolum numiſmata Romana „ reperiuntur, ſed & ſepulcra & ſarcophagi. Vulgi „ commentum eſt, allic habitaſſe Regem.

GEOGRAPH.

menta ſuo tempore ibi effoſſa fuiſſe, tradit Rhenanus. Ipſos Sequanicarum Rerum Scriptores (*p*) conjecturam hanc ſecutos eſſe quum videam, nec refragetur ei GUIDO PANCIROLUS, (*q*) nec ABRAHAMUS ORTELIUS, (*r*) nec FRANCISCUS GUILLIMANNUS, (*s*) nec CHRISTIANUS URSTISIUS, (*t*) tantis viris nec ego refragaturus ſum; non levia dubia licet ſupereſſe videantur. DUNODUS Jeſuita, Caſtrorum veterum, quæ Romana credit, in Burgundiæ Comitatu quum reperiſſet veſtigia, haud procul Veſoulio, ea huc retulit; neminem conjecturæ ſuæ nactus fautorem. (*u*) Similis fere nominis urbem Hiſpanicam, *Olinum*, ut & flumen apud Gallos Lugdunenſes, extitiſſe ſupra oſtenſum. (*x*) Ceterum ſi Olino tam vicina fuit Baſiliæ, Rauricus ille Tractus Rhenenſis id præ multis habuit ſingulare, quod pluribus caſtellis, arcibus & præſidiis, quam ullus alius in ſuperiore hac Rheni parte, undiquaque fuit inſtructus.

CAMBES.

§. CXVIII.

CAMBES, CAMBAS: utroque modo nomen in Mſſ. Codicibus occurrit. *Itinerarium* Rhenenſi in itinere ab Auguſta Rauracum ad *Cambetem* XII. Mill. Paſſ. computat, nec ullum locum intermedium ponit. (*y*) *Tabula Theodoſiana* vero XIII. Mill. Paſſ. habet. Cambes.

Auguſta Rauracum
Arialbinno VI.
Cambete VII.

Duodecim millia paſſuum, vel leucæ, quæ in omni Gallia Comata, adeoque & Rhenenſi, ſub milliaribus intelligendæ, faciunt VI. leucas Francicas; quæ fere diſtantia eſt hodierni vici *Kembs* (*z*) ad Rhenum ab Auguſta Rauracorum. In hoc loco enim omnes quæſiverunt Cambetem. Nec Jo. GEORGIUS ECKHARTUS (*a*) de Cambete diſſentit, verum corrupti Codicis, qui pro *Cambete Cariabete* habet, lectionem ſecutus, Cariabetem Codicis ſui Itinerarii à Cambete Tabulæ diſtingui debere ratus eſt, atque priorem locum ad *Geispizen*, Sundgoviæ vicum, quem corrupte *Geierſpitzen* appellat, poſteriorem vero ad vicum *Kembs*, refert. Verum præter omnem neceſſitatem entia rerum Eckhartus multiplicat. Codici ſeculi IX. quem ille inſpexit, nos opponimus Regium, ejuſdem ætatis, ubi genuina lectio *Cambete* occurrit. Sunt quidem duo alii Regii, ſed ætate paulo poſteriores, in quibus *Caribete*. Sed quis non Librarii, unam literam dividentis in duas, errorem heic facile deprehendit. Idem error in Codicem Eckhartinum irrepſit. Unde Tabulam ab Itinerario in loco hoc non diſcrepare, ſed cum eo convenire, exiſtimo. Cambes ſi non oppidum, inſignis tamen locus fuit, Romanorum temporibus. Itinerarium enim iter aliquod peculiare ab Andematunno (*b*) ad *Cambatem* (*c*) dirigit. Hodie vicus notabilis eſt, de quo ſua jam ætate ſcripſit RHENANUS: (*d*) "Supra „ Cambeten, & ipſo vico, mira veſtigia murorum ſubterraneorum apparent. „ GUILLIMANNUS (*e*) non in hoc tantum majore, ſed & in minore Cambete, (*f*) adeoque cis & trans Rhenum, præſidia Romana fuiſſe conjicit.

 STA-

(*p*) GOLLUT *Memoires de la Republ. Sequanoiſe* Cap. XX. DUNOD *Hiſtoire des Sequanois* pag. 30.
(*q*) In *Notis ad Notitiam Dignitatum Imperii Occident.* pag. 115.
(*r*) *Theſaur. Geograph.* in voce: *Olino.*
(*s*) *Habſpurg.* Lib. II. Cap. VI. ubi Beatum Rhenanum exſcribit, nec nominat.
(*t*) *Chronici Baſil.* Lib. II. Cap. I. pag. 71.
(*u*) DUNODUS, à Sequanicæ Hiſtoriæ Auctore diverſus, in Tractatu ſuo *Decouverte de la Ville d'Antre* Part. II. *Chap.* XII. pag. 195. ita ſcribit: *Olino marqué dans la Notice pour le Camp ordinaire des Romains, eſt* Cita, *qui eſt près de Veſoul, dont on voit encore preſentement les forts & les lignes, les entrées & les iſſues des legions, & tous leurs retranchements.* Chatriet *à une petite lieue de Veſoul, étoit le Camp de la Cavallerie, &* Cita *de l'Infanterie. Le nom de Cita veut dire Cité, une ville conſiderable, où demeuroit ſouvent le Gouverneur Romain.* pag. ſeq. *S'il faut encore l'alluſion d'Olino, peut être que le nom du village voiſin,* Echenau la Moline, *vient du Camp d'Olino, plutôt que des Moulins, qui y ſont.*
(*x*) Lib. I. §. XXXI. pag. 50.
(*y*) In itinere à Mediolano per Alpes Penninas Magontiacum pag. 354.
(*z*) *Groſen Kembs*, in oppoſitione ad Cambeten minorem, quæ villa eſt Germanicæ ripæ adjacens. In Rhætia quoque Camoſſum occurrit, quod GUILLIMANNUS *Kembs* interpretatur, *de Reb. Helvet.* Lib. IV. Cap. II. pag. 425.
(*a*) *Diſſert. de Apolline Granno* pag. 20.
(*b*) Quod hodie oppidum *Langres.*
(*c*) Pag. 386. In hoc itinere omnes Regii Codices, imo & alii, habent *Cambatæ.*
(*d*) Lib. III. *Rer. Germ.* pag. 277.
(*e*) *Habſburgiacor.* Lib. II. Cap. VI.
(*f*) *Kleine Kembs.* Vicus exiguus de quo modo dictum.

STABULA.

§. CXIX.

CAmbetem in itinere Rhenenſi excipit locus *Stabula*; cujus ITINERARIUM ſolum facit mentionem, eumque à Cambete VI. Mill. Paſſ. ponit. Nomen hoc, loca ad devertendum idonea deootans, in diverſis Romanis Imperii veteris regionibus occurrit. *Stabulum*, Aſiaticæ Myſiæ oppidum, in PLINIO, (*g*) Stabulum Galliæ Narbonenſis inter Salſulas & Pyrenæum in Itinerario, legitur. Apud eundem Stabulum Novum in Hiſpania inter Barcinooem & Tarraconem. (*h*) CLUVERII (*i*) ſomnia, qui pro *Stabulis* legendum eſſe *Saltibus* putat, quod magnus in tractu illo, Baſiliam inter & Colmariam, ſaltus ſit, qui hodie *die Hart*, refellere ſupervacaneum foret. Refellit tamen Cel. WESSELINOIUS: (*l*) "Ratio Cluverii, ut molliſſime dicam, infirma eſt; (inquiens) fuerit „ enim in eo *ſaltu*, proptereane manſionis titulus erit refingendus? adeone ſtabulorum „ in viis militaribus ignoratus eſt uſus, quorum fabricis ad publicam peregre abeuntium „ commoditatem Imperatores Valeotinianus & Valens *Leg.* XVI. & XVII. *Cod. Theod.* „ *de Operibus publicis* conſuluerunt? Et ſi de jumentorum *ſtabulis*, quibus in „ vehiculatione utebantur, intelligere nolis, inſolensne in viis eſt diverſorium, quod „ ſtabulum HIERONYMUS *Lucæ* X. 34. appellat, & ante eum plures? Inde OPTATUS „ MILEVITANUS *Schiſm. Donatiſtarum* Libro ſexto, Capite quarto, Paulum Apoſtolum „ ſtabularium, reſpiciens ad Lucæ verba: inde AMBROSIUS, *Oratione de obitu Theodoſii*, „ Helenam Conſtantini matrem ſtabulariam ter quaterque, quod in ſtabulo aut nata „ fuiſſet, aut ejus curam egiſſet, appellat. „ GEOGRAPHI RAVENNATIS ex ſeculo VII. ANONYMI *Staſulon* ad locum hunc *Stabula* pertinere videtur. Ita PLACIDUS PORCHERON, Monachus Benedictious, in ſuis ad Geographum hunc *Notis*, (*m*) & ECKHARTUS in ſua *Diſſertatione de Apolline Granno*, (*n*) ſentiunt. Sed ordo, quo collocatur, oon conveniens eſt. Quod vero idem Eckhartus ad vicum *Staffelfelden*, qui ad flumen Thuram prope Pollvileram ſitus eſt, *Stabula* noſtra retulerit, in eo aberravit à vero. Non enim in Rheoenſi itinere locum habere poteſt, vicus, milliaribus ſex Francicis remotus à Rheno. Conjecturæ, quæ oonniſi aliquam ſimilitudinem nominum habent pro fundamento, dubiæ & plane ſuſpectæ ſunt, imo & falſæ plerumque, ſi non aliæ circumſtantiæ veriſimiles acceduot.

§. CXX.

Loci ſitus. Regiorum quatuor Codicum, quos inſpexi, conſenſus, qui omnes *Stabulis* Mill. Paſſ. VI. diſtantiam à Cambete adſignant, facit, ut poſitionem ejus ſex leugarum Gallicarum, (quas ſub Mill. Paſſ. in his intelligendas eſſe ſæpius mooui,) intervallo à villa *Kembs* quærendam eſſe putem. Leugæ autem hæ ſex Gallicæ veteres, ſive tres Francicæ hodiernæ, nobis offerunt *Bantzenhemium*, Præfecturæ Landſerianæ vicum, è Neoburgi oppidi regione fere ſitum; quem huc pertinere eo minus dubitandum, quod ante hos ducentos jam annos multæ ibi Romanæ antiquitatis reliquiæ occurrerunt fodientibus. BEATUS RHENANUS (*o*) inquit: "Illic tantum vetuſtatis indiciorum reperire eſt, ut non „ liceat palum infigere terræ, quin aliquid occurrat. Porrigebatur autem usque ad „ publicam illam in campis viam, quam altam vocant. Nam agri illi ruinas tegunt, „ ubi ſubſidens quoque terra ſarcophagos lapideos ſæpe demonſtrat. „ Hæc Romanarum reliquiarum indicia in errorem induxerunt Rhenanum, ut Arialbinnum in Pantzenhemio quæreret. Unde addit: "Alicubi in Antonini Itinerario legitur Artalbinnum, „ Alemanni Pantzenheimum appellarunt. „ In eundem fere ſenſum loquitur FRANCISCUS GUILLIMANNUS. (*p*) Ceterum *Stabula*, ad equos curſus publici alendos deſtinata, inter opera publica retulit Conſtantius Auguſtus. (*q*)

MONS

(*g*) *Hiſtor. Natur.* Lib. V. Cap. XXXI. pag. 611. Edit. Harduin.

(*h*) Pag. 390. PETRUS DE MARCA in *Marca Hiſpan.* Lib. I. Cap. XI. Stabulum hoc ibi ſitum fuiſſe putat, ubi hodie *Rostom*.

(*i*) *Germania Antiqua* Lib. II. Cap. VIII.

(*l*) In *Notis ad Itinerarium Anton.* pag. 354.

(*m*) Lib. IV. Cap. XXVI.

(*n*) Pag. 20.

(*o*) *Rer. German.* Lib. III. pag. 278.

(*p*) *Habsburg.* Lib. II. Cap. VI.

(*q*) Leg. IV. Cod. *de Oper. Publ.*

MONS BRISIACUS.

§. CXXI.

Mons Briſiacus.

PRima Briſiaci Montis mentio in ITINERARIO, diverſia in itineribus, uno (r) paulo laxiua, inter Arialbinnum & Argentoratum: alio (s) ſtrictius inter Uruncas & Helvetum, occurrit. Regius Hiſpaniæ Codex apud Suritam, in quo ſincera hæc lectio, haud dubie præferendus eſt illis, in quibus *Obriſiacum* vel *Bliſiacum* legitur. Noſter Codex Regius ſeculi IX. nunc *Monte Briſſaco*, nunc *Monte Briaſago*, habet. RAVANNAS GAOGRAPHUS, cui locorum nomina corrumpere ſolenne eſt, *Brecechan* prodigioſe vocat. (t) Briſacum urbem, quæ hodie in litore Rheni Germanico, in Itinerario deſignari, nullus Geographorum recentium dubitare unquam auſus eſt. (u)

Situs loci.

At in eo inter ipſos diſcordia, quod Briſiacum Montem in eadem ripa ſemper fuiſſe exiſtimaruot nonnulli. Alii vero ad Gallicam vel occidentalem Rheni ripam Itinerarii temporibus poſitum fuiſſe tradunt: verſoque paulatim fluvii mutabilis alveo, ſucceſſu ſeculorum à Gallis ad Germanos transiiſſe. Poſterioris ſententiæ ex recentioribus primus auctor eſt BAATUS RHENANUA, (x) quem FRANCISCUS GUILLIMANNUS, (y) MARQUARDUS FRAHARUS (z) aliique, ſecuti ſunt. Huc eos induxit, quod nulla, niſi Provincialia, Romanorum loca in Itinerario commemorari videantur, quodqoe à dextro urbis Briſaci latere veteris alvei veſtigia, Beati Rhenani temporibus, adhuc extiterint. PHILIPPUA CLUVERIUS (a) vero in alia omnia diſceſſit, atque Briſacum Germanico litori, Romanorum quoque ætate, vindicandum eſſe ſtatuit; haud credibile arbitratus, altiſſimum latiſſimumque amnem alvei ſui oras tam facile mutaturum; multo minus humana eum opera alio fuiſſe diductum; falſum quoque reputans, nulla trans Rhenum loca in Itinerario fuiſſe deſcripta: (b) quod jam Taciti ævo Imperii Romani pars fuerit Alemannia, imo quicquid inter Rhenum & Nicrum eſt, ab Imperatore Probo rurſus in Provinciæ formam fuerit redactum; pluraque deinceps à Valentiniano in hujus amnis ripa contra Alemannos caſtella erecta ſint.

§. CXXII.

Rheni alveus mutatus.

Antequam ſententiam noſtram hac de re exponamus Lectori, varias diverſis temporibus Rheni mutationes, ab Hiſtoricis deſcriptas, annotabimus paucis. Decimo poſt Chriſtum ſeculo Briſiacus Mons Rheno utrimque circumdatus fuit, ut teſtatur LUITPRANDUS. (c) Inſequenti tempore alveum Rhenus mutavit, totumque ſe inter urbem & Alſatiam projecit; ita ut CONRADUS URSPAROENSIS, ſeculi XIII. Scriptor, Briſacum ex Sequanico, adeoque ſiniſtro Rheni litore, in Germanicum transiiſſe ſcribat. (d) Anno MCCXCV. ſuis rurſus undis Briſacum ex utraque parte cinxit, imo ipſi fere reſtituit Alſatiæ, id quod Dominicanorum *Colmarienſium Annales* (e) annotant. Frequentibus his Rheni mutationibus factum, ut SIOESARTUA GEMBLACENSIA Briſacum *urbem Alſatiæ* vocet, quam CONRAOUS URSPAROENSIS *in Alſatiæ partibus* ſitam eſſe dixit. Mutationes has Rheni, quæ quatuor ſeculorum ſpatio contigerunt, ſi obſervaſſet Cluverius, non tam confidenter pronuntiaſſet: « Rhenum amnem altiſſimum latiſſimumque hac regione alveum ſpoote ſua mutaſſe, aut humana opera diductum alio fuiſſe, quis temere credat? » Imo quis hoc factum fuiſſe non credat? tam claris Scriptorum, diverſis ſeculis viventium, teſtimoniis comprobatum; quorum unus ex Dominici familia ipſo mutationis tempore vixit Colmariæ, Briſaco vicinæ. Tria illuſtria

(r) In itinere de Pannoniis in Gallias pag. 239.

(s) In itinere à Mediolano per Alpes Grajas Argentoratum, pag. 350.

(t) Lib. IV. Cap. XXVI. pag. 187.

(u) BILIBALDUS PIRCKHEIMEUS Breucomagum cum Briſiaco confudit, in *Germania* ſua, Operum pag. 95.

(x) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 278.

(y) *Habsburg.* Lib. II. Cap. V. pag. 67. qui tamen ulterius progreſſus eſt, & abſque Veterum auctoritate Briſiacum Sequanorum inferiorum caput olim fuiſſe ſtatuit.

(z) In *Originibus Palatinis* Part. II. Cap. VIII.

(a) *Germania Antiq.* Lib. III. Cap. IV. pag. 14. quem ſequitur ZEILERUS in *Topographia Alſatiæ* pag. 5.

(b) Allegat hunc in finem *Uruncias*, quem locum *Zurzam* eſſe conjicit.

(c) Lib. IV. Cap. XIV. « Eſt in Alſatiæ partibus Caſtellum, Briſecgauue patrio vocabulo nuncupatum, quod & Rhenus in modum Inſulæ cingens, & naturalis ipſa loci aſperitas munit. » In eo tamen Luitprandus Italus peccavit, quod nomen totius pagi vel tractus impoſuit urbi.

(d) Ad annum DCCCCXXXVII. pag. 157. ubi: « Eſt aotem in confinio Alſatiæ caſtellum, vocabulo Briſach &c.

(e) Ad An. MCCXCV. « Rhenus, (inquiunt) qui longo tempore oppidum Briſacum ab Alſatia diviſerat, iſto anno pro parte ad latus montis ſe aliud transferebat.

illuſtria Alſatiæ Monaſteria, Honaugienſe, Arnolſsaugienſe, Selzenſe vetus, ante plura jam ſecula, Rheno abſorpta ſunt. Quot mutationes noſtris temporibus ſubiit Rhenus, lateri Gallico plerumque iniquus, quod Rhinaugia quoque noſtra, Munchhuſa, imo ipſa, Argentorato vicina, Wanzenaugia, teſtantur? Unde nec ignorantiæ à Cluverio accuſandus fuiſſet Luitprandus, quod Briſacenſe caſtellum ut inſulam deſcripſit. Quod autem de Rheno, humana opera diducendo, incredibile viſum eſt Cluverio, id ipſum credibile eidem viſum, quum Druſianam illam Foſſam in eadem ſua Germania ipſe deſcriberet. (*f*) Stupendo hoc opere magna Rheni pars à Druſo diducta eſt. Veterum Romanorum aquæductus, emiſſaria, cloacæ, euripi, aquarum receptacula, amphitheatra, naumachiæ, quid circa lacus, fluvios & amnes tentarint, imo effecerint Romani, copioſe perdiſcimus. Sed circa Briſacum non opus erat arte. Mutabilitas alvei Rheni in Alſatiæ partibus adſcribenda naturæ, quæ ſolum à ſiniſtro latere humilius formavit.

§. CXXIII.

Refutatio contrariæ ſententiæ.

Ut vero Cluverius adverſariorum ſuorum argumentum, quod nonniſi Cis-Rhenana loca in Itinerario deſcripta ſint, eluderet, ad levem illam conjecturam confugit, qua Uruncos, in Alſatia ſuperiore quærendos, trans Rhenum in vico *Zunzen* reperiſſe ſe credit: nulla alia re, quam aliquali ſimilitudine nominum ad hanc opinionem inductus. Cluverianam hanc opinionem ſi pro vera admittimus, dicendum eſt, illos, qui iter Rhenenſe fecerunt, recta hac & ordinaria via bis Rhenum coactos eſſe tranſire. Cui bono hic itus & reditus? His omnibus itaque probe perpenſis, non dubitamus aſſerere, illis temporibus, quibus Itinerarium conditum, Briſiacum Montem cis Rhenum, in Gallico Sequanorum ſolo fuiſſe. Suadet id ipſa Itinerarii Antonini Oeconomia, quæ in medio locorum, cis Rhenum ſitorum, Briſiacum Montem, non ſemel collocat. Sed quid multis hac in re ratiociniis opus, ubi documenta, quæ ſuperſunt, loquuntur? Indubitata enim veteris alvei veſtigia Beati Rhenani temporibus ſuperfuerunt, ſuperſunt & noſtris. Locorum Briſigaviæ gnari eadem veſtigia ſe deprehendiſſe profitentur; glarea, ſilicum copia, ſoli profunditate, veteris alvei reliquias ſatis clare prodentibus. Quodſi his Luitprandi & Colmarienſis Annaliſtæ ſupra allegata teſtimonia jungas, ſi Rheni, litus toties hodieque mutantis, indolem ſpectes, paradoxa haud videbitur eorum ſententia, qui montem Briſiacum cis Rhenum olim ſitum fuiſſe ſtatuunt. Simile urbis *Bingii* fatum extitiſſe Hiſtoria docet, quam in alteram Navæ ripam temporis ſucceſſu tranſpoſitam miraretur, ſi eandem hodie aſpiceret, Ausonius. (*g*) Silentium *Tabulæ Theodoſianæ*, quæ Rhenum limitem ſecuta, Montis tamen Briſiaci nullam facit mentionem, noſtræ non contrariatur opinioni; quum nec Baſilia in eadem occurrat, quæ extra dubium in Gallico ſemper ſolo ſita fuit, ante Theodoſii tempora Ammiano Marcellino jam memorata.

§. CXXIV.

Acta Briſiaci.

Valentinianus Senior unam ex tribus *de Privilegiis Palatinorum* Conſtitutionem dedit Briſiaci (*h*) III. Kal. Sept. Valentiniano nobiliſſimo Puero & Victore Coſſ. id eſt An. Chriſt. CCCLXIX. Ipſe hic annus eſt, quo Imperator omnem Rheni Gallicam ripam magnis molibus & caſtris communivit; quo Treviris digreſſus varia ad Rhenum loca, atque adeo Montem quoque Briſiacum, inviſit. Eodem anno *Altæ ripæ*, (*i*) *Complati*, (*l*) *Martiatici*, (*m*) diverſas edidit Conſtitutiones. (*n*) An illa, quæ Gratiano nobiliſſimo Puero & Dagalaifo Coſſ. *Mantebri* data ſcribitur, ad Montem Briſiacum quoque referenda ſit, quod ſtatuit Valesius, (*o*) hic loci non diſcutiemus. Sequanorum tamen inferiorum caput Briſiacum Montem cum Guillimanno (*p*) haud dixerim, Ammianus enim Marcellinus (*q*) in Sequanis præ omnibus urbibus annotavit Veſontionem & Rauricam urbem. *Briſigavos ſeniores & juniores*, quorum mentio in *Notitia Occidentalis Imperii*, (*r*) inter auxilia Palatina, occurrit, ad vicinos noſtros ſi quis referre velit trans Rhenum Briſigavos, ei ego non contrariabor. Statuendum tamen erit, Notitiæ hujus conſcriptæ tempore, ſive ſeculo finiente quarto, Briſacum, ſi non in Germanico litore, in inſula tamen Rheni, fuiſſe, ut regioni vicinæ potuerit imponere nomen.

ARGEN-

(*f*) Lib. III. Cap. XVII.

(*g*) Freherus ad *Moſellam* Ausonii, verſu 2.

(*h*) *Cod. Theodoſ.* Lib. VI. Tit. XXXV. Leg. VIII.

(*i*) Hodie nomen retinet *Altrip.*

(*l*) Complatum eſſe hodie Cambetem conjicit Jacobus Gothofredus in *Chronologia Codicis Theodoſ.* ad An. CCCLXIX.

(*m*) Forte *Martiaticum* quod nonnullis *Manhemium.*

(*n*) Quæ extant in *Cod. Theodoſ.* Lib. IV. de *Reparat. Appellat.* Lib. X. *de diverſis officiis ad Viventium* PP. Lib. VI. de *Metallis ad Probum* PP.

(*o*) In *Notitia Galliarum* pag. 346. Valesius corruptos Codices Mſſ. reputat. Lex illa ſcripta eſt ad Florentium Comitem S. L. extat Lib. XII. Tit. I.

(*p*) In *Habsburgiacis* Lib. II. Cap. V. pag. 67.

(*q*) Lib. XV. Cap. XI.

(*r*) Sub diſpoſitione Viri Illuſtris Magiſtri peditum Præſentalis, apud Pancirol. pag. 34.

ARGENTOUARIA.

§. CXXV.

Argentouariæ ſitus.

CElticam Argentouariæ nominis originem & orthographiam ſupra jam oſtendimus; nunc ſitum & fata, quæ Romana ſub Periodo experta eſt, diligenter examinabimus. Argentouariam primo intuitu ad Rhenum quærendam eſſe crederes, quod ab *Itinerario* & *Tabula Theodoſiana*, in itinere Rhenenſi inter Auguſtam Rauracum & Argentoratum ponitur. Quodſi firmum & immobile hoc foret fundamentum, vulgata ab aliquot ſeculis opinio, quæ Argentouariam in villa *Horburg* prope Colmariam quæſivit, erroris damnanda eſſet, quod duobus milliaribus Francicis à Rheno diſtat. BILIBALDUS PIRCKHEIMERUS, (r) Maximiliani I. ætate vivens, hanc ipſam ob cauſam Colmariam huc trahi non poſſe credidit; Elcebum quoque ad Rhenum quærendam exiſtimans.

§. CXXVI.

Teſtimonia Veterum.

Ante omnia ergo videndum, quid Geographi cæterique Scriptores antiqui de ea prodiderint. Prima Argentouariæ mentio apud CLAUDIUM PTOLEMÆUM (s) occurrit, qui eam in Rauricis male poſuit, ponendam in Sequanis. Sed & in Germania ſuperiore, quæ nonniſi apud Tribocos incepit, & à qua Sequani fuerunt excluſi, Argentouariam Ptolemæus collocat. In *Itinerario* ſemel tantum, & quidem inter Stabula & Helvetum, legitur, (u) ubi à Stabulis XII. in nonnullis Codicibus XVIII. Mill. Paſſ. ſcribuntur. In *Theodoſiana Tabula* inter Cambetem & Helellum Argentouaria occurrit, ab utroque XII. Mill. paſſuum diſſita. AMMIANUS MARCELLINUS, (x) HIERONYMUS, (y) OROSIUS, (z) urbem hanc *Argentariam*, SEXTUS AUREL. VICTOR (a) & CASSIODORUS Senator (b) *Argentarium oppidum*, vocant; ubi occaſione pugnæ Gratiani, cum Alemannis An. CCCLXXVIII. apud Argentouariam habitæ, loci hujus faciunt mentionem: Oroſius eam *oppidum Galliarum* appellat. In *Thuanea Bibliotheca Notitia*, cujus rubrum: *Nomina Regionum & Civitatum Galliæ*, quam CHESNIUS (c) edidit, in Maxima Sequanorum *Caſtrum Argentarienſe* reperimus. In alia ejusdem Bibliothecæ Notitia, (d) Tit. *Capitulatio de Nominibus Regionum Galliæ*, locus idem *Caſtrum Argentorate* perverſe dicitur, & quidem in Maxima Sequanorum ſitus; cujus pars nunquam fuit Argentoratus, quæque cum Maxima hac Sequanica nihil habuit commune. In illa autem Notitia, quæ *Caſtrum Argentuenſe* vocat, (e) manifeſtum Librarii errorem nemo non perſpicit. Corruptiſſima omnium Notitiarum apud Chesnium eſt, quæ ita habet: *In Provincia Maxima Sequanorum civitas Belicenſium, quæ antea Caſtrum Argentarienſe vocabatur.* Falſa hæc ſunt, ſive Auctur civitatem Belicam antea Argentariam, ſeu Caſtrum Argentarienſe, nuncupatam fuiſſe indicet; cui ſententiæ magna amborum locorum diſtantia repugnat: ſive ſedem Epiſcopatus ex Argentaria in civitatem Belicam translatam velit docere. Nulla vero unquam Cathedra Epiſcopalis Argentouariæ fuit, quæ Rauracenſi Epiſcopo ſemper fuit ſubjecta. (f) Verum omnes hæ Notitiæ, ſi ſulam à Sirmondo editam excipias, poſterioris longe ætatis ſunt, nec ex illis aliud quid de Argentouaria diſcas, quam ad Maximam Sequanorum eam pertinuiſſe, quod certum. Notitia autem Sirmondiana, omnium optima, Argentouariam non memorat. NITHARDUS (g) & THEGANUS, (h) Carolinæ ætatis Scriptores, *Argentariam* ſeculo IX. prodidere, ſed uterque omnine hoc Argentoratum intelligit. Ex omnibus his veterum Scriptorum locis de urbis ſitu nihil diſtinctim percipimus.

(r) In *Explicatione Germaniæ*, quæ extat inter Opera ejus à GOLDASTO edita pag. 98.

(s) *Geographiæ* Lib. II. Cap. IX. ubi 'Αργεντουάρια.

(u) In itinere à Mediolano per Alpes Penninas ad Magontiacum pag. 80. ſcribitur: *Argentouaria.*

(x) Lib. XXXI. Cap. X.

(y) In *Chronica* apud Jos. SCALIGERUM ad An. CCCLXXVIII.

(z) Lib. VII. Cap. XXXIII.

(a) In *Epitome* Cap. XLVII. Nec deeſt tamen Codex, qui *Argentariam* habeat.

(b) In *Chronico* apud JOSEPHUM SCALIGERUM.

(c) *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. I. pag. 10.

(d) Ibid. pag. 7.

(e) Apud DU CHESNIUM loco cit. pag. 13.

(f) Ex corrupto tamen hoc loco ULRICUS OBRECHTUS conjecit, uti deinceps videbimus, Argentarienſe hoc Caſtrum in Montebelicardo oppido eſſe quærendum.

(g) *De Diſſenſionibus Filiorum Ludovici Pii* Lib. III.

(h) In *Vita Ludovici Pii.*

§. CXXVII.

Probatio Sententiæ.

Supereſt ergo, ut ad Itinerarium & ad Tabulam Theodoſianam confugiamus. Hic vero non ſolum Tabulam ab Itinerario, ſed & Itinerarium à ſe ipſo, ſingulari iterum fato, diſcordare reperio. Hoc enim ita Stationes ordinat:

Canſbete		
Stabulis	Mill. Paſſ.	VI.
Argentouaria	Mill. Paſſ.	XVIII.

Nonnulli Codices Regii Mill. Paſſ. XII. habent. Theodoſiana Tabula vero, *Stabulis* omiſſis, Cambete Argentouariam XII. Mill. Paſſ. ponit. Recepta ſententia, quæ Argentouariam veterem in villa Horburg prope Colmariam quærit, firmatur, ſi ex Regiis Codicibus illos ſequamur, qui Mill. Paſſ. XII. habent. Quodſi enim diſtantiæ VI. Mill. Paſſ. quæ ſunt inter Cambetem & Stabula, ſive *Bautzenheim*, addas, Stabulorum diſtantiam XII. Mill. Paſſ. ab Argentouaria, ſive *Horburg*, ſumma XVIII. Mill. Paſſ. ſive Leugarum Gallicarum, inde nata, quadrat exacte. Milliaria enim Francica IX. Cambetem inter atque Horburgum præter propter computantur. Diſſenſus autem inter Itinerarium & Tabulam tollitur, ſi Librarii præcipitantia nomen *Stabula* in hac dicas omiſſum. Sed & pro Horburgo pugnare videntur intervalla itineris, quæ ab Argentorato ad Argentouariam notantur in Tabula:

Argentouaria		
Helello	XII.	(*i*)
Argentorate . . .	XII.	

Helellum ad vicum *El*, prope Benfeldam, pertinere paulo poſt probamus. Summa hæc XXIV. Gallicarum leugarum, ſive XII. milliariorum Francicorum, diſtantiam inter Argentoratum & Horburgum conficit.

§. CXXVIII.

Alia opinio.

Dubium, quod Pirckheimerus ante hos CCL. annos, de vetere Argentouaria ad ipſam Rheni ripam quærenda, habuerat, & me olim aliquandiu tenuit ſuſpenſum: præſertim quum viderem, celebrem ſeculi noſtri Geographum, Danvillium, eo inclinare, ut in Arzenhemio vico, ubi trajectus ad Rhenum jam eſt, è regione Sponeckiæ arcis, ſedem Argentouariæ quæreret. Enimvero, ſi ab Helello vel Helveto per XII. Mill. Paſſ. ſeu Gallicas leugas, hoc eſt, VI. milliaria hodierna Francica, ad Rheni ripam aſcendas, in Arzenhemium villam incidis, cujus primæ ſyllabæ ex priſca voce Argentouaria aliquid retinuiſſe videntur. Sed & milliaria in Itinerario notata, Arzenhemio ſatis bene reſpondent. Inter Cambetem enim & Argentouariam XVIII. Mill. Paſſ. id eſt, novem fere milliaria noſtra, ponuntur: Arzenhemium à Cambete X. milliaribus diſtat. Horburgum tamen noſtrum melius hiſce numeris reſpondet, quippe quod nonniſi IX. milliaribus noſtris communibus abeſt. Solas ergo itinerum menſuras, in Tabula & Itinerario indicatas, ſi cum Horburgo & Arzenhemio vicis, intervallo bihorii à ſe invicem diſtantibus, compares, ex illis non ſatis lucis accipimus, ut alterum alteri loco præferamus. Sed ſi cæteras rerum circumſtantias addamus, omne dubium tollitur. Enimvero nobili Argentouariæ oppido ſi Arzenhemium ſucceſſiſſet, uti vicus *Augst* Auguſtæ Rauricæ ſucceſſit, quædam antiquitatis reliquiæ ibidem ſubinde occurrerent: at ex loci incolis accolisque didicimus, nullas unquam, cujuscunque generis, in vico Arzenheim ejusve agro vicino fuiſſe repertas. In Horburgenſi autem vico quot Monumenta & Monumentorum fragmenta, Inſcriptiones, ſigna, vaſa, nummi, & alia hujus generis plura, jam ſuperioribus ſeculis, uti Beatus Rhenanus, Seleſtadienſis, ante hos ducentos annos teſtatus eſt, effoſſa fuerunt: quot & hodie effodiuntur, quæ urbis haud mediocris Romanæ reliquias indicant! Cuinam vero ex civitatibus à Ptolemæo, Tabula, Itinerario, memoratis, inſignes has Horburgenſes ruinas adſcripſeris, ſi Argentouaria vetus ibi non fuit?

§. CXXIX.

(*i*) Rationes Tabulæ hic præferimus Itinerario, ubi M. P. VI. vel VII. Helveto, quod idem cum Helello Tabulæ eſt, apponuntur. Sex millia paſſuum nulli loco poſſunt applicari.

§. CXXIX.

Sed jam ad primam difficultatem redimus, quæ Horburgo nimirum contrariari videtur, quod locus duobus milliaribus Francicis diſtet à Rheno. Num enim veriſimile eſt, à via recta Rhenenſi ad mediterranea, citra neceſſitatem, divertiſſe Romanos, atque adeo viam interrupiſſe Rhenenſem? Ego vero viam aliquam Rhenenſem à Cambete & Stabulis Argentoratum usque rectam fuiſſe cenſeo, nec dubito, quin Romana præſidia inter Banzenhemium & Argentoratum ſuas ſtationes non interruptas habuerint, haud procul à Rheno. Sed quum in ipſo boc ad Rheni ripam intervallo nullus notabilis locus extiterit, in quo diverſari potuiſſent Imperatores, ab itinere recto ad interiora Argentouariæ cauſa deflexerunt; quod diverticulum viæ Itinerarium & Tabula, qui Codices ambo Imperatoriorum itinerum cauſa præſertim compoſiti fuerant, eo minus ſilentio transire potuerunt; quod omnes, Rhenenſem oram legentes, viam hanc alteri illi rectæ procul dubio quoque prætulerant. Itinerarium certe aliis in locis, ubi itinera, vel ab Auguſta Raurica, vel aliunde per Cambetem & Stabula, aut per Briſiacum Montem, Argentoratum usque deſignantur, Argentouariam omittit, ſat claro indicio, & rectum aliquod iter ad oram Rheni, & aliud per mediterranea fuiſſe, quod ad Argentouariam in mediterranea duxerit. Urbs hæc armamentarium Romanum inter Rhenum & Vogeſum erat, ad transitum utriusque prohibendum parata, uti infra dicemus. In Alſatia Tribocenſi ſimile prorſus exemplum reperio. Tabernæ Rhenenſes, in Via militari Romana ad Rhenum ab Itinerario & Tabula notatæ, bihorii fere intervallo diſtabant à Rheno, quum Saletio atque Noviomagus, quas inter Tabernæ poſitæ fuerant, Rhenum attingerent. Itinerantes ergo & ibi à via recta paulum deflectere ſoliti fuerunt.

Duæ Viæ Romanorum.

§. CXXX.

Firmo itaque ſatis pede ſtat opinio de Argentouaria in Horburgenſi tractu quærenda, poſtremis his ſeculis, à Beati Rhenani temporibus præſertim, apud Alſatas recepta communiter. Nec illos Geographos nobis adverſarios reputamus, qui pro Horburgo Colmariam ſubſtituunt, quod Horburgenſis Colmariæ ſuburbanus eſt ager. Novæ tamen omnino de Argentouaria ſententiæ auctor ſeculo hoc prodiit, GEORGIUS AB ECKHART, (*l*) qui in binis Herckenæ vicis, adeoque duobus milliaribus Francicis à civitate Colmaria, veterem hanc urbem quærendam eſſe arbitratur. " Argentaria „ (inquit) diſtat XII. millibus paſſuum. Congruunt iterum, quod ad nomen attinet, „ vici magni *Ober-Hercken* & *Nieder-Hercken*, ſive *Superior* & *Inferior Herckena*. Ex „ Argentaria Germanis vulgari pronuntiatione *Hercken* facillime fieri potuit, Latina „ terminatione ſolum dempta; cum illi olim aſpirationem amarent, & *a* vocalem, „ more Romano & Anglicano, ut *e* pronuntiarent, cujus rei vel mille exempla in „ promptu ſunt. Vici itaque hi, ad Illam prope oppidum S. Crucis conſtituti, in „ ruinis veteris Argentariæ ædificati fuiſſe videntur. „ Etymologicis hujus generis fundamentis, quæ ſola ſimilitudine unius ſyllabæ nituntur, Geographicum ædificium ſuperſtruere, axiomata Criticæ vix permittunt. In neutro horum vicorum aliquid unquam viſum aut erutum eſt, quod ullam præ ſe ferat notam antiquitatis Romanæ, aut ædificiorum illius ævi oſtendat reliquias. ANNA DACERIA, Tanaquilli Fabri Doctiſſima filia, Argentouariam, in Sequanis ſitam, in Argentorato noſtra quæſivit, (*m*) quam PAULUS DIACONUS, Longobardus, ad errorem hunc inducere potuit, qui Gratiani pugnam, apud Argentouarienſes commiſſam, ad Argentoratum habitam eſſe ſcripſit; (*n*) duarum diverſarum urbium nomina confundens.

Aliæ ſententiæ contrariæ.

§. CXXXI.

Scriptores, quos huc usque attulimus, diverſis licet in locis Argentouariam veterem quæſiverint, in Alſatia tamen omnes quæſiverunt. Fuerunt, qui eam extra Alſatiam inveſtigarent. Faciunt hoc Ignatianæ Societatis duo Sodales, ANDREAS SCHOTTUS alter, alter DUNODUS. Prior ad oppidum agri Lemovici *Argenton* Argentariam noſtram pertinere, conjecit: (*o*) qui tamen, ſi Ammiani, quem legerat, memor fuiſſet, Alemannos haud procul à Rheno profligatos, facile reperiſſet. Dunodus autem, qui Helvetiæ veteris Geographiam turbavit, (*p*) & Alſaticam turbat, dum Argen-

Argentouaria in Alſatia quærenda.

(*l*) *Diſſertat. de Apolline Granno* pag. 20.

(*m*) In *Notis* ſuis *ad Aurelii Victoris Epitomen* Cap. XLVII.

(*n*) *Hiſtoria Miſcella* Lib. XII. pag. 899.

(*o*) In *Notis* ſuis ad eandem VICTORIS *Epitomen*.

(*p*) Aventicum, Helvetiæ veteris urbem, in Burgundia Cis-Jurana quærit.

Argentouariam & Caſtrum Argentarienſe *Montisbelicardi* oppido adſcribit: (*q*) ea præſertim nixus ratione, quod nomen loco datum fuerit ab argentifodinis, quæ in partibus illis montanis ſint plane frequentes. Sed hæc antequam impugnem, interrogo, quænam illæ ſint argentifodinæ, quæ Argentorato noſtræ, ſimile fere nomen habenti, ſuam dederint appellationem? Argentouariam tamen in eodem *Montisbelicardi* oppido quæſiviſſe quoque video Ulricum Obrechtum, (*r*) Petavianæ Bibliothecæ Notitia, quam ſupra adduxi, ad conjecturam hanc invitatum, ubi nimirum dicitur: *Civitatem Belicenſium, quæ antea Caſtrum Argentarienſe vocabatur.* Sed de Belica oppido, de quo in Notitia hac ſermo, ſupra jam actum. Epiſcopalis hodieque civitas eſt *Belley*, Belica, verſus Rhodanum, quæ, uti Baſilia, Veſontinæ Matri Eccleſiæ ſubeſt.

§. CXXXII.

Deſcriptio loci.

Ceterum Argentouariæ urbis incrementa & florem ſitus ejus ad Ellum flumen, in fertili & amœniſſima regione, ubi Bacchi & Cereris copia, omnium rerum ad commoda & delicias vitæ proventus, promovit. Ellus ibi navigabilis eſſe incipit, ejusque ope Sequani cum Germanis trans Rhenum, & cum Tribocis & Nemetibus in inferiore Alſatia, ſpeciatim cum Argentorato, cum Vangionibos item, Treviris, Ubiisque exercuere commercium. Extrema Sequanorum anteriorum urbs quum extiterit, emporium Provinciale Sequanicum fuiſſe veriſimile eſt. Adde quod urbs mediterranea præſidio militari munita, quæ Rhenum ab ortu, Vogeſum ab occaſu cuſtodivit: præſidio ad utramque defenſionem, ſi ingrueret hoſtis, parato, atque ob id numeroſiore quam alibi. Argentouaria, tot commodis & prærogativis conſpicua, non potuit non in urbis haud mediocris molem excreſcere. Ad quam autem urbium claſſem olim Argentouaria ſub Romanis pertinuerit, ſi examinare velis, examen haud futurum difficile. Urbem Provincialem fuiſſe puto, legibus rectam Romanis, Præſidique Cæſaris in Gallia Lugdunenſi ſubjectam. Colonia certe non fuit; nec Municipium fuiſſe dixerim, ſuis legibus vivens; nec ſatis potens erat civitas, ut populi Romani fœderata vocaretur. Sub Imperatoribus appellationes hujusmodi rarius occurrunt; ſub libera frequentiores Republica. Sequani, Æduorum, qui Romanis favebant, hoſtes, à quibos Arioviſtus vocatus in Galliam, quo ſuo merito ſingularia à Romanis jura, privilegia & prærogativas, obtinere potuerant? Argentouaria autem urbs Sequanica fuit. Suam ergo Rempublicam, Leges & Magiſtratus, non niſi Præſidi Romano ſubordinatos, habuerunt.

§. CXXXIII.

Interitus loci.

Florentem Argentouariæ ſtatum Vandalica irruptio, ſine anni CCCCVI. cis Rhenum facta, totique Rheno ſuperiori funeſta, ſubito immutaverat. Urbs enim tum hoſtili furore in caſtrum, muris nudatum, redacta eſt, quod in Notitiis quibusdam Provinciarum & Civitatum Galliæ *Caſtrum Argentarienſe* vocatur, uti ſupra oſtenſum, Alemannis, poſt Vandalicam irruptionem in his oris dominantibus, ſubjectum. Inſecutæ ejusdem ſeculi medio vaſtationes Attilæ hunc Sequanicum limitem fere redegerunt in cineres: tumque Argentarienſe Caſtrum ita everſum, ut ſubſecutis temporibus nonniſi in vicum reſorgere potuerit, priſco nomine prorſus abolito; qui ipſe ille vicus eſt *Horburg*, cujus mentio toties jam facta; cujusque origines Colmarienſibus originibus poſteriores reputamus, eo quod Alemanni, uti ſæpe jam dictum, Romanarum urbium deſtructarum ruinas prorſus negligerent odioque haberent. Beatus Rhenanus tamen, in fabricandis etymologiis audaculus, novam loci appellationem ab antiqua, id eſt, ab Argentouaria, *Horburg* derivat. “ Alemanni, inquit, (*s*) primum more ſuo primore vocis antiquæ ſyllaba retenta, „ Arburgum dixere, ſive potius Argeburgum. Id addito ſpiritu poſteris in Horburgum „ verſum eſt, originationem ignorantibus. „ Eundem fere in modum in *Epiſtola ad Erbium* de Argentuaria & Argentorato ita: “ Poſteriores provinciæ hujus occupatores „ Alemanni, illi majores noſtri, primis ſyllabis Argentoratum, extremis Argentuariam „ ſpoliantes adjecto *Burgi* vocabulo, quod Munimentum Germanis ſignificat, Romanas „ appellationes in Storatiburgum, ſive eliſis vocalibus O & I. Stratburgum & „ Argburgum detorſerunt, idiomati ſuo, quod ſibilum & aſpirationem amat, accom-„ modantes.

§. CXXXIV.

(*q*) *Decouverte de la Ville d'Antre* Part II. pag. 184.

(*r*) In *Scheda quadam Mſ.* at imperfecta: *Antiquité de la Ville de Strasbourg.*

(*s*) *Rer. German.* Lib. III. pag. 283.

§. CXXXIV.

Memoria Argentouariæ reſtaurata.

Medio ævo Horburgum, Argentouariæ ruinis impoſitum, Comitatus caput evaſit. Ibidem enim Comites, Tractus illius Domini, habitarunt, arcemque condiderunt, unde Horburgenſis Comitatus nomen exortum, qui denique ad Wurtembergenſem Domum translatus eſt. Prognatus ex hac ſeculo XVI. Georgius in ipſis veteris Argentouariæ ruinis nobilem arcem An. MDXLIII. exſtruxit. Poſita tum ibidem Inſcriptio, Auctore Beato Rhenano, qui & Inſcriptionis, Munatio Planco in Curia Baſilienſi poſitæ, conditor. Horburgenſis Epigraphe ita ſe habet:

MEMORIAE. SACRVM.
IN. RVINIS. VETERIS. ARGENTVARIAE. AB. ALEMANNIS. IN. HANC. PROVINCIAM. IRRVMPENTIBVS. FVNDITVS. EVERSAE. HARBVRGVM. IPSI. DICTITABANT. QVAM. GRATIANI. AVGVSTI. VICTORIA. CAESIS. HAVD. PROCVL. HINC. XXX. ALEMANNORVM. LENTIENSIVM. MILLIBVS. ANNO. A. CHRISTO. NATO. CCCLXXX. VT. D. HIERONYMVS. AVTHOR. EST. CELEBRIOREM. REDDIDERAT. CIVITATEM. ANTONINO. CAESARI. PTOLEMAEO. MARCELLINO. ALIISQVE. COMMEMORATAM. IN. EIVS. RVINIS. CLARISS. PRINCEPS. GEORGIVS. COMES. A. WIRTEMBERGA. ETC. HOC. AEDIFICIVM. EXTRVI. FECIT. ANNO. SALVTIS. M. D. XXXXIII. SANEQVAM. MVLTIS. ROMANAE. VETVSTATIS. MONVMENTIS. DVM. FVNDAMENTA. LOCANTVR. REPERTIS. ERVTISQVE.

Monumentum hoc, quod Stumpfius (*t*) Cruſiusque (*u*) memorarunt, ſuperiore ſeculo cum arce dirutum eſt. Non ſemel miratus ſum, Beatum Rhenanum, Virum antiquitatis ſtudioſum, & inter bonarum Literarum apud Alſatas reſtauratores primarium, in ſuis *Rerum Germanicarum* Libris (*x*) tam parce, tam jejune, de Argentouarienſibus rebus ſcripſiſſe: ille, qui Seleſtadii commoratus de loco tam vicino, de ædificiorum, de Monumentorum, Inſcriptionum, Sarcophagorum, Urnarum, vaſorum, Inſtrumentorum utenſiliumque omnis generis, reliquiis notitiam aliquam nobis ſuppeditare potuiſſet. Quum haud ita pridem Epiſtolam, huc usque ineditam, de *Veteri Argentouaria* à Rhenano ſcriptam, *Muſeo Helvetico* inſertam reperirem, largiorem in ea meſſem me deprehenſurum eſſe ſperavi. Ad Horburgenſis Comitatus & Richenvilenſis Dynaſtiæ Eccleſiarum Proteſtantium Antiſtitem, Matthiam Erbium, virum haud indoctum, anno MDXLIII. IV. Kal. Sextiles, Seleſtadio eam ſcripſit Rhenanus. Erbius exemplum ejus ad amicum ſuum, Tigurinæ Eccleſiæ Antiſtitem, Henricum Bullingerum, transmiſit; ex cujus Schedis Epiſtolam edidit Vir multiplici eruditione clarus, Jo. Jacobus Breitingerus, (*y*) apud Turicenſes Profeſſor, cujus amicitia mihi magno in pretio eſt. Rhenanum ad Epiſtolam hanc componendam induxit arcis novæ exſtructio, quam in veteris Argentouariæ ruinis ſeculo XVI. conditam memoravi. At lecta Epiſtola deceptum me dolui: de rebus enim, ad Argentouariam geſtis, ibi multa; de Argentouarienſibus monumentis nihil, quorum frequentiam tamen in Inſcriptione memorata ille ipſe prædicat. Exempla eorum ſi nobis reliquiſſet Rhenanus, ab interitu ſervaſſet plura, quæ ab illo tempore ſeculorum hominumque deſtruxit injuria.

§. CXXXV.

Monumenta Argentouariæ.

Præſentem Argentouariæ ſtatum quod attinet, longe triſtior ille, quam Auguſtæ Rauricæ eſt. Hæc enim, utpote Colonia, Theatro, aquæductu, templis, turribus, caſtellis & arcibus ornata, plures longe & majores, quam Argentouariæ tractus, ruinas oſtentat: multas ſine dubio adhuc terra tegit. Nunc ſeges eſt, ubi Argentouaria fuit. Vindoniſſæ idem contigiſſe obſervavi, quum in urbis deſtructæ area deambularem, niſi quod Amphitheatri forma excavata in campo adhuc ſatis appareat. Quodſi agri Argentouarienſes paulo altius refoderentur, plures reliquiæ prodituræ eſſent in lucem. Obſervat Beatus Rhenanus, (*z*) ſe de iis, qui Colmariæ nati & educati ſunt, non ſemel audiviſſe, theſauros haud parvi pretii in ruinis illis ſæpe eſſe repertos. Lapides literatos quod attinet, omni licet diligentia adhibita, plures, quam tres, Inſcriptionibus ornatos, in omni veteris Argentouariæ area reperire haud potui. In hac tamen paucitate Argentouarienſes campi adhuc fertiliores ſunt Rauricis. Apud Horburgenſes

 enim

(*t*) *Chron. Helvet.* Lib. III. Cap. XLVIII.

(*u*) *Annal. Suev.* Lib. VII. Part. I. Cap. V. pag. 165.

(*x*) Lib. III. pag. 283.

(*y*) In *Muſeo Helvetico* Part. I. pag. 541.

(*z*) In *Epiſtola ad Matthiam Erbium* modo memorata, pag. 544.

GEOGRAPH.

enim perſtitit Ara illa inſignis, Apollini Granno Mogouno à Trione dicata, quam Illuſtriſſ. CORBERONIUS Pater, in ſupremo Alſatiæ Conſilio Præſes olim primarius, dein Regi à Conſiliis Status, qui non minus ac Illuſtriſſ. Filius, in utraque dignitate patris ſucceſſor, de Republica Literaria bene meritus eſt, ad varios Europæ Eruditos transmiſit. Alias duas Inſcriptiones nuper ex Argentouarienſibus ruinis, me inſtigante, eruit Rev. BRAUERUS, Sundhovienſis Eccleſiæ, Horburgo vicinæ, Conſiſtorialis Miniſter, Vir Doctus, Antiquitatis indagator indefeſſus & ſagax; qui Antiquarium meum monumentis his auxit. Figurarum ſemi-extantium, ſepulcralibus monumentis inſculptarum, capita plura, ex illis decuſſa, ædium ſuarum muris & parietibus paſſim inſeruere illius loci Coloni; Inſcriptionibus, quæ additæ fuerant, rejectis atque deſtructis. Nummi vero, qui illo in tractu ex omni metallo & modulo eruuntur, Imperatorii plerumque ſunt, & ex quatuor primis æræ Chriſtianæ ſeculis. Ex quinto rariores, quod initio ejus deſtructa urbs, & in Caſtrum converſa fuit; quod & ipſum denique dirutum reſurrexit in villam, veteri urbi ſuperſtructam, cujus nonniſi medio ævo poſt Colmariam mentionem reperimus.

Qui Germanicarum Gentium mores, & conſuetudines norunt, conſilii hujus cauſam intelligunt facile. Romani, urbium amantes, ex urbis deſtructæ ruderibus novam reſtauraſſent, quod ſolidas domos ædificare & mœnia fortia urbibus addere conſueverant. Alemanni, omnium Germanorum more, tuguria lignea, argillacea, ſtramentitia, conficere ſoliti; murorum mœniumque impatientes, in camporum planitie caſas aut tuguria exſtruere, quam in denſis illis murorum ruinis ſolidas domos reparare maluerunt. Franci, quum Galliam eripuiſſent Romanis, atque ipſos in Alſatia Alemannos, cis & trans Rhenum habitantes, ſibi ſubjeciſſent, Argentuarienſis Tractus quoque ad eos pervenit. Colmaria ex vicinis Argentouariæ ruinis exſurgens, Carolino ævo jam nota, ſeculo XIII. denique, ſub Germanicis Præfectis, muros accepit. Licet autem in veteris Argentouariæ partibus Comitatus Horburgenſis medio ævo ſurrexerit, Colmaria tamen partem ejus nunquam conſtituit.

§. CXXXVI.

Alia loca.

Rauricas & Sequanicas urbes & loca ad Rhenum perluſtravimus. Antequam ad Tribocos transeamus, redeundum eſt ad interiora Sequanorum, ut & Itineris hujus tradatur notitia, locaque nobis innoteſcant, quæ à Veſontione, Sequanorum Metropoli, ducebant ad Rhenum. In hac autem Via militari loca ſequentia reperimus.

EPAMANDUODURUM.

Epamanduodurum.

OPpidi hujus duobus in Itineribus ITINERARIUM meminit. Primum in itinere à Mediolano per Alpes Grajas Argentoratum, (a) hoc modo:

Viſontione	
Velatuduro	M. P. XXII
Epamantadurum . .	M. P. XII.
Gramato	M. P. XIX.
Larga	M. P. XXV.
Uruncis	M. P. XVIII.
Monte Briſiaco . .	M. P. XXIIII.

Deinde in itinere ab Andematunno Cambatem, (b) his manſionibus:

Veſontione	
Epamanduoduro . . .	M. P. XXXI.
Cambate	M. P. XXXI.

In priore vocatur *Epamantadurum*, in poſteriore *Epamanduodurum*, quæ optima lectio: ille enim Codex Regius, in quo *Epimanturo*, Librarii errore hac in parte corruptus eſt. In TABULA THEODOSIANA, *Epomanduo*, terminatione *durum* truncata, ſcribitur. GEOGRAPHUS RAVENNAS Anonymus locum hunc *Mandroda* appellat: forte ſcripſit *Mandora*.

§. CXXXVII.

Situs loci.

Oppidum in Sequanis Veſontione Cambetem petentibus transeundum. Manifeſtæ reliquiæ nominis & rudera veteris loci ſuperſunt in Comitatus Burgundici vico *Mandeuvre*, ad fluvium Dubim. ORTELIUS (c) ergo Epamanduodurum male ad Montisbelicardi oppidum retulit. Hoc enim Caſtrum à vico *Mandeuvre* milliarii Francici ſpatio

(a) *Itinerarii* pag. 349.
(b) Ibid. pag. 386. Andematunnum *Langres*, Campaniæ oppidum.
(c) *Theſaur. Geograph.* in voce: *Epamanduodurum.*

ſpatio diſtat. Ortelium facile confutat ipſa veteris novique nominis affinitas, locorum ſitus, ſupellectilis variæ & Monumentorum omnis generis Romanorum, quæ ibidem ſæpius eruuntur, copia. (*d*) Viam publicam Veſontione per Epamanduodurum ſtratam fuiſſe, Columna vetus milliaris, Trajano Imperante poſita, & in vico *Mandeurre* hoc ſeculo reperta, quam in Aula mea Antiquaria aſſervo, ac in Monumentis Romanis deſcripturus ſum, probat. Veſontione Epamanduodurum Itinerarium Mill. Paſſ. XXXI. uno in loco, uti vidimus, computat: in altero, ubi *Velatudurum* (*e*) interjicitur, numerus ad Mill. Paſſ. XXXIV. excrevit. Vera inter Veſontionem & Epamanduodurum diſtantia, uti optimæ Tabulæ Geographicæ annotant, eſt XV. milliariorum Francicorum, hoc eſt XXXIV. circiter Leugarum veterum Gallicarum, qui numerus cum Itinerario concordat, quando, leugam Francicam hodiernam quinta circiter parte majorem eſſe duabus leucis veteribus Gallicis, infra docebitur. Columna vero noſtra milliaris, Epamanduoduri reperta, diſtantiam Veſontione Mill. Paſſ. XLVIII. exprimit. Numerus hic nonniſi milliaria Romana deſignat, quorum tria milliarium commune Francicum non explent omnino; atque adeo XLVIII. milliaria Romana Columnæ noſtræ Gallicis veteribus leugis XXXIV. Itinerarii fere reſpondent: novo & ſolido rurſus argumento, in eodem Itinerario per millia paſſuum leugas Gallicas veteres nonnunquam intelligi debere; ubi nempe de locis, extra Galliam Narbonenſem ſitis, eſt ſermo, uti ſupra jam dictum. De vocis *Epamanduoduri* origine Celtica ingenioſe egit Ludovicus Bochatus, (*f*) à me non ſemel laudandus. Dunodus Jeſuita vero, ex idiomate Latino nomen derivans, jocum, non conjecturam, nobis narrare videtur. (*g*)

GRAMATUM.

§. CXXXVIII.

NUllibi locus hic, niſi in Itinerario, occurrit, & quidem ſemel: in aliquot itineribus, Veſontione directis, brevitatis cauſa forſan omiſſus. Petrus Wesselingius, qui Itinerarium Antonini egregie illuſtravit, Gramatum expungendum putat, tum quod optimus Manuſcriptorum illud ignoret, tum quod intercapedo locorum Epamanduodurum inter & Largam non capiat quoque Gramatum, cum ſuis Mill. Paſſ. XIX. quæ intercapedini illi forent addenda. Facillimum ergo remedium foret, reſecare Gramatum. Nec ego omnino repugno. A conſilio hoc aliquantum me retinent duo Codices Regii ex ſeculo X. qui retinuere *Gramatum.* Locorum nomina & numeros, illis adjectos, Librarii facilius corrumpunt aut plane omittunt, quam nova adjiciunt. Numeri, Gramato appoſiti, corruptio evidens eſt, qui facile corrigitur, ſervato Gramato: quod remedium mitius. Ab Epamanduoduro Gramatum Codices Regii diſtare volunt XIX. Mill. Paſſ. Gramato autem Largam usque XXV. Mill. Paſſ. computant; unde XLIV. Mill. Paſſ. ſumma exſurgit, quæ milliaria Francica hodierna XX. circiter efficit, veramque inter *Mandeurre* & *Largizen* diſtantiam longe excedit. Error nimirum irrepſit in numerum priorem, in quo ſi primi characteres deleantur, atque Gramato nonniſi IV. Mill. Paſſ. adſcribantur, res omnis ſalva erit. Ita enim incidimus in villam *Charmont*, quæ præter propter hoc intervallo diſtat à *Mandeurre.* Tschudius (*h*) & Guillimannus (*i*) in vico *Grams*, mihi ignoto, quæſivere Gramatum. Theodoſiana Tabula, licet omittat Gramatum, malo tamen nun affert remedium. In ea enim XVI. Mill. Paſſ. ab Epamanduoduro (*l*) Largam usque ponuntur, quum Itinerarium XXV. computet. Quodſi Gramatum in loco aliquo quæras, ubi Mill. Paſſ. XIX. quadrent, invenies quidem in Alſatia *Granvilariam*, aut etiam *Cravanche*, ubi intercapedo hæc locum habere poſſet, ſed nullum inde lucrum nobis accreſcit. Nam numeri hi, Gramato adjecti, ſi ſalvi ſunt, error ineſt illis, qui Largæ appoſiti. Gramatum.

§. CXXXIX.

Malim ergo ſervare numeros, Largæ additos, qui cum intervallo, quod inter vicum *Charmont* & *Largam* invenimus, conſpirant. Ambo numeri ſalvi quum eſſe non poſſint, corruptelam in Gramatum, non in Largam cadere velim, quod Codices plures Gramatum prorſus expungant. Sed videor mihi heic audire adverſarium, qui oggerat nobis, ſi millia Emendatio.

(*d*) Inter Monumenta hæc Inſcriptio memorabilis eſt, quæ de Balneo marmorando loquitur, cujus Lapidis dimidiam partem Baſiliæ in Fæſchiano Muſeo vidi. Hac de re inter Monumenta Romana acturus ſum.

(*e*) Vicus *Velerot*, qui ſitus eſt inter Veſontionem & Epamanduodurum.

(*f*) *Memoires Critiques pour l'Hiſtoire Ancienne de Suiſſe*, Tom. I. pag. 153.

(*g*) *Decouverte de la Ville d'Antre*, Tom. II. pag. 179. & 182. Attilæ, vaſtantis oppidum, occaſione vulgus exclamaſſe ait: *O mandatum durum!*

(*h*) *Veteris Helvetiæ Deſcriptio* Mſ. pag. 160.

(*i*) *Habsburg.* Lib. II. Cap. VI.

(*l*) Quod Tabula *Epamanduo* vocat, uti jam dictum.

millia paſſuum interpreteris Romana, res omnis in ſalvo eſt. Nec ego diffiteor, ſed remedium pejus eſt malo. Diſtantia enim inter Veſontionem & Epamanduodurum in Itinerario notata, quæ uno in loco XXXI. in alio XXXIV. mille paſſibus ſignatur, ſi milliaria Romana indicat, quomodo numeros hos conciliabis cum Columna milliari Romana, nulli corruptioni numerorum obnoxia, quæ XLVIII. Mill. Paſſ. ſenſu Romano, non Gallico, uti modo vidimus, exprimit? Hi vero mille paſſus, in Gallicas leugas redacti, numeros Itinerarii reddunt exacte: hacque ratione res demum in ſalvo; ſalvaque manet regula, in Veſontino non minus, ac in Rhenenſi, itinere Itinerarii & Tabulæ intelligendas eſſe Gallicas leugas. Ceterum in Cadurcis (*Querci*) hodieque Burgus eſt *Gramat*, qui, ſi antiquus, ejuſdem nominis locum ſub Romanis veteres Cadurci Sequanique habuerunt, cujus nomen apud priores integrum perſtitit.

LARGA.

§. CXL.

Larga.

LOcus haud repertu difficilis. Nomen enim in tribus Alſatiæ vicis & in flumine ejuſdem, ad hunc uſque diem ſubſiſtit. Larga ſuperior, Larga inferior, item *Largitzen*, qui vici ad flumen *Larg* ſiti, cujus fontes ipſis Elli fontibus propinqui ſunt, ibi nempe, ubi ſuperior Larga eſt. Utraque ad Comitatum Ferretenſem pertinet, ut & villa *Largitzen*, quæ Altkirchenſis Præfecturæ. Larga Itinerarii in Largiza villa hodie reperitur; in ejus enim vicinia locus eſt *Oberſtras*, (ſtrata ſuperior vel alta) nomen, quod ſæpe à Viis militaribus Romanorum earumve reliquiis in vicos aut oppida vicina translatum eſt, ut infra in Argentorato & Strateburgo obſervo. Gramato Largam Itinerarium annotat Mill. Paſſ. XXV. Tabula Theodoſiana, quæ locum hunc *Large* appellat, ita ordinat diſtantias:

Epomanduo
Large . . . . XII.
Cambete . . . VII.

Magna inter Itinerarium & Tabulam diſcrepantia. Hujus rationes autem rationibus Itinerarii plerumque præferendas eſſe, jam pridem docui. In hac ſpeciatim diſtantia cum ipſa rei veritate concordat Tabula. Quodſi enim à Montisbeligardi oppido, cui Gramatum, uti vidimus, erat vicinum, ad vicum Largizam progrediaris, ſex milliaria Francica conficies via recta; unde XII leugæ Gallicæ veteres oriuntur, à Tabula Theodoſiana notatæ.

Quæ cauſa Tschudium (*m*) & Guillimannum (*n*) impulerit, ut Largam Veterum in Altkirchio oppido quærerent, tanto minus divino, quod nonniſi ſeſquihorii intervallo ab ipſo hoc oppido ſitus eſt Largiza vicus, qui in topographicis omnibus Alſatiæ mappis intuentium ſeſe oculis offert. Si vicus hic illis diſplicuit, duos alios repererunt vicinos, in quibus veteris nominis non ſuperſunt veſtigia, ſed totum plane nomen ineſt, ſuperior nempe & inferior Larga. Larga ſuperior tamen nimis remota, quam ut unquam viæ publicæ adſidere potuerit; nec inferioris ſitus magis quadrat veteri Largæ quam vicus *Largitzen*, quem huc pertinere putamus.

URUNCI vel URUNCÆ.

§. CXLI.

Uruncæ.

LOcus hic, in Tabula præteritus, in *Itinerario* bis (*o*) ſiſtitur. Primum in itinere à Tauruno in Gallias, ad Rhenum nempe, ubi ita:

Arialbinno
Uruncis . . . M. P. XXII. Leugas X.
Monte Briſiaco . M. P. XXIII. (*p*) Leugas XV.

Deinde

(*m*) *Deſcript. Mſ. Helvetiæ veteris* pag. 161.
(*n*) *Habſpurg.* Lib. II. Cap. VI.
(*o*) *Itinerar.* pag. 252. & 349.
(*p*) Codices Regii noſtri omnes hic XXIII. Mill. Paſſ. exprimunt, unde Lectionem hanc Weſſelingianæ prætulimus, quæ nonniſi XXII. habet. In altero itinere Urunci à Monte Briſiaco diſtare notantur Mill. P. XXIII. quæ nonniſi unius milliarii diverſitas eſt. In alterutro tamen Itinerarii loco in numeris Mill. Paſſ. vitium ineſſe debet.

Deinde in itinere à Mediolano Argentoratum, ubi hi numeri:

Larga
Uruncis . . . M. P. XVIII.
Monte Briſiaco . M. P. XXIV.

In ſorma nominis diſcrepant Codices, in quibus *Vrincis*, *Urincis*, *Utirencis*, *Utirentis*, *Utirenſis*, *Orincis*: plerique tameo, & quidem ex Regiis noſtris tres, habent *Uruncis*, (q) quam formam præferimus cæteris. Geographus Ravennas locum quendam inter Rhenenſes profert, quem *Wrcacha* vocat, (r) quemque Placidus Porcheron, in *Notis* ſuis, ad *Uruncin* pertinere credidit, ſed errat: hoc enim nomine Ravennas *Zurzachium* emporium indicat, quod ex Conſtantia adjecta intelligimus. Locus vel ad Rhenum, vel in vicinia Rheni, quærendus, quod inter Arialbinnum & Montem Briſiacum ſitus. Leugas X. manus poſterior Uruncis adjecit, quoniam ex tribus Regiis Codicibus abſunt. Sed ille, qui leugas has adlevit, aberravit à vero; leugæ enim X. non conficiunt Mill. Paſſ. XXII. ſed XV. qui leugarum oumerus Monti Briſiaco recte appoſitus eſt, ubi pari millium Paſſ. numero, oempe XXII. ad latus XV. leugæ adjiciuntur. Itaque numerus leugarum hic recte poſitus eſt, præcedens vitioſus.

§. CXLII.

Verum jam inveſtigandus eſt locus hodiernus, in quem quadrent *Urunci*. Cluverianam (s) conjecturam, quæ trans Rhenum Brisgoviæ vicum *Zunzen*, (t) ob aliquam ſimilitudinem nominis, obtorto collo huc trahit, nemo facile ſequetur. Si locus Rheno vicinus eſſet, ex Gallia in Germaniam translatum fuiſſe crederes, quod Briſaco contigiſſe vidimus. At vicus à ripa Rheni remotior eſt, quam ut variatio fluminis eum abſtrahere potuerit. Cluverii opinionem tamen ſecutus eſt Ægidius Lacarry, (u) Carolusque Spenerus, (x) quod miror. Cel. Wesselingius (y) vero profitetur, ſe quidem de Uruncorum ſitu non moturum Cluverio litem; ex recentioribus tamen refingere vetera non ſatis eſſe tutum. Abrahamus Ortelius (z) & in nomine & in ſitu loci definiendo variavit. Nunc enim vocat eum *Uruncam*, & Baſilienſis territorii urbem eſſe cenſet; nunc *Utirentam* appellat, & orbem circa Argentoratum eſſe ſuſpicatur; in utraque conjectura deceptus. Nos locum non io Brisgovia, nec in agro Baſilienſi, ſed in Alſatia, noo tamen circa Argentoratum, quærimus. Ad Montem enim Briſiacum tres viæ duxerunt, prima ab Arialbinno, recto ad Rheni ripam itinere, per Stabula: ſecunda via, paulum à Rheno deflexa, per mediterranea verſus Uruncos fuit directa: tertia denique ab interioribus Sequanis, ſive ab urbe Veſontina, per Largam & Uruncos ad Montem Briſiacum, hoc eſt, ad Sequanos exteriores, vel Rhenenſes, perduxit. Loci ſitus.

Uruncæ ergo, ſi Itinerarii poſitiones ſequaris, in ſecunda & tertia via quærendæ ſunt, ubi nempe duæ hæ viæ mediterraneæ, Briſacum verſus tendentes, coinciderunt. Et quidem locus ita debet eſſe politus, ut ab eo ad Largam ſint Mill. Paſſ. XVIII. ad Arialbinnum Mill. Paſſ. XXII. & ad Briſacum Mill. Paſſ. XXIII. adeoque fere in medio inter Arialbinnum atque Briſacum. Diverſa hæc interſtitia quadrant in vicum Alſatiæ amplum & divitem *Illzach*, ad Mulhuſinos pertinentem, ubi confluentes ſunt Tolræ & Elli; ubi varias Romanæ ſupellectilis reliquias ſæpius erui à Mulhuſinis edoctus ſum. Vicus hic, ut & Mulhuſium oppidum, trium Leucarum Francicarum intervallo diſtant à Rheno. Numeri, qui diſtantiam exprimunt, Romana milliaria vera deſignant, quod leugæ Gallicæ ad latus ſeparatim adjectæ ſunt. Quodſi ergo horum milliarium tria in unum milliarium Francicum, vel leugam hodiernam, reducas, diſtantias, in Itinerario notatas, in illis invenies. Illzachium nempe inter Baſiliam, ubi vetus Arialbinnum, (Binninga) & Montem Briſiacum io medio jacet, ab utroque loco fere æqualiter diſſitum, & à vico Largiza ſex Francicis leugis remotum. Illi ergo, qui Uruncos ad *Enſisheimium* oppidum, vel ad villam *Sirentz*, ob aliquam ſimilitudinem nominis retulerunt, Itinerarii rationes noo ſatis ponderarunt. Quam longe à veritate abſuerint illi, qui Arialbinnum in Mulhuſio quæſiverunt, ex dictis apparet: quum Urunci, ſive Illzachium, nonniſi leuca Francica ab oppido Mulhuſio, cujus Veriſimilior conjectura.

 origines

(q) Quartus Codex habet *Urincis*, adeoque cum reliquis coincidit fere.

(r) Lib. IV. pag. 187.

(s) Cluverius *German. Antiq.* Lib. III. Cap. IV.

(t) De quo ſupra jam in Briſiaco Monte actum.

(u) *De Coloniis Gallorum* pag. 51.

(x) *Notitia Germaniæ Antiq.* Lib. IV. Cap. II.

(y) In *Notis ad Itinerar.* pag. 252.

(z) *Theſaur. Geograph.* in vocibus *Urunca* & *Utirenta.* Romani pronuntiarunt *Urunki* vel *Urunka*, ſuo more non noſtro, qui perverſus eſt.

origines non ultra medium ævum aſcendunt, diſtent; Arialbinnum autem ab Uruncis intervallo XXII. Mill. Paſſ. abfuerit. Uruncis via publica ad Briſiacum Montem duxit. Sic Veſontina via & via Rhenenſis apud Briſiacum coiverunt in unam. Hæc Rauricæ & Sequanicæ Alſatiæ Geographia.

§. CXLIII.

Rufiana.

Antequam ad Alſatiam Mediomatricenſem, quam in Periodo Romana Tribocenſem appellamus, à nobis tranſitus fiat, de *Rufiana*, à Ptolemæo memorata, quam non pauci ex Scriptoribus Alſaticis junioribus *Rufacum*, ſuperioris Alſatiæ oppidum, eſſe putarunt, agendum eſt paucis.

RUFIANA.

Ptolemæus quum loca tantum digniora notatu recenſeat, *Rufianam*, (Ῥουφιάνα) quam in Nemetibus poſuit, (*a*) non ex infimis fuiſſe neceſſe eſt. Sociam enim eidem dat *Noiomagum Nemetum*, quæ hodie *Spira*, eisque Borbetomagum Vangionum, ſive *Wormatiam* ſubjungit. Turbatas Ptolemæi hoc in loco rationes eſſe, nemini non patet, quum & paulo poſt Argentoratum, in Tribocis poſitum, in Vangionibus ponat. Rufianæ tamen alicubi conſtituendus eſt locus. Hunc Cluverius, (*b*) atque Cellarius, (*c*) in *Rufaco* ſuperioris Alſatiæ oppido, (quod & *Rubeacum*, *Rubeaquum*, appellant) quærendum eſſe exiſtimaverunt: non diſſentiente Valesio. (*d*) Ptolemæo ſoli quum *Rufiana* memoretur, ex eo quoque ſolo judicandum de ſitu; qui ab eo ita determinatur, ut primo in Nemetibus, (*e*) ſecundo inter Noiomagum & Borbetomagum, poſitam fuiſſe appareat.

§. CXLIV.

Recentiorum conjecturæ.

Ceterum de Rufiana Ptolemæi nihil plane habet Beatus Rhenanus, qui in pluribus tamen locis de oppido hoc agit, (*f*) ſed de ætate ejus nihil decidit. Confidentiores longe fuerunt coætanei ejus Conradus Pellicanus, & Conradus Wolfhardus, prioris ex ſorore nepos, natione Rubeaquenſes, qui in Deſcriptione Patriæ ſuæ, quam Sebastianus Munsterus *Coſmographiæ* (*g*) inſeruit, neſciu quo fundamento innixi, narrationem ſuam ita exordiuntur: " Rubeaquum, antiquiſſimum „ Alſatiæ oppidum, conditum eſt à Romanis anno ſecundo Olympiadis CCXXXV. ab „ Urbe condita DCCCCXIV. Junio Ruſtico & Aquilone Conſulibus, M. Antonino & „ L. Vero ejus fratre apud Romanos regnantibus, anno à nativitate Chriſti CLXIV. „ Nomen civitati impoſitum ferunt à fluviolo, qui in valle divi Georgii non procul „ à pago Sultzmat oritur, ac rubeo alveo per agros ac vineas fluens, ob multas „ commoditates ab urbe excipitur. Incolæ eum hodie Ombach vocant; qui tamen „ ab aqua, quæ ex alvei ſplendore rubea eſſe videtur, *Rotbach* (ut ex antiquiſſimis „ annalibus apparet) olim dictus, urbi quoque eandem appellationem dedit, quæ „ etiamnum Latino nomine ſatis commode exprimitur. Rubeaquum enim, quaſi „ rubeæ aquæ oppidum, dicimus. Hoc oppidum magnificis primum ædificiis ac „ duplici ſuburbio exſtructum, Romanæ Nobilitatis diu fuit hoſpitium, quæ ob terræ „ fertilitatem omniumque rerum, quæ ad uſum hominum neceſſariæ ſunt, abundantiam, „ ad annos fere D. hoc inhabitavit. Ad ejus Reipublicæ conſervationem condiderunt „ leges optimas.

§. CXLV.

Refutatio hujus ſententiæ.

Magnifice hæc & confidenter, ſed ullo absque fundamento dicuntur. Pellicani nimirum ætate in Hiſtoria pauci nugari deſierant, ut ipſe Rhenanus conqueritur, qui primus Hiſtoricorum temporis ſui Critico judicio ſaniore uti cœperat. Ita enim de Libro ſuo *Rerum Germanicarum* ſcribit: (*h*) " Germaniam meam dudum auxiſſem & „ edidiſſem denuo, niſi viderem abſurdas opiniones & meras fabulas pluris fieri, quam „ veram ac fide nixam vetuſtatis cognitionem &c. fabulis & ineptiis mundus oblectatur. „

Chri-

(*a*) *Geograph.* Lib. II. Cap. IX. pag. 53. Edit. Bert.
(*b*) *Germania Antiq.* Lib. II. Cap. VIII. pag. 32.
(*c*) *Geograph. Antiq.* Lib. II. Cap. III. pag. 303.
(*d*) *Notitia Galliarum*, in voce: *Rufiana*.
(*e*) Valesius, memoriæ ſuæ fidens, Rufianam à Ptolemæo in Sequanis poni exiſtimavit.
(*f*) *Rer. German.* Lib. III. pag. 282. & alibi.
(*g*) Lib. III. Cap. CXXIX. pag. 545. Edit. Lat.
(*h*) In *Epiſtola ad Matthiam Erbium*, Muſei Helvet. Tom. I. pag. 552. Epiſtola ſcripta An. MDXLIII.

Christophorus Cellarius, (*i*) turbatas Ptolemæi ratiooes correcturus, & ipſe ordinem turbat, atque ita, ut ſecum inſcius pugnet. Inductus eſt quoque ſimilitudine nominis, ut *Rufianam* Ptolemæi interpretaretur *Rufacum*, quod ipſi, ut & Cluverio & Nic. Samsonio, qui in *Tabula* ſua *veteris Belgicæ* eandem ſententiam ſequitur, ignoſcimus. In eo autem Cellarius memoria lapſus eſt, quod hodiernum Rufacum ad veteres Tribocos retulerit; quum ex Tribocorum limitibus, quos Cellarius ipſe conſtituit, conſequatur, Rufianam, ſi certiſſime ad Rufacum noſtrum pertineret, non tamen in Tribocis, ſed in Sequanis, ab eo ponendam fuiſſe. His enim Argentouariam (*Horburg*) adſcribens, multo magis Rufacum, tribus milliaribus noſtris ab Horburgo diſtans, & Veſontioni propinquius, atque adeo à Tribocis remotius, quam Argentouaria eſt, adſcribere debuiſſet. Cellario, Viro Doctiſſimo, eo facilius condonandus hic error, quod eodem in loco Hadrianus Valesius, (*l*) memoriæ ſuæ confiſus, uti ſupra obſervatum, erravit, quum crederet, Ptolemæum in Sequanis Rufianam poſuiſſe, quam in Nemetibus poſuit.

Bilibaldus Pirckheimerus (*m*) diverſam longe viam inivit, *Rufianam* ad *Wormatiam*, *Neomagum* vero ad *Oppenheimium* vel *Spiram*, referendas exiſtimans. Sed nec hæc ſatis exacta ſunt. Quodſi enim Rufiana Ptolemæi Wormatia hodierna eſt, quid de *Borbetomago* conſtitues, quam unanimi conſenſu illuſtriores Geographi definiverunt *Wormatiam*, &, omnibus circumſtantiis perpenſis, recte definiverunt? Ita evidenter ſatis, niſi fallor, probavimus, Rufacum noſtrum, Alſatiæ, & *Mundati* ſuperioris, oppidum, à Ptolemæo Rufianæ nomine indicatum noo eſſe. Medio demum ævo originem hujus oppidi adſcribendam arbitramur. Ad idem ævum refertur *Rufiacum* illud *Caſtrum*, quibusdam *Rufeum*, nonnullis *Rufacum* dictum, ab urbe Veſontina X. Mill. Paſſ. diſtans: quod etiamnum vicus in Sequanis eſt, *Ruffei* vulgo nuncupatus, quem Unio flumen (*L'Oignon* vel *l'Oignon*) alluit. (*n*) Roſiacum vel Rufiacum villam, Carolino ævo celebrem, in Lemovicis ſitam, ut & alia ejusdem fere nominis loca, prætereo, quod nec Alſatiam noſtram, nec Romanam Periodum, reſpiciunt.

§. CXLVI.

Hic rerum Geographicarum Alſatiæ Raurico-Sequanicæ, ſive ſuperioris, ſtatus fuit, ſub Romana Periodo. Transimus ad Triboco-Nemeticam, ſive interiorem Alſatiam, in qua primo loco occurrunt Alſatiæ inferior. loca.

TRIBOCI.

Qui à finibus Sequanorum eorumque urbe poſtrema, Argentouaria, ad Mediomatricos, vel qui illis deinceps ſucceſſerunt, Tribocos progreſſi ſunt, primum in itinere obvius ipſis fuit locus notabilis

HELVETUS.

Helvetus, ad Elli fluminis dextram, tribus à Seleſtadio, ſeptem ab Argentouaria veteri, leucis Francicis diſtans; quem Ptolemæus *Helkebnon*, (*o*) Tabula Theodosiana *Helellum*, Itinerarium vero diverſis in itineribus, quæ infra indicamus, *Helvetum* conſtanter appellat, quam nominis formam nos quoque ſupra (*p*) jam ſumus ſecuti; Philippo Cluverio (*q*) licet neutra ex his tribus placuerit, qui ex illis quartam, ſed præter neceſſitatem, effinxit, nempe *Helvelum*; nemine, quantum novi, illius partes ſequente. Helvetus.

(*i*) *Geograph. Antiq.* II. Cap. III. pag. 303.
(*l*) *Notitia Galliarum* pag. 487.
(*m*) *Deſcriptio Germaniæ*, inter *Opera* Pirckheimeri à Goldasto edita.
(*n*) Hadr. Valesius in *Notitia Galliar.* pag. 487.
(*o*) *Geograph.* Lib. II. Cap. IX. ubi in Tribocis ab eo ponitur: Ἑλκεβος, unde Latinum formatur *Helkebus*. Phil. Cluverius, ingenio ſuo ſæpe nimis indulgens, abſque ulla Codicum auctoritate à ex ultima ſyllaba in ſecundam transponit, in locum literæ κ, quam ejicit; transpoſitæ vero literæ β ſubſtituit λ, unde Ἑλβελος, *Helbelus* vel *Helvelus* oritur. Sed quid converſionibus his opus?
(*p*) Lib. I. §. XXXIX. pag. 54.
(*q*) *Germania Antiqua* Lib. II. Cap. XI. pag. 38. & 39. ubi & conjicit flumen Ellum olim dictum *Helmel* & *Hellel*, quod poſtea contractum ſit in *Ell*.

§. CXLVII.

Beati Rhenani conjectura.

Quodſi Beati Rhenani conjecturas ſequi vellemus, Ptolemæi *Helkebus*, quem *Elcebum* vocat, idem cum Itinerarii *Helveto* locus quidem foret, ſed à Tabulæ *Helello* diverſus, eique Elcebo aſſignandus eſſet locus duabus Francicis leucis ſupra Helellum, una leuca infra Seleſtadium ſitus. "Ego ſtetiſſe ſuſpicor, ait, (*r*) inter Seleſtadium „ & Ebersheimium, quod ſic appellatum conjicio, quaſi *Ebsheimum*, idque deinde „ vulgus in *Ebersheimum* ſuo more detorſit." Sed &, ut Seleſtadii ſui origines ab hoc Helkebo deduceret, addit: "Poſſibile eſt etiam Elcebenſium partem ad ſuperiorem „ Elli fluminis ripam commigraſſe, ubi Seleſtadium hodie conditum videmus." Conjecturæ ſuæ pondus accedere credidit Rhenanus, quod Seleſtadium medio ævo *Selceſtat* appellatum fuiſſe invenit, in qua medii ævi appellatione veteris Elcebi nominis lineamenta quædam reperire ſe putat: quum cogitare debuiſſet, Ptolemæum ſcripſiſſe Ἑλκηβος, cum ſpiritu denſo, & cum κ; unde *Helkebus*, non *Elcebus*, oritur, omniſque adeo vocum ſimilitudo abit in fumum. (*s*) Rhenani tamen auctoritas multos induxit, ut non modo *Elcebum* pro *Helkebo* ſcriberent, ſed & veterem illum locum, in Ellenſi vico quærendum, in Seleſtadio quærerent. Hos inter eſt Josias Simlerus, (*t*) Bertius, (*u*) Ortelius, (*x*) Hadrianus Valesius, (*y*) nec diſſentit Cellarius. (*z*) Verum operam ſuam perdit Rhenanus, quando Helkebum Ptolemæi & Tabulæ Helellum ſeparata omnino loca fuiſſe nobis perſuadere conatur. Si diverſa nominis ſcribendi ratio diverſitatem locorum inducit, cur non & ſuus peculiaris Helveto Itinerarii locus, ab Elcebo Rhenani Helelloque Tabulæ diverſus, definitur?

§. CXLVIII.

Situs loci.

Rei totius ſumma hæc eſt: Inter Argentouariam & Argentoratum nonniſi unum memorabilem locum Ptolemæus, Itinerarium & Tabula Theodoſiana, agnoſcunt, at aliqua cum differentia nominis. Inter duas has urbes unicus quoque locus exiſtit, ubi multiplicia oppidi majoris cernuntur rudera; quidni ad hunc locum referamus Helvetum, à tribus his Auctoribus vario modo inflexum? Præferenda enim cæteris videtur forma, quam Itinerarium habet, *Helvetus*. An forte *Helvetum*? Libellus ablativo caſu nomina quum proferat, (*Helveto*) rem dubiam relinquit: at Helkebus Ptolemæi, Argentoratus Ammiani, ſuadere videntur, ut Helvetus præferatur. Locus hic in Itinerario ſemel inter Argentouariam & Argentoratum, bis inter Montem Briſiacum & Argentoratum, ponitur; Argentouaria præterita. Quodſi autem in nominis ſcriptione Itinerarium ſecum concordat, in deſignanda locorum hujus tractus diſtantia ſibi ipſi mire contrariatur. Monte Briſiaco enim ad Helvetum uſque uno in itinere Mill. Paſſ. XXVIII. Leg. XVIII. vel XIX. in alio Mill. Paſſ. XXV. vel XX. ſcribuntur. Alibi ab Argentouaria Helvetum Mill. Paſſ. VI. vel VII. computantur. Vicum *Ell*, qui Elli fluminis dextræ adjacet, è regione Benfeldæ oppidi, nomine Helveti notari, Geographorum juniorum fatentur plerique. Hæc cum Itinerarii menſura XXVIII. Mill. Paſſ. ſive XVIII. leugarum Gallicarum, quæ inter *Briſacum* & vicum *Ell* novem milliarium Francicorum diſtantia eſt, ſatis conſpirant. At Argentouaria Helvetum, quod nonniſi VI. aut VII. Mill. Paſſ. Itinerarium computat, in eo manifeſtus eſt error, quum ſeptem milliarium communium Franciæ vera diſtantia ſit, quæ XIV. minimum Gallicas leugas & XXI. milliaria Romana vetera conficiunt. Quodſi ab Helveto Argentoratum progrediamur, hic demum magna ſe diſcordia aperit. In uno enim Itinere (*a*) Helveto XXX. Mill. Paſſ. Argentoratum uſque indicantur; in altero (*b*) tantum XII. Mill. Paſſ. in tertio (*c*) autem Mill. Paſſ. XXVIIII. Leug. XVIIII. (*d*) uti Codex Regius ſeculi noni numeros exprimit.

Ab Itinerario tranſimus ad Tabulam. Hæc orthographiam nominis immutat, & pro *Helveto* ponit *Helello*; uti ſupra notatum. Diſtantias autem ita ordinat, ut Helellum inter, Argentouariam & Argentorate, computet XII. Mill. Paſſ. utrimque. Leucas, ex hypotheſi ſupra notata, ſi intelligas, exacte definitum eſt intervallum inter Helellum & Argentorate,

(*r*) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 284.
(*s*) Addit porro Rhenanus, *Tadt* Alemannis *tractum* denotare, hocque mon ſyllabum vocabulum loco *bus* acceſſiſſe, ita ut ex Elcebus *Elceſtadt* pro-gnaſceretur, cui denique ſibilus additus progenuit *Selceſtadt*.
(*t*) In *Scholiis ad Itinerar. Provinciar.* pag. 261.
(*u*) *Germania* Lib. I. pag. 199.
(*x*) *Theſaur. Geogr.* voce: *Elcebus*.
(*y*) *Notitia Galliar.* in voce: *Helellus*.
(*z*) *Geographia Antiq.* Tom. I. Lib. II. Cap. III. pag. 300.
(*a*) A Mediolano Argentoratum per Alpes Grajas pag. 350. Edit. Weſſeling.
(*b*) A Mediolano Mogontiacum per Alpes Penninas pag. 354.
(*c*) A Tauruno pag. 252.
(*d*) Cel. Wesselingius, quum Codicem hunc ignoravit, alios ſecutus *Leg. IX.* habet, qui numerus millibus paſſuum minime adæquatus eſt.

Argentorate, quæ urbs ſex leucis Francicis, hoc eſt, duodecim Gallicis diſtat Helello. In diſtantia vero hujus Helelli ab Argentouaria peccat unius horæ defectu. Quum itaque in ſignandis horum locorum milliariis in Itinerario manifeſta contrarietas ſit, præferendæ ſunt rationes Tabulæ, quæ ab Argentorato per XII. leugas nos ducit Helellum; hæcque ipſa diſtantia eſt à vico *Ell*, in cujus nomine quis non veteris Helelli deprehendit reliquias? Geographus Ravennas (*e*) medio ævo locum appellavit *Alaja*, quod nomen eo magis huc pertinere videtur, quoniam vicus *Ell* in ſequentibus ſeculis vocatur *Elegia*, *Elaja*.

§. CXLIX.

Loci deſcriptio.

Inter priſca Alſatiæ oppida Helveto locus denegari non poteſt; cui ſitus ad Ellum, ſitus inter Argentouariam & Argentoratum, divitias & copiam rerum afferre potuit: ad illud enim non modo iter pedeſtre per mediterranea, quod Itinerarium indicat, ſed & iter per Ellum flumen ad Argentoratum & ad Rhenum, deduxit; quod præſidiis Romanis, ad Rheni ripam poſitis, exercitibusque Romanorum, proficuum fuerat. Jodocus Coccius (*f*) conjicit, apud Helvetum Tribocorum quoque fuiſſe ſtativa Romana; nec ego repugno, quod eadem ratio pro Helveto, quæ pro Argentouaria, pugnat. Locus hic præſidio munitus cum Brocomago, in mediterraneis quoque ſito, una cum Argentorato, quæ etiam Rhenum cuſtodivit, Tribocos in fide continuit, & Germanos trans Rhenum ab irruptione defendit. Non enim plus quam duarum horarum itineris ſpatio Helvetus diſtat à Rheno. Sed & ſtativa hæc, inter Rhenum Vogeſumque poſita, ad compeſcendos Lingones, populum ferocem & ad arma paratum, qui ad oppoſitum Vogeſi latus habitaverant, opportuna fuerunt. Mirum ergo non eſt, Ptolemæum, qui nonniſi loca notabiliora annotavit, noſtri quoque Helveti, ſub Helkebi nomine, feciſſe mentionem.

Monumenta Romanorum.

Ex flore ſuo decidit Helvetus ſeculo V. quo commune cum omni ſuperioris Rheni ora ſubiit fatum. Locus Vandalorum, Alemanhorum & Attilæ irruptionibus deſtructus, atque in tenuem denique villam redactus, quæ à longo jam tempore Argentoratenſi Epiſcopo ejusque Benfeldenſi Judici ſubeſt: primam veteris nominis ſyllabam retinens *Ell*, quod cum ipſo fluminis, cui adjacet, nomine habet commune. In Helveti hujus veteris ruinis jam ab aliquot ſeculis vaſorum fictilium, ollarum, laterum, aliarumque ex Romana antiquitate rerum, reliquiæ & magna Romanorum numismatum copia, eruuntur. Sed & variæ Deorum Dearumque imagines, lapidibus inſculptæ, ibi olim repertæ fuerunt: quarum unam, Palladis cum peplo, ut & Inſcriptionem, ibidem inventam, inter monumenta producimus. Reliquæ temporis injuria detritæ, Recollectorum Cœnobii, quod ibidem eſt, muro inſertæ ſunt, ubi etiamnum extant. Templum Mercurio ſacrum Helveti ſtetiſſe, vetus apud Alſatas traditio eſt, quod S. Maternus, (*g*) à Divo Petro ad Evangelium in Alſatia prædicandum miſſus, deinceps everterit, qua de re infra in rebus Eccleſiæ.

§. CL.

Beati Rhenani Teſtimonium.

Subjungam, quæ de Helveti veteris ruderibus ævo ſuo, hoc eſt, ante ducentos jam annos, annotavit Rhenanus; (*h*) qui in Seleſtadio ſuo, quod nonniſi trihorii itinere ab Helveto diſtat, degens ruinas has, tum minus dirutas & adhuc magis extantes vidit; vidit quidem, ut eruditus & antiquitatis curioſus, ſed non ſatis curioſus. Generali enim deſcriptione contentus, nullum nobis Monumentum, Inſcriptiouem vel nummum, ſpeciatim deſcribit, quod & in Argentouariæ ruinis delineandis fecerat. Ita autem ille: " Dici vix poteſt, quantum Romanæ vetuſtatis illic appareat. Viſuntur ſimulachra „ ſculpta, Mercurii, Dianæ, & aliorum Deorum, muris templi inſerta. Oſtendunt „ etiam ſeſe teſtudines ſubterraneæ ruſticis agros arantibus. Sed non vacat pauperibus, „ nec fruſtra libet, terram altius ſcrutari; quorum illic habitant pauculi piſcatores & „ pauciores adhuc agricolæ. Nomismatis æreis illic nihil crebrius, ſed & argentea „ aureaque narrant inventa. Quodſi eſſent, qui terram alicubi, nunc dumetis & nemo- „

„ ribus

(*e*) Lib. IV. Cap. XXVI. ubi: " Juxta ſupra- „ ſcriptam civitatem Stratisburgo, id eſt, Civitas, „ quæ dicitur *Alaja*, *Chorusſ*, *Ziaberna*. „ Eckhardus in *Diſſert. de Apolline Granno* pag. 21. exiſtimat, Ravennatem Geographum vicum *Ell* deſignaſſe.

(*f*) In *Dagoberto* Cap. IV. pag. 27.

(*g*) Ichtersheim *Topogr. Alſatiæ* pag. 56. Beatus Rhenanus *Rer. Germ.* Lib. II. pag. 159. ait: " De Materno, qui hic Divi Petri juſſu doctrinam Evangelicam primus enuntiaverit, non puto „ prorſus in nem eſſe famam. Apud Hellum vicum, „ tribus milliaris à Seleſtadio diſtantem, adhuc „ conditorium oſtenditur, in quo jacuerit mortuus „ aliquandiu, ſed mox vitæ reſtitutus, ut adhuc „ Treveros Agrippinenſesque erudiret." De tempore „ dubito, de re ipſa ſatis certus.

(*h*) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 309.

„ ribus obductam, diligenter effoderent, miranda adhuc antiquitatis monumenta proferri
„ in lucem poſſent, quæ manent hodie ſepulta. In cauſa eſt, quod Romanorum
„ militum hyberna apud Hellum fuere. Erat autem convenientiſſimus locus ad militare
„ præſidium pro Tribonorum tutela, primum propter agri fertilitatem, deinde quod
„ propemodum in meditullio regionis conſtituti facile poterant ad limites excurrere,
„ prout res poſcebat, vel ſupra Elcebum verſus Sequanos, vel infra Brocomagum,
„ præſertim autem ad Rhenum propter Alemannos.

In eadem villula haud procul ab Elli ripa Cœnobium hodie eſt Regulæ S. Franciſci Recollectorum, quod olim Guilielmitarum Ordini fuerat ſubjectum. Murus, qui Monaſterium hoc & præſertim hortum ejus circumdat, veteres hinc inde Lapides continet, quibus Numinum, apud Romanos cultorum, imagines repræſentantur. In Helveti ruinis plures adhuc lapides literati reperirentur, niſi Benfelda vicina quum Tricennali bello fortiter muniretur à Suecis, magna eorum copia, ex Helveti rudenbus protracta, ad munitiones illas fuiſſet adhibita. MATTHIAS SCHURERIUS, Seleſtadienſis, Vir Doctus & ſimul Typographus, primum in patria, dein Argentorati, in Libris quibusdam, quos Seleſtadii impreſſit, Helvetenſem ſe vocat; (*i*) nonnullos in errorem inducens, qui eum genus ſuum ex Helvetia trahere crediderunt. Sed & nos crederemus, Schurerium in Seleſtadio quæſiviſſe Helvetum, quod Seleſtadienſis ipſe Helvetenſem ſe vocat, niſi aliunde noſſemus, JAC. WIMPHELINGII, (*l*) popularis ſui, auctoritate fuiſſe ſeductum, qui Alſatiam olim *Helvetiam* vocatam fuiſſe ſibi perſuaſerat; & ipſe ÆNEÆ SYLVII auctoritate ad ſententiam hanc prius inductus, qui in *Europa* ſua (*m*) eam primus, quod ſcio, protulit: Geographiæ veteris rationibus licet aperte repugnet.

ARGENTORATUS.

§. CLI.

Auctores de Argentorato.

INclytæ hujus urbis ad Rhenum nec Strabo, nec Plinius, nec ullus alius ante Antoninorum ætatem Scriptor, mentionem fecerunt. Primus omnium, quod novimus, Argentoratum memoravit PTOLEMÆUS. Eam tamen ante Romanum, in his oris ſtabilitum, Imperium à Mediomatricis Gallis fuiſſe conditam, ex Celtico ejus nomine oſtenſum eſt ſupra. (*n*) PTOLEMÆUS (*o*) autem ſitum ejus pervertit, & in Vangionibus ponit Argentoratum, quæ in Tribocis ponenda. Id unum porro ex Ptolemæo apparet, quod *Leg.o Octava Auguſta* Argentorati præſidium fuerit. Nec aliud quid ex cæteris trium primorum ſub Romana Periodo ſeculorum, qui ſuperſunt, Hiſtoricis de Argentorato eruitur. At ſeculo IV. Argentoratus in veteribus Monumentis magis illuſtrari cœpit, poſtquam pugna illa Juliani cum Alemannis, haud procul à muris ejus, commiſſa fuiſſet. (*p*) Tum vero JULIANUS IMPERATOR, (*q*) AMMIANUS MARCELLINUS, (*r*) ZOSIMUS, (*s*) EUTROPIUS, (*t*) NOTITIA IMPERII, ITINERARIUM, TABULA THEODOSIANA, paſſim Argentorati mentionem injiciunt. Unde inferimus, locum hunc ante Romanam dominationem modicum ſatis fuiſſe, ſuaque ſub Romanis demum cepiſſe incrementa, quod & Argentouariæ & Helveto contigit: oppidis, quæ Romani Imperii limitem Rhenum contra inſultus Germanorum defenderant, quæque cum Alemannorum, Rhenum ſuperiorem infeſtantium, creſcente potentia creviſſe videntur.

§. CLII.

(*i*) Vid. ſupra pag. 34. Lib. I. J. II. not. (*q*)

(*l*) In *Germania cis Rhenum* pag. 1. & 9.

(*m*) Cap. XLII.

(*n*) Lib. I. §. XL. pag. 55. A Romanis tamen ut propugnaculum Rheni conditam fuiſſe Argentoratum, credunt plerique, atque inter hos LONGUERUS in *Deſcript. Franciæ* Lib. II. pag. 222. In errorem omnes induxit nominis forma, quam Latinam Romanos auctores loqui exiſtimarunt.

(*o*) *Geograph.* Lib. II. Cap. IX.

(*p*) Hanc infra in Annalibus Alſatiæ Romanæ deſcribimus.

(*q*) *Epiſtola ad Athenienſes* pag. 972. Opp. ubi Τεῖχος, munimentum, ſive Caſtellum, appellatur, vicinum radicibus Vogeſi.

(*r*) *Hiſtoria* Lib. XV. Cap. II. & Lib. XVI. Cap. II.

(*s*) *Hiſt.* Lib. III. Cap. III. pag. 241. [illegible] *Prope urbem Argentora, ſitam ad Rheni ripam.*

(*t*) Apud PAULUM DIACONUM *Hiſtor. Miſcell.* Lib. XI. Eutropius ſub Juliano Cæſare militavit: Paulus Diac. ſeculo IX. eum ſupplevit & continuavit. Dicitur ibi: " Facta congreſſione cum modicis copiis
„ Romanorum apud Argentoratum, Galliæ urbem,
„ ingentes copias hoſtium extinxit.

§. CLII.

Nomen autem *Argentorati* diverſo modo à Veteribus exprimitur. Apud PTOLEMÆUM Geographum, qui primus eam, uti dictum, recenſet, Græce vocatur Ἀργεντόρατον, *Argentoratum*, eique ſtatim ſubjungitur Βρευκόμαγος, *Brocomagus*, nominandi caſu utrumque vocabulum, unde neutro genere Argentoratum à Ptolemæo ſignatum concludimus. AMMIANUS MARCELLINUS vero fœminini generis nomen hoc facit, ubi ait: *Argentoratus barbaricis cladibus nota.* HIERONYMUS (*u*) dubios hac in re Lectores relinquit. JULIANUS Imperator ultimam ſyllabam omittit, ponitque Ἀργεντόρα, *Argentora*, (*x*) quod & ZOSIMUS repetit. TABULA THEODOSIANA, ut & *Capitulatio de Nominibus Regionum Galliæ*, habent *Argentorate.* (*y*) Itinerarium, quod cæteris frequentius de Argentorato loquitur, quum, diſtantias locorum annotans, more ſuo ſemper nomen ſexto caſu exprimat, de genere ejus nihil inde certi concludere poſſumus. CASSIODORUS, (*z*) qui An. DXIV. claruit, *Argentoratum* appellat. Adelbertus, Alſatiæ Dux, & Lotharius Imperator, ſeculis VIII. & IX. in Literis, Abbatiæ S. Stephani datis, (*a*) Argentoratum in *Argentoracum* corruperunt. Formam hanc corruptam tamen prætulit THOMAS WOLPHIUS junior, (*b*) & eum ſecutus celebris Argentoratenſium Typographus, MATTHIAS SCHURERIUS; qui ſeculo XVI. in aliquot libris impreſſis in rubro poſuit: *Argentoraci.* GRUNINGERUS vero, alius hujus urbis ejusdem ætatis Typographus, vocis ſcripturam in *Argentoragum* mutavit. (*c*) Typographi hi, quos inter prior ab eruditione laudatur, à corruptis Ptolemæi & Ammiani Codicibus decepti fuerunt. GUILLIMANNUS (*d*) exiſtimat, Argentoracum ea terminatione dictum, qua Rauracum, Briſacum, Brocomacum &c. Genuinum nomen Argentoratus in uſum tamen mox revocatum eſt. *Argentinæ* appellatio autem nonniſi ævo Carolino invaleſcere cœpit, atque deinceps toto medio ævo ita invaluit, ut genuinum *Argentoratus* nomen plane ſepeliretur; donec illud una tamen litera, uti vidimus, immutata, in hominum memoriam revocaret THOMAS WOLPHIUS junior, (*e*) bonarum Literarum reſtaurator apud Argentoratenſes; in Italico itinere mortuus Romæ An. MDIX.

Nomina diverſa.

§. CLIII.

Scilicet ſuperioribus ſeculis invaluerat opinio, Argentorati ærarium habuiſſe Romanos, unde militum exſolverentur ſtipendia, (*f*) quum nihil hujus rei ex Scriptoribus appareat. Rationalem ſummarum in Galliis habuiſſe Romanos, & Præpoſitum Theſaurorum apud Treviros, atque etiam Procuratorem Monetæ, ex Monumentis veteribus diſcimus. Pecunia, qua Comiti Argentoratenſi in ſtipendia Militum opus erat, vel Magonciaco vel Treviris mittebatur. Scilicet, quum *Argentinam* verum urbis nomen reputarent, atque originis Romanæ, hoc eſt, Latinæ, eſſe reputarent, ab *Argento* haud dubie derivandum eſſe exiſtimaverunt. Imo nomine genuino *Argentoratus* reſtituto, obtinuit tamen apud pleroſque Eruditos ſententia, originis illud eſſe Latinæ: quod Schilteriana etymologia, de qua infra loquimur, ſatis teſtatur. (*g*) Quodſi genuina eſſent Concilii Agrippinenſis, circa ſeculi IV. medium habiti, Acta, quibus Amandus *Argentinenſium* Epiſcopus ſubſcripſiſſe perhibetur, (*h*) *Argentinæ* nomen medio ævo antiquius eſſet dicendum; ſed quum Acta hæc dubiæ prorſus fidei ſint, uti infra docebitur, exemplum hoc non inducere nos poteſt, ut mutemus ſententiam. Carolino autem ævo EDDO in *Teſtamento* ſuo (*i*) ſe vocat *Argentinenſis Urbis* Epiſcopum, atque

Ratio diverſitatis.

(*u*) *Epiſtola ad Ageruchiam*, ubi de irruptione Vandalico-Suevica anni CCCCVI. loquitur. Item in *Chronico* EUSEBII ad An. CCCLVIII. pag. 184. ubi ait: "Magnæ Alemannorum copiæ apud Argentoratum, „ oppidum Galliarum, à Cæſare Juliano oppreſſæ.

(*x*) In Codicibus MſC. quidem Ἀργεντόρα loquitur, ſed corrupte, quod ex Zoſimo patet, ubi Ἀργεντόρατα.

(*y*) Capitulatio hæc ex Thuanæa Bibliotheca prodiit in DU CHESNE *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. I. pag. 7. Sed Argentoratus hic cum Argentouaria confunditur, ut ſupra §. CXXVI. pag. 193. dictum.

(*z*) In *Chronico* ſub Coſs. Conſtantio IX. & Juliano Cæſ. II. "Magnæ Alemannorum copiæ apud „ Argentoratum, oppidum Galliarum, deletæ ſunt.

(*a*) SCHILTERI *Obſervat. ad Kænigshov.* pag. 527.

(*b*) Teſte BEATO RHENANO *Rer. German.* Lib. III. pag. 319.

(*c*) Vide *Geographiam Ptolemæi* ab eo Latine editam in fol. An. MDXXV.

(*d*) *Epiſcopor. Argent.* pag. 7.

(*e*) BEATUS RHENANUS loco cit.

(*f*) HIERONYMUS GEBVILERUS in *Panegyri Carolina* pag. 23. ait: "Legionarius miles hinc inde ad „ Rheni ripas in Galliis per hiberna diſtributus fuit, „ iisque Legionariis militibus, quidquid ſtipendii „ ſolvebatur, hoc totum Straſburgi expenſum eſt.

(*g*) Vide etiam quæ ſupra de Etymologia Argentorati in Periodo Celtica dixi, Lib I. §. XI. pag. 55.

(*h*) Tomo II. *Conciliorum* Labbeanæ Edit. pag. 615. Notandum in aliis Actis, quæ ex SERVATII Epiſcopi Tungrenſis *Hiſtoria* deſumta ſunt, eundem Amandum *Argentoratenſium* Epiſcopum vocari. Vid. ibidem pag. 618.

(*i*) In Teſtamento Eddonis hoc bis occurrit nomen *Argentinenſis*, initio ejus *Argentinenſis Urbis*, in fine *Argentinenſis Civitatis*, fit mentio: in medio autem Civitas *Straſburga* vocatur. Vide GUILLIMANNUM in *Epiſcopis Argent.* pag. 106. ZACHARIAS Pontifex in *Literis* ad nonnullos Epiſcopos, circa eadem tempora ſcriptis, Heddonem hunc quoque *Straſburgenſem* Epiſcopum vocat, claro indicio, utrumque Civitatis nomen tum fuiſſe in uſu. GUILLIMANN. loco cit. pag. 101.

GEOGRAPH.

atque in fine addit, teſtamentum ſe condidiſſe in civitate *Argentinenſi*, III. Idus Martii anno XI. regnante Domino noſtro Pippino, glorioſo rege, qui annus Chriſti eſt DCCLXII. *Notitia Galliarum* ævi incerti; denarii item argentei quidam, ſub Ludovico Pio cuſi, (*l*) ut & HERMANNUS CONTRACTUS, (*m*) & ANONYMUS URSTISIANUS, ALBERTI AROENT. *Annalibus* præfixus, (*n*) cæterique omnes mediorum temporum Scriptores, *Argentinæ* nomine utuntur. RAVENNAS GEOGRAPHUS (*o*) ex ſeculo VII. & NITHARDUS (*p*) ex ſeculo IX. Scriptores, Argentoratum noſtram perverſe omnino *Argentariam* vocant, veteremque Argentouariam cum ea manifeſte confundunt. Argentouaria enim ab HIERONYMO (*q*) & AMMIANO MARCELLINO (*r*) Argentariæ quoque nomine ſignatur. In RUBERTI Antiſſiodorenſis Chronico, quod in anno MCCX. deſinit, *Civitas Argentinum, id eſt, Straburch*, ſed vitioſe memoratur. Non inanis ergo BEATI RHENANI (*s*) conjectura eſt, ubi ſcribit: "Argentoratum in Argentinam nobis mutarunt Monachi & Notarii, „ quod hæc vox brevior ſit, ac commodior ſuaviorque pronuntiatu. Iidem Magon- „ ciacum in Magonciam, & Confluentes in Confluentiam, verterunt.

§. CLIV.

Alia nomina.

De Argentorati noſtræ nominibus id porro annotamus, eam gentis, cujus caput fuerat, nomen nunquam induiſſe; licet hoc plerisque in Gallia, & urbibus quoque Alſatiæ vicinis, Auguſtæ Rauracorum, Divoduro Mediomatricorum, Durocortoro Rhemorum, Auguſtæ Trevirorum, item urbibus primariis Nemetum, Vangionum, Lingonum, contigerit; quarum urbium prior *Rauraci*, poſterior *Mediomatrici*, appellatæ fuerunt; quum tamen in Mediomatricorum citeriorum, ſive Rhenenſium, locum Triboci ſucceſſerint. Quodſi ergo Argentoratus unquam appellata fuit *Triboci*, nominis hujus memoria plane intercidit. Rei, quam proferimus, veritatem AMMIANI locus (*t*) adſtruere videtur: "Prima Germania, (ait) ubi præter alia Municipia Mogontiacus „ eſt, & Vangiones, & Nemetæ, & Argentoratus &c. „ Vangiones & Nemetæ hic pro Wormatia & Spira urbibus ponuntur: quodſi Argentoratus tum appellata fuiſſet, *Triboci*, Ammianus Vangionibus & Nemetibus Tribocos, potius quam Argentoratum, junxiſſet. Addo his HIERONYMI (*u*) locum, ubi ait: "Rhemorum urbs „ præpotens, Ambiani, Atrebates, Tornacus, Nemetes, Argentoratus, tranſlati in „ Germaniam. „ Ne in recenſendis Argentorati nominibus omiſiſſe quid videar, inſuper obſervo, nonnullis fuiſſe perſuaſum, urbem olim non Romanum modo nomen *Argentinæ*, ſed & Germanicum *Silberthal*, eodem tempore ſub Romanis geſſiſſe. MARTINUS CRUSIUS, (*x*) Tribocos Germanos nomen quoque idiomatis ſui principi urbi ſuæ indidiſſe, veriſimile eſſe exiſtimat, idque tanto magis, quod ab ærario Romanorum, ibi ſervato, prognatum eſſe nomen Latinum perſuaſio olim fuit communis. (*y*) *Libri Torneamentorum* veterum, immutato paulum vocabulo, *Silbertinam* appellavere. (*z*)

§. CLV.

Etymologia quorundam.

Illis, quæ ſupra (*a*) de nominis Argentorati originibus Celticis dicta ſunt, pauca hæc addimus. BEATUS RHENANUS (*b*) Argentuariam & Argentoratum ab Argentore vel Orgentore quodam nomen accepiſſe exiſtimat. Admitterem conjecturam, ſi apud Sequanos atque Mediomatricos Orgetorigem quendam vixiſſe legeremus, uti apud Helvetios Orgetorix vixerat, quem nobis prodidit CÆSAR Dictator. (*c*) Intolerabilior eſt HENR. CHRISTIANI HENNINII (*d*) opinio, qua Argentorati ab Argenteo amne nomen deducit. Amnem ille hunc *Argens* & Argenteum amnem appellat, urbique putat vicinum. Mutata dein ſententia, ob amnium limpidiſſimorum confluentes ad urbem, Illæ nimirum & Poruſſæ, (ita vocantur ab eo Ellus & Bruſca) quos ob nitidas

(*l*) LE BLANC *des Monnoyes de France* pag. 108. & 110.

(*m*) In *Chron.* ad An. 1003.

(*n*) *Scriptor. Rer. Germ.* ab URSTISIO editi Tom. II. pag. 97. & ſeqq.

(*o*) Lib. IV. pag. 187.

(*p*) *De Diſſenſione filiorum Ludovici Pii* Lib. III. pag. 471.

(*q*) *Chron.* ad An. CCCLXXVIII.

(*r*) Lib. XXXI. Cap. X.

(*s*) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 320.

(*t*) Lib. XV. Cap. XI.

(*u*) *Epiſtola ad Ageruchiam viduam, de Monogamia*, quæ ordine XI. in Edit. Francof.

(*x*) *Annalibus Suevic.* Lib. VII. Part. I. Cap. X. pag. 183.

(*y*) KOENIGSHOVIUS in *Chron. Alſatiæ* pag. 427.

(*z*) BERNHARD. HERZOG in *Chron. Alſatiæ* Lib. VIII. Cap. I. pag. 41.

(*a*) Lib. I. pag. 55. ſq.

(*b*) In *Epiſtola ad Matthiam Erbium* in *Muſei Helvet.* Part. I. pag. 546.

(*c*) *De Bello Gall.* Lib. I. Cap. II.

(*d*) In *Notis* ſuis ad BERGIERIUM *de Viis Militaribus Romanor.* Lib. I. quæ leguntur in *Theſauro Antiquitatum Rom.* GRAEVII Tom. X. pag. 660. Etymologia hæc commune quid habet cum FISCHARTI ſententia, quam ſupra jam Lib. I. §. XLIII. pag. 56. confutavimus.

nitidas aquas argenteos nuncupat, nomen exortum eſſe prodit. Per flumen *Argens* vero Henninius intelligit *Argitiam*, (*die Ergers*) quæ prope Graveſtadium, ſeſquileucæ Francicæ diſtantia ab Argentorato, immergitur Ello. Sed quid hic amnis, mediocris, tam longe ſeparatus ab urbe, ad nomen ejus cudendum conferre potuerat? Num Ellus & Bruſca, qui ante ſuum ingreſſum in urbem junguntur, alia Alſatiæ flumina limpiditate præcellunt? & ſi præcellerent, quid inde ad nomen *Argenteum*; quando non Latina, ſed Celtica, origo in hac voce quærenda? His denique addas, quod Etymologiſtæ illi nullo documento oſteudant, flumen *Ergers* prope Graveſtadium apud veteres nomen *Argens*, vel *Argenta*, tuliſſe. Jacobo Car. Spenero, (*e*) Viro Doctiſſimo, alia tandem veriſimilis ſententia viſa eſt, quando & Argentorati, & Strateburgi, nominum eandem fuiſſe ſignificationem credidit; *Strateburg* Germanicam licet vocem, & Argentoratum Latinam, profeſſus. Utramque enim *Viarum Militarium cuſtodiam* denotare exiſtimat: Latinam tamen etymologiam diſtinctius vellem expoſuiſſet. Conjecturæ ſuæ non ſatis ſecurus mox addit: "Niſi quod fortaſſis maligna & intuta „ (à Germanico *Arg*) ſtrata, ſive ob præſidiarii militis, ſive ob Trans-Rhenanorum „ Barbarorum excurſiones, ſimul notetur.

§. CLVI.

Viæ ad Argentoratum urbem ſub Romana Periodo plures duxerunt, quarum has in Itinerario notatas reperimus. In itinere de Pannoniis in Gallias, à Sirmio Treveros usque, inter Montem Briſiacum & Tabernas, (Alſaticas) Argentoratus occurrit; ita ut à Tabernis Mill. Paſſ. XIV. (*f*) porro Auguſta Vindelicorum ad Argentoratum menſura itineris ibidem (*g*) Mill. Paſſ. CCCXXII. ponitur. Poſt hæc, in itinere per Ripam Pannoniæ in Gallias, Argentoratus inter Helvetum & Brocomagum recenſetur. (*h*) In eodem Itinerario (*i*) peculiare iter à Mediolano per Alpes Grajas deſcribitur; quod per Cenavam, (*Geneve*) Urbam, (*Orbe*) Veſontionem, Epamanduodurum, Largam, Montem Briſiacum, Helvetum, duxit Argentoratum. Computantur in hoc iter Mill. Paſſ. DLXXVI. Inde occurrit Argentoratus in itinere, quod ab eodem Mediolano per Alpes Penninas, per Octodurum, Aventicum, Salodurum, Auguſtam Rauracum, Cambetem, Argentouariam, Helvetum, Argentoratum, Saletionem, Tabernas, Noviomagum, Borbitomagum, ad Maguntiacum tendit. (*l*) Sed & à Lugduno, Batavorum oppido, peculiare iter deſcriptum extat, quod per Trajanam & Agrippinam Colonias, Bonnam, Treveros, Divodurum, ad Argentoratum dirigebatur, in quod iter Mill. Paſſ. CCCXXV. computantur. (*m*) Aliud denique iter peculiare ibidem occurrit, quod à Treviris Argentoratum pergebat, quod iter Mill. Paſſ. CXXIX. æſtimatur. (*n*)

Viæ ad Argentoratum.

§. CLVII.

Ex omnibus his Itineribus, ad urbem Argentoratum directis, concludimus, eam in illo Mediomatricorum Rhenenſium, deinceps Tribocorum, tractu ſitam fuiſſe, ubi exſtructum ſucceſſu temporis fuit Strateburgum: ad Ellum (*o*) nempe flumen, haud procul à Rheno, paulo infra confluentes Bruſcæ & Elli. Hunc ſitum veteris Argentorati aperte ſatis indicat locorum, in Itinerario ſignatorum, menſura atque diſtantia. Argentorato Tabernas, ut vidimus, Alſaticas Mill. Paſſ. XIV. computantur; atqui Strateburgum ſeptem milliaribus Francicis à Tabernenſi oppido diſtat, quæ quatuordecim leugas Gallicas efficiunt, quas in ora Rhenenſi ſub millibus paſſuum intelligi debere, oſtenſum eſt alibi. Quodſi alia documenta requiras, en tibi. Monte Briſiaco Argentoratum, itinere per Helvetum facto, XXVIII. leugæ computantur, (*p*) quæ XIV. milliaria Francica hodierna efficiunt, quot ſane Briſaco Stratburgum computantur. Strateburgum ergo eodem in loco ſitum eſt, quo Argentoratus antiqua. Nec facile ex Geographis junioribus celebrioris nominis ullus veteris Argentorati, uti Argentouariæ priſcæ, poſitionem vocavit in dubium. Firmavit eam conſtans quædam Scriptorum, per inſequentium ſeculorum decurſum, traditio. Gregorius Turonensis (*q*) ſeculo VI. jam dixit: *Ad Argentoratenſem urbem, quam nunc Strateburgum vocant.* Seculo VII. Ravennas Geographus ait: *Argentaria, quæ modo Stratisburgo dicitur.*

Situs Argentorati.

(*e*) *Notitia Germaniæ Antiq.* Lib. VI. Cap. V. pag. 299.
(*f*) Antonini *Itinerar.* pag. 239.
(*g*) Pag. 241.
(*h*) Pag. 252.
(*i*) Pag. 346. & 350.
(*l*) *Itinerar.* Antonini pag. 354.
(*m*) Ibid. pag. 368. & 372.
(*n*) Ibid. pag. 374.
(*o*) Elli fluminis nomen apud nullum Scriptorem Romanæ ætatis Græcum Latinumve reperimus.
(*p*) *Itinerar.* pag. 252.
(*q*) *Hiſtor. Francor.* Lib. X. Cap. XIX.

Specialius ſitum ejus ſeculo VIII. determinavit Adelbertus, Alſatiæ Dux, Ettichonis filius, qui S. Stephani Parthenonem circa An. DCCXLIV. inſtituens, in *Literis Dotationis*, à Lothario Imp. An. DCCCXLV. firmatis, ait: Cœnobium hoc ſe fundaſſe *inter ruinas veteris Argentoraci*. Nitharous denique ſeculo IX. hæc ſcribit: *Ludovicus & Carolus in Civitate, quæ olim Argentaria vocabatur, nunc autem Stratzburg vulgo dicitur.* Huc pertinent quoque denarii argentei, ſub Ludovico Pio cuſi, in quibus promiſcue *Stratburgus* & *Argentina Civitas* in parte poſtica reperiuntur. Nummos hos Muſeum noſtrum aſſervat; quos Blancius in Libro ſuo: *de Monetis Francicis*, (r) Gallice ſcripto, quoque repræſentat. Sed & Wernherus, Argentoratenſis Epiſcopus, in Charta anni MV. Monaſterium San-Stephanianum *infra ambitum veteris muri*, urbis nempe Argentoratenſis dirutæ, fundatum eſſe confirmat. (s) Veriſimilis conjectura, urbem verſus Rhenum tum magis fuiſſe extenſam, adeoque ripæ ejus propiorem. Indicare hoc videtur ænea illa Herculis ſtatua, de qua infra tractabitur, reperta inter urbem & regium Caſtellum, (*Citadelle*) ubi porta civitatis fuerat; quæ Templum ibi poſitum olim fuiſſe, Herculi dedicatum, perſuadere nobis poſſet. Templum extra muros urbis, contra Germanorum irruptiones munitæ, exſtitiſſe, non credimus. Paradoxæ ergo eorum ſententiæ nullatenus accedimus, qui in Graveſtadio vico, ſesqui-leucæ Francicæ intervallo ab urbe, veteris Argentorati ſitum ſe deprehendiſſe gloriati ſunt, nominis originatione inducti, quam modo confutavimus. (t) Quodſi illo in loco Argentoratus antiqua ſtetiſſet, nonnullæ Antiquitatis reliquiæ ibidem effoderentur ſubinde, quarum nihil unquam in illis apparet.

§. CLVIII.

Ambitus urbis.

Ambitum veteris Argentorati quod attinet, ejus nulla plane indicia jam pridem ſuperſunt. Speckliniana Delineatio, quam *Topographiæ Alſatiæ* Martini Zeileri Merianus adjecit, imaginaria prorſus eſt & ex ingenio conficta. Ex Specklini Schedis, Meriano transmiſſis, correctiorem paulo dedit Schilterus. (u) Sed ſola Koenigshovii (x) auctoritate omnes nituntur. Ex hujus relatione mœnia Argentorati Romanæ à Stephaniano ponte ad Turrim Judaicam, indeque juxta forum Equarium ad pontem usque Lapideum, deinceps recta via per aream, ubi Dominicanorum Monaſterium, processerunt ad porticum, quæ *Erbis-Lauben* appellatur, ubi iterum linea recta murus idem cum foſſa, qui adhuc exiſtit, juxta forum Piſcatorium ad pontem usque prope Macellum urbis progreſſus eſt. Ita primum Argentorati cinctum ſub Romanis Kœnigshovius deſignat. Sed ambitum hunc, cujus hodie pleraque veſtigia ſuperſunt, non tam ad veterem Argentoratum, quam ad vetus Strateburgum, quod prope dirutam Argentoratum ſurrexit, pertinere, non ſine ratione conjicio. Urbs, inſigni præſidio militari, tot fabricis omnium armorum inſtructa, peculiarem ſuum Comitem & Caſtellum munitiſſimum habens, ut potens contra hoſtes armamentarium eſſet: Urbs, commerciis florentiſſima, quod tot viæ, ad eam undique tendentes, demonſtrant; uno verbo, urbium ad Rhenum ſitarum ex præcipuis una, tam arcto mœnium circuitu num potuit includi? Veterem Argentoratum ad utrumque Elli fluminis latus, præcipue Rhenum verſus, imo etiam, quod Beatus Rhenanus (y) conjectat, verſus D. Galli ædiculam magis protentam fuiſſe credibile eſt: in hoc ſane ſuburbano tractu plura ſuperioribus ſeculis monumenta effoſſa Annales urbis noſtræ, manu exarati, teſtantur. Sed Argentorati Romanæ mœnium, ut dixi, rudera pridem perierunt.

Strateburgum, ſub Francis exſtructum, nonniſi aliquam veteris Argentorati partem ſeculo VIII. occupaſſe, ex Adelberti illius temporis Charta, jam allata, patet; quando Stephanianum Monaſterium *inter ruinas veteris Argentoraci* &c. *pro opportunitate ſolitudinis & juxta fluentis Bruſci fluvii*, exſtructum fuiſſe memorat. Atqui illo tempore Strateburgum jam extitit oppidum, quod Gregorius, Turonum Antiſtes, ſeculo VI. laudat, in eoque Childebertus, Auſtraſiæ Rex, ſederat. Conſequitur hinc, illam urbis regionem, ubi S. Stephani Eccleſia ſedet, tum extra oppidum Strateburgum, & quidem in ſolitudine fuiſſe, adeoque circuitum, quem Kœnigshovius deſcribit, quemque ex eo delinearunt Juniores, nonniſi noni, aut ſequentis, ſeculi eſſe. Kœnigshovianus enim ille

(r) Pag. 108.

(s) Charta hæc, ut & Adelberti, Ducis Alſatiæ, à Lothario Imp. firmata, extat in *Gallia Chriſtiana* Tom. V. pag. 464. & 468. inter Inſtrumenta. Item apud Schilterum in *Obſervat. VIII. ad* Koenigshovii *Chron.* pag. 526. & pag. 534.

(t) Adde ea, quæ Lib. I. jam hac de re diximus, §. XLIII. pag. 56.

(u) *Obſervat. XII. ad* Koenigshovii *Chron.* pag. 604.

(x) *Chron.* Cap. V. §. XIIX. & XX. Ampliationes urbis Argentoratenſis vide apud Albertum Argentinensem in *Chronico* ad An. 1374.

(y) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 317.

GEOGRAPH.

ille ambitus Stephanianam Eccleſiam manifeſte includit, quæ Adelberti Ducis temporibus, hoc eſt, ſeculo VIII. extra Strateburgum erat. Scilicet moris Alemannorum in regionibus noſtris, quas Romanis eripuerant, obſervamus fuiſſe, ut non in ipſis urbium deſtructarum ruinis, ſed in earum vicinia, novas ſuas habitationes facerent; unde aliæ paulatim urbes exortæ. Ex Argentouaria & Helveto ortæ ſunt Colmaria atque Benfelda, ab urbibus priſcis brevi diſſitæ ſpatio. Sed & ex his ſatis aperte patet, quam tennia Strateburgi veteris, ex Argentorati deſtructæ ruderibus paulatim reſurgentis, initia fuerint, cujus quippe ambitus longe minor, quam Kœnigshovianus modo deſcriptus. Scriptor hic itaque quum jure meritoque erroris ſit accuſandus, quod Strateburgi & Argentorati veteris areas manifeſte confuderit, quas à ſe invicem diſtinguere debuiſſet; repudiandum quoque omne illud Schema, quod Merianus, in *Topographia Alſatiæ*, repræſentat, in qua figmentis figmenta addita reperimus. Templum Apollinis ibi, neſcio qua fide vel auctoritate, adjectum eſt: ſed & inſuper in eadem Argentorati Romanæ area D. Stephani Eccleſia collocatur, nonniſi poſt everſam Argentoratum exſtructa.

§. CLIX.

An Argentorato Castellum additum.

Argentoratus ergo ſub Romanis urbs fuit ampla & probe munita; ſed id porro quærimus, an & peculiare Caſtellum habuerit munitum, prouti in veteri Rauracorum Auguſta id quoque notatum: ubi peculiaris hodieque locus in ruderibus urbis appellatur *Caſtellum*. Diceres noſtris id Caſtellis regiis comparari poſſe, quorum duo diverſa in ipſa urbe, maximum vero ad urbem, exſtructa noſtro jam ſeculo cernuntur.

Caſtellum tale munitum vel in urbe, vel ad urbem veterem, Argentorati ut ſtatuamus, non una ratio ſuadere videtur. Quodſi Kœnigshovii fide heic ſtandum, res indubia eſt; imo tam certa, ut D. Stephani Ædem Caſtello illi Romano inædificatam diſerte aſſerat, (z) ſilente licet Adelbertino Diplomate, quod de Argentorati, non de Caſtelli, ruinis loquitur. Rationi huic accedit, quod ſeculo IV. Comes Argentoratenſis præfuit urbi, cujus Caſtelli, quod inhabitavit, effigiem *Notitia Occidentalis Imperii* repræſentat. (a) Ab hoc Caſtello etiam, quod à Francis fortaſſe reſtitutum, aliove in loco erectum, Stratburgi oppidum, Argentorato deſtructæ ſuccedens, nomen ſuum accepit; quum vocabulum *Burg* Germanis idem, quod Caſtellum Latinis, ſignificet. Argumentis his poſſet ſuperaddi teſtimonium illud, ex veteri *Capitulatione de Nominibus Regionum Galliæ* (b) deſumptum, ubi inter nomina Baſiliæ & Rauracenſis Civitatum *Caſtrum Argentorate* memoratur. Sed rerum ordo ibi aliæque Notitiæ Galliarum, apud Cheſnium, docent, locum hunc eſſe corruptum, nec Caſtrum Argentorate, ſed *Caſtrum Argentarienſe*, (c) legi debere, quod Caſtrum ad Argentouariam veterem ſuperioris Alſatiæ, non ad Argentoratum noſtram, pertinet.

§. CLX.

Tempus Argentorati conditæ.

Conditæ Argentorati tempus quod attinet, illud ſane antiquius eſt, quam plerique crediderunt: nonnulli tamen anachroniſmo quoque peccant. Anachronicum eorum errorem ſupra memoravimus, qui Trebetam ſuum, Semiramidis filium, hic afferunt, eumque non Tribocicæ modo gentis noſtræ, ſed & Argentorati ipſius conditorem effingunt; quod DANIEL SPECKLINUS noſter facit, in Architectura & Alſatiæ Geographia ſane diligenter verſatus, in Hiſtoricis vero cœcus, & ipſe cœcos duces ſecutus. Hic enim Caſtellum *Trebesburg* eo in loco conditum, & à Conditore appellatum, fuiſſe putat, ubi Cœnobium S. Stephani eſt; Caſtellum autem hoc vetus ab Adelberto Duce deinceps deſtructum, ut exſtrueretur Cœnobium, & ab ipſa hac arce *Trebesburg*, nomen *Strasburg* fuiſſe exortum. (d) KOENIGSHOVII exemplum ſi ſecutus eſſet Specklinus, cautins ille hac de re pronuntiaſſet. Quanquam enim Trevericas origines à Trebeta repetat, Argentoratum tamen huc referre auſus non eſt. (e) Scriptores, qui poſt reſtitutam Hiſtoriæ lucem ſcripſerunt, anachroniſmum hunc quidem evitarunt, ſed errorem emendare conati in metachroniſmos delapſi ſunt; defectuque adeo peccarunt, quum priores peccaſſent exceſſu. Ad claſſem hanc referendi ſunt illi, qui ab uno ex L. Caſtellis Druſi, ad Rhenum contra Germanos

 exſtructis,

(z) KOENIGSHOVIUS in *Chron.* Cap. IV. §. XXI. pag. 238.

(a) Cap. LXXV. pag. 115.

(b) Apud DU CHESNE *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. I. pag. 7.

(c) Confer ibid. pag. 10.

(d) Specklini locum ex ejus *Collectaneis* exceptum vide apud SCHILTERUM *ad* KOENIGSHOV. *Obſ.* IX. pag. 556.

(e) KOENIGSHOVIUS *Chron. Alſat.* Cap. V. §. VIII. pag. 266.

exſtructis, Argentoratenſes derivant origines: ex quo caſtello urbem paulatim exortam eſſe crediderunt; (*f*) quod nos tamen ſupra confutavimus, ubi Argentorati origines derivandas à Celtis, adeoque Romana in his oris dominatione antiquiores eſſe, docuimus. (*g*) Mallem ergo Argentoratum inter urbes illas ad Rhenum recenſere, quas Druſus, antequam caſtella ſua exſtrueret, ad Rhenum munitas invenit, & obſidere capereque coactus eſt; qua de re Livii Epitomatorem (*b*) teſtem produco, qui ita ſcribit: *Civitates Germanæ, cis Rhenum & trans Rhenum poſitæ, oppugnantur à Druſo.* Si oppugnavit eas Druſus, munitas fuiſſe neceſſe eſt. In Romanorum poteſtatem redactæ, ipſæ dein, arcium inſtar, inſervierunt Romanis. Druſus autem quæ erexit caſtella, in partibus Rheni condidit, ubi nullæ civitates, tranſitusque Rheni Germanis facilis & opportunus fuiſſet.

§. CLXI.

Aliorum Opinio.

Multò intolerabilior eorum eſt error, qui ad Juliani vel Valentiniani I. tempora usque Argentoratum vicum perſtitiſſe, atque ab his Imperatoribus demum mœnibus cinctam fuiſſe, autumant; quod Bingio illis temporibus accidiſſe ex Auſonio diſcimus. Vir tamen immortalis famæ, Josephus Scaliger, (*i*) conjecturæ hujus coryphæus eſt, quod miror. Hic enim in *Auſonianis Lectionibus* docuit, Poetam, Treviros proficiſcentem, iter ſuum ab Argentorato inchoaſſe, quod à Bingio, in ipſo Navæ trajectu, inchoaverat. Ita enim Carmen ſuum Ausonius incipit:

" Tranſieram celerem nebuloſo lumine Navam,
„ Addita miratus veteri nova mœnia vico;
„ Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas,
„ Infletæque jacent inopes ſuper arva catervæ.

Ubi hæc Scaliger: "Auſonius, Argentorato Treveros proficiſcens, multum ac diu „ Argentoratum ipſum contemplatus eſt, admiratus nova mœnia, quibus ille vicus „ nuper circumdatus fuerat: cum paucis aliquot ante annis & illum vicum à Barbaris „ vaſtatum, & cruentam cladem ibidem Barbaris acceptam, meminiſſet. Nam à Cl. „ Juliano, nobiliſſimo Cæſare, ſub Conſtantio in campis Argentoratenſibus cæſæ fuerant „ infinitæ hoſtium copiæ. „ Scaligeri oculis nempe memorabile illud prœlium, quod apud Argentoratum cum Alemannis, ad internecionem ibi cæſis, Julianus commiſit, obverſabatur. Sed probe conſiderare debuiſſet Vir ſummus, pugnam Argentoratenſem cum Cannenſi comparari non poſſe. In hac enim cladem Romani perpeſſi ſunt, in altera cladem perpeſſi ſunt hoſtes Alemanni: at Romanorum cladem in Gallia ſatis clare Auſonius innuit. Adde, quod vox *quondam* tempus remotius denotat, quam exiguum illud intervallum, quod inter Juliani pugnam & Valentiniani patris, ſub quo *Moſellam* ſcripſit Auſonius, interceſſit Imperium. Poeta de Juliani pugna locuturus, voce *nuper* uſus fuiſſet, uti ſimili in caſu mox uſus eſt:

" Arvaque Sauromatum nuper metata Colonis.

Nec veritati plane conſonum, quod Scaliger addit: *Neceſſe ei, qui à Campis Argentoratenſibus Treveros proficiſcitur, Navam fluvium trajicere.* Via enim recta ab Argentorato per Bipontum, Limpacum, Ottvileram, Grimbergam, ad Auguſtam Trevirorum ducit, quo in itinere nusquam Nava (*l*) fluvius attingitur. Accedit, quod in tanta Argentorati diſtantia à Naha flumine, & in omni hoc intervallo, nullius interjacentis loci mentionem fecerit Auſonius; ille qui in multo breviore ſpatio, inter Navam & Noviomagum, ſilvas memorat & Dumniſſum & arentes circa terras, & Tabernas cum fonte, & Arva Sarmatis attributa.

Colligimus hinc, Auſonium Bingii, non Argentorati, nova mœnia miratum. Bingium, non Argentoratus, paulo ante Auſonianum iter, vicus fuit, à Juliano munitus. (*m*) Quam cladem vero circa Bingium acceptam indicarit Auſonius, Commentatores ejus diſpiciant: (*n*) nobis ſatis eſt contra Scaligerum oſtendiſſe, Argentoratenſem Alemannicam cladem huc referri non poſſe: cujus tempore Argentoratus nobilis jam & magna urbs fuit ad Rhenum, quod ex Ptolemæo, Zosimo

(*f*) Schilterus *ad Kœnigsh. Obſervat.* XI. §. VI. pag. 597.
(*g*) Lib. I. §. XL. 55.
(*b*) *Epitome Liviana* Lib. CXXXVII.
(*i*) *Auſonianarum Lectionum* Lib. I. Cap. I.
(*l*) Nava, Naha, unde pagus *Nabegouue* apud Weſtraſios, (*Weſtrich*) Germanis flumen *Nabe*, *Nobe*, *Nab*.
(*m*) Ammianus Marcell. Lib. XVIII. Cap. II.
(*n*) Nec res difficilioris inquiſitionis. Poſt Vitellii cædem, imperio Veſpaſiani nondum bene conſtituto, rerum novarum auctoribus Claſſico, Sabino, Tutore, Gallia Belgica præſertim deficiente, Duce Civili, Romanæ aliquot legiones cæſæ ſunt. Vide Tacitum *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LXX. ſq. Dionem Cassium Lib. LXVI.

ZOSIMO, (o) MARCELLINO, NOTITIA IMPERII, ITINERARIO ANTONINI, TABULA THEODOSIANA, jam ſupra probavimus. Poſtremi hi teſtes, licet ad Theodoſii M. tempora demum pertineant, rei tamen huic probandæ opportune allegantur. Sua luce hæc omnia quum radiare videantur, Scaligeri tamen ſententia VINETO, (p) GUILLIMANNO (q) atque SAM. SCHURTZFLEISCHIO, (r) fuit probata: at à FREHERO, (s) CLUVERIO, (t) OBRECHTO, (u) CELLARIO, (x) aliisque rejecta. Paulo ſuſius hæc nos tractaſſe non piget, vindicandæ quum fuerint origines & ſplendor antiquiſſimæ urbis; quem in Auſonianis Lectionibus Argentorato auferre conatus eſt Scaliger; cujus auctoritatem, re, uti videtur, non ſatis perpenſa, ſecuti ſunt plures; quibus graviſſimi ex Romana Antiquitate Hiſtorici, quos modo protulimus, Latini & Græci, erroris damnandi ſunt, antequam paradoxa hæc admittatur ſententia.

§. CLXII.

Argentor. ſtatus.

Veteris Argentorati ſtatum ſub Romanis quod attinet, in eo deſcribendo medii & junioris ævi Scriptores, tum Alſatici, tum exteri, varia ex ingenio confingunt. KOENIGSHOVIUS (y) præter caſtrum, de quo jam egimus, Romanorum quoque ærarium Argentorati fuiſſe exiſtimat, quem FRANC. IRENICUS (z) aliique paſſim ſecuti ſunt, *Argenti* vocabulo, quod priorem nominis partem componit, quodque originis Romanæ eſſe credebant, ad conjecturam inducti. Ingenioſior etymologia SCHILTERI (a) eſt, qui Argentariorum & Barbaricariorum (b) officinam veteri urbi adſcribens, Argentoratum *Argentariorum Actum*, ſive Fabricam, interpretatur. Sed conjecturæ hujus ædificium Celtica vocis origine, quam ſupra adſtruximus, evertitur. Nos veterem Argentoratum munitione, armamentario, milite præſidiario, fabricis, inſtructam fuiſſe novimus; quod in Civitate limitanea hæc omnino requirebantur & incrementorum ejus proxima cauſa fuerunt. Ex nomine Argentorati tamen eruere id nolim: Argentouariæ eadem ornamenta adſcribere deberes, quæ profecto urbium iſtarum conditores, Celtæ, quum illis nomen imponerent, prævidere non potuerant.

Ceterum illuſtres has Argentorati veteris prærogativas nonniſi ex ſeculi IV. finientis Scriptoribus (c) intelligimus. In illis qualis publicus Argentorati ſtatus fuerit, prorſus ignoratur. Hoc autem generatim cognoſcimus, ſecundo jam ſeculo urbem eam fuiſſe ex primariis unam, quod Legio VIII. Auguſta tum ibi præſidio erat; ut PTOLEMÆUS Geographus, (d) & Monumenta plurima Legionis hujus lateritia, Argentorati & circa urbem reperta, de quibus infra differemus, teſtantur. At in quam urbium claſſem relata fuerit, antequam Antoninus toti Orbi Romano jus Civitatis conceſſit, non liquet. In nullam Alſatiæ noſtræ partem (e) Colonia, quantum novimus, unquam fuit deducta, unde nec Argentoratus hac de re potuit gloriari. At Municipiorum in claſſe eam diſerte reputat AMMIANUS MARCELLINUS, (f) qui eam cum urbe Moguntiaco comparat, quod magni inſtar elogii eſt. "Prima Germania, (inquit) ubi præter alia Municipia „ Moguntiacus eſt, Vangiones, Nemetes & Argentoratus, barbaricis cladibus nota. „ Quodſi Ammianus *Municipii* vocabulum vero & proprio ſenſu intellexit, ſuis ſub Legibus & Magiſtratibus vixit Argentoratus, qui honorum in Urbe Roma fuere participes. Non inquiram in Ammiani ſtylum: nec quæſtionem movebo, an genuinum vocis ſenſum intellexerit exterus, ſtylo barbaro ſcribens. Id mihi ſufficit, Argentoratum in eadem cum Moguntiaco claſſe poſitam ab Ammiano. Quantæ dignitatis autem in Romanorum Imperio Moguntiacus fuerit, totius Germaniæ Primæ reputata metropolis, ignotum eſt nemini. In Sirmondiana *Provinciarum & Civitatum Galliæ Notitia*, quam reliquis omnibus Eruditi præferunt, Moguntiaco Argentoratus ſuccedit, hancque demum Nemetum Vangionumque Civitates excipiunt. (g)

(o) ZOSIMUS Lib. III. pugnam ad Argentoratum referens diſerte πόλιν, *urbem*, non κώμην, *vicum*, appellat, quod & MARCELLINUS Lib. XVI. facit.

(p) In *Notis ad Auſon.* pro Tabernis Alſat. ſtat.

(q) *De Epiſcopis Argent.* Cap. II.

(r) *Diſſert. Principium Moſellæ Auſonii* §. II.

(s) *Commentar. ad Auſonii Moſellam* pag. 3. Edit. Heidelberg. in fol.

(t) *German. Antiq.* Lib. II. Cap. II. & *de Tribus Rheni Alveis* Cap. XV.

(u) *Prodrom. Rer. Alſat.* Cap. IV. pag. 18.

(x) *Geographia Antiqua* Lib. II. Cap. III. pag. 272.

(y) *Chron. Alſat.* pag. 427. & in *Chron. Mſ. Lat.* fol. 4. b.

(z) *Exegeſ. German.* Lib. III. Cap. CX.

(a) In *Notis ad Kœnigshovii Chron. Obſervat.* XI. num. 14. pag. 600.

(b) Barbaricarii artem arma auro argentoque nitide induendi exercebant. Memorantur in COD. THEODOS. Tit. de *Fabricenſibus* Leg. I. Lib. X. Tit. XXII. Confer CANGIUM in *Gloſſario*, voce: *Barbaricum.* Fabrica talis fuerat Arelati.

(c) EX AMMIANO & *Notitia Imperii.*

(d) Lib. II. Cap. IX.

(e) COCCIUS in *Dagoberto* pag. 165. Sebuſium Wiſſenburgum Alſaticum eſſe, atque Romanam Coloniam extitiſſe, confidenter quidem aſſerit, ſed nullo nixus fundamento.

(f) Lib. XV. Cap. II.

(g) DU CHESNE Tom. I. *Scriptor. Rer. Francicar.* pag. 5.

“ Provincia Germania Prima, numero IV.
„ Metropolis Civitas Moguntiacenſium.
„ Civitas Argentoratenſium.
„ Civitas Nemetum.
„ Civitas Vangionum.

In hac Civitatum Rhenenſium recenſione politicum, non geographicum, ordinem fuiſſe adhibitum facile patet. Adde quod *Theodoſiana Tabula*, quæ ejuſdem fere ætatis, cujus Notitia hæc Galliæ eſt, ubi Argentoratum urbem depingit, eandem duarum Turrium imaginem pictam adjiciat, quam Moguntiaco, aliiſque hujus claſſis celeberrimis urbibus, adjectam videmus.

§. CLXIII.

Comes Argentoratenſis.

In alio ejuſdem fere ætatis monumento, quod *Imperii Romani utriuſque Notitia* vocatur, (*b*) *Comes Argentoratenſis*, *Vir ſpectabilis*, occurrit, ſub cujus diſpoſitione fuit *Tractus Argentoratenſis*. Prioribus tribus ſeculis, quum formula Imperii, ab Auguſto inſtituta, ſubſiſteret, Præſidi ſuperioris Germaniæ ſuberat Argentoratus, & ſeculo II. Præſidium in ea tenuit Legio Octava Auguſta, uti ſupra ex Ptolemæo didicimus. At inſtitutis ſub Conſtantino M. quatuor Præfectis Prætorio, inter quos Juriſdictio per omne dividebatur Imperium, Ducibus Comitibuſque per Provincias urbeſque creatis, Argentorato & Tractui ejus proprius Comes præfuit cum militum manu, *Comes Argentoratenſis* nuncupatus. Quodſi Municipiorum jure tunc uſa fuit Argentoratus, ut Ammianus id ſcribit, Comes in urbe Militaria tantum tractavit, non Civilia; quoniam Juriſdictio in Municipiis à propriis Magiſtratibus pendebat; atque inſuper Comitum Ducumque poteſtas militaris tum potiſſimum fuerat, quum & ipſi plerumque in limitibus ponerentur.

Argentorati Fabricæ.

Comiti Argentoratenſi præcipue ſuberat nobiliſſima Armorum omnium Fabrica, in illa urbe à Romanis ſtabilita. Fuit enim & hæc una ex præcipuis Argentorati decoribus, quod quum in ſeptem diverſis Galliæ urbibus Fabricæ armorum eſſent, ita ut in ſingulis certa armorum ſpecies elaboraretur, Argentorati generalis armorum omnium Fabrica fuerit, unde cæteris quoque Argentoratenſis præponitur. Fabricas *Notitia Imperii* (*i*) ita ordinavit:

“ In Galliis
„ Argentoratenſis Armorum omnium.
„ Matiſconenſis Sagittaria.
„ Auguſtodunenſis Loricaria.
„ Sueſſionenſis Scutaria, Baliſtaria & Clibanaria.
„ Rhemenſis Spataria.
„ Triberorum Scutaria.
„ Triberorum Baliſtaria.
„ Ambianenſis Spataria & Scutaria.

Nonnullæ ex his urbibus aliqnot Fabricas quidem habuerunt, ut Triberi, ſive Trevirenſes, duplicem, Scutariam nempe & Baliſtariam; Sueſſionenſes triplicem; Argentoratenſes vero omnis generis arma, cataphractas nempe, caſſides, enſes, ſpathas, haſtas, ocreas, manicas ferreas, loricas, clibanos, arcus & baliſtas, fabricaverunt: inſignis prærogativa, quæ ad urbis amplitudinem, divitias & opes, tribuerat plurimum. Nec diffitebor, Barbaricariorum ſive Argentariorum Fabricam apud Argentoratenſes quoque fuiſſe, quorum ars non in vaſorum argenteorum fabrica tantum conſtabat, ſed & diſtractores argenti quum eſſent, thoracas ahenos, leves ocreas aliaque, lento inducebant argento. Donatus (*l*) ait: “ Barbaricarii, qui ex auro coloratis filis exprimebant „ hominum formas, animalium & aliarum ſpecierum, imitabantur ſubtilitate veritatem. „ Codex Theodosianus (*m*) addit: *Qui Caſſides & bucculas tegebant argento & deaurabant.* Opera hæc appellata Barbarica & artifices Barbaricarii, quod à Barbaris emanaverant, Germanis puto. Tales Barbaricariæ Argentariæque fabricæ fuerunt Arelati, Rhemis Trevirisque. Dabo Schiltero (*n*) & Argentorati talem Fabricam fuiſſe, ob ejus affinitatem cum armis nitide fabricandis, modo id non ex nomine Argentorati eruere velis, quod placuit Schiltero.

§. CLXIV.

(*b*) Pag. 115. Edit. Pancir.
(*i*) *Notitia Imp. Occidental.* Cap. XXIX. pag. 60.
(*l*) *In Æneidos* Lib. VII.
(*m*) *Leg.* I. de *Fabricenſibus.*
(*n*) *Obſervat.* XL *ad* Koenigshov. §. XIV. pag. 601.

§. CLXIV.

Inter veteris Argentorati memoranda ſilentio denique transeundum non eſt, quod Germaniæ Cis-Rhenanæ, ſpeciatim Superioris vel Primæ, uti deinceps appellata eſt, urbium omnium prima ex Lugdunenſi Gallia venientibus occurrit ad Rhenum. Helvetus enim quinque leugis Gallicis à Rheno diſtabat, atque adeo *Germaniarum ad Rhenum caput* Argentoratus appellari poteſt optimo jure. Et ita ſane revera ab Itinerario Antonini (*o*) appellatam eſſe reperimus. Weſſelingiana Itinerarii editio ſitum verborum ex Codice Vaticano ita expreſſit: Germaniæ Primæ Caput.

Caput Germaniarum
A Lugduno Argentoratum Mill. Paſſ. CCCXXV.

Plerique tamen Codices, ut ipſe Doctiſſimus Editor fatetur, habent: *A Lugduno Caput Germaniarum Argentoratum Mill. Paſſ. CCCXXV.* Poſterior ſcriptio veritati rei conformis omnino, quæ indicat à Lugduno ad Argentoratum usque, Germaniarum caput, eſſe CCCXXV. Mill. Paſſ. Nec Simleriana Itinerarii editio diſcrepat. Hieronymus Surita vero, invitis Codicibus, habet: *A Lugduno Capite Germaniarum Argentoratum.* Qua ratione enim Lugdunum illud Batavorum *Caput Germaniarum* appelles? quod nec in geographico, nec in politico, ſenſu ita unquam appellari potuerat, aut revera appellatum fuerat unquam. Itinerarium, Geographicum opus, qui Lugdunum, prope oſtia Rheni tum ſitum, quod Germaniæ ſecundæ, adeoque totius Cis-Rhenanæ, finis fuerat, ejusdem Caput appellare potuiſſet? Nec in politico ſenſu unquam Lugdunum Batavorum caput fuerat Germaniarum duarum, ſed id honoris contigit potius Moguntiaco, in Germania Prima, & Coloniæ Agrippinæ, in Germania Secunda, quæ ambæ urbes Provinciarum ſuarum fuere Metropoles. Utraque Germania ſimul Metropolem communem non habuit, vel Caput commune, nec geographice, nec politice, ſumtum. Argentorato noſtræ quum vindico, quod Geographicus Provinciarum & urbium ſitus ei ſub Romanis tribuerat, nihil inſolens aut indebitum ei adſcribere ſatago. Germaniarum duarum ſitum qui ad Rhenum conſiderat, deprehendet ille Italis Gallisque, Rheni oram legentibus, primam urbem occurrere Argentoratum, quæ ſenſu hoc vere Caput, ſive initium Germaniarum, potuit vocari. Eodem nempe ſenſu, quo Tabulæ Itinerariæ Auctor Lugdunum Seguſianorum, ad Rhodani Ararisque confluenteis ſitum, *Caput Galliarum* appellavit, hoc eſt, initium Galliæ, à Provincia Romana diſtinctæ; quo ſenſu Cæſar quoque Dictator Galliam intelligit, ubi eam in Celticam, Aquitanicam Belgicamque, diviſit; atque adeo Narbonenſem aperte excludit. Unde ad idem Seguſianorum Lugdunum in eodem Tabulæ loco annotatur: *Usque hic Legas*; ut peregrinantes, ex Gallia vera in Provinciam Romanam, vel Narbonenſem Galliam, tranſituros, doceret, poſtremum hunc eſſe locum, ubi per *Legas*, ſive Leugas, Leucas Gallicas, computentur Itinera, quum deinceps per milliaria computandum Romana.

§. CLXV.

Largiorem aliquem aut eminentiorem politicum ſenſum Itinerarii verbis ego tribuere nolim; Doctiſſimi licet nonnulli Batavorum Scriptores id faciant, in Argentoratum noſtram liberaliores, quam nos ipſi Argentoratenſes volumus. Philippus enim Cluverius, apud Batavos ſcribens, in erudito ſuo de *Tribus Rheni Alveis & Oſiis* Commentario, (*p*) ante hos centum & quadraginta fere annos, ſententiam hanc noſtram confutandam ſuſcepit, Argentoratum duarum cis Rhenum Germaniarum Metropolim, ſive politicum caput, fuiſſe arbitratus. Cluverii ſententia. "Si heic *Caput*, inquit, pro „ *initio* accipiendum foret, certe apud Auctorem Tabulæ Itinerariæ idem fieri oporteret „ in Lugduno ad Rhodani Ararisque confluentes; quod *Caput Galliarum* is appellat. „ Quod manifeſte falſum eſt; quidpe ex Italia venientibus, non initium Galliarum eſt „ ad Lugdunum, multis aliis inter hoc & Alpeis intercedentibus oppidis. „ Recte in eo Cluverius, Italia venientibus initium vel caput Galliæ non eſſe Lugdunum, at initium eſt illis, qui ex Romano-Gallica Provincia & ab ejus Metropoli Narbone appulerunt Lugdunum. Erraſſet ſane Tabula, ſi alio ſenſu Lugdunum appellaſſet *Caput Galliarum.* Illo enim tempore, quo Tabula condita, Treviri non modo politicum caput Galliarum erant, ſed & totius Galliæ Vicarius, imo & Præfectus Prætorio Galliæ, Britanniæ, Hiſpaniæ &c. ſuum apud Treviros Prætorium habuerat. Eodem ergo ſenſu & Tabula & Itinerarium vocem *Caput* ſumſere, nempe pro initio Provinciæ.

§. CLXVI.

(*o*) Pag. 368.

(*p*) Cap. XV. pag. 128.

§. CLXVI.

Aliorum conjectura.

Jo. Isaacius Pontanus, apud Hardovicenſes Profeſſor, Cluverii Librum acerbe confutans, hac in re adverſario ſuo dicam non ſcripſit, quam ſcribere ſane potuerat. Ille enim in *Diſceptationibus* ſuis *Chorographicis*, (*q*) Cluverio oppoſitis, fatetur, non Lugduno Batavorum, ſed Argentorato prærogativam competere, ut Germaniarum caput dicatur; caput non initium, ſed primariam Provinciarum duarum Germaniæ cis Rhenum urbem interpretatus. Nec Petrus Bertius denique, celeberrimus apud Batavos, inde apud Gallos, Geographus, ab hac Cluverii Pontanique diſcedit ſententia. Ubi enim in ſuis *Rerum Germanicarum Commentariis* (*r*) Cis-Rhenanæ Germaniæ ſitum exponit, hanc ejus facit rubricam: *A Lugduno ad Caput Germaniarum Argentoratum.* Recte ſane, ſed mirum, ſibi non conſtare eruditum Scriptorem; qui, quum illuſtriſſimum Opus ſuum, quod *Theatrum Geographiæ veteris* inſcribit, deinceps edidiſſet, in Itinerario Antonini, quod Theatro inſertum, contrariam plane lectionem exhibuit: *A Lugduno Capite Germaniarum Argentoratum.* (*s*) Obvium ergo ſenſum vocis *Caput* pro *initio* in hoc Itinerarii loco locum habere cenſeo, quod & Hadrianus Junius, (*t*) ipſe quoque Batavus, pridem ante me cenſuit: in eo tamen diverſus à nobis, quod caput ſive initium à Lugduno ſumendum eſſe exiſtimat, quod ab Argentorato ſumere debuiſſet, ut jam oſtendimus. Veteris Argentorati apud Batavos juniores fortunam & fata forſan mirabitur Lector. Seculo IV. inter vicos adhuc locum habuiſſe hanc urbem arbitratus eſt Scaliger. Cluverius atque Pontanus eodem ſeculo duarum Germaniarum Metropolim eandem fuiſſe exiſtimant. Utraque peccatum ex parte. Urbis antiquæ decus ille nimium depreſſit; hi eidem nimium profecto attribuunt. Debitam Argentorato antiquitatem auferre conatus eſt Scaliger; hi plus quam ei unquam debitum, nolenti adſcribunt. Nos utramque inter partem conſtituti in medio, gloriam, quæ Argentorato debetur, vindicamus; quæ non debetur, rejicimus. Celeberrimus Itinerarii Editor, Petrus Wesselingius, (*u*) Pontano Bertioque, quod in Lugduni ſui detrimentum nimium Argentorato tribuerint, indignatus, noſtrum, uti ſpero, probabit conſilium, quod gloriam, à popularibus ejus noſtræ urbi oblatam, tam promte recuſamus. Pontano tamen Bertioque, quos adducit, non poſſumus non addere Cluverium, ſententiæ hujus, Argentorato faventis, Auctorem primarium; quem Pontanus, antagoniſta licet, veritati cedendum eſſe ratus, ſponte ſecutus eſt, quod & Petrus Bertius fecit.

§. CLXVII.

Res geſtæ ad Argentoratum.

Res Argentorati & ad Argentoratum ſub Romanis geſtas quod attinet, pleraſque illarum Hiſtoricorum defectus ſilentio texit, præſertim res primorum ſeculorum. Præcipua enim quæ de Argentorato novimus ſeculi demum quarti Scriptoribus debemus, qui de ævi ſui rebus tantum loquuntur. Nihil autem in hoc genere illuſtrius reperimus, quam Juliani pugnam cum Alemannis, An. CCCLVII. ad Argentoratum commiſſam; quam in vicinia ejus fuiſſe commiſſam vix poteſt dubitari. Philippus Cluverius (*x*) tamen rem dubiam reddere voluit, pugnamque illam appellari *Argentoratenſem* arbitratus eſt, non quod ſub ipſis Argentorati mœnibus facta, ſed quia Argentoratum urbs tractus hujus nobiliſſima fuerit, digniſſimaque videretur, unde tam nobilis memorandaque pugna cognomentum ferret. Itaque XIV. Mill. Paſſ. ab urbe hac prœlium commiſſum fuiſſe exiſtimat, & quidem prope Druſenhemium, ubi Concordiam, munimentum illud Romanum, Ammiano & Itinerario memoratum, ille ſibi ſitum fuiſſe perſuaſit. Verum gloriam hanc prœlii, & victoriæ Juliani, Argentorato fruſtra eripere conatur Cluverius. Non tradit Ammianus, pugnam commiſſam prope Concordiam, ſed Chnodomarii caſtra inter Concordiam atque Tribunos, quod Romanum quoque Munimentum erat, poſita fuiſſe ſcribit, in quæ caſtra Chnodomarius,

(*q*) Pontanus in *Diſceptationibus Chorographicis*, Cluverio oppoſitis, Cap. XV. pag. 153. ita ſcribit: « Cluverium a vero abire non putem, cum neget „ Caput Germaniarum Lugdunum (Batavorum) „ veteribus intellectum. Nam apud Antoninum in „ *Itinerario Provinciarum*, ubi hæc verba habentur, „ *à Lugduno caput Germaniarum Argentorato* Mill. „ Paſſ CCCXXV. ea, inquam, ita nonnulli, & „ inter eos Junius, accipiunt atque interpretantur: „ *A Lugduno, quod eſt caput ſeu initium Germaniarum.* Verum Argentorato cum illa potius „ prærogativa competat, verius puto ſi legatur, *à* „ *Lugduno, Caput Germaniarum Argentoratum* „ Mill. Paſſ. CCCXXV. Ut ſubintelligatur nimirum, „ *diſtat*, quaſi dicat, caput Germaniarum Argentoratum diſtare a Lugduno Mill. Paſſ. CCCXXV. „ vel, ut Cluverius ponit, *a Lugduno Argentoratum*, „ *caput Germaniarum* &c. quo ita, ſicuti Lugdunum „ in Galliis Authori Tabulæ Itinerariæ recte dicitur „ *caput Galliarum*, Argentoratum etiam *caput* dicatur „ *Germaniarum*, ſuperioris nimirum & inferioris, „ Rheno & Galliæ limitibus concluſæ.

(*r*) Lib. I. pag. 209.

(*s*) Tom. II. pag. 23.

(*t*) *Hiſtoria Batavia* pag. 264. Edit. Plantin.

(*u*) In *Notis ad Itinerar.* pag. 268. ſq.

(*x*) *Germania Antiqua* Lib. II. Cap. XII. pag. 44.

marius, ad Argentoratum fuſus & victus, ſe deinceps fuga receperit. Tam facile fuiſſet Ammiano, pugnam hanc Concordienſem vocare, ac *Argentoratenſem* (y) vocaverat. Alio in loco (z) diſtincte dicit: *Argentoratus barbaricis cladibus nota.* Idem, ubi tres Reges Alemannorum (a) memorat, addit: *qui miſere victis apud Argentoratum auxilia.* Alia denique parte (b) de eodem prœlio loquens ſcribit: *prope Argentoratum illucaſſe illam beatiſſimam diem.*

Ammiano Eutropium, (c) atque Victorem, (d) addimus; quorum ille à Juliano Cæſare *apud Argentoratum* ingentes Alamannorum copias exſtinctas; hic in *Argentoratenſibus campis* à Juliano Cæſare pugnatum eſſe, refert. His denique Zosimus, Græcus Scriptor, qui Theodoſii II. temporibus ſcripſit, annumerandus eſt; qui *περὶ πόλιν Ἀργέντορα, prope urbem Argentoratum*, barbaros trajeciſſe & cæſos eſſe tradit. (e) Quodſi Julianum Cæſarem, cum copiis ſuis à Tribus-Tabernis Argentoratum verſus iter facientem, ſequamur, momento ante conflictum reperimus exercitum Romanum ex Ammiani narratione *prope collem molliter editum, opertum ſegetibus jam maturis, à ſupercilio Rheni haud longo intervallo diſtantem.* Beatus Rhenanus colles & campos, qui verſus Husbergam porriguntur, ab Ammiano heic indicari recte obſervat. Collis enim ille molliter editus & Argentorato proximus eſt, illisque ſeſe offert, qui Tabernis Alſaticis ad urbem hanc proficiſcuntur: reliqua circa hanc urbem plana & campeſtria ſunt. Alemanniæ Reguli quum prope Argentoratum tentoria fixerint, Julianus à Tabernis verſus urbem hanc exercitum ſuum ducere coactus eſt. Victoria hæc axioma *Auguſti* peperit Juliano Cæſari; (f) quem totius exercitus acclamatione accepit: primaque adeo urbium omnium Argentoratus novum hunc Imperatorem Liberatoremque ſuum ſalutavit; à qua victoria non oræ tantum Rhenenſis, ſed Galliæ totius, ſalus pependit.

§. CLXVIII.

Veteris autem Argentorati felicitas non fuit diuturna, ſed cum ipſo Imperii Romani flore circa ſeculi V. initia concidit. Alemanni jam pridem in id unice intenti, ut limitem hujus Imperii Rheunm perrumperent, ſub Conſtantio Imp. An. CCCLVI. illum ruperunt; à Juliano Cæſare tamen paulo poſt reſtitutus eſt, quum Alemannos, apud Argentoratum victos, in Germaniam ſuam rejeciſſet, ut modo vidimus. Limitem denuo, caſtellis ad Rhenum reſtauratis, firmavit Valentinianus I. At ſub Honorio Imperatore Occidentis, quum Stilico, Vandalus, Vandalos, populares ſuos, Alanos item & Suevos, ad limitem Imperii rumpendum invitaret, Vandalica hac irruptione Alemannis via iterum in Galliam fuit aperta, & quidem ita, ut firmum jam pedem in Gallica ſuperioris Rheni ora figerent: in Germania Prima perpetraturi, quod in Secunda nuper perpetraverant Franci. Enimvero Vandali, Alani & Suevi, Galliæ interiora petituri, longiorem in his oris moram non fecerant. Alemanni autem, Rhenenſis & meridionalis Galliæ inhiantes Imperio, caſtellorum, arcium, munitarumque impatientes urbium, ſolo æquarunt, quicquid à Vandalis cæteriſque barbaris, Rhenum tranſeuntibus, deſtructum non fuerat: ut ſibi nimirum aditus ubique paterent, ac omnis ad Rhenum redeundi ſpes præcideretur Romanis. In his ergo limitis Romani regionibus tam libere jam Alemanni dominati ſunt, uti in patria ſua trans Rhenum agitarunt.

Excidium Argentorati.

§. CLXIX.

Divo Hieronymo certiorem hujus rei notitiam debemus, qui in *Epiſtola ad Ageruchiam*, ſupra jam prolata, (g) miſerum illius temporis Galliæ ſtatum depingens, inter urbes tum afflictas, noſtram quoque Argentoratum nominetenus recenſet. Ita enim loquitur: " Innumerabiles & ferociſſimæ nationes univerſas Gallias occuparunt. Quicquid inter „ Alpes & Pyrenæum eſt, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, „ Sarmata, Halani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & hoſtes „ Pannonii, vaſtarunt. Magontiacum, nobilis quondam civitas, capta atque ſubverſa eſt, „ & in Eccleſia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obſidione deleti. „

Hieronymi teſtimonium.

 „ Remorum

(y) Lib. XVII. Cap. I. pag. 119. " Martius „ Juvenis, (Julianus) Rheno poſt Argentoratenſem „ pugnam otioſe fluente, ſecurus.

(z) Lib. XV. Cap. XI.

(a) Lib. XVII. Cap. I. pag. 121.

(b) Lib. XX. Cap. V.

(c) Lib. X. Cap. VII. num. 5. Eutropius Valenti Imp. ſuos Hiſtoriarum Libros dedicavit.

(d) *Epitome* Cap. XLII. Aurelius Victor vixit ſub Arcadio & Honorio.

(e) Lib. III. Cap. III.

(f) Ammian. Lib. XVI. Cap. XII. pag. 116.

(g) Epiſtola de Monogamia, quæ inter Hieronymi Epiſtolas numeratur XI. Tom. I. Operum pag. 60. Edit. Francof. & Tom. IV. Edit. Benedictinor. Paris. ubi Epiſtola hæc ad *Ageruchiam* ſcripta memoratur, quam altera editio *Gerontiam* nominat.

„ Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum Morini,
„ Tornacus, Nemetes, *Argentoratus*, *tranſlati in Germaniam.* Aquitaniæ novemque
„ populorum, Lugdunenſis & Narbonenſis, provinciæ, præter paucas urbes, populata
„ ſunt cuncta; quas & ipſas foris gladius, intus vaſtat fames. Non poſſum absque
„ lachrymis Toloſæ facere mentionem, quæ ut huc usque non rueret, ſancti Epiſcopi
„ Exuperii merita præſtiterunt. Ipſæ Hiſpaniæ, jam jamque perituræ, quotidie contre-
„ miſcunt. . . . . Olim à mari Pontico usque ad Alpes Julias non erant noſtra, quæ
„ noſtra ſunt. Et per annos triginta, fracto Danubii limite, in mediis Romani Imperii
„ regionibus pugnabatur. „ Hæc D. Hieronymus ſcripſit aliquot annis poſt factam irruptionem, circa An. CCCCIX. Verſabatur tum Hieronymus in illo ſuo Bethlehemitici agri Monaſterio, ſed ad eum quotidie multi ex Gallia Italiaque profugi, dignitate & doctrina clariſſimi viri, confluxerant; qui nempe miſeri patriæ ſuæ ſtatus pertæſi, ſacras peregrinationes in Palæſtinam ſuſceperant. Ab his ille regionum Occidentalium fata diligenter didicerat. Coætaneus ergo teſtis eſt, longinquis licet in terris tum vivens: Gallicarum tamen rerum & Geographiæ peritus, qui in flore ætatis ſuæ perluſtravit Galliam, Bibliothecas inviſens, Trevirisque aliquandiu ſubſtitit. A gravi hoc illius ævi teſte docemur, Magontiacum eo tempore captum atque ſubverſum, multa millia hominum, qui ad Eccleſiam majorem confugerant, trucidata: Vangiones longa obſidione deletos. Remi autem, Ambiani, Atrebatæ, Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus, in Germaniam tranſlati ſunt, hoc eſt, in captivitatem deportati Germanicam. Figuratus vero ſenſus ſi placeat, Argentoratum cum civitatibus, quæ nominantur, tanta undique Germanorum multitudine circumdatas fuiſſe diceres, ut ex Gallia in Germaniam tranſlatæ viderentur: non Gallicis ſed Germanicis urbibus ſimiles. Utraque interpretatio triſtem Argentorati noſtræ faciem exponit, priorem tamen ſenſum ſecundo præferrem, quod certæ tantum urbes nominatim ab Hieronymo recenſentur, quibus hæc deportationis calamitas fuerit peculiaris. Neque cuiquam fortaſſe mirum videbitur, ſi fata Argentorati præ aliis urbibus dura fuiſſe dixerim. Quodſi enim civitates, Argentorato vicinæ, crudeliter habitæ, quam iniquam ipſa ſortem experiri debuerat, quæ tot armorum fabricas mœnibus ſuis incluſerat? An non officinas ejus everſas, artifices, qui tot inſtrumenta militaria tam diu contra Germanos ſubminiſtraverant Romanis, trucidatos fuiſſe, credibile eſt? An non ferrum, flammam & plenariam everſionem, præ aliis ſentire debuerat Argentoratus? Paulus Orosius atque Salvianus, illius quoque ævi Scriptores, Barbarorum, Galliam inundantium, diluvium quidem annotavere, ſed nonnullas urbes annotaſſe contenti, noo fecerunt Argentorati mentionem. Salvianus (*b*) alicubi ita loquitur: “ Non hoc agitur jam
„ in Mogontiacenſium civitate, ſed qoia exciſa atque deleta eſt. Non agitur Agrippinæ,
„ ſed quia hoſtibus plena. Non agitur in Treverorum urbe excellentiſſima, ſed quia
„ quadruplici eſt everſione proſtrata.

§. CLXX.

Tempus excidii.

Fatale ergo Primæ noſtræ Germaniæ totique Galliæ, ſpeciatim Argentorato, fuit ſeculi V. initium, ſed jam annus ipſe fatalis inquirendus eſt. Orosius (*i*) Vandalicæ hujus irruptionis æram figit biennio, antequam Roma caperetur. Roma ab Alarico capta eſt Flavio Varane Conſule, (*l*) qui annus Æræ Dionyſianæ CCCCX. Secundum Oroſium ergo irruptio Vandalorum in annum CCCCVII. vel CCCCVIII. incidit. Eusebianum Hieronymi *Chronicon*, (*m*) ut & Prosper Aquitanus, ſeculi V. ineuntis Scriptor, Auguſtini diſcipulus, in *Chronico* ſuo (*n*) hæc annotat: *Arcadio VI. & Probo Coſſ. Vandali & Alani Gallias, trajecto Rheno, pridie Kal. Januarias ingreſſi.* Sed & Zosimus (*o*) Comes & Ex-Advocatus Fiſci, qui circa An. CCCCXXV. claruit, atque *Hiſtoriam* ſuam Græce conſcripſit, Galliæ Trans-Alpinæ vaſtationem ad Arcadii & Probi Conſulatum rejicit. Nec ſilentio prætereundus eſt Aurelius Cassiodorus, Vir Patricius, qui ſub Theodorico, Oſtrogothorum regni inſtauratore, vixit, & anno Æræ Chriſt. DXIV. ſine Collega geſſit Conſulatum. Is in *Chronico* ſuo (*p*) annotat: *Arcadius VI. & Probus. His Coſſ. Uuandali & Alani, trajecto Rheno, Gallias intraverunt.* His omnibus magnorum Virorum teſtimoniis *Marcellinum* denique, Comitem Illyricianum, Juſtini-

---

(*b*) *De Gubernatione Dei* Lib. VI.

(*i*) *Hiſtoriarum* Lib. VII. Cap. XL. pag. 576. “ Ante biennium Romanæ irruptionis, excitatæ per „ Stiliconem, gentes Alanorum, Suevorum, Vandalorum, multæque cum his aliæ, Francos proterunt, „ Rhenum transeunt, Gallias invadunt, directoque „ impetu Pyrenæum usque perveniunt.

(*l*) Prosper Aquitanus in *Chronico*, ubi pro Varane Coſ. corrupte ponitur: *Varrone.*

(*m*) In *Theſauro Temporum* Josephi Scaligeri pag. 17.

(*n*) Vide hoc *Chronicon* in Henr. Canisii *Theſauro Monumentor.* Tom. I. pag. 298. Edit. Basnag.

(*o*) *Hiſtor.* Lib. VI. Cap. III. pag. 652. Edit. Cellar.

(*p*) Inter Opera ejus à Garetio edita Tom. I. pag. 393.

Juſtiniani Imp. Cancellarium, qui An. DXXXIV. floruit, ſubjungimus. Hic ſub Baſſa & Philippo Coſſ. hoc eſt, ad An. CCCCVIII. atque adeo uno anno ſerius, irruptionis hujus epocham figit. (*q*) Unius tantum anni diſcrepantiam dico. Quanquam enim An. CCCCVI. contigerit hic tranſitus, nonnulli tamen eum ad An. CCCCVII. poſuerunt, quod pridie Calendas hujus anni factus eſt, ejusque initio demum fieri cœpit vaſtatio. Hac ratione inter Dionysium Petavium & Philippum Labbeum differentia non eſt, licet ille in *Doctrina Temporum* (*r*) ad An. CCCCVI. ponat, quod hic in *Chronologia Hiſtorica* (*s*) nonniſi ad annum ſequentem retulit.

§. CLXXI.

Auctores excidii.

Ceterum Irruptionem hanc voco Vandalicam, quod Vandali, cum Gunderico, Rege ſuo, in ea expeditione tenuerunt primatum, à plerisque Scriptoribus primo loco nominati. Stilico, Vandalus, Vandalis quoque ſuis præcipue Galliam deſtinavit in prædam. Salvianus, Galliæ vaſtationem deplorans, Vandalos fere ſemper ſolos vaſtatores adducit, quod inter hos fuerant præcipui. Ita Libro ſeptimo (*t*) ſcribit: "Acceſſit hoc ad „ manifeſtandam illic impudicitiæ damnationem, ut Wandalis potiſſimum, id eſt, „ pudicis barbaris, traderentur. „ Paulo poſt: "Non ita Gothi, non ita Wandali. „ Mox item: "Ad hanc præcipue opem timor & perturbatio tunc Wandalica confugit. „ Item: "Quid enim vel de nobis, vel de Gothis, ac Wandalis, Deus judicet, res „ probat. „ Cæteræ gentes vel cum Vandalis transgreſſæ, ut Alani, quorum Dux Reſpendial, & Suevi, quorum Rex Hermericus ſeu Ermenricus, vel paulo poſt magno numero ſecutæ, Vandalos anteſignanos viderunt. Huc referas Burgundiones, ſub Gundicario Rege, quos Gipedes, Heruli, Quadi, aliique ab Hieronymo nominati, ſequebantur.

§. CLXXII.

Conditio Regionum ad Rhenum.

Neque vero hæc Germaniæ Primæ, noſtræque adeo Alſatiæ, invaſio Barbaris multo labore aut ſanguine conſtitit. Ad eam enim ſuſcipiendam Stilico Vandalus, qui ſub Honorio Imperii gubernacula regebat, & Eucherium filium Honorio ſucceſſorem dare parabat, populares ſuos invitaverat, Rheno prius nudato præſidiis. Legiones, quæ ultra quatuor ſecula Galliæ ripam defenderant, ex urbibus, caſtellis, arcibus, ad Rhenum extructis, revocatæ ſunt. Res, vix fide digna & tamen vera, teſtem habet Claudianum, coætaneum Scriptorem & Panegyriſtam Stiliconis, qui id in laudes ejus trahit, oſtenditque, Stiliconem Legiones, quæ Rhenani limitis tuendi cauſa Germanis oppoſitæ erant, ad bellum Gothicum avocaſſe, atque adeo ſola Imperii Rom. Majeſtate nominisque veneratione Barbaros à limite ejus violando retinuiſſe. Scribit enim hoc modo: (*u*)

" Agmina quin etiam flavis objecta Sicambris,
„ Quæque domant Cattos, immanſuetosque Cheruſcos,
„ Huc omnes vertere minas: tutumque remotis
„ Excubiis Rhenum ſolo terrore relinquunt.
„ Ullane poſteritas credet? Germania quondam
„ Illa ferox populis, quæ vix inſtantibus olim
„ Principibus tota poterat cum mole teneri,
„ Tam ſeſe placidam præbet Stiliconis habenis,
„ Ut nec, præſidiis nudato limite, tentet
„ Expoſitum calcare ſolum; nec tranſeat amnem,
„ Incuſtoditam metuens attingere ripam.

Item alio loco: (*x*)

„ Grates Gallus agit, quod limite tutus inermi,
„ Et metuens hoſtile nihil, nova culmina totis
„ Ædificet ripis: & ſævum gentibus amnem (*Rhenum*)
„ Tibridis in morem domibus prævallet amœnis.

Hæc paulo ante Vandalicum tranſitum in ora noſtra Rhenenſi contigiſſe neceſſe eſt; unde colligimus, Argentoratum noſtram non minus ac reliquas urbes ad Rhenum ſuam tum Legionem, ſuaque præſidia, amiſiſſe, unde Moguntiaco Dux, Argentorato Comes, ſuus ereptus eſt. Hieronymus ergo quum de longa Vangionum obſidione loquitur, civium illam, non militum, defenſionem fuiſſe colligimus.

(*q*) In *Theſauro Temporum* Josephi Scaligeri pag. 37.
(*r*) Lib. XIII. pag. 439.
(*s*) Part. I. pag. 279.
(*t*) Pag. 223. & ſqq. Edit. Ritershuſ.
(*u*) *De Bello Getico* verſ. 419. ſqq.
(*x*) *In primum Conſulatum Stilichonis* Lib. II. verſ. 186.

§. CLXXIII.

Alemannorum irruptio.

Argentoratus num ab ipſis Vandalis eorumque Rege Gunderico, an ab Alanis vel Suevis, fuerit direpta, vaſtata & diruta, ex rerum circumſtantiis equidem dijudicare non poſſum: hoc ſolum annotaſſe contentus, Vandalos cum ſociis non diu in limite Rhenano hæſiſſe, quibus in Galliam interiorem & ulterius forte penetrare jam tum fuerat animus. Alemanni ergo, Vandalos transeuntes ſecuti, maximum malum intulerunt Alſatiæ, qui in oppoſito Rheni litore commorati, Gallicæ hujus oræ Rhenenſis, cui per duo ſecula inhiaverant, occupandæ occaſionem jam nacti, arces, caſtella, oppida & quicquid illis in ſiniſtra Rheni ripa reſiſtere potuerat, everterunt, munitarum præſertim urbium acerrimi hoſtes; (*y*) quod prima illa, & ſæviſſima quidem, irruptione in Galliam, ſub Conſtantio Imp. An. CCCLVI. facta, ſatis oſtenderant, qua urbes, in Galliæ meditullio ſitæ, ab ipſis jam magno numero deſtructæ fuerunt. Beatus Rhenanus (*z*) ergo, aliique ejus ſequaces, Alemannorum in Galliam transitum non ad Attilæ usque tempora differre, ſed ad Vandalicam hanc irruptionem jam ponere, debuiſſent. Quid enim Alemannos tunc impediverat, ne Vandalos ſequerentur, idemque jam facerent, quod ſub Attila ab illis demum factum eſſe cenſetur? Locum, ubi transierint Vandali, non deſignant Hiſtorici. Labbeus (*a*) Moguntiæ id factum eſſe credidit. Diligentiſſimus Moguntiacarum Rerum Scriptor, Nicolaus Serarius, (*b*) circumſtantiam hanc transit ſilentio. Labbeanam tamen conjecturam firmare aliquo modo videtur Hieronymus, quando in memorata Galliæ vaſtatione Vandalica inter urbes, poſt transitum everſas, primo omnium loco Maguntiacum nominat; inde Rhenum aſcendendo de Vangionibus atque deinceps de Argentorato loquitur: quanquam in hujusmodi narrationibus Scriptores ſeriem rerum temporumque non conſtanter obſervent. Argentoratus ergo à Vandalis ſociisve cœpit everti, ab Alemannis tota everſa eſt.

§. CLXXIV.

An urbs reſtituta.

Nec toto reliquo ſeculi hujus quinti decurrentis ſpatio urbs hæc limitanea reſtituta fuit, aut reſtitui potuit; Romanos certe ulla unquam victoria priſcum Rheni limitem renovaſſe non liquet. Argentoratum tamen paulo poſt à Romanis priſtino ſplendori redditam, Virorum Eruditorum multis fuit perſuaſum; (*c*) qui ea potiſſimum ratione utuntur, quod *Notitia Imperii* Comitis Argentoratenſis & Fabricæ Armorum omnium faciat mentionem. Nec negandum profecto, illo tempore, quod Notitiæ hujus auctor in oculis habuit, florentiſſimam urbem fuiſſe Argentoratum. Sed Honoriani Imperii finientis vel Valentiniani III. ineuntis temporibus, hoc eſt, circa An. CCCCXXV. Notitiam Imperii demum ſcriptam fuiſſe, ſolidis argumentis nondum fuit adſtructum: ſub Arcadii & Honorii Imperio eam confectam minime abnuo, verum initio ſeculi fieri hoc potuit, imo, ſi recte inſpicias, facta jam eſſe debuit. Enimvero Vandalicæ irruptionis tempore Alemannos in Gallia quoque conſediſſe, Hieronymus teſtis eſt, uti ſupra oſtenſum. Chronographi illius ætatis quotquot ſuperſunt, Prosper Aquitanus, Prosper Tiro, Idatius, Zosimus, Marcellinus Comes, Cassiodorus & Jornandes Hiſtoricus, ut & Sidonius Apollinaris Poeta aliique, multiplicia Aetii cum Burgundionibus, Francis, Gothis, qui illis temporibus diverſas Galliæ partes inſederant, bella recenſent, ſed nulla cum Alemannis, qui inter Burgundiones & Francos medii cis Rhenum habitaverant. Galliam eos ſua ſponte reliquiſſe nemo crediderit; expulſos autem reperio nullibi, nec id profecto Aetius, aut alius Romanorum Dux, ſine prævia clade, facere potuiſſet. Adde, quod ipſos Gothos, Francos atque Burgundiones, acerrimis licet prœliis fuſos, ex Gallia tamen pellere non potuerit Aetius; qui ex omnibus, qua ab An. CCCCXXVIII. ad An. usque CCCCLI. reportavit, victoriis nonniſi hunc fructum retulit, ut Barbaros intra fines ſuos, quos in Gallia occupaverant, contineret impediretque, ne ex omni plane Gallia ejicerentur Romani. Quod ne ſeculo hoc V. jam fieret, Aetii, ut & Ægidii, qui circa An. CCCCLXIV. periit, adſcribendum virtuti.

§. CLXXV.

(*y*) Ammianus Marcellinus Lib. XVI. Cap. II.

(*z*) *Rer. German.* Lib. I. pag. 111.

(*a*) *Chronologia Hiſtorica* Part. I. ſeculo V. pag. 278.

(*b*) *Moguntiacar. Rer.* Lib. I. Cap. VII. num. 8. pag. 16.

(*c*) Longuerüe *Deſcription de la France*, Part. II. *Liv.* II. pag. 223. Ulricus Obrechtus in Schedis MſſI. *ſur l'Antiquité de Strasbourg.*

§. CLXXV.

Alemannos ſane Aetianis temporibus, imo & poſt fata ejus, anno nempe CCCCLV. Germaniam Primam adhuc tenuiſſe, graviſſimum ex SIDONIO APOLLINARI teſtimonium producturus ſum; qui in Carmine, (*d*) quo Avito, ſocero ſuo, dignitatem Auguſti gratulatur, ita cecinit: Probatio Sententiæ.

" Francus Germanum Primum, Belgamque Secundum,
" Sternebat, Rhenumque, ferox Alemanne, bibebas
" Romanis ripis, & utroque ſuperbus in agro,
" Vel civis, vel victor eras.

Illuſtris hic ſeculi V. Scriptor, patrem & avum, Præfectos Prætorio Galliarum, nactus Chriſtianos, Præfectus urbis Romæ factus, Arvernorum denique Epiſcopus An. CCCCLXXVI. obiit. Carmen gratulatorium, quo verſus hi continentur, Valentiniano VIII. & Anthemio Coſſ. id eſt, An. CCCCLV. ſcripſit. Hoc enim anno Avitus Imperator electus eſt. Eo ipſo autem Alemannos Rheni ripam Romanam, atqne adeo utrumque Rheni latus & agrum, tenuiſſe liquet, & quidem à tam longo jam tempore, ut Sidonius dubitaverit, num Alemannos illius oræ Dominos appellaret, an Cives. Hoc Viri, in ſummis dignitatibus conſtituti, illiusque ævi Scriptoris, teſtimonium conjecturam noſtram egregie confirmat. Teſtium hujus ætatis raritatem non mirabitur Lector. Miſera Imperii Romani, à Barbaris in partes diſcerpti vaſtatique, tempora paucitatis Hiſtoricorum ſunt cauſæ. Ad breviſſimos Annales & Chronicas reducimur, qui maximos eventus ſæpe omittunt, aut duobus vix verbis indicant. Unde ad Poetas & Eccleſiaſticos Scriptores nobis ſæpe confugiendum, qui aliud agendo Hiſtorica nonnulla binc inde ſparſerunt; quod Claudiani, Sidonii Apollinaris, Hieronymi atque Salviani, ſcriptis debemus.

§. CLXXVI.

In turbatiſſimo hoc Imperii Rom. ſtatu, quo Italia conquaſſata à Barbaris, quo Roma ipſa aliquoties capta, Notitiam Imperii fuiſſe concinnatam, omni veriſimilitudini rerum repugnat. Eo tempore confectam fuiſſe credibilius eſt, quo Imperium à Barbaris adhuc fuit intactum. Apud Treviros duplex armorum Fabrica ponitur, una item apud Ambianos; & omnium armorum apud Argentoratenſes. HIERONYMUS circa An. CCCCIX. ſcribens, & Ambianos & Argentoratum jam tum à Barbaris in Germaniam translatos fuiſſe aſſerit. Trevirorum urbs autem ab An. CCCCXI. ad CCCCXL. usque tribus vicibus fuit everſa, quod VALESIUS, COINTIUS, PAGIUS & TILLEMONTIUS docuerunt. (*e*) SALVIANUS (*f*) ſcribit: "Vidi ego ipſe Treviros " domi nobiles, dignitate ſublimes, licet jam ſpoliatos atque vaſtatos, minus tamen " everſos rebus fuiſſe, quam moribus." Spectabilis Dux Moguntiacenſis in eadem Notitia, cum omnibus Præfectis & cum omni officio ejus, commemoratur, (*g*) quum Moguntia primo Vandalorum impetu fuerit deſtructa, ut ex Hieronymo didicimus. Germaniæ ſecundæ & Belgicæ Provinciæ, quæ pridem in poteſtatem Francorum transiverant, copiarum Præfecti ibidem (*h*) enarrantur deſtinctim. Galliarum Provinciæ XVII. ut integræ & intactæ recenſentur. (*i*) Narbonenſem, ut & Aquitanicam, Provincias à Gothis, Rhætiam ab Alemannis, aliasque Galliæ Provincias à Barbaris, quoque occupatas, prætereo; quæ omnes ab Auctore *Notitiæ*, ut ſanæ & illibatæ memorantur. Idem de Britannicis (*l*) Hiſpanicisque Provinciis, totaque adeo Præfectura Galliarum, quibus Britannia & Hiſpania ſuberat, dicendum, quas omnes eadem Notitia cum Præfectis & Officiis enumerat, quum Romani jam An. CCCCX. Legiones ſuas ex Britanniæ Inſula revocaverint: qui ne Galliam quidem ſuam defendere potuerant. Miror ergo, GUIDONEM PANCIROLUM, Notitiæ Imperii Commentatorem Doctiſſimum, aliosque bene multos, in definienda Libelli hujus conditi epocha non ſatis accurate verſatos. PANCIROLUS (*m*) ſub finem Principatus Theodoſii junioris, ſive ſecundi, qui An. CCCCL. obiit, ÆGIDIUS BUCHERIUS (*n*) circa An. CCCCXXXVII. ULRICUS Notitiæ Imperii ætas.

(*d*) *Carmine* VII. vers. 374.
(*e*) Vide *Collectiones Scriptor. Rer. Gallicar. & Francicar.* Tom. I. pag. 780. ſq. Edit. noviſſ.
(*f*) Lib. VI.
(*g*) Sectione LXIV.
(*h*) Sect. LXV.
(*i*) Sect. XXXVI.
(*l*) Sect. XXXVI. LII. LIII.
(*m*) In *Præfat. ad Notitiam Imperii* pag. 2.
(*n*) *Belg. Rom.* Lib. XVI. Cap. V. pag. 492. quem LAGUILLIUS *Hiſt. d'Alſace* Lib. III. pag. 36. ſequitur.

Obrechtus (*o*) circa An. CCCCXXXVI. Albertus Fabricius (*p*) ad An. CCCCXXVI. Libelli hujus conſtructionem poſuerunt; quum ad Arcadii & Honorii Impp. initia potius rejiciendus eſſe videatur, poſtquam inter duos hos fratres Orientis Occidentiſque Imperium, auctoritate Theodoſii M. patris eorum, fuiſſet diviſum. Itaque vel finientis ſeculi IV. annis poſtremis, vel primis ſeculi V. ineuntis, figenda eſt Libri hujus conditi epocha, quocunque anno libuerit, modo Vandalicæ irruptionis annum, qui CCCCVII. fuit, præceſſerit.

Ita corruit omnino unicum illud fundamentum, quo Argentorati, poſt Vandalicam vaſtationem, reſtitutæ patroni nituntur. Nec mihi profecto, quæcunque ex ſeculo V. ſuperſunt, documenta excutienti ſeſe obtulit ullum, ex quo poſſit conſtare, Argentoratum, vel per breve annorum ſpatium, ſub Romanorum rediiſſe obſequium. Omnia potius clamant, limitem Romanum ad Rhenum in Alemannorum poteſtate manſiſſe conſtanter, nec Romanos omni illo ſeculi V. tempore, quo Occidentale Imperium adhuc duraverat, limitem hunc recuperare potuiſſe. Imo nec in Caſtrum aliquod, oppidulo ſimile, vel *Burgum*, uti vocant, rurſus aſſurgere potuit Argentoratus, quod Auguſtæ Rauricæ contigit. Argentoratenſes enim in Germaniam abducti ſunt, uti ex Hieronymo vidimus, eorumque tractus omnis ab Alemannis ſolis habitatus eſt; qui Argentoratum veterem in ruinis ſuis reliquerunt, & proximis agris caſas domoſque ſuas, more conſueto, ſine mœnibus inædificare, quam urbem deſtructam reſtaurare, maluerunt.

§. CLXXVII.

Attila an Argentorati deſtructor.

Videant ergo Hiſtorici juniores, quomodo Attilam, qui circa An. CCCCLI. Rhenum tranſivit, primum deſtructorem Argentorati, quæ XLIV. annos jam ante fuerat everſa, poſſint venditare. Et tamen unanimi conſenſu id faciunt omnes, non juniores modo, ſed & medii ævi, qui Alſatica tetigere, Scriptores. (*q*) Enimvero Annales, Chronica, Martyrologia, Legendæ, Attilam Rhenenſis oræ vaſtatorem quum uno omnes ore loquantur, & ex hiſtorica quidem veritate loquantur, communem aliorum quorundam ad Rhenum locorum ſortem Argentoratum ſubiiſſe cenſuerunt, quam ſane ſubiiſſet, niſi à Vandalis & Alemannis prius fuiſſet everſa. Martinus Crusius (*r*) rem circumſtantiis, in quibus ne ſpecies quidem veritatis eſt, exornat. " Argentinam, (inquit) hactenus *Silberthalam* dictam, mœnibus in quatuor decuſſatim „ vias dirutis πολυοδόπολιν, multiviam (*s*) Civitatem, juſſit appellari. (*t*) Unde „ videtur nomen *Strasburg* natum eſſe; etſi alibi ab Ottone I. impoſitum fertur. „ Capitali etiam mulcta interdixit, ut ſcilicet eſſet victoriæ ſuæ monimentum, ne „ murorum ibi ruinæ reficerentur. „ Franciscus Irenicus (*u*) ſcribit: " Attila, „ Rex Hunnorum, totam Argentoratum deſtruxit, ita ut libere via egredientibus „ ubique pateret, unde *Strasburg* dicta eſt. „ Bernhardus Hertzoo (*x*) addit, inde nata eſſe Strateburgi inſignia, quæ ſtratam rubram (*y*) indicent; excidii antiquæ urbis documentum: quibus ad noſtra usque tempora utitur Civitas, & olim in nummis ſuis, publice cuſis, uſa eſt. In vertice portæ Argentoratenſis, quæ à Coronæ Burgo nomen habet, (*Cronenburg*) poſita hodieque conſpicitur Tabella lapidea rotunda, cui inſculpta imago Viri, cum Virgiliana perigraphe: (*z*)

Sic oculos, ſic ille genas, ſic ora, gerebat.

Imaginem

(*o*) In *Schedis Mſſ.* allegatis.

(*p*) *Biblioth. Lat.* Tom. I. Lib. IV. Cap. V. num. 6. pag. 752. Sententiam hanc ſequuntur omnes, qui fine Honorii & initio Valentiniani III. Notitiam Imperii conſcriptam fuiſſe volunt, quo referendus Lud. de Longuerue *Deſcription de la France Liv.* II. pag. 223.

(*q*) Koenigshovius Cap. V. §. CXIV. Beatus Rhenanus *Rer. Germ.* Lib. I. pag. 111. Berneggerus *Diſſert. de Regno Hungar.* num. 242. Bebelius *Antiq. Eccleſ. Germaniæ primæ.* Bernh. Hertzog in *Chron. Alſat.* Lib. VIII. Cap. I. Sebast. Franck *in Chronico* pag. 284. Munsterus *in Coſmograph.* Lib. III. Cap. CXXXIX. Lehmann *Chron. Spir.* Lib. I. Cap. XXXI. Limnaeus *Juris Publ.* Tom. III. Lib. VII. Cap. III. Relsnerus *de Urbibus Imperialibus* Part. I. Cap III. Knipschild de *Civit. Imperial.* Lib. III. Cap. LI.

(*r*) *Annal. Suevicor.* Lib. VII. Part. I. Cap. X. pag. 183.

(*s*) Gerhardus Mercator in *Atlante Majore* pag. 239. à platearum urbis numero vocem *Strasburg* quoque derivat.

(*t*) Nomen *Stratburg* non potuit dari ab Attila Hunno, cui lingua Germanica ignota fuit. Ottoni M. initium hujus nominis quoque adſcribunt Centuriatores Magdeburgenses Cent. X. pag. 710. Allegatur huic rei probandæ Hermannus Æditus apud Guilliman. *de Epiſcopis Argent.* pag. 145.

(*u*) *Germaniæ Exegeſ.* Lib. XI. pag. 369. Munsterus loco cit. ait: " Attila cum urbem Argentoratum diruiſſet, undique eam perviam fecit.

(*x*) *Chron. Alſat.* Lib. VIII. Cap. I.

(*y*) Inſignia Argentinenſia, ut & reliqua, nonniſi medii ævi partus ſunt, ſeculo V. & pluribus ſequentibus ignorata.

(*z*) *Æneid.* Virgil. Lib. III. vers. 490.

Imaginem Attilæ eſſe & multi Eruditi, (*a*) & vulgus olim, crediderunt. Sed nihil protecto figura hæc continet, quod nobis Attilam indicet. Siglas A. V. AETA. XLVII. Berneggerus quidem explicat: *Attila Unnorum ætatis* XLVII. Similes aliæ Tabellæ, intra portæ hujus fornices poſitæ, quæ Neronis aliorumque primi ſeculi Imperatorum icones ſiſtunt, inducere nos poſſunt, ut Aulum Vitellium à ſculptore in hac tabula expreſſum fuiſſe conjiciamus. Quodſi vero etiam de ſenſu ac voluntate Majorum noſtrorum quam maxime conſtaret, eos nempe tabella iſta Attilæ imaginem repræſentare voluiſſe, nihil inde tamen eruitur aliud, quam An. MCCCLXXIX. quo porta Cronenburgenſis condita, (*b*) Attilam ab Argentoratenſibus creditum fuiſſe urbis ſuæ deſtructorem; quam Majorum noſtrorum fidem & in hiſtoricis rebus credulitatem nemo unquam in dubium vocaverit. Fabulis his ſi locus daretur, Argentoratus ſub Attila demum fuiſſet everſa, eodemque ſimul tempore urbis deſtructæ rudera *Stratburgi* nomen accepiſſent, antequam novus inde vicus oppidumve exſurgeret. Ludovicus de Lonouerüe, Septem Fontium in Theraſcia Abbas, quem ſeculi noſtri Scaligerum diceres, Vir amiciſſimus mihi, dum viveret, in ſua *Veteris & Novæ Galliæ Deſcriptione*, Lutetiæ Pariſiorum, ubi An. MDCCXXXIII. obiit, edita, Attilam primo adventu ſuo in Alſatiæ partibus, & poſtquam ab Aetio in Campis Catalaunicis fuſus fuiſſet, prope Argentoratum Rhenum iterum transiviſſe, atque florentiſſimam urbem hoc ſuo itu & reditu penitus evertiſſe, conjecit. (*c*) Sed ipſe, quem ex Sidonio Apollinari producit, locus indicare videtur, Attilam ad ſuperiora Rheni trajeciſſe flumen; ibi nempe, ubi Hercynia ſive Martiana ſilva Rhenum attingit, ex qua arbores & ligna, ad rates pontesque conficiendos neceſſaria, ad flumen hoc trajiciendum decuſſit. Ab Argentorato autem nimis remota Hercynia eſt, quam ut uſibus his Attilæ inſervire potuerit. In Rauracis, vel paulo ſupra in Vindelicis, facilius id factum, uti ſupra oſtendimus. (*d*) Nos miſſis his, partim dubiis, partim fabuloſis, ad certiora redimus, atque Argentorati veteris everſionem ad An. CCCCVII. ponendam eſſe conſtanter arbitramur, eo quod ab illo tempore urbs deſtructa à Romanis, undique preſſis, reſtitui non potuit, in quam nova colonia, ob incolas deportatos, ducenda fuiſſet. Ob prævalentem enim Alemannorum in his oris potentiam limes, à Stilicone nudatus, nec ab Aetio deinceps, nec ab Ægidio, reſtauratus eſt: Burgundionibus ſuperiora, Francis inferiora, Alemannis media, Rheni tenentibus.

§. CLXXVIII.

De Strateburgi, novæ urbis, originibus ergo diſpiciendum eſt paucis, an illæ ad noſtram quoque Periodum Romanam referendæ videantur. Sentio enim eſſe quosdam, qui oggerant, quum ſeculi V. initio Argentoratus perierit, difficile creditu, tantam urbem ad ejusdem ſeculi finem usque jacuiſſe deſertam. Hi ipſi tamen, quum recordabuntur eorum, quæ ſupra retulimus, veteris nempe Argentorati partem ſeculo VIII. adhuc in ruinis, & quidem in patrimonio Adelberti, Alſatiæ Ducis, ſive in ejus proprio fuiſſe, (*e*) (quod donum ab Auſtraſiæ Rege majores ejus obtinuiſſe credibile eſt, forte quod Comitis Argentoratenſis caſtellum ibi ſubſtiterat) non mirabuntur, ſi Strateburgum ante Francorum in his oris dominationem mœnia non accepiſſe dixerimus. Paucis ergo ut aperiamus, quæ veritati ſimiliora videntur, hæc accipe. Alemanni, ſuperioris Germaniæ Domini, mores ſuos & conſuetudines in Gallicam hanc oram ſecum attulerunt. Impatientes mœnium, nec oppidatim, ſed vicatim, habitare conſueti, (muros civitatum *Munimenta ſervitii* (*f*) vocabant Germani) non in veteris Argentorati ruinis, ſed in adjacentibus agris, vel in veteri ſuburbio, caſas & domos exſtruxerunt. Vicus hic novus Alemannicus, prope Argentorati veteris ruinas exſtructus, in oppidum denique à Francis converſus eſt, & non tam à multitudine viarum, (*g*) quam à principe illa ſtrata, Galliam Germaniamque jungente, quæ medio adhuc ævo Strateburgi nomen.

Oberſtraſs

(*a*) Berneggerus in *Diſſert. de Regno Hungariæ*, num. 242. rem venditat pro certa.

(*b*) Koenigshovius in *Chron. Alſat.* Cap. V. §. XXV. pag. 274.

(*c*) *Deſcription de la France* Part. II. *Liv.* II. pag. 223.

(*d*) In Deſcriptione Auguſtæ Rauricæ.

(*e*) Adelbertus, Alſatiæ Dux, in S. Stephani Parthenonis inſtitutione, tum facta, dicit, ſe cœnobium hoc exſtruere *in parte ſua hereditatis*, *quæ ſibi pertinuit inter ruinas veteris Argentoraci*, *pro opportunitate ſolitudinis & juxta fluentis Bruſci fluvii.* Charta Lotharii ſupra allegata.

(*f*) Ita Tencteri apud Tacitum *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LXIV.

(*g*) Spenerus in *Notitia Germaniæ Antiquæ* Lib. VI. Cap. V. pag. 297. ſcribit: "Germanica „ vox *Strateburg* clare viarum militarium cuſtodiam „ ſeu munitionem indicat.

GEOGRAPH.

Oberſtraſs, (*b*) ſtrata ſuperior aut elevatior, dicta, nomen Francica, hoc eſt, Theotiſca lingua *Stratburg*, ſive Burgus ad ſtratam, accepit. GREGORIUS TURONENSIS (*i*) aliique, Latina forma ſcribentes, in *Stratabürgum*, *Strateburgum*, *Stratburgum*, *Strazburgis*, & *Stratburgus*, verterunt. (*l*) Seculo IX. *Stratzburg* eam vocat NITHARDUS. (*m*) *Stratsburch* in *Diviſione Regni Lotharii*, (*n*) hodie vero *Strasburg*, Gallice *Strasbourg*, nuncupatur.

§. CLXXIX.

Etymologiæ aliæ.

WOLFGANGUS LAZIUS ſi diligenter hæc conſideraſſet, priorem Strateburgi ſyllabam ab *Auſtraſia* non derivaturus fuiſſet. (*o*) Intolerabilis quoque conjectura eſt BEATI RHENANI, (*p*) aliorumque, (*q*) quibus Stratburg, contractum à Storatburg, ab Argentorato derivare placuit, quam violentam conjecturam recte pronuntiat GUILLIMANNUS. (*r*) Illi vero, qui à Trebeta, Semiramidis filio, (*s*) vel à vocabulo *Treboch* nonnihil detorto, quod JAC. SPIEGELIUM, (*t*) Virum alias doctum & Rhenani æqualem, feciſſe video: vel à Tyra, Conditore Treviris, *Tyrasburgum* (*u*) & per temporis ſucceſſum Strasburgum nominatam crediderunt, deridendi ſunt merito, nec digni ſane, qui confutentur. Verum enimvero GEBVILERUS, poſtremos hos riſu excipiens, ipſe profecto deridendum ſe præbet, eo quod nomen Stratburg nomine Argentorati antiquius reputat. Inverſo enim rerum ordine, quem vetera monumenta indicant, urbem hanc aliquot ſeculis ante Chriſtianum Natalem *Strasburgum* appellatam fuiſſe, ſibi perſuaſit: barbaram vero appellationem in Latinam *Argentoratum* & *Argentarium* immutaſſe Romanos, quum in ea ærarium publicum pro tributis exſolvendis, propter Rheni opportunitatem, erexiſſent Romani. Recte quidem in eo Gebvilerus, quod oppidum noſtrum ante Romanorum in his oris ſtabilitum imperium, jam exſtitiſſe; at in eo erroneus, quod appellationem *Argentorati* à Romanis inditam, cenſuit, quum primitivum hoc ejus nomen, ante Romanos, Alſatiæ dominos, jam fuerit in uſu & originis Celticæ: quam linguam Gebvilerus, ut plerique alii, cum Germanica confundens, duoque urbis nomina apud veteres Scriptores inveniens, unum nempe, quod ille falſo reputavit Latinum, alterumque Germanicum, non inepte concludi poſſe credidit, urbem à primis incolis ante Romanorum dominationem *Strasburg*, inde à Romanis victoribus *Argentoratum*, denique à Francis, Alſatiæ dominis, reſtituto nomine primævo *Strasburg*, appellatam fuiſſe.

§. CLXXX.

Burg quid ſignificat?

Poſteriorem vero partem nominis *Stratburg* quod attinet, reperimus quidem vocabulum *Burg* apud VEGETIUM, (*x*) item in ARCADII HONORIIque *Reſcriptis*, adeoque nonniſi apud mediæ Latinitatis Scriptores: antiquiores enim omnes illud ignorant. Apud priſcos vero Germanos *Aſciburgum*, (*y*) *Teutoburgum*, (*z*) occurrit: non obſcuro indicio, originis Trans-

(*b*) SPECKLINUS hoc memoriæ reliquit, ut teſtatur SCHILTERUS *ad Kænigshovii Chron.* pag. 556. & 603. qui ſtratam eandem fuiſſe putat, quæ hodie *Langeſtraſs* dicitur. Haud procul à Granvillaria Sundgoviæ locus eſt *Oberſtraten*, ad veterem viam publicam ſitus. Belgæ, veteris pronuntiationis tenaces, nomen *ſtrat*, *ſtraten*, magis quam Germani ſuperiores, retinuerunt. Apud illos eſt *Hochſtraten*, Alta ſtrata, in Marchionatu Antverpiæ: *Straten* in Brabantia, Ninovam inter atque Bruxellas. *Hem* Belgarum, *Ham* Anglorum, *Ham* Normannorum, *Heim* Germaniæ ſuperioris, denotant *manſionem*, & Germanicæ originis ſunt omnes. Conferantur, quæ ſupra de voce *Strata*, & ejus apud Germanos origine diſſerui, pag. 57. ubi Germanicam ex Latina deſumtam docui. Seculo IV. apud Romanos abſolute pro *Via* ſumi cœpit, uti ex EUTROPIO *Hiſtor.* Lib. IX. Cap. IX. num. 13. patet, qui ſub Valente Imp. ſuam Hiſtoriam ſcripſit. Antea dicebatur *Via ſtrata*, *ſtrata viarum*, apud LUCRETIUM.

(*i*) *Hiſtor. Francor.* Lib. IX. Cap. XXXVI. & Lib. X. Cap. XIX. Duplici uſus eſt forma.

(*l*) *Notitia* quædam *Provinciarum & Civitatum Galliæ* incertæ ætatis. Sed & Ludovici Pii denarium argenteum in Muſeo aſſervo, in cujus antica parte *Hludovicus Imp.* in poſtica *Stratburgus*, legitur. Conf. LE BLANC *Monnoyes de France* pag. 108. & 110.

(*m*) *De Diſſenſionibus Filiorum Ludovici Pii* Lib. III.

(*n*) BALUZII *Capitular. Reg. Francor.* Tom. II. pag. 222.

(*o*) *Genealogia Auſtriaca* Lib. I. Cap. II. BERNH. HERTZOG *Chron. Alſat.* Lib. VIII. Cap. I. pag. 41.

(*p*) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 317. ubi hæc: „ Argentoratum occupata Germania prima, quæ „ Romanorum ante Provincia fuerat, à ſuo Conſulari „ gubernata, Alemanni, primoribus duabus ſyllabis „ amputatis, & S. litera, ſibili cauſa, adjecta, de „ ſuo vero *burgum* adnectentes, *Storatburgum* & „ *Stratiburgum* appellavere. Id autem accidit ſub „ Valentiniano ejus nominis tertio, quum Occidentale Imperium à Barbarorum incurſionibus Romani „ non poſſent amplius tueri. „

(*q*) REUSNERUS *de Urb. Imp.* Part. I. Cap. III. KNIPSCHILD *de Civit. Imperial.* Lib. III. Cap. LI.

(*r*) *Epiſcop. Argent.* Cap. I. pag. 6.

(*s*) Apud BEBELIUM in *Antiquit. Germaniæ Primæ* pag. 4.

(*t*) Apud GUILLIMANN. *de Epiſc. Argent.* Cap. I. pag. 5. ubi: „ Triboci ſunt, qui circa Argentoratum habitant: unde ea Civitas *Strasburg*, quaſi „ *Treboch* vulgo vocatur, detorto nonnihil vocabulo.

(*u*) Apud HIERONYM. GEBVILERUM in *Panegyri Carolino* pag. 23. allegati & deriſi.

(*x*) *De Re Militari* Lib. IV. Cap. X. Scripſit ſeculo IV. ſub Valentiniano I. Imp. aitque: *Caſtellum parvulum, quem Burgum vocant.*

(*y*) TACITUS in *Germ.* Cap. III. & *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. XXXIII.

(*z*) Apud TACITUM *Annal.* Lib. I. Cap. LX. memoratur Teutoburgienſis Saltus.

Trans-Rhenanæ vocahulum ad Latinos tranſiiſſe. *Burg* denotat arcem, caſtrum, caſtellum, ſynecdochice locum habitandi communem & utcunque cinctum, hoc eſt, vicum vallatum, oppidulum. (*a*) Alemanni, caſtella abhorrentes & oppida, nonniſi vicatim circa veterem Argentoratum habitarunt: vicus, à Francis demum, & quidem ſub Periodi Franciçæ initium, vel à Clodoveo, vel à Filiis ejus, converſus in oppidum eſt. Novum ergo novi oppidi nomen nonniſi poſt Tolbiacenſe prœlium, An. CCCCXCVI. commiſſum, adeoque non ante ſeculum VI. potuit oriri. Quomodo vicum novum ab ipſis exſtructum appellaverint Alemanni, non liquet: nomen *Stratburg* certe Auctores eos habere non aſſeruerim. Greoorius Turonensis, (*b*) qui finiente ſeculo VI. ſcripſit, Strateburgum jam appellat urbem, ubi de Ægidio, Rhenenſi Epiſcopo, ſcribit: "Qui ſtatim ad Argentoratenſem urbem, quam nunc *Strateburgum*„ vocant, deductus, exilio condemnatus eſt.„ Strateburgum ergo denotat *Viæ publicæ Caſtrum*, ad magnam nempe viam illam ſitum, quæ ex Gallia ad Germanos ducebat. Veriſimilior hæc ratio eſt altera, quam quidam allegant, quod plures ad eam viæ collimarint, vel quod in urbe ipſa plures viæ aut plateæ extiterint: commune enim hoc cum omnibus urbibus habuit Strateburgum.

§. CLXXXI.

Prima autem novi oppidi mœnia procul dubio illa fuerunt, quæ ſupra jam ex Koenioshovio deſcripſimus, quæque poſt eum alii rerum Argentoratenſium Scriptores pro veteris Argentorati deſtructæ mœnibus, quorum nulla tamen veſtigia ſuperſunt, falſo venditarunt. Hoc modo primæ Strateburgi naſcentis origines ad Periodum Romanam pertinent, quam ad An. CCCCXCVI. usque extendimus. Alemannicam peculiarem Periodum, propter rerum obſcuritatem, conſtituere non libuit; Alemannica Romanis addere libuit. Strateburgum vero, mœnibus cinctum, ad Periodum Francicam pertinet, quando ſub Alemannis ultra vici formam non excreverat. Ad Daciæ veteris flumen Alutam, quod Danubio jungitur, ejusdem nominis locus eſt, qui à Strata publica militari, ad quam ſitus eſt, nomen *Strasburg* accepit. Fuit enim ibi olim via Romana, à Trajano Imp. munita, quæ in nummis hujus Principis nomen Viæ Trajanæ ſervavit ad poſteros. (*c*) Alias ejus nominis urbes in Palatinatu Culmenſi Boruſſiæ, in Marchia Uckerenſi Brandenburgica, item in Carinthia inferiore ad rivum *Gurck*, quæ noſtra hac Alſatica juniores ſunt, apud Geographos vide. Strateburgi origines.

§. CLXXXII.

Ut autem ad veterem Argentoratum redeamus, id unum adhuc ad Argentoratenſes Antiquitates annoto, mirum eſſe, omni Romanæ quadringentorum annorum dominationis Periodo, nec in Sequanica, nec in Tribocenſi, nec in Nemetica, Alſatia ullum ſupereſſe Monumentum, in quo Argentorati occurrat memoria. Cippos illos milliares, in diverſis illis militaribus viis, quæ ad hanc urbem ducebant, poſitos, vel injuria ſeculorum, vel barbaries hominum, deſtruxit. Licet autem Alſatia noſtra hujus generis Monumenta nobis deneget, Doctiſſimis tamen Viris quibusdam, Reinesio (*d*) præſertim, Henninio, (*e*) aliisque veſtigia eorum legentibus, ſedebat in animo, Columnam milliarem aliquam trans Rhenum, in Marchionatus Badenſis vico Noettinga olim repertam, Argentorati facere mentionem, atque diſtantiam hujus urbis à civitate Badenſi Marchica indicare. Sed falſo hujus Inſcriptionis exemplo decepti ſunt omnes. Obtruſa enim illis fuit Sigla ARG. quam *Argentoratum* vel *Argentouariam* interpretandam exiſtimarunt: quum, re curatius examinata, pro ARG. Siglam AVR. in Columna repererim, quæ agnomen Civitatis Aquenſis ſeu epithetum *Aureliam* deſignat; unde omnis de Argentorato, in Lapide milliari occurrente, conjectura diſparet. (*f*) Mirandum eſt porro, imo potius dolendum, in ipſa urbe Argentorato, & in ejus Monumenta Argentorati veteris.

Ff tractu

(*a*) Hadr. Valesius in *Notitia Galliar.* pag. 42. Burgum definit: *Oppidum Ripenſe.* Non videtur proprium fuiſſe Burgorum, ut ad ripas jacerent. Hiſtorici nonnulli Burgundionum, quæ Germanicæ originis gens, nomen à Burgis, quos inhabitarint, deducunt, quorum ſententiam ego meam non facio. Paulus Diaconus Lib. II. & Isidorus conjecturæ hujus jam faciunt mentionem, fuiſſe nimirum homines a Druſo & Tiberio per caſtra in limitibus poſitos; quæ caſtra, *Burgi* appellata, huic populo dederint nomen. Gloſſæ veteres & ex illis Hadrianus Junius *Animadverſ.* Lib. V. Cap. VI. vocem à Græco πύργος, turris, male derivant.

(*b*) *Hiſtor. Francor.* Lib. X. Cap. XIX. Adde Lib. IX. Cap. XXXVI.

(*c*) Carolus VI. Imp. inter alias vias, quas hinc inde in Auſtria, Iſtria, Pannonia, muniri fecit, & viam hanc, quæ ab ejus nomine *Carolina* vocatur, ſterni juſſit, quæ in Temeſienſi Bannatu incipit & ad Tranſylvaniam dirigitur.

(*d*) In *Inſcriptionibus* Claſſ. II. num. 14. pag. 254.

(*e*) In *Notis ad Bergierium de Viis Militaribus Romanor.* Tom. X. *Theſauri Antiq. Romanar.* Graeviani, pag. 660.

(*f*) Vide intra in Monumentis.

tractu circumjacente, Literata Romanæ Antiquitatis monumenta lapidea fere nulla occurrere. Majores noſtri ad publica privataque ædificia illa adhibuiſſe videntur, eo tempore, quo bonæ Literæ ubique exulaverant. Superiore & noſtro ſeculo ſepulchra quædam Romana, tum in urbe, tum extra urbem, ſed pleraque illiterata, à foſſoribus fuere reperta. Herculeæ tres ſtatuæ inſignes, præcipue duæ æneæ, cæteris omnibus ex veteri Argentorato reliquiis præferendæ, quarum una, quæ heic ſupereſt, lapidea Templi majoris noſtri turrim adhuc exornat. Nullum autem horum Monumentorum ſeculo ſecundo antiquius eſt. Lateres illi Legionis octavæ, quæ Antoninorum tempore præſidium Argentorati tenuit, ætatis ratione primum ex omni antiquitate Argentoratenſi, quantum ego novi, Monumentum eſt, quod ad medium ſeculi II. pertinet: anteriora perierunt.

DRUSENHEMIUM.

§. CLXXXIII.

Druſenhemii antiquitas ficta.

IN Germania ſuperiore, ab Argentorato progredientibus Rheno ſecundo, per integra X. milliaria Francica non occurrit locus ante Saletionem. Brocomagus enim in mediterraneis & à Rheno procul remotus eſt; in via nimirum, quæ ad Vogeſum ducit, de qua deinceps. Recepta quidem apud Geographos neotericos ſententia eſt, Druſenhemium, quod ſex leucis communibus diſtat Argentorato, unum ex Druſianis quinquaginta caſtellis fuiſſe, cujus nomen vocabulo adhuc inhæreat. Ipſe loci ſitus, militum ſtationi opportunus, id ut credamus, ſuadere videtur. Matra vel Modera, ibi influens Rheno, angulum illum caſtris ponendis tam aptum reddit, ut noſtris temporibus, quoties bellum exoritur, vallo præſidioque muniatur. Non abnuo equidem, in aliquibus Alſatiæ Rhenenſis oræ locis poſita olim à Druſo caſtella fuiſſe, at quis in tanta Rheni ripæ Gallicæ mutatione illa loca definiverit? Id vero affirmare licet, Concordiam, quæ AMMIANO & ITINERARIO memoratur, non ibi ſitam fuiſſe, ubi Druſenhemium eſt, quod nullius Monumenti veteris Scriptoriſve auctoritate, ſed ſola nominis ſimilitudine, hæc conjectura nitatur: cui an multum tribuendum ſit, neſcio, quando Chartis quibusdam medii ævi locus *Droſenheim* (g) appellatur. Germanicæ originis nomen ſub Alemannis Franciſve exortum quum ſit, veriſimile non eſt, populos hos, antiquitatis imo Literarum ignaros, in loco hoc renovare voluiſſe memoriam Ducis Romani, qui ante quinque minimum ſecula multa mala Germanis intulerat. Nec firmiore fundamento *Doesburgi*, ad Iſſalam ſiti, origines, quas ad Druſum quoque referunt, nituntur. Druſiburgum loco nomen fuiſſe volunt, quod Druſianam foſſam, per novem millia paſſuum ab Arenaco ad locum hunc ductam, ut Iſala Rheno jungeretur, Druſus, TACITO teſte, conſtruxit. De Duisburgo ad Rhenum in Cliviæ Ducatu, cujus nonnulli Druſum quoque auctorem facere conantur, res æque dubia eſt; ad certiora ergo progredimur.

SALETIO.

§. CLXXXIV.

Saletionis nomen.

AD Saletionis & Rheni confluentes ſitum fuit ſub Romanis celebre oppidum, cui ab amne, illud alluente, inditum nomen *Saletio*; flumina enim oppidis, potius quam oppida fluminibus, appellationem communicarunt. Commune medii & noſtri ævi nomen eſt *Seltz*; oppidum ad Electorem Palatinum ſpectans. Ante ſeculum IV. nullam ejus mentionem reperimus. Primus, & quidem inter civitates, locum commemoravit AMMIANUS, (h) ſed ſub nomine *Saliſo.* (i) Ubi enim Juliani Cæſaris res ad Rhenum An. CCCLVI. cum Alemannis geſtas recenſet, ita ſcribit: "Audiens itaque „ (Julianus) Argentoratum, Brocomagum, Tabernas, *Saliſonem*, Nemetas, & Vangionas, „ & Mogontiacum, Civitates Barbaros poſſidentes, territoria earum habitare, (nam ipſa „ oppida, ut circumdata retiis buſta declinant) primam omnium Brocomagum occupavit. „ Quanquam Tabernis Saliſonem poſtpoſuerit Ammianus, loca hic generatim recenſens, nemo tamen facile inficias iverit, ab hiſtorico per Saliſonem Saletionem intelligi; atque adeo inter oppida & civitates Rhenenſes ab eodem cenſeri. Vitioſum enim

(g) *Charta Guntherii Epiſcopi Spirenſis* de An. MCLIV. quæ Schwarzacenſi Monaſterio data.

(h) Lib. XVI. Cap. II.

(i) Ex Romana antiquitate quantum novimus ſolus Ammianus locum appellat *Saliſo*. Alium *Saliſonem* in ITINERARIO reperimus, in itinere nimirum a Treviris Argentoratum pag. 374. Edit. Weſſeling. qui inter Baudobricam & Bingium ſitus; ſed hic locus nihil cum Ammiani *Saliſone*, ſive *Saletione* noſtra, habet commune. SIMLERUS in ſuis *Notis ad Itinerarium* diverſa loca confudit, ſoli nominis ſimilitudini inhærens, quum locorum menſuræ longe aliud ſuggerant.

GEOGRAPH.

enim Ammiani exemplar, quo uſus eſt BEATUS RHENANUS, haudquaquam moramur, ubi pro *Saliſonem* legitur *Sebuſianos*, ex quo oppidum *Weiſenburg* male procudit idem Rhenanus. (*l*) Poſt Ammianum ejusdem oppidi, ſed ſub Saletionis nomine, mentionem facit Liber *Notitiarum.* (*m*) Ibi enim ſub *Diſpoſitione Viri ſpectabilis, Ducis Mogontiacenſis, Præfectus militum Pacenſium Saletione*, & quidem primo loco, memoratur. Inter caſtrorum quoque Romanorum imagines, ibidem expreſſas, *Saletio* primo loco, Tabernæ ſecundo, ponuntur, quæ vera poſitio eſt: intelliguntur enim Tabernæ ad Rhenum. Prima hæc *Saletionis* in veteribus monumentis ſub nomine hoc mentio; Ammianus enim, qui paulo ante ſcripſit, Saliſonem, uti vidimus, appellat. *Saletio* forma fuit nominis Latina, *Saliſo* autem Celtica, ut arbitror; quam Ammianus, ipſe Græcus, quum bellis Alemannicis, ad Rhenum ſub Juliano geſtis, intereſſet, audivit ab incolis & in Hiſtoria dein ſua ſecutus eſt. Sub Francis nomen hinc inde leviter immutatum, qua de re ſuo loco agetur.

§. CLXXXV.

ITINERARIUM ANTONINI, quod ejusdem fere cum Notitia Imperii ætatis eſt, Saletionem memorat in itinere à Mediolano per Alpes Penninas (*n*) hoc modo: Situs.

Argentouaria	
Helveto	
Argentorato	
Saletione (*o*)	Mill. Paſſ. VII.
Tabernis	Mill. Paſſ. XIII.
Noviomago	Mill. Paſſ. XI.

Codices, qui Argentorato Saletionem Mill. Paſſ. VII. habent, manifeſte corrupti ſunt, quod numerorum peccant defectu; ut noſtri quatuor Regii, qui omnes eandem intervalli menſuram habent. Hiſpanicus vero Regius Mill. Paſſ. XIII. habet, adeoque minus peccat defectu. *Tabula Theodoſiana* viam Rhenenſem relinquit, atque per Brocomagum iter ducit:

Argentorate	
Brocomacus	VII.
Saletione	XVIII.
Tabernis	XI.
Noviomago	XII.

Verior Tabulæ ratio eſt, quippe quæ Brocomago Saletionem XVIII. leugas annotat. Decem leugarum noſtrarum, quæ veteribus Gallicis duplo majores fuerunt, diſtantia inter Brumpt & Selz à Geographis noſtris computantur. Sed & Saletionis diſtantia Tabernis, quæ in Tabula notatur, recte ſe habet. Leugæ enim XI. cum quinque noſtris communibus ſat bene conveniunt. Fuerunt, qui crederent, (*p*) Saletionem in Germanico olim litore poſitam fuiſſe, atque progreſſu temporis demum, Rheni curſu mutato, perveniſſe in Gallicum. Quodſi enim Briſiacus Mons potuit ad Germanos transferri, cur non eandem ob Rheni mutabilitatem Saletio ex Germania ad Gallos tranſire potuiſſet? Rem, quæ ob ripæ Saletianæ indolem parum veriſimilis eſt, non examinabo. Id tamen pro certo ſtatuendum, ſeculi IV. temporibus, quibus Ammianus vixit, quibusque Libellus Notitiarum Imperii & Tabula concinnati fuerunt, Saletionem in eadem ripa Rheni ſediſſe, in qua ſederat Argentoratus atque Tabernæ. Qui enim militarem Romanorum viam ad Rhenum non eodem ſemper tenore, in eadem ripa ſiniſtra, proceſſiſſe crederemus? Ammianus, ſpeciatim ubi Alemannos Imperii Romani limitem rupiſſe, atque in Gallicum ſolum tranſiviſſe, commemoravit, civitatum, in Gallia ſitarum, agros eos occupaſſe ſubjungit, atque inter has quoque Saliſonem nominat. Adde, quod Theodoſiana Tabula, quæ Rheni curſum diſtincte repræſentat, Saletionem in Gallica ripa, & quidem è regione Suevorum ponat, quos Alemannos inter atque Bructeros ſiſtit in medio.

(*l*) Vide quæ diximus Lib. I. §. LIII. pag. 61. Cujuscunque ætatis codex Mſ. Ammiani fuerit, quo uſus eſt Rhenanus, corruptiſſimus ſane hoc in loco fuit. Aſſervat Bibliotheca mea primum omnium Ammiani, typis Romæ impreſſi, exemplum, An. MCCCCLXXIV. à Georgio Sachſel de Reichenhal & Bartholomeo Golſch de Hohenhart, Clericis Impreſſoribus, editum in fol. In eo vera Lectio *Tabernas* & *Saliſonem* reperitur. Hoc tamen exemplum quoque Rhenanus poſſedit, illudque a Thoma Wolphio, juniore, acceperat, forte poſtquam hæc ſcripſit.

(*m*) *Notitia Imperii Occidentalis* pag. 145.

(*n*) Pag. 354.

(*o*) Verum loci nomen fuit *Saletio*: ita enim optimi Codices, & ſpeciatim Regii noſtri omnes. Regius Hiſpanicus, qui *Salentone*, Neapolitanus, qui *Saltrone*, habent, ex melioribus Codd. & ex Notitia Imperii corruptionis arguendi ſunt.

(*p*) Auctor *Spicilegii Antiquitatum Palatinarum cis Rhenum* in *Diario Europæo* Tom. XLI. pag. 509. in Appendice.

§. CLXXXVI.

Fata.

Veteris Saletionis Romanæ, imo & Francicæ Germanicæque, Periodorum ædificia maximam partem abſorpta ſunt Rheno. Abbatia Selzenſis, quam ſeculo X. Adelheidis, Ottonis M. conjux, exſtruxit, in mediis Rheni fluctibus latet, Rhenusque in dies in Gallicum litus magna cum violentia irruit, quæ cauſa, quod tam raro Monumenta Romana in illis partibus occurrant. Hoc ſenſu illi à vero haud multum aberrant, qui Saletionem veterem trans Rhenum quæri debere contendunt. Magna ſane pars veteris Gallicæ oræ nunc trans Rhenum conſpicitur: ita tamen, ut Saletio ſemper lateri ejus ſiniſtro aſſederit, unde ſitum ejus valde mutatum neceſſe eſt.

Ceterum firmiſſimo præſidio Romanorum inſtructa fuit Saletio urbs. Milites Pacenſes ibi, ut vidimus, cum ſuo Præfecto habuerunt Stativa. Hi autem ex Legionibus XXXII. Comitatenſibus fuerunt, ut *Notitiarum Imperii* Libellus teſtatur. (*q*) Præfectus hic non à Comite Argentoratenſi, ſed à Duce Moguntiacenſi, pendebat, cujus Juriſdictio ſuper plures Præfectos, & ſpeciatim quoque ſuper eum, qui Saletioni præſidebat, ſe extendit. Saletio in Rheni aſcenſu ditionis ejus locus ultimus fuit: quæ enim ſupra Saletionem, Comitis Argentoratenſis juriſdictioni ſuberant. Poſtremus hic in Tribocis locus eſt, ex eorum ſententia, qui Tribocos Selza flumine à Nemetibus diviſos fuiſſe conjiciunt, uti ſupra (*r*) oſtenſum.

TRIBUNI.

§. CLXXXVII.

Loci ſitus.

SEmel tantum hujus caſtelli vel munimenti in antiquis Scriptoribus occurrit mentio, & quidem apud AMMIANUM MARCELLINUM. (*s*) Diverſimode Codices nomen exprimunt. Tres Regii quidem legunt *Tribuncos*, unus tamen, qui Colbertinus olim, habet *Tribunos*, uti ipſe inſpexi. (*t*) BEATUS RHENANUS (*u*) legendum putat *Tribonos*, atque locum interpretatur vicum *Kircheim* prope Marilegium, duabus fere leucis noſtris à Kochersbergio diſtantem, quum & Itinerarii menſuræ diſtantiarum & Ammianus aperte repugnent. Hic enim ubi caſtra à Chnodomario poſita deſcribit, ſatis clare oſtendit, ea poſita fuiſſe in Inſula Rheni haud procul à Tribunis. Adde, quod Munimentum Kirchemii exſtructum nulli uſui fuiſſet Romanis, à Rheno quippe nimis remotum & Vogeſo, nullique flumini adjacens, quod cuſtodiret aut tegeret. Temeraria eſt CLUVERII conjectura, ex ingenio ſubſtituentis *Tribocos*. Non enim prope Tribocos, ſed in Tribocis, caſtra ſua Chnodomarius fixerat, prope Tribunos & Concordiam, quæ Munimenta Romana vocat Ammianus; adeoque non populi, ſed loci, nomen aperte expreſſit. Munimenta hæc à Romanis fuerunt condita contra Germanos, unde Latina quoque nomina, potius quam Celtica, illis impoſita fuiſſe neceſſe eſt. Latinum Concordiæ nomen quum unum ex illis habuerit, cur non & alteri ſimiliter Latinum impoſitum fuiſſe credamus? *Tribuni* ergo appellatio præferenda eſt alteri. Concordia à Rheno remotior fuit, vicinius autem Munimentum *Tribuni*; Ammianus enim ait, ideo in locis his caſtra fixiſſe Chnodomarium, *ut adſcenſis navigiis, dudum paratis ad caſus ancipites, in ſecretis ſe ſeceſſibus amandaret.*

Inſulæ, quas Rhenus illis in partibus, ubi Luthara vel Lutharis (*Lauter*) Rheno jungitur, efficit, inducere poſſunt ad credendum, oppidum *Lauterburg* (Caſtrum ad Lutharim) illum hodie locum occupare, qui olim appellatus fuit *Tribuni*. Accedit, quod incolis hujus oppidi, terram effodientibus, haud raro ſeſe offerant Romanæ antiquitatis teſtes, nummi nimirum moduli metallique diverſi. Notandum autem, quod caſtra hoc in loco tantum habuerit Chnodomarius; cæteri enim Alemannorum Reguli ſua prope Argentoratum habuere. COCCIUS in *Dagoberto* (*x*) tradit, tractum Argentoratenſem habuiſſe ſuum Comitem *Tribone*, ſub diſpoſitione viri Illuſtris, Magiſtri peditum, Præſentalis Germaniæ. Sed Coccius in nomine deceptus eſt, nihil enim de loco *Tribone* in Notitia occurrit, quod ad Comitem Argentoratenſem pertineat.

TABER-

(*q*) *Notitia Imp. Occid.* pag. 146.
(*r*) Lib. II. Cap. II. §. XXVII. pag. 138.
(*s*) Lib. XVI. Cap. XII. pag. 115.
(*t*) Idem de Colbertino Codice teſtatur HENR. VALESIUS ad hunc locum Ammiani. Addit, Codicem unum Regium legere *Tribunos*, quem ego non vidi.
(*u*) *Rer. German.* Lib. III. pag. 288. Rhenanum corruptus Ptolemæi Codex, Τριβοῦνους in Τριβόκους convertens, ſeduxit.
(*x*) Cap. IV. pag. 26.

TABERNÆ AD RHENUM.

§. CLXXXVIII.

TAbernas has AMMIANUS, *Itinerarium* & *Tabula Theodoſiana*, memorant, easque Ammianus ab alteris Alſaticis, quas *Tres Tabernas* alio loco appellat, quæque ad Tribocenſem Alſatiam pertinuerunt, ſatis clare diſtinguit. Noſtræ hæ ad Nemeticam ſpectarunt, Epiſcopo Nemetum etiamnum ſubjectæ: ſuntqne haud dnbie Tabernæ illæ, quas Itinerarium in itinere, quod in *Saletione* protulimus, annotavit; ubi diſtantia ejus à Noviomago Nemetum, quæ hodie Spira, Mill. Paſſ. XI. computatur. Tabula cum Itinerario heic ſere convenit: Tabernis Noviomagum enim XII. leugas deſignat; quæ vera Tabernas inter Rhenanas & Spiram ſex circiter milliarium diſtantia eſt. Tabernæ hæ, vulgo Rhenenſes, (*Rheinzabern*) licet bihorio fere diſtent à Rheno, ab AMMIANO inter Civitates oræ Gallicæ reputantur; (*y*) quarum agros (ipſa enim oppida ſemper declinaverant) Alemanni, rupto limite Rheni, occuparunt, à Juliano mox inde pellendi. HENRICUS quidem VALESIUS, in ſua ad hunc Ammiani locum obſervatinne, (*z*) Tabernas Alſaticas ab Ammiano deſignatas fuiſſe, ſibi perſuaſit, aliisque perſuadere conatus eſt, atque hanc ob cauſam CLUVERIUM, (*a*) pro Rhenenſibus pngnantem, poſtulavit erroris, ratione hac nixus, quod Saliſoni præpoſuerit Tabernas. Valeſii conjecturam ſecutus eſt CHRISTOPH. CELLARIUS. (*c*) Qui vero conſideraverit, Ammianum Tabernas Alſaticas appellaſſe *Tres-Tabernas*, (*c*) atque ita à Rhenenſibus probe diſtinxiſſe, & in altero loco limitanearum civitatum præſertim meminiſſe, ille facile Valeſianæ valedicet ſententiæ, quod & frater ejus fecit HADRIANUS, (*d*) qui Ammiani locum de Rhenenſibus Tabernis exponit. Tabernarum ſitus.

Itaque ſeculo IV. Tabernæ hæ ad Rhenum inter civitates munitas numeratæ fuerunt. Teſtantur hoc quoque inſignia Caſtri, quæ in Notitia Imperii Tabernis adpicta ſunt; illis prorſus ſimilia, quæ Saletioni, Tabernis vicinæ, ſubjiciuntur. Tabernas & caſtrum cuſtodivit Præfectus cum Menapiis, ſub Mogontiacenſi Duce conſtitutus. Ita enim Liber *Notitiæ Imperii occidentalis:* (*e*)

" Præfectus Militum Pacenſium Saletione.
" Præfectus Militum Menapiorum Tabernis.
" Præfectus Militum Anderecianorum Vico Julio.
" Præfectus Militum Vindicum Nemetes.

Menapii milites, qui Tabernis præfuere, ex Galliæ Belgicæ populo, qui nunc *Geldrenſes*, prodierunt. Legio hæc, nt Pacenſes, una quoque ex XXXII. Legionibus Comitatenſibus fuit., ſicuti eadem Imperii Notitia prodit. Geographus Ravennas, circa ſeculum VII. urbes, Argentorato vicinas, commemorans, mentionem quoque facit *Ziaberna*; ſed quas ille ex Tabernis noſtris intelligat, circumſtantiæ rerum non manifeſtant.

§. CLXXXIX.

Ceterum Tabernæ originis Romanæ, non Celticæ, fuerunt. Etymologia vocis id facile docet. Varia autem apud Romanos hujus vocis ſignificatio fuit. Quodcunque ex tabulis, trabibus ſeu aſſeribus, cunſtructum ædificium, habitationi idoneum, generali ſignificatu Latinis appellatur *Taberna*, ut *Tabernæ Diverſoriæ*, *Vinariæ*, *Luſoriæ*, *Mercatoriæ* &c. Sed & Romani caſtra ſtativa, ad reprimendos Barbarorum inſultus munita, metonymice Tabernas appellavere, quod ſimiles tabernæ magno numero prope illa caſtra longo temporis tractu ædificarentur. Senſum hunc adſtruxit JOSEPHUS SCALIGER, (*f*) quem noſtrum hic facimus. Tabernarum hinc plurium ad Rhenum & Vogeſum exorta ſunt nomina. Quum enim anguſtiæ & fauces in his montis partibus iter aperirent per Vogeſum, è re viſum eſt Romanis, eas præſepire, munire, firmare; ut barbaros & Alemannns præſertim, qui crebris imo continuis fere irruptionibus, à ſeculi III. primordio, Galliæ fines infeſtabant, intercluderent aditu. Ut autem militi, in ſtatione Nomen.

 poſito,

(*y*) Lib. XVI. Cap. II. BEATUS RHENANUS quidem pro *Tabernis* ex Codice corrupto hic *Tribellos* ſubſtituit, contra omnium Codicum meliorum fidem. Confer ſupra Lib. I. §. LIII. pag. 61.

(*z*) Ad *Ammian. Marcell.* Lib. XVI. Cap. II. pag. 87.

(*a*) *German. Antiq.* Lib. II. Cap. XII.

(*b*) *Geograph. Antiq.* Tom. I. pag. 310.

(*c*) Lib. XVI. Cap. XI. pag. 106.

(*d*) *Notitia Galliar.* in voce: *Taberna*, pag. 542.

(*e*) Pag. 145.

(*f*) *Lection. Auſon.* Lib. I. Cap. I. pag. 9.

poſito, ſuppeteret, unde vitam toleraret, ac muniis militaribus obeundis par eſſet, tabernas juxta munitiones exſtrui curabant, in quibus commeatus aliaque neceſſaria reponerentur. Itaque non in viis publicis & militaribus modo ad interjungendum ac manſionem quærendam, ſed & juxta fauces, quas operibus clauſerant, id genus tabernarum ſtatuerant.

Laudat Zosimus (g) Diocletiani Imp. providentiam, quod Imperii Romani limites oppidis, caſtellis burgisque, incluſerit, omnesque milites in illis collocaverit, ut barbaris irruentibus eo facilius occurrerent eosque repellerent; ut inſuper cives in urbibus ab hoſpitationis hujus onere liberaret, & ipſi diſciplinæ conſuleret militari, quæ extra urbes, corruptioni obnoxias, ſervatur melius. Laudabilem morem à Conſtantino ſublatum obſervat Zoſimus, eumque ex hoc capite ſupinæ negligentiæ haud male accuſat, ut Diocletiani, ſacris paganorum addicti, merita contra Imperatorem Conſtantinum extolleret. Ex Tabernis his militaribus, quibus ſenſim aliæ acceſſere domus, ſurrexerunt dein temporis progreſſu villæ, vici & oppida, quæ à prima origine ſua retinuerunt nomen; Romanum vere, non Celticum. Origo hæc propior veritati eſt, quam altera, quæ *Tabernis* his à nonnullis affingitur à caſtris, quæ illic loci Romani habuerint, quod Sebast. Munsterum (h) & Martinum Zeilerum (i) facere video: niſi tabernas & cuſtodias tales caſtra vocare velis perpetua, quo illa, quæ in Odiliano Vogeſi monte fuerunt, quæque Lucanus *caſtra* appellavit, referre poſſis.

§. CXC.

Origo. Quanquam vero Diocletianus milites in limitibus extra urbes collocare conſueverit, non tamen Tabernarum militarium uſum primus induxit, ſed frequentiorem reddidit; unde Tabernas noſtras Tribocenſes atque Ripenſes non ſub eo demum ortas crediderim. Mentionem quidem earum ante Itinerarium Antoninianum fieri non reperio, quum Cæſar, Strabo, Plinius, Ptolemæus, eas ſilentio transeant, quod meræ tum forte eſſent militares tabernæ, oppidorumque in cenſu nondum venirent. Ptolemæum enim nonniſi loca illuſtriora in Geographia ſua notaſſe, jam ſæpius à me obſervatum eſt alibi.

Monumenta. Tabernarum noſtrarum ad Rhenum ſplendorem veterem indicant multiplices antiquitatum Romanarum reliquiæ, quæ in dies ibi effodiuntur. De his ſuo jam tempore ſcripſit Beatus Rhenanus: (l) "Inveniuntur etiam illic (Tabernis) ab his, qui „ terram effodiunt, urnæ fictiles, nobilium Romanorum cinerem continentes & ſarco- „ phagi, ſed & gemmæ ſignatoriæ, ac vaſcula figlini operis rubella. „ Addit Rhenanus, apud easdem Tabernas in cœmeterio duo ſimulacra, Mercurium referentia, conſpici: quæ ego ibidem fruſtra quæſivi. Silvanii Probi Monumentum autem, ab eodem Rhenano relatum, in Antiquarium meum translatum eſt. Oppidum hoc, muris jam deſtitutum, vetus eſt Eccleſiæ Spirenſis patrimonium, bellicis caſibus hoc & ſuperiore ſeculo male habitum. Fuit Epiſcopi olim ſedes, antequam transferretur Bruchſaliam. Rivus Erlenbach, à Vogeſo deſcendens, Tabernas Montanas primum, inde Rhenenſes adit, Rheno ſe ibidem juncturus.

VICUS JULIUS.

§. CXCI.

Situs ejus. SOlus Notitiæ Imperii Libellus *Vici Julii* nobis conſervavit memoriam, ubi nempe Præfectos ad Rhenum, Duci Mogontiacenſi ſubjectos, exponit, atque inter Tabernas & Nemetes Vicum Julium collocat, eique *Anderecianos milites cum Præfecto* aſſignat. (m) Locum à Romanis quoqne exſtructum indicat nomen, quod à Principe quodam ex Julia gente, uti videtur, accepit; niſi ad alium quendam Julium, ut Vindicem &c. origines ejus velis referre. Juliacum (*Julich*) & Juliobona (*Dieppe*) ſimiles habuerunt origines. Vico Julio figuram caſtri cum quatuor turribus faſtigiatis ſubjecit Notitia Imperii: qualis Nemetibus, Altæ ripæ, Vangionibus, Mogontiaco, ſubjicitur. Quanquam nominis antiqui veſtigia ad Rhenum non extent, *Germersheimum* tamen, Electoris Palatini

(g) *Hiſtor.* Lib. II. Cap. XXXIV. Τῆς Ῥωμαίων ἐπικρατείας ἁπανταχοῦ τῶν ἐσχατιῶν τῇ Διοκλητιανοῦ προνοίᾳ κατὰ τὸν εἰρημένον ἤδη μοι τρόπον, πόλεσι καὶ φρουρίοις καὶ πύργοις διειλημμένης, καὶ παντὸς τοῦ στρατιωτικοῦ κατὰ ταῦτα τὴν οἴκησιν ἔχοντος, ἄπορος τοῖς βαρβάροις ἦν ἡ διάβασις, πανταχοῦ δυνάμεως ἀνθισταμένης τοὺς ἐπιόντας ἀπώσασθαι.

(h) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. CLXXIII.

(i) *Topograph. Palatinat. Rheni* pag. 16.

(l) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 323.

(m) *Notitia Imperii* pag. 145.

Palatini oppidum Præfectoriale, ad Queicham, ubi confluentes ejus cum Rheno, locum eſſe, ubi Vicus Julius olim, magno cum conſenſu Eruditi conjiciunt, CLUVERIUS, (*n*) BAUDRANDUS, (*o*) CELLARIUS: (*p*) nec nos in cauſa tam veriſimili diſſentimus. In Tractu enim illo, Tabernas inter & Spiram, ſitum eſt oppidum Germersheim. Weiſenburgum aut Landavia huc trahi non poſſunt, quod à Rheno nimis remotæ. Placuit tamen conjectura hæc SEBASTIANO MUNSTERO. (*q*) GUIDO PANCIROLUS in *Commentario* ſuo ad *Notitiam Imperii* (*r*) in alia omnia quidem diſcedit, & Juliacum Ubiorum, in Itinerario memoratum, huc adducit, ſed fruſtra, quando locorum ſitus ad Rhenum, non in mediterraneis, quærendus eſt. Ab initio nonniſi vicus fuit hic locus, uti nomen indicat; creſcentibus autem limitis Romani, ab Alemannica irruptione, periculis, vicus muro incluſus, munimentum vel caſtrum ripenſe evaſit. Unde Ptolemæum aliosve vetuſtiores illum præteriviſſe non mirum: ab Itinerario autem & Tabula prætetitum miror, quod illis temporibus locum jam præſidio munitum fuiſſe Notitia Imperii indicat, cujus auctor cum Itinerarii Tabulæque auctoribus fere coætaneus fuit. Vici enim apud veteres, uti hodie, ab oppido, urbe, civitate, differebant, quod mœnibus carerent, uti Bingii occaſione ex AUSONIO (*s*) diſcimus:

Addita miratus veteri nova mœnia vico.

Illis ipſis forte temporibus, quibus Bingium ex vico in oppidum convertebatur, & Vicus Julius converſus eſt. Factum illud, uti veriſimile, Valentiniani I. Imp. temporibus, qui, AMMIANO (*t*) teſte, Rhenum caſtris, caſtellis, arcibusque denuo munivit; hujus autem filii, Gratiani, poſtea Imperatoris, ſtudia direxit Auſonius, qui de Bingio hæc prodit.

BROCOMAGUS.

§. CXCII.

Brocomagi ſitus.

RECedentibus à Rheno ad interiora Tribocorum, ITINERARIO duce, nobis offertur Brocomagus. In itinere nimirum per ripam Pannoniæ à Tauruno in Gallias hæc loca cum intervallis annotantur: (*u*)

Argentorato		
Brocomago	- -	Mill. Paſſ. XX.
Concordia	- -	Mill. Paſſ. XVIII.
Noviomago	- -	Mill. Paſſ. XX.

Scilicet ab urbe Argentorato duæ ad Noviomagum Nemetum, ſive Spiram, viæ ducebant, Rhenenſis, quam vidimus, & mediterranea per Brocomagum & Concordiam, quæ examinanda jam reſtat. Brocomagus nomen ſincerum eſt loci, qui originis Celticæ eſt. Orthographiam hanc plures Codices probant, Blandinianus nempe & Longolianus, ut SURITA in *Notis* ſuis ad hunc locum teſtatur: quibus nos addimus tres Regios noſtros. Illos enim, qui *Brocomaco* habent, quæ forma etiam Tabulæ placuit, non ut contrarios reſpicimus. PTOLEMÆI βροκόμαγος huic quoque orthographiæ favet. Illi ergo, qui *Brotomagum* apud AMMIANUM, (*x*) aut *Brocomagno*, *Brocomaza* in Itinerario produnt, admitti non poſſunt. Etymologiam vocis ſupra (*y*) jam attigi. Situm loci examinantibus mira Codicum omnium Mſſ. Itinerarii, quos vel inſpexi, vel novi, occurrit corruptio. Unanimi enim omnes conſenſu monſtroſam Argentoratum inter atque Brocomagum XX. Mill. Paſſ. diſtantiam indicant. Hinc ſane patet, quantum Itinerario præferenda ſit Tabula, quæ nonniſi VII. Mill. Paſſ. computat; (*z*) veram intervalli Argentoratum inter & Brocomagum trium horarum menſuram, quæ ſeptem leugas præter propter conficiunt. Brocomagus ad Vogeſum, potius

---

(*n*) *German. Antiq.* Lib. II. Cap. XII. pag. 45.
(*o*) In *Lexico Geograph.* voce: *Vicus Julius.*
(*p*) *Geograph. Antiq.* Tom. I. Lib. II. Cap. III. pag. 310.
(*q*) *Coſmogr.* Lib. III. Cap. XI. ubi ſcribit: *Ego ſuſpicor eſſe Weiſſenburgum aut Landoƿam.*
(*r*) Cap. XC. pag. 146.
(*s*) In *Moſellæ* initio.
(*t*) Lib. XXVIII. Cap. II.
(*u*) ITINERAR. pag. 252. ſeq. Edit. Weſſeling.
(*x*) In loco ſæpe jam allegato Lib. XVI. Cap. II. ubi de Alemannis Argentoratum, Brocomagum, Tabernas &c. infeſtantibus Ammiano ſermo eſt. In Codice Regio diſtincte ſcribitur: *Primam ex iis* (Civitatibus) *Brocomagum occupavit.* Ita mecum obſervavit HENR. VALESIUS.
(*y*) Lib. I. §. XLV. pag. 57.
(*z*) *Tabula Theodoſiana* ita habet:

Argentorate		
Brocomaco		VII.
Saletione	-	XVIII.

HADR. VALESIUS in *Notitia Galliar.* pag. 102. turbavit hos numeros contra omnem Tabulæ fidem, quando ſcribit: " In Tabula Peutingeriana Brocomagus „ appellatur, poniturque inter Saletionem & Argen„ toratum, à Saletione VII. ab Argentorato XII. „ Mill. Paſſ. diſtans.

potius quam ad Rhenum, vergit, amœno fertilique ſitu ad amnem Sornam, tribus milliaribus communibus diſtans à Rheno. Julianus Cæſar, cum Alemannis prœlium conſerturus, inter Alſaticas urbes, ab hoſtibus cinctas, primam occupavit Brocomagum, ut ſcribit AMMIANUS. (a) Occaſione hac velitatio ad Brocomagum commiſſa. Ita enim Hiſtoricus porro ſcribit: "Juliano jam adventanti Germanorum manus, pugnam „ intentans, occurrit. Quumque in bicornem figuram acie diviſa, collato pede res „ agi cœpiſſet, exitioque hoſtes urgerentur ancipiti, captis nonnullis, aliis in ipſo „ prœlii fervore truncatis, reſidui diſceſſere celeritatis præſidio tecti. „ Bromagus, Lugdunenſis olim Galliæ locus, ſimilis fere nominis fuit, quem Itinerarium inter Vibiſcum & Minnodunum collocat; (b) de cujus ſitu inter ſe non concordant Geographi. GUILLIMANNUS in vico *Bromaſim*, proxime oppidum *Rue*, eum inveniſſe ſe putat.

§. CXCIII.

Status hodiernus.

Brocomagus noſtra hodie eſt *Brumat*, *Brumt*, *Brumpt*, Liechtenbergenſis Dynaſtiæ, ad Sereniſſ. Domum Haſſo-Darmſtadienſem ſpectantis; ubi veteris Brocomagi ſunt quærendæ reliquiæ. Omnium Geographorum hujus ævi conſenſum hac in conjectura reperio. (c) Tranſitum nominis à veteri forma in novam ſeculo IX. finiente invenimus. *Laurishamenſe Chronicon* (d) enim annotat, Arnulphum Imp. *Bruochmagat in Eliſatia S. Nazario donaviſſe.* Ne quis autem dubitet, verba hæc *Brocomagum* vel *Brumpt* noſtrum reſpicere, in tranſitu annoto, Monaſterii S. Nazarii Laurishamenſis, (*Lorſch*) in Strata montana, feudum ad noſtra usque tempora fuiſſe Brocomagum; cujus Dominium directum poſtremus Hanoviæ Comes Reinhardus à Moguntina Eccleſia, cui Monaſterium S. Nazarii fuerat conceſſum, redemit. Alemanni ſeculo V. locum hunc muris privaverant: ſed reſurrexit tamen ſeculo XIV. ſub Ludovico Bavaro (e) in oppidum, cujus veſtigia adhuc cernuntur, progreſſu temporis rurſus convertendum in vicum. Potior tamen pars veteris Brocomagi extra hodiernum ſitum fuerat, quod in omnibus fere Alſatiæ antiquæ oppidis, quæ Alemanni diruerant, obſervavi. Nullus in Alſatia locus, à Romanis olim habitatus, ſupereſt, in cujus area tot antiquitatis varii generis reliquiæ, ac Brocomagi, reperiantur. Præter omnis metalli modulique nummos ex quatuor primis ſeculis, vaſa diverſi generis figlina, rubelli præſertim & cineritii coloris, plurimæ cinerariæ urnæ, gemmæ cælatæ, fibulæ, annuli, claves, ſigna ænea, magnus imaginum lapidumque numerus, quos inter literati nonnulli, & toreumatici operis plures, poſtremis his ſeculis ibi reperti fuerunt. Superiore qui eruti ſunt ſeculo, eruentium periere barbarie: noviſſimis qui inventi temporibus, Principis cura ſervantur. In Muſeum meum tranſierunt, quæ infra in Monumentis producuntur. Præ omnibus Alſatiæ locis prærogativam hanc habet Brocomagus, quod ſolam dedit Columnam milliarem, quam unicam in his oris ſupereſſe novimus, quamque ego anno MDCCXXXVI. detexi.

CONCORDIA.

§. CXCIV.

Concordiæ ſitus.

IN via Mediterranea, Argentorato Spiram verſus, Brocomagum excipit Concordia, à Brocomago Mill. Paſſ. XVIII. disjuncta. Manuſcripta ITINERARII inter ſe concordant, tum quoad nomen, tum quoad intervallum, ſi unum Longolianum, quod Mill. Paſſ. XX. habet, excipias, cujus lectionem tamen Regii noſtri omnes cæterique Codices unanimi conſenſu damnant. A Concordia ad Noviomagum usque Nemetum, ſive Spiram, ab eodem Itinerario XX. Mill. Paſſ. computantur. Hæ utriusque intervalli menſuræ Concordiam collocant in medio fere inter Brocomagum & Spiram: atque adeo Weiſenburgum verſus nos ducunt. In hujus autem urbis vicinia vicus inſignis eſt *Altſtatt*, quod Germanici idiomatis nomen *Veterem urbem* (f) deſignat; ex cujus ruinis Weiſenburgum enatum, ut ex veteris Argentorati cineribus Strateburgum, ex Argentouariæ ruinis Colmaria,

(a) Lib. XVI. Cap. II.
(b) In itinere à Mediolano per Alpes Penninas Magontiacum pag. 352.
(c) ORTELIUS, MUNSTERUS, VELSERUS, SIMLERUS, CLUVERIUS, CELLARIUS aliique magno numero; noſtri etiam Rerum Alſaticarum Scriptores omnes.
(d) In *Collectione Duchesniana* Tom. III. pag. 501. ubi ad An. DCCCLXXXIII. Auctor Chronici ſcribit: "Arnolfus Imp. fiſcum proprii juris ſui nominatum Bruochmagat in Ehſatia ad S. Nazarium „ donavit.
(e) Hic An. MCCCXXXVI. conceſſit Hemmanno Dynaſtæ in Liechtenberg, ut locum hunc rurſus in oppidum erigeret. BERNHARDUS HERZOG in *Chron. Alſatia* Lib. III. Cap. XIII. pag. 38.
(f) Apud Italos ſimilis nominis *Orvieto* eſt, quod Germanis *Altſtatt*.

Colmaria, ex Helveto Benfelda, exortæ fuerunt. Enimvero apud Weiſenburgenſes conſtans traditio eſt, oppidum eorum olim eo in loco fuiſſe, ubi hodie Altſtatt: Abbatiam autem, à Dagoberto inſtitutam, dediſſe occaſionem, ut incolæ, ſede priſca relicta, quod alibi quoque toties factum eſt, circa novum Monaſterium paulatim ſuas ædes exſtruerent. Conjecturæ noſtræ de Concordia favere videtur, quod in Altſtadienſi area & agro multa Antiquitatis Romanæ documenta, nummi, teſtæ, fictilia vaſa eorumque fragmenta, effodiuntur frequenter, habitationis Romanæ teſtes certiſſimi; quorum nihil in Weiſſenburgo, aliisve circumjacentibus locis.

§. CXCV.

Non hodiernus Kochersberg.

Qui circumſtantias has omnes probe perpenderit, non mirabitur ille profecto, receptam nos repudiaſſe illorum ſententiam, qui *Concordiam* noſtram in Monte Arceque veteri Epiſcopi Argent. nunc diruta, *Kochersberg*, quinque milliaribus noſtris communibus ab Argentorato diſtante, requirunt. Sententiæ hujus auctor fuit Beatus Rhenanus. (*g*) " Concordiam, inquit, arbitror eſſe Cocherſpergiam Arcem; „ nam Alemanni incognitam ſibi *Concordiæ* vocem, nihilque ſignificantem, tamdiu „ torſerunt, more ſuo, donec in *pharetram* detorſerint. Qui Germanice ſciunt, intel- „ ligunt, quid velim. Fuit & hoc munimentum, à Romanis conditum, ad arcendas „ Alemannorum irruptiones, qui ſubinde Gallias incurſabant, haud dubie boni ominis „ cauſa ſic dictum. „ Conjectura hæc tamen omnis nonniſi levi quadam nominum affinitate nititur, quum cæteræ tamen circumſtantiæ omnes ei contrarientur. Scilicet Argentorato aut Brocomago proficiſcentibus Spiram nullo modo poteſt adiri noſter Kocherus Mons, transeundus illis, qui ab his locis, Occaſum verſus, in Galliam proficiſcuntur. Tribus leucis Francicis Montem hunc retro ſe relinquunt, qui Brocomago abeuntes Spiram contendunt. Adde quod intervallorum menſuræ, ab Itinerario indicatæ, Kocheræ Arci haud quaquam conveniant. Josias Simlerus tamen pro Kochero quoque ſtat.

Sed &, quod caput rei eſt, Ammiani narratio de Juliani pugna cum Alemannis, opinioni huic refragatur omnino. Chnodomarius, Alemannorum Rex, apud Argentoratum fuſus, ad caſtra ſua, quæ inter Concordiam atque Tribunos, duo Munimenta Romanorum, poſuerat, præceps confugit, ut ſubito Rhenum trajiceret. Qui, quæſo, Chnodomarius fugam verſus Tres-Tabernas, à Juliano nuper munitas, præſidioque firmatas, capeſſiſſe credendus? Kocherus Mons autem inter Argentoratum & Tres-Tabernas medius eſt. Qui veriſimile, ipſum Julianum, quum Tribus-Tabernis Argentoratum paucis ante diebus cum exercitu progrederetur, ut cum Alemannis confligeret, caſtra Chnodomarii, inter Concordiam atque Tribunos poſita, à tergo, vel certe ad latus, reliquiſſe intacta? Chnodomarius caſtra ſua inter Concordiam & Tribunos, hoc eſt, inter Altſtadium & Lauterburgum, (quod ad Tribunos referendum eſſe docui) puſuerat, ad Lutheram flumen, ita ut procul dubio viciniora eſſent Tribunis, ſive Rheno. Ad hæc caſtra fuga ſe proripuit, ut inde Rhenum trajiceret. Hoc modo omnia conſpirant egregie. Alemanni nempe diverſis in locis Rhenum eodem fere tempore transierant: plerique ſupra Argentoratum, in Rauracis atque Sequanis, forſan & in Tribocis nonnulli. Chnodomarius vero ſolus in Nemetibus transiverat, & nunc reditum in Germaniam ibi quæſivit, ubi ex Germania in Gallicum penetraverat limitem. Sed & cui bono in Kochero Monte Munimentum poſituri fuiſſent Romani, unde nec Rhenum, nec Vogeſum defenderent? Tres-Tabernas non muniviſſet Julianus, ſi Kocherus fuiſſet munitus, qui Juliano, à Tribus-Tabernis Argentoratum verſus cum exercitu proficiſcenti, transeundus erat. Num ſilentio locum hunc præteriturus fuiſſet in itinere illo deſcribendo Ammianus, Regionum noſtrarum gnarus; quippe qui ſub Juliano Cæſare, imo & ante, in his oris militaverat juvenis, atque Brocomagenſi pugnæ intereſſe potuerat; ſed Argentoratenſi non interfuit, ob Urſicinum, cujus cliens erat, paulo ante ex Juliani comitatu revocatum, ut Conſtantium Imp. in Orientem comitaretur?

§. CXCVI.

Aliorum ſententiæ.

Ex difficultatibus, quas Rhenano oppoſui, ſenſit aliquas jam Philippus Cluverius, (*h*) atque hinc ejusdem Rhenani furtiter oppugnavit ſententiam: ſed malo medicam manum allaturus, illud non ſuſtulit, quum Concordiam ad Druſenhemium figeret. Situs hujus vici ita comparatus eſt quidem, ut munimento Romano, quod ſupra jam annotavi, fuiſſet aptiſſimus, ſed diſtantiæ loci, ab Itinerario notatæ, refragantur omnino.

 Menſuras

(*g*) *Rer. German.* Lib. III. Cap. CCCXVI.

(*h*) In *Germania Antiqua* Lib. II. Cap. XII. pag. 42. ſqq.

Menſuras has autem, quamvis plurimis in locis peſſime corruptæ ſint, non ſine gravi ratione tamen erroris damnandas aut deferendas exiſtimo, præſertim ubi aliæ quoque circumſtantiæ favent. Cluverii ergo non minus, ac Rhenani, quem ille conſutat, valedicendum ſententiæ; hæc enim omni rerum veriſimilitudini contrariatur, licet plurimos ſectatores (*i*) ſit nacta: illa (*l*) Itinerario contrariatur directe. Sed & tertiam, à Rhenano Cluverioque diverſam, ſententiam commentus eſt Ammiani Commentator, HENRICUS VALESIUS, (*m*) Hadriani frater. Hic enim prope Brocomagum Concordiam quærendam eſſe putat, opinionisque ſuæ auctorem Itinerarium allegat. Sed qui ad Itinerarium provocare potuit, quod XVIII. Mill. Paſſ. diſtantiam Brocomagum inter & Concordiam ponit? Nec aliud ullum documentum video, quo locorum iſtorum vicinia, à Valeſio tradita, poſſit probari. Salva ergo ſtat noſtra de Altſtadio conjectura, quam primus in medium profero. Vico huic, qui tot nummos aliasque antiquitatis reliquias producit, ubi Ara illa Mercurialis inventa, locum ex Romana Antiquitate aſſignare quum cuperem, aptiorem profecto magisque idoneum, quam Concordiam, non reperi, & recte omnino reperiſſe me puto.

§. CXCVII.

Status loci. Neque vero Romanum hoc *Concordiæ* munimentum in Civitatem aliquam inſignem excreviſſe videtur; Ammianus enim illud non Civitatem, urbem, aut oppidum, ſed ſimpliciter munimentum appellat. Opportunus belli pacisque temporibus fuit ſitus Concordiæ. Caſtrum hoc Vogeſi fauces Romanis aperuit, hoſtibus clauſit. Legionem XXII. ibi fuiſſe præſidio inde veriſimile ſit, quod Magiſſius Hibernus, Cuſtos Armorum hujus Legionis, Mercurio Ædem Aramque ibi dicavit, prout teſtatur Lapis, in Caſtello S. Remigii (*S. Remi*) repertus. Caſtellum hoc, ab Abbate Weiſſenburgenſi in Altſtadii vicinia exſtructum eſt, Lapisque vel ex veteri Concordia eo translatus, vel Ædes, Mercurio dicata, extra Munimentum poſita fuit, eo ipſo in loco, ubi inſequentibus ſeculis Caſtellum hoc conditum eſt. Inſcriptionis Romanæ Characteres ſeculi IV. formæ ſatis ſimiles quum ſint, ad iſtud quoque tempus præſidiariam hanc Legionem repono. Originis Romanæ locum eſſe, nomen ipſum ſatis indicat, ſed & indicat AMMIANUS, Concordiam appellans munimentum Romanum. Nominis impoſiti occaſionem divinare non licet. Variis ex cauſis atque eventibus illud potuit prognaſci: vel à legionum, cohortium, exercituum in bellis civilibus, ſeculi primi præſertim, conſenſu, fide, conjunctione: vel generatim à concordia militum, in bellis ſub Auguſto, Tiberio, Germanico, Domitiano, aut, ſi magis deſcendere lubeat, ſub Probo, geſtis contra Germanos. Sed & ſua ejusdem nominis loca Itali habuerunt. Concordia Italiæ Longobardicæ oppidulum eſt, Comitatus jam titulo florens. Item Concordia Venetiæ, PLINIO, MELÆ, PTOLEMÆO, *Itinerario Antonini* (*n*) & *Itinerario Hieroſolymitano* (*o*) memorata. Concordia noſtra Nemetica ex Itinerarii rationibus viatores deduxit Noviomagum Nemetum, ſive Spiram. Sed & deduxit verſus Tribunos, quos inter & Concordiam aliqua debuit eſſe via juxta flumen Luteram; in qua Chnodomarius caſtra poſuit, ut vinculum inter duo hæc Munimenta Romana dirumperet.

TRES-TABERNÆ.

§. CXCVIII.

Tabernarum ſitus. TErtia via militaris ab Argentorato Divodurum, (*p*) adeoque à Rheno in mediterranea deflexit, & trans Vogeſum duxit. Hanc quoque ITINERARIUM (*q*) exprimit:

Argentorato		
Tabernis	- - -	Mill. Paſſ. XIIII.
Decem Pagis	- -	Mill. Paſſ. XX.
Divodoro	- - -	Mill. Paſſ. XX.

Tabula

(*i*) SIMLERUS *in Scholiis in Itinerarium* pag. 264. HADR. VALESIUS *Notit. Galliar.* pag. 152. ABRAH. ORTELIUS *Theſaur. Geogr.* voce *Concordia.* BAUDRANDUS, BERTIUS, CELLARIUS, aliique.

(*l*) Cluverii ſententiam vero de Druſenhemio ſecutus eſt MELECIUS (*Meleck*) in *Elſaſs und Breisgau Beſchreibung* pag. 123. *Auctor Antiquarii Rheni* pag. 225. HADR. VALESIUS memoriæ lapſu Cluverium Simlero conjunxit, quod uterque pro Kocherſpergio pugnavit, opinionem hanc aperte quum impugnavit Cluverius.

(*m*) *Not. ad Ammiani* Lib. XVI. Cap. XII. pag. 115.

(*n*) Pag. 128. & 281.

(*o*) Pag. 559. Edit. Weſſeling.

(*p*) Divodurum, urbem Mediomatricorum ſive Metenſem.

(*q*) In itinere de Pannoniis in Gallias pag. 240.

Tabula Theodoſiana menſuram viæ inter Argentoratum & Tabernas omittit:

Argentorate
Tabernis
Ponte Saravi - XII.
Ad Decem Pagos - X.

Ex tribus his locis poſtremis ſolæ Tabernæ Alſatiam noſtram reſpiciunt, reliqua ad Mediomatricos ulteriores, ſive, uti ſeculo IV. diviſio Galliarum obtinuit, ad Belgicam Primam, pertinuerunt. Decem pagi enim, jam *Dieuze*, Lotharingiæ pars ſunt. Tabernæ autem hæ, quæ ſolæ in Tribocis ſitæ, (cæteræ enim duæ ad Nemetes pertinent) ut à Rhenenſibus diſtinguerentur, recepto hodie ſtylo *Alſaticæ* appellantur; Germanice *Elſaſs-Zabern*, plerumque & abſolute *Zabern*, quum reliquis ſemper præponatur vocabulum, quod ſitum determinet, *Rheinzabern*, Tabernæ Rhenenſes, *Bergzabern*, Tabernæ Montanæ. Diſtantia ab Argentorato per Mill. Paſſ. XIV. unanimi Manuſcriptorum veterum conſenſu indicatur. Gallica hæc milliaria, ſive leugæ XIV. intervallum verum ſeptem horarum Argentoratum inter & Tabernas Alſaticas efficiunt; novo documento, Itinerarium per millia paſſuum in noſtro tractu Rhenano omnique Gallia Comata intelligere leugas.

§. CXCIX.

Ammianus Marcellinus, (r) ut à Tabernis Rhenenſibus ſive Ripenſibus noſtras Alſaticas diſtingueret, Tres-Tabernas appellat. Ejusdem nominis loca apud Italos olim quoque fuerunt; ut in via Appia, ab Urbe per Ariciam XXXIII. Mill. Paſſ. diſtantes. (s) Hæ ſunt illæ Tres-Tabernæ, de quibus Auctor *Actorum Apoſtolicorum.* (t) Aliæ *Tres-Tabernæ* inter Placentiam & Mediolanum occurrunt, in *Itinere Hieroſolymitano.* (u) Extra Italiam inter Apolloniam, Macedoniæ urbem, & Heracleam *Tres-Tabernæ* Epiri in eodem *Itinerario Antoniniano* memorantur, (x) in itinere Hieroſolymitano repetitæ. (y) Noſtræ Tres-Tabernæ Alſaticæ, Ptolemæo, aliisque trium primorum ſeculorum Scriptoribus ignoratæ, ſub Juliano Cæſare primum inclaruerunt. Hic enim in bello contra Alemannos, qui locum hunc paulo ante deſtruxerant, Tres-Tabernas noſtras reſtauravit. De Tabernis Rhenenſibus tamen intelligendum hoc eſſe putat Philippus Cluverius, (z) haud difficulter convincendus erroris, ſi Ammiani locus & rei geſtæ ſeries ponatur ob oculos. Ita enim ſcribit Ammianus: "Converſus „ hinc Julianus ad reparandas Tres-Tabernas, munimentum ita cognominatum, haud „ ita dudum obſtinatione ſubverſum hoſtili, quo ædificato conſtabat, ad intima „ Galliarum, uti conſueverant, adire, Germanos arceri. „ Factum hoc eſt Conſtantio Auguſto IX. & Juliano Cæſare II. Coſſ. circa An. Chriſti CCCLVII. Scilicet quum pridem magnis agminibus & ſeptem Regulis ſuis Alemanni Rhenum tranſiiſſent, atque in Galliæ interiora penetraturi, Munimentum hoc Romanum, quod eos ab aditu faucium Vogeſi prohibuerat, diruiſſent, Julianus Cæſar ante omnia de reſtaurando ſollicitus fuit; ut ſi forte vinceretur ab hoſte, tutus per viam hanc reditus ei in Galliam foret. Interea Alemannorum Reges, robore virium ſuarum in unum collecto, prope urbem Argentoratum conſedere. Julianus reparato munimento, præſidiisque munito, verſus hoſtem progreſſus eſt. Addit Ammianus, à loco, unde Romana promota ſunt ſigna, Tribus-Tabernis nimirum, ad usque vallum barbaricum, quod prope Argentoratum fuerat, quatuordecim leugas Gallicas, id eſt, unum & viginti millia paſſuum fuiſſe, atque tum pugnæ datum fuit initium.

Cluverii ſententia.

§. CC.

Tabernarum Alſatiæ diſtantia ab Argentorato hic præciſe indicatur. Tabernæ Rhenenſes Argentorato plusquam duplo majore ſpatio abſunt. Adde, quod Tabernas has ad Rhenum fruſtra muniturus fuiſſet Julianus, imo nec munire potuiſſet; quando Alemanni jam pridem limitem hunc Romanum perruperant, atque tranſito Rheno, omnem noſtram Gallicam magnis exercitibus occupaverant oram. Miror ergo in verba hæc erumpere potuiſſe Cluverium: "Stultum fuiſſet & amentiæ plenum ad Tabernas „ Elſaticas

Refutatio ejus.

(r) Lib. XVI. Cap. XI.
(s) Antonini *Itinerar.* pag. 107. Edit. Weſſeling.
(t) *Actor.* Cap. XXVIII. verſu 15.
(u) *Itinerar.* pag. 617.
(x) Pag. 318. & 329.
(y) Pag. 607.
(z) *Germania Antiq.* Lib. II. Cap. XII. pag. 44. ſq. Cluverius, de duabus Tabernis agens, uno in loco Ammianum recte de Rhenenſibus explicat, atque hinc male a nonnullis, uti oſtenſum, arguitur, qui ad Alſaticas referunt: hoc loco tamen ipſe merito arguendus, quod Tabernis Alſaticis ea auferat, quæ omnes circumſtantiæ rerum, & ipſa Ammiani verba, illis ſatis aperte adſcribunt.

„ Elſaticas exſpectare hoſtem, atque hinc demum è Gallia eum repellere: quum multo „ ſatius foret, in ipſo limite, id eſt, in Rheni ripa, ei obſtare, transituque eum arcere. „ Sed in Argentoratenſibus campis jam ſederant ſeptem Alemannorum Reguli, quum Julianus Tres-Tabernas muniret, vel repararet potius, adeoque à tranſitu Rheni, quem pridem transierant, eos arcere non potuit; arcendi potius erant à tranſitu Vogeſi, ne, Rheno jam ſuperato, ex Tribocis ad Mediomatricos, Leucos, Treviros, alioſque Galliæ interioris populos, ab hac parte penetrarent: cui rei proſpecturus Julianus Tres-Tabernas, ad Vogeſi fauces, adeoque Alſaticas, non Rhenenſes, quæ ab Alemannis cinctæ tum fuerant, munivit. (*a*) Reliqua, quæ pro cauſæ ſuæ defenſione Cluverius affert, nou infirmo minus talo nituntur. Fingit ille Alemannorum caſtra, ubi prœlium commiſſum eſt, haud procul à Coocordia, quam Druſenhemium interpretatur, circa vicum *Stattmatt* poſita fuiſſe; jam vero à loco hoc Tabernas Alſaticas uonniſi octo millium paſſuum intervallum eſſe ſubſumit, quum Ammianus XXI. Mill. Paſſ. à Tribus-Tabernis ſuis computet, quæ à Tabernis Rhenanis in vicum *Stattmatt* præciſe incidunt. Verum & in hac diſputatione ſua multiplices errores admittit Cluverius, conjecturis ſuis nimium fere ſemper indulgens. Primo non pugnatum eſt ad Concordiam, ſed in Argentoratenſibus campis, quod tota rei geſtæ ſeries apud Ammianum manifeſtat. Secundo Concordia ab eo pro Druſenhemio ſumitur, quum ea in loco, ubi hodie Alt-Statt, prope Weiſſenburgum oppidum, olim poſita fuerit, quod ex Itinerario Antonini & aliis rerum circumſtantiis modo oſtendimus. Tertio Concordia in mediterraneis ſita, ſex millibus paſſuum à Rheno diſtabat, quam ad Rheni ripam ſitam fuiſſe, præcipitanter Cluverius ſcripſit. BEATUS RHENANUS & ipſe quidem circa ſitum Concordiæ errat, ubi eam in Kochero Moute quærit; ſed Tres-Tabernas tamen Ammiani recte pro Alſaticis ſumit. (*b*) Hoc ergo iu loco Cluverius nimii amoris in patriam non debuiſſet accuſare Rhenanum. Omnia ſane locis temporibuſque conveniunt, ſi prœlium iſtud ad Argentoratum habitum fuiſſe: ſi Julianum Cæſarem Tabernarum Alſaticarum munimenta contra Alemannos inſtauraſſe: ſi Concordiam denique & Tribunos, quo Chnodomarius poſt amiſſum prœlium caſtra ſua repetiturus fugit, Altſtadium & Lauterburgum eſſe, ſtatuamus.

§. CCI.

Status hodiernus.

Unde vero Tabernis noſtris Alſaticis nomen *Tres-Tabernæ* impoſitum, non liquet ſatis. Id tamen certum eſt, oppidum hoc noſtris temporibus eſſe triplex, ſive in tres partes diviſum. Cluverius Librarios accuſat erroris, aut plane ſciolum hic quendam interpellat, qui loci ejusdem nominis in Latio gnarus, pro *Tabernas* lubitu ſuo *Tres-Tabernas* ſcripſerit. Ratio quædam communis eſſe potuit, ob quam omnes hæ Tabernæ, tum Alſaticæ, tum Italicæ, Tres-Tabernæ appellarentur. Locum natura ipſa fortiter munivit. Oppidum enim, ad montium fauces inter ſaxa præalta ſitum, undique clauditur, & portæ ad inſtar cuſtodit Vogeſum. Hodie ſedes eſt Argentinenſis Epiſcopi, uti Tabernæ Rhenenſes olim Epiſcopi Spirenſis ſedes fuerunt, quæ bellorum occaſione Bruchſalium, in Trans-Rhenanam Germaniam, translata. Lapides Literati nonnulli, Romanæ habitationis teſtes, circa Tabernas has Alſaticas reperti fuerunt noſtra ætate, quos inter Monumenta producimus infra.

TABERNÆ MONTANÆ.

§. CCII.

Tabernæ Montanæ.

AD alias Vogeſi fauces Alſaticas, duodecim milliarium noſtrorum intervallo, ſunt & aliæ *Tabernæ*, quas communem cum Tribus-Tabernis originem Romanam habuiſſe, uemo facile dubitaverit, licet nullus ex omni antiquitate Scriptor, nullumque aliud Monumentum, eas nobis indicet. Uſus à pluribus ſeculis appellavit *Montanas*. (*c*) HADRIANUS VALESIUS (*d*) Tabernas AUSONII, (*e*) perenni fonte riguas, referri huc debere exiſtimat. Ita enim loquitur: " Ambabus Tabernis (Rhenenſibus nempe atque Alſaticis) tertias „ adjungere convenit in eadem Germania prima ab Auſonio in Edyllio X. celebratas, quum

(*a*) Confer etiam DIONYS. PETAVIUM in *Notis ad Juliani Epiſtolam ad Senatum populumque Athenienſem* pag. 100. Edit. EZECH. SPANHEM. Adde LINDENBROGIUM ad HENR. VALESIUM in *Notis ad Ammianum* Lib. XVI. Cap. II.

(*b*) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 321.

(*c*) Media tamen ætate in Chartis Imperatorum ſubinde abſolute vocantur *Tabernæ*, *Zabern*.

(*d*) *Notitia Galliar.* voce: *Tabernæ*, pag. 542.

(*e*) In *Moſella*, quod Edyllium X. eſt, verſu 8.

GEOGRAPH.

quum ait, ſe ab urbe Mogontiaco Auguſtam Trevirorum petentem, tranſito flumine „ Nava, quod vulgo *Nah* dicitur, iter feciſſe per Dumniſſum & Tabernas, & tandem in „ primo Belgicæ Primæ introitu Noviomagum oppidum ad Moſellam, Auguſtæ Trevi- „ rorum propinquum, Numagen vulgo dictum, conſpexiſſe. Verſus Auſonii tales ſunt: „

Tranſieram celerem nebuloſo flumine Navam, &c. Paulo poſt: „
Prætereo arentem ſitientibus undique terris „
Dumniſſum, riguasque perenni fonte Tabernas: „
Et tandem primis Belgarum conſpicor oris „
Nivomagum, Divi caſtra inclyta Conſtantini. „

Hæ Tabernæ, perenni fonte irrigatæ, inter flumen Navam ac Noviomagum, ſeu „ Nivomagum Moſellanum, poſitæ, quibusdam vocantur nunc à ſitu Tabernæ Montanæ „ *Berg-Zabern*, interdum parvæ Tabernæ, *le petit Saverne*, & à Tabernis Rhenanis „ abeſſe XII. milliaria ac nonaginta paſſus dicuntur. „ Sed ipſum Valeſii ratiocinium conjecturam ejus de Tabernis Montanis evertit, ſi vel obiter ſitus locorum inſpiciatur. Moguntiaco vel Bingio progreſſurus Treverim peregrinator, XX. milliaribus Gallicis tendit verſus occaſum; Tabernæ Montanæ vero totidem milliaribus ſitæ ſunt verſus meridiem. Tria ergo hæc loca in triangulo poſita ſunt, quod Valeſiano ſyſtemati plane contrariatur, quum duplex viæ ſpatium per Tabernas Montanas Treverim proficiſcenti emetiendum fuiſſet.

§. CCIII.

Tabernæ Auſonii.

Josephus Scalioer (*f*) omni ſtudio probare niſus eſt, Itineris, ab Auſonio per Moſellam deſcripti, initium non ab urbe Moguntiaco, ſed ab Argentorato, ſumendum; hocque caſu iter ad Treviros per Tabernas quidem Montanas longius, brevius tamen per Tabernas Alſaticas, inſtituitur. Verum Scaligeri conjecturam ſupra, ubi de Argentorato actum, deſtruximus, oſtendimusque à Bingio Treviros verſus iter inſtituiſſe Auſonium; quo in itinere per avia nemoroſa ad Dumniſſum (*g*) denique & Tabernas pervenit, quæ Tabernæ, diverſæ prorſus ab Alſaticis & Montanis, temporis ſucceſſu vel nomen mutarunt, vel prorſus perierunt; adeo ut Vinetus (*h*) eas determinare auſus non ſit. Freherus (*i*) eas ſeu *Caſtellauno*, ſeu *Berncaſtello* oppido, applicat, quod in primis hujus nominis literis *Tabernæ* vocis elementa quædam ſuperſunt. Quicquid hujus rei ſit, præter diverſas illas Tabernas, quarum tres Alſatia hodierna continet, quartas adhuc fuiſſe, Moſellanicas nempe, Auſonio memoratas, inter Moguntiacum & Treviros ſitas, in aprico eſt. Sive enim Auſonii locum de oppido quodam, ſive de diverſoriis, intelligas, quæ juxta fontem in illa via reperiuntur, M D. paſſibus circiter ſupra amnem *Baldenau*, (*k*) ex quo rivulus, limpidiſſima aqua profluens, Moſellæ paulo infra Noviomagum (*l*) redditur; aliæ prorſus Tabernæ inde exſurgunt, ab Alſaticis diverſæ. Montanæ Tabernæ ergo inter illa antiquitatis loca referendæ, quæ, memoria ipſorum apud Scriptores veteres licet nulla occurrat, Romanæ tamen originis haud dubie ſunt. Ibi enim memorabile illud Romanorum Monumentum, *Deo Vogeſo* dicatum, (*m*) præterito ſeculo adhuc extitit; quod neſcio, qua fatorum injuria, ab eo tempore periit. Receptos Regionis illius incolarum ſermones ſi audias, Tabernæ illæ vel à Julio Cæſare fundatæ fuerunt, vel à Druſo, cujus caſtra villæ contiguæ *Druſweiler* ſuum quoque dederint ortum.

Tabernæ Montanæ à Rhenenſibus nonniſi quatuor leugarum communium intervallo diſtant, atque eodem interluuntur amniculo, (*n*) qui inde ad Tabernas Rhenenſes profluit, & ibidem aquas ſuas Rheno miſcet. At à Tabernis Alſaticis duodecim leucis abſunt; à Concordia (*Altſtatt*) duabus; ita ut inter Rhenenſes & inter Concordiam ſitæ, duorum Munimentorum commune extiterint vinculum. Ceterum Montanæ Tabernæ ad Vogeſi radices exſtructæ ſunt, & quidem in illo Vogeſi tractu, qui Waſgovia, ſeu Voſagenſis Pagus, appellatur, in quo Weiſſenburgum quoque ſitum eſt oppidum. Stant in aſcenſu jugi, veluti clauſtrum Montis, ad quem ampla, fertilis, amœna & læta, ſe porrigit planities, hortis, pratis, agris, vineis, conſita.

(*f*) *Auſonian. Lection.* pag. 7.
(*g*) Hodie *Denſen*, infra Kirchbergam.
(*h*) In *Notis* ad hunc *Auſonii* locum.
(*i*) In *Originibus Palat.* Part. II. Cap. XVI. pag. 81.
(*k*) *Belginum* veteribus.
(*l*) *Neumagen* hodie.
(*m*) Vide ſupra Lib. I. §. XC. pag. 79.
(*n*) Rivus hic paſſim vocatur *Erlebach*, non modo in Tabulis Geographicis Alſatiæ, ut & Palatinatus, ſed in Lexicis quoque Geographicis & Hydrographicis, at male. Tabernenſis enim rivus in villa *Berckenbardt* naſcitur, quæ aliquot millibus paſſuum remota eſt à Tabernis Montanis. Erlebach vero è fonte inter villas *Ober-Schlettenbach* & *Forder-Weidenthal* profluit, & per villam *Erlebach*, cui nomen dedit, ac *Nieder-Schlettenbach* delapſus, non Rhenum, ſed Lutteram ingreditur. Adjicio hæc ad corrigenda ea, quæ in *Alſatia Conſpectu* §. XXXVIII. pag. 25. protulimus.

LUCUS AUGUSTI.

§. CCIV.

Lucus Auguſti.

CIvitatibus, Munimentis Caſtelliſque, Alſaticis addendus eſt locus, in Marmore memoratus Romano, nempe *Lucus Auguſti;* quem in Tribocis quoque ſitum fuiſſe, ex illo diſcimus. Marmoris Epigraphen Smetius, Gruterus, (o) Sponius, (p) dederunt: & hic quidem omnium optime, ex Codice nimirum Bibliothecæ Barberinæ, ubi ita loquitur:

D. M.
T. NIGRIO
SIMILI. TRIBOCO
EX. GERMANIA. SVPERIORE
LVCO. AVGVSTI. NIGRIVS
MODESTVS. FRATRI. OPTIMO
ET. PIISSIMO. CINERARIVM
FECIT.

Præcipuum hujus Inſcriptionis nomen *Triboco* aliter effert Gruterus, apud quem legitur: *T. Nigrio. Simili. T. Fil. Boco.* Quodſi nomen hoc tollitur, *Lucus Auguſti* ad quemcunque alium Germaniæ Superioris tractum non minus, quam ad Tribocos noſtros, poſſet referri. Marmor Romæ omni cura diligentiaque quæſivi, ut ex ipſo genuinum Inſcriptionis exemplum deſcriberem, ſed operam perdidi. Barberini ergo Codicis ſtandum eſt fide, donec ipſum prodeat Marmor.

Lucos olim plurimos Diis, Deabus, Nymphis &c. Græca & Romana conſecravit Religio. Adulatio fecit, ut deinceps Cæſaribus quoque conſecrarentur, præſertim Auguſto, cui Hiſpani Tarraconenſes & Lugdunenſes Galli Aras dedicarunt. Eodem modo apud Hiſpanos & Gallos fuerunt *Luci Auguſti;* apud illos quidem inter *Martias* & *Timalinon;* (q) apud hos vero in Gallia Narbonenſi, uti Plinius (r) tradit. Quodſi Romana, quam protuli, Inſcriptio, incorrupte à Sponio edita, Lucus noſter Auguſti, in Tribocis poſitus, tertius hujus nominis locus eſſet, quorum memoria nobis ex Antiquitate ſuperſtes. Secundum hoc Marmor autem T. Nigrius Similis, ex Germania Superiore, ſpeciatim ex Tribocis, & quidem Luco Auguſti, ortus, Romæ mortuus eſt; ubi frater ejus, Nigrius Modeſtus, cinerarium ei fecit. Ex Tribocis noſtris civis non unus fortunarum ſuarum ſedem apud exteros quæſivit. Mattonum Reſtitutum, civem quoque Tribocum, apud Lugdunenſes ſediſſe atque ſepultum fuiſſe, ſupra (s) memoravi. Ceterum nullus hodie apud Alſatas inferiores ſupereſt locus, qui nomine, vel aliis circumſtantiis indicaret nobis, Lucum Auguſti ibi eſſe quærendum.

MUNIMENTORUM ET CASTRORUM ROMANORUM IN VOGESO ALSATICO RUDERA.

§. CCV.

Munimenta Vogeſiana.

ENumeravimus Urbes, Caſtella & reliqua loca, quorum nomina ex omnibus Græcæ atque Romanæ Vetuſtatis documentis erui potuerunt. At præter hæc cognita reperiuntur quoque hinc inde in occidentali Alſatiæ limite, Vogeſo, Caſtrorum & Munimentorum, à Romanis exſtructorum, rudera, quorum nomina ad noſtram non pervenerunt ætatem, ſed ſubſiſtunt ruinæ. Orientalis enim Galliæ limes in Alſatico tractu duplex repagulum habuit, Rhenum nempe & Vogeſum; ut nimirum, Rheno ſuperato, Vogeſus hoſtibus ſuperandus reſtaret. Vogeſianorum hujus generis Munimentorum anonymorum duæ claſſes fuerunt: alia in ſummitatibus montium, alia in vallium clauſtris & faucibus, poſita reperimus. Pervius enim hinc inde Vogeſus à Romanis

(o) *Inſcript.* pag. 850. num. 10.

(p) *Miſcell. Erud. Antiquitatis* pag. 188. Sponium Christoph. Cellarius *Geogr. Antiq.* Tom. I. Lib. II. Cap. III. pag. 302. aliique paſſim ſecuti ſunt.

(q) *Itinerar. Antonin.* pag. 430. Edit. Weſſeling.

(r) *Hiſt. Natur.* Lib. III. Cap. IV.

(s) Lib. II. §. XXIX. pag. 138.

GEOGRAPH.

Romanis reddendus quum fuerit, & commerciorum, & militum, ad oram Rheni excubantium, cauſa, aperturæ illæ tamen & fauces cuſtodiendæ erant Caſtellis vel Caſtris ſtativis, quæ eas, veluti portas, aperirent & clauderent; quam in claſſem Tabernas noſtras atque Concordiam, certiſſimas Vogeſi cuſtodes, retulimus. Illa vero, quæ in montium altorum apicibus conſtituta fuerunt, caſtra, non populos modo atque provincias, ab utroque latere ſitas, in fide & obſequio continuerunt, ſed & ſpeculæ ſimul extitere, ex quibus Germaniæ vicinæ motus cognoſcerentur.

Ne quid ergo in nobili hoc, de Geōgraphia Romano-Alſatica, argumento neglexiſſe videar, breviſſimis indicaturus ſum illa quoque Vogeſi loca, in quibus Caſtrorum anonymorum reliquias nonnullas ex ævo Romano adhucdum reperimus: ab illis, quæ in verticibus Vogeſi poſita fuerunt, initium ducturi. Juraſſum enim, licet hic medio ævo Ducatus Alſatiæ limes extiterit, & Munimentorum Romanorum reliquias quasdam in Alſatiæ hodiernæ vicinia nobis etiamnum oſtendat, prætermus ſilentio. Wartenbergenſis Caſtelli, quod in Juraſſi, Baſiliam verſus excurreotis, promontariis ſitum, alii à Druſo, alii à Juliano, alii à Valentiniano I. exſtructum voluerunt, rudera in Rauracorum Auguſta paucis expoſui. Vogeſus autem plures hujus generis reliquias & in apicibus, & in convallibus montium, plerumque haud procul à viis publicis diſſitas, continet, quorum priſca locorum nomina nobis non conſtant.

§. CCVI.

Superioris Alſatiæ.

Antiquis temporibus frequentior Vogeſi transitus fuit per vallem, quæ nunc *Orbeana* vocatur, in qua Keilersberga oppidum ſita. Fauces illas montis munitiſſima arce Germaniæ Imperatores medio ævo inſtruxerant, ut ex magnis ejus ruderibus patet. Veteres Romani vero haud procul ab arce altiſſima Hohenack, quæ valli huic imminet, & ſuperioris ſeculi bellis deſtructa fuit, caſtra quoque poſuerant: cujus rei index eſt murus ampliſſimus, XII. pedes latus, plures centenus longus, quem ante hos fere annos ducentos Daniel Specklinus, (*t*) Argentoratenſium Architectus, ipſe vidit & deſcripſit. Sed & in alio quodam Vogeſi vertice, qui prope Rappoltivillæ oppidum ſe erigit, & ab accolis *Tannchel* (*u*) vocatur, magna lapidum congeries, in muri formam olim compoſita, cernitur. Siccus, non cæmentitius, murus eſt; de quo multus apud accolas, qui illa montium faſtigia frequenter adeunt, ſermo. Montem ego aſcendi, ut meis ipſe oculis dijudicarem, quid tandem hac de re, poſt tot ſermones, ſuper ea habitos, ſtatuendum. Et reperi ſane lapidum mediocris magnitudinis coacervatorum ſeriem, per montis illius juga continuatam, nullo uſſibi cæmento adhibito. Sed nullus ibi lapis dolatus, nullum literæ alicujus vel imaginis cælatæ veſtigium. Unde in eam denique opinionem inductus ſum, ut crederem, maceriem hanc à Romanis congeſtam, ut ejus ope præſidia, tum in apicibus, tum in clauſtris & convallibus, Vogeſi poſita, inter ſe communicarent; atque adeo muro fere continuo, veluti vallo quodam Gallia tegeretur interior, ſi rupto Rheni limite hoſtis Germanus plana jam occupaſſet Alſatiæ. Per ardua enim illa Vogeſi juga continuantibus iter, ſimilis muri abſque cæmento occurrunt reliquiæ, quæ per quinque horarum ſpatium ad Divæ Odiliæ montem usque porriguntur. Hic ſumma inter Vogeſi Alſatici cacumina eminens & ipſe olim inſigni Romanorum Munimento atque propugnaculo fuit inſtructus. Caſtrorum Odilianorum, operis ſtupendi, munitionem dabimus infra. Bellicaoi enim montis hujus munitionem appello, quod omnia reliqua, militaris nempe via ſtrata Romana, per quam aſcendebatur, murus impenetrabilis præcipitia cingens, caſtrenſem, potius quam religioſum, locum loquuntur. Romana autem, non antiquiora Celtica, aut Francica poſterioris ævi, hæc ſtativa fuiſſe, nummorum Romanorum, qui ibi reperiuntur, frequentia indicat; quum è contra in Alſato-Lotharingico Dunonis monte Ferrato omnia religionem potius, quam caſtra loquantur.

§. CCVII.

Inferioris Alſatiæ.

Ab Odiliano monte progredientes in Vogeſo, poſt milliarii unius intervallum in arcem montanam *Girbaden* (*x*) incidunt, in cujus tractu ante duo hæc ſecula veteris muri, quater mille pedum longi, veſtigia ſupererant, uti idem, quem modo protuli, teſtis Daniel Specklinus, (*y*) Vir fide dignus & ſagax, nos docet. A Girbada, in

(*t*) *Architectura* Part. II. Cap. V. pag. 88.

(*u*) Diminutivum eſt vocis Germanicæ *Tanne*, Abies; unde *Tannchel*, ſilvula abiegna, quæ olim ibi fuit, & ex qua nonnullæ adhuc abietes vetuſtæ ſuperſunt.

(*x*) Scribitur quoque *Geierbaden*, Arx in bello Tricennali deſtructa.

(*y*) *Architectura* Part. II. Cap. V. pag. 88.

in Vogeſi dorſo ſita, qui per quinque milliaria continuant iter, ad Dagsburgici Comitatus montana delabuntur; ubi Vugeſus, non curribus quidem, rhedis vel carris, at peditibus & equis, pervius eſt. Munitionis, ibi factæ, veſtigia ſuperſunt haud levia, & quidem in vicinia montis, qui à Leone IX. Puntifice, in Caſtro Hugonis Comitis, patris ejus, ibidem nato, *Mons Leonis* (z) etiamnum appellatur. Caſtra illa autem & Munimenta fuiſſe Romana, imo & Romanas ibidem magno numero extitiſſe habitationes, Templi, Mercurio dedicati, ſepulchreti item Romani ac ædificiorum plurimorum ampliſſima in illis ipſis partibus rudera, quæ oculis noſtris diligenter luſtravimus, quæque infra in lucem proferimus, aperte indicant.

Dagsburgicis verſus ſeptentrionem vicina ſunt Tabernenſia clauſtra, curribus olim vehiculisque jam pervia, atque hinc à Romanis munimento inſtructa. Quinque milliarium inde noſtrorum intervallo fauces Vogeſi Niderbronnenſes ſe offerunt, quæ ad Lotharingicam Arcem Bithenſem (*Bitſch*) trajectum ſatis facilem itinerantibus aperiunt. Niderbronna in ipſo faucium aditu poſita eſt: Vicus amplus, Aquis mineralibus frigidis commendabilis. Mons adjacens Caſtellum aliquod munitiſſimum, & adhuc ſatis erectum, oſtentat, cujus nomen *Waſenburg*, Burgus ad Voſagum. Specklinus non Munimentum modo Romanum hoc eſſe, cum aliis neotericis Scriptoribus plurimis putat, (*a*) ſed & pro Tiberii Imperatoris opere venditat; quod BERNHARDUS HERZOG (*b*) Antonino Pio adſcribit: quo teſte uterque hoc faciat, equidem non divino. HELISÆUS RŒSLINUS (*c*) ſpeculam Romanam, nulla temporis epocha addita, interpretatur. Inſcriptio Rumana autem, rupi ſuppoſitæ inſculpta, omnes has conjecturas evertit, docetque *Attegiam tegulitiam Deo Mercurio ibi poſitam fuiſſe ex voto;* adeoque non Munimentum, ſed ædem, ex opere tegulitio conſtructam, illam rupis partem occupaſſe, ubi Arcis, medio ævo munitæ, ex lapidibus quadris erectæ, nunc rudera conſpiciuntur. Hæc ergo rudera mediæ ætatis ſtructuram, quæ in Romanæ ædis everſæ locum ſucceſſit, annuntiant; ita ut opus Romanum lateritium exceperit lapideum Germanici ævi, illis arcibus ſimile, quarum aliquot centenas, media ætate in Vogeſo exſtructas, Alſatia vidit, imo etiamnum in ruinis jacentes miratur. Quando autem lapideas Caſtri Niderbronnenſis ruinas, hodieque conſpicuas, nullo plane modo ad Romanos pertinuiſſe doceo, quum Inſcriptio, rupi inſculpta, non Caſtellum, ſed ædem ſacram, Romano ævo ibi conditam, indicet, haud quaquam diffiteor tamen, prope fauces has Niderbronnenſes ſtativa olim caſtra vel Tabernas, cæteris Tabernis Tribocorum & Nemetum ſimiles, extitiſſe. Vogeſus illa in parte nimium pervius fuit, quam ut Romani incuſtoditum reliquiſſent. Quid quod tractum illum, Romanis habitatoribus plenum, multiplices Monumentorum, quæ infra proferimus, teſtentur reliquiæ? Vetus nomen loci incognitum eſt, quando nec ab ullo Scriptore, nec ab ullo monumento veteri, aliquod nobis indicetur veſtigium, unde hac de re conjecturam aliquam deſumere liceat.

§. CCVIII.

Tabernæ-Montana.

Niderbronnenſia hæc Vogeſi clauſtra ordine excipiunt Tabernæ-Montana, quæ Vogeſianorum omnium, quantum quidem novimus, & quantum natura ipſa indicat, clauſtrorum & faucium in Alſatia fuere extrema. Fauces has cuſtoditas fuiſſe ſtativis Romanis, unde originem & nomen ceperunt Tabernæ Montanæ, jam ſupra edocui. Dubius aliquando hæſitavi, an non Dononis Mons, qui etiam *Ferratus* appellatur, in caſtrorum Vogeſianorum numero ſit reponendus: ſitus ejus ad publicam, quæ à Tribocis ad Mediomatricos duxit, viam, ædificia monti altiſſimo impoſita, aliæque circumſtantiæ favent conjecturæ. Sed re probe examinata, locum mere religioſum fuiſſe reperi tandem. Hoc non Templi modo, Mercurio ſacrati, veſtigia, quæ ibi ſuperant, ſed & ingens Mercurialium ſimulacrorum, lapidibus magnis inſculptorum, numerus perſuadet; quibus maxima Montis pars, tum ſuprema, tum media, adeo fuit occupata, ut caſtris locandis ſpatium vix ſuperfuiſſe videatur. Hæc de Munimentis, arte factis, quibus vetus Alſatia, aquis & montibus utrinque à natura vallata, ſub Romanis munitior evaſit: quem morem noſtra quoque ætas, Romanæ imitatrix, Gallico ſub Imperio ſervat.

§. CCIX.

(z) *Leonsberg.*
(a) *Architectura* loco cit.
(b) *Chron. Alſat.* Lib. III. pag. 53.
(c) In libello Germanice edito, cui Tit. *Elſäſſ- und Waſsgauiſchen Gebirgs Gelegenheit &c.* Cap. XI. pag. 161.

§. CCIX.

Stativa æſtiva & hiberna.

Stativa ſua Caſtra Romani in Æſtiva & Hiberna diviſerunt. Hibernis ad Rhenum contra Germanos multo magis opus erat, quam æſtivis, quum flumen glacie tectum, à barbaris facile tranſiri potuiſſet. Caſtrorum & munitionum Rhenenſium primus auctor fuit Druſus Germanicus, bellis contra Germanos feliciter geſtis tam inclytus, Auguſti privignus. Anteſtamur heic FLORUM, (d) qui ſcribit: "Druſus in tutelam „ provinciarum præſidia atque cuſtodias ubique diſpoſirit, per Moſam flumen, per Albim, „ per Viſurgim; nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius Caſtella direxit. „ Cauſam rei apud TACITUM (e) reperimus, quod præcipuum robur, Rhenum juxta, commune in Germanos Galloſque ſubſidium Imperatores poſuerant; undo octo Legionum præſidium ad Rhenum. Reſtauravit caſtella hæc Valentinianus I. & ab altera Rheni parte quoque poſuit nonnulla adverſus Alemannos, qui plures Romanorum, Trans-Rhenana munimenta exſtruentes, interfecerunt, uti AMMIANUS (f) nos docet. Romani ad Rhenum noſtrum idem fecêre, quod ad Danubium eos feciſſe ſcribit PROCOPIUS: (g) "Imperatores, ait, ut poſitos trans Danubium Barbaros trajectu „ amnis prohiberent, illius oram oppidis & caſtellis prætexuerant, paſſim à dextra, „ alicubi etiam à læva, exſtructis. ZOSIMUS (h) annotat: "Nam cum Imperium „ Romanum extremis in limitibus ubique Diocletiani providentia, oppidis & caſtellis „ atque burgis, munitum eſſet, omneſque copiæ militares in iis domicilium haberent, „ fieri non poterat, ut Barbari tranſirent, ubique copiis, hoſtium repellendorum cauſa, „ occurrentibus. „ Scilicet Legiones, cohortes & alæ, in limite hoc noſtro Rhenenſi Alſatico per arces, caſtella, tabernas, ſtativa, imo & per urbes, diſperſæ, catenæ cujusdam inſtar, prætendebant Rhenum, ut limitem cuſtodirent, quod à ſcaturigine ad oſtia ejus usque fecerunt. Ex Caſtellis & exercituum Romanorum ſtationibus ad Danubium plures urbes & oppida temporis progreſſu fuiſſe exortas, docuit jam pridem JOANNES HEROLDUS. (i) Rhenus quoque noſter à fontibus ſuis, & ſpeciatim Alſatica ejus ora, burgos & oppida, certatim inde vidit prognaſci. Cambetis, Panzenhemii, Druſenhemii, Lauterburgi, Gernìershemii, origines huc pertinere, ſupra retulimus; quodſi & alia nonnulla huc referre cupias, quorum nomina ab Alemannis dein ſuperaddita vel immutata fuerunt, ego minime refragaturus ſum.

PRÆTENTURA ALSATIÆ DANUBIANA-RHENENSIS.

§. CCX.

Decumates Agri.

RHenum Imperii Romani finitorem & terminum cum priſcis Auctoribus jure appello. Cæſaris Dictatoris, ut & Auguſti Imp. temporibus certum hunc fixumque limitem fuiſſe, nemo unquam dubitavit. At ſeculi primi progreſſu Romanam dominationem ultra Rhenum Danubiumque promotam fuiſſe, haud obſcuris documentis docemur. Tempus ſane fuit, quo Imperii Romani fines ita prolati fuerunt, ut Suevia hodierna omnis, trans Danubium ſita, Romanis quoque paruerit. (k) Marcomannorum migratio promovendis Imperii limitibus occaſiunem dedit. Hi enim cum ſociis ſuis à Rheno quum eſſent in Boiohemum digreſſi, vacuas regiones, Rhenum inter & Danubium ſitas, novi non ſtatim occupaverant incolæ. Alſatæ enim noſtri, tum Sequanici, tum Mediomatrico-Tribocenſes, regionem vicinam neglexerant, quod extra Romana præſidia fuerat. Nec eandem occupaverant Germani finitimi; caſtellis & præſidiis Romanorum ripenſibus nimis vicinam. Agriculturæ ergo parum dediti quum fuiſſent Germani, Galli vero ejusdem ſtudioſi, factum eſt denique, ut audaciſſimus quisque Gallorum ex Sequanis, Mediomatricis (l) & Tribocis noſtris, (qui nuper quoque in Gallicam civitatem tranſierant, Mediomatricis commixti) inopia audax, dubiæ poſſeſſionis ſolum occuparet, atque adeo omnis Marcomannica regio ab advenis Gallis

 præcipue

(d) Lib. IV. Cap. XII. num. 26.
(e) *Annal.* Lib. IV. Cap. V.
(f) Lib. XXVIII. Cap. II.
(g) *De Ædificiis Juſtiniani Imp.* Lib. IV. Cap. V.
(h) Lib. II.
(i) *Commentariol. de Romanorum in Rhætia littorali ſtationibus, ac ex iis natarum, municipiorum & villarum, qui hodie ſuperſunt, originibus.* Extat in SCHARDII *Scriptoribus Rer. German.* Tom. I. pag. 307.

(k) De Danubio, loquor, habita ad Romanos ratione. Rhætica enim hodiernæ Sueviæ pars jam pridem erat juris Romani provincia.

(l) Ex Mediomatricis noſtris Inferioris Alſatiæ eo plures trans Rhenum in Decumates agros migraſſe credendum, quod Tribocorum adventu Mediomatrici, in anguſtias redacti, migratione hac in Decumates agros facti ſunt liberiores; trans Rhenum recuperaturi, quod cis Rhenum amiſerant.

præcipue habitaretur; quos propterea inter Germaniæ populos Tacitus (*m*) noluit numerare, uti ipſe verbis diſertis profitetur. Regio cum novis incolis novum quoque nomen à Romanis accepit, qui eam Latina appellatione *Decumates Agros* appellarunt; quod ex Agris illis decimæ, per Decumanos, Publicanorum principes, à poſſeſſoribus exigebantur. Lipsius milites ex his agris decumas ſolviſſe exiſtimat. Sed cur milites, & non potius omnes, qui ex Gallia transierant, dubii ſoli poſſeſſores, ad decimas Romanis ſolvendas, adſtrictos fuiſſe credamus? Origines feudorum heic quærendas eſſe, plures hujus doctrinæ periti arbitrantur.

§. CCXI.

Ad Roman. Imperium transeunt.

Novi hi coloni, ex Gallia, Romanis ſubdita, orti, dominos agnoverunt Romanos. Auctum hinc Imperii limitem & promota præſidia annotat Tacitus, ita quidem, ut Decumates illos Agros *ſinum*, hoc eſt, partem extremam *Imperii*, appellet; (*n*) qua non Rhenanus modo, ſed & Danubianus limes, ceu antemurali quodam tegeretur. Sic vaſtum hunc Germaniæ tractum, ſine bello & armis, Imperio ſuo adjecerunt Romani. Quum autem ex Taciti verbis appareat, Agros illos, à Marcomannis relictos, aliquandiu vacuos manſiſſe, donec leviſſimus quisque ex Gallis, Rhenum transeuntibus, paulatim ibi figeret ſedem, novusque inde populus ac civitas naſceretur: ſub Auguſto & primis, qui eum ſecuti ſunt, Imperatoribus, Regiones has vallo jam fuiſſe munitas, veriſimile non eſt. De C. Caligula Eutropius: (*o*) "Bellum contra Germanos „ ſuſcepit, & ingreſſus Sueviam nihil ſtrenue fecit. „ Domitiani vero res Germanicas Tacitus (*p*) ita depingit: " Inerat conſcientia, deriſui fuiſſe nuper falſum è Ger- „ mania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum „ ſpeciem formarentur. „ Florus, (*q*) poſtquam Varianam cladem, Romanis ſub Auguſto illatam, expoſuiſſet, ſubjungit: " Hac clade factum, ut Imperium, quod in „ litore Oceani non ſteterat, in ripa Rheni fluminis ſtaret. „ At ſua ætate Tacitus, quem præcipuum auctorem hic ſequimur, quique Germaniam ſub Trajano Imp. ſcripſit, Decumates Agros ſinum Imperii & partem provinciæ Romanæ appellat. Itaque vel paulo ante Trajanum, vel ſub ipſo Trajano, Imperii Romani hæc prolatatio facta eſt. Trajanum certe propugnacula, in Germanico ſolo à Druſo aliisque Romanis Ducibus olim exſtructa, reparaſſe, novumque ſuo nomine appellatum condidiſſe, Eutropius (*r*) & Ammianus Marcellinus (*s*) prodiderunt; quod in Alemannorum ſolo, ſiniſtra Mœni ripa, poſitum fuiſſe, recte cenſuit Christophorus Cellarius. (*t*) Idem quoque indigitat Tacitus, quando in eodem Libello (*u*) ſcribit: "Altero Trajani „ Conſulatu ducentos ferme ac decem annos computatos eſſe, ex quo Germania vinci „ cœperit à Romanis. „ A Cimbrico nempe bello epocham deſumit Tacitus, tandemque *triumphatos magis quam victos fuiſſe Germanos* concludit.

§. CCXII.

Vallo incluſi.

Hadrianus, Trajani ſucceſſor, Decumates hos Agros, nec flumine quodam inſigniore, nec montibus, à reliqua Germania ſeparatos, Vallo ſeparaſſe videtur, quod Ælius Spartianus (*x*) innuit. "Per ea tempora & alias frequenter, (inquit) „ in plurimis locis, in quibus Barbari non fluminibus, ſed limitibus dividuntur, ſtipitibus „ magnis, in modum muralis ſepis, funditus jactis atque connexis, Barbaros ſeparavit. „ Epigraphen aliquam, quæ de Hadriano Imperatore loquatur, in Valli hujus partibus alicubi repertam fuiſſe non memini. At triennio poſt mortem ejus, anno nempe CXL. Æræ Chriſt. ſub III. Conſulatu Antonini Pii, conditum eſt marmor, quod in agro oppiduli *Kœſching* detectum, teſte Aventino, (*y*) unde concludimus, eo jam tempore vallum hoc extitiſſe, & Romanum militem ibi jam tum conſtitutum fuiſſe. Inſcriptio hæc eſt:

PII. CAES. DIVI HADRIANI FIL. DIVI TRAIANI NEPOTI.
DIVI NERVAE PRONEPOTI. T. AVREL. HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO PP. PONTIF. M.
TRIB. POT. IIII. COS. III. AEL. F. L. C.

Sub

(*m*) *Germaniæ* Cap. XXIX.

(*n*) Tacitus in *Germaniæ* Cap. XXIX. ubi ita ſcribit: " Non numeraverim inter Germaniæ populos, „ quamquam trans Rhenum Danubiumque conſede- „ rint, eos, qui Decumates agros exercent. Leviſ- „ ſimus quisque Gallorum, & inopia audax, dubiæ „ poſſeſſionis ſolum occupavere. Mox limite aucto, „ promotisque præſidiis, ſinus Imperii & pars pro- „ vinciæ habentur. „ *Sinum* hic commode pro extremitate Imperii ſumere poſſumus. Si alter ſenſus placet, quo Decumates Agri ſinus vocarentur, quod Danubium inter & Rhenum, veluti in angulo & curvatura, vel ut cavum inter duas plicas, ſiti fuerant. non refragabimur quoque; uterque enim ſenſus conveniens eſt.

(*o*) Lib. VII. Cap. VII.

(*p*) *Agricol.* Cap. XXXIX.

(*q*) Lib. IV. Cap. XII. num. 30. & 39.

(*r*) Lib. VIII. Cap. II.

(*s*) Lib. XVII. Cap. I.

(*t*) *Geograph. Antiq.* Lib. II. Cap. V. pag. 475.

(*u*) Cap. XXXVII.

(*x*) In *Hadriano* Cap. XII.

(*y*) *Annal. Bojor.* Lib. II. Cap. V. pag. 81.

Sub Caracalla, Elagabalo, Severoque Alexandro, Vallum hoc Romanum, quod Sueviam præcinxit, adhuc integrum ſubſtitiſſe, Columnæ Itinerariæ Leugares ſub his Imperatoribus, inter Rhenum atque Danubium, circa Aquas Bada-Marchicas poſitæ, quæ hodiedum ſubſiſtunt, egregie demonſtrant, uti infra videbimus. Promotus hic Romanorum limes illæſus ad Aureliani Imp. tempora usque perſtitit, quibus Germani, in limitem hunc irruentes, ad Rhenum, imo in Galliam noſtram, penetrarunt. Tum vero non vallum modo Romanum, inter Rhenum atque Danubium, ſed & ipſe limes Rheni perruptus eſt, quod Velius Cornificius Gordianus Conſul in Oratione ſua apud Flav. Vopiscum (z) indicat: " Limitem trans Rhenum, inquit, Germani rupiſſe " dicuntur, occupaſſe urbes validas, nobiles, divites & potentes. " Gallicas LXX. urbes (a) à Germanis tum occupatas fuiſſe, ex ipſius Imperatoris Probi ad Senatum Rom. Epiſtola apud eundem Vopiſcum addiſcimus. Verum res Romanorum, ad Rhenum collapſas, tam glorioſe reſtituit Probus, ut Barbarorum, (ita ſtylo Romano Germanos appellat) per Gallias ſecure vagantium, quadringenta millia profligaret, urbes ab illis occupatas reciperet; atque ita non omnem modo Galliam in priſtinum ſtatum reſtitueret, ſed & magnam Germaniæ partem ſuis luſtraret victoriis. (b) Magna hæc rerum Romanorum converſio in annum Chr. CCLXXVII. incidit. Ita limes, ab Hadriano Imp. ligneo muro munitus, à Germanis ſub Aureliano everſus, à Probo reſtauratus & muro lapideo fuit firmatus. Indicant hoc verba Vopisci, (c) ubi, ultra Nicrum fluvium & Albam, barbaros tum remotos annotat. Alba non tam Marchiæ Badenſis amnem, quam Alemannum, (*Altmuhl*) denotare videtur. (d) Eckhartus (e) regionem aliquam montanam intelligendam eſſe putat.

§. CCXIII.

Valli conſtructio qualis.

Materia Valli ſeculo ſecundo tertioque non eadem fuit. Primum ab Hadriano exſtructum, nonniſi ligneum. Spartianus (f) ait: *Stipitibus magnis, in modum muralis ſepis funditus jactis atque connexis* illud compoſitum fuiſſe. Tria olim, uti & noſtris temporibus, genera fuiſſe Vallorum, ſive murorum militarium, (ita promiſcue vocantur) alia ex ceſpite, alia ex concædibus ſive excifis arboribus, alia ex lapidibus, Scriptores Rei militaris & de Caſtrametatione obſervant. (g) Ex terra in modum lateris cæſa cum herba fit cæſpes, ex pluribus cæſpitibus Murus cæſpititius, (h) qualem apud Britannos Antoninus Pius exſtruxit. Ex concædibus, quum multæ arbores ſimul cæduntur & componuntur, Murus ligneus oritur. Concædium harum paſſim

 apud

(z) In *Vita Taciti Imp.* Cap. III.

(a) Flavius Vopiscus in *Vita Probi Imp.* Cap. XIII. ſexaginta urbes ponit. Probus vero in literis ad Senatum ſeptuaginta habet apud eundem Vopiſcum Cap. XV. Excurſionis hujus Barbaricæ, hoc eſt, Alemannicæ, mentionem quoque facit Gregorius Turon. Lib. I. Cap. XXXII.

(b) Probi Imp. *Epiſtola ad Senatum ſcripta*, apud Fl. Vopiscum in *Vita* ejus, Cap. XV. ita refertur: " Ago Diis immortalibus gratias, Patres Conſcripti; " quia veſtra in me judicia comprobarunt. Subacta " eſt omnis qua tenditur late Germania: novem Re- " ges gentium diverſarum ad meos pedes, immo ad " veſtros, ſupplices ſtratique jacuerunt. Omnes jam " Barbari vobis arant, vobis jam ſerunt, & contra " interiores gentes militant. Supplicationes igitur " veſtro more decernite. Nam & quadringenta mil- " lia hoſtium cæſa ſunt, & ſedecim millia armatorum " nobis oblata, & ſeptuaginta urbes nobiliſſimæ " captivitate hoſtium vindicatæ, & omnes penitus " Galliæ liberatæ. Coronas, quas mihi obtule- " runt omnes Galliæ civitates aureas; veſtræ, " Patres Conſcripti, clementiæ dedicavi; & has Jovi " Opt. Maximo, cæteriſque Diis Deabusque im- " mortalibus, veſtris manibus conſecrate. Præda " omnis recepta eſt, capta etiam alia, & quidem " major, quam fuerat ante direpta. Arantur Gallicana " rura barbaris bobus, & juga Germanica captiva " præbent noſtris colla cultoribus: paſcuntur ad no- " ſtram alimoniam gentium pecora diverſarum: equi- " num pecus noſtro jam fœcundatur equitatui: fru- " mento barbarico plena ſunt horrea. Quid plura? " Illis ſola relinquimus ſola, nos eorum omnia poſ- " ſidemus. Volueramus, Patres Conſcripti, Germa- " niæ novum Præſidem facere, ſed hoc ad pleniora " vota diſtulimus, quod quidem credimus conferre, " cum divina providentia noſtros uberius fœcundaverit " exercitus.

(c) *In Vita Probi* Cap. XIII. & XIV. ubi de victoriis hujus Imp. ita ſcribit: " Probus cum ingenti exer- " citu Gallias petit, quæ omnes, occiſo Poſtumio, tur- " batæ fuerant, interfecto Aureliano, à Germanis poſſeſ- " ſæ. Tanta autem illic prœlia feliciter geſſit, ut à " Barbaris ſexaginta per Gallias, nobiliſſimas reciperet " civitates; prædam deinde omnem, qua illi præter di- " vitias etiam efferebantur ad gloriam. Et cum jam in " noſtra ripa, imo per omnes Gallias, ſecuri vagarentur, " cæſis prope quadringentis millibus, qui Romanum " occupaverant ſolum, reliquias ultra Nicrum fluvium " & Albam removit, tantum his prædæ barbaricæ tulit, " quantum ipſi Romanis abſtulerant: contra urbes Ro- " manas & caſtra in ſolo Barbarico poſuit, atque illic " milites collocavit. Agros & horrea, & domos, an- " nonam, Trans-Rhenanis omnibus fecit, iis videlicet, " quos in excubiis collocavit: nec ceſſatum eſt unquam " pugnari, cum quotidie ad eum Barbarorum capita de- " ferrentur, jam ad ſingulos aureos ſingula, quamdiu " Reguli novem ex diverſis gentibus venirent, atque ad " pedes Probi jacerent: quibus ille primum obſides im- " peravit, qui ſtatim dati ſunt; deinde frumentum, " poſtremo etiam vaccas atque oves. Dicitur juſſiſſe " his acrius, ut gladiis non uterentur, Romanam exſpe- " ctaturi defenſionem, ſi eſſent ab aliquibus vindicandi. " Sed viſum eſt, id non poſſe fieri, niſi ſi limes Roma- " nus extenderetur, & fieret Germania tota Provincia.

(d) Mart. Crusius *Annal. Suevicor.* Lib. V. Part. I. fol. 117.

(e) *Rer. Francicar.* Lib. I. num. 13. pag. 15. " Supra Nicrum (inquit) Danubiumque verſus eſt " regio montana, aſpera admodum, *die Albe* dicta: " ultra illam Probus Germanos & Alemannos, imo " ulterius, pepulit.

(f) In *Vita Hadriani* Cap. XII.

(g) Polybius & Hyginus Gromaticus *de Caſtrametatione*; Vegetius *de Re Militar.* Raimodus Herm. Schelius *in Notis ad Hyginum* pag. 122.

(h) Jul. Capitolinus *in Vita Antonini Pii* Cap. V.

apud Tacitum, (*i*) Vegetium, (*k*) & Ammianum, (*l*) mentio. Ad claſſem hanc referendum eſt Vallum noſtrum, quo Decumates Agri ab Hadriano primum cincti fuerunt. Hoc opus vallare, ſive vallatum, quod ſepem muralem Spartianus vocat, ſeculo III. ſub Aureliano (*m*) à Germanis quum fuiſſet deſtructum, Probus illud non modo reſtauravit, ſed ex ligneo lapideum conſtituit, quod ex reliquiis ejus, quæ hinc inde ſuperſunt, colligimus. Reperiuntur paſſim, & in Nordgovia præſertim, hujus muri lapidei fundamenta, ſex pedum alta & totidem lata, unde de altitudine ejus extra terram judicatur. Murus illis in locis, ubi ſtationes militum fuerant, turribus & propugnaculis erat probe munitus. (*n*) Scilicet Vallum potuit ſimile fuiſſe illi, quod Julius Cæſar à Lacu Lemanno, quem Rhodanus influit, ad Montem Juram usque exſtruxit, Helvetiisque, in Galliam interiorem migraturis, oppoſuit. Illud Cæsar ipſe (*o*) ita deſcribit: "Millia paſſuum decem novem murum, in altitudinem pedum „ ſexdecim foſſamque perduxit; eoque opere perfecto, præſidia diſpoſuit, caſtella „ communivit, quo facilius, ſi ſe invito transire conarentur, prohiberi poſſent. „ Hadrianus autem apud Decumates Agros idem præſtitit, quod apud Britannos. (*p*) Vallum noſtrum uti contra Germanos, ita Britannicum contra Pictos & Scotos, erexit, quod ad LXXX. Mill. ſe extenderat paſſus. Unde *Pictiçum Murum* Cambdenus (*q*) appellat; cujus rudera adhuc quædam extant. Antonini & Severi Valla, quibus eosdem Britannos à Barbaris ſejunxerant, transimus ſilentio. (*r*)

§. CCXIV.

Vallum Vedroviæ.

Sed non ſicco pede prætereundum eſt vetus illud Vedrovienſium Vallum, operis quoque, ut videtur, Romani; quod vulgo audit *der Pfahl-Grabe*, Foſſa vallata, vel Vallum foſſatum, circa Mœni regiones, eum in finem exſtructum, ut Moguntiacenſes limitis Rhenenſis, ſive Germaniæ ſuperioris partes, contra Cattos defenderet. Foſſa ſatis alta eſt, & egeſta humus multis locis aggerem exhibet altum & amplum. Conſpiciuntur & paſſim rudera antiqui muri, disjectæ turres, caſtellorum munitiſſimorum monumenta. Animadvertuntur ejus veſtigia in agris oppidi Braubach ad Rhenum, in Præfectura Reichenbergenſi, in agris Langen-Schwalbacenſibus, Reiffenbergenſibus, nec non ad fauces Mattiacorum radicesque Montis Tauni, (*s*) in Comitatu item Solmenſi: ad Caſtrum denique Haſſorum Merlavienſe. Præcipua horum rudera delineat *Topographica Vetteraviæ Tabula*, quam Baumannus, Paſtor Offenbacenſis, ſub nomine *G. C. Buna*, Francofurti ante aliquot annos emiſit in lucem: Jo. Justus Winckelmannus vero in *Haſſiæ Hiſtoria*, Germanice edita, (*t*) ſed non ad finem perducta, easdem valli reliquias, quas ſuis oculis viderat, breviter, at diſtincte, deſcripſit.

§. CCXV.

(*i*) *Annal.* Lib. I. Cap. L.

(*k*) *De Re Militari* Lib. III. Cap. XXII.

(*l*) Lib. XVI. Cap. XXV. Lib. XVII. Cap. XX.

(*m*) Idem Aurelianus Daciam Provinciam, à Trajano armis occupatam, barbaris reliquit, atque incolas Romanos cis Danubium in Mœſiam transduxit, quæ nunc Dacia cœpit appellari. Vopiscus in *Aureliano* Cap. XXXIX. Addatur Eutropius Lib. IX. Cap. IX. Aurelius Victor in *Cæſaribus* Cap. XXXIII. Gothi à temporibus Gallieni Daciæ inhiabant, eamque nunc occupaverant.

(*n*) Memorabilis hujus Valli Romani, quod Rheni & Danubii limitum Prætentura quædam fuit, deſcriptionem accuratam dedit Jo. Alex. Dœderlinus, Weiſſenburgenſis, prope quod oppidum Valli hujus rudera ſunt, Lycei Rector, in Schediasmate, *de Impp. Adriani & Probi Vallo & Muro*, Cap. IV. quem librum Germanica lingua dein edidit auctiorem An. MDCCXXXI. ſub Tit. *Antiquitates in Nordgavia Romana*, cui Topographicum Schema adjecit. Addendus Falckenstein in *Antiquitatibus Nordgoviæ Veteris* Part. II. Cap. I. pag. 30. & 60. ſqq. Eckhartus in *Commentar. Rer. Francicar.* Lib. I. num. 12. pag. 11. ſqq.

(*o*) *De Bello Gallico* Lib. I. Cap. VIII.

(*p*) In *Vita Hadriani* Cap. II.

(*q*) *In Britannia* pag. 426. Edit. Atlant.

(*r*) Vid. Buchananus *Rer. Scoticar.* Lib. V. Hector Boethius in *Hiſt. Scotica* Lib. V. pag. 76. Anonymus Scotus, qui *Rotam temporum* ſcripſit, ait: " Hadrianus Vallum portentoſæ molis ex ceſpitibus, „ è terra excilis, montis inſtar, altiſſima foſſa ante „ adjecta... primus omnium duxit.

(*s*) Taunum Montem Cellarius *Geograph. Antiq.* Lib. II. Cap. V. pag. 460. è regione Confluentiæ ponit. Junckerus in *Geographia Medii Ævi* Part. II. Cap. II. pag. 150. Haſſiæ Montem Dünsberg, haud procul ab urbe Gieſſa, huc pertinere exiſtimat. Hiſtoria Rom. docet, Caſtellum in Tauno Monte à Druſo exſtructum, à filio Germanico reparatum, quod prope fontes Mattiacos erat, & ad limitem eorum, prope Magontiacum, huic urbi ex adverſo reſpondentem, vergebat. Tacitus *de Mor. Germ.* Cap. XXIX. ait: " Eſt in eodem obſequio & Mattiaco- „ rum gens. Protulit enim magnitudo populi Ro- „ mani ultra Rhenum, ultraque veteres terminos Im- „ perii reverentiam. Ita ſede finibusque in ſua ripa, „ mente animoque nobiſcum agunt.

(*t*) Winckelmannus *Deſcript. Haſſiæ*, Part. II. Cap. IV. pag. 129. ubi ipſe teſtis oculatus hæc narrat: *In der Nieder Graſſchaft Catzenelnbogen, Wetterau und in dem Ober-Furſtenthum Heſſen, hab ich einen auf viele Meile Wegs ſich erſtreckenden Graben angetroffen, derſelbe wird, nach fleiſſiger beſchehener Erkundigung, aller Orten genennet der* Pohl-Graben. *Dieſer Pohl-Grabe (andere nennen ihn unrecht* Pfahl-Graben) *iſt vor Chriſti Geburt von den Rœmern, mit unausſprechlicher Muh, viele Meil Wegs lang verfertiget worden, hat gleichſam eine Schanze, Landwehr oder Vormaur, der Rœmer wider die Chatten ſeyn ſollen, als ſie ihre Gewalt uber den Rhein fortgeſetzet, und um den* Taunm (*der ſich von dem Feldberg zwiſchen Reiffenberg und Kœnigſtein anfangt, und langst dem Rhein zur Rechten gegen Niedergang hinabziehet*) *ſtarcke Feinde, als Suevos, Mattiacos, Uſipetes, Chattos und andere gefunden.* Winckelmannum ſecutus eſt Frid. Lucæ in Libro, cui Titulus: *Fürſtenſaal*, pag. 244.

GEOGRAPH.

§. CCXV.

Vallum, in hunc modum conſtructum, in Nordgovia initium ſumens, Neoſtadio, quod oppidum ad Danubium, haud procul ab Almoni, ſive Alemanni, (*Altmuhl*) fluminis oſtiis ſitum, per colles, valles, lacus, rivos, amnes, ſtagna, paludes, ad Nicrum usque fluvium, Wimpinam (*Wimpfen*) oppidum verſus, (u) & inde ad Rhenum usque, ſumptu & labore Romana magnitudine digno, & nonniſi à Romanis ſuſcipiendo, (w) per ſexaginta leücarum Francicarum ſpatium, perpetuo filo, continuatum eſt, ita ut per Nordgavienſes agros, Bavariam citeriorem, Aichſtadienſem Epiſcopatum, Ordinis Teutonici agros, Marchionatum Onoldinum, terras Suevicas, & ſpeciatim Weiſſenburgi, Gunzenhauſæ, Dunckelſpielæ Halæque, oppidorum tranſiret viciniam. In Nordgovia præſertim rudera hujus muri conſpicua ſunt, quæ à vulgo, operis majeſtatem ſtupente, *Murus Dæmonicus* (x) appellatur. Saniores vero *Vallum Provinciale*, vel *opus vallare* (y) vocant. Vallum hujus generis à DIONE διατείχισμα, ab HERODIANO χῶμα, à Romanis, Latine ſcribentibus, *Prætentura*, (z) *Prætenſura*, (a) ab aliis *Clauſura*, vel etiam *Cluſura*, (b) in infima Latinitate vero medii ævi *Marca*, appellabatur; ita, ut hæc plerumque ipſam regionem limitaneam univerſam deſignarit, uti Marca Hiſpanica, Toloſana &c. unde Comites Marcæ, ſive Marchiones, exorti.

Valli extenſio.

§. CCXVI.

Inter Rhenum & præcinctorium hoc Vallum, adeoque in Decumatibus Agris, plura à Romanis loca extructa ſunt, quorum nomina nobis partim PTOLEMÆUS, partim AMMIANUS & *Theodoſiana Tabula*, reliquerunt: Caſtellum Valentiniani, (c) Lupodunum, (d) Solicinium, (e) Budoris, (f) Alcimœnis, (g) Aræ Flaviæ, (h) de quibus locis variæ ſunt conjecturæ, variorum. Brigobanna, quam *Theodoſiana* quoque *Tabula*

Loca in Agris Decumatibus.

(u) ZEILERI & MERIANI *Topographia Sueviæ*, fol. 220.

(w) Qui Teutonicum opus eſſe putant hunc murum, illi mores gentis profecto non ſatis intelligunt. Nec ad Carolinum ævum poteſt referri: omnia Romanum opus annuntiant.

(x) *Teufels-Maur*, *Teufels-Hecke*. Vulgi mos eſt, ſtupendis operibus id nominis tribuere. Aquæductus Metenſis, quem MONTFALCONIUS in *Antiquitatibus* ſuis Tom. IV. pag. 201. exponit, Pons Avennionenſis item ſuper Rhodanum ruptus, Diaboli pontes à plebe hodieque vocantur.

(y) Provincialibus *Pfahl-Reyn*, *Pfahl-Heck* dicitur. *Heck*, *Hang*, ſepem denotat Germanis, unde *Haga-Comitum*. Medio ævo militare vallum ſignificavit. *Haag*, *Hayn*, *Han*, frequenter ſynonyma ſunt. AVENTINUS *Annal. Bojor.* Lib. II. pag. 432. *Landwehr* vocat, in Germanica nempe editione, quæ Latina plenior eſt.

(z) AMMIANUS Lib. XIV. Cap. IX. *Prætendere* etiam verbum militare eſt, ſumiturque pro cuſtodire limites. TACITUS *Hiſtor.* Lib. II. Cap. VI. "Quicquid caſtrorum Armeniis prætenditur." CLAUDIANUS *de Bello Getico*, verſu 416. "Legio prætenta Britannis." Ita Legio VIII. Aug. ſub Antoninis Argentorati fuit prætenta Germanis.

(a) HYGINUS in *Gromatico*, pag. 197. FRONTINUS de *Coloniis*, pag. 134.

(b) JUSTINIANUS Imp. in *Reſcripto ad Beliſarium* ita loquitur: "Omnes diligenter pro commiſſis ſuæ cuſtodiæ provincias invigilent, & ab omni hoſtium incurſione ſubjectos noſtros tueantur illæſos: & feſtinent die nocteque, Dei invocando auxilium & diligenter laborando, usque ad illos fines Provincias Africanas extendere, ubi ante invaſionem Vandalorum & Maurorum Reſpublica Romana fines habuerat, & ubi cuſtodes antiqui ſervabant, ſicut ex *Clauſuris* & Burgis oſtenditur: maxime autem civitates, quæ prope Clauſuras & fines antea tenebantur, cum eſſent ſub Romano Imperio conſtitutæ." Leg. II. §. IV. *Cod. de Officio Præfecti Prat. Afric.* Adde Leg. IV. *de Officio Magiſtri Officiorum*, ubi Theodoſius & Valent. Augg. ad Nomum, Magiſtrum Officiorum, ita ſcribunt: "Curæ tui perpetui culminis credimus injungendum, ut ſuper omni limite, ſub tua juriſdictione conſtituto, quemadmodum ſe militum numerus habeat, caſtrorumque ac clauſurarum XIV. cura procedat, quotannis ſignificare nobis propria ſuggeſtione procuret." Conferatur quoque CASSIODORUS Lib. II. *Epiſt.* V.

(c) Caſtellum hoc Valentiniani I. magno labore, magnisque ſumptibus, ab Imperatore hoc contra Nicri fluminis rapiditatem extructum eſt, obſervante AMMIANO Lib. XXVIII. Cap. II.

(d) Lupodunum cum FREHERO, in Libro ejus *de Lupoduno*, & in *Originibus Palatinis*, malim ponere ad Nicrum flumen, ubi hodie *Ladenburg*; quam cum RHENANO, LAZIO, CLUVERIO, SPENERO in *Notitia Germaniæ Antiquæ* Lib. IV. Cap. II. ad arcem Silvæ Hercyniæ *Lupfen*, quæ Comitibus hujus nominis originem dedit, referre.

(e) Sed & *Solicinium* Caſtellum Romanum ad Nicrum flumen quærendum eſt. Prope hunc locum inſignem Valentinianus contra Alemannos victoriam obtinuit. AMMIANUS Lib. XXVII. Cap. X. LAZIUS *Brettam*, CLUVERIUS vero *Sulz*, Wurtenbergici Ducatus oppidulum ad Nicrum, interpretantur.

(f) *Budoris* apud PTOLEMÆUM Lib. II. Cap. IX. verſus Rhenum occurrit. Quibusdam Heidelberga eſt, ad Nicrum quoque ſita; CLUVERIO autem *Bieriach*, Sueviæ caſtrum, in Creichgoviæ tractu, inter Tabernas Rhenenſes noſtras atque Durlacum.

(g) *Halkimoennis*, Ἀλκιμοεννὶς, PTOLEMÆO Lib. II. Cap. IX. *Samulocenis* TABULÆ THEODOSIANÆ. *Ulmam*, Imperialem Sueviæ urbem, ALTHAMERUS, CLUVERIUS, BERTIUS, BAUDRANDUS, ZEILERUS in *Topograph. Sueviæ*, KNIPSCHILDIUS de *Civitat. Impp.* SPENERUS, aliique bene multi interpretantur. Quodſi referenda huc Ulma, Decumatium hæc quoque Agrorum pars fuit, ad ſiniſtram quippe Danubii ripam ſita; dextra enim ad Vindelicos, & latiore ſenſu Rhætos, pertinuit. ALTINGIUS vero *ad Ptolemæi Tabulam* putat, Halkimoennis in locum *Altmuhl* incidere, pone quem fluvius ejusdem nominis miſcetur Danubio.

(h) *Aræ Flaviæ*, PTOLEMÆO Βωμοὶ Φλαουΐου, in TABULA THEODOS. *Ara Flava*, BERTIO, aliisque urbem Imperialem liberam Sueviæ *Nordlingam* eſſe videntur: CLUVERIUS autem, CELLARIUS, SPENERUS, pro *Auraco*, Sueviæ ejusdem alio oppido, decernunt. ALTINGIUS *Aras Flavias Ulmæ* vindicat.

GEOGRAPH.

Tabula refert, ſi hodiernum oppidum *Beyern* deſignat, quod CLUVERIO (*i*) placet, in Rhætica Danubii ripa ſitum, Decumates Agros non reſpicit. Idem de *Juliomago*, quem locum eadem Tabula memorat, dicendum. Quicunque ex hodiernis locis ad veterem Juliomagum pertineat, nomen profecto à Gallis inditum; quando ejuſdem plane nominis urbs olim Galliæ Celticæ fuit. Rhenano eſt *Pfullendorf* oppidum: Cluverio *Dutlinga*. Juliomagus ideo videtur ad Rhætos ſpectaſſe, quod apud eosdem fuit *Druſomagus*, & in Norico vicino *Gabromagus*. Locus denique *Tenedo*, qui in eadem Tabula Theodoſiana occurrit, à CLUVERIO (*l*) exponitur *Dengen*, rectius *Thengen*; vicus cum caſtro in Suevia, qui ad Decumates Agros non pertinuit. Omnis ergo ſexaginta leucarum Francicarum Hadrianalis noſtri Valli circuitus, præter loca, dextræ Rheni ripæ adſita, Badam quoque Marchicam, Etlingam, Durlacum, Pforzhemium, Stutgardiam, Heilbronnam, Halam, Nordlingam, maximamque reliquarum Imperialium Sueviæ Civitatum partem, Elwangam item, Oettingam, Eichſtadienſem Epiſcopatum, Wurtenbergenſem omnem Cis-Danubianum Ducatum, totum Marchionatum Badenſem, Hochbergenſem, pluresque alios Sueviæ Principatus Comitatusque, complexus eſt. Poſt hæc nemo mirabitur, circa Nicrum flumen, & in Ducatu Wurtenbergico, illisque præſertim in locis, ubi Vallum hoc tranſiit, & ubi ſtationes poſitæ fuerant, magnam adhuc nummorum omnis metalli & moduli, annulorum, ſigillorum, urnarum & variæ ſupellectilis Romanæ, imo & Lapidum literatorum, copiam reperiri.

§. CCXVII.

Inſcriptio.

Ex Inſcriptionibus autem, intra Valli hujus circuitum repertis, illam præſertim, quæ in ſuburbano Heilbronnenſium agro, in viæ publicæ inter Beckingam & Nicrogartacum reparatione, inventa eſt, memoramus: (*m*)

FORTVNAE
RESPICIENTI SACR.
NASELLIVS PRO
CLIANVS LEG.
VIII AVG. PRAE
POSITVS COHOR
I HELVETIORVM
TORQVATO ET
IVLIANO COS.
V S L L M.

Conſulatus C. Bellicii Torquati & Juliani incidit in An. Chriſti CXLVIII. quo Antoninus Pius undecimum Imperii annum agebat, & Decennalia celebrabat. Monumentum hoc ergo probat ſeculi II. medio, media in Suevia, imperitaſſe Romanos. Canſtadii ad Nicrum, haud procul Stutgardia, Inſcriptio reperta, quæ ſub Antoninis Imperatoribus poſita, quam refert APIANUS. (*n*) Plures alias, in his regionibus, Rhenum inter atque Danubium, erutas Romanorum Inſcriptiones, aliaque Monumenta in lucem ediderunt HEROLDUS, (*o*) WÆOEMANNUS, (*p*) PREGIZERUS, (*q*) ECKHARTUS, (*r*) atque ERTELIUS. (*s*)

§. CCXVIII.

Decumates Agri num in Provinciam redacti.

Decumates agri illis Germaniæ locis accenſendi videntur, quæ DIO CASSIUS (*t*) non ſimul ſed pedetentim ſubacta, hancque ob cauſam in Hiſtoricis non memorata fuiſſe, exiſtimat. Vaſtus hic tractus à Romanis in unius Provinciæ formam nunquam videtur fuiſſe redactus, quod crebris Germanorum inſultibus obnoxius, atque hinc dubia & incerta ejus poſſeſſio. Taciti ævo, uti vidimus, nonniſi *Pars Provinciæ* fuit; prouti verbis ille diſertis profitetur, non addens, cujus Provinciæ conſtituerit partem, Lugdunenſis an Germaniæ ſuperioris. Galli enim origine quum novi illi Germaniæ incolæ fuerint, Rheni

(*i*) *German. Antiq.* Lib. III. Cap. IV. pag. 14.
(*l*) Loco cit.
(*m*) Ex Jo. HENR. SEUFERTI, Heilbronnenſis Scholæ Rectoris, *Programmate* An. MDCCXIV. edito, eam profert ECKHARTUS *Rer. Francic.* Lib. I. pag. 8.
(*n*) *Inſcriptionum* pag. 461. & ex eo GRUTERUS pag. 4. num. 7.
(*o*) *De Romanorum in Rhætia literali ſtationibus* apud SCHARDIUM *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. I. pag. 107.
(*p*) Paſtor Vici Gunzenhauſen, ubi Valli hujus reliquiæ ſunt, in Libro, cui Tit. *Von dem Druden Fuß aus Heymen Kamm und aus der Altmühl.*
(*q*) In *Suevia Sacra* pag. 211.
(*r*) *Rer. Francicar.* Lib. I. pag. 8. ſq.
(*s*) In *Atlante Bavarico* pag. 146.
(*t*) Lib. LVI. pag. 582.

GEOGRAPH.

Rheni Galliæque accolæ, alterutri ex harum provinciarum Gallicarum Rectoribus Decumates Agros contributos fuiſſe credibile eſt. Quodſi pars Agrorum horum, Danubio proxima, Rhæticæ provinciæ fuiſſet adſcripta, adeoque inter duos Rectores jurisdictio ejus regionis fuiſſet diviſa, TACITUS non pars *provinciæ*, ſed *provinciarum* dixiſſet. Neque vero poſt Taciti tempora Præſidis vel Rectoris Decumatium agrorum mentionem alicubi reperimus. PROBUS Imp. quidem in *Epiſtola ad Senatum*, paulo ante memorata, ſcribit, voluiſſe ſe Germaniæ novum Præſidem facere, mox tamen ſe diſtuliſſe hoc addit, donec divina providentia ſuos uberius ſecundarit exercitus. Neque hoc ejus conſilium, poſtquam Hadriani Vallum ab eo reſtitutum fuerat, locum habuiſſe reperio. Hæc ipſa fortaſſis cauſa eſt, ob quam Rhenus atque Danubius pro veris & genuinis Imperii Romani limitibus, eo quoque tempore haberentur, quo Decumates Agri, vel Suevia hodierna, juris erant Romani. Tractus autem hic omnis Germaniæ, Rhenum inter atque Danubium ſitus, duobus Præſidibus vicinis ſubeſſe potuit, vel Lugdunenſi Sequanico, cui ſuperior Alſatia paruit, vel Præſidi ſuperioris Germaniæ, cui ſubjecta inferior. Ex DIONE (*u*) addiſcimus, Quintilium Varum, Germaniæ Inferioris Rectorem, populos quoque Trans-Rhenanæ Germaniæ, ad Viſurgim usque extenſos & Romanis parentes, rexiſſe ut Præſidem. Eodem modo Superioris Germaniæ Præſes Germanos, ad Rhenum ſuperiorem ei vicinos, gubernare potuerat.

§. CCXIX.

Vallı everſio.

Quantacunque vero Probi de Alemannis victoria fuerit, non diu tamen poſt ejus tempora in Romanorum ditione Decumates Agri perſtiterunt. Quatuordecim enim annis poſt, ſive An. CCXCI. quum Romanum Imperium à Tyrannis & Barbaris undique infeſtaretur, Diocletianus & Maximianus Impp. Conſtantium & Maximianum Armentarium dixerunt Cæſares. Alemanni, inſervientes occaſioni, non Decumatium modo Vallum, ſed & magnum Rheni limitem ruperunt; atque ut Aureliani Imp. temporibus fecerant, per Galliam late graſſati ſunt. Tempus irruptionis ignotum, at tempus, quo cæſi ſunt, novimus. Anno enim CCXCVI. juxta Lingones (*Langres*) à Conſtantio Cæſare, Conſtantini M. Patre, LX. millia Alemannorum cæſa fuerunt, referente EUTROPIO. (*w*) Ad eadem tempora pertinent EUMENII Rhetoris (*x*) verba, quibus in *Oratione, ad Conſtantium Cæſarem* habita, Maximianum ita alloquitur: "Tu enim ipſe, „ tu, Domine Maximiane, Imperator æterne, novo itineris compendio adventum „ divinitatis tuæ accelerare dignatus, repente Rheno inſtitiſti, omnemque illum limitem „ non equeſtribus, neque pedeſtribus copiis, ſed præſentiæ tuæ terrore tutatus. „ Idem Eumenius alibi: "Nam quid ego alarum & cohortium Caſtra percenſeam, toto „ Rheni & Iſtri & Euphratis limite reſtituta? Quot ubique muri, vix repertis veterum „ fundamentorum veſtigiis, excitantur? „ Sed & paulo poſt iisdem barbaris clades apud Vindoniſſam illata; (*y*) Vitodurenſium muri, circa eadem tempora à Diocletiano & Maximiano reſtaurati, (*z*) fidem fere faciunt, Romanos de ſolo limite Rheni reſtituendo fuiſſe ſollicitos, & Vallum illud antemurale Probi fuiſſe neglectum. Certe idem EUMENIUS (*a*) inter Diocletiani & Maximiani laudes reputat alarum & cohortium caſtra, toto Rheni & Iſtri & Euphratis limite reſtituta, adeoque nonniſi veterem Rheni atque Danubii terminum ab illis reſtauratum fuiſſe indicat. Alemannicæ nimirum opes ſeculi III. fine in tantum excreverant, ut omnes Rhenum inter Mœnum Danubiumque, regiones, jam ſuis armis occuparent, (*b*) imo ſeculi quarti medio, ſub Conſtantio Imp. priſco quoque Rheni limite rupto, maximam Galliæ partem ſuis armis vaſtarent; donec à Juliano, Valentiniano I. & Gratiano, magno cum labore rejicerentur trans Rhenum. Tum quidem Munimenta nonnulla, arcesque Romanorum in Germanica ejus ripa & ad Nicrum reſtauratæ ſunt; Vallum autem Danubianum ab his & ſequentibus Imperatoribus adeo reſtaurari non potuit, ut priſcus limes Rhenenſis à Romanis integer vix ſervari potuerit. Ita res Romana ad limitem, quem Auguſtus conſtituerat, rediit. Hic in Libello Imperii, manu ſua perſcripto, ſuaſit Romanis, ut intra terminos coerceretur Imperium: per eos autem terminos Rhenum, Danubium & Euphratem, intellexit Auguſtus.

§. CCXX.

(*u*) Lib. LVI. pag. 582.

(*w*) Lib. IX. Cap. XV.

(*x*) *Panegyrico* IV. Cap. XIII.

(*y*) *Panegyricus* Conſtantio dictus: "Quid memorem Lingonicam victoriam & Imperatoris vul„ nere glorioſam? Quid Vindoniſſæ campos, hoſtium „ ſtrage completos & adhuc oſſibus opertos.

(*z*) *Inſcriptio* apud GRUTERUM pag. 167. interpolata, apud STUMPFIUM in *Chron. Helvetico* genuina, de qua ſupra jam actum.

(*a*) In *Panegyrico pro reſtaur. Schol.*, Cap. XVIII.

(*b*) Patet hoc ex EUMENII *Panegyrico Conſtantii Cæſaris*, Cap. II. ubi ait: "A ponte Rheni usque „ ad Danubii tranſitum Guntienſem devaſtata atque „ exhauſta penitus Alemannia. „ Guntia flumen, quod prope Gunzburgum, Burgoviæ Marchionatus oppidum, tribus milliaribus Germanicis infra Ulmam, Danubio jungitur, hodieque retinet nomen. Tractus ergo ille in Alemannia ſitus fuit, quam devaſtatam eo tempore Eumenius dicit, ſed non ſubactam, multo minus vallum reſtitutum.

§. CCXX.

Contraria ſententia refutata.

Miror ergo peritiſſimum Germanicæ Hiſtoriæ Virum, Jacobum Carolum Spenerum (c) docuiſſe, Romanos ſub M. Antonino, adeoque ſeculo II. nondum adulto, imperium in Decumates agros jam amiſiſſe, eosque adeo non per annos tenuiſſe bis centum. Quot illuſtria Scriptorum, quæ protulimus., teſtimonia conjecturam hanc reprobant? Quam evidentes contra eam teſtes ſunt Marchicæ Civitatis Aquenſis Columnæ illæ Leugares, ſub Caracalla, Severo Alexandro atque Elagabalo, in publica via Romanorum poſitæ;. imo & agnomen *Aureliæ*, quod Civitati illi Caracalla conceſſit; Romanæ dominationis, in Decumatibus agris tum adhuc vigentis, teſtimonium evidens? Alias Inſcriptiones ſub ſeculi III. Imperatoribus Romanis in omni illo Suevico tractu poſitas, hodieque adhuc extantes, ſilentio transeo. Hæ omnes probant, Decumatianum illud, ſive Alemannicum, Vallum ad Diocletiani Imp. tempora, hoc eſt, ad ſeculi III. finem usque, variis ſub fatis, ſubſtitiſſe, adeoque ſesquiſeculum fere duraſſe ultra quam Spenerus exiſtimat. Tum vero illud Vallum, quod limitis Rhenenſis, noſtræque adeo Alſatiæ, antemurale & cuſtos per aliquot ſecula (d) fuerat, everſum, atque Imperium Romanum ad priſcum limitem Rheni redactum eſt. Alemannis vallo hoc, quod Rhenum præcinxerat, everſo, ita creverant animi, ut & Galliam ripenſem, & Germaniæ Primæ ſuperiora, ſibi quoque promitterent. Verſus initia ſeculi V. auſibus eorum fortuna reſpondit. *Theodoſiana Tabula*, ſeculi IV fine, adeoque centum annis poſt vallum noſtrum everſum, delineata, Alemanniæ limitem Rhenum aſſignat.

§. CCXXI.

Accolæ Valli.

Ex populis Germanicis Vallum Romanum accoluere ſeculo I. atque II. Hermunduri (e) & Suevi verſus ortum, Catti vero & Mattiaci verſus ſeptentrionem. Ex Hermunduris his, Suevis, Cattis, Mattiacis, aliisque populis, eorum vicinis, inter ſe fœdus ineuntibus, Alemanni exorti ſunt ad Rhenum ſuperiorem, uti ad inferiorem ex pluribus quoque Magnæ Germaniæ populis, in ſocietatem coeuntibus, prognati ſunt Franci; quod ſeculo II. finiente, vel ineunte tertio, factum fuiſſe, non ſine ratione conjicimus. Alemannos hos Vallum Romanum hoſtes præcipuos deinde expertum eſt. Non Vallum enim modo, ſed & ipſe mox Rheni limes, ab illis perruptus eſt. Quum autem Probus reſtituiſſet hoc Vallum, Alemanni retro illud rejecti fuerunt, atque adeo inter Vallum atque Nicrum, Mœnum inter atque Tubarim, habitaverunt: donec ſeculi III. fine ab ipſis Alemannis prorſus illud everteretur, atque Decumates Agri omnes Romanis in perpetuum eriperentur; admiſſis in poſſeſſionis ſocietatem Suevis, quorum nomen ita prævaluit denique, ut regio Tabulæ Theodoſianæ tempore, ſeu fine ſeculi IV. Alemannia dicta, appellaretur jam *Suevia*; incolæ regionis & Suevi & Alemanni vocarentur promiſcue.

§. CCXXII.

Alemanni.

Geographicæ hæ Decumatium Agrorum rationes, cum Chronologia & aliis circumſtantiis rerum comparatæ, faciunt, ut receptæ, ſummisque in orbe Literato Viris (f) probatæ, de Alemannicis originibus, ſententiæ jam non amplius ſubſcribam, uti olim, re nondum ſatis examinata, ſubſcripſi. (g) Alemannica incunabula enim à Marcomannorum, Rheni litus relinquentium, temporibus repetuntur communiter. In horum locum colluvies quædam novorum ex Gallia, Vindelicia, Germania, habitatorum ſucceſſiſſe creditur; (h) regio novis incolis occupata, novum *Decumatium Agrorum* nomen accepit, in quibus Alemanniæ gentis infantiam quærunt. Tacitus autem in Decumates hos Agros, Romanæ ditioni ſubjectos, nonniſi ex Gallia colonos tranſiviſſe memorat. Nomen ergo *Alemanni* tum illis dari non potuit, primo quod nondum ex diverſis nationibus homines, ſed meri Galli tractum illum occupaſſent: ſecundo, quod populo huic novo Romani non impoſituri fuiſſent Germanicum nomen. Sed

(c) In *Notitia Germaniæ Antiqua* Lib. IV. Cap. II. pag. 175. Item pag. 176. ubi in Nota hæc habet: "Licet Antoninus pluries vicerit Marcomannos „ & ſocias gentes, ab eo tamen ævo trans Rhenum „ Romana non ultra potuit conſiſtere dominatio, ſed „ Germanis ceſſit victoribus &c. „ Quæ hiſtoricæ veritati manifeſte repugnant.

(d) Spenerus in *Notitia Germaniæ Antiqua* Lib. IV. Cap. II. pag. 174. Duo fere ſecula in valli hujus durationem computat, valli initium ad Auguſti tempora ponens, quæ tamen epocha probari non poteſt. Quodſi ad Hadrianum ejus extructionem referas, ducentorum fere annorum calculus recte ſe habet, ab eo enim ad Diocletianum duo fere elapſa ſunt ſecula.

(e) Ammianus Lib. XXVIII. Cap. V. pag. 416.

(f) Petavio, Valesio, Labbeo, Cluverio.

(g) In *Diſſertatione de Alemannicis Antiquitatibus*, Cap. I.

(h) *Allerley Manner*, unde contracte Alemanni, quam etymologiam apud Agathiam probat Asinius Quadratus. Vide in *Commentationibus* noſtris *Hiſtoricis Diſſertationem de Alemannicis Antiquitatibus*.

Sed & vocabulum *Alemanni* Tacito, omnibusque ſeculi II. Monumentis, ignotum, ſeculo III. demum innotuit; quum in Vallum illud barbari omnes certatim irruerent, ſedesque inter Gallos, ibi pridem habitantes, promiſcue figerent, vel, his trans Rhenum rejectis, Decumates Agros inter ſe dividerent, atque adeo vel à vicinis vel à ſeipſis invento nomine appellarentur *Alemanni*; omnibus regionibus Rhenum inter, Danubium Mœnumque, occupatis, potentes denique Francorum vicini, quos Mœnus ſolus ſeparavit.

Imo & auſibus eorum ita porro fortuna reſpondit, ut per limitem Rhenenſem ſeculo IV. toties irruentes in Galliam, & inde toties rejecti, Vandalicæ irruptionis An. CCCCVII. ſocii, votorum ſuorum tandem compotes fierent, atque non modo Sequanicam noſtram, ſed & Tribocenſem, Nemeticam & Vangionum, oram Rhenenſem ſuis armis occuparent, & ab illo tempore conſtanter retinerent; ita, ut Alemannia deinceps cis Rhenum etiam, ad Vogeſum usque, ſe extenderet. Alemannis autem ſeculi V. fine per Francos devictis, utraque Alſatia Alemannico Ducatui, à Francis inſtituto, ſubjecta eſt. Ita Alemannia diverſis temporibus diverſos plane limites habuit. Quamdiu Vallum Romanum inter Rhenum Danubiumque duravit, Alemanni Regiones Nicrum inter & Mœnum tenuerunt, atque adeo Valli Romani accolæ fuerunt, verſus ſeptentrionem & ortum. Vallo everſo, quicquid ei incluſum erat, adeoque Suevia omnis hodierna Cis-Danubiana, ad Alemannos transivit. Poſt Vandalicam irruptionem vero Alemannia cis Rhenum progreſſa eſt ad Vogeſum; quod deinceps docebitur, quum per Militares & Publicas Romanorum in Alſatia vias breve ſuſceperimus iter.

MILITARES ROMANORUM PER ALSATIAM VIÆ.

§. CCXXIII.

INter opera, quibus Imperii Romani Majeſtas præcipue relucebat, merito reputatæ fuerunt *Viæ* illius *Publicæ*, (*i*) vel *Militares*; (*k*) quæ ſub libera Republica *Conſulares*, *Prætoriæ*, appellabantur, ſub Imperatoribus vero *Baſilicæ* vel *Regales*, (*l*) aliquando & *Aggeres Publici*; (*m*) quibus remotiſſimarum provinciarum membra ab occaſu & ortu cum capite ſuo cohæſerunt. Viæ dividebantur in publicas, privatas & vicinales. De privata, quæ *Agraria* quoque dicitur, quam quisque in fundo ſuo, vel in agro vicini, jure ſervitutis habet, nobis ſermo non eſt, uti nec de vicinali, quæ in vicis, & à vico in vicum ducit, quæque certo modo etiam publica; ſed de illa via, quæ publice munita, qua commeatus publicus eſt, cujusque ſolum eſt publicum. Militares dictæ, quod in uſus militum & exercituum, bellicos præſertim, confectæ, ſubinde & à militibus ſtratæ fuerunt. (*n*) Viarum varietas.

Differentiam inter *Viam*, *Iter* & *Actum*, obſervaverunt Grammatici. (*o*) Viæ hæ ab ultimo occidente ad orientalem Imperii limitem præſertim protendebantur. Inter omnes eminuerunt Italicæ, inter Italicas *Appia* & *Flaminia*. Appia à Porta Capena usque ad urbem Capuam ducebat, munita An. Urb. Cond. CCCCXLII. ab Appio Claudio, Cenſore, poſtea à Graccho, Cæſare quoque Julio vel Auguſto, Brundiſium usque producta. Hæc temporis ratione antiquiſſima, ſtraturæ excellentiſſima. (*p*) Flaminia vero à Porta

 Flumentana,

(*i*) STRABO *Geograph.* Lib. V. pag. 235. inter tria à Græcis neglecta, apud Romanos magnifica, primo loco ponit viarum ſternendarum curam, *ςρώσεως ὁδῶν*: cui aquæductus & cloacas ſubjungit. Adde DIONYS. HALICARNASS. Lib III. Cap. XCI. Cloacæ in ſola urbe Roma, Aquæductus in aliis quoque magnis urbibus erant, at viæ militares per omne Romanum Imperium.

(*k*) JAC. GOTHOFREDUS ad Lib. III. *Cod. Theod. de Curſu Public.* viam militarem a publica & conſulari diſtinguit, quod & SALMASIUM facere video *Plinianar. Exercit.* pag. 477. Edit Ultraject. ſed confutat eos HENNINIUS in *Notis ad Bergierium de Militarib. Viis Romanor.* Lib. III. pag. 726. Tom. X. *Theſauri* GRAV.

(*l*) THEOPHILI *Inſtitutionum* Lib. IV. Tit. III. num. 5. pag. 581. Adde SICULUM FLACCUM *de Condit. Agror.* pag. 9. ubi ait: " Sunt viæ publicæ " regales, quæ publice muniuntur.

(*m*) Leg. II. *Cod. Theodoſ. ne quis in Palat.* Item Leg. V. *de Itin. mun.*

(*n*) LIVIUS *Hiſtor.* Lib. XXXIX. Cap. II. " Flaminius Conſul ne in otio militem haberet, viam " à Bononia perduxit Arretium. " TACITUS Lib. I. *Annal.* Cap. XX. " Manipuli ante cœptam ſeditio- " nem Nauportum miſſi, ob itinera & pontes.

(*o*) Iter hominis eſt; Actus hominis & jumenti; Via hominis, jumenti & vehiculi. Hinc iter anguſtius actu, actus anguſtior via. Iter duorum pedum latitudine definitur, actus quatuor pedum, (vid. FESTUS in voce: *Actus*) via autem pedum octo. Notandum eſt, *Iter* non tantum denotare profectionem, vel itum, ſed & viam ipſam, qua itur. Sic *Itinera urbis*, pro viis. TACITUS *Hiſt.* Lib. I. Cap. LXXXI. CORN. NEPOS XVIII. 3. VIRGIL. *Georg.* I. 380.

(*p*) STATIUS *Sylvar.* Lib. II. ſylva II. verſu 12,
Appia longarum teritur regina viarum.
CORRADINI *Vetus Latium*, Tom. II. Cap. XX. pag. 164.

GEOGRAPH.

Flumentana, hodie *Porta del Popolo*, initium cepit, à C. Flaminio, Cenſore, qui poſtea & Conſul factus, condita An. Urb. Cond. DXXXIII. in quam temporis ſucceſſu novem aliæ militares influxerunt, ſive ab ea, uti rami à ſtipite ſuo, protenſæ ſunt, quas inter *Æmilia* princeps.

§. CCXXIV.

Conſtructio viarum.

Tam ſolide conſtruebantur hæ viæ, ut temporum diuturnitati & tempeſtatum injuriæ omni reſiſterent. Aliæ ex vivo montium ſaxo exciſæ, aliæ pavimento conſolidatæ, aliæ glarea exaggeratæ, aliæ ponte conjunctæ, aliæ denique immenſa profuſione exornatæ, omnes Columnarum Milliarium (*q*) innumerabili copia inſtructæ fuerunt, quæ à Milliario aureo, ſive columna aurata, in Foro Romano poſita, tanquam à centro progrediebantur. Sunt, quæ ex duobus, ſunt quæ ex tribus quatuorve ſtratis, compoſitæ: pleræque ex tribus. In imo ſtrato lapides impolitos vel cum cæmento, vel abſque cæmento, firmiſſime coagmentatos, poſuerunt, pro ſtatumine & baſi cæterorum ſtratorum; hoc *rudus*. Secundum inde ſtratum ſuperpoſitum, glarea, minuto lapide vel cum cæmento, vel abſque cæmento: hoc *nucleus*. Tum demum ſaxa majora, ad hoc dolata, tertium ſtratum, ſive ſuperius conſtituere pavimentum: quod *ſumma cruſta*. Voces has Architecti veteres, quum pavimenta ædium deſcriberent, adhibuerunt, eleganter autem eas ad ſtraturam Viarum Militarium deſcribendam adhibuit NICOL. BERGIERIUS. (*r*) In Flaminia, Æmilia, Caſſia, Appiaque Viis non ſemel hoc deprehendi, quum peragrarem Italiam. Sed & in Alſatia noſtra id nuper compertus ſum, quum in Montis Odiliani aſcenſu magnas viæ ſtratæ Romanæ, de quibus deinceps acturus ſum, reperirem reliquias. Silex, qui ſummam cruſtam compoſuit, non malleis particulatim diffractus ac conciſus, uti hodie mos eſt, ſed craſſus & in fronte binos, ternos, pedes latus, angulisque politus, ut aliis committeretur, nec ſe commiſſura laxaret. Notabilis ergo inter ſtraturam viarum, quæ noſtris temporibus in Gallia, prope Lutetiam præſertim, fieri ſolet, & veterem Romanorum intercedit differentia. Noſtra in unico quadratorum, particulatim diffractorum ſtrato vel corio conſiſtit. Stratum hoc autem, vel ſumma cruſta, in ſimplici arena, paviculæ ope ſolidatur, ſine ullo alio ſtatumine & fundamento, unde impetum vecturæ diu ſuſtinere nequit, ſæpeque refici debet. At ſilices quadrati, qui in publicis Romanorum Viis inſternebantur, per aggerem vel ſtatumen, rudum nucleumque, erant muniti; unde firmitas Viarum perpetua: unde Viæ dicebantur munitæ.

§. CCXXV.

Viarum curatores.

Præcipuus publicarum apud Romanos Viarum inſtaurator fuit C. Sempronius Gracchus, Tribunus Plebis, à quo Lex celebris condita, *de Viarum munitione*, quæ ab eo *Semproniæ* nomen retinuit, cujus ſummam nobis dedit PLUTARCHUS. (*s*) In lege hac nihil oblitum eorum, quæ ad commoda, amœnitatem & ornatum, Viarum aliquid afferre potuerunt. Viarum Publicarum cura, ſub libera Republica præſertim, apud Cenſores, Tribunos, ſubinde & apud Ædiles, (*t*) in Provinciis vero apud Proconſules & Præſides erat: adde, quod peculiares fuerint quoque unius pluriumve ſimul viarum Curatores, uti ex antiquis Epigraphis docemur. (*u*) Imperatores vero, quo majorem in illis reparandis operam poſuerunt, eo majoribus laudibus elati ſunt; quod nummi plurimi, in Auguſti honorem cuſi, (*x*) loquuntur. Seculo II. M. Aurelius Imp. vias Urbis atque Itinerum diligentiſſime curavit, ut JUL. CAPITOLINUS docet. (*y*) Seculo V. Honorius & Theodoſius profitentur: "Abſit, ut nos inſtru-„ ctionem viæ publicæ & pontium, ſtratarumque operam, titulis magnorum Principum „ dedicatam, inter ſordida munera numeremus." Item: "Quæ viis publicis anti-„ quitas tribuenda decrevit, ſine ullius vel reverentiæ vel dignitatis exceptione præſtanda.

Primam

(*q*) TACITUS *Hiſtor.* Lib. I. Cap. XXVII. SUETONIUS in *Othone*, Cap. VI. PLINIUS *Hiſt. Nat.* Lib. III. Cap. V. DIO CASSIUS Lib. LIV.

(*r*) BERGIER *Hiſtoire des Grands Chemins de l'Empire*, Lib. II. Cap. XVIII. ſeqq.

(*s*) *In Gracchis* Cap. IX.

(*t*) Quatuor-Viros Curatores viarum in urbe, Duumviros extra urbem, hic omittimus, quod Auguſti tempore ſublati fuerunt. DIO CASSIUS Lib. LVIII. Subinde Conſularibus aut Triumphalibus viris extra ordinem cura viarum, ex manubiali pecunia ſternendarum, fuit commiſſa. SUETONIUS *in Auguſto* Cap. XXX. & XXXVII.

(*u*) Cn. Munatius Baſſus, *Curator Viæ Nomentanæ*, occurrit in *Inſcript.* apud GORRADINUM in *Latio Veteri*, Lib. II. Cap. XX. pag. 171.

(*x*) Collegit eos EZECHIEL SPANHEMIUS de *Uſu & Præſtantia Numiſmatum*, *Diſſert.* X. num. 6. pag. 193. Nec ſilentio tranſeundus nummus ille obvius, in Trajani honorem cuſus, cum perigraphe: *Via Trajana.*

(*y*) JULIUS CAPITOL. in *M. Antonino Philoſ.* Cap. XI.

GEOGRAPH.

Prímam apud veteres Alſatas viam ſtraviſſe M. Vipſanium Agrippam, Auguſti generum, dubitare non licet. Hic enim, Galliæ cura ei commiſſa quum eſſet, per eandem, ſub auſpiciis ſoceri, ab urbe Lugdunenſi quatuor vias majores aperuit, uti Strabo (z) memoravit, longitudine & operis difficultate ſpectabiles: quarum una per Veſontionem, adeoque per Alſatiam, tendebat ad Rhenum. Viam hanc Veſontino-Alſaticam vocamus. Pertinere huc videtur unus ex nummis Auguſti, viarum, ſub eo munitarum, occaſione cuſis, (a) in cujus parte poſtica hæ ſiglæ in columna leguntur: S. P. Q. R. IMP. CAES. QVOD. V. M. S. EX. EA. P. Q. I. S. AD. A. D. E. *Quod viæ munita ſint, ex ea pecunia, quæ juſſu Senatus ad Ærarium delata eſt.* Nummum hunc ad annum Urb. Cond. DCCXXVII. ante Chriſt. XXVI. refert Franciscus Mezobarbus. (b) Alſaticæ viæ ſtratura referri poſſe videtur ad annum Urb. Cond. DCCXXXIII. quo Agrippa Galliam adminiſtravit. Multa de his aliisque rebus, ad Rhenum ſpectantibus, nos edocerent Agrippæ *Commentarii de Gallia*, à Plinio (c) lecti, ſi noſtram illi tuliſſent ætatem.

§. CCXXVI.

Cæterarum per Alſatiam viarum ſtratarum tempus ignoramus; ex Itinerario autem & Tabula Theodoſiana ſequentes ſeculo IV. per Alſatiam viguiſſe reperio. Via Alſatiæ.

Has inter primo loco recenſenda venit Via illa Rhenenſis recta, quæ ex Italia per Helvetiam Juramque Montem venientes à Vindoniſſa ad Auguſtam Rauracorum, (d) per Cambetem, Montem Briſiacum, Argentouariam, Helvetum, Argentoratum, Saletionem, ad Moguntiacum urbem, atque inde ad Rheni oſtia usque, ducebat. *Itinerarium* Antonini (e) eam ita ordinat: Prima via.

Auguſta Rauracum		
Cambete	. . . .	Mill. Paſſ. XII.
Stabulis	. . . .	Mill. Paſſ. VI.
Argentouaria	. . .	Mill. Paſſ. XVIII.
Helveto	. . .	Mill. Paſſ. VI.
Argentorato	. . .	Mill. Paſſ. XII.
Saletione	. . .	Mill. Paſſ. VII.
Tabernis	. . .	Mill. Paſſ. XIII.
Noviomago	. . .	Mill. Paſſ. XI.

Viæ hujus reliquiæ apud Cambetem atque Othmarshemium, præcipue apud Banzenhemium, Landſerianæ Dynaſtiæ vicum, repeRiuntur. Extat enim in hujus agro tractus quidam, qui *via alta* (*Hohe-Strar*) appellatur, quo nomine vias Romanas appellitare ſolebant medii ævi homines, quod plerumque altiores circumjacentibus campis eſſe ſolebant ſtratæ hæ viæ. Hanc de Bantzenhemiana veteri ſtrata notitiam ante hos annos CC. jam nobis reliquit Beatus Rhenanus, (f) ubi ita ſcribit: "Proxime pagum, „ qui ab Othamaro nomen poſſidet, tantum vetuſtatis indiciorum reperire eſt, ut non „ liceat palum infigere terræ, quin aliquid occurrat. Porrigebatur autem usque ad „ publicam illam in campis *viam*, quam *altam* vocant. Nam agri illi ruinas tegunt, ubi „ ſubſidens quoque terra ſarcophagos lapideos ſæpe demonſtrat &c. Alemanni *Pantzenhemium* appellarunt. „ Inde viæ hujus Romanæ directio ad Hammerſtatt, Feſſenheim, Balgau, Heiteren atque Briſacum, recta deduxit. Quum vero ab illo tempore Rhenus Briſacum ad Germanicam ripam tranſtulerit, factum eſt, ut via hæc Romana, illis in partibus, vel à Rheno fuerit abſorpta, vel ad Germanos tranſlata. A Briſiaco Monte ad Argentouariam via iſta porro progreſſa eſt, ſed nulla ejus veſtigia noſcuntur: turbavit omnia Rhenus.

§. CCXXVII.

Præter Rhenenſem hanc viam, quam Vindoniſſenſem appellabo, quod per Vocetium montem à Vindoniſſa haud procul à Rheno in Alſatiam ducebat, aliæ quoque duæ ex Rauracis, Sequaniſque noſtris anterioribus, viæ, ad Helvetios pariter directæ, ſilentio nobis tranſeundæ non ſunt. Raurico-Aventicenſes vocabo has vias, quod à Secunda & tertia via.

 præcipua

(z) Lib. III. pag. 208.
(a) *Nummi Arſcot.* Tab. X. num. 21. 22. 24.
(b) In *Nummis Imperator.* pag. 28. Suetonius in *Auguſto* Cap. XXXVII. de cura ejus circa vias agit.
(c) Plinius eos allegat *Hiſt. Nat.* Lib. IV. Cap. XVII.

(d) Via hæc Alſatica Rhenenſis continuatio viæ eſt, quæ à Vindoniſſa ducebat Auguſtam Rauracorum, de qua ſupra locutus ſum, Lib. I. §. LXXXIX. pag. 172.
(e) Pag. 353. ſqq. Edit. Weſſeling.
(f) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 278.

præcipua Helvetiæ urbe, Aventico, in Rauricenſem & Sequanicam noſtram duxerunt Alſatiam. Scilicet quum à Vocetio monte, qui extrema pars Juræ eſt, atque Rhenum attingit, juga Juraſſi verſus occaſum proſequimur, occurrit via illa, quæ per *Rupem ſciſſam inferiorem* ad Salodurum Aventicumque pergebat, de qua, *Itinerario* & *Tabula Theodoſiana* ducibus, ſupra (*g*) jam actum. Sed memorabilior longe eſt illa, quæ à Rheno adhuc paulo remotior, Birſam flumen usque ad fontes ejus, hoc eſt, ad *Petram Pertuſam* comitabatur. Multo ibi labore magnisque impenſis Juraſſum perforarunt Romani, ut ex Rauracis & citerioribus Sequanis ad Helvetios profecturi, breviorem ibi viam facilemque invenirent. Nec Itinerarium tamen, quod miror, nec Tabula Theodoſiana viam hanc nobis exponunt, licet certiſſimum ejus indicium ſit dicta Rupes Pertuſa; quæ aliam ob cauſam pertundi non potuit, quam ut itinera per eam commodius fierent. Viarum hujusmodi, altiſſimas rumpentium rupes, exemplum non unum ſubminiſtrat Italia, extra Italiam vero rariſſima occurrunt. Inſcriptio vetus, rupi inſculpta, operis ſtupendi auctorem indicat, quam infra producimus. Per vias has ex vicina Helvetia in veterem transibatur Alſatiam.

Quarta via. Aliam inſuper Viam, quæ ab interioribus Sequanis ad exteriores noſtros tendebat, *Itinerarium* & *Tabula Theodoſiana* indicant: Veſontinam appello. Manſiones ejus ita ſignantur: (*h*)

Veſontione
Epamanduoduro . Mill. Paſſ. XXXI.
Cambate . . . Mill. Paſſ. XXXI.

Veſontione hæc ergo per Epamanduodurum (*Mandeurre*) & Granvilariam, ut & per Largam, (*Largizen*) Cambatem tendebat, ubi in Viam Rhenenſem incidit. In via hac id prorſus ſingulare, quod inter Juraſſi & Vogeſi extremitates vel angulos media ad Sequanicos dirigebatur Alſatas, ita ut Veſontione profectis Juraſſus ad dextram, Vogeſus ad ſiniſtram eſſet. Mons Belicardus & Belfortium ad Vogeſum, ſed Fontes Elli & Lucellenſis Abbatia ad Juraſſum, referuntur. Viæ hujus Veſontinæ nominisque ejus veſtigia haud procul à Largiza vico, in *Oberſtraſs* villa, ſuperſunt; nomen enim hoc *ſtratam altam* deſignat, cujus generis plura alia apud Belgas alibique loca ex Antiquitate ſuperſunt, quæ plerumque Romanæ Viæ reliquias indicant. Nomen *Hohe Straſs*, adhuc retinet via illa Militaris, quæ à Colonia Agrippina tendebat ad Coloniam Trajanam. (*i*)

§. CCXXVIII.

Quinta via, obliqua. Præter Rhenenſem rectam & alia fuit via obliqua, quæ ab ora Rheni verſus mediterranea aliquantum deflexit. Hanc ad Uruncos vel Uruncas duxiſſe, *Itinerarium* (*l*) indicat, quod uno in itinere inter Arialbinnum & Montem Briſiacum ponit *Uruncos*:

Arialbinno
Uruncis
Monte Briſiaco.

In alio eosdem Uruncos inter Largam & Montem Briſiacum ſiſtit:

Larga
Uruncis
Monte Briſiaco.

Itinera hæc duo, inter ſe collata, indicant, Uruncos in Veſontino itinere, adeoque non ad Rhenum ſitos, atque iter aliquod ad Uruncos deflexiſſe à Rheno.

Sexta via. Viis his Romanorum ſuperioris Alſatiæ alia quædam, à Romanis ſtrata, acceſſit, quæ per fauces arctas olim atque difficiles ex Alſatia in Leucos & in Mediomatricos duxit; quum nempe ab oppido *Tham*, per S. Amarini vallem, altiſſima rupe trajecta, ad Buſſanam Lotharingiæ transitur vallem. Ubi ad Lotharingici lateris radices Vogeſi perventum eſt, Moſellæ fons ad oram viæ ſiniſtram occurrit. Rivulus, qui inde prodit, alium mox, ex alio ad dextram fonte remotiore, rivulum accipit. Via hæc, per fertilem & amœniſſimam Habendenſis pagi (*m*) vallem, ſemper comitatur Moſellam Spinalium verſus; adeoque per Leucorum regiones ad Mediomatricos interiores progreditur. Nominis ſtratæ viæ reliquiæ in vico *l'Etrée*, inter Buſſanum & Romarici Montem, ſuperſunt. Vocabulum hoc Franco-Galli medio ævo ex ſtrata compoſuerunt, quod pluribus adhuc Galliæ locis inhæret, quæ ad ſtratas olim vias Romanorum ſita fuerunt.

§. CCXXIX.

(*g*) Lib. II. §. LXXXIX. pag. 172.

(*h*) *Itinerar.* pag. 386.

(*i*) Ab urbe *Cœlu* ad vicum *Kellen* hodie. Chr. Henr. Henninius *Not. ad Bergier. de Viis Militar. Rom.* Lib. III. pag. 719. Tom. X. *Theſauri Græviani.*

(*l*) Confer pag. 252. cum pag. 349.

(*m*) Celebrem hunc pagum medii ævi vide infra in Pagis.

§. CCXXIX.

Inferioris Alſatiæ via Prima. In Tribocenſi atque Nemetica, ſive inferiore Alſatia, ſequentes viæ veteres occurrunt. Primo via quædam publica ab Argentouaria Helvetum (vicum *Ell*, prope Benfeldam) fuit directa. Plura ejus hinc inde ſuperſunt veſtigia. Strata fuit inter Rhenum & Ellum fluvios, ſpecialius Cempſum inter & Iſcheram rivos, Marckelshemium à dextra, Elſenhemium à ſiniſtra, relinquens. Heſſam villam inde & Ivratzhemium attingit, præteritaque mox Hiltzhemii villa, (quo in tractu Cempſum trajiciebat via) per Ebershemiani Monaſterii ſilvam recta ad Benfeldam Helvetumque tendit. Fuit via tranſverſa, qua Argentouaria & Helvetus, civitates mediterraneæ, Rhenum inter & Vogeſum ad Ellum flumen ſitæ, octo milliarium Francicarum intervallo ſeparatæ, conjungebantur. Viæ hujus, quæ ſuperant, indicia à colonis circumjacentibus *das Straſſel*, Stratula, *die Hohe-Straſs*, *Heyden-Straſs*, via eminens vel exaggerata, via Paganica, vocibus, alibi quoque receptis, appellantur.

Secunda via obliqua. Sed & in eadem Inferiore Alſatia, præter viam rectam Rhenenſem continuatam, alia fuit obliqua, uti in ſuperiore, quæ ab Argentorato (*n*) per Brocomagum atque Concordiam ad Noviomagum Nemetum, hoc eſt, ad urbem Spiram, ut *Itinerarium* (*o*) teſtatur, ducebat:

Argentorato		
Brocomago	. . .	Mill. Paſſ. XX.
Concordia	. . .	Mill. Paſſ. XVIII.
Noviomago	. . .	Mill. Paſſ. XX.

Licet ergo ad mediterranea à Rheno divergeret, prope Spiram tamen rurſus incidit in viam rectam Rhenenſem.

§. CCXXX.

Tertia via. Excepit hanc *Divodurenſis* via, quæ per Brocomagum atque Tres-Tabernas ad Divodurum, Mediomatricorum caput, ſive ad Metenſem urbem, Itinerario teſte, (*p*) porrecta eſt, hunc in modum:

Argentorato		
Tabernis	. .	Mill. Paſſ. XIV.
Decem Pagis	. .	Mill. Paſſ. XX.
Divoduro	. .	Mill. Paſſ. XX.

Hæc ad Belgas interiores viatorem perduxit.

Quarta via. Alia inſuper ſub Romana Periodo via per Schirmeckianam & alias Vogeſi valles ad Mediomatricos ulteriores jam olim tendebat, quam hodie Saracenorum viam, *le Chemin des Sarazins*, vocant. Attigit ea pedem montis *Dononis*, in quo Mercurialium Sacrorum tot reliquiæ extant, quas ſupra (*q*) indicavimus & mox inter Monumenta deſcribimus.

§. CCXXXI.

Via militaris Odil. Montis. Præter publicas has & militares Romanorum in Alſatia vias notanda venit & alia, minus publica, at militaris profecto, quæ ab imo Odiliani montis, uti hodie vocatur, ad verticem duxit. Mons hic, cui Hohenburgenſe Monaſterium medio ævo impoſitum fuit, haud procul ab Ehenhemio ſuperiore, Imperiali quondam oppido, ſitus, inter ſummos Vogeſi apices, altitudine vix ulli ſecundus eſt. Ad montis radices conſpicitur vicus, ab Ottone quodam, Alſatiæ Comite, uti videtur, *Ottenrodt* (*r*) nominatus, ubi via militaris initium cepit, atque per varios gyros & anfractus perrexit ad verticem. Stratura, quæ propior vico erat, deſtructa eſt; lapidibus majoribus in privatos colonorum ædificantium uſus converſis; quæ autem montis ſummitati vicinior, adhucdum ſat integra cernitur, initiumque haud procul à D. Gorgonii Ædicula ſumit. Stratæ viæ reliquias vulgus *Paganicam* imo & *Dæmonicam viam* (*s*) appellat.

(*n*) Quinque Viæ majores ab Argentorato ad diverſas Galliæ partes ducebant, non numerata Via, quæ ad Germanos Trans-Rherenſes ducebat. De Viis publicis, ad Coloniam Rauricam ducentibus, ſupra jam actum. Ad Durocortum, principem urbem Rhemorum, ſeptem viæ ducebant, ut obſervat Bergierius *Hiſt. Viarum Militar. Romanorum* Lib. III. Cap. XXXIX. num. 4.

(*o*) Pag. 252. ſq.

(*p*) Pag. 239.

(*q*) In *Conſpectu Alſatiæ* §. IX. pag. 7.

(*r*) Ottonis Novale. *Rode*, *Rod*, Teutonica vox vetus, pro *Reut*, novale. Unde tot vicorum oppidorumque nomina apud Germanos, quæ in *roda*, *rode*, *rod*, deſinunt. Loca hujusmodi, fruticibus & dumetis purgata, in habitationes, villas, vicos paulatim & urbes converſa fuerunt, ut *Werningeroda*, *Elbingeroda*, *Gernroda*.

(*s*) *Heyden-Weg*, *Teufels-Weg*. Via quædam Romana, quæ à Baccharaco Berncaſtellum atque ulterius duxit, ab accolis quoque nominari Paganicam viam, annotat Henninius in *Notis ad Bergierium de viis Militaribus* Lib. III. pag. 719. Tom. X. Grævii *Theſauri Antiqq. Roman.*

§. CCXXXII.

Conſtructio hujus viæ.

Opus, quod firmitate ſua tot ſeculorum injuriis & tempeſtatibus reſtitit, examinavi ſollicite. Stratum infimum, quod *ſtatumen* aut *rudus* appellamus, lithoſtrotum ſive pavimentum lapideum eſt, rudioribus lapidibus magnis craſſisque coagmentatum, ſed absque cæmento. Statumini ſuperimpoſitum cernitur ſtratum ſecundum, glarea, minuto lapide & arena craſſiore, compoſitum, duorum pedum altitudine conſtans, quod ſtratum, quia in medio poſitum, vocabulo à veterum pavimentis deſumpto, commode *Nucleus* appellatur. Nucleo ſuperimpoſita denique fuit *ſumma cruſta*, ſive tertium ſummumque ſtratum, quod lapides quadranguli & quadrilateri, prægrandes dolati & coagmentati, componunt; qui iterum diverſæ magnitudinis ſunt, ſesquipedales, duorum pluriumve pedum, prouti ſors tulerat, atque ex ipſa rupe, ſuper quam via facta, exciſi, & ad lineam, libellum ac perpendiculum, quod poſt tot ſecula adhuc ſatis apparet, exacti. Quadratorum horum lapidum junctura multis temporum injuriis hiatus ubique plures accepit, quod & in Appia illa celebri via, aliisque paſſim apud Italos, contigiſſe teſtis oculatus didici. Latitudinem viæ deprehendi pedum XII. quam viarum Romanarum menſuram communem in latum Hyginus, (*t*) ſeculi II. Scriptor, indicat. Tota hujus viæ extenſio leucæ Francicæ minoris ſpatium explere potuerat; ex quo MCCL. paſſuum ſtratura adhuc ſupereſt. Neque vero divinare nobis difficile eſt, cur, quum reliquæ Romanorum in Alſatia viæ perierint, hæc ſola, ſi non omnis, ex parte tamen, adhuc ſubſiſtat. Cæteræ enim, quæ fuerant in plano, vel à Rheno abreptæ, vel lapides earum ab incolis ad ædificia adhibiti fuerunt, quum viæ noſtræ Odiliani montis pars vicinior vertici mala hæc ſentire non poſſet. Addo, quod incommodi illud habent viæ Romanæ, quod reparatio earum ſumptuoſa ſit, quæ niſi fiat diligenter, hiatus, hinc inde ſeſe pandentes, uſum itinerantibus plane difficilem reddunt. Unde ipſa Appia, aliæque Italiæ veterum Romanorum viæ, plerumque hodie jacent neglectæ. Viatores, tum rhedis, tum equis ſuis, neglecta via veteri, collateralem, quæ ad hujus latus paulatim nata eſt, ſolent præferre. Annotandum eſt inſuper, quod Germaniæ populi, qui Alſatiam, Romanis expulſis, tenuerunt, viis ſuis non munitis, levique labore paratis, aſſueti, Romanas neglexerint.

Romana autem in Odiliano Monte via, multo opere ſumptibusque parata, firmum ibi præſidium militare & Caſtra ſtativa Romanos Imperatores collocaſſe docet, quod & murus fortiſſimus, ibidem ſuperſtes, indicat. Hæc militum in uſus munita, à militibus præſertim trita, militum manibus quoque forſan confecta, præ aliis ſane Militaris viæ nomen merita eſt. Inter militaria opera conſtructio cenſebatur viarum. Militibus ſuis frequenter laborem hunc commiſere Duces Romani, vel ex neceſſitate, vel, uti Tacitus loquitur, adverſus otium Caſtrorum: antiquiſſimis temporibus id jam Conſulem feciſſe Flaminium, ex Livio annotavimus ſupra. Ceterum eosdem viæ hujus & veteris illius muri fortiſſimi, in montis Odiliani vertice poſiti, cenſemus auctores, hoc eſt, opus utrumque ad Romanos haud immerito referimus; nonnulli licet opus Romanis abjudicandum exiſtiment. Et Celtæ enim, qui ante Romanos, & Alemanni Francique, qui poſt Romanos Alſatiam tenuerunt, hujuscemodi operum fuerunt incurioſi. Veſtigia viæ hujus indicamus in Tabula, quæ Odiliani montis Caſtra repræſentat.

§. CCXXXIII.

Via Aurelia-Aquenſis.

His Veteris Alſatiæ militaribus viis & trans Rhenanam vicinam, huc usque ignotam, ſubjungimus, viam nempe *Aquenſem Aurelian*, quæ ſeculo II. finiente, tertioque ineunte, à Tribocis, ſpeciatim ab Argentorato, adeoque à Rheno ad civitatem Aureliam Aquenſem, (*u*) (Badam Marchicam) indeque ad Danubium, duxit; in quo itinere aliquot Lapides leugares ſuperioribus ſeculis, imo & noſtro, reperti fuerunt, qui

(*t*) De *Limitibus Conſtituendis* pag. 152. Edit. Goeſ. ubi ſic loquitur: " Per hos (limites) iter „ populo, ſicut per viam publicam debetur. Ita „ enim cautum eſt Lege Sempronia & Cornelia & „ Julia. Quidam ex his latiores ſunt XII. pedibus, „ ut hi ſunt, per viam publicam militarem acti; „ habent enim latitudinem viæ publicæ. „ Lex XII. Tabularum octo pedes tantum latitudinis viæ dedit, quæ in porrectum duceretur. Cajus Lib. VIII. *ff. de ſervit. Præd. Ruſt.* Adde Paulum Lib. XXIII. *ff.* Tit. eodem; Antonin. Augustinum ad *Legem XII. Tabular.* §. XIV. Generatim latitudo viarum Italiæ vix egrediebatur pedes quatuordecim: quum illæ ab annis bis circiter mille ſtratæ ſint, quando currus minus frequentes & minus lati fuerunt, ut duo adverſi facile tranſire potuerint. In Provinciis autem viæ exaggeratæ fuerunt latiores ſubinde pedum 30.

(*u*) Agnomen *Aurelia* Civitati Badenſi Marchicæ ab Imp. Antonino Caracalla datum fuiſſe, infra, ubi de Monumentis Romanis agitur, probamus.

GEOGRAPH.

qui adhucdum extant, uti infra videbimus. Via hæc eo magis notanda eſt, quod Eruditi quidam (x) apud Germanos crediderunt, nullas plane in Germania veteri Trans-Rhenana vias extitiſſe, à Romanis munitas. Quicquid ſit, via hæc Aurelia-Aquenſis Marchica nulli ad hunc diem Scriptorum fuit annotata. Itinerarium Antonini & Tabulam Theodoſianam nullum trans Rhenum Danubiumque iter aut viam in Germania magna notaſſe, non eſt mirum; quando duo hæc Monumenta nonniſi ſeculi IV. fine conſcripta fuerunt, quum omnia, quæ Romani ultra hos limites poſſederant, jam fuiſſent amiſſa, Romanis cis Rhenum Danubiumque per Alemannos rejectis, qui loca iſta deinceps in perpetuum occupaverant. Hoc certum plane & indubium eſt, ſub Antonino Caracalla, adeoque ſeculi III. initio, inter Argentoratum atque Pforzhemium viam ſtratam fuiſſe, quum Lapides milliarii quatuor, qui ſuperſunt, (y) id clare teſtentur. Horum nonnulli in vico *Steinbach* eruti ſunt, qui vicus, ab Aquenſi civitate Marchica Badenſi IV. leugis diſtans, ad Rhenum vergit: duo alii reperti ſunt in ejusdem ditionis Badenſis vico Nœttinga, qui in itinere ad Nicrum atque Danubium, Badam inter atque Pforzhemium, ſitus eſt. Milliarium horum lapidum poſitio aperte nobis indicat viam, quæ Rhenum noſtrum Danubiumque conjunxit. Per Pforzhemium oppidum, quod Marcianæ Silvæ veluti *Porta*, (z) neceſſario hæc via tranſivit; ad quam autem urbem, ad Danubium ſitam, à Pforzhemio progreſſa ſit, cum ignariſſimis me ignorare profiteor. Ceterum, quum in Trans-Rhenenſi Germania, nobis vicina, & quidem Marchia Badenſi ſola, quatuor adhuc ſuperſint Columnæ milliares, quæ interſtitia locorum olim indicaverant leugis, non ſemel indolui, barbaram ſuperiorum ſeculorum ætatem plura hujus generis Monumenta ſuæ invidiſſe poſteritati. Solam enim unicamque, quam ego Brocomagi detexi, hujus generis Columnam, conſervavit Alſatia, Valeriani Imperatoris ætate poſitam, quam infra producimus. Columnæ Milliariæ cum viis militaribus perierunt. Harum ſtratura paſſim demerſa & ſepulta eſt limo, aut, quum urbes munirentur, arces exſtruerentur, caſtra vicique converterentur in urbes, aut alia opera ſeu privata, ſeu publica, fierent, in uſus illos adhibiti ſunt Literati hi Lapides, ignorantia ædificantium.

§. CCXXXIV.

Itinerarium Antonini, ut & *Tabula Theodoſiana*, qui Libri in uſum Imperatorum, Provincias obeuntium, conſcripti fuerant, duas vias exponunt, per quas Imperatores Romani ex Italia, ſpeciatim à Mediolano ad Argentoratum, atque inde Moguntiacum proficiſci ſolebant: unam per Alpes Grajas; alteram per Alpes Penninas. In Iter per Alpes Græcas, quæ inter Cottias & Penninas mediæ, Mediolano Argentoratum Mill. Paſſ. DLXXVI. computantur. (a) Via hæc per oppida Salaſſorum Sub-Alpinæ Galliæ, Eporediam (hodie *Ivrea*) atque Auguſtam Prætoriam, Salaſſorum caput, (nunc *Aoſta*) Pedemontii urbes, atque dein per Allobroges, ſpeciatim per Tarantaſiam ad Genevam urbem, indeque per Pagum Vaudenſem, Orbam, Veſontionem, Largam, Montem Briſiacum, perduxit Argentoratum per has Manſiones: (b) Via per Alpes Grajas.

Ticinum	Mill. Paſſ. XXII.
Laumellum	Mill. Paſſ. XXII.
Vercellas	Mill. Paſſ. XXVI.
Eporedia	Mill. Paſſ. XXXIII.
Vitricium	Mill. Paſſ. XXI.
Auguſta Prætoria . . .	Mill. Paſſ. XXV.
Arebrigium	Mill. Paſſ. XXV.
Bergintrum	Mill. Paſſ. XXIV.
Darantaſia	Mill. Paſſ. XVIII.
Caſuaria	Mill. Paſſ. XXIV.
Bautas	Mill. Paſſ. XVIII.
Cenava	Mill. Paſſ. XXV.
Equeſtribus	Mill. Paſſ. XVII.
Lacu Lauſonio . . .	Mill. Paſſ. XX.
Urba	Mill. Paſſ. XVIII.

Ariorica

(x) Hadr. Stegesus in *Diatriba ſua de Viis Militaribus Romanor. in veteri Germania* §. II. pag. 8. & §. VIII. pag. 32.
(y) Inter Monumenta Romana hos Lapides producimus infra.
(z) Etymologia hæc nominis *Pforzheim* veriſimilior illa, quam Irenicus *in Exegeſi Germaniæ* Lib. XII. pag. 406. ſuppeditavit, ubi à Phorce, Phorcys ex Eurialo filio, nomen deducit.
(a) Codices MſſI. nonniſi unis Mill. Paſſ. variant: ſunt enim, qui Mill. Paſſ. DLXXVII. habent.
(b) *Itinerar.* Antonini pag. 346. ſqq.

Ariorica	Mill. Paſſ. XXIV.
Viſontione	Mill. Paſſ. XVI.
Velatuduro	Mill. Paſſ. XXII.
Epamantadurum	Mill. Paſſ. XII.
Gramato	Mill. Paſſ. XIX.
Larga	Mill. Paſſ. XXV.
Uruncis	Mill. Paſſ. XVIII.
Monte Briſiaco	Mill. Paſſ. XXIV.
Helveto	Mill. Paſſ. XXV.
Argentorato	Mill. Paſſ. XXX.

§. CCXXXV.

Via per Alpes Penninas.

Iter vero, per Alpes Penninas ad Argentoratum urbem inſtituendum, quod attinet, Itinerarium (c) à Mediolano Magontiacum Mill. Paſſ. CCCCXIX. (d) Argentoratum autem usque ſummam CCCXXXIX. Mill. Paſſ. computat, ſequentem in modum:

Novaria	Mill. Paſſ. XXXIII.
Vercellas	Mill. Paſſ. XVI.
Eporedia	Mill. Paſſ. XXXIII.
Vitricio	Mill. Paſſ. XXI.
Auguſta Prætoria	Mill. Paſſ. XXV.
Summo Penino	Mill. Paſſ. XXV.
Octoduro	Mill. Paſſ. XXV.
Tarnajas	Mill. Paſſ. XII.
Penne Locos	Mill. Paſſ. XIII.
Vibiſco	Mill. Paſſ. IX.
Bromago	Mill. Paſſ. IX.
Minnodunum	Mill. Paſſ. VI.
Aventicum Helvetiorum	Mill. Paſſ. XIII.
Petineſca	Mill. Paſſ. XIII.
Saloduro	Mill. Paſſ. X.
Auguſta Rauracum	Mill. Paſſ. XXII.
Cambete	Mill. Paſſ. XII.
Stabulis	Mill. Paſſ. VI.
Argentouaria	Mill. Paſſ. XVIII.
Helveto	Mill. Paſſ. VI.
Argentorato	Mill. Paſſ. XII.

Tabula Theodoſiana iter hoc quoque indicat, locis tamen quibusdam & intervallis eorum hinc inde mutatis.

§. CCXXXVI.

Via per Alpes Rhæticas.

Duobus his itineribus *Theodoſiana Tabula* tertium addit, quod nec per Grajas, nec per Penninas, ſed per Rhæticas Alpes, dirigitur, atque per Comum, Clavennam, Curiam, Brigantium, Vindoniſſam, Auguſtam Rauracorum, Argentouariam, Argentoratum duxit, per ſequentes ſtationes:

A Mediolano	
Como	XXXV.
Clavenna	XVIII.
Tarveſſedo	XX.
Cunuaureum	X.
Lapidaria	XVII.
Juria	XXXII.
Magia	XVI.
Clunia	XVIII.
Brigantio	XVII.
Arbor Felix	X.
Ad Fines	XXI.
Vindoniſſa	VIII.

Auguſtam

(c) Pag. 350. ſeqq.

(d) In nonnullis Codd. CCCCXVI. exprimuntur.

Auguſtam Rauracum		. .	XXII.
Arialbinum	.	. ' .	VI.
Cambete	.	. .	VII.
Argentouaria	.	. .	XII.
Helellum	.	. .	XII.
Argentorate	. .	. .	XII.

Nec dubitandi locus eſt, Imperatores, pro diverſis rerum temporumque circumſtantiis, unam viam elegiſſe præ altera.

§. CCXXXVII.

Stationes viarum.

Alſatiæ hæ Romanorum viæ per Stationes, quæ vel *Manſiones* vel *Mutationes* appellabantur, ſubdiviſæ fuerunt. Manſiones ampla peregrinantibus hoſpitia præbebant, in mutationibus autem nonniſi veredos, jumenta & vehicula, veredarii mutabant; uti ex Titulis utriusque Codicis *de Curſu Publico*, nec non ex *Itinerario Burdegalenſi*, addiſcimus. (*e*)

Curſus fiſcalis.

Publicus corſus, ad Fiſcum Principis ab Hadriano relatus eſt; (*f*) unde Curſus Fiſcalis ſubinde vocatur: vocatus etiam Curſus vehicularis, ſive vehicularius, vehicula publica, vehiculatio &c. quippe quæ non modo per Tabellarios publicos & ſtatores, pedibus curſitantes, ſed præcipue per eqoos inſtituebatur. Equi & hominibus & oneribus ferendis, vehendisque rhedis deſtinati, dicebantur Veredi, etiamſi non veherent homines: Paraveredi, qui ex privatorum equis, pro neceſſitate Curſus publici, ſub *paravigariæ* titulo, ſubinde addebantur; ſæpe tamen rhedæ à mulabus, aſinis & bobus, quoque trahebantur. Vehicula varii diverſique generis, birotæ, ciſia, rhedæ, carpeota, carrucæ. Clabula vero plerumque bobus trahebantur, unde clabularis vehiculatio tardigrada, & Curſus publici vehicularis ignobilior ſpecies, veloci curſui oppoſita, (*g*) à rhedis & quadrigis diverſa, rebus transferendis apta, quæ præcipitem curſum nec requirunt, nec ferunt. Stationibus præerant publici Officiales, qui è fiſco Principis mercedem, victum & annonam, conſequebantur, unde nullam mercedem pro curſu publico exigere poterant. Nec omnibus ejus uſus permiſſus fuit: Principis & Nuntiorum curſorumque ejus, ut & paucorum ex Palatio Procerum, quibus nempe Diplomata Tractoria concedebantur, itineribus deſtinatus. Præpoſiti Curſui *Mancipes* dicti ſunt, qui, quinquennio finito, *Perfectiſſimatus* dignitate honeſtabantur. (*h*) Sub eorum directione erant Stratores, Catabulenſes, Hippocomi, Muliooes, Mulomedici, aliique, variis nominibus à ſe invicem diſtiocti. ITINERARIUM BURDEOALENSE Manſiones & Mutationes has tam probe diſtinguit, ut *Mutatio*, *Manſio*, (*i*) *Civitas*, locis ſingulis frequenter adjecta reperiatur. Inſtitutum hoc quoque in publicis oostris Alſatiæ viis locum habuiſſe, ſtationesqoe in urbibus & vicis Alſatiæ, prouti fors tulit, poſitas fuiſſe, nequit dubitari. Qui enim credibile eſt, vias, quæ à Rheno Veſontionem, Divodurum & Treviros, ducebant, curſu publico caruiſſe, illis præſertim temporibus, quibus Imperatores Lugduni & Treviris frequenter ſedem Imperii fixerant? Tertio quartoque ſeculis plurimos eorum Treviris ſediſſe novimus.

(*e*) SPANHEM. *de Uſu & Præſtantia Numiſmatum, Diſſert. XIII.* LEPSIUS *Centur.* III. *Epiſt.* LIX. CUPERUS *Obſervat.* Lib. IV. Obſ. II. LACTANTIUS *de Morte perſecut.* Cap. XLV.

(*f*) SPARTIANUS *in Hadriano* Cap. VII.

(*g*) *Leg.* V. & LXII. *Cod. Theod. de Curſu Publ.* Tardigradus Curſus hic nunc clabicularis, nunc clabularis, nunc clavularis, nunc clavularius, vel ſimpliciter clabulare, in *Codice Theod.* & apud AMMIANUM MARCELL. dicitur. Clabularem & Angariarum curſum unum eundemque eſſe, putat SCHEFFERUS *de re vehiculari*, Lib. II. Cap. XXIX.

(*h*) Vide Leg. XXIII. XXVI. XXXVI. XLVI. & LXIII. *Cod. Theodoſ. de Curſu Publico.*

(*i*) Vox *Manſio* denotavit vel caſtrenſem manſionem, ſive militarem, ubi milites poſt iter quieſcunt, de qua VEGETIUS Lib. III. Cap. VIII. vel itinerariam menſuram diurni itineris, circiter XX. Mill. Paſſ. uti apud PLIN. *Hiſt. Nat.* Lib. XII. Cap. XIV. occurrit, vel locum quemcunque, ubi viator quieſcere poteſt; vel denique manſionem curſualem ſtationis, ut *Itinerariis Antoniniano & Burdegalenſi*, item in *Legg. de Curſu Publico.* In Burdegalenſi Itinerario ponuntur inter Manſiones: Civitas Naiſſo, Manſio Romanſiana, Manſio Turribus, Manſio Meldia, Civitas Serdica, Manſio Buragara &c.

GEOGRAPH.

ALSATIÆ STATUS IN ROMANÆ PERIODI FINE, SIVE SUB ALEMANNIS.

§. CCXXXVIII.

Alſatia an Burgundica fuerit.

GEographicum Alſatiæ Romanæ ſtatum, quantum quidem ex veteribus Monumentis Græcis atque Latinis notitia ejus potuit hauriri, conſideravimus ſatis. Quum autem Alſatiam inter Romanam & Francicam medius quidam ſtatus ſeculo V. extiterit, quem plerique Hiſtoricorum juniorum ad Burgundiones referunt, quemque nos ſupra ad Alemannos retulimus, examinandum nunc paucis, an poſt magnam illam Barbarorum irruptionem in Galliam An. CCCCVI. Alſatia noſtra Burgundica, an Alemannica, facta ſit. Burgundionum & Alemannorum ditiones certis in Regionibus nimium fortaſſe dilatantur, in aliis nimium contrahuntur. Rem explico. Burgundiones ex Alſatia, ubi communiter ponuntur, relegandi ſunt forte, & in Burgundia Trans-Urſana, unde relegantur, ponendi. Alemanni vero ex Burgundia Trans-Urſana, ubi ponuntur, relegandi, & vindicandi Alſatiæ.

Erroris Auctores.

Argumentum hoc, quatenus Alſatiam noſtram reſpicit, examinabimus paucis. Burgundiones ſeculi V. initio in Alſatia firmas poſuiſſe ſedes, recentiorum Hiſtoricorum plurimi profitentur aperte. Hos inter GUILLIMANNUS (*l*) & BUCHERIUS (*m*) agmen ducunt, quos BEBELIUS, (*n*) LUDEWIGIUS, (*o*) LAGUILLIUS, (*p*) aliique bona fide ſecuti ſunt. GUILLIMANNUS in *Habſpurgiacis* ſuis ita ſcribit: "Cum Burgundi una „ cum Vandalis ex Germania Rhenum tranſiſſent, ut reliqua Sequanorum, Æduorum „ & Helvetiæ ad amnem Urſam, occupaverunt, ita quoque Elſatiam, certe ſuperiorem, „ ſi non utramque: tenueruntque Burgundiæ Reges, dum fuerunt. Franci pariter „ inter Burgundici regni provincias habuere. „ Guillimannus ergo Alſatiam ſuperiorem à Burgundionibus occupatam fuiſſe non dubitat; ejuſdemque ſententiæ eſt Clariſſimus Burgundicarum rerum Scriptor DUNODIUS. (*q*) BUCHERIUS autem Germaniam quoque Primam Burgundionibus ſedem aſſignat, adeoque Alſatiam inferiorem, ubi Germaniæ Primæ initium fuit, illis etiam adſcribit; quod facere dubitaverat Guillimannus. Bucherianæ opinioni acceſſit BEBELIUS, (*r*) Burgundiones cum Vandalis in vacuas Tribocorum, qui in Trans-Rhenanam Germaniam tranſlati, ſedes tranſiviſſe arbitratus. Guillimanniana vero, quam plures ſequuntur, poſt Vandalicam irruptionem populos ad Rhenum ita diſponit, ut Helvetiæ partem, quæ inter Rhenum & Urſam, hoc eſt, Trans-Urſanam, Alemannis; illam vero, quæ inter Urſam & Juram, ſive Cis-Urſanam, quæ dein *Trans-Jurana* vocata eſt, Burgundionibus; Alſatiam autem ſuperiorem iiſdem Burgundionibus attribuat. Ex hac oræ Rhenenſis ordinatione Helveticam ejus partem Alemanni, Rauricam & Sequanicam Burgundiones, Tribocenſem, Nemetenſem & Vangionicam, iterum Alemanni tenuiſſent, Burgundioneſque adeo, in medio Alemannorum poſiti, ſuperius inferiuſque ab Alemannis ſe vidiſſent incinctos: (*s*) Franci enim ad ſuperiores has Rheni partes nonniſi poſt Tolbiacam pugnam venerunt.

§. CCXXXIX.

Alemanni Rheni accolæ.

Burgundiones in hoſtilis & indomitæ Alemannorum nationis medio habitaſſe, multi fortaſſe rem creditu judicabunt difficilem, & majore cum veriſimilitudine Alemannos Alſatiæ poſſeſſores conſtituent. Ex quo enim hi Vallum illud Romanorum, Decumates Agros includens, ſeculi III. fine everterant, regiones Rhenum inter, Mœnum atque Danubium, ſitas omnes, adeoque Briſgoviæ & Ortenoviæ tractus, quos alluit Rhenus, tenuerunt. Frequentes inde ipſorum in Galliam irruptiones cœpere, ex qua tamen ſemper in Alemanniam ſuam trans Rhenum rejecti ſunt, donec magna hac Barbarorum invaſione, quam à præcipuo populo Vandalicam appellamus, Rheni limes An.

(*l*) *Habſpurgicor.* Lib. II. Cap. V. pag. 69.
(*m*) *Belg. Rom.* Lib. XIV. Cap. IV. ubi ait: *In Germania Prima ſedes illis* (Burgundionibus) *data.*
(*n*) *Antiquit. Germaniæ Primæ* pag. 6.
(*o*) *Germaniæ Principis* Lib. I. Cap. II. pag. 281.
(*p*) *Hiſtoire d'Alſace* Lib. III. pag. 33. & 35. ubi addit, veriſimile eſſe, Burgundiones Paganiſmo valedixiſſe in Alſatia, ibique ſacris Chriſtianis fuiſſe imbutos.
(*q*) *Hiſtoire des Sequanois & des Bourguignons* pag. 229. ubi rebus probe examinatis concludit: *Le premier Royaume de Bourgogne a commencé dans la Province Sequanoiſe ſur les bords du Rhin.*
(*r*) *Antiquit. Germaniæ Primæ* Art. I. pag. 6.
(*s*) Alemannos ſane Tigurinum Pagum à Rheno ad Urſam occupaſſe verbis difertis GUILLIMANNUS enuntiat, *Rer. Helvet.* Lib. II. Cap. V. pag. 190. ubi etiam Burgundiones illi Helvetiæ parti includit, quæ Urſa, Rhodano, Juraque includitur. Vid. ibid. Cap. VI. pag. 201.

GEOGRAPH.

An. CCCCVI. non modo perruptus atque nudatus, ſed & plane abolitus fuit; ubi rerum naturæ convenientius nihil, nihil veriſimilius, quam ut Alemanni, ex Germanica ſuperioris Rheni, quam tenuerant, ripa, in Gallicam tranſirent oppoſitam: (*t*) uti eodem fere tempore Franci, ex Germanico inferioris Rheni litore, quod occupaverant, tranſierunt in Gallicum. Ante hanc irruptionem enim Alemannos & Francos, dextram Rheni oram accolentes, ſeparaverat Mœnus. Utriusque Rheni ripæ ſuperioris occupatio, ab Alemannis facta, quæ veriſimillima eſt, ex veriſimili vera fit, quum coætanei ſummæ auctoritatis Scriptoris, APOLLINARIS SIDONII, Præfecti Prætorio Galliarum, teſtimonium perpendimus. Hic in *Panegyrico*, quem Avito, ſocero ſuo, Imperatori Auguſto, verſibus ſcripſit, (*u*) ita loquitur:

" Francus Germanum Primum Belgamque Secundum
„ Sternebat, Rhenumque, ferox Alemanne, bibebas
„ Romanis ripis: & utroque ſuperbus in Agro
„ Vel civis, vel victor, eras.

Panegyricus hic ſcriptus eſt An. CCCCLV. (*x*) quo imperavit periitque Avitus, qui Magiſter militum fuerat, antequam fieret Imperator, atque ab initio Magiſterii ſui Alemannos prœlio vicerat. Quum enim Francorum & Alemannorum memoratis verſibus feciſſet mentionem SIDONIUS, ſubjungit hæc: (*y*)

" Ut primum ingeſti pondus ſuſcepit honoris, (Magiſtri militum)
„ Legas, qui veniam poſcant, Alemanne, furoris.

Avitus Magiſter militum creatus fuit à Petronio Maximo Imperatore. Sidonius iterum: (*z*)

" . . . . Sed perdita cernens
„ Terrarum ſpatia, Princeps jam Maximus unum,
„ Quod fuit in rebus, peditumque equitumque Magiſtrum
„ Te ſibi, Avite, legit.

§. CCXL.

Maximi Imperium quum nonniſi fuerit trimeſtre, & Aviti, qui eum excepit, decem menſium, (*a*) Avitus tredecim menſium ſpatio & Magiſtri Militum & Imperatoris munus complevit. Victoria ergo, quam Avitus ab Alemannis retulit, in annum CCCCLV. incidit. Ante hoc tempus Alemanni jam victores, & ob diuturnam moram veluti cives, Romanis in ripis quoque, & hinc in Gallico Rheni Agro, non minus ac in Germanico, degebant. Ex verbis autem: *qui veniam poſcant furoris*, cum ULRICO OBRECHTO (*b*) ego minime concluderem, Alemannos omni Gallia, adeoque & ora noſtra Rhenenſi, fuiſſe ejectos, priſcumque Rheni limitem à Romanis contra Alemannos reſtauratum fuiſſe. Id vero certiore fundamento concludere licebit, Alemannos An. CCCCLV. habitaſſe in Gallia, victoriamque ab illis, interiora Galliæ ſibi vindicare conantibus, reportaſſe Avitum. Alemannis enim non perinde ac Burgundionibus conceſſerant Romani, ut Galliæ interiora tenerent, quum ipſi pertinaces Romanorum hoſtes, Burgundiones eorum amici, fuerint. Unde veriſimile, Alemannos Rhenum verſus tum fuiſſe repulſos, non rejectos trans Rhenum. Tam miſero rei Romanæ ſtatu num Avitus unius anni ſpatio, quo Magiſterium Militum geſſit & imperavit, ex potentiſſimi hoſtis manibus eripere, atque tot arces & caſtella reſtituere potuiſſet, quum ne Italiæ quidem limitem reſtituiſſent Romani? Danubianum limitem, nullo quoque tempore à Romanis reſtauratum, heic nolo afferre.

Aviti Imperium.

(*t*) Vadomarii regnum è regione Raurici agri ad Martianam Silvam fuiſſe, ex AMMIANI Lib. XVIII. Cap. II. pag. 147. à nobis jam obſervatum eſt alibi; ubi & oſtenſum, Suomarii, Alemanniæ quoque Regis, ditiones è Moguntiacæ urbis regione fuiſſe. Vide eundem AMMIANUM.

(*u*) Carm. VII. vers. 373. Locum hunc meliori jure nos pro Alemannis in Alſatia dominantibus producere, quam alii eundem pro Alemannorum in Helvetia dominatione allegant, ex omnibus circumſtantiis Lector dijudicabit. STRUVIUS tamen, ut Helvetiam Alemannis ſeculo V. jam vindicet, hos Sidonii verſus allegat, in *Notitia Suevia Antiq.* pag. 86.

(*x*) Avitus electus eſt Imperator VI. Eid. Julias, Valentiniano VIII. & Antemio Coſſ. hoc eſt An. CCCCLV. CASSIODORUS in *Chron.* Tiro PROSPER in *Chron.* & VICTOR TUNUNENSIS.

(*y*) Verſu 389. ſqq. Carm. VII.

(*z*) Ibid. vers. 376.

(*a*) Ita EVAGRIUS Lib. II. Cap. VII. aliique. IDATIUS autem in *Chron.* Avitum tertio anno, quam à Gallis & Gothis Imperator factus erat, imperio & vita caruiſſe, prodit.

(*b*) *Prodrom. Rer. Alſat.* Cap. V. pag. 28.

§. CCXLI.

Epaonenſis Synodi teſtimonium.

Sidonii Apollinaris, quod produxi, teſtimonio, quo Alemannorum in Alſatia ſedes firmatur, (c) celebris Concilii auctoritatem ſubjungo. Epaonenſem (d) Synodum, ſub Sigismundo Burgundionum Rege, poſtquam ab Arianismo converſus fuit, XVII. Kal. Octobr. Agapeto Conſule, hoc eſt, An. DXVII. à viginti quinque Burgundici regni Epiſcopis habitam, intelligo; quæ Raurici & Sequaniæ noſtræ anterioris Epiſcopatum Baſilienſem Burgundis abjudicat. Burgundicæ huic Synodo, quam Tractoria Epiſtola convocavit Avitus, Viennenſis Metropolitanus, (e) intereſſe quoque debuiſſet Rauricenſis, hoc eſt Baſilienſis, Epiſcopus, ſi Raurici & Sequani noſtri anteriores Burgundico regno fuiſſent ſubjecti. Interfuerunt ei Veſontinus & Vindoniſſenſis Antiſtites, at non interfuit Baſilienſis, jam tum temporis Veſontino ſubjectus: ſat claro indicio, Baſilienſem Epiſcopatum Burgundici Regni partem non conſtituiſſe; quodſi autem Alſatia tum non fuit Burgundica, Alemannicam eam fuiſſe neceſſe eſt. Epaonenſis hujus Concilii Actis ſubſcripſere ſeqoentes Epiſcopi: (f) Avitus Viennenſis. Viventiolus Lugdunenſis. Silveſter Cabillonenſis. Gemellus Vaſenſis. Apollinaris Valentinus. Valerius Segeſtericus. Victurius Gratianopolitanus. Claudius Veſontionenſis. Gregorius Lingonicus. Pragmatius Auguſtodunenſis. Conſtantius Octodorenſis. Catulinus Ebredunenſis. Sanctus Darantaſienſis. Maximus Genavenſis. Bubulcus Vindoniſſenſis. Sæculatius Deenſis. Julianus Carpentoratenſis. Conſtantius Vappincenſis. Florentius Arauſicus. Florentius Tricaſtinus. Philagrius Cabellicus. Venantius Albenſium. Prætextatus Aptenſis. Tauricianus Nivernenſium. Peladius Aventicæ.

Ex his ſubſcriptionibus patet, ineunte ſeculo VI. ad Burgundioonm Regnum pertinuiſſe Lugdunenſem primam & Provinciæ Viennenſis maximam partem, Alpes Penninas & Grajas, atque Metropolim Alpium maritimarum Ebrodunum, (g) Narbonenſis II. urbes Aptam, Vapincum & Seguſteronem. Galliæ hæ omnes Provinciæ cum Niverno primum illud Burgundiæ Regnum conſtituerunt. Cassiodorus, (h) Greoorius Turonensis, cæterique illius temporis Hiſtorici, eas appellant *Burgundiam*, cujus partem nec Alſatia noſtra Sequanica, ſive ſuperior, imo nec Raurica regio, unquam compoſuit.

§. CCXLII.

Aurelianenſis Synodus II.

Haorianus Valesius (i) tamen inter Civitates Burgundiæ, quarum XXVIII. circiter, vel Metropolitanas, vel Epiſcopales, computat, Baſiliam quoque, invitis tum ſacris, tum profanis, Monumeotis, recenſet. Intelligo equidem, Virum Doctiſſ. non Epaonenſis Synodi Actorum, quæ ille inſpexerat, ſed Aurelianenſis II. teſtimonio nixum, Rauracorum Antiſtitem, accenſuiſſe Burgundiæ. In Actis enim Synodi hujus, quæ vel An. DXXXIII. vel An. DXXXVI. (l) ſub Childeberto I. Franciæ Rege habita fuit, inter Epiſcoporum nomina occurrit *Aſclepius Presbyter, pro Adelphio Epiſcopo Rauracenſi* ſubſcribens. (m) Sed jam pridem ad Acta hæc obſervavit Sirmondus, in utriusque Aurelia-

(c) Mirum eſt, Sirmondum in *Notis ad Sidonium Apoll.* pag. 133. pro ſua ſententia locum hunc allegaſſe, Alemannos nempe univerſam Helvetiam, quæ à Rheno ad Juram usque montem porrigitur, occupaſſe. Sidonius oſtendit, utramque Rheni oram, Germanicam & Gallicam, alicubi tenuiſſe Alemannos, ſed oram Helveticam, potius quam Alſaticam, hæc reſpicere, nihil nobis indicat. Rationes, quas attulimus, pro Alſatia pugnant.

(d) Sunt, qui *Epaunenſem* hanc Synodum vocant. Incertum hactenus, ubi fuerit *Epao*, vel *Epauna*. In primo illo Burgundiæ Regno ſane quærendus eſt locus. Labbeus exiſtimat, eſſe vicum Sabaudiæ *Jenne* ad Rhodanum, duabus ad meridiem leucis à Belica urbe. Alii *Pannas*, *Ponas*, Vicum Delphinatus, in Viennenſi agro, huc rectius referunt. Vid. Chorier *Hiſtoire du Dauphiné*. In campeſtribus Regum ædibus haud paucæ ſub Francis quoque Synodi ſunt habitæ, ut ab urbium frequentia eſſent remotæ & tranquilliores.

(e) Alcimus Avitus Burgundiones ab Arianiſmo ad Catholicam fidem tranſduxit; qui Oroſii temporibus à Gentiliſmo ad Chriſtianismum, ſed Arianæ ſectæ, in Imperio Rom. tum potentis, tranſierant. Orosius circa An. CCCCXVII. ſcribens, Libro VII. Cap. XXXII. ait: " Burgundiones Chriſtiani modo facti, „ Catholica fide, noſtrisque clericis, quibus obedirent, „ receptis, blande, manſuete innocenterque, vivant, „ non quaſi cum ſubjectis Gallis, ſed vere cum „ fratribus Chriſtianis.

(f) *Acta Conciliorum* Edit. Labbei, Tom. IV. pag. 1573. & pag. 1581.

(g) *Ambrum.*

(h) *Variar.* Lib. I. *Epiſt.* ult.

(i) In *Notitia Galliarum* voce: *Burgundia* pag. 104.

(l) Aurelianum caput tunc fuerat Regni Burgundiæ, à Francico diſtincti: hoc in Auſtraſianum & Neuſtrium dividebatur; diviſione etiam tum ſubſiſtente, quum Burgundiæ regnum à Franciæ Regibus occupatum fuiſſet. Concilium Aurelianenſe II. habitum An. XX. Childeberti I. Regis Franciæ, cujus annus I. cum ultimo Clodovei I. coincidit; qui vulgo in An. DXI. conjicitur. Binius autem in An. DXIV. rejicit, unde hic Synodum Aurelianenſem II. in An. DXXXVI. ponendam eſſe putat, quam Sirmondus & Labbeus ad An. DXXXIII. ponunt. Ceterum Burgundiæ Regnum An. DXXXIV. à Clodovei M. filiis deſtructum eſt.

(m) *Conciliorum* Edit. Labbeanæ Tom. IV. pag. 1783.

Aurelianenſis Synodi exemplis Librariorum irrepſiſſe errorem, qui pro *Ratiacenſi* ſcripſerunt *Rauracenſi.* Ratiacenſis autem vocabatur tum ille, qui alias Pictavorum Epiſcopus dictus eſt. (n) Valeſium hæc non animadvertiſſe, miror. Nec animadvertit Nicol. Hertius, (o) inſignis apud Germanos Scriptor, qui ejusdem Concilii Aurelianenſis teſtimonio Auguſtam Rauracorum quoque accenſuit Burgundiæ. Magis erroneùs eſt Gotthelfus Struvius, (p) qui ex ipſis Concilii Epaonenſis Actis (quod nec Valeſius nec Hertius dixerunt) patere ſcribit, inter XXVIII. Civitates Epiſcopales, quæ tunc Regnum Burgundicum conſtituerint, Baſiliam quoque fuiſſe, cujus nulla tamen mentio ibi occurrit. Epaonenſem nempe & Aurelianenſem Synodos ille confudit; ex quibus duabus inter ſe collatis numerus XXVIII. Civitatum Epiſcopalium producitur, non ex alterutra tantum: ex neutra autem intelligimus, Baſilienſem vel Rauricenſem Epiſcopum interfuiſſe Concilio. Nec accuratior eſt Struvius, ubi ex ejusdem Epaonenſis Concilii Actis conſtare quoque exiſtimat, *Burgundiones omnem inter Juram montem & Ararim tractum tenuiſſe.* Ex iisdem Actis patet, Burgundiones omnia inter Juram occupaſſe & Rhenum, quod in illis Aventicenſis & Vindoniſſenſis comparent Epiſcopi.

§. CCXLIII.

Alſatia nunquam Burgundica.

Neque vero ullis aliis Hiſtoriarum Monumentis traditum eſſe reperio, Alſatiam Burgundici regni partem unquam compoſuiſſe, imo ne illis quidem temporibus, quibus Burgundiæ regnum fuerat ſub Francis. Childeberti II. diviſio, inter filios Theodebertum II. & Theodericum II. inſtituta, quæ ad ſententiam pro Alſatia Burgundica ſtabiliendam poſſet adduci, nihil probat omnino. Pater enim, Auſtraſiæ Burgundiæque Rex, moriens Theodeberto, natu majori, aſſignavit Auſtraſiam, cujus pars ſemper fuit Alſatia: hanc vero in Theoderici, licet natu minoris, gratiam ab Auſtraſia divulſit, ut Theoderico adjiceret; propterea quod hic in villa fiſcali, Marilegio, apud Alſacios nutritus fuerat & educatus. Sed Theodebertus, Auſtraſiæ Rex, poſtquam per XIV. annos frater Aleſaciones poſſederat, eos, ut Auſtraſiæ regni portionem, ad ſe pertinere contendit. Bello inde orto, ab Auſtraſiæ & Burgundiæ Optimatibus judicatum eſt, Aleſatios & Sugintenſes ad Auſtraſiam pertinere, adeoque Theodeberto, fratri natu majori, Auſtraſiæ Regi, eſſe reſtituendos, quod & factum. (q) Childeberti teſtamentum ergo, natumque inde inter fratres bellum, adeo non probant, quod intendit Guillimannus, ut contrarium potius inde eluceat: Sundgoviam nempe atque Alſatiam Burgundici nunquam juris fuiſſe.

Rationibus his denique conſtantem Alemannici juris apud Alſatas obſervationem ſubjungo, quum Burgundici juris nullum prorſus apud nos veſtigium appareat. Adde, quod omnes Hiſtoriæ atque Annales uno clamitent ore, non à Burgundionibus, ſed ab Alemannis, Alſatiam perveniſſe ad Francos. Struvius (r) ait: *Alſatiam Alemannos, labente Occidentis Imperio, ad ſe rapuiſſe, extra omnem controverſiam poſitum.* Quodſi autem Burgundiones, qui magnam Galliæ partem tenuerant, etiam Alſatiam tenuiſſent, oſtenſu difficile foret, quo tempore & qua ratione Burgundiones ab Alemannis fuerint ex Alſatia ejecti. Non abſque gravibus cauſis ergo ab omni Alſatia noſtra Burgundiones excludimus, ita ut ea, nec tota, nec ex parte, neque primi, neque ſecundi, Burgundiæ regni unquam portio fuerit: Baſilia licet urbs ad ſecundum Burgundiæ regnum ſpectaverit. Ex adverſo ſtatuimus, limite Rhenenſi à Barbaris perrupto, Alemannos & in Rauracis, & in Alſatia ſuperiore, rerum eſſe potitos. Lector hic facile intelligit, non de tranſitoria, ſed de conſtanti quadam durabilique, Burgundionum in Alſatia ſede nobis eſſe ſermonem: in illo Barbarorum, Gallias inundantium, diluvio plures per Alſatiam noſtram migrarunt populi, ita tamen, ut in ea non figerent ſedes.

(n) Aurelianenſi I. quæ habita eſt An. DXI. idem Adelphius ſubſcripſit, ſed Eccleſiæ *Ratiaticæ*, ſive Pictavorum Epiſcopus. Heic vero pro *Ratiacenſi* poſuerunt *Rauracenſi.* Nomen à Ratiatenſi tractu Pagi Pictavici, de quo Gregorius Turon. de *Gloria Confeſſor.* Cap. LIV. Codices hac in ſubſcriptione conſentiunt omnes. Pithoeanus habet: *Adelphius de Civitate Ratiatica.* Corbejenſis Codex: *Adelphius Epiſcopus de Ratiate.* Rhemenſis, Bellovacenſis & alii: *Ex Civitate Pictavis Adelfius Epiſcopus.* Idem ergo fuit nomen utrumque. Vide *Concilior.* Tom. IV. pag. 1409. Edit. Labb.

(o) In *Notitia Veteris Germaniæ Populor.* Part. III. Cap. VI. §. III.

(p) *Notitia Sueviæ Antiq.* in Not. ad §. CXVIII. pag. 89.

(q) Vide, quæ ſupra dicta ſunt Lib. I. §. I. pag. 33.

(r) *Notit. Sueviæ Antiq.* pag. 90.

§. CCXLIV.

Objectiones ſolutæ.

Neque vero huic noſtræ opinioni, qua Alemannos, brevi poſt Vandalicam irruptionem, Alſatiæ dominos conſtituimus, contrariatur SOZOMENUS, illius temporis Scriptor; quando, de Conſtantino Tyranno, qui ſub Honorio circa An. CCCCIX. rebellavit, & biennio poſt occiſus eſt, ſcribit: (*s*) " Conſtantinus Edobicum „ ducem ſuum trans Rhenum direxit, ut Francorum & Alamannorum auxilia impe- „ traret. „ Quanquam enim omnem oram noſtram Rhenenſem occuparint Alemanni, tota tamen, quam pridem trans Rhenum tenuerant, Alemannia in poteſtate eorum permanſit: ibique primaria Principatus & potentiæ eorum perſtitit ſedes: quod ipſum quoque de Francis, Galliam occupantibus, dicendum: unde deinceps Alemanni, non minus ac Franci, in Cis-Rhenanos & Trans-Rhenanos diſtincti fuerunt: Alſatia ad Alemannos Cis-Rhenenſes relata. At, regeris, clara tamen & firma coætaneorum & magni nominis Hiſtoricorum teſtimonia proſtant, quæ Burgundionibus ſedes ad Rhenum diſerte & unanimi conſenſu adſcribunt. HIERONYMUS in *Chronico Euſebiano* (*t*) ait: " Burgundiones partem Galliæ, propinquantem Rheno obtinuerunt. „ TIRO PROSPER (*u*) iisdem fere verbis: " Burgundiones partem Galliæ propinquam Rheno obtinuerunt. „ CASSIODORUS (*x*) denique ita: " Burgundiones partem Galliæ Rheno tenuere con- „ junctam. „ Hæc Scriptorum illuſtrium triga Burgundiones haud dubie Rheno propinquat: aſſignandæ ſunt ergo illis ſedes ad Rhenum, ſed cur intra Alſatiam? Rationes, quas modo protuli, me inducunt, ut quovis alio in Tractu potius, quam in Alſatia noſtra, eos poſuerim. Videndum, an non locus aliquis opportunus alibi aſſignari illis poſſit ad Rhenum.

§. CCXLV.

Burgund. ſedes ad Rhenum.

Receptam de Alemannis & Burgundionibus Helveticis opinionem ſecutus ſum ſupra, ubi de Rauracis egi, atque Hieronymi, Proſperi ac Caſſiodori, loca ad illam hypotheſin explicui. Quidſi hodie, re profundius examinata, eam mutarem, atque Burgundionibus non modo Cis-Urſanam, quæ & Burgundia Trans-Jurana vocatur, quamque Burgundionibus nemo abjudicat, ſed & Trans-Urſanam, quæ hactenus conſtanter fuit Alemannis adſcripta, vindicarem Burgundis? Rei cardo in hoc vertitur: an ſeculo V. Helvetia tota Alemannica, an tota Burgundica, an Alemannos inter atque Burgundiones ita fuerit diviſa, ut partem propiorem Rheno Alemanni, propiorem Juræ Burgundi, tenuerint, medio inter utroſque flumine Urſa. Poſtrema hæc opinio pleroſque Viros Eruditos, tum Helvetios, tum Germanos & Gallos, invenit fautores. Seculi VI. temporibus, quibus Alemannia atque Burgundia Francis paruerunt, Helvetiæ pars illa, quæ inter Rhenum & Urſam, Alemanniæ contigua, ad Alemannicum Ducatum fuit relata. Altera vero pars, quæ inter Urſam & Juram montem, accenſita fuit Burgundiæ. Nata hinc Hiſtoricis poſteriorum ſeculorum pleriſque occaſio, ut & ſeculo V. Helvetiam duos hos inter populos diviſam fuiſſe exiſtimarent: (*y*) HADRIANUS VALESIUS (*z*) licet, in Alemannos liberalior, omnem Helveticum agrum ad Juram usque montem, Rhodanum & Lacum Lemannum, Alemannis aſſignet.

Verum enimvero res mihi ſemper viſa eſt difficilis creditu, duas bellicoſas & potentiſſimas inter gentes, perpetuo inter ſe odio flagrantes, flumen Urſam fuiſſe repagulum. Omnis Helvetia vel ſolis Alemannis, quod fecit Valeſius, vel ſolis Burgundionibus, quod nos facimus, vindicanda videtur. In noſtra hac hypotheſi genuinus atque nativus Hieronymi, Proſperi atque Caſſiodori, verborum ſenſus ſervatur; qui Burgundiones partem Galliæ *Rheno propinquam* tenuiſſe, ſcribunt diſerte. Teſtibus his

(*s*) *Hiſtor. Eccleſ.* Lib. IX. Cap. XIII. Κωνσταντῖνος Ἐδόβιχον μὲν τὸν αὐτοῦ στρατηγὸν πέραν τοῦ Ῥήνου πέπομφεν Φράγκων τε καὶ Ἀλαμαννῶν συμμαχίαν προσμισθωσάμενον.

(*t*) In *Chronico* EUSEBII continuato, apud SCALIGERUM *Theſaur. Temp.* pag. 191.

(*u*) *Chronicon* TIRONIS PROSPERI apud CANISIUM in *Theſauro Monumentorum*, Tom. I. pag. 308. ubi res ponitur ſub *Lucio Viro Clar. Conſule.*

(*x*) In *Chronico* ad Luciani Conſulatum ſive ad An. Chr. CCCCXIV.

(*y*) De Burgundionibus ſane GUILLIMANNUS in *Helvet.* Lib. II. Cap. VI. pag. 201. ſcribit: " Hoc „ rerum gentiumque tumultu & ruina cum Burgundi, „ qui ultra, ſed proxime Rhenum agitabant, impulſi „ eſſent, & in Galliam transjeciſſent, non ut aliæ „ gentes, cæde aut incendiis, vaſtationeque, debacchati „ ſunt; ſed, quem proxime ceperant, agrum Sequanorum & Æduorum, tum vero Helvetiæ eam par- „ tem, quæ Urſa & Rhodano Juraque includitur, „ occuparunt, Burgundiamque minorem, habita „ regionis Sequanorum & Æduorum ratione, à ſe „ nominarunt, quod nomen ad Imperium usque Fri- „ derici II. perduravit. „ Idem Guillimannus Lib. II. Cap. V. pag. 190. de Alemannis ſcribens, ait: " Atque ita prima fuit Helvetiæ, ut libertatis, ita „ agrorum imminutio, Alemannis ſub tributo totum „ prope Tigurinum pagum à Rheno ad Urſam oc- „ cupantibus.

(*z*) *Rer. Francicar.* Lib. V. pag. 237.

his ſeculi V. (*a*) accedit Epaonenſis Burgundiæ Synodi, ſupra memoratæ, auctoritas; cui præter Aventicenſem, Genevenſem, aliosque Burgundiæ Antiſtites, Bubulcus quoque, Vindoniſſæ urbis, ad Urſæ & Arolæ confluentes, haud procul à Rheno ſitæ, Epiſcopus interfuit: qui ipſe Burgundionum ditionem ad Rheni usque ripam ſe extendiſſe, graviſſimus teſtis eſt.

§. CCXLVI.

Rationibus noſtris majus pondus accedet, ſi adverſariorum, qui Helvetiam Trans-Urſanam Alemannis adſcribunt, rationes ſubjungamus, ut illæ cum noſtris comparatæ à Lectoribus melius intelligi poſſint & ponderari. Breviter eas in ſummam congeſſit HADRIANUS VALESIUS. (*b*) Producitur Rationes contrariæ.

I. SERVII HONORATI, Commentatoris Virgiliani, ex ſeculo V. teſtimonium, qui in ſuis *ad Georgica notis* (*c*) ait: *Populi, habitantes juxta Lemannum fluvium, Alemanni dicuntur.* Quid per Lemannum fluvium intelligat Servius, obſcurum eſt, an *Limagum*, an *Lacum Lemannum.* (*d*) Id vero certum, in erronea ſententia fuiſſe Servium, Alemannos à Lemanno quodam fluvio, quicunque ille fuerit, accepiſſe nomen. Ex loco tam ambiguo, cujus turbidi fontes, numquid certi licet haurire?

II. Teſtimonium ISIDORI HISPALENSIS, (*e*) quod Valeſius quoque profert, haud majoris momenti eſt. Is enim eundem cum Servio errans errorem, *Alemannos à Lemanno fluvio, juxta quem habitaverint*, nomen ſuum cepiſſe, autumat. Hiſpanus hic, ſeculi VII. Scriptor, veſtigia Servii ſecutus videtur, hinc majus ſane pondus, quam Servius ipſe, aſſertioni huic ſuperaddere non poteſt. Quodſi Alemanni ſeu à flumine, ſeu à Lacu Lemanno, ad quem habitaverint, appellationem accepiſſent, ſeculo III. ineunte jam partem illam Galliæ Lugdunenſis occupaſſent, quum ÆLIUS SPARTIANUS *in Vita Antonini Caracallæ* (*f*) eos memoret. Marius, inter XXX. Tyrannos ſeptimus, qui ſeculo III. medio contra Gallienum rebellaverat, in Oratione ſua ad milites ait: "Ars mihi objiciatur ferraria, dum omnis Alemannia omnisque Germania Romanum „ populum ferratam putent gentem. „ (*g*) Ut alia, quæ apud Vopiſcum & Aurelium Victorem occurrunt, loca taceamus.

III. Argumentum Valeſii derivatur ex WALAFRIDI STRABONIS, Abbatis Angienſis, ſeculi IX. Scriptoris, teſtimonio; (*h*) quod ita ſe habet: "Quia mixti Alamannis „ Suevi partem Germaniæ ultra Danubium, partem Retiæ inter Alpes & Hiſtrum, „ partemque Galliæ circa Ararim, obſederunt, antiquorum vocabulorum veritate ſervata, „ ab incolis nomen patriæ derivemus, & Alamanniam vel Sueviam nominemus. „ Sed nec hic locus probat aſſerta Valeſii: Ex eo enim deducimus I. Walafridum privata auctoritate Alemanniæ nomen impoſuiſſe regionibus, quas in Helvetia occupaverant Alemanni; adeoque erroris manifeſti convincit eos, qui partem Helvetiæ, ab Alemannis occupatæ, *Alemannicam* communiter appellatam eſſe cenſent; cui ſententiæ Valeſius, Ruinartus, aliique ſubſcripſere certatim. II. Walafridus nihil aliud probat, quam ſuo ævo, id eſt, ſeculo IX. aut ſi maxime aſſurgas, temporibus S. Galli, cujus vitam ſcribebat, quique circa medium ſeculi VII. vixerat, Helvetiam Trans-Urſanam occupaſſe Alemannos: quod quidem, Alemannis, ſub Francorum Imperio viventibus, accidere potuiſſe nemo negat. Quis vero inde induxerit, Alemannos ſeculo V. jam tenuiſſe Helvetiam? Walafridi, Ararim fluvium cum Arola confundentis, errorem ſuo loco notabimus.

§. CCXLVII.

IV. Argumentum Valeſius ex GREGORIO TURONENSI deſumit. Hic in *Vita S. Lupicini & S. Romani*, fratrum, (*i*) ait: "Eos acceſſiſſe inter illa Jurenſis deſerti „ Aliæ Rationes. ſecreta, quæ inter Burgundiam Alemanniamque ſita, Aventicæ adjacent civitati, „ ibique Monaſterium exſtruxiſſe, quod Condatiſcone vocitari voluerunt. „ Fatendum eſt,

(*a*) Caſſiodorus circa An. CCCCXC. à Theodorico, Oſtro-Gothorum Rege, ſecretioribus conſiliis & Epiſtolis conſcribendis jam adhibitus eſt.

(*b*) *Rer. Francicar.* Lib. V. pag. 217. Item in *Notitia Galliar.* pag. 7. voce: *Alemanni Gallicani.*

(*c*) *Ad Georgic.* Lib. IV. vers. 278.

(*d*) Similis eſt OTTONIS FRISING. de *Geſtis Friderici* I. Lib. I. Cap. VIII. originatio, qua Alemannos dictos eſſe cenſet à Lemanno fluvio, qui ex lacu Tigurino egreſſus in Rhenum exoneratur. Sed vitioſe Limagum flumen vocat Lemannum, & cum Lemanno lacu lacum Tigurinum confudit.

(*e*) *Origin.* Lib. IX. pag. 1042.

(*f*) Cap. X. pag. 731. Edit. Hackianæ.

(*g*) TREBELL. POLLIO *de Triginta Tyrannis*, Cap. VIII. in Mario pag. 269. Edit. Hack.

(*h*) *Prolog. Libror. de Vita S. Galli*, apud GOLDAST. *Rer. Alemann.* Tom. I. Part. II. pag. 143.

(*i*) *Vit. Patrum*, Cap. I. pag. 1146. Locum hunc, pro Helvetia Alemannis vindicanda, ſolum adduxit SIRMONDUS in *Notis ad Sidon. Apollinar.* pag. 133. ubi Gregorii verba hæc proferens Sidonio lucem afferre ſe credidit.

eſt, hunc Gregorii Turonenſis locum primo intuitu nobis videri contrarium, quod *deſerta, Aventico adjacentia, inter Burgundiam & Alemanniam ſita* dicantur. Sed, re probe penſitata, invenies, Gregorium Turonenſem nobis, non magis quam cæteros, contrariari. Ille enim terminos Alemanniæ & Burgundiæ nonniſi ſenſo latiſſimo indicavit. Nec ego de alia eum Alemannia loqui exiſtimo, quam de ea, quæ fuit trans Rhenum. Nam quum Aventicæ civitati adjacere dicat Eremum illam atqoe deſerta, ubi conſtructum eſt Condateſcenſe Monaſterium, quod viginti ad minimum leucis ab Aventico diſtat, (*l*) quis erit tam facilis, ut verba, quæ ſequuntur, ſenſu Geographico ſtricto accipiat? An non nobis quoque Alemanniæ limites viginti leucis inde removere licebit? Imo vero, non licet tantum, ſed id ut faciamus neceſſe eſt: quod illis circiter temporibus, quibus S. Lupicious & S. Romanus vixere, Burgundici regni pars fuit Vindoniſſa, uti ex Synodi Epaonenſis Burgundicæ, An. DXVII. habitæ, Decretis docuimus; quibus *Bubulcus, Epiſcopus Civitatis Vindoniſſæ, & Peladius Presbyter juſſu Domini Salutaris, Epiſcopi Aventicæ*, (*m*) ſubſcripſere. Quodſi autem Vindoniſſa ad Burgundiam pertinuit, quis Helvetiam interiorem Alemannis paruiſſe dicet?

V. Argumeotum denique Valeſius ex HUGONE monacho, ſeculi XI. Scriptore, deſumit, qui *Chronicon*, (*n*) ab Orbe condito ad Francorum usque tempora deductum, Ivoni, Carnotenſi Epiſcopo, dedicavit, unde Chronicon illud vulgo *Chronicon Ivonis* audit. Hugo ille, Galliæ Belgicæ urbes recenſens, memorat *Pagum Helvetiorum*, (Aventicenſem) *quem* ait, *Alemanni nunc incolunt*. Sed quid aliud indicat Hugo, oiſi ſuo tempore, id eſt, ſeculo XI. Alemannos in Aventico habitaſſe. *Nunc ſane*, inquit, *Alemanni Pagum Helvetiorum incolunt*.

Valeſianis his quinque rationibus, quibus Helvetiam Alemannis ſeculo V. vindicare conatur, ſextum nos ex SIRMONDO adjungimus; qui verſus SIDONII APOLLINARIS, quos ſupra attulimus, ad ſuam quoque hypotheſin, ſed invita, ut mihi quidem videtur, Minerva, trahit. Ex illis, quæ hac de re ſupra à nobis dicta ſunt, judicabunt Lectores, Sirmondiana conjectura, an noſtra, verior & circumſtantiis rerum conformior ſit. GOTHELFUS STRUVIUS (*o*) denique ſedes, ab Alemannis in Helvetia ad Rhodanum usque occupatas, omnium optime indicari putat à JORNANDE, (*p*) Ravennatium Epiſcopo, qui ſub Theodorico, Oſtro-Gothorum Rege, Gothus ipſe genere, floruit. Verba ejus produco: " Regio illa (inquit Jornandes) Suevorum, ab Oriente „ Bajobaros habet, ab Occidente Francos, à meridie Burgundiones, à ſeptentrione „ Thuringos; quibus Suevis tunc juncti Alemanni etiam aderant, ipſique Alpes Rhæticas „ omnino regentes. „ Ex verbis his evidens eſt, Jornandem de limitibus Soeviæ Alemanniæve loqui, quales ſuis temporibus erant. Scripſit autem Librum ſuum Jornandes An. DLII. quo fixi erant Alemannorum, ſub Francis viventium, limites. Sed ab Epocha Alemanniæ Francicæ ad Alemanniæ liberæ ſeculi V. tempora concludere, quod Struvius facit, non licet.

§. CCXLVIII

Veriſimi-liores rationes.

Infirmis rationibus ergo recepta quum nitatur opioio, quæ Alemannis Helvetiam, ſeu omnem, ſeu Trans-Urſanam ſaltem, ſeculo V. jam vindicat, verior ſane videri poteſt hypotheſis, quæ Helvetiam illo tempore omnem Burgundiooibus tribuit. Hoc modo Helvetia ad Honorii usque tempora quum paruiſſet Romanis, An. CCCCXIII. ad Burgundiones pervenit, qui eam univerſam, ad Alemanniam & Burgundiam usque à Francis ſubactas, tenuerunt, adeoque brevi poſt magnam illam irruptionem Vandalicam: qua univerſus Germanicus & borealis orbis commotus: qua Imperium Romanum in omnibus ſuis partibus conquaſſatum eſt, Rheous io Helveticis partibus Burgundiæ limes eſt factus. Quodſi denique hypotheſin de Burgundis ſeculo V. Helvetiæ Trans-Urſanæ, ſive Rhenenſis, poſſeſſoribus admittis, ratio tibi facilis ſuppetit, cur Attilæ per Rhæticam Danubii oram aſcendenti, Rhenumque hoſtilibus armis transeunti, primi omnium Burgundiones occurrerint; (*q*) quippe qui Helveticam Rheni-oram omnem, & continuo tractu interiora Galliæ ad Ligerim & Icaunam usque, poſſidentes, hoſti adventanti ſe opponere debuerant. FREDEGARIUS (*r*) annotat, eos à Gallis

(*l*) Condateſcenſe Monaſterium (hodie *St. Claude*) in Comitatu Burgundiæ, in finibus Bugiaci, (*le Bugey*) ſitum eſt, nuper in Epiſcopatum evectum.

(*m*) Tom. IV. *Concilior.* Edit. Labb. pag. 1582.

(*n*) Apud FREHER. *Rer. Francicar.* pag. 50.

(*o*) *Notit. Sueviæ Antiq.* pag. 89. in Notis.

(*p*) *De Rebus Geticis*, Cap. LV. pag. 138. Edit. Lindebrog.

(*q*) PAULUS DIACONUS *Hiſt. Miſcella* Lib. XV. ſcribit: " Attila primo impetu, mox ut Gallias introgreſſus eſt, Gundicarium, Burgundionum Regem, „ ſibi occurrentem, protrivit. „ In nomine Gundicarii, qui jam obierat, error eſt; res ipſa tamen vera.

(*r*) In *Fragmentis ſuis de Hiſtoria Francorum*, pag. 707. Edit. Ruinarti.

GEOGRAPH.

à Gallis Romanis Provinciæ Lugdunenſis, gravium tributorum onere oppreſſis, per Legatos fuiſſe invitatos, ut in Galliam venirent, eosque cum uxoribus & liberis conſediſſe in Gallia. Veriſimile prorſus eſt, bona cum Romanorum gratia, ſedes ſuas in Gallia obtinuiſſe Burgundiones. (r) Nec toto ſeculi V. curſu iis Helvetiam ab Alemannis ereptam fuiſſe reperio. Conſtanter eam poſſediſſe Burgundiones, ex allegata ſæpius Epaonenſi Synodo liquet, quæ ſub Sigismundo, penultimo eorum Rege, habita eſt, quem Gondemaro, Fratre ejus, occiſo, Regnoque everſo, Franci abduxerunt captivum.

§. CCXLIX.

Diſſenſio Auctorum.

Nemini itaque poſthæc mirum videbitur, & de tempore, & de limitibus Helvetiæ, ab Alemannis occupatæ, tam acriter inter ſe digladiari Juniores. Guillimannus uno in loco (t) ad Gratiani Imp. alio ad tempora, quæ Valentiniani III. mortem ſecuta ſunt: Valesius (u) ad Honorii, Beatus Rhenanus (x) ad Maximi, Stumpfius (y) ad Valentiniani III. ætatem, nonnulli ſerius, Alemannicam hanc Epocham ponunt. Limitem vero Alemannicum Tschudius, (z) Stumpfius, (a) Velserus, (b) Guillimannus, (c) Laufferus, (d) & nuper Cel. Beckius, (e) ad Urſam, quæ Alemannici Ducatus terminus, fixerunt ſub Francis: Bucherius (f) ad Arolam. Beatus Rhenanus (g) vero & Sirmonous, (h) Valesius, (i) Ruinartus, (l) aliique Alemannicum limitem à Rheno ad Juram usque montem prolatarunt. Scriptoribus, quos modo excitavi, Germanos porro, Hertium, (m) Junckerum, (n) Struvium, (o) Spenerum, (p) Turckiumque (q) ſubjungo; quibus & alii, ſi otium ſuppeteret, poſſent ſuperaddi. Perſpicimus hinc, maximum quidem eſſe Scriptorum, Helvetiam Alemannis aſſignantium, numerum; ſed eos tamen tum limitum, tum Chronologiæ Alemannicæ ratione, inter ſe plurimum diſcrepare. Imo quum Vindoniſſam, ad Rheum ſitam, Synodi Epaonenſis tempore, Burgundici Regni partem extitiſſe videant, mire ſe torquent, ut rationem inveniant, qua cum Alemannis id ſuis, Helvetiæ poſſeſſoribus, conciliare poſſint. Stumpfius (r) per modum ceſſionis, ab Alemannis in Burgundionum gratiam factæ, id accidiſſe exiſtimat, ſed deſtituitur probatione. Struvius (s) triplicem nobis mutationem Helvetiæ effingit: prima poſſeſſam ab Alemannis, ad Tolbiacenſis usque prœlii tempora, admittit: ſecunda omnem Helvetiam ad Burgundiones tranſiiſſe putat; Alemannis plurimis poſt prœlium hoc ad Theodericum, Oſtro-Gothorum Regem, fugientibus. Tertia Trans-Urſanam Helvetiam ad Alemannos rediiſſe cenſet, quum nempe Tigurinus ſive Turgovienſis Pagus indubie Alemannici Ducatus pars fuerit ſeculo VI. Quodſi primam, Helvetiæ nempe ab Alemannis ſeculo V. occupatæ, hypotheſin expungas, omnia ſua loce radiant: rebus, temporibus, locis, cæteriſque circumſtantiis, imo & omnibus illius ævi Scriptoribus, Chronicis cæteriſque Monumentis, ſua fides conſtabit & ratio.

Ll §. CCL.

(r) Ammianus Lib. XXVIII. Cap. V. annotat fœdus, quod Valentinianus I. An. CCCLXX. cum Burgundionibus contra Alemannos pepigit, additque, eos ſobolem ſe jactaviſſe Romanam. Burgundiones Romanorum amicos fuiſſe, pluribus ejusdem Ammiani teſtimoniis liquet. Conf. Lib. XXVIII. Cap. VI. Jornandes *de Rebus Geticis* Cap. XXXVI. eos appellat *Milites Romanos*. Adde Orosium Lib. VII. Cap. XXXII. Gundicarius, Burgundionum Rex, cum Avito Imp. fœdus inivit. Æquam Confœdum ſemper ſervarunt Burgundiones. Chorier *Hiſt. de Dauphiné*, *Liv.* VIII. pag. 467. Cum Gallo-Romanis concorditer vixerunt, Jus Romanum non abrogarunt; Formam regiminis Romani retinuerunt: Chriſtianiſmi ſacris fuerunt imbuti; quæ omnia apud Alemannos reperimus contraria. Gundebaldus, Burgundionum Rex, in *Præfat. Legis Burgundionum* ait: "Sciant „ itaque Optimates, Comites, Conſiliarii, Domeſtici „ & Majores Domus noſtræ, Cancellarii, & tam „ Burgundiones, quam Romani, Civitatum aut Pago- „ rum Comites, vel Judices &c. „ Item paulo poſt: *Si quis Judicum, tam Barbarus, quam Romanus* &c. Videt hic Lector, ipſos Burgundiones ſe *Barbaros* vocare, quæ vox hoc tempore ſumebatur pro *non Romano*. Alemannos à Gallis invitatos fuiſſe, ex Fredegario docebimus infra.

(t) *De Epiſcopis Argent.* Cap. III. pag. 20. Item *Rer. Helveticar.* Lib. II. Cap. V. pag. 190 ubi locum Auſonii in Gratiarum Actione: *Voca Germanicum, deditione Gentilium: Alemannicum, traductione captorum* &c. huc trahit, Alemannosque à Gratiano inter Rhenum & Urſam tum poſitos fuiſſe exiſtimat. Sed hæc traductio ſi vel maxime admittitur, Burgundionum occupationem Helvetiæ, diu poſt factam, non infirmat.

(u) *Rer. Francicar.* Lib. V. pag. 237.

(x) *Rer. German.* Lib. I. pag. 116. Poſt Aetii mortem, qui An. CCCCLIV. occiſus eſt, Maximus An. CCCCLV. occiſo Valentiniano III. imperavit.

(y) *Chron. Helvet.* Lib. IV. Cap. XXVI.

(z) *Deſcript. Vet. Helvetiæ* MS. pag. 22.

(a) *Chron. Helvet.* Lib. IV. Cap. XXV. ſq.

(b) *Rer. Auguſt. Vindel.* Lib. VIII. pag. 114.

(c) *Rer. Helvet.* Lib. II. Cap. V. pag. 190. & 201. Item *de Epiſcop. Argent.* Cap. III.

(d) *Hiſt. Helvet.* Lib. VIII. pag. 279.

(e) *Hiſt. Helvet.* Cap. II. §. VIII. pag. 12.

(f) *Belgii Rom.* Lib. XIX. Cap. XI. §. II. & VI.

(g) *Rer. German.* Lib. II. pag. 152.

(h) *Not. ad Sidon. Apollinaris Panegyricum*, Avito ſocero dictum, Carm. VII. vers. 375. pag. 133.

(i) *Commentar. Rer. Francicar.* Lib. V. pag. 237. Item *in Notitia Galliar.* pag. 7. ſq.

(l) In *Notis ad Gregorii Turon. Vitas Patrum*, pag. 1146.

(m) *Notitia Veteris German.* Part. III. Cap. I. §. III.

(n) *Geographia Medii Ævi* Part. II. Cap. III. pag. 155.

(o) *Notitia Sueviæ Antiq.* §. CXVIII. pag. 88.

(p) *Notitia Germaniæ Antiq.* Lib. VI. Cap. IV. §. I.

(q) *Diſſert. de Geograph. Medii Ævi* §. XXI.

(r) *Chron. Helvet.* Lib. IV. Cap. XXVI.

(s) *Notit. Suev. Antiq.* Not. LXXIV. pag. 89.

§. CCL.

Veriſimilior Sententia.

Rationes, quas pro Burguodionibus in Helvetia tota ſeculo V. ſtabiliendis huc uſque attulimus, ſi Lectoribus videantur plauſibiles, receptæ hactenus de Helvetia Trans-Urſana, ab Alemannis tum occupata, opinioni, quam huc uſque admiſi, (t) ſum valedicturus; homine literato nil dignius exiſtimans, quam ſe erraſſe fateri. Ex hypotheſi hac invertendus eſt populorum ſitus: Rhenus Helveticus, Alemannis huc uſque adſcriptus, tranſcribendus Burgundis. Rhenus-Rauraco-Sequanicus, Burgundionibus tributus, tribuendus Alemannis; qui reliquam omnem Rheni ſuperioris oram Nemeticam, (u) Vangionicam ad Maguntiacum uſqoe tenoerunt. Neque vero Geographicum rerum ſitum conſideraturi facile negabunt, veriſimilius eſſe, potentiſſimam Burgundionum geotem, quæ hodiernum Burgundiæ Ducatum, Comitatum, & Helvetiam, hoc eſt regiones à Ligeri & Icauna (w) ad Urſam uſque flumen, nullo Scriptorum juniorum diſſentiente, poſſederat, reliqua etiam ab Urſa ad Rhenum uſque ab An. CCCCXIII. quo in Gallia ſedes fixerunt, poſſediſſe: atque adeo Vocetio Monte, qui pars Juræ ad Rhenum excurrentis eſt, ſeparatos fuiſſe ab Alemannis. Inde Rhenus Alemannicus, utraque ripa ab Alemanois occupatus, apud Rauracos ſive Baſilienſes & Alſatas noſtros incepit; quem denique Francicus, utrinque à Francis occupatus, excepit. Quum è contra, ſi receptam ſequaris hypotheſin, Rhenum Helveticum Alemanni, Alſaticum Burgundiones, inde reliqua iterum Alemanni ad Moguntiacum ſive ad Francorum confinia uſque, occuparint: adeoque Burgundiones à pertinaciſſimis hoſtibus Alemannis (x) ad meridiem & ad ſepteotrionem fuiſſent incincti. Ita Maximæ Sequanorum maxima pars (Helvetii nimirum & Sequani interiores) ad Burgundiones pervenit: Sequani anteriores vero, ſive Rhenenſes noſtri, cum Rauracis, adeoque & omnis noſtra Superior Alſatia, ad Alemannos ſeculi V. tranſiverunt initio: ejuſdem ſeculi fioe cum omnibus Alemannis tranſituri ad Francos. Poſt tot tantaſque Gallicarum rerum mutationes, quibus oon omnis modo Rheni limes everſus, ſed & maxima pars Galliæ, Romanis ante medium ſeculi V. erepta eſt, nemo non facile perſpicit, Procopium, magni alias nominis ex ſeculo VI. Hiſtoricum, ſui plane fuiſſe oblitum, quum ſcriberet: (y) " Quamdiu manſit, qui fuerat Romanæ Urbis ſtatus, „ Imperatores Galliam Rhenum uſque habuerunt. Ut oppreſſa ab Odoacro Roma „ eſt, conceſſu ejus Galliam omnem, Alpes uſque eas, quæ Liguriam à Gallia dividunt, „ Viſigothi habuere. „ Atqui Roma nonniſi An. CCCCLXXVI. ab Odoacre occupata fuit; quum Alemanni, Burgundiones, Viſigothi, Franci, ab initio ſeculi V. jam dominarentur in Gallia.

§. CCLI.

Nominum mutatio

Uti ergo Geographicas Celticæ Alſatiæ rationes immutarunt Romaoi, ita Romanæ Alſatiæ diviſionem everterunt Alemanni, quum ſeculo V. ſuperiorem Rheni oram ſuis armis occupaſſent. Urbibus enim, oppidiſque deletis, aut in vicos redactis, incolis ex parte abductis trans Rhenum, ex parte fugatis: Rauracorum, Sequanorum, Tribocorum, Nemetum, Galliæ item Lugdunenſis, Germaniæ Superioris & Primæ, nomina in noſtris his regionibus perierunt; ſolis Literarum relinquenda mooumentis. Nomina locorum, à Celtis Romaniſque impoſita, cum ipſis urbibus, munimentis, caſtris, caſtellis, manſionibus, mutationibus, tum fuere ſepulta: Germanicæ vero pagorum, vicorum, villarum, rivorum, fluminum, ſilvarum, ſaltuumque, appellationes ſuam cœperunt originem. Celticiſmum itaque Romaniſmus, Romaniſmum, ſeculo V. ineunte, Alemanniſmus, & huic ſeculi ejuſdem fine ſuccedens Franciciſmus, (quos doos uno nomine Teutoniſmum vocamus) deſtruxit. Teutoniſmus in omnibus his Rheni oris ab illis temporibus ad noſtra uſque duravit. Neque vero noſtris his ad Rhenum ſuperiorem regionibus ſolis tanta rerum converſio obtigit, ſed longe majori, cui Europæus orbis univerſus mox implicitus eſt, præluſit. Univerſa trans Rhenum Germania, ſimilem mutationem jam prius experta: ubi vetus populorum nomeoclatura, Straboois, Plinii,

(t) Supra pag. 177. Item in *Diſſert. de Antiquitatibus Alemannicis* pag. 206.

(u) Lehmannus *in Chron. Spir.* Lib. I. Cap. XXXI. pag. 44. Argentoratenſem & Spirenſem Tractum Alemannis adſcribit, quem alii quoque paſſim ſequuntur.

(w) *La Loire & L'Yonne*

(x) Trans Rhenum adhuc quum agitarent Burgundiones & Alemanni, ſalinarum finiumque cauſa, inter ſe ſæpe jurgabant. Ammianus Lib. XVIII. Cap. II. pag. 147. item Lib. XXVIII. Cap. V. pag. 416. Mamertinus in *Genethliaco Maximiani Herculei* Cap. XVII. ait: " Burgundiones Alemannorum agros occupavere, ſed ſua quoque clade „ quæſitos. Alamanni terras amiſere, ſed repetunt.

(y) *Gothica Hiſtoria* Lib. I. pag. 175. Edit. Grot.

GEOGRAPH.

Plinii, Taciti & Ptolemæi, ævo recepta, tertio quartoque ſeculis abolita eſt. Abolendis nominibus priſcis occaſionem dederunt Imperatores Romani, qui quum ad Rhenum Germanicæ libertati ſemper inſidiarentur, Germanique intelligerent tandem, dum ſinguli pugnant, univerſos ſe vinci, quod TACITUS (z) de Britannis notavit, ſeculo ſecundo in fœdera & ſocietates coire cœperunt. Ex plurium ergo populorum, ſub communi nomine ſeſe jungentium, fœderibus ortæ ſunt Alemannorum, Francorum, Saxonum, imo & Thuringorum denique, ſocietates, pro mutua defenſione contra Romanos initæ; ita ut ſeculo III. *Alemannicum*, *Francicum*, *Saxonicum*, (a) quinto *Thuringicum*, invaleſcerent nomina, veteresque Hermundurorum, Mattiacorum, Cheruſcorum, Marſorum, Tencterorum, Uſipetum, Chamavorum, Chaucorum, Ampſivariorum, Attuariorum, Sicambrorum, Saliorum, Dulgibinorum, Nariſcorum, Semnonum, Varinorum, Reudingorum &c. Germanicarum gentium appellationes, in uſu publico eſſe deſierint.

§. CCLII.

In Alſatia mutatio.

Sic Germaniæ populi mutationem ſtatus publici, quæ apud eos primum obtinuit, in ora dein quoque Rhenenſi, omnique paulatim Gallia, Hiſpania, Britannia, Italia, aliisque Imperii Romani regionibus, introduxerunt; ita quidem ut ex Celticis Romaniſque locorum Alſatiæ nominibus nonniſi pauca ad poſteritatem tranſierint: quo *Largam*, *Cambetem*, *Briſiacum*, quod hodie trans Rhenum, *Brocomagum*, *Tabernas*, & quidem Rhenenſes, Montanas, Alſaticasque, referas: his ſi Rauricenſia, *Auguſtam* nempe Coloniam, *Baſiliam* atque *Bantingam*, jungas, cætera omnia novis Alemannorum & mox Francorum, ad Rhenum dominantium, deſignata nominibus ſunt. Nec mirum, quando irruptionibus barbaricis omnia ſurſum deorſumque converſa fuerunt, ita ut, ex veteris Romanæ provinciæ forma, facies plane nova reſurgeret, ædificiis, moribus, lingua, regimine, toto cœlo diverſa, & Alemannia, Rheno nuper terminata, terminaretur jam Vogeſo: unde diſtinctio Alemanniæ in Trans- & Cis-Rhenanam exorta. Quodſi autem ex Geographicis Alemannorum inſtitutis trans Rhenum ad ea, quæ apud Alſatas atque vicinos noſtros inſtituerunt, concludas, Alſatiæ in Pagos diviſio ſub Alemannis jam originem cœpiſſe credenda eſt. Trans-Rhenenſis Alemannia plures ſimul eodemque tempore Regulos habuit, uti ex pugna, An. CCCLVII. prope Argentoratum habita, apparet: qua ſeptem Alemannicos Regulos profligavit Julianus. (b) Reguli hi ſingulis pagis Alemannicis præerant: unde plures nullibi *Pagos*, (*Gau*, *Gowe*, *Au*) quam in locis, quæ ab Alemannis olim occupata fuerunt, in Suevia nimirum, Helvetia Alſatiaque, reperimus. Vadomarii Pagus, ut ex AMMIANO diſcimus, (c) è regione Agri Rauraci fuit, vicinus Danubio. Suomarii Pagus autem, ex adverſo Mogontiaci, fuit proximus Rheno, eumque tetigit Pagus Hortarii. Regulorum horum ſucceſſores firmam denique in ſiniſtra Rheni ripa vel Gallica ſedes fixerunt, & utriusque jam oræ domini, ſuam quisque Regulus portionem, quam occupaverat, *Pagum* appellavit: unde Alsgaugenſis noſter Pagus, & Teutonicum nomen *Elſaſſer*, *Elſaſs*, (Elſationes, Elſatia) ortum; quod ab Alemannis accepere Franci, quodque antiquiſſima Francorum monumenta nobis jam produnt, ut ſuo loco docemus. Nec audax nimium conjectura, ſi dixerim, abſolutam illam Alſatiæ, in Pagum Meridionalem & Septentrionalem, (*Sundgaum* & *Nordgaum*) diviſionem illis jam Alemannicæ dominationis temporibus fuiſſe prognatam. Animum tamen recuperandi Rhenenſem hanc oram quum ſervarint Romani, qui una cum Alemannis pugna felici res ſuas non ſemel ſuperioribus ſeculis reſtituerant, miſerum hoc deſolatæ Alſatiæ tempus, ſive Alemannicam ſeculi V. Periodum, Romanæ Periodo Appendicem damus: ad Politicum Alſatiæ Romanæ ſtatum deſcribendum tranſituri, ut intelligat Lector, quibus Præſidibus, Juribus & Inſtitutis, recta fuerit Alſatia, Romanis ſubjecta.

(z) In *Agricola*, Cap. XII.

(a) Alemannorum & Francorum nomina ante ſeculum III. non occurrunt. Saxones autem jam memorat PTOLEMÆUS *Geograph.* Lib. II. Cap. II. Attamen nonniſi ſeculo III. finiente maritimis expeditionibus illuſtrari cœperunt.

(b) Nomina eorum Chnodomarius, Veſtralpus, Urius, Urſicinus, Serapio, Suomarius, Hortarius. AMMIAN. Lib. XVI. Cap. XI.

(c) AMMIAN. MARCELL. Lib. XXI.

ALSATIÆ ROMANÆ

SECTIO SECUNDA, POLITICA;

SIVE

STATUS ALSATIÆ ROMANÆ CIVILIS.

CAPUT I.

DE MAGISTRATIBUS ANTE PRÆFECTOS PRÆTORIO.

§. I.

Alſatia in formam provinciæ redacta.

Civilis Alſatiæ Status ſub Imperio Romano ita mutatus eſt, ut & pars ejus Rauracenſis & Sequanica, ſive Superior, & pars Mediomatrico-Tribocenſis ſive Inferior, libertate amiſſa, Romanis jam ſubjicerentur Rectoribus. Julius Cæſar, uti vidimus, An. Urb. Cond. DCXCVI. Sequanos, anno ſequente DCXCVII. Mediomatricos, id eſt, ſuperiorem noſtram inferioremque Alſatiam, Romano Imperio ſubjecit; at in formam etiam provinciæ redigere, propter continua primum cum Gallis bella, & inſecutos dein Romani Imperii motus, prohibitus fuit. Miſſi quidem fuerunt in eas partes ab ipſo adhuc Cæſare cum validis exercitibus Præſides, qui dubio rerum Romanarum ſtatu devictas nationes in officio ſuo continerent; nondum tamen illæ ſuas à Romanis leges, nondum ſuos limites, nondum novam Reipublicæ ſuæ formam, acceperunt: adeo ut Suetonius laxe ſit interpretandus, quando Cæſarem omnem Galliam, quæ à ſaltu Pyrenæo, Alpibusque & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano, continetur, in provinciæ formam redegiſſe ſcribit. (*a*) Res ea demum, ſedatis Romani Imperii turbis, ab Auguſto perfecta eſt, (*b*) quem An. Urb. Cond. DCCXXVII. in Gallias profectum, cenſum earum egiſſe, primumque novas illis leges novamque Rempublicam conſtituiſſe, reperimus. Clare hoc Dio Cassius tradit: (*c*) "Auguſtus, (inquit) his peractis ab urbe egreſſus eſt, expeditionem in „ Britanniam ſuſcepturus; ſed quum in Galliam veniſſet, ibi commoratus eſt. Britanni „ enim legatos, qui pacem peterent, miſſuri eſſe videbantur; & res Galliarum ordinatæ „ nondum erant; civilibus quippe bellis, ſtatim poſtquam devictæ fuerant, ſubſecutis. „ Igitur cenſum earum egit; legesque earum & Rempublicam formavit." Paulo ante, & eodem adhuc anno, Romanum Imperium novam rerum ſuarum faciem induerat. Auguſtus enim, victo M. Antonio, ſolus jam rerum potitus, quum ſe omni imperio abdicaturum eſſe ſimulaſſet, precibusque Senatus ad retinendum illud fuiſſet compulſus, aliam plane totius regiminis rationem inſtituit, quam fuerat olim ſub libera Republica. Diviſæ

(*a*) In *Vita Jul. Cæſar.* Cap. XXV.

(*b*) Hinc etiam Cicero in *Oratione de Provinciis Conſularibus.* "Bellum in Gallia maximum geſtum „ eſt: domitæ ſunt à Cæſare maximæ nationes, ſed non- „ dum Legibus, nondum jure certo, nondum ſatis firma „ pace, devinctæ." Addendum tamen eſt huic loco Ciceronis teſtimonium Dionis, quod adducimus; habita eſt enim illa Ciceronis Oratio jam anno tertio, poſtquam Cæſar Roma in Galliam exiverat, L. Philippo & Cn. Marcellino Coſſ. An. Urb. Cond. DCXCVIII. Agitur enim in ea de Syria Gabinio Pro-Conſuli adimenda, & alteri ex deſignandis Conſulibus decernenda. Gabinio autem An. Urb. Cond. DCXCIX. in adminiſtratione Syriæ M. Craſſus, Conſulatu geſto, circa finem anni ſucceſſiſſe reperitur. Dio Lib. XXXIX.

(*c*) Lib. LIII. pag. 512. Τότε μὲν δὴ ταῦτα ὁ Αὔγουστος ἔπραξε· Καὶ ἐξώρμησε μὲν ὡς καὶ ἐς τὴν Βρεττανίαν στρατεύσων, ἐς δὲ δὴ τὰς Γαλατίας ἐλθὼν, ἐνταῦθα διέτριψεν. Ἐκεῖνοί τε γὰρ ἐπικηρυκεύσεσθαί οἱ ἐδόκουν, καὶ τὰ τούτων ἀκατάστατα ἦν, ἅτε τῶν ἐμφυλίων πολέμων εὐθὺς ἐπὶ τῇ ἁλώσει σφῶν ἐπιγενομένων, ἦν. Καὶ αὐτῶν καὶ ἀπογραφὰς ἐποιήσατο, καὶ τὸν βίον τήν τε πολιτείαν διεκόσμησε.

Diviſæ ſunt ab eo Romani Imperii Provinciæ in *Cæſareas* & *Populares*: popularium alia longe quam Cæſarearum conditio: utræque ratione Præſidum, ratione militiæ, ratione adminiſtrationis, quam maxime erant diverſæ. Pendet ab hac nova provinciarum Romanarum forma, publicus etiam Alſatiæ ſtatus. Illa igitur nobis prius examinanda eſt; ſi rempublicam Alſatiæ, ſub Romanis conſtitutam, curate deſcribere volumus.

§. II.

Diviſio Provinciarum ſub Auguſto.

Auguſtus ergo, quum ſupremum Imperium, quod depoſiturum ſe ſimulabat, denuo ſuſciperet, publice in Senatu profeſſus eſt, quoniam rectore adhuc opus haberet Reſpublica, curam illius in decem adhuc annos ſe recepturum; quod eo temporis ſpatio, quicquid motuum adhuc in Imperio Romano ſupereſſet, componi à ſe poſſe ſperaret. Inde omnes Imperii Romani provincias diviſit; & quietas quidem, turbisque bellicis non expoſitas, Senatuî & Populo dedit, ipſe ſibi turbulentas retinuit; ſpecie quidem, ut in adminiſtratione Imperii commoda penes populum eſſe, labor vero & pericula ſibi incumbere, crederentur; re autem, ut, Senatu & populo armis Legionibusque privato, ipſe ſolus omnium in imperio rerum arbitrium gereret. (*d*) Hoc ex conſilio, quod à ſequentibus dein etiam Cæſaribus conſtanter ſervatum eſt, (*e*) Africa, Numidia, Aſia, Græcia & Epirus, Dalmatia, Macedonia, Sicilia, Creta & Libya Cyrenaica, Bithynia & Pontus, Sardinia, & denique Hiſpania Bætica, Senatui Populoque; reliquæ Hiſpaniæ, Tarraconenſis & Luſitanica, omnes Galliæ, Narbonenſis, Aquitanica, Lugdunenſis, & Belgica, Cœleſyria, Phœnicia, Cilicia, Cyprus & Ægyptus, Auguſto ceſſerunt; (*f*) & quæcunque deinceps provinciæ in Romanorum poteſtatem pervenerant, tanquam recens domitæ, provinciis adſcribebantur Cæſareis: (*g*) quo in numero Rhætia, Noricum, Pannonia, Thracia, Judæa, Cappadocia, Mauritaniæ, Britannia, Dacia, Meſopotamia.

§. III.

Præſidum provinciarum diſtinctio.

Diſtinctis ita provinciis Provinciarum Cæſarearum Præſides ab illis, qui provinciis Senatus & Populi præficiebantur, diſtincti fuerunt. Provinciarum popularium Præſides ſemper ex Senatu, & quidem ex illis, qui Conſulatum & Præturam geſſerant, deligebantur: Præſides provinciarum Cæſaris ex Quæſtoribus etiam aliisque Magiſtratibus inferioribus, imo etiam ex Equitibus, ſumebantur: illi ſorte, hi libero ſemper Cæſaris arbitrio: illi ante quintum, poſtquam Magiſtratum geſſerant, annum provinciis præfici non poterant: & Conſulares quidem in Africam, & Aſiam, Prætorii in cæteras Senatus provincias, erant ablegandi: hos vero ſine ullo dignitatis diſcrimine, quocunque tempore, etiam ſi Magiſtratu adhuc fungerentur, à Cæſare in quascunque provincias mitti fas erat. Illis annuum tantum ſine militibus; his pro lubitu Cæſaris in plures etiam annos, militare provinciæ imperium fuit conceſſum. Imo, ut tam diverſæ poteſtatis Præſides nominibus etiam inter ſe diſtinguerentur, illis *Pro-Conſulum*, etiam ſi Præturam tantum geſſiſſent; his *Legatorum* & *Pro-Prætorum* nomen, etiam ſi vel Conſulatu jam, vel tantum Quæſtura & Ædilitio munere, eſſent functi, impoſitum fuit. (*h*) Erant tamen

(*d*) Dio Caſſius Lib. LIII. pag. 503.

(*e*) Procul enim abfuit, ut Auguſtus primo decennio exacto, prout præ ſe tulerat, imperium depoſuiſſet: quin potius illud tum in aliud iterum quinquennium, & dein rurſus in quinquennium; tum demum iterum in decennium, & hoc finito in aliud rurſus decennium, decerni ſibi curavit. Imitati hoc ſunt conſilium ſequentes etiam Imperatores, qui ad ſervandum priſcæ libertatis ſimulacrum ſingulis decenniis imperium ſibi renovari fecerunt. Dio Lib. cit. pag. 506. ſq.

(*f*) Hoc modo ab initio facta eſt provinciarum diviſio. Dio Lib. LIII. pag. 503. ſq. Poſtea una vel altera provincia, quæ populi antea fuerat, Cæſari tradita; vel viciſſim, quæ Cæſaris fuerat, populo reddita eſt. Ita Auguſtus An. Urb. Cond. DCCXXXII. Cyprum & Galliam Narbonenſem populo reddidit, Dio Lib. LIV. pag. 523. ipſe Dalmatiam recepit An. Urb. Cond. DCCXLIII. Dio Lib. LIV. pag. 545. Ita Numidia à Caligula, Dio Lib. LIX. pag. 656. Bithynia ab Hadriano, Cæſareis provinciis adſcriptæ; Pamphylia loco Bithyniæ Senatui reddita. *Excerpta* Constantini *Valeſiana ex* Dione pag. 724.

(*g*) Dio Lib. LIII. pag. 504.

(*h*) Dio Lib. cit. pag. 504. ſq.

tamen etiam provinciæ, quibus Equeſtris modo Ordinis viri præficiebantur: & hi peculiari ſuo nomine *Procuratores* appellati ſunt, probe diſtinguendi ab illis, qui publicos tantum reditus in provinciis curabant, & in omnes tam Cæſaris quam Populi provincias ſub eodem Procuratorum (*i*) nomine miſſi ſunt.

§. IV.

Alſatiæ ſtatus.

Alſatiam ſuperiorem, Sequanicæ gentis extimam ad Rhenum partem, Galliæ Lugdunenſi, Inferiorem Alſatiam Galliæ Belgicæ, & quidem in ea Germaniæ ſuperiori, attributam fuiſſe, ſupra jam vidimus: tota ergo Alſatia, in illa Romanarum provinciarum nova diviſione, inter Cæſareas relata eſt. " Ita enim Dio: (*l*) Hac de „ cauſa traditæ ſunt Senatui populoque Africa, Numidia, - - Cæſari autem Hiſpaniæ „ reliquæ, Tarraconenſis & Luſitania; & Galli omnes Narbonenſes, Lugdunenſes, „ Aquitani & Celtici, non tantum ipſi, ſed & coloni eorum: nam Celtæ quidam, „ quos jam Germanos vocamus, quum omnem Celticam, quæ ad Rhenum eſt, occu„ paſſent, effecerunt, ut ea Germania vocaretur; & quidem, ſuperior, quæ Rheni „ fontibus propior eſt; inferior autem, quæ ab hac usque ad Oceanum Britannicum „ ſe extendit. „ Pro-Prætores ergo, Legiones, cæteraque, quibus Cæſareæ provinciæ inſtructæ, in Alſatia quærenda ſunt; nobisque ſpeciatim examinanda, ſi publicum, qui ſub Romanorum Imperio fuerat, Provinciæ noſtræ ſtatum diſtincte repræſentare volumus.

Supremum in quacunque civitate Imperium eo tendit, vel ſaltem tendere debet, ut cives, in quos illud geritur, inter ſe pace primum, & mutua concordia, vivant; dein, ut contra hoſtiles exterorum impetus, tuti eſſe poſſint. Illud legibus & jurisdictione, hoc armis militibusque, efficitur. Ad exequendum utrumque nervo rerum gerendarum pecunia opus, quæ per tributa & vectigalia ab omnibus iis, qui commodis civitatis fruuntur, jure exigitur. Omnes has imperii partes quum ſummus Imperans ipſe non poſſit obire, Magiſtratibus utitur, qui ejus nomine legibus, jurisdictioni, armis, publicisque reditibus, præſint. In publico Romanæ Alſatiæ ſtatu ergo videbimus primum Magiſtratus, qui Legibus & Armis, ſive Jurisdictioni & rei militari, in Alſatia præpoſiti fuerunt. His ipſarum Romanarum legum in Alſatia, ſtatusque militaris breve examen ſubjiciemus: dein pauca etiam de Magiſtratibus, qui reditus curarunt, & de publicis Romanorum in Alſatia reditibus diſſeremus.

§. V.

(*i*) Procuratores ergo duplicis erant generis: alii Præſides provinciarum erant; alii reditibus tantum publicis in provinciis tam Cæſareis quam popularibus præerant: utrique ſemper ex Equeſtri Ordine, nonnunquam etiam ex Libertis, deligebantur. Tacitus *Agricol.* Cap. IV. *Hiſtor.* Lib. V. Cap. IX. Strabo Lib. III. pag. 254. Dio Lib. III. pag. 506. Procuratores præſides provinciarum fuiſſe clare patet ex Leg. IV. *Cod.* ad *L. Fabiam de plagiariis*, & Leg. II. *Cod. de Pœnis*; & Tacitus Ægyptum, *Annal.* Lib. XII. Cap. LX. duas Mauritanias, Rhætiam, Noricum, Thraciam, *Hiſtor.* Lib. XI. Cap. I. Cappadociam *Annal.* Lib. XII. Cap. XLIX. Judæam *Annal.* Lib XV. Cap. XLIV. à Procuratoribus rectas fuiſſe, refert: jam vero Ægypto Equitem præſediſſe clare teſtantur Tacitus *Annal.* Lib. XII. Cap. LX. & Dio Lib. LIII. pag. 504. Sic duæ Mauritaniæ duobus Equitibus ab Imp. Claudio commiſſæ ſunt, eodem Dione teſte Lib. LX. pag. 671. Sic Cappadociam, Equiti Romano ab Imp. Tiberio conceſſam, aſſerit iterum Dio Lib. LVII. pag. 614. quod ab Imp. Flavio Veſpaſiano mutatum dein eſſe Suetonius Cap. VIII in *Vita* ejus docet. Judæam quoque ab Equitibus rectam Tacitus *Hiſt.* Lib. V. Cap. IX. refert: ex quibus omnibus ſatis clarum eſt, Procuratores, qui provincias regebant, in eo inprimis diſcrepaſſe à cæteris præſidibus, quod hi ſemper ex Senatoribus, Dio Lib. LIII. pag. 504. illi ex Equeſtri ordine, ſumerentur. Inſtituti origo ab Auguſto petenda eſt, qui, quum cæteris provinciis omnibus Senatores præficeret, ſoli Ægypto, ob gravitatem hujus provinciæ, Equitem præpoſuit, veritus, ne Senatori in ea provincia conſtituto nobilitas facile rerum novarum cupiditatem injiceret. Dio Lib. LI. pag. 45.. Tacitus *Annal.* Lib. II. Cap. LIX. Eadem conſilia dein ſecutus eſt ipſe Auguſtus, quum Rhætia, Noricum, & Thracia, in provinciæ formam redigerentur; & quum poſt Auguſti fata aliæ adhuc provinciæ Romano Imperio accederent, easdem ob cauſas ſæpe ſequentes Imperatores illis Equites tantum, non Senatores, præpoſuerunt. Procuratores redituum, ab his provinciarum procuratoribus diverſi, à Cæſare legebantur, officiumque eorum præcipue in curandis reditibus, ſtipendiisque inter milites diſtribuendis, conſiſtebat: hi immediate Cæſari ſuberant, & mandata ſua etiam ab eo, quum in provinciam abirent, accipere ſolebant. Dio Lib. LIII. pag. 506. Diviſerat ita Auguſtus prudenti conſilio vires provinciarum inter præſides provinciæ & procuratores redituum: illis imperium in milites ſine pecunia, his curam pecuniæ ſine militibus committebat, & utrosque adeo eo debiliores reddebat ad res novas tentandas. In provinciis popularibus quidem Pro-Conſules ipſi etiam tributa à ſubditis ſuis exigebant: ſed res ſine periculo erat, quod præſides provinciarum popularium omni militari imperio carebant. Dio loco cit.

(*l*) Lib. LIII. pag. 503. ſq. Καὶ ἐπειδὴ διὰ ταῦτα ἡ μὲν Ἀφρικὴ καὶ ἡ Νομαδία - - τῷ τε δήμῳ καὶ τῇ Γερουσίᾳ εἶναι· Τῷ δὲ Καίσαρος ἥτι λοιπὴ Ἰβηρία, ἥτε περὶ Ταῤῥάκωνα, καὶ ἡ Λυσιτανία, καὶ Γαλάται πάντες, οἵ τε Ναρβωνήσιοι καὶ οἱ Λουγδουνήσιοι, Ἀκυτανοί τε καὶ Κελτικοί, αὐτοί τε καὶ οἱ ἄποικοι σφῶν. Κελτῶν γάρ τινες, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν, τὴν μὲν ἄνω τὴν μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ πηγάς, τὴν δὲ κάτω, τὴν μέχρι τοῦ Ὠκεανοῦ τοῦ Βρεττανικοῦ οὖσαν. Dionem Caſſium vero per Celticos Celticamque Belgas & Galliam Belgicam intelligere, ſæpius jam monitum eſt,

POLITICA.

§. V.

Duo Alſatiæ Præſides.

Magiſtratus, qui juri per Alſatiam dicundo præfuerunt, iidem, qui Præſides provinciæ fuerant; qui pro antiquo Romanorum more hujus præſertim muneris cauſa ad devictas gentes mitti ſolebant. Hi quum à Cæſaribus conſtituendi eſſent, omnia de iis intelligenda ſunt, quæ de præſidum Cæſareorum inſignibus diſſeruimus. Nomine ergo Pro-Prætorum vel Legatorum Cæſaris uſi ſunt: (*m*) non civili tantum, ſed militari quoque muniti imperio; (*n*) munusque illis in ſingulos, & in plures ſæpe, annos conceſſum. (*o*) Superior Alſatia à Proprætore Galliæ Lugdunenſis eſt recta. De Inferiore major lis oritur; quæ ad Galliam Belgicam quum pertinuerit, eundem etiam cum Gallia Belgica Præſidem habuiſſe crederemus. Ita quidem HENRICO VALESIO in *Notis ad* AMMIANUM viſum eſt. " Auguſtus, (inquit) nova „ Galliæ diviſione facta, quatuor jurisdictiones conſtituit. Sed ne tum quidem Belgicæ „ jurisdictio à jurisdictione utriusque Germaniæ ſeparata eſt, ut docet DIO, nec diu „ poſtea, quod ex PLINIO & PTOLEMÆO colligitur, qui ſub Belgica provincia utramque „ Germaniam comprehendunt. „ Verum ipſe in aliam ſententiam abit AMMIANUS, (*p*) ubi Galliæ Belgicæ jurisdictionem à duarum Germaniarum jurisdictione diverſam fuiſſe, & has Germanias uni peculiari Præſidi paruiſſe, ſcribit: " Regebantur, (inquit) „ Galliæ omnes jam inde uti crebritate bellorum urgenti ceſſere Julio Dictatori, „ poteſtate in partes diviſa quatuor: quarum Narbonenſis una Viennenſem intra ſe „ continebat, & Lugdunenſem: altera Aquitanis præerat univerſis. Superiorem & „ Inferiorem Germaniam, Belgasque duæ Jurisdictiones iisdem rexere temporibus.

§. VI.

Valeſius refutatur.

Neuter horum recte. Etenim Galliæ Belgicæ jurisdictionem à jurisdictione duarum Germaniarum ſeparatam fuiſſe, clariſſimis veterum teſtimoniis contra HENRICUM VALESIUM; nec minoribus argumentis duas Germanias non uno, ſed duobus ſemper Præſidibus fuiſſe rectas, contra AMMIANUM ipſum, poteſt probari. Deceptus eſt Henricus Valeſius teſtimoniis Scriptorum, qui in deſcribendis Galliæ partibus populorum, iisdem inſtitutis & communi origine inter ſe convenientium, hoc eſt, Geographicæ potius, quam civilis ſive politicæ, diviſionis rationem habuerunt; adeoque duas in Gallia Germanias à Belgica noluerunt diſtinguere; quum Belgæ non ſecus, ac duarum Germaniarum populi à Germanis eſſent prognati; (*q*) nec etiam ante Auguſti tempora ab incolis harum regionum ullo fuiſſent modo diſtincti. Valeſio contrariatur evidens TACITI locus, (*r*) jurisdictionem Galliæ Belgicæ à jurisdictione duarum Germaniarum diſerte ſeparantis; " Quietæ (inquit,) ad id tempus res in Germania „ „ fuerant:

(*m*) Hinc in Inſcriptione apud GRUTERUM pag. 427. num. 12. Præſes Galliæ Lugdunenſis Legatus Aug. vocatur:

CAIO. LAELIO.
- - - - - - -
- - - - - - -
LEG. IMP. NERVAE. TRAIANI
CAESARIS. AVG. GERMANICI. DACICI
PROVINCIAE. LVGDVNENSIS.

Præſes Germaniæ ſuperioris Legatus Conſularis appellatur in Inſcriptione apud MURATORIUM pag. 691. num. 7.

COCCIAVIO. TIDIO. TOSSIANIO. IAONO
- - - - - - - LEG.
- - - - - - - -
CONSVLARI. PROVINC. GERM. SVPERIORIS.

Legatus Auguſti, & Pro-Prætor ſimul in Inſcriptione apud GRUTERUM pag. 381. num. 1.

C. CAESONIO. C. F. QVIR. MACRO.
RVFINIANO. - - - LEG. AVG. PR. PR.
GERMANIAE. SVPERIORIS.

Ut & in alia pag. 457. num. 6. apud eundem GRUTERUM.

(*n*) Hinc de Acilio Aviola, Galliæ Lugdunenſis Præſide, TACITUS *Annal.* Lib. III. Cap. XLI. " Andecavos Acilius Aviola Legatus, excita cohorte, „ quæ Lugduni præſidium agitabat, coercuit. Turonii legionario milite, quem Viſellius Varro, Inferioris Germaniæ Legatus, miſerat, oppreſſi, eodem „ Aviola duce; „ De Junio Blæſo, ejusdem Galliæ Lugdunenſis Præfecto, idem *Hiſtor.* Lib. I. Cap. LIX. " Acceſſere partibus Valerius Aſiaticus, Belgicæ „ provinciæ Legatus, - - & Junius Blæſus, Lugdunenſis Galliæ Rector, cum Italica Legione & ala „ Taurina, Lugduni tendentibus; „ Et de Popilio, Præſide Germaniæ ſuperioris, Inſcriptio apud GRUTERUM pag. 457. num. 6.

C. POPILIO. C. F. - - - - .
- - PROPR. GERMANIAE. SVPER.
ET. EXERCITVS. IN. EA. TENDENTIS.

(*o*) Quod vel Lentuli Gætulici & Scriboniorum fratrum exempla nos docent. Illum Germaniæ ſuperiori per decem annos præfuiſſe reperimus DIO Lib. LIX. pag. 657. TACITUS *Annal.* Lib. VI. Cap. XXX. Hi ambas Germanias per diuturnum tempus ſimul adminiſtraſſe leguntur. DIO Lib. LXIV. pag. 729. Pluribus hæc infra confirmabuntur, ſi Romanorum Alſatiæ Præſidum ſeriem exhibuerimus.

(*p*) Lib. XV. Cap. XI.

(*q*) CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. II. Cap. IV.

(*r*) *Annal.* Lib. XIII. Cap. LIII.

„ fuerant: . . . Paullinus Pompejus, L. Vetus ea tempeſtate exercitui præerant. „ Ne tamen ſegnem militem attinerent, . . Vetus Moſellam atque Ararim, facta „ inter utrumque foſſa, connectere parabat, ut copiæ per mare, dein Rhodano & „ Arare ſubvectæ, per eam foſſam mox fluvio Moſella in Rhenum, exin Oceanum „ decurrerent. . . Invidit operi Aelius Gracilis Belgicæ Legatus, deterrendo Veterem, „ ne Legiones alienæ provinciæ inferret. „ Sed & Spartianus, (s) Julianum Galliam Belgicam primum, dein Dalmatiam, poſtea Germaniam Inferiorem, rexiſſe memorat. “ Belgicam, (inquit) ſancte ac diu rexit, - - Inde Dalmatiam regendam accepit, „ - - Poſt Germaniam Inferiorem rexit. „ Quibus Inſcriptiones antiquæ, jurisdictionem Galliæ Belgicæ à duabus Germaniis accurate diſtinguentes, magno numero reſpondent.

§. VII.

Teſtimonia Inſcriptionum.

Memorabilis eſt inter alias Romana illa Inſcriptio, quam Muratorius profert. (t)

L. MARIO. L. F. QVIR.
MAXIMO. PERPETVO
AVRELIANO. COS.
SACERDOTI. FECIALI. LEG. AVGG. PR. PR.
PROVINCIAE. SYRIAE. COLAE. LEG. AVG. PR. PR.
PROVINCIAE. GERMANIAE. INFERIORIS. ITEM
PROVINC. BELGICAE. DVCI. EXERCIT. MYSIA
CI. APVD. BIZANTIVM. ET. APVD. LVGDVNVM
LEG. LEG. I. ITALIC. CVR. VIAE. LATINAE

Cui reſpondent illæ, quæ à Grutero adducuntur, quarum alia Tarracone inventa: (u)

T. CL. CANDIDO. COS.
\- - - - - - -
\- - - - - - -
\- - - - - - -
\- - - - - - -
\- - PROC. XX. HERED. PER
GALLIAS. LVGDVNENSEM. ET. BEL
GICAM. ET. VTRAMQVE. GERMANIAM

Alia Romæ eruta: (x)

BASSAEO. M. F. STEL
RVFO. PR. PR.
\- - - - - - -
\- - - - - - -
\- - - - - - -
\- - - - - - -
PROC. A. RATIONIB. PROVINCIARVM
BELGICAE. ET. DVARVM. GERMANIAR
PROC. REG. NORIC. - -

Et alia iterum apud Reinesium, (y) Romæ quoque reperta.

P. PETRONIO. M. F.
QVIR. HONORATO
\- - - - - -
\- - - - - -
\- - PROC. XX. HER.
PROC. PROV. BELG. ET. DVARVM
GERMANIARVM. PROC. A. RATION
AVG. - - -

Quibus omnibus addendæ ſunt duæ, à Velsero productæ; (z) quarum altera Pætovione Norici oppido, altera in Valeriæ agro, detecta eſt. In illa:

T. VARIO.

(s) In *Didio Juliano* Cap. I.
(t) *Inſcription.* Tom. I. pag. 397. num. 4.
(u) In *Corpore Inſcription.* Tom. I. pag. 389. num. 2.
(x) Pag. 375. num. 1. Tom. I. ibid.
(y) In *Syntagmate Inſcription. Antiquar.* pag. 459. ſq.
(z) *Operum* pag. 428.

T. VARIO. CLEMENTI
PROC. PROVINCIARVM
BELGICAE. GERMANIAE. SVPERIORIS
GERMANIAE INFERIORIS. RAETIAE

In hac:

T. VARIO. CLEMENTI
PROC. PROVINC. BELGICAE
ET. VTRIVSQVE. GERMANIAE
RAETIAE. MAVRETANIAE CAESAR.

§. VIII.

Ammianus Marcellin. caſtigatus.

Contradicit Henrico Valesio ipſe Ammianus, dum Præſidem Galliæ Belgicæ ab illo, qui duas Germanias rexerat, diverſum fuiſſe tradit. Idem tamen in eo peccat, quod unum Præſidem ambabus ſimul Germaniis præfuiſſe credat. Refellunt hanc Ammiani ſententiam innumera veterum Scriptorum loca, & Inſcriptiones antiquæ; quæ nullum unquam ambarum Germaniarum, plurimos vel ſuperioris tantum vel inferioris Germaniæ Præſides produnt. Hinc Suetonius: (a) "Bellum civile motum à Lucio Antonio, ſuperioris Germaniæ Præſide;" & Inſcriptio Romæ inventa: (b)

M. PROVINCIA. PRAEF. ALE
ANE. IN. EADEM. PROVINCIA
VEHICVLORVM. PER. GALLIAS
MONETAE. TRIVERICE. PRAESES
NCIE GERMANIAE SVPERIORIS. V. P.

Cui addendæ ſunt aliæ, ſupra jam à nobis recenſitæ. (c) Sic Tacito Viſellius Varro Inferioris Germaniæ Legatus vocatur; (d) idemque de L. Apronio: (e) "Ubi L. Apronio Inferioris Germaniæ Pro-Prætori cognitum:" & Inſcriptiones antiquæ, quarum una Tarracone reperta: (f)

L. DOMITIO
GALLICANO
PAPINIANO. C. V.
LEG. AVG. PR. PR
PROVINCIAE. GERMA
NIAE. INFERIORIS

Altera apud Muratorium, (g) jam à nobis allegata: Refellit Ammianum Æmilius Macer Juris Conſultus, qui duas Germanias ſub duobus Præſidibus conſtitutas eſſe refert: (h) "Si eadem provincia, (inquit) poſtea diviſa ſub duobus Præſidibus conſtituta eſt, velut Germania, (i) Myſia, ex altera ortus in altera adſidebit." Refellunt denique eum duo clariſſima Dionis & Taciti loca, in quibus manifeſte duo Præſides in ambabus Germaniis uno tempore imperium tenuiſſe memorantur. Ita enim Dio de Scriboniis fratribus, à Nerone occiſis: (l) "Corbulonis tantum, Sulpiciorum & Scriboniorum Rufi & Procli, mentionem faciam; horum quidem ideo, quia & fratres erant, & prope æquales, - - & utraſque Germanias per longum tempus ſimul adminiſtraverant." Et Tacitus de Hordeonio Flacco, Superioris, & Vitellio Inferioris, Germaniæ, Galba imperante, Præſidibus: (m) "Germanici exercitus

(a) Cap. VI. in *Vita Domitiani.*

(b) Apud Gruterum Tom. I. pag. 493. num. 3.

(c) §. V. Not. (m) & (n) pag. 271.

(d) *Annal.* Lib. III. Cap. XLI.

(e) *Annal.* Lib. IV. Cap. LXXIII.

(f) Apud Gruterum pag. 402. num. 6.

(g) Loco §. præcedente cit.

(h) Lib. I. *de Officio Præſidis* Leg. III. *ff. de Officio Aſſeſſor.*

(i) Nec enim hæc de Germania Trans-Rhenana intelligi poſſunt: quam ſcilicet poſt Vari cladem non amplius in provinciæ formam redigi potuiſſe conſtat. Florus Lib. IV. Cap. XII. Poſt medium tertii poſt C. N. ſeculi Imp. Probus demum, Germanis atrociſſimo prœlio victis, ex Germania provinciam facere, eique novum Præſidem dare, decreverat; ſed & hic dein conſilium mutaſſe, & in opportuniora tempora diſtuliſſe legitur: Vopiscus in *Vita Probi* Cap. XIV.

(l) Lib. LXIII. pag. 722. Τῶν δὲ δὴ Κορβούλωνος καὶ Σουλπικίων καὶ Σκριβωνίων Ῥούφου τε καὶ Πρόκλου μνημονεύσω· Τούτω μὲν ὅτι ἀδελφοί τε καὶ ἡλικιῶται τρόπον τινὰ ὄντες - - τὰς Γερμανίας ἀμφοτέρας ἐπὶ πολὺ ἅμα διῴκησαν.

(m) *Hiſtoriar.* Lib. I. Cap. VIII. IX.

„ exercitus (inquit) - - ſolliciti & irati ſuperbia recentis victoriæ, & metu, „ tanquam alias partes foviſſent. - - Dux deerat abducto Verginio per ſimulationem „ amicitiæ; quem non remitti atque etiam reum eſſe, tanquam ſuum crimen accipiebant. „ Superior exercitus Legatum Hordeonium Flaccum (n) ſpernebat. - - Inferioris „ Germaniæ Legiones diutius ſine Conſulari fuerunt; donec miſſu Galbæ Vitellius „ aderat.

§. IX.

Præſides Alſatiæ.

Duabus in Alſatia Juriſdictionibus diſtinctis, ipſos jam Præſides ejus, ut publicus provinciæ ſtatus eo melius intelligatur, quos ex omnibus Antiquitatis Monumentis excutere potuimus, recenſebimus ordine. Alſatiam ante Auguſti tempora nondum in plenam provinciæ formam redactam eſſe vidimus; Præſidibus tamen jam paruerat, qui, Cæſare rerum potito, non interrupta ſerie usque ad An. Urb. Cond. DCCXXVII. trans Rhodanum, ad continendos in obſequio Gallos, mitti ſolebant. Laterculum horum ubi dederimus, ſubjiciemus deinde cæteros, qui poſt An. Urb. Cond. DCCXXVII. Alſatiam ceu veram jam perfectamque Romanorum provinciam, & Lugdunenſi partim Galliæ, partim ſuperiori Germaniæ, adſcriptam gubernarunt.

PRÆSIDES ALSATIÆ.

A. C. JULII CÆSARIS POTENTATU, USQUE AD AN. URB. COND. DCCXXVII.

§. X.

I. D. Junius Brutus.

PRimus omnium, qui poſt Cæſarem Galliam rexiſſe reperiuntur, fuit Decimus Junius Brutus Albinus. (o) Hic APPIANO (p) teſte circa finem An. Urb. Cond. DCCVII. (q) à Cæſare Provinciæ Romanorum (r) præſertim, ſive, uti poſtea vocata eſt, Galliæ Narbonenſi, præfectus eſt; ita tamen, ut dubitandum non ſit, illi cæterarum quoque Galliarum, Belgicæ, Celticæque, curam fuiſſe mandatam: Bellovacos certe, Galliæ Belgicæ populos, (s) quum imperium Romanorum vellent excutere, prœlio ab eo fuiſſe victos, FLORUS (t) nos

(n) Hordeonius Flaccus Legatus Conſularis vocatur à TACITO *Hiſtor.* Lib. cit. Cap. LVI.

(o) Ab APPIANO vocatur Decimus Brutus Albinus, Lib. II. *de Bello Civil.* pag. 811. à DIONE CASSIO vero Lib. XLIV. pag. 247. D. Brutus, cognomento Junius, ut & Albinus appellatur.

(p) Lib. II. *de Bello Civil.* pag. 811. & Lib. III. ibid. pag. 951.

(q) APPIANUS enim Lib. II. *de Bello Civil.* pag. 811. eum, à Cæſare ad bellum Africanum proficiſcente, Galliæ præpoſitum eſſe ſcribit: jam vero Cæſar ad Africanum bellum abiit, ipſo Dictatore II. Magiſtro Equitum Antonio, circa finem An. Urb. Cond. DCCVII. media jam hyeme, juxta calculum DIONIS Lib. XLIII. pag. 211.

(r) Ita ſcilicet intelligimus verba APPIANI Lib. III. de *Bello Civil.* pag. 951. de Bruto, ἄρξαντι τῆς παλαιᾶς Κελτικῆς, *quod Galliæ veteri ſub Cæſare præfuerit*: certe ipſe Appianus παλαιὰν Κελτικὴν *Galliam veterem*, de contigua Pyrenæis montibus Gallia explicat Lib. IV. *de Bello Civil.* pag. 953. quam in diviſione provinciarum Romanarum, An. Urb. Cond. DCCXIV. inter Triumviros facta, Lepido conceſſam eſſe ſcribit: hanc vero Narbonenſem fuiſſe clare docet DIO Lib. XLVI. pag. 326. Etenim Galliam Narbonenſem Galliam veterem ſive antiquam ab Appiano ideo fuiſſe dictam arbitramur, quod illa ex omnibus Galliis prima antiquioribus jam temporibus Romano Imperio paruerat. FLORUS Lib. III. Cap. II. quum cæteræ Galliarum partes recens à Cæſare ſubactæ fuerint: eodem plane modo, quo Africa antiqua Λιβύη παλαιὰ à Romanis ea vocata eſt Africæ pars, quam antiquitus jam Carthaginenſibus victis ſibi ſubjecerant, Africa nova vero, Numidia recentioribus temporibus Jubæ Regi à Cæſare ablata, teſte eodem APPIANO Lib. IV. *de Bello Civil.* pag. 995. & DIONE CASSIO Lib. XLIII. pag. 217.

(s) CÆSAR Lib. II. *de Bello Gall.* Cap. IV.

(t) In *Epitome* LIVII Lib. CXIV. " Brutus „ Legatus Cæſaris in Gallia Bellovacos rebellantes „ prœlio vicit: „ hinc eum Galliæ tam Celticæ, quam Belgicæ præfuiſſe colligimus: non enim patuit ei ex Gallia Narbonenſi in Belgicam niſi per Celticam Galliam tranſitus; & incongruum plane fuiſſet Præſidi Galliæ Narbonenſis Belgicæ tam disjunctæ imperium committere, ſi alius Celticæ fuiſſet præpoſitus, qui vicinam Belgicam longe faciliori negotio gubernare potuiſſet. Hinc certum etiam eſt, ſolum D. Brutum tum adhuc Alſatiæ ad Celticam partim, partim ad Belgicam, relatæ curam geſſiſſe; alia plane ratione, quam poſtea ſub Auguſto contigit; ubi duos ſemper præſides, duasque juriſdictiones, in Alſatia fuiſſe §. V. VI. VII. VIII. probavimus.

POLITICA.

nos docet. Romam ex provincia rediiſſe videtur D. Brutus initio An. Urb. Cond. DCCIX. (*u*)

Succeſſit D. Bruto in Præfectura Galliarum An. Urb. Cond. DCCIX. A. Hirtius. (*x*) Hunc, Cæſare pereunte, Gallias adminiſtraſſe reperimus. Legatus hujus Hirtii Aurelius quidam fuit, quem oræ Galliarum Rhenenſi ab Hirtio fuiſſe præpoſitum, ex *Epiſtola* Ciceronis *ad Atticum* (*y*) colligimus; ubi: " Idem Balbus, (inquit) meliora de „ Gallia: XXI. die litteras habebat, Germanos (*z*) illasque nationes, re audita de „ Cæſare, legatos miſiſſe ad Aurelium, qui eſt præpoſitus ab Hirtio, ſe, quod impe- „ ratum, eſſe facturos. „ Rediit Romam ex provincia Hirtius An. Urb. Cond. DCCX. (*a*) II. A. Hirtius.

§. XI

Excepit Hirtium L. Munatius Plancus. (*b*) Hic, M. Æmilio Lepido Galliæ Narbonenſi præfecto, (*c*) Celticam Belgicamque Gallias rexit. (*d*) Motus ille quosdam, ipſo gubernante in Galliis ortos, compoſuit, (*e*) & An. Urb. Cond. DCCXI. IV. Kalend. Januar. triumphans Romam reverſus eſt. (*f*) III. L. Munatius Plancus.

(*u*) Romæ certe fuit initio An. Urb. Cond. DCCX. nam inter parricidas Cæſaris fuit, qui Idibus Martiis eo anno Romæ interfectus eſt. Vellejus Paterculus Lib. II. Cap. LVI. Dio Cassius Lib. XLIV. pag. 247. Appianus Lib. II. *de Bello Civil.* pag. 811. Suetonius in *Vita Cæſaris* Cap. LXXX. ſq. Præterea An. Urb. Cond. DCCVIII. Cæſar legem tulerat, ne quis eorum, qui Præturam, ultra annum, & qui Conſulatum geſſiſſent, ultra biennium provinciis præeſſet, teſte Dione Lib. XLIII. pag. 226. Jam vero D. Brutus Conſulatum nunquam geſſerat, primum a Cæſare in An. Urb. Cond. DCCXII. Conſul deſignatus, Dio Lib. XLIV. pag. 247. Appianus Lib. III. *de Bello Civil.* pag. 951. hinc ex eadem Cæſaris lege, quum in fine An. Urb. Cond. DCCVII. provinciæ fuiſſet præfectus, longe ultra initium anni Urb. Cond. DCCIX. imperium provinciæ ſuæ retinere non potuit.

(*x*) Hoc regiminis ſui tempore Hirtius hic Librum ſuum VIII. *de Bello Gall. Cæſaris* conſcripſiſſe, & An. Urb. Cond. DCCX. poſt Cæſaris mortem dein ad Balbum emiſiſſe, videtur. Hirtius in Præfat. Lib. VIII. *de Bello Gall. Cæſaris.*

(*y*) Lib. XIV. Epiſt. IX.

(*z*) Germani hi in Gallia, qui imperata facturos eſſe Aurelio promiſerant, non alii eſſe poſſunt, quam qui in Gallia Belgica ad ripas Rheni conſederant, & mox toti illi tractui Germaniarum nomen imponi fecerant. Dio Lib. LIII. pag. 503. ſq. Quales inter alias Triboci, Vangiones, Nemetes, teſte Tacito *de Morib. German.* Cap. XXVIII. hinc eo majori jure nobis hunc Hirtium inter Præſides Alſatiæ referre licet.

(*a*) Sane Kal. Januarii An. Urb. Cond. DCCXI. cum C. Vibio Panſa Romæ Conſulatum iniit. Dio Lib. XLV. pag. 278.

(*b*) Ita vocatur à Dione Cassio Lib. XLVI. pag. 311. & Suetonio in *Vita Tiberii* Cap. V.

(*c*) Decreta fuit Lepido Gallia Narbonenſis cum citeriore Hiſpania An. Urb. Cond. DCCX. à Cæſare ad bellum Parthicum profecturo, Dio Lib. XLIII. pag. 240. Abiit in provinciam eodem anno poſt mortem Cæſaris. Dio Lib. XLV. pag. 275. eique uſque ad tempora Triumviratus, inter Cæſarem Octavianum, Antonium & Lepidum, verſus exitum An. Urb. Cond. DCCXI. initi, præfuit. Florus in *Epitome Livii* Lib. CXIX. Appianus Lib. III. *de Bello Civil.* pag. 937. Vellejus Paterculus Lib. II. Cap. LXIII. Illo Triumviratu denuo Gallia Narbonenſis & tota Hiſpania Lepido aſſignata fuit. Dio Lib. XLVI. pag. 326.

(*d*) Dio Lib. XLVI. pag. 311. ad initium An. Urb. Cond. DCCXI. Plancum *ἐν μέρει τῆς ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις Γαλατίας ἄρχοντα, partem quandam Galliæ Trans-Alpinæ rexiſſe*, ſcribit. Lepido tum Galliæ Narbonenſis præſide, hanc aliam à Narbonenſi fuiſſe neceſſe eſt: rexit ergo reliquam trans Rhodanum Galliam, Celticam, Belgicam, Aquitaniam, à Cæſare paucos ante annos devictas. Certe trans Rhodanum Planci provinciam fuiſſe, vel ex eo clarum eſſe poteſt, quod Lugdunum Rauricamque colonias deduxerit; uti ſupra §. LVIII. pag. 255. oſtendimus, & teſtis ipſe nobis etiam Plancus eſt in *Epiſtola ad Ciceronem* IX. Lib. X. *ad Familiares*; ubi: " Exercitum „ a. d. ſextum Kal. Majas Rhodanum trajeci, ma- „ gnis itineribus. Vienna equites mille via breviore „ præmiſi. Ipſe ſi ab Lepido non impediar, celeri- „ tate ſatisfaciam. „ Jam vero quicquid Galliarum trans flumen hoc erat, tum adhuc conſtanter uni tantum Præſidi commiſſum eſſe reperimus; terris ſcilicet illis nondum in plenam provinciæ formam redactis. Sane nec ante nec poſt Plancum unquam uſque ad An. Urb. Cond. DCCXXVII. duos uno tempore illarum partium præfectos deprehendimus; nec ipſis Planci temporibus præter eum ſolum ullus trans Rhodanum Præſes in Hiſtoria occurrit; quorum ſi fuiſſet aliquis, certe difficillimis tum Reipublicæ temporibus, & Galliis ad ſummam rerum non parum faciente, ſileri non potuiſſet: quin ipſe Planci exercitus, qui ex tribus primo, poſt ex quinque, Legionibus & maximis auxiliorum copiis, conſtabat, perſuadere poteſt eum non uni Celticæ, quæ tantas non requirebat copias, ſed aliis etiam Galliæ partibus, præfuiſſe. Appianus Lib. III. *de Bello Civil.* pag. 903. *Epiſt.* VIII. Planci *ad Ciceronem* Lib. X. *ad Familiar.* Cæterum Plancum jam An. Urb. Cond. DCCX. qui Hirtii & Panſæ Conſulatum præceſſit, provinciam ſuam adminiſtraſſe, ex *Epiſtol.* III. & IV. Ciceronis *ad Familiares* patet.

(*e*) Hoc colligimus tum ex nomine Imperatoris, quem ſibi Plancus tribuit, in *Epiſtol.* VIII. & XXIV. Lib. X. Ciceronis *ad Familiares.* Quo titulo provinciarum præſides nonniſi poſt victorias de hoſtibus reportatas ab exercitu ſuo ſalutari ſolebant. Cicero *Epiſtol.* X. ad Curionem Lib. II. *ad Familiar.* Dio Lib. XLIII. pag. 238. tum etiam ex ejus triumpho de Galliis Romæ habito; quem, nonniſi quinque hoſtium millibus occiſis, Imperatoribus conceſſum fuiſſe Valerius Maximus teſtatur Lib. II. Cap. VIII.

(*f*) Vellej. Patercul. Lib. II. Cap. LXVII. & *Faſti Triumphales* apud Gruterum Tom. I. *Inſcript.* pag. 297. vide ſupra §. LV. Not. (*o*) pag. 253.

POLITICA.

IV. Q. Fuſius Calenus.

Triumviratus Cæſaris Octaviani, Lepidi & M. Antonii, eodem Urb. Cond. anno DCCXI. ortus eſt. Antonio tum omnes Galliæ Celtica, Belgica & Aquitania, conceſſæ ſunt, Narbonenſi tantum excepta, quæ Lepido tradebatur; (*g*) ſed & hæc anno ſequente DCCXII. Bruto & Caſſio victis, provinciisque inter Cæſarem & Antonium nova ratione diviſis, Lepido ademta & Antonio data eſt. (*h*) Rexit provincias has per Legatos (*i*) Antonius, quorum Q. Fuſius Calenus, (*k*) & P. Ventidius, (*l*) An. Urb. Cond. DCCXIII. Galliam Trans-Alpinam adminiſtraſſe, à DIONE (*m*) memorantur. Penes Calenum tamen ſumma Galliarum omnium, (*n*) & hinc Alſatiæ quoque noſtræ, adminiſtratio fuiſſe videtur. Mortuus eſt Calenus An. Urb. Cond. DCCXIV. (*o*)

§. XII.

V. Salvidienus.

Caleni Legiones provinciasque poſt ejus mortem Cæſar Octavianus ad ſe pertraxit: hinc Galliæ omnes & propterea etiam Alſatia An. Urb. Cond. DCCXIV. ex poteſtate Antonii in Cæſaris partes tranſierunt, (*p*) eodemque adhuc anno nova inter Antonium & Cæſarem pace facta, huic ipſo Antonii conſenſu conceſſæ ſunt. (*q*) Cæſar ſuos ſtatim Legatos terris illis præfecit, (*r*) ex quibus Salvidienum exercitui circa Rhodanum præfuiſſe reperimus. (*s*) Hic, an Narbonenſem tantum, an vero reliquas etiam Galliæ partes adminiſtraverit, tacentibus Scriptoribus antiquis, dubium eſt. Comprehenſus eodem An. Urb. Cond. DCCXIV. à Cæſare ob perfidiam ſuam, & capitali ſupplicio affectus. (*t*)

VI. M. Agrippa.

M. Agrippa inde Galliis trans Rhodanum à Cæſare Octaviano præpoſitus eſt: certe Gallos rebellantes viciſſe, ſecundusque Romanorum poſt Julium Cæſarem Rhenum cum exercitu trajeciſſe, memoratur. (*u*) Revocatus à Cæſare ex provincia, ut claſſi contra Sextum Pompejum præficeretur, An. Urb. Cond. DCCXVII.

VII. C. Carinas.

Occurrit poſt Agrippam Galliarum Belgicæque præſertim Præſes C. Carinas. Morinos (*x*) ille rebelles ad obſequium redegit, Suevosque trans Rhenum in Galliam irrupturos multis prœliis profligavit: triumphum hinc An. Urb. Cond. DCCXXV. cum Cæſare egit. (*y*)

Secutus

(*g*) DIO CASSIUS Lib. XLVI. pag. 326. APPIANUS Lib. IV. *de Bello Civil.* pag. 953.

(*h*) DIO Lib. XLVIII. pag. 357. APPIANUS Lib. V. *de Bello Civil.* pag. 1073.

(*i*) Antonium & Lepidum An. Urb. Cond. DCCXI. quum Romam ex Gallia proficiſcerentur, Triumviratum cum Cæſare Octaviano inituri, jam in ea Legatos reliquiſſe, DIO refert Lib. XLVI. pag. 325. qui vero fuerint illi, ſilente Dione aliisque deſinire non licet. Calenus certe & Ventidius non fuerunt, quos ambos exeunte An. Urb. Cond. DCCXI. Romæ fuiſſe DIO Lib. XLVII. pag. 312. & APPIANUS Lib. IV. *de Bello Civil.* pag. 991. teſtantur.

(*k*) Ita vocatur à DIONE Lib. XLVI. pag. 295. Partes Antonii ſemper ſtrenue ſecutus eſt, cumque lingua & manu contra hoſtes defendit. DIO Lib. XLVI. pag. 312.

(*l*) Ventidius hic An. Urb. Cond. DCCXI. Prætor Romæ erat, & à Triumviris in exitum ejusdem anni Conſul creatus eſt. DIO Lib. XLVII. pag. 335. APPIANUS Lib. IV. *de Bello Civil.* pag. 953.

(*m*) Lib. XLVIII. pag. 362.

(*n*) Sane undecim Legiones ab Antonio, contra Brutum & Caſſium ex Italia abituro, Caleni hujus imperio mandatas eſſe certum eſt, teſte APPIANO Lib. V. *de Bello Civil.* pag. 1073. ſq. & 1091. Jam vero poſt prœlium Philippenſe Antonius ipſe omnes ſuas & Cæſaris copias XXVIII. Legionibus conſtare dicit, in oratione ad Græcos Aſiæ habita, apud APPIANUM Lib. V. *de Bello Civil.* pag. 1075. ſq. Quinque earum Cæſar ex eo prœlio in Italiam, ſex Antonius in Aſiam, abduxerat, teſte iterum APPIANO Lib. cit. pag. 1073. Sex alias Cæſar in Hiſpania habebat ſub Salvidieni imperio conſtitutas. APPIANUS ibidem 1091. Superſunt ex illis XXVIII. Legionibus illæ XI. Antonii, quibus Calenum præfuiſſe modo oſtendimus. Iis ergo copiis omnes Antonii provincias, quæ cis Jonium mare ei parebant, contineri neceſſe erat. Provinciæ hæ poſt Philippenſe prœlium ſola fere Gallia Trans-Alpina erant, DIONE Lib. XLVIII. pag. 357. & APPIANO *de Bello Civil.* Lib. V. pag. 1073. teſtantibus; cujus ergo Legionibus omnibus quum Calenus præfuerit, certe toti ſimul Galliæ præfuiſſe dicendus eſt, militari quippe imperio in Romanorum provinciis nunquam a civili juriſdictione divulſo. Certe ipſe Cæſar Octavianus quum poſt Caleni mortem XI. ejus Legiones ſibi vindicaret, omnem ſimul Galliam ſub poteſtatem ſuam redegit. APPIANUS Lib. cit. pag. 1124. DIO Lib. XLVIII. pag. 368. ſq.

(*o*) DIO loco cit.

(*p*) APPIANUS loco cit. DIO loco c[it.]

(*q*) APPIANUS Lib. V. *de Bello Civil.* pag. 1126. DIO Lib. XLVIII. pag. 374.

(*r*) APPIANUS Lib. cit. pag 1124.

(*s*) Idem Lib. cit. pag. 1127.

(*t*) DIO Lib. XLVIII. pag. 376. ſq.

(*u*) DIO Lib. cit. pag. 389. Quo anno primum Agrippa Galliis fuerit præpoſitus, accurate conſtitui non poteſt; id certum eſt, quod ante factam cum Antonio An. Urb. Cond. DCCXIV. poſt Peruſinum bellum pacem non contigerit; Agrippam enim in fine ejus belli oppidum Italiæ Sipuntem adhuc Antonio extorſiſſe conſtat. DIO Lib. XLVIII. pag. 373. APPIANUS Lib. V. *de Bello Civil.* pag. 1120.

(*x*) Hos Galliæ Belgicæ populos fuiſſe patet ex CÆSARE Lib. II. *de Bello Gall.* Cap. IV.

(*y*) DIO CASSIUS Lib. LI. pag. 459. VIRGILIUS in fine Lib. VIII. *Æneid.*

Secutus eſt Carinatem in Galliarum trans Rhodanum præfectura Nonius Gallus; hic Treviros, (z) qui aſſumtis in ſocietatem Germanis turbas moverant, An. Urb. Cond. DCCXXV. gravi prœlio ad quietem reduxit. (a) VIII. Nonius Gallus.

Reperimus tandem adhuc ante conſtitutas ab Auguſto Gallias Præſidem regionum illarum Meſſalam Corvinum; qui Gallos rebelles domuiſſe, & An. Urb. Cond. DCCXXVII. VII. Kal. Octobr. ſuum ex Gallia triumphum duxiſſe, memoratur. (b) IX. Meſſala Corvinus.

§. XIII.

Nova tandem An. Urb. Cond. DCCXXVII. in Gallia rerum facies orta; illaque, quod ſupra jam oſtendimus, à Cæſare Octaviano, qui Auguſti nomen paulo ante aſſumſerat, in plenam Romanorum provinciam redacta eſt. Terra omnis, quæ trans Rhodanum erat, & uni hucusque tantum Præſidi paruerat, in quinque jam jurisdictiones diviſa; quarum Lugdunenſis Alſatiam ſuperiorem, Germaniæ Superioris vero inferiorem, ſub ſe comprehendit. Rem latius ſupra demonſtravimus; ſupereſt, ut ipſos adhuc ab his temporibus Galliæ Lugdunenſis & Germaniæ Superioris, ſive, quod idem eſt, Alſatiæ Præſides, quantum in veterum Monumentorum penuria licet, Lectori exhibeamus. Juriſdictionis diviſio.

§. XIV.

PRÆSIDES ALSATIÆ.

AB AN. URB. COND. DCCXXVII. QUO HÆC CUM CÆTERA TRANS RHODANUM GALLIA ROMANORUM PROVINCIA FACTA EST, USQUE AD TEMPORA CONSTANTINI M.

Imp. Auguſtus. A. U. C. 727.	Præſides Galliæ Lugdunenſis, quibus ſubjecta Alſatia Superior.	Præſides Germaniæ Superioris, quibus ſubjecta Alſatia Inferior.
733. 734.	M. Agrippa, (c) exiit è Gallia, ut Hiſpanias adminiſtraret. (d)	

(z) Belgas etiam hos fuiſſe patet ex Cæsare Lib. I. Cap. I. Lib. II. Cap. III. & Lib. V. Cap. III. *de Bello Gall.*

(a) Dio Lib. LI. pag. 457.

(b) Ita enim in *Faſtis Triumphalibus*, qui Catonianam Æram ſequuntur, apud Gruterum *Inſcript.* Tom. I. pag. 297.

M. VALERIVS. M. F. M. N. MESSALLA. A. DCCXXVII. CORVINVS. PRO. COS. EX. GALLIA. VII. K. OCT.

Gallia hæc non Narbonenſis, ſed ea quæ trans Rhodanum erat, fuiſſe videtur: hanc quippe à temporibus Cæſaris perpetuis turbis agitatam reperimus, hinc Bellovaci An. Urb. Cond. DCCVIII. Morini An. Urb. Cond. DCCXXIV. Treviri An. Urb. Cond. DCCXXV. aliique trans Rhodanum Galli, quos Plancus An. Urb. Cond. DCCX. & Agrippa circa An. DCCXVI. vicerunt, perpetuo rebelles. Narbonenſis contra Gallia ſemper quieta, quippe longe jam ante à Romanis domita, & jugo ſervitutis jam penitus aſſuefacta. Florus Lib. III. Cap. II. ideoque etiam ab Auguſto An. Urb. Cond. DCCXXXII. tanquam provincia pacata, & quæ nullo militari imperio indigeret, Senatui & Populo reddita. Dio Lib. LIV. pag. 523.

(c) Dio Lib. LIV. pag. 604. edit. Stephan. eum ab Auguſto Gallis ταῖς Γαλατίαις præpoſitum eſſe docet; quæ tum temporis partim inteſtinis motibus agitatæ, partim etiam à Germanis infeſtatæ fuerunt. Inter has Lugdunenſis Gallia procul dubio fuit, utpote Trans-Rhenanæ Germaniæ omnium proxima, & ita Germanorum irruptionibus inprimis expoſita. Eadem quidem de Superiore & Inferiore Germania dici poſſent, quæ æque ad Gallias haud dubie pertinebant, ſed hæ non per Γαλατίας, ſed per Γερμανίας, ordinarie à Dione deſignari ſolent. Dio Lib. LIII. pag. 576. LIV. pag. 612. 616. LVI. pag. 670. Xiphilinus pag. 195. 200. ed. Steph.

(d) Dio Lib. LIV. pag. 604. ſqq.

	Præſides Galliæ Lugdunenſis. adeoque Alſatiæ Superioris.	Præſides Germaniæ Superioris. adeoque Alſatiæ Inferioris.
Imp. Auguſtus. A. U. C. 738.	Tiberius Nero, (*e*) rexit provincias has usque ad A. U. C. 739.	Tiberius Nero. (*e*)
741.	Druſus. (*f*) - - - -	Druſus. (*f*)
742.	Idem. - - - -	Idem.
743.	Idem. - - - -	Idem.
744.	Idem. - - - -	Idem.
745.	Idem. - - - -	Idem.
Imp. Tiberius. A. U. C. 767.	Germanicus, (*g*) Druſi filius.	Germanicus, (*g*) Druſi filius.
768.	Idem.	Idem.
769.	Idem.	Idem.
770.	Idem.	Idem.
774.	Acilius Aviola. (*h*)	

Præſides

(*e*) Suetonius *in Tiberio* Cap. IX. cum Galliam Comatam anno fere adminiſtraſſe refert. Jam vero Gallia Comata Romanis omnis trans Alpes Gallia fuerat, teſte Dione in fine Lib. XLVI. pag. 372. ergo Lugdunenſis, Belgica, Germania Superior, omnes ſub eo nomine comprehenſæ fuerunt. Annum, quo Tiberius Galliis præfuit, poſuimus Urb. Cond. DCCXXXVIII. Suetonius enim loc. cit. illud poſt reſtitutum in Armenia Tigranem, & ante bellum Rhæticum, contigiſſe ſcribit. Reſtitutus eſt à Tiberio Tigranes An. Urb. Cond. DCCXXXIV. Bellum Rhæticum vero An. DCCXXXIX. geri cœptum eſt: teſte Dione Lib. LIV. pag. 602. & 613. An. Urb. Cond. DCCXXXV. Tiberio honores prætorii Romæ ab Auguſto conceſſi ſunt. Lib. cit. pag. 604. An. Urb. Cond DCCXXXVIII. Præturam adhuc Romæ geſſit, eodemque dein anno cum Auguſto in Galliam profectus eſſe memoratur; Dio Lib. cit. pag. 611. ibique una cum eo usque ad annum ſequentem egit, quo ad bellum cum Rhætis gerendum ab eo miſſus fuerat. Idem pag. 613. Quid ergo probabilius, quam annum illum, quo Tiberius à Suetonio loco cit. Galliæ præfuiſſe dicitur, eundem fuiſſe cum eo, quo cum Auguſto in ea degiſſe reperitur; adeo, ut ipſe tum Tiberius paternis auſpiciis Galliam rexerit, patre Auguſto eodem tempore motibus Galliæ componendis, rebusque ibi feliciter conſtituendis intento?

(*f*) Auguſtus An. Urb. Cond. DCCXL. quum Romam ex Gallia Hiſpaniaque reverteretur, Druſum *ἐν τῇ Γερμανίᾳ in Germania* reliquiſſe dicitur à Dione Lib. LIV. pag. 616. Vox Γερμανία vero Dioni ſemper Cis-Rhenanam, nunquam Trans-Rhenanam, Germaniam ſignificat: hanc quippe ſemper Κελτικὴν nominare ſolet: teſtimunia hujus rei paſſim occurrunt Lib. LVI. pag. 667. 670. 671. Cis-Rhenanæ ergo Germaniæ Druſus ab Auguſto præfectus eſt: cujus rebelles civitates fortiter oppugnaſſe, & ad coercendos tam Cis-quam Trans-Rhenanæ Germaniæ populos per Rheni ripam L. caſtella exſtruxiſſe, deprehenditur in *Epitome* Livii Lib. CXXXVII. & Flori *Epitom. Rer. Rom.* Lib. IV. Cap. XII. dubiumque hinc non eſt, quin in hac Cis-Rhenana Germania Druſus, non inferiorem tantum, ſed & ſuperiorem, provinciam adminiſtraverit. Rheno etenim ſuperato non ſolum Chaucos, Uſipetes, Tenchteros, dumuiſſe, ſed & oppoſitas ſuperiori Germaniæ gentes Marcomannos, Cattosque viciſſe, Silvamque Hercyniam infeſtaſſe, legitur apud Florum loco cit. Ipſum inferioris Alſatiæ noſtræ Druſenhemium, XV. Mill. Paſſ. Argentorato diſtans, caſtri his in partibus à Druſo extructi, Druſianique ideo ſimul in Germania Superiore monumentum ſupereſſe nonnullis videtur; quorum opinioni nos non accedimus. Vid. §. CLXXXIII. pag. 226. Cæterum Lugdunenſem quoque Galliam ſub Druſi regimine fuiſſe conſtitutam, ex eo clarum eſt, quod An. Urb. Cond. DCCXLII. Druſus LX. Galliæ populorum primoribus Lugdunum convocatis, Aram ibi Auguſto conſtruxerit, Feſtumque ſolenne inſtituerit, teſtibus Dione Lib. LIV. pag. 622. Strabone Lib. IV. *Geogr.* pag. 292. *Epitom.* Livii Lib. CXXXVII. Bella cum Germanis Trans-Rhenanis Druſus An. Urb. Cond. DCCXLII. DCCXLIII. DCCXLV. imo adhuc An. DCCXLV. geſſit, quo tandem in medio victoriarum curſu mortuus eſt. Dio Lib. LIV. pag. 622. ſqq. Lib. LV. pag. 627. ſq.

(*g*) An. Urb. Cond. DCCLXV. Romæ Conſulatum cum C. Capitone Germanicus per annum integrum geſſit: An. Urb. Cond. DCCLXVI. adhuc in Senatu juſſu Auguſti res publicas curavit, teſte Dione Lib. LVI. pag. 674. An. Urb. Cond. DCCLXVII. mortuo Auguſto Galliæ Lugdunenſi, Belgicæ, duabusque Germaniis, præfuiſſe memoratur. Dio Lib. LVII. pag. 692. Tacitus *Annal.* Lib. I. Cap. XXXI. XXXIV. An. Urb. Cond. DCCLXVII. DCCLXVIII. DCLXIX. & DCCLXX. Germanicus Trans-Rhenanam Germaniam infeſtaſſe, Bructeros, Uſipetes, Cattos, aliasque gentes viciſſe, legitur, Tacit. *Annal.* Lib. I. Cap. LI. LVI. Lib. II. Cap. VIII. IX. XXII. Dio Lib. LVII. pag. 705. An. Urb. Cond. DCCLXX. C. Cœlio, L. Pomponio Coſſ. tandem acto de Cheruſcis, Cattis, Angrivariis, triumpho Romam reverſus eſt. Tacitus *Annal.* Lib. II. Cap. XLI.

(*h*) Tiberio IV. Druſo II. Coſſ. quod in An. Urb. Cond. DCCLXXIV. incidit, hic Turonios, Andegavosque, Lugdunenſis Galliæ populos, (Ptolemæus Lib. II. *Geograph.* Cap. VIII.) rebelles excita Lugduno cohorte coercuiſſe memoratur. Tacitus *Annal.* Lib. III. Cap. XXXI. XLI.

	Præſides Galliæ Lugdunenſis. adeoque Alſatiæ Superioris.	Præſides Germaniæ Superioris. adeoque Alſatiæ Inferioris.
Imp. Tiberius.		
A. U. C. 782.	- - - -	Lentulus Getulicus. (*i*)
783.	- - - -	Idem.
784.	- - - -	Idem.
785.	- - - -	Idem.
786.	- - - -	Idem.
787.	- - - -	Idem.
788.	- - - -	Idem.
789.	- - - -	Idem.
Imp. Cajus Caligula.		
A. U. C. 790.	- - - -	Idem.
791.	- - - -	Idem.
792.	- - - -	Idem.
793.		Servius Sulpicius Galba. (*k*)
Imp. Claudius.		
A. U. C. 794.		Idem.
803.	- - - -	L. Pomponius. (*l*)
804.		
Imp. Nero.		
A. U. C. 808.		
809.		
811.	- - - -	L. Vetus. (*m*)
819.	- - - -	Scribonius. (*n*)
821.	Julius Vindex. (*o*)	Verginius Rufus. (*p*)

Præſides

(*i*) Tacit. *Annal.* Lib. VI. Cap. XXX. Occiſus eſt ab Imper. Cajo An. Urb. Cond. DCCXCII. poſtquam per decem annos ſuperiori Germaniæ præfuiſſet. Dio Lib. LIX. pag. 755.

(*k*) Galba Getulico à C. Cæſare ſubſtitutus fuit, teſte Suetonio *in Vita Galbæ* Cap. VI. An. Urb. Cond. DCCXCIV. imperante Claudio Cattos viciſſe memoratur, Dio Lib. LX. pag. 774.

(*l*) Tacitus *Annal.* Lib. XII. Cap. XXVII. Hic C. Antiſtio & M. Suilio Coſſ. id eſt An. Urb. Cond. DCCCIII. imperante Claudio Cattos viciſſe, & triumphum idcirco Romæ obtinuiſſe, legitur. Ibidem Cap. XXV. XXVIII.

(*m*) Præfuit ſuperiori Germaniæ Nerone III. Valerio Meſſala Coſſ. Tacit. *Annal.* Lib. XIII. Cap. XXXIV. LIII.

(*n*) Vel Rufus vel Proclus; fratres enim erant, & Germanias utraſque per longum tempus una adminiſtraverant: occiſi ſunt à Nerone poſt Conſulatum L. Teleſini & Suetonii Paulini, qui in An. Urb. Cond. DCCCXIX. incidit. Xiphilinus Lib. LXIII. pag. 191. 184.

(*o*) Suetonius Cap. XL. *in Vita Neronis*, Vindicem quum contra Neronem rebellaret, Galliam pro Prætore rexiſſe ſcribit, & Xiphilinus pag. 195. urbem Veſontionem ei paruiſſe, atque ab eo etiam adverſus Verginium Rufum defenſam eſſe, tradit. Veſontio autem oppidum Sequanorum fuit, teſte Cæsare *de Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXXVIII. quos Galliæ Celticæ ſive Lugdunenſi fuiſſe adſcriptos Cæsar Lib. cit. Cap. I. docet, & ſupra jam late demonſtratum eſt. Occiſus eſt Vindex eodem anno, quo Nero cecidit, id eſt, An. Urb. Cond. DCCCXXI. Xiphilinus pag. 195. ſqq.

(*p*) Rufus vocatur à Xiphilino loco cit. Verginius à Tacito *Hiſtor.* Lib. I. Cap. VIII. Verginius Rufus à Xiphilino pag. 241. Rebellante Julio Vindice, id eſt An. Urb. Cond. DCCCXXI. Præſes Germaniæ Cis-Rhenanæ fuerat, & exercitum contra eum ducebat, teſte Xiphilino pag. 195. ſqq. & Tacito *Hiſt.* Lib. I. Cap. VIII. Germaniam vero hanc, cui præerat Rufus, ſuperiorem fuiſſe, ex eo clarum eſt, quod inferiorem tum Germaniam Fontejus Capito regebat; Tacitus *Hiſtor.* Lib. I. Cap. VII. VIII. LII. Revocatus eſt à Galba Rufus eodem anno Urb. Cond. DCCCLXXXI. qui ſecundum Servii Galbæ & T. Vinii Conſulatum præceſſerat. De Rufo hoc vide quoque Plutarchum in *Galba* pag. 1055.

	Præſides Galliæ Lugdunenſis. adeoque Alſatiæ Superioris.	Præſides Germaniæ Superioris. adeoque Alſatiæ Inferioris.
Imp. Galba. A. U. C. 822.	Junius Blæſus. (*q*)	Hordeonius Flaccus. (*r*)
Imp. Veſpaſianus. A. U. C. 823.	- - - -	Q. Petilius Cerealis. (*s*)
824.		
Imp. Domitianus. A. U. C. 834.		
835.		
844.	- - - -	L. Antonius. (*t*)
845.		
Imp. Nerva. A. U. C. 850.	- - - -	M. Ulpius Trajanus. (*u*)
Imp. Trajanus. A. U. C. 851.		
861.		
Imp. Hadrianus. A. U. C. 870.		
	Bitraſius Pollio. (*x*)	

Præſides

(*q*) Præfuit provinciæ Servio Galba iterum & T. Vinio Coſſ. TACITUS *Hiſtor.* Lib. I. Cap. XI. LIX.

(*r*) TACITUS Lib. cit. Cap. IX. LVI. Succeſſit Verginio Rufo An. Urb Cond. DCCCXXI. ante Conſulatum Servii Galbæ II. & Titi Vinii: occiſus eſt a rebellı exercitu ſuo An. Urb. Cond. DCCCXXIII. Veſpaſiano II. & Tito Coſſ. TACITUS *Hiſt.* Lib. I. Cap. IX. XI. LVI. Lib. IV. Cap. XXXVI. XXXVIII.

(*s*) Ita vocatur à XIPHILINO pag. 213. Turbas in Germania Cis-Rhenana ortas, imperante Veſpaſiano, compoſuiſſe dicitur. XIPHILINUS pag. 217. Turbæ vero illæ, Hordeonio Flacco ſuperioris Germaniæ Præſide occiſo, tam ſuperiorem quam inferiorem Germaniam vexaverant. TACIT. *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LV. LIX. LXX. Cerealis Hordeonii Succeſſor Moguntiacum veniens regimen provinciæ ſuſcepiſſe narratur, apud TACIT. Lib. cit. Cap. LXXI. Hæc autem urbs quum Legionum ſuperioris Germaniæ ſedes præcipua fuerit, TACIT. *Hiſtor.* Lib. cit. Cap. LIX. quid clarius eſt, quam Superiori etiam Germaniæ Cerealem præfuiſſe?

(*t*) XIPHILINUS pag. 234. SUETONIUS in *Domitiano* Cap. VI. Contra Imper. Domitianum rebellis à L. Maximo interfectus eſt circa Conſulatum Trajani & Glabrionis, qui juxta Varronianam Æram in An. Urb. Cond. DCCCXLIV. incidit. XIPHILINUS pag. 235.

(*u*) Ab Imp. Nerva adoptatus Germaniæ Superiori præfuiſſe reperitur. XIPHILINUS pag. 241. ÆLIUS SPARTIANUS in *Vita Hadriani* Cap. II. Juxta calculum DIONIS & Æram Varronianam hoc in An. Urb. Cond. DCCCL. incidit.

(*x*) Legatus hic Lugdunenſis vocatur Leg. XV. §. XVII. D. de *Excuſ. Tutor.* ad quem Imp. Hadriani reſcriptum extat loc. cit. Rectoratus ejus tempus ergo intra An. Urb. Cond. DCCCLXX - - DCCCXCI. incidit, quo ſummum imperium Hadrianus tenuit, teſte XIPHILINO pag. 268.

	Præſides Galliæ Lugdunenſis, adeoque Alſatiæ Superioris.	Præſides Germaniæ Superioris, adeoque Alſatiæ Inferioris.
Imp. Antonin. Pius. A. U. C. 891. *Ær. Chr.* 138.		
		C. Popilius C. F. (*y*)
Imp. Marcus Antoninus. A. U. C. 916.		
Imp. Commodus. A. U. C. 934. 935.	Septimius Severus. (*z*)	
Imp. Severus. A. U. C. 947.		
Imp. Alexander. A. U. C. 975.		
		C. Cæſonius C. F. Quirina Macer Rufinianus. (*a*)
Imp. Philipp. Arabs. A. U. C. 1000. 1001.		
Imp. Valerianus & Gallienus. A. U. C. 1008.		
	Poſthumius. (*b*) per decem annos provinciis his præfuit. (*c*)	Poſthumius. (*b*)
A. U. C. 1014.		

 Præſides

(*y*) Inſcriptio, quæ Tibure extat, apud GRUTERUM Tom. I. *Inſcript.* pag. 457. num. 6. eum Legatum Imp. Antonini Pii & Proprætorem Germaniæ Superioris fuiſſe teſtatur. Jam vero juxta calculum DIONIS Antoninus Pius ab An. Urb. Cond. DCCCXCI. uſque DCCCCXV. imperium tenuit.

(*z*) Galliam Lugdunenſem XXXVI. circiter ætatis anno rexit, teſte SPARTIANO in *Vita Severi* Cap. III. mortuus eſt autem Severus anno ætatis ſuæ LXVI. An. Urb. Cond. DCCCCLXIV. juxta calculum DIONIS; XIPHILINUS pag. 344. regimen ergo ejus in Lugdunenſi Gallia in An. Urb. Cond. DCCCCXXXIV. vel DCCCCXXXV. ponendum.

(*a*) Inſcriptio Romana apud GRUTER. Tom. I. *Inſcript.* pag. 381. num. 1. eum Comitem Imp. Severi Alexandri, Legatum Aug. & Proprætorem Germaniæ ſuperioris, vocat: regnavit autem Alexander Severus juxta calculum DIONIS, HERODIANI, & PAULI DIACONI Lib. X. *Hiſtor. Miſcell.* Cap. XXV. ſq. ab An. Urb. Cond. DCCCCLXXV. .. DCCCCLXXXVIII.

(*b*) Ab Imperat. Valeriano Trans-Rhenani limitis Dux & Galliæ præſes conſtitutus eſſe dicitur in Epiſtola Valeriani apud TREBELLIUM POLLIONEM in *XXX. Tyrannis* Cap. III. Occiſo Salonino Gallieni filio in omnes Gallias imperium ſuſcepit; easque contra Germanorum Trans-Rhenanorum incurſiones fortiſſime propugnavit, teſte eodem TREBELLIO POLLIONE loco cit. Incidit vero imperium Valeriani & filii ejus Gallieni in An. Urb. Cond. MVIII .. MXXIV. juxta calculum PAULI DIACONI in *Hiſtor. Miſcell.* Lib. X. Cap. XXXI. XXXIV.

(*c*) Tres ſcilicet annos antequam tyrannidem invaderet, alios adhuc ſeptem ſupremo Galliarum imperio potitus. EUTROPIUS Lib. IX. Cap. VII. TREBELLIUS POLLIO in *Gallieno* Cap. IV. & in *XXX. Tyrannis* Cap. III.

Imp. Valerianus & Gallienus.	Præſides Galliæ Lugdunenſis, adeoque Alſatiæ Superioris.	Præſides Germaniæ Superioris, adeoque Alſatiæ Inferioris.
	Lollianus. (*d*)	Lollianus. (*d*)
	Victorinus. (*e*) periit anno ſecundo imperii ſui.	Victorinus. (*e*)
	Marius. (*f*) hic triduo tantum imperavit.	Marius. (*f*)
A. U. C. 1024.	Tetricus. (*g*)	Tetricus. (*g*)
1025.		
1030.		
Imp. Probus. A. U. C. 1033.		
	Proculus. (*h*)	
1040.		
1041.	Carinus. (*i*)	Carinus. (*i*)
1042. *Imp. Diocletianus & Herculeus.* A. U. C. 1043.		
	Conſtantius. (*k*)	Conſtantius. (*k*)
1050.		
1062.		
Ær. Chr. 309.		Occurrit adhuc in *Muratorianis Inſcriptionibus* ſuperioris Germaniæ Præſes Cociavius Tidius Toſſianius Jaonus Priſcus; ſed ſine ulla temporis, quo vixit, vel Germaniam rexit, nota occurrit, niſi quod poſt Veſpaſianorum tempora eum floruiſſe confidenter aſſerere poſſimus. (*l*)

§. XV.

(*d*) Trebellius Pollio *in XXX. Tyrannis* Cap. III. eum Poſthumio occiſo in Galliarum imperio, imperante Gallieno, ſucceſſiſſe ſcribit.

(*e*) Hic Lollianum interfeciſſe, Galliasque poſt Poſthumium rexiſſe memoratur. Trebellius Pollio in *XXX. Tyrannis* Cap. VI. Eutropius Lib. IX. Cap. VII.

(*f*) Poſthumio, Lolliano, Victorino interfectis in Galliarum imperio ſucceſſiſſe, bellumque in Alemannos & Trans-Rhenanos Germaniæ gentes agitaſſe, refert Trebellius Pollio in *XXX. Tyrannis*, Cap. VII. Eutropius regimen ejus ante Victorini imperium collocat Lib. IX. Cap. VII.

(*g*) Imperante Gallieno hic poſt Victorinum Gallias omnes jure præſidiali rexiſſe dicitur à Trebellio Pollione in *XXX. Tyrannis* Cap. XXIV. Victus eſt ab Imp. Aureliano. & Romæ in triumpho ductus. Vopiscus in *Aureliano* Cap. XXXII. Imperare cœpit Aurelianus An. Urb. Cond. MXXVII. juxta calculum Pauli Diaconi Lib. X. mortuus An. Urb. Cond. MXXXII. Idem loco cit.

(*h*) Hic imperante Probo imperium in Gallos Lugdunenſes arripuiſſe, Alemannosque gravibus prœliis repreſſiſſe memoratur. Vopiscus in *Vita Probi.* Imperium tenuit Probus ab An. Urb. Cond. MXXXIII..MXL. Paulus Diaconus Lib. X. Cap. XXXVIII.

(*i*) Hic Cæſar à patre Caro creatus Galliis, Italiæ, Illyrico, Hiſpaniis & Africæ. præfectus eſt, teſte Vopisco in *Vita Carini* Cap. XVI. Geſſit imperium Carus ab An. Urb. Cond. MXL..MXLII. Paulus Diaconus Lib. X. Cap. XXXIX. ſq.

(*k*) Ab Impp. Diocletiano & Hercoleo Cæſar creatus cunctas trans Alpes Gallias, & ita quoque Galliam Lugdunenſem & Superiorem Germaniam, regendas accepit. Aurelius Victor de *Cæſarib.* Cap. XXXIX. Imperavit orbi Romano Diocletianus ab An. Urb. Cond. MXLII-MLXII. Aurelius Victor *de Cæſaribus* Cap. XXXVII. Paulus Diaconus *Hiſtor. Miſc.* Lib. X. Cap. XL.

(*l*) Inſcriptio apud Muratorium Tom. II. *Theſauri* pag. 691. num. 7. hæc eſt:

COCIAVIO. TIDIO. TOSSIANIO. IAONO
PRISCO. LEG. LEG. IV. FLAV. LEG. LEG. III AVG
IVRIDIC. PROVINC. BRITANNIÆ. LEG
CONSVLARI. PROVINC. GERM. SVPERIORIS
. . . . .
. . . . .

POLITICA.

§. XV.

Sunt hi omnes illi Præſides, quos in antiquis Romanorum Monumentis vel Lugdunenſi Galliæ, vel Germaniæ Superiori, certo & citra omnem controverſiam præfuiſſe reperimus. Sunt tamen etiam alii adhuc, de quibus dubie loquuntur Scriptores antiqui, quosque Galliam rexiſſe, vel Germaniæ cis Rhenum præſediſſe, teſtantur; ita tamen ut quæ potiſſimum illa Gallia fuerit, an Belgica, an Lugdunenſis, an alia, vel an duæ aot omnes ſimul, & ex Germaniis an Superior, an Inferior, an ambæ, ſint intelligendæ, plane conſtitui nequeat. Nec hos quidem nos in catalogo Præſidum Alſatiæ negligere volumus, ut ſeries illa præſidum, quantum fieri per nos poteſt, hic integra exhibeatur. Novis forſan Monumentis, quæ jam latent adhuc, in lucem aliquando productis, poterit contingere, ut ſi non de omnibus, at de uno ſaltem vel altero illorum, certius pronuntiari poſſit, an ad Romanos Alſatiæ præſides, an vero ad illos, qui alias Galliæ partes adminiſtrarunt, ſuo jure ſit referendus. Præſides Alſatiæ dubii.

§. XVI.

PRÆSIDES ROMANI INCERTI APUD ALSATAS.

Imp. Auguſtus. A. U. C. 729. *A. N. C. 25.*	M. Vinicius (*m*)
A. U. C. 738.	M. Lollius. (*n*)
746.	Tiberius Nero. (*o*)
747.	Idem. (*p*)
757.	Tiberius Nero. (*q*)
758.	Idem.
759.	Idem.
eodem.	C. Sentius. (*r*)

(*m*) Hic Auguſto IX. & M. Silano Coſſ. trans Rhenum in Germaniam fortiter irrupiſſe, & hinc Auguſtum Imperatoris titulo condecoraſſe, ſcribitur. Dio Lib. LIV. pag. 589.

(*n*) Hic L. Domitio & P. Scipione Coſſ. ab Uſipetibus, Sicambris, Tenchteris, Rhenum transgreſſis, & Germaniam Galliamque vaſtantibus, prœlio victus eſt. Dio Lib. LIV. pag. 612. Edit. Steph.

(*o*) Germanos Rheno ſuperato infeſtaſſe, & triumphum ex eis Kal. Januar. An. Urb. Cond. DCCXLVII. duxiſſe, memoratur. Dio Lib. LV. pag. 631. SUETONIUS in *Tiberio* Cap. IX.

(*p*) Hoc anno turbis in Germania Cis-Rhenana ortis, Tiberius iterum ad eas componendas Roma miſſus eſſe legitur. Dio Lib. LV. pag. 633. Γερμανίαν enim Dioni ſemper Cis-Rhenanam denotare Germaniam, ſupra jam pag. 278. not. (*f*) oſtendimus.

(*q*) Hoc anno Urb. Cond. DCCLVII. Tiberius, Tribunitia poteſtate in decem annos ab Auguſto ornatus, ad bellum cum Trans-Rhenanis Germanis gerendum ablegatus eſt. Dio Lib. LV. pag. 637. An. Urb. Cond. DCCLIX. Tiberius expeditionem in Germanos feciſſe, & usque ad Viſurgim & Albim fluvios progreſſus eſſe, deprehenditur; Imperatoris nomen ex hac expeditione Tiberius retulit, teſte DIONE Lib. cit. pag. 650.

(*r*) Sentius hic præſes Γερμανίας, id eſt, Cis-Rhenanæ Germaniæ fuit, An. Urb. Cond. DCCLIX. Tiberii in Germanico bello ſocius; honoribus hinc triumphalibus etiam ornatus eſſe memoratur. Dio loco cit.

POLITICA.

Imp. Auguſtus.	
A. U. C. 762.	Quintilius Varus. (r)
763.	Idem.
	Tiberius Nero. (s)
764.	Idem.
Imp. Caligula.	
A. U. C. 791.	Sabinus. (u)
Ær. Chr. 38.	
Imp. Trajanus.	
A. U. C. 851.	
	Cajus Lælius. (x)
870.	
Imp. Commodus.	
A. U. C. 934.	
	Victorinus. (y)
Imp. Severus.	
A. U. C. 947.	
	Ragonius Celſus. (z)
964.	
965.	

Imp.

(r) Varus hic præſes Γερμανίας fuit, quo nomine à Dione Cis-Rhenanam tantum Germaniam deſignari ſæpius monuimus; ſed Κελτικῆς etiam, id eſt, Trans-Rhenanæ Germaniæ, (conf. ſupra Lib. I. pag. 113.) quantum ex ea Romanis paruerat, ſimul præfectus eſſe memoratur. Dio Lib. LVI. pag. 667. Cæſus eſt cum tribus Legionibus in Trans-Rhenana Germania An. Urb. Cond. DCCLXIII. Dio Lib. cit. pag. 669. Florus Lib. IV. Cap. XII.

(s) Poſt Varianam cladem ſtatim Tiberius ab Auguſto cum exercitu in Germaniam Cis-Rhenanam miſſus eſt, & anno ſequente Urb. Cond. DCCLXIV. una cum Germanico Rhenum transgreſſus Germanis illarum partium bellum intulit: rediit Romam eodem anno & ex rebus feliciter geſtis triumphum egit. Dio Lib. LVI. pag. 671. Suetonius in *Tiberio* Cap. XVIII. XX.

(u) Hic imperante Caligula Κελτῶν, Germanorum, præſes fuiſſe memoratur à Dione Lib. LX. pag. 786. Hoc de Germanis Cis-Rhenanis neceſſario intelligendum eſt; Trans-Rhenana quippe Germania poſt Varianam cladem nunquam amplius in provinciæ formam redacta. Florus Lib. IV. Cap. XII. Regnavit autem Caligula ab An. Urb. Cond. DCCXC--DCCXCIII. juxta calculum Dionis.

(x) Reperitur apud Gruterum Tom. I. pag. 437. num. 12. Inſcriptio, qua Cajus hic Lælius Galliæ Lugdunenſis, imperante Trajano, præſes occurrit.

CAIO. LAELIO. LEGATO
- - - - -
- - - - -
- - IMP. NERVAE
TRAIANI. CAESARIS. AVG. GERMANICI DACICI
PROVINCIAE. LVGDVNENSIS. CONSVLI. LEGATO
- - - - - - -
- - - - - - -

Sed nomen Caji Lælii in ipſo marmore omiſſum, & ex P. Gulielmi, à quo Gruterus Inſcriptionem accepit, ingenio additum, prout ipſe fatetur Gruterus. Nomen C. Lælii à P. Gulielmo ideo adjectum eſt, quod in eodem pariete, quo ipſa deprehendebatur Inſcriptio, etiam antiqui marmoris fragmentum invenerat, cui duo verba, *Cajo Lælio* erant inſcripta, & quod huc procul dubio pertinere exiſtimabat. Conferatur. *Apologie pour la vieille cite d'Avenche* pag. 73 ſqq. & 257. ſqq. Re adhuc dubia Cajum hunc Lælium etiam inter dubios Alſatiæ præſides referre voluimus: imperavit Trajanus juxta calculum Dionis ab An. Urb. Cond. DCCCLI--DCCCLXX.

(y) Commodo imperante præfectus Urbis mortuus eſt. Germaniæ Cis-Rhenanæ præſes aliquando fuiſſe memoratur. Xiphilin. pag. 288. Statua illi Romæ poſita eſt, teſte eodem loco cit.

(z) Gallias hic imperante Severo rexit, teſte Spartiano in *Vita Peſcennii Nigri* Cap. III. Juxta calculum Dionis vero Severus ab An. Urb. Cond. DCCCCXLVII--DCCCCLXIV. imperium tenuit.

POLITICA.

Imp. Severus.

Maximus ſive Pupienus. (*a*)
Balbinus. (*b*)

A. U. C. 991.
Ær. Chr. 238.

1008.

Ragonius Clarus. (*c*)

1014.

CAPUT II.

DE LEGIBUS ALSATIÆ ANTE PRÆFECTOS PRÆTORIO.

§. XVII.

EXpoſitis Alſatiæ Romanæ Præſidibus ad Leges exponendas tranaimus, ſecundum quas, ſub Romanorum imperio, incolis hujus provinciæ jus dicebatur. Notum eſt, Romani Imperii ſubditos, ſub priorum ſeculorum Imperatoribus, non uno omnes jure fuiſſe rectos; ſed, pro ſuis erga populum Romanum meritis, duriorem, mitioremve rerum ſuarum ſortem ſubiiſſe. Erant, quibus Civitas Romana, quibus jus Latii, quibus jus Italiæ, plurimis nonniſi communia provinciarum jura, concedebantur: nec per ſingulas tantum gentes, ſed in eadem ſæpe Romanorum provincia, omnis illa jurium diverſitas occurrit. Præmittenda igitur eſt variorum horum jurium brevis notitia, ut jus Alſatiæ Romanæ intelligatur diſtincte. Leges Alſatiæ.

Populi, quos Romani ſibi ſubjecerant, aut veteres ſuas leges & inſtituta retinebant; aut illis abolitis novum plane jus à Romanis ſolebant accipere. Jus hoc novum vel idem illud erat, quo ipſi Romani cives Romæ regebantur, vel aliud, quod moris erat devictis civitatibus provinciisque, pro varia ſingularum conditione, præſcribi. Prior claſſis municipia quædam, (*d*) civitatesque, quæ jure Latii Diverſitas juris.

(*a*) Germaniæ Cis-Rhenanæ præſes olim fuit, antequam ſummæ rerum potiretur, teſtibus HERODIANO Lib. VIII. Cap. VI. & VII. & CAPITOLINO in *Vita Maximi & Balbini* Cap. V.

(*b*) Hunc antequam Imperator fieret, inter multas, quas adminiſtravit provincias, Galliis etiam præfuiſſe, refert CAPITOLINUS in *Vita Maximi & Balbini* Cap. VII. Collega Maximo Imperator creatus eſt An. Urb. Cond. DCCCCXCI. juxta calculum PAULI DIACONI in *Hiſtoria Miſcella* Lib. X. Cap. XXVI.

(*c*) Præfectus Illyrici & Galliarum fuit imperante Valeriano. TREBELLIUS POLLIO in *XXX. Tyrannis* Cap. XVIII. Imperavit autem Valerianus ab An. Urb. Cond. MVIII - - MXIV. PAULUS DIACONUS in *Hiſtor. Miſcell.* Lib. X. Cap. XXXI. XXXIII.

(*d*) Municipia propriis ſuis legibus & inſtitutis uſa eſſe A. GELLIUS teſtatur in *Noct. Attic.* Lib. XVI. Cap. XIII. "Municipes (inquit) cives Romani ſunt „ ex municipiis, legibus ſuis & jure ſuo utentes, „ muneris tantum cum populo Romano honorarii „ participes, - - nullis aliis neceſſitatibus, neque „ ulla populi Romani lege adſtricti, ni, inquam, popu- „ lus eorum fundus factus eſt. „ Municipiorum tria genera recenſet PAULUS DIACONUS ex FESTO, voce *Municipium*; primum eorum, qui dum in patria commorabantur, civitatis Romanæ non erant participes, Romam vero profecti juribus civium Romanorum fruebantur, niſi quod à ſuffragii latione & petitione honorum prohiberentur: alterum genus illorum, quorum univerſa civitas Romanam civitatem ingreſſa eſt, omnibusque & ſingulis civium Romanorum privilegiis juribusque utebatur; tertium tandem eorum, qui diverſas leges, diverſamque rempublicam à Romana habebant, cives tamen Romani erant, quamquam à petendis Romæ dignitatibus excluſi. Ipſe FESTUS voce *Municipi*: "Municipes Ser. filius „ ajebat initio fuiſſe, qui ea conditione cives Rom. „ fuiſſent, ut ſemper Remp. ſeparatim à populo Rom. „ haberent, Cumanos videlicet, Acerranos, Atella- „ nos, qui æque cives Rom. erant & in Legione „ merebant, ſed dignitates non capiebant.

POLITICA.

Latii, (*e*) & Italico, (*f*) fruebantur, gentes etiam liberas ſive fœderatas (*g*) comprehendit; claſſis ſecunda alia quædam alius generis municipia; (*h*) tertia denique claſſis præfecturas (*i*) Romanasque provincias (*l*) continet.

§. XVIII.

Commune Municipiorum jus.

I. Jus Municipiorum, Civitatum juris Latii, juris Italici, Gentiumque liberarum, quas omnes propriis legibus inſtitutisque rectas eſſe diximus, tam varium multiplexque fuiſſe neceſſe eſt, quot fere populi, moribus inſtitutisque diverſi, per totum Romanorum imperium diffundebantur. Hi ipſi tamen populi habuere nonnulla, quibus inter ſe conveniebant, & à cæteris omnibus, qui diverſo juris genere utebantur, poterant diſtingui. Ita omnibus municipiis id erat commune, quod incolæ eorum cives

---

(*e*) Civitates, quæ juris Latii erant participes, non Romanis ſed propriis ſuis magiſtratibus legibusque paruiſſe, STRABO docet Lib. IV. pag. 285. dum de Nemauſo Narbonenſis Galliæ oppido, jure Latii donato: *Μητρόπολις δὲ*, inquit, *τῶν Ἀρηκομίσκων ἐστὶ Νέμαυσος, - - ἔχουσα καὶ τὸ καλούμενον Λάτιον. - - διὰ δὲ τοῦτο οὐδ᾽ ὑπὸ τοῖς προστάγμασι τῶν ἐκ τῆς Ῥώμης στρατηγῶν ἐστὶ τὸ ἔθνος τοῦτο. Caput Arecomicorum eſt Nemauſus, - - quæ jus Latii quoque habet, & propterea civitas hæc Romanorum Præſidum legibus non eſt ſubjecta.* Quasdam quidem leges, quæ Romæ erant latæ, Latini interdum in civitatem ſuam recipiebant, &, ut veteres loquuntur, fundi in eas fiebant; ſed hoc ab ipſo Latinorum pendebat arbitrio, nec alias aſſumebant illi, quam quas volebant: teſtis hujus rei CICERO eſt in *Oratione pro Balbo*, ubi: " Cum juſſiſſet P. R. aliquid, ſi id adſciviſſent ſocii populi, „ ac Latini, & ſi ea lex, quam nos haberemus, eadem „ in populo aliquo, tanquam in fundo, reſediſſet: ut „ tum lege eadem is populus teneretur. - - Tulit „ apud majores noſtros legem C. Furius de teſtamentis: tulit Q. Voconius de mulierum hereditatibus; „ innumerabiles aliæ leges de civili jure ſunt latæ: „ quas Latini voluerunt, adſciverunt.

(*f*) Populos juris Italici proprias ſuas leges, non Romanas, habuiſſe ex eo clarum eſt, quod Heraclienſes & Neapolitani quum lege Julia Romana eis civitas concederetur, jura ſua antiqua Romanæ Civitati prætulerint, teſte CICERONE in *Oratione pro Balbo*: " Ipſa denique Julia, qua lege civitas eſt ſociis & „ Latinis data, qui fundi populi facti non eſſent, „ civitatem non haberent. In quo magna contentio Heracleenſium & Neapolitanorum fuit, quum magna pars in iis civitatibus juris ſui libertatem Civitati anteferret.

(*g*) Gentes fœderatæ Romanis omnes illæ appellabantur, quæ aliquo fœdere ſive æquo ſive inæquali Romanis junctæ fuerunt; & hinc ſub hoc nomine tam populi, qui Romanis ſubjecti non erant, ſed in fœdus tamen cum eis coiverant, quam alii, qui Romano parebant imperio, comprehenſi fuerunt. Ita Belgarum quædam gentes antiquis Reipublicæ temporibus, & ante Cæſaris in Galliam adventum, *ἔνσπονδοι, fœderati Romanorum*, dicuntur a DIONE CASSIO Lib. XXXIX. pag. 103. edit. Steph. & Æduos *fratres, conſanguineos amicosque, populi Romani* nominatos ex CÆSARE diſcimus Lib. I. de *Bello Gall.* Cap. XI. XXXIII. XXXV. quos tamen illis temporibus nondum Romanis fuiſſe ſubditos, ex hiſtoria Romana notum eſt. Sed & populi, jure Latii & Italico jure donati, Latinis Scriptoribus *Romanorum fœderati* nominantur, quos ipſis Romanis ſubjectos fuiſſe dubium non eſt. Erant tamen alii adhuc, *fœderati Romanorum* dicti, qui Romanis parebant, & nec Italico nec Latii jure fruebantur. Hi iidem illi erant, qui liberi quoque alias vocabantur, & proprias etiam leges ſuas & inſtituta ſequebantur. Hinc *fœderati* & *liberi* populi diſtinguuntur interdum à Scriptoribus Latinis. Ita CICERO in *Oratione pro Balbo*. " Quid enim potuit „ dici imperitius, quam fœderatos populos fieri fundos oportere; nam id non magis eſt proprium „ fœderatorum, quam omnium liberorum? „ Et iterum: " Cum aliquid populus Romanus juſſis, id „ ſi eſt ejusmodi, ut quibusdam populis, ſive fœderatis ſive liberis, permittendam eſſe videatur, ut ſtatuant ipſi, non de noſtris, ſed de ſuis rebus, quo „ jure uti velint. „ Et PROCULUS Juris Conſultus Leg. VII. D. *de Captivis*: " Non dubito, quin fœderati „ & liberi nobis externi ſint, . . . liber autem populus is eſt, qui nullius alterius poteſtati ſubjectus eſt, ſive is fœderatus eſt; item ſive æquo „ fœdere in amicitiam venit, ſive fœdere comprehenſum eſt, ut is populus alterius majeſtatem comiter conſervaret. Hoc enim adjicitur, ut intelligatur, alterum populum ſuperiorem eſſe, non ut „ intelligatur, alterum non eſſe liberum. „ Interdum autem ſynonyma ſunt hæc duo nomina, fœderatique liberi, liberique fœderati, dicuntur. Sic SUETONIUS de *Auguſto* Cap. XLVII. in *Vita* ejus ait: " Urbium quasdam fœderatas, ſed ad exitium licentia præcipites, libertate privavit; „ & PLINIUS Junior de Amiſo Ponti urbe in *Epiſtola ad Trajanum* XCIII. Lib. X. " Amiſenorum Civitas libera „ & fœderata beneficio indulgentiæ Tuæ legibus ſuis „ utitur.

(*h*) Hæc municipia ſecundum genus municipiorum conſtituunt, de quo ſupra hoc §. Not. (*d*) egimus: de his PAULUS DIACONUS ex FESTO voce *Municipium*: " Municipium dicitur - - alio modo, „ cum id genus hominum definitur, quorum civitas „ univerſa in civitatem Romanam venit, ut Aricini, „ Cærites, Anagnini.

(*i*) Præfecturas non ſuis ſed Romanis paruiſſe legibus clare docet FESTUS voce *Præfecturæ*. " Præfecturæ (inquit) eæ appellabantur in Italia, in „ quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & „ erat quædam earum reſpubl. neque tamen magiſtratus ſuos habebant; in quas legibus præfecti „ mittebantur quotannis, qui jus dicerent; quarum „ genera fuerunt duo; alterum in quas ſolebant ire „ præfecti quatuor Sex virum, qui populi ſuffragio „ creati erant in hæc oppida Capuam, Cumas, &c. „ . . alterum, in quas ibant, quos Prætor urbanus „ quotannis in quæque loca miſerat legibus.

(*l*) Romanorum provincias non ſuis ſed Romanis fuiſſe legibus adminiſtratas ex claro DIONIS CASSII loco diſcimus, ubi *τὸ ὑπήκοον*, quo nomine Græci Scriptores ordinarie provincias Romanas deſignare ſolent, opponit *τῷ ἐνσπόνδῳ, fœderatis*, quibus patria inſtituta & leges erant relicta, Lib. LIV. pag. 608. ed. Steph. *Ὁ δὲ δὴ Αὔγουστος τὸ μὲν ὑπήκοον κατὰ τὰ τῶν Ῥωμαίων ἔθη διῴκει, τὸ δὲ ἔνσπονδον τῷ πατρίῳ σφίσι τρόπῳ εἴα ἄρχεσθαι - - ἐδικαίου. Auguſtus ſubjectos, ſeu provincias, ex moribus Romanorum ordinavit, fœderatos contra patriis ſemper legibus ſuis gubernari voluit.*

cives Romani erant, (*m*) adeoque jure patriæ poteſtatis, (*n*) connubiorum, (*o*) teſtamenti, (*p*) cæteriſque Romanorum civium privilegiis, fruebantur; niſi quod à capeſſendis Romæ honoribus excluſi eſſent. Civitatibus juris Latii contra, civitatibus item juris Italici, gentibusque liberis, civitas Romana non competebat; (*q*) & hinc patriæ poteſtatis, (*r*) connubiorum, (*s*) teſtamentique (*t*) cum Romanis civibus non erant participes: mancipationis (*u*) tamen & uſucapionis (*w*) jure Latini utebantur, Magiſtratibusque in patria geſtis Romanam civitatem adipiſci ſolebant. (*x*) Populis juris Italici eadem mancipationis (*y*) & uſucapionis (*z*) jura, ſed & immunitas à capitis tributo, (*a*) conceſſa ſunt

§. XIX.

(*m*) Festus voce *Municipium*. Vid. ſupra §. XVII. Not. (*d*)

(*n*) Justinian. *Inſtitut.* Lib. I. Tit. *de patria poteſtate* §. II.

(*o*) Ulpianus *Fragment.* Tit. V. § IV. “Connubium habent cives Romani cum civibus Romanis, cum Latinis autem & peregrinis ita, ſi conceſſum ſit.”

(*p*) Paulus Leg. I. *pr. D. ad Leg. Falcidiam.*

(*q*) Docet id Cicero in *Oratione pro L. Cornelio Balbo*: “Cum aliquid populus Romanus juſſit, id ſi eſt ejusmodi, ut quibusdam populis, ſive fœderatis, ſive liberis, permittendum eſſe videatur, ut ſtatuant ipſi, non de noſtris, ſed de ſuis rebus, quo jure uti velint: tum utrum fundi facti ſint, an non, quærendum eſſe videatur, de noſtra vero Republica, de noſtro Imperio, de noſtris bellis, de victoria, de ſalute, fundos populos fieri noluerunt.”

(*r*) Justinian. *Inſtitut. Tit. de patria poteſtate.* “Jus autem poteſtatis, quod in liberos habemus, proprium eſt civium Romanorum. Nulli enim alii ſunt homines, qui talem in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus.”

(*s*) Ulpian. *Fragment.* Tit. V. §. IV. Vid. ſupra Not. (*o*)

(*t*) Latini jure Romano nec teſtamentum facere, nec ex teſtamento civis Romani aliquid capere poterant: reliquiæ hujus juris adhuc temporibus Ulpiani, qui ſub Imperat. Alexandro vixit, in Latinis Junianis ſupererant: ita enim Ulpianus *Fragment.* Tit. XX. §. XIV. “Latinus Junianus, item is, qui dedititiorum numero eſt, teſtamentum facere non poteſt. Latinus quidem, quoniam nominatim lege Junia prohibitus eſt.” Idem Tit. XXII. §. III. “Latinus Junianus, ſi quidem mortis teſtatoris tempore, vel intra diem cretionis civis Romanus ſit, heres eſſe poteſt, quod ſi Latinus manſerit, lege Junia capere hereditatem prohibetur.”

(*u*) Ita enim Ulpianus *Fragment.* Tit. XIX. §. IV. “Mancipatio locum habet inter cives Romanos, & Latinos colonarios, Latinosque Junianos.”

(*w*) Latini imo & Italici juris populis uſucapionem competiiſſe ex eo colligimus, quod omnia ſoli Italici prædia uſucapionis erant capacia, teſte Justiniano Tit. *Inſtitut. de Uſucapion. pr.* adeoque uſucapio ad omnes prædiorum talium poſſeſſores videatur eſſe extenſa. Scilicet jus illud uſucapionis in eo nitebatur, quod ea prædia in juſto poſſeſſorum ſuorum dominio fuerant; quum contra agri in provinciis conſtituti non poſſeſſorum, ſed populi Romani, dominio eſſent ſubjecti, ideoque & jam annuo Romanis ſtipendio ſolerent obligari; hinc etiam horum dominium ab ullo poſſeſſore nunquam acquiri, adeoque nullo etiam modo uſucapi poterat. Theophilus ad §. XL. *Inſtit. de rerum diviſ.* Οἱ τὰ στιπενδιάρια καὶ τριβουτάρια ἔχοντες πάλαι κατὰ συγχώρησιν δήμου ἢ βασιλέως οὐκ ἦσαν δεσπόται. Ἡ γὰρ δεσποτεία αὐτῶν ἢ παρὰ τῷ δήμῳ ἢ παρὰ τῷ βασιλεῖ, αὐτοὶ δὲ εἶχον τὴν ἐν αὐτοῖς χρῆσιν καὶ ἐπικαρπίαν καὶ πληρεστάτην κατοχὴν, ὥστε δύνασθαι καὶ ἐφ' ἑτέρους μεταθεῖναι καὶ κληρονόμοις παραπέμπειν. Τῶν γὰρ Ἰταλικῶν ἀγρῶν ἦσαν οἰκεῖοι καὶ δεσπόται τὴν δεσποτείαν εἶχον. *Qui olim conceſſione populi vel Principis ſtipendiaria vel tributaria prædia habebant, domini non erant, nam dominium illorum erat aut apud populum aut apud Principem; ſed uſum & fructum eorum habebant, & pleniſſimam poſſeſſionem, ita ut & transferre poſſent in alios & ad heredes transmittere. Italicorum autem fundorum dominique domini dominium habebant.* Certe mancipatio, quam Latinis competiiſſe Not. (*u*) oſtendimus, nulla alia videtur eis ex cauſa competiiſſe, quam quod prædia ſoli Italici, tam fundi, quam domus, res mancipi erant, quarum alienatio per mancipationis ritum præcipue fieri ſolebat. Ulpianus *Fragment.* Tit. XIX. §. I. III.

(*x*) Docet hoc clare Appianus Lib. II. *de Bello Civil.* pag. 730. Πόλιν δὲ Νεόκωμον ὁ Καῖσαρ ἐς Λατίου δίκαιον ᾤκισεν ὑπὸ τὰς Ἄλπεις, ὧν ὅσοι κατ' ἔτος ἦρχον ἐγίγνοντο Ῥωμαίων πολῖται· τοῦτο γὰρ ἰσχύει τὸ Λάτιον. *Urbem vero Neocomum Cæſar Latii jure donatam in Alpibus condidit, in qua qui quotannis magiſtratum gerebant, civitatem Romanam acquirebant. hoc enim efficit jus Latii.*

(*y*) Mancipationis jus populos juris Italici habuiſſe ex eo poſſe concludi videtur, quod omnia Italiæ prædia res mancipi fuerant; quarum præcipua alienatio per mancipationem fiebat. Ulpianus *Fragment.* Tit. XIX. § I. III. Certe non Romanos tantum cives, ſed & Latinos juris illius participes, fuiſſe clare Not. (*u*) ex Ulpiano probavimus, eademque cauſa fuaſit, jus illud ad omnes juris Italici gentes transferre.

(*z*) De hac re jam ad Not. (*w*) ſatis egimus.

(*a*) Diſcedunt hic duas in partes magni nominis Viri, Carolus Sigonius, Ezechiel Spanhemius, & Jacobus Cujacius; duo priores, alter *de antiquo Italiæ jure* Lib. I. Cap. XXII. alter in *Orbe Romano* Lib. II. Cap. XIX. juris Italici populos non tantum à capitis ſed etiam à ſoli tributo; Cujacius contra *Obſervat.* Lib. X. Cap. XXXV. non à ſoli ſed a capitis tantum tributo, immunes fuiſſe, contendunt. Potior nobis videtur Cujacii ſententia: civitates etenim immunes à civitatibus Juris Italici aperte diſtingui videmus apud Plinium Lib. III. *Hiſt. natur.* Cap. III. & præſertim Cap. XI. ubi: “Jus Italicum habent Alutæ, Flanates, à quibus ſinus nominatur, Lopſi, Varuberini; immunesque Aſſeſſiates.” Cæſaream, Æliamque Capitolinam, Palæſtinæ urbes à capitis & ſoli tributo immunes, ſed non juris Italici fuiſſe ex *Tit. D. de Cenſibus* diſcimus, ubi Paulus Leg. VIII. §. VII. “D. Veſpaſianus Cæſarienſes colonos fecit, non adjecto ut & juris Italici eſſent, ſed tributum his remiſit capitis; ſed Divus Titus etiam ſolum immune factum interpretatus eſt. Similes eis Capitulenſes eſſe videntur.” Et Ulpianus Leg. I. §. VI. “In Palæſtina duæ fuerunt coloniæ & Cæſarienſis, & Ælia Capitolina, ſed neutra jus Italicum habet; nam Cæſaream, da qua Paulus, Cæſaream Palæſtinæ fuiſſe vel ex eo patet, quod Cæſarea Palæſtinæ Flavii Veſpaſiani colonia fuerat:” Plinius Lib. V. *Hiſtor. natur.* Cap. XIII. “Stratonis turris, eadem Cæſarea ab Herode Rege condita, nunc colonia prima Flavia à Veſpaſiano Imperatore deducta.”

§. XIX.

Leges Municipiorum.

II. Municipia claſſis ſecundæ, quorum civitas in Romanam civitatem tota tranſiverat, & quæ eodem plane jure cum Romanis civibus uſa eſſe oſtendimus, omnibus illis legibus ſe ſubjeciſſe dicenda ſunt, juxta quas olim Romæ ipſis illius civibus jus dici ſolebat. Parebant ergo XII. Tabularum Legibus, (*b*) aliisque quas populus Romanus olim in Comitiis tulerat; (*c*) quotquot ſcilicet ex eis, Roma ſub Imperatores redacta, adhuc in uſu erant: parebant Senatus Conſultis; quæ imperante Tiberio leges eſſe inceperant, comitiis à populo ad Senatum tranſlatis: (*d*) parebant Ædilium Prætorumque (*e*) edictis; quæ quum annuæ quondam leges fuiſſent, & à novis Prætoribus ſemper alia proponerentur, imperante Hadriano in unum corpus collecta ſunt, & legis perpetuæ robur acceperunt: (*f*) parebant Conſtitutionibus Imperatorum; qui pro ſupremo, quo potiti erant, imperio ſenſim ſibi etiam legum ferendarum poteſtatem arrogaverant: (*g*) parebant tandem etiam Juris-Conſultorum reſponſis; à quibus ne Judices in ſententiis ſuis diſcederent, ipſis Imperatorum fuit cautum (*h*) Decretis.

§. XX.

Variatio Legum.

III. Jus Præfecturarum, provinciarumque, quæ Romanis paruerant, tale ſemper erat, quale populis, ad hanc ſortem redactis, pro varia eorum indole, ſitu, moribus Romani quam maxime congruere exiſtimabant. Legibus illorum abolitis novum eis jus Romanos dediſſe jam dictum: quod vel ipſo Galliæ exemplo patet; quam Romanorum armis ſubactam novas ab Auguſto leges accepiſſe vidimus. His ſi quid adhuc pro cujusque populi neceſſitate deerat, novis Principum Reſcriptis, (*i*) vel Edictis etiam Magiſtratuum, ſuppleri ſolebat; qui ad Prætorum urbanorum exemplum in Præfecturis vel in Provinciis ſuis publice proponebant, quo jure tempore Magiſtratus ſui in dicendis ſententiis uti velint.

In Præfecturas enim quotannis certis quibusdam legibus miſſos eſſe præfectos, Festus nos docet. (*k*) Celebre quondam erat provinciale Edictum, à Præſidibus præſcriptum provinciis; quod ſub libera jam Republica in uſu fuerat, (*l*) & potius rerum Imperatoribus adhuc diu ſervatum. Hoc quum in plerisque Prætorium in Urbe Edictum ſequeretur, (*m*) ad ejus exemplum quoque, paulo poſt Hadriani tempora, imperante Marco Antonino, perpetuum factum eſt. Meminit certe Aristides in *Oratione* ſua, ad Imperatores Marcum & Verum habita, legum & juris cujusdam communis, nova ratione ab iis Impp. univerſo Romanorum imperio præſcripti, (*n*) & memorantur jam in *Indice*, Justiniani *Digeſtis* præfixo, Caji Juriſconſulti, qui illis tempo-

(*b*) Pomponius Leg. II. D. *de Origine Juris* §. II.

(*c*) Justinianus *Inſtit. de Jure Natur.* §. IV.

(*d*) Tacitus *Annal.* Lib. I. Cap. XV. Pomponius Leg. II. D. *de Origine Juris* §. IX.

(*e*) Justinian. *Inſtit. de Jure Natur.* §. VII. Pomponius Leg. II. *de Origine Juris* §. X.

(*f*) Leg. II. *Cod. de Veteri Jure enucleando* §. XVIII. Conditor edicti perpetui fuit Salvius Julianus, qui ſub Hadriano vixit. Leg. II. *Cod.* ibid. Leg. II. *D. de Origine Juris* §. XLVII.

(*g*) Ulpianus Leg. I. *D. de Conſtitut. Principum.*

(*h*) Ulpianus Leg. II. *D. de Origine Juris* §. XLVII. Justinian. *Inſtitut. de Jure Natur.* §. VIII.

(*i*) Sic Imp. Hadriani ad Præſides Galliarum reſcripta reperimus paſſim in Justiniani *Digeſtis*; ad Bitraſium Pollionem, Galliæ Lugdunenſis præſidem Leg. XV. §. XVII. *de Excuſat. Tutorum*; ad Salvium Aquitaniæ præſidem Leg. XII *de Cuſtod. & exhibitione reorum*; ad Præſides Galliarum in genere Leg. IV. §. I. *de Publican.*

(*k*) Vide locum ex Festo ſupra pag. 286. Not. (*s*) citatum.

(*l*) Cicero in *Epiſtol.* VIII. *ad Familiar.* Lib. III.

(*m*) Docet id Cicero, Ciliciæ Pro-Conſul, *Epiſtol.* I. *ad Atticum* Lib. VI. "Breve autem edictum eſt " propter hanc meam διαίρεσιν, quod duobus gene" ribus edicendum putavi: quorum unum eſt provin" ciale, in quo eſt de rationibus civitatum, de ære " alieno, - - alterum, quod ſine edicto ſatis com" mode tranſigi non poteſt, de hæreditatum poſſeſ" ſionibus; - - tertium de reliquo jure dicendo " ἄγραφον reliqui: dixi me de eo genere mea decreta " ad edicta urbana accommodaturum.

(*n*) Ita enim ille verſus finem Orationis pag. 390. edit. Stephan. Καὶ πολιτείας γε εὕρετε, ἣν οὔπω πρόσθεν οὐδείς. καὶ θεσμοὺς καὶ τάξεις ἀσφαλεῖς ἅπασιν ἐπεστήσατε. *Rationem adminiſtrandæ Reipublicæ inveniſtis, qualem nemo unquam ante vos, & jura legesque inviolabiles omnibus conſtituiſtis.* Et iterum pag. 395. Οὐδέ γε οἷόν τε νῦν περιηγεῖσθαι γῆς γράφειν, οὐδ' εἰ ἑκάστοις χρῶνται νόμοις ἀπαριθμεῖν· ἀλλ' ὑμεῖς ἅπασι περιηγηταὶ κοινοὶ γεγόνατε, ἀναπετάσαντες ἁπάσας τῆς οἰκουμένης τὰς πύλας, - - νόμους τε κοινοὺς ἅπασι τάξαντες: *Nulla nunc terræ deſcriptione opus eſt; nec, quibus ſinguli legibus utuntur, recenſere quicquam attinet, poſtquam Vos communes omnium orbis deſcriptores extitiſtis, totiusque terræ portas aperuiſtis, - - leges etiam omnibus communes conſtituiſtis.*

temporibus vixit, (o) βιβλία λβ. Libri XXXII. quibus in provinciale Edictum commentatus eſt. Superſunt adhuc ex illis fragmenta, per totas JUSTINIANI *Pandectas* ſparſa, quæ, ſi cum fragmentis Edicti Prætorii conferuntur, ſatis demonſtrant, Edictum perpetuum Prætoris & provinciale Edictum non multum à ſe invicem diverſa fuiſſe.

§. XXI.

Coloniarum jura.

Dicendum nobis adhuc eſſet de coloniis Romanorum, ſi illis in Romana Republica propria & certa quædam jura competiiſſent, quæ ad claſſes illas, quas modo expoſuimus, nulla ratione poſſent referri. Non fuerunt illæ Civitates, quæ extrinſecus in populi Romani poteſtatem venerant, nec, ut AULUS GELLIUS loquitur, (p) " ſuis radicibus nitebantur, ſed & civitate quaſi propagatæ erant, & jura inſtitutaque „ omnia populi Romani, non ſui arbitrii, habebant. „ Illis ergo Romani, prout bonum videbatur, vel jura Civitatis Romanæ, vel jura Latii, vel ipſa etiam Italiæ jura, concedebant. Hinc coloniæ Civium Romanorum, coloniæ Latinæ, coloniæ Italicæ, interdum in Scriptoribus antiquis occurrunt; omnes inter ſe tantum diverſæ, quantum ipſum Civitatis, Latii & Italiæ, jus differre inter ſe paulo ante oſtendimus. Colonias Latinas à Coloniis civium Romanorum clare diſtinguit LIVIUS, (q) ubi de colonia Aquilejam deducenda: " Illud agitabant, uti colonia Aquileja deduceretur: nec ſatis conſtabat, „ utrum Latinam, an civium Romanorum deduci placeret: poſtremo Latinam potius „ coloniam deducendam patres cenſuerunt. „ De coloniis Italicis multam mentionem faciunt ULPIANUS & PAULUS; (r) & ſupra jam de iis actum eſt, quum Lugdunum & Rauricum colonias Italicas fuiſſe probavimus. (s)

§. XXII.

Alſatiæ jura.

Alſatia, quum Romanum ſubiret imperium, una cum reliqua Gallia, uti jam oſtenſum, Romanorum provincia facta eſt. Præſides & Procuratores, jam ab Auguſti temporibus Roma in eam miſſi, id ſatis confirmant. His jus non ex ſuis, ſed ex Romanis legibus, ab Auguſto jam An. Urb. Cond. DCCXXVII. præſcriptis, (t) ex Conſtitutionibus & Reſcriptis Imperatorum, ex provinciali denique Edicto, pro communi provinciarum ſorte, dictum eſt; nec in ea municipiorum, Civitatumque vel Latinitate, vel Italico jure, donatarum, ſi Rauricam excipias coloniam, certum ullibi veſtigium reperimus. Senſim tamen uni vel alteri Alſatiæ incolæ, prout inter cæteros claruerat, vel de Romana Republica meritus eſſe potuerat, jura Civitatis Romanæ conceſſa; donec propagatis magis magisque per imperium Romanum Civitatis bujus finibus, omnes tandem Civium Romanorum jura adipiſcerentur. De ipſo Auguſto, qui SUETONIO teſte, (u) Romanam Civitatem parciſſime dederat, & in ultimis mandatis Tiberium cavere juſſerat, ne multos Civitate donaret, (x) DIO ſcribit, quod in Galliis Germaniisque libertatem, civitatemque quibusdam dederit, quibusdam ademerit; manifeſto indicio, illum jam in partibus, ubi Alſatia ſita eſt, Romanæ Civitatis jura diſtribuiſſe: ita enim ille ad An. Urb. Cond. DCCXL. (y) " Auguſtus quum omnia „ in Galliis, in Germaniis, & in Hiſpaniis, quæ opus erant, ordinaſſet, multis hinc „ inde ſumtibus factis, alibi contra magna vi pecuniæ accepta, libertateque & civitate „ aliis data, aliis adempta, Druſum in Germania reliquit, ipſe Romam reverſus eſt Tiberio & Quintilio Varo Coſſ. „ Imperante Tiberio idem quandoque factum eſſe, TACITUS (z) nos docet, dum apud Æduos Sacrovirum, inter Treveros Florum, ob nobilitatem ſtirpis Civitatis Romanæ jura accepiſſe refert. " Eodem anno, (ſc. Tiberio IV. & „ Druſo II. Coſſ.) Galliarum Civitates ob magnitudinem æris alieni rebellionem cœptavere: „ cujus extimulator acerrimus inter Treveros Julius Florus, apud Æduos Julius „ Sacrovir. Nobilitas ambobus & majorum bona facta, eoque Romana Civitas olim data, „ cum id rarum, nec niſi virtuti pretium eſſet.

 §. XXIII.

(o) CAPITOLINUS in *Vita Antonini Pii* Cap. XII. & Leg. LIV. *D. de Condition. & Demonſtrat.*

(p) *Noct. Atticar.* Lib. XVI. Cap. XXXVI.

(q) Lib. XXXIX. Cap. LV.

(r) Leg. I. & VIII. *D. de Cenſibus.*

(s) Lib. II. Sect. II. pag. 160. ſq.

(t) DIO CASSIUS Lib. LIII. pag. 526. Vide ſupra §. I. pag. 268.

(u) In *Vita Auguſti* Cap. XL.

(x) DIO Lib. LVI. pag. 591.

(y) Lib. LIV. pag. 538. Ὁ γοῦν Αὔγουστος, ἐπειδὴ πάντα τά τε ἐν ταῖς Γαλατίαις, καὶ τὰ ἐν ταῖς Γερμανίαις, ταῖς τε Ἰβηρίαις, πολλὰ μὲν ἀναλώσας ἐς ἑκάστους, πολλὰ δὲ καὶ παρ' ἑτέρων λαβὼν, τήν τε ἐλευθερίαν καὶ τὴν πολιτείαν τοῖς μὲν δοὺς, τοὺς δ' ἀφελόμενος, διῳκήσατο· τὸν μὲν Δροῦσον ἐν τῇ Γερμανίᾳ κατέλιπεν, αὐτὸς δὲ ἐς τὴν Ῥώμην ἐπί τε τοῦ Τιβερίου καὶ ἐπὶ Κυιντιλίου Οὐάρου ὑπάτων ἀνεκομίσθη.

(z) *Annal.* Lib. III. Cap. XL.

§. XXIII.

Civitatis jus.

Liberaliores adhuc in conferendo illo jure ſequentes Imperatores fuerunt; certiſque conſtat teſtimoniis, imperante Claudio, ſub quo jus Civitatis venale factum, (a) jam quicquid per Galliam Comatam eminebat, jure Civitatis donatum fuiſſe; eoque progreſſus eſt Claudius, ut novis his municipibus etiam jus honorum in Urbe gerendorum à Senatu peteret, quum, quod ſupra jam (b) vidimus, ordinarie municipes ab illis honoribus antiqua conſuetudine excluſi eſſent. Clare Tacitus: (c) "A. Vitellio, „ L. Vipſanio Coſſ. quum de ſupplendo Senatu agitaretur, Primoreſque Galliæ, quæ „ Comata appellatur, fœdera & Civitatem Romanam pridem aſſecuti, jus adipiſcen„ dorum in Urbe honorum expeterent, multus ea ſuper re variuſque rumor, & ſtudiis „ diverſis apud Principem certabatur. „ Extat adhuc Claudii de ea re ad Senatum Romanum Oratio, tabulis æneis inciſa & Lugduni ſervata, qua Galliæ cauſam fortiter agit, (d) & ad Coloniæ Lugdunenſis exemplum provocat, ut eo facilius reliquis quoque Gallis idem impetraret; ita enim ibi: (e) "Sed ne provinciales quidem, ſi „ modo ornare Curiam poterint, rejiciendos puto. Ornatiſſima ecce colonia valentiſ„ ſimaque Viennenſium, quam longo jam tempore Senatores huic curiæ confert; ex „ qua colonia inter paucos equeſtris ordinis ornamentum L. Veſtinum familiariſſime „ diligo, & hodieque in rebus meis detineo, cujus liberi fruantur quæſo primo ſacer„ dotiorum gradu, poſt modo cum annis promoturi dignitatis ſuæ incrementa. - - Sed „ deſtricte jam Comatæ Galliæ cauſa agenda eſt: in qua ſi quis hoc intuetur, quod bello „ per decem annos exercuerunt Divum Julium, idem opponat centum annorum „ immobilem fidem obſequiumque, multis trepidis rebus noſtris, plus quam expertum, „ illi patri meo Druſo, Germaniam ſubigenti, tutam quiete ſua ſecuramque a tergo „ pacem præſtiterunt.

§. XXIV.

Claudii Imp. Conſilium.

Nihil tum tamen ea Imperatoris oratione, niſi pro Æduis, impetratum eſt. (f) Quanquam id certum, non ſubſtitiſſe in ea re Claudium, ſed de omnibus Gallis civitate donandis conſilia jam cepiſſe. Meminit de ea re Seneca: (g) "Quid „ ergo, ſi Princeps Civitatem dederit omnibus Gallis, - - nihil hoc nomine ſinguli „ debebunt? - - Primum cum cogitavit Gallis omnibus prodeſſe, & mihi cogitavit „ prodeſſe; eram enim Gallus, & me, etiamſi non mea, publica tamen nota compre„ hendit. „ Non tamen illa in effectum deducta ſunt; (h) mortem enim in his conſiliis Claudium præveniſſe ipſe docet Seneca in *Claudii* Ἀποκολοκυντώσει his verbis: "Sed Clotho, Ego mehercule, inquit, puſillum temporis adjicere illi volebam, dum „ hos pauculos, qui ſuperſunt, civitate donaret. Conſtituerat enim omnes Græcos, „ Gallos, Hiſpanos, Britannos - - - togatos videre; ſed quoniam placet aliquos peregrinos „ in ſemen relinqui, & tu ita jubes fieri, fiat. „ Et Tacitus (i) Imperatorem Galbam demum partes illas Galliæ, quæ Vindici contra Neronem adhæſerant, Romana Civitate donaſſe, ſcribit. Galliæ Lugdunenſi ergo, &, quæ pars ejus fuerat, ſuperiori Alſatiæ, ante Galbæ imperium nondum civitas erat data. Vindicem enim, quum contra Neronem inſurgeret, præſidem ejus fuiſſe, & Veſontione pro arce & receptaculo eſſe uſum, ſupra (l) oſtendimus: quapropter urbi illi terriſque vicinis in præmium rebellionis jus Civitatis conceſſum eſt. Hoc indicare etiam nummum, à Goltzio in *Theſauro Rei Antiquariæ* productum, cum Inſcriptione MVN. VISONTIVM, exiſtimat Chifletius, (m) ſed nummi hujus fides pridem ſuſpecta eſt. Dubium tamen adhuc, an illa Galbæ liberalitas etiam ad ſuperiorem noſtram Alſatiam, licet ſub Lugdunenſi alias

(a) Dio Cassius Lib. LX. pag. 676. Lucas in *Actis Apoſtol.* Cap. XXII. verſu 28.

(b) Pag. 287. Not. (d)

(c) *Annal.* Lib. XI. Cap. XXIII.

(d) Contenta orationis Claudii ad Senatum de hac re exhibet quoque Tacitus *Annal.* Lib. XI. Cap. XXIV.

(e) Producit orationem Claudii ex tabulis accurate expreſſam Dominicus de Colonia in libello, quod inſcripſit, *Antiquitez de la Ville de Lyon.* pag. 13. ſqq.

(f) Tacitus *Annal.* Lib. XI. Cap. XXV.

(g) *De Beneficiis* Lib. VI. Cap. XIX.

(h) Fallitur ergo Lipsius in *Notis* ad hunc Senecæ locum, dum probare ex eo vult, Galliam Comatam omnem jure Civitatis a Claudio donatam fuiſſe.

(i) *Hiſtor.* Lib. I. Cap. VIII.

(l) Pag. 279. Not. (o)

(m) *Veſont.* Part. I. Cap. XXVIII.

POLITICA.

alias Gallia comprehenſam, pertinuerit: civitates enim, quæ Germaniis erant propinquæ, Vindicem non ſecutas, mulctatasque idcirco à Galba fuiſſe, Tacitus (n) docet: " Galliæ, ſuper memoriam Vindicis, obligatæ recenti dono Romanæ Civitatis, & in „ poſterum tributi levamento. Proximæ tamen Germanis exercitibus Galliarum „ Civitates non eodem honore habitæ; quædam etiam finibus ademptis pari dolore „ commoda aliena ac ſuas injurias metiebantur. Germanici exercitus, - - ſoliciti & „ irati ſuperbia recentis victoriæ & metu, tanquam alias partes foviſſent. Tarde à „ Nerone deſciverant; nec ſtatim pro Galba Verginius: „ & iterum: (o) " Tum „ adverſus Vindicem contractæ Legiones, ſeque & Gallias expertæ quærere rurſus arma, „ novasque diſcordias. - - Nec deerat pars Galliarum, quæ Rhenum accolit, easdem „ partes ſecuta, ac tum acerrima inſtigatrix adverſus Galbianos: hoc enim nomen „ faſtidito Vindice indiderant. „ Nec improbabile, Verginium Rufum, qui ſuperiorem Germaniam rexerat, à Nerone contra Vindicem miſſum, (p) nutantibus cæteris, vicinos Provinciæ ſuæ Gallos in obſeqoio continuiſſe.

§. XXV.

Jus Civitatis toti imperio datum.

Quicquid tamen ſit; illud certum eſt, imperante Antonino Caracalla non unam amplius vel alteram urbem, non quosdam tantum Alſatiæ tractus, ſed omnem, qua patet, ſuperiorem non modo, ſed & inferiorem Alſatiam, Romanæ Civitati adſcriptam fuiſſe; Imperatore illo per ſolennem Conſtitutionem omnes Romani imperii incolas jure Civitatis donante: ita enim teſtis ejus rei fere æquævus Dio Cassius; (q) " Antoninus Caracalla, (inquit) omnes qui ſub imperio ſuo erant, cives Romanos „ fecit. „ Tum demum in Alſatia, prout in cæteris Romani imperii partibus, omne inter Romanos Cives & peregrinos diſcrimen ſublatum eſt; abolitum in ea Provinciale Edictum; omnes Romanis legibus, privilegiisque iisdem, quæ in Urbe, quæ in Latio, quæ in Italia, vigebant, indiſtincte ſunt uſi, quaſi tota provincia in ipſam Romanam urbem fuiſſet translata. Hinc Gregorius Thaumaturgus in *Origenis Panegyrico*: (r) " Admirandæ ſapientum noſtrorum leges, quibus omnium nunc, qui Romano „ parent imperio, hominum negotia reguntur; „ & Julianus in *Oratione* I. ad Conſtantium de Conſtantini patria locutus; (s) " Quæ cæterarum principatum atque imperium „ tenet Civitas, cum mater tua ſit & nutrix - - eum ſibi honorem præcipue vindicat, „ nec ea tantum affert ad cauſam ſuam, quæ in omnibus Imperatoribus uſurpare „ ſolet; ſcilicet, quod etſi aliunde ſint orti, tamen quod omnes jam ad Civitatem „ ſint adſcripti; quodque editis illinc moribus legibusque utantur, pro civibus ſint „ habendi.

LEGIONES RHENENSIS ORÆ CUSTODES.

§. XXVI.

Legio Romana.

PRæſidibus provinciarum Cæſareis præter jurisdictionem in provincia imperium etiam militare competebat: hinc poſt leges, ex quibus jus olim dictum eſt Alſatiæ noſtræ, de militibus adhuc dicendum eſt, qui eam tam ab inteſtinis turbis, quam ab ingruente hoſtium impetu, defenderunt. Romani omnem ſuam militiam in legiones & auxilia (t) diſtribuebant. Legiones ſingulæ ex decem cohortibus erant compoſitæ, quarum prima pedites mille centum quinque, equites loricatos centum triginta duos; reliquæ novem equites LXVI. pedites DLV. ſingulæ comprehendebant, (u) eæque, ante datam à Caracalla univerſo Imperio Civitatem, præcipue ex civibus Romanis conſcribi ſolebant.

(n) *Hiſtor.* Lib. I. Cap. VIII.

(o) Cap. LI.

(p) Xiphilin. pag. 195. & 241. edit. Steph. Vide ſupra pag. 279. Not. (o) ſq.

(q) In *Excerptis* Constantini Porphyrogenneti *Valeſianis* pag. 745. Ὁ Ἀντωνῖνος . . . Ῥωμαίους πάντας τοὺς ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ - - ἀπέδειξεν.

(r) Pag. 49. Οἱ θαυμαστοὶ ἡμῶν τῶν σοφῶν νόμοι, οἷς νῦν τὰ πάντων τῶν ὑπὸ Ῥωμαίων ἀρχὴν ἀνθρώπων κατευθύνεται πράγματα.

(s) Καὶ ἡ μὲν βασιλεύουσα τῶν ἁπάντων πόλις μήτηρ οὖσά σοι καὶ τροφὸς - - ἀξιοῖ αὐτῆς φησιν εἶναι τὸ γέρας ὡς τοῖς κοινοῖς ἐφ' ἁπάντων τῶν αὐτοκρατόρων δικαίοις χρωμένη. Λέγω δέ, ὅτι καὶ εἰ ἄλλοθεν τυγχάνουσι, τῷ μετέχειν ἅπαντας εἰς τὸ πολίτευμα, καὶ τοῖς ἐκεῖθεν ἤθεσι καταδεχθεῖσιν ἰδέᾳ καὶ νόμοις χρῆσθαι, πολῖται γεγόνασι.

(t) Tacitus *Annal.* Lib. IV. Cap. V. Dio Cassius Lib. LV. pag. 646. ſq. Edit. Steph. Suetonius in *Vita Auguſti* Cap. XLIX. " Ex militaribus copiis „ legiones & auxilia provinciatim diſtribuit; „ Vegetius Lib. II. Cap. I. " Ipſi pedites in duas diviſi „ ſunt partes, hoc eſt, in auxilia & legiones.

(u) Vegetius Lib. II. Cap. II.

POLITICA.

ſolebant. (*w*) Auxiliorum contra tam certa militiæ ordinatio non erat; & ex variis gentibus, ſitu, moribus, diſciplina diverſis, colligebantur. (*x*) Ut par eſſet tanto imperio robur, milites omni munerum militarium genere perpetuo exercitati; (*y*) nec ante ſtipendia vicena facta juſtam miſſionem impetrare poterant (*z*) Temporibus Auguſti primorumque Imperatorum univerſum Romanorum imperium viginti quinque Legionibus & innumeris auxiliorum copiis continebatur; (*a*) poſtea numerus Legionum auctus, & Alexandro Severo regnante DIO CASSIUS earum jam triginta duas recenſet. (*b*)

§. XXVII.

Legiones in Alſatia.

Pars Legionum ſemper Galliæ data eſt, ut primum à motibus civium recens victorum, poſt etiam à Germanis hoſtibus perpetuo eam tentantibus, fortiter defenderetur. Cæſar primus Galliarum victor decem eas Legionibus ſubegit; (*c*) ad victas ſubactasque autem in obſequio continendas octo Auguſtus ſufficere arbitratus eſt: nec hæ per Aquitaniam, per Galliam Belgicam, vel etiam per Lugdunenſem, Rhenum tantum à Sequanis tangentem, ſed præcipue per Superiorem Inferioremque Germanias, hoſtibus potiſſimum expoſitas, collocatæ ſunt. (*d*) Hinc rara admodum Legionum in Gallia extra ſuperiorem inferioremque Germanias mentio, niſi quod TACITUS (*e*) Tiberio IV. Druſo II. Coſſ. Acilium Aviolam Lugdunenſis Galliæ Præſidem Andegavos, Turoniosque rebelles cohorte, quæ Lugduni præſidium agitaverat, (*f*) coercuiſſe ſcribit; miſſis tamen ei etiam ex Inferiore Germania per Viſellium Varronem legionariis militibus; & alibi (*g*) Junium Blæſum, Lugdunenſis Galliæ Rectorem, cum Italica Legione & ala Taurina Lugduni tendentibus, acceſſiſſe refert partibus Vitellii ſummæ rerum potituri: quapropter etiam Agrippa Minor Galilææ Rex in oratione ad Judæos omnes Gallias mille & ducentis tantum militibus, Germanias octo Legionibus, in officio contineri dicit: ita enim ille apud JOSEPHUM: (*h*) " Si quos magnæ cauſæ ad „ defectionem incitare deberent, Gallos potiſſimum oporteret inſurgere, quos videlicet „ tantis munimentis natura cinxiſſet, ab oriente Alpibus, à ſeptentrione Rheno fluvio, „ à meridie Pyrenæis montibus, ab occidente Oceano, ſed tali munitione circumdati, „ trecentis & quindecim gentibus numeroſi, - - ſub mille & ducentis militibus ſerviunt; „ quibus plures pene urbes tenent. - - Quis veſtrum non audivit aliquid de „ Germanorum gente? - - Illi ampliſſimi tractus incolæ, qui ſpiritus majores corporibus ſuis gerunt, - - animosque feriſſimis beſtiis acerbiores, Rhenum nunc „ impetus ſui limitem habent; & octo Romanorum legionibus domantur; ſerviuntque, „ qui ſunt in poteſtatem redacti: cæteri fuga ſalutem quærunt.

§. XXVIII.

(*w*) VEGETIUS Lib. II Cap. I. " Auxilia à ſociis „ vel fœderatis gentibus mittebantur. Romana autem virtus præcipue in legionum ordinatione præ„ pollet. „ Non tamen tantum Romani cives ſub Imperatoribus, ſed peregrini etiam, in legiones videntur eſſe conſcripti. Certe Cæſarem jam totam legionem ex Trans-Alpinis Gallis conſcripſiſſe, poſtea demum civitate donatam, teſtis eſt SUETONIUS in *Vita Cæſaris* Cap. XXIV. Et inter prætorianos, quæ præcipua apud Romanos militia erat, teſte TACITO *Annal.* Lib I. Cap. XVII. temporibus Auguſti jam Gallos & Germanos meruiſſe, & ab Imp. Severo jam ex omnibus nationibus homines in eam militiam eſſe conſcriptos, teſtantur TACITUS *Annal.* Lib. I. Cap. XXIV. SUETONIUS in *Vita Galbæ* Cap. XII. DIO CASSIUS Lib. LVI. pag. 585. XIPHILINUS pag. 310. *Excerpta* CONSTANTINI *ex* DIONE pag. 733.

(*x*) FESTUS voce *Auxiliares*: " Auxiliares dicun„ tur in bello ſocii Romanorum exterarum natio„ num: „ & VEGETIUS Lib. II. Cap. II. " Quid au„ tem inter legiones & auxilia intereſſe videatur, „ paucis expediam. Auxiliares conducuntur ad præ„ lium ex diverſis locis, ex diverſis numeris, venien„ tes: nec diſciplina inter ſe, nec notitia, nec affe„ ctione, conſentiunt. Alia inſtituta, alius inter eos „ uſus eſt armorum.

(*y*) VEGETIUS Lib. cit. Cap. XXIII.

(*z*) TACITUS *Annal.* Lib. I. Cap. XVII. DIO CASSIUS Lib. LV. pag. 563. 604. 606.

(*a*) TACITUS *Annal.* Lib. IV. Cap. V. DIO CASSIUS Lib. LV. pag. 565.

(*b*) Ibid. pag. 646. ſq. Edit. Steph.

(*c*) HIRTIUS PANSA Lib. VIII. de *Bello Gall.* Cap. LIV.

(*d*) TACITUS *Annal.* Lib. I. Cap. XXXI. XXXVII. Lib. IV. Cap. V.

(*e*) *Annal.* Lib. III. Cap. XLI.

(*f*) Conf. TACITUS *Hiſtor.* Lib. I. Cap. LXIV.

(*g*) *Hiſtor.* Lib. I. Cap. LIX.

(*h*) *Bello Jud.* Lib. II. Cap. XVI. Ἀλλὰ μὲν εἴγε τισὶν εἰς ἀπόστασιν [illegible] ἀφορμὰς μεγάλας παρέξοντα μάλιστα Γαλάτας ἔχειν, τοὺς οὕτως ὑπὸ τῆς φύσεως τετειχισμένους ἐξ ἀνατολῆς μὲν ταῖς Ἄλπεσι, πρὸς ἄρκτῳ δὲ Ῥήνῳ ποταμῷ, μεσημβρινοῖς δὲ τοῖς Πυρηναίοις ὀρέων, ὠκεανῷ δὲ πρὸς δυσμαῖς. Ἀλλὰ καίτοι τηλικαῦτα μὲν ἔρυμα προβεβλημένοι, πέντε δὲ καὶ τριακοσίοις πληθύνοντες ἔθνεσι - - ὑπὸ χιλίοις καὶ διακοσίοις στρατιώταις δουλεύουσιν, ὧν ὀλίγου δεῖν πλείους ἔχουσι πόλεις. - - Τίς ὑμῶν οὐκ ἀκοῇ παρείληφε τὸ Γερμανῶν πλῆθος; - - Ἀλλ' οὗτοι γῆς μὲν ἀπέραντον νεμόμενοι, μείζω δὲ τῶν σωμάτων ἔχοντες τὰ φρονήματα - - τοὺς δὲ θυμοὺς τῶν ἀγριωτάτων θηρίων σφοδροτέρους, Ῥῆνον τῆς ὁρμῆς ὅρον ἔχουσι, καὶ Ῥωμαίων ὀκτὼ τάγμασιν ἡμερούμενοι δουλεύουσι μὲν ἁλόντες. Τὸ δ' ὅλον αὐτῶν ἔθνος φυγῇ διασώζεται.

§. XXVIII.

Itaque in exponendo militari Alſatiæ ſtatu non erit nobis ſermo de ſuperiore Alſatia, utpote quæ pars erat Lugdunenſis Galliæ, manu militari parum inſtructæ; ſed vertenda erit omnis oratio ad Inferiorem Alſatiam, ſub Germania ſuperiore conſtitutam, & à primis Cæſarum temporibus ſemper Legionibus munitam. Auguſto igitur Tiberioque imperantibus quatuor Legiones ſuperioris Germaniæ præſidium compoſuiſſe deprehendimus; ſecundam nimirum, (non ut PANCIROLLUS putat, (*i*) undecimam) decimam tertiam, decimam quartam, decimam ſextam. Auctor nobis ejus rei TACITUS eſt: (*l*) "Germanicus, (ait) ſuperiorem ad exercitum profectus, ſecundam „ & tertiam decumam & ſextam decumam Legiones, nihil cunctatas, ſacramento adigit; „ Quartadecumani paulum dubitaverant. „ Legio ſecunda cognomen Auguſtæ; decima tertia & decima quarta Legiones Gemellarum, illa Piæ Fidelis, hæc Martiæ Victricis, nomen geſſerunt; teſtibus DIONE CASSIO (*m*) & monumentis antiquis. (*n*) Inferioris Alſatiæ Legiones.

Mutata tamen eſt ſub ſequentibus Imperatoribus hæc per Superiorem Germaniam militiæ ratio: nec eædem dein Legiones in ea, nec idem etiam Legionum numerus reperitur. Legio ſecunda Auguſta ab Imperatore Claudio, Britanniæ victure, in Superiorem Britanniam tranſmiſſa eſt. Eam certe imperante jam Nerone, Cæſonio Pæto & Petronio Turpiliano Coſſ. in Britannia fuiſſe TACITUS docet. (*o*) PTOLEMÆUS illam ſuis temporibus in Domnoniis eſſe dicit: (*p*) ubi Dionis Caſſii ævo adhuc caſtra ſua habuiſſe ipſe innuit DIO: (*q*) "Secunda legio, (inquit) Auguſta, in ſuperiore „ Britannia caſtra habens. „ Legio XIII. jam ante tempora Othonis in Pannoniam (*r*) traducta eſt, partes Othonis dein contra Vitellium ſecuta: hinc in Italia victa, (*s*) & in Pannoniam remiſſa eſt; (*t*) poſtea in Daciam à Trajano forſan, ejus victore, tranſlata, ubi DIONIS CASSII temporibus hæſit. (*u*) Legio XIV. ipſa etiam à Claudio in Britanniam ducta eſt; rebelleſque ejus incolas dein, imperante Nerone, compreſſit: (*x*) poſtea ab eodem Nerone in Dalmatiam miſſa, (*y*) in auxilium inde Othonis venit contra Vitellium. Ab hoc ſuperata, & in Britanniam iterum tranſvecta eſt: (*z*) ſub Veſpaſiano in Superiorem noſtram Germaniam rediit; (*a*) & ex ea tandem in Pannoniam Superiorem tranſlata; ubi PTOLEMÆI (*b*) & DIONIS CASSII (*c*) adhuc temporibus ſedit. Seculo III. tendebat in Civitate Aurelia Aquenſis ſive Badæ, hodie Oppido Marchico; quod marmor, infra à nobis producendum, demonſtrat. Eodem tempore ibidem Præſidium tenuit Cohors XXVI. uti ex alio monumento patebit. Legio XVI. ex ſuperiore Germania in Inferiorem (*d*) deducta eſt: hinc Vitellium Imperatorem in Italiam ſecuta; (*e*) victa à Veſpaſiani exercitu per Illyricum deinceps diſperſa, & tandem plane ſublata eſt: certe DIONIS CASSII temporibus non ſupererat amplius, (*f*) nec in PTOLEMÆO etiam aliquod ejus veſtigium extat.

§. XXIX.

In Legionum harum ſtationes quarta Scythica ſive Macedonica, (*g*) decima octava, & vigeſima prima *Rapax*, (*h*) ſucceſſit: imperante quippe Galba illas in ſuperiore Germania caſtra habuiſſe TACITUS memorat. (*i*) Sed nec has quidem diu in ea provincia ſubſtitiſſe deprehendimus. Legio IV. paulo ante ex Oriente redux, (*l*) Mutatio Legionum.

 in

(*i*) In *Notis ad Notitiam Imperii Occidentis* pag. 140.

(*l*) *Annal.* Lib. I. Cap. XXXVII.

(*m*) Lib. LV. pag. 564.

(*n*) Ita ſcilicet vetus fragmentum de Legione XIII. quod apud Gentilem Delphinium Romæ reperiri tradit ONUPHRIUS PANVINIUS in *Commentariis Reipubl. Romanæ* Lib. III. pag. 389.

LEG. LEG. XIII. G. P. F. LEG. LEG . . .

Et de Legione XIV. idem Fragmentum

LEG. LEG. XIIII. GEM
MARTIAE. VICTRICIS
SACERDOTI. TITIALI.

(*o*) *Annal.* Lib. XIV. Cap. XXIX. XXXVII.

(*p*) Lib. II. *Geogr.* Cap. III.

(*q*) Lib. LV. pag. 564. *Τό, τὸ δεύτερον (στρατόπεδον) τὸ Αὐγούστειον, τὸ ἐν Βρεττανίᾳ τῇ ἄνω χειμάζον.*

(*r*) TACITUS *Hiſtor.* Lib. II. Cap. XI.

(*s*) Idem *Hiſtor.* Lib. II. Cap. XXIV. XLIII.

(*t*) Idem *Hiſtor.* Lib. II. Cap. LXXXVI.

(*u*) DIO Lib. LV. pag. 564. Edit. Wechel.

(*x*) TACITUS *Annal.* Lib. XIV. Cap. XXXVII.

(*y*) Idem *Hiſtor.* Lib. II. Cap. XI. LXXXVI.

(*z*) Idem *Hiſtor.* Lib. II. Cap. XLIII. LXVI.

(*a*) TACITUS *Hiſtor.* Lib. V. Cap. XIX.

(*b*) PTOLEMÆUS *Geogr.* Lib. II. Cap. XV.

(*c*) DIO Lib. LV. pag. 564.

(*d*) TACITUS *Hiſtor.* Lib. I. Cap. LV.

(*e*) Idem *Hiſtor.* Lib. III. Cap. XXII.

(*f*) DIO Lib. LV. pag. 564. ſq.

(*g*) Scythica appellatur à DIONE CASSIO loco cit. Macedonica à TACITO *Hiſtor.* Lib. III. Cap. XXII.

(*h*) Ita vocatam eſſe Legionem XXI. TACITUS teſtatur *Hiſtor.* Lib. II. Cap. XLIII.

(*i*) *Hiſtor.* Lib. I. Cap. LV. LXI.

(*l*) In Armeniam imperante Nerone migravit, duce Ceſennio Pæto, teſte TACITO *Annal.* Lib. XV. Cap. VI. VII.

in Italiam dein cum Vitellio migravit; ibique Veſpaſiano ſuccubuit, & ab illo in Illyricum miſſa eſt. (*m*) Poſtea in Narbonenſem Galliam venit, ubi Marco Antonino imperante Severus ei Legatus præfuit: (*n*) tandem in Syriam deducta, ubi Dionis Cassii temporibus fuit. (*o*) Legio XVIII. imperante Veſpaſiano, adhuc in ſuperiore Germania morabatur; (*p*) Dionis tamen ævo jam plane fuit ſublata. (*q*) Legio XXI. Auguſto & Tiberio regnantibus, in Germania Inferiore erat collocata: (*r*) poſt in ſuperiorem translata, Vitellium Imperatorem in Italiam ſecuta eſt; (*s*) à Veſpaſiano dein Cereali, Germaniarum Præſidi, in auxilium contra Civilem eſt miſſa: (*t*) tandem eandem cum quarta & decima ſexta Legionibus ſortem experta eſt, Dioniſque ævo non amplius ſupererat. (*u*) Circa eadem tempora, & ante Veſpaſianum adhuc, Legionem quoque XX. Victricem in Germania ſuperiore reperimus: transmiſſa eſt illa ex hac provincia in Britanniam, teſte Dione; (*x*) ubi in Cornaviis fuiſſe poſitam, Ptolemæus nos docet. (*y*)

§. XXX.

Legio XXII.

Marco Antonino regnante Legio XXII. in Germania ſuperiore deprehenditur; Legio multis agnominibus clara: *Primigenia* enim, *Pia*, *Fidelis*, *Antoniniana*, *Severiana*, paſſim in monumentis vocatur. Reperta ſunt ejus veſtigia Weiſſenburgi in Alſatia noſtra & Moguntiæ; & in hac quidem monumentum à Gentio Victore, Legionis hujus veterano, pro ſalute M. Antonini Fortunæ Reduci poſitum; de quo ampliorem inter cætera mentionem faciemus, ubi de Romanis in Alſatia Monumentis agemus. Fuit ejus Legionis ſub Imperatore Marco Legatus Didius Julianus, quod Spartianus in *Vita* hujus teſtatur. (*z*) Ipſa Legio olim pro Vitellio in Italia pugnaverat: (*a*) fallitque Dio, qui ſuis eam temporibus non ſupereſſe amplius refert, (*b*) quum, Antonino Elagabalo II. & Sacerdote II. Coſſ. An. Urb. Cond. DCCCCLXXI. adhuc Soloduri caſtra habuerit: teſte Salodurenſi Inſcriptione, quam in Monumentis Alſatiæ infra producemus. Fuerat etiam, incertum quo tempore, in inferiore Germania, cujus rei Inſcriptiones iterum haud procul Colonia Agrippina, & ad oppidum *Bergendahl*, in Cliviæ Ducatu, ante aliquot annos repertæ ſunt; rurſus à nobis inter Monumenta exhibendæ.

Ptolemæi & Dionis Caſſii temporibus, id eſt, imperantibus Romæ Commodo Pertinace, cæteriſque usque ad Alexandrum Imperatoribus, una legio VIII. Auguſta Germaniam Superiorem defendit: Inferiorem tamen tres continebant, trigeſima Ulpia ſive Germanica, prima Minervia, & ſecunda Ægyptiaca. (*c*) Legionis Octavæ ſtatio ad Argentoratum noſtram fuit; teſte hujus rei Ptolemæo: (*d*) "Terra, (inquit) quæ „ ab Obringa fluvio ad meridiem tendit, Germania Superior vocatur; in qua urbes „ à fluvio Obringa - - Vangionum Borbetomagus, Argentoratum, Legio VIII. „ Auguſta: „ ut & Inſcriptionibus antiquis, à nobis infra producendis. Occurrit adhuc poſtea, in rara Legionum ſuperioris Germaniæ ante Conſtantinum mentione, Legio VI. Gallicana, cujus tamen caſtra non in Alſatia, ſed ad Moguntiacum, poſita videntur. Meminit illius Vopiscus, (*e*) Aurelianumque, imperante Gallieno, Tribunum ejus fuiſſe refert. Hæc de Legionibus, quæ Rhenum noſtrum & Alſaticam oram ſpeciatim defenderant: ad Tributa progredimur.

TRIBUTA.

(*m*) Tacitus *Hiſtor.* Lib. III. Cap. XXII. XXXV.

(*n*) Spartianus in *Vita Severi* Cap. III.

(*o*) Dio Lib. LV. pag. 564.

(*p*) Tacitus *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. XXIV. ſub Hordeonio Flacco eam in Gallia militaſſe docet: Flaccum autem ſuperioris Germaniæ præſidem fuiſſe ſupra pag. 279. oſtendimus.

(*q*) Dio Lib. & pag. cit.

(*r*) Tacitus *Annal.* Lib. I. Cap. XXXI. XXXVII.

(*s*) Tacitus *Hiſtor.* Lib. II. Cap. XLIII.

(*t*) Idem Lib. IV. Cap. LXVIII. LXXVIII.

(*u*) Dio Lib. LV. pag. 564. ſq. Legiones has, quæ ſuis temporibus non amplius ſupererant, aut penitus diſſolutas, aut aliis Legionibus mixtas fuiſſe, mixtasque *Gemellarum* inde nomen adeptas eſſe Dio docet loco cit.

(*x*) Lib. LV. pag. cit.

(*y*) *Geograph.* Lib. II. Cap. III.

(*z*) *In Vita Juliani.* Cap. I.

(*a*) Tacitus *Hiſtor.* Lib. II. Cap. C. Lib. III. Cap. XXII.

(*b*) Lib. LV. pag. 645. ſqq.

(*c*) Dio loco cit. Ptolemæus *Geogr.* Lib. II. Cap. IX.

(*d*) Geogr. Lib. II. Cap. IX. Ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ Ὀβρίγγα ποταμοῦ πρὸς μεσημβρίαν καλεῖται Γερμανία ἡ ἄνω. ἐν ᾗ πόλεις περιέχονται ἀπὸ τοῦ Ὀβρίγγα ποταμοῦ - - Οὐαγγιόνων Βορβητόμαγος, Ἀργεντόρατον, Λεγίων ή Σεβαστή.

(*e*) In *Vita Aureliani* Cap. VII.

POLITICA.

TRIBUTA.

§. XXXI.

MAgiſtratus, qui reditus in provinciis Romanis curarunt, *Procuratores* vocati ſunt: de his ſupra jam (*f*) egimus, quum Reipublicæ Romanæ, ſub Imperatoribus, formam deſcriberemus: ſupereſt, ut prout Præſidum ante in Alſatia, ita horum jam quoque, quotquot per Alſatiam reperimus, catalogum quendam exhibeamus. Rara ſit talium in Inſcriptionibus antiquis, rariſſima in Scriptoribus, mentio. Dabimus tamen, quos licet; eorumque nomina, quod Chronologia plerumque Inſcriptionibus deſit, ordine Alphabetico indicabimus. Occurrunt ergo

Procuratores.

In Gallia Lugdunenſi,	In Germania Superiore,
C. Furius Sabinius Aquila. Procurator hic Provinciæ Lugdunenſis & Germaniæ Superioris vocatur in Inſcriptione, quam SPONIUS in *Miſcellaneis* producit. (*g*)	C. Furius Sabinius Aquila.
	Baſſæus. Procurator hic vocatur à rationibus Belgicæ & duarum Germaniarum ab Impp. M. Antonino, L. Vero & Commodo, Conſularibus ornamentis honoratus in *Inſcriptione* apud GRUTERUM. (*h*)
T. Cl. Candidus. Procurator hic XX. Hereditatis per Gallias Lugdunenſem & Belgicam & utramque Germaniam vocatur in antiqua *Inſcriptione* apud GRUTERUM. (*i*)	T. Cl. Candidus.
	T. Varius Clemens. (*l*)
C. Junius C. F. Quir. Flavianus. (*m*)	
Cn. Pompejus Sex. F. Quir. Homullus. (*n*)	
	P. Petronius M. F. Quir. Honoratus. Procurator hic provinciæ Belgicæ & duarum Germaniarum appellatur apud REINESIUM in *Inſcriptionibus* (*o*)
Tiberius Claudius Secundinus. (*p*)	

Memorat adhuc DIO ad An. Urb. Cond. DCCXXXIX. Licinii, (*q*) & ad An. Urb. Cond. DCCXCVII. Laconis, (*r*) Galliæ Procuratorum; ſed, cui præcipue provinciæ præpoſiti erant, non refert. Itaque, ſilentibus antiquis, noſtrum non eſt ſtatuere, an Galliæ Lugdunenſis vel Germaniæ Superioris rationes adminiſtrarint.

§. XXXII.

(*f*) §. III. Not (*i*) pag. 270.
(*g*) Pag. 943.
(*h*) Tom. I. pag. 375. num. 1.
(*i*) Tom. I. pag. 389. num. 2.
(*l*) *Inſcriptiones* apud GRUTERUM Tom. I. pag. 482. num. 4. 5. 8.
(*m*) Ibidem Tom. I. pag. 426. num. 5.
(*n*) *Inſcriptio* apud MURATORIUM Tom. II. pag. 735. num. 4.
(*o*) Pag. 459.
(*p*) *Inſcriptio* apud MURATORIUM Tom. II. pag. 690. num. 6.
(*q*) Lib. LIV. pag. 612. Edit. Steph.
(*r*) Lib. LX. pag. 782.

§. XXXII.

Redituum varia genera.

Reditus, qui Romanis ex provinciis ſuis proveniebant, omnes in Tributis & Vectigalibus conſiſtebant. Tributa alia ſoli erant, alia capitis, quibus accedebat interdum, ob neceſſitatem Reipubl. extra ordinem quod *temerarium* dicebatur. Ita certe FESTUS voce *Tributum*. "Tributorum conlatio cum ſit alia in capite, alia „ ex cenſu, dicitur etiam quoddam temerarium, ut poſt urbem à Gallis captam con- „ latum eſt:„ & ULPIANUS: (s) "Ætatem in cenſendo ſignificare neceſſe eſt; quia „ quibusdam ætas tribuit, ne tributo onerentur, veluti in Syriis à quatuordecim annis „ maſculi, à duodecim fœminæ usque ad ſexageſimum quintum annum tributo capitis „ obligantur:„ & PAULUS: (t) "D. Veſpaſianus Cæſarienſes colonos fecit, non adjecto „ ut & juris Italici eſſent: ſed tributum his remiſit capitis: ſed Divus Titus etiam „ ſolum immune factum interpretatus eſt.„ Vectigalia vel ex mercibus, quæ importabantur in provinciam, vel exportabantur; vel ex fructibus, quos ſolum proferebat; vel ex ſalinis & paſcuis, ordinarie pendebantur. Primum vectigalis genus *portoria*, ſecundum *decimæ*, tertium *ſcriptura*, appellabatur. Illuſtris eſt ejus rei locus in *Oratione* CICERONIS *pro Lege Manilia.* (u) Imponebantur tamen provinciis alia etiam diverſi generis vectigalia, vel ex uſu Reipublicæ, vel avaritia Principum, excogitata. Ita Vigeſima ex hæreditatibus legatisque teſtamento relictis in ærarii militaris ſubſidium, (x) & *quinquageſima* ex venditione ſervorum ad ſuſtentandos cuſtodes nocturnos, (y) ab Auguſto imperatæ ſunt. Ita Neronem multa nova & inuſitata adhuc vectigalia inveniſſe, (z) & Veſpaſianum illud *Urinæ* eſſe commentum, DIO (a) & SUETONIUS (b) referunt. De Tributis Romanorum generatim memorabilis eſt obſervatio PLINII, ubi ſcribit: (c) "Equidem miror populum Romanum victis Gentibus in tributo ſemper „ argentum imperitaſſe non aurum.

§. XXXIII.

Reditus ex Alſatia.

Alſatiam ipſam quod attinet; tributa eam & vectigalia Romano contuliſſe Imperio; ipſi Procuratores redituum, quos in ea reperimus, communis Provinciarum ſors & ipſa nos denique rerum humanarum ratio docet: ſed quantum præciſe tributorum, quantum vectigalium contulerit, nobis in tanta veterum monumentorum penuria definire non licet. Galliæ univerſæ Cæſar *Quadringenties Seſtertium* in ſingulos annos ſtipendii nomine impoſuit, teſte SUETONIO, (d) eamque, quoad onera, quæ illi imponebantur, clementer alias fuiſſe tractatam HIRTIUS PANSA docet. (e) "Cæſar „ honorifice Civitates appellando, Principes maximis præmiis afficiendo, nulla onera „ nova imponendo, defeſſam tot adverſis prœliis Galliam conditione parendi meliore „ facile in pace continuit:„ Et Petilius Cerialis in ſua ad Treveros & Lingones oratione; (f) "Regna bellaque per Gallias ſemper fuere, donec in noſtrum jus „ concederetis. Nos quanquam toties laceſſiti jure victoriæ id ſolum vobis addidimus, „ quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine „ ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis, haberi queunt.„ Quartam tributorum partem Sequanis, qui Vindici adhæſerant, civitate donatis, Galba remiſit: (g) ſed hoc Alſatas noſtros, qui à Verginii Rufi partibus contra Vindicem ſteterant, non ſpectaſſe, ſupra jam vidimus.

§. XXXIV.

Vigeſima Hæreditatum.

Inter vectigalia, quæ Alſatia Romanis pependit, præter illa communia, præcipue Vigeſimam Hæreditatum reperimus; cui exigendæ peculiarem Procuratorem in Gallias & Alſatiam quoque noſtram eſſe miſſum ex Inſcriptione colligi poſſe videtur, de qua ſupra (h) jam nobis ſermo fuit; in qua T. Cl. Candidus Procurator XX. Hæred. per Gallias Lugdunenſem, Belgicam & utramque Germaniam appellatur. Originem vectigalis

(s) Leg. III. D. *de Cenſibus.*

(t) Leg. VIII. D. *de Cenſibus.*

(u) "Cæterarum provinciarum (inquit) vectiga- „ lia tanta ſunt, ut iis ad ipſas provincias tutandas „ vix contenti eſſe poſſimus. Aſia vero tam opima „ eſt & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varie- „ tate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multi- „ tudine earum rerum, quæ exportantur, facile „ omnibus terris antecellat.„ & iterum: "In vectiga- „ libus non ſolum adventus mali, ſed etiam metus „ ipſe, affert calamitatem. Nam cum hoſtium copiæ „ non longe abſunt, etiamſi irruptio facta nulla ſit, „ tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, „ mercatorum navigatio conquieſcit. Ita neque ex „ portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura, „ vectigal conſervari poteſt.

(x) DIO Lib. LV. pag. 647. ſq. Edit. Steph.

(y) Ibidem pag. 652.

(z) XIPHILINUS pag. 163. ed. Steph.

(a) In XIPHILINO pag. 221.

(b) In *Vita Veſpaſiani* Cap. XXIII.

(c) Lib. XXXIII. Cap. III.

(d) In *Vita Cæſaris* Cap. XXV.

(e) *De Bello Gall* Lib. VIII. Cap. XLIX.

(f) TACITUS *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LXXIV.

(g) TACITUS *Hiſtor.* Lib. I. Cap. VIII. & LI.

(h) Ad §. XXXI. pag. 295.

POLITICA.

vectigalis hujus deſcribit Dio (*i*) ad An. Urb. Cond. DCCLIX. « M. Æmylio Lepido, L. Arruntio Coſſ. cum nullus reditus excogitari poſſet, quem omnes probarent, - - Auguſtus pro ſe & Tiberio pecuniam in ærarium, cui militaris nomen dedit, intulit; ejusque adminiſtrationem viris prætoriis ſorte lectis ad triennium mandavit: - - ipſe itaque quædam in illud intulit; & Reges populique aliqua in illud conferre promiſerunt: - - verum cum hæc pecunia pro magnitudine ſumtuum minima eſſet, ac perenni quadam pecuniarum copia eſſet opus, - - inſtituit, ut vigeſima pars hæreditatum ac legatorum, exceptis iis, quæ maxime propinquis ac pauperibus morte aliorum relinquerentur, in ærarium militare inſerretur; quaſi in Cæſaris Commentariis id vectigal ſcriptum reperiſſet.

A Caracalla viceſimarum loco decimas introductas, civitatemque univerſis datam eſſe, ut illud vectigal ab omnibus exigere poſſet, idem refert Dio: (*k*) « Etenim (Caracalla) præter illa vectigalia, tum alia, quæ ab ipſo primum inventa ſunt, tum vectigal decimæ, quam pro viceſima conſtituit, tam eorum, qui manu mitterentur, quam hæreditatum ac legatorum, cum ſuccedendi jus & immunitates omnes, quæ proximis defunctorum ac genere conjunctiſſimis conceſſæ legibus erant, ſuſtuliſſet: cujus rei cauſa etiam omnibus, qui in orbe Romano erant, civitatem dedit: ſpecie quidem honorem eis tributurus; revera autem ideo ut fiſcum ſuum augeret, propterea quod pleraque horum vectigalium peregrini non penderent. „ A Macrino tamen, qui Caracallæ ſucceſſit, Decimæ hæreditatum abolitæ iterum & Vigeſimæ reſtitutæ ſunt, teſte Dione. (*l*)

CAPUT III.

DE MAGISTRATIBUS ALSATIÆ ROMANÆ SUB PRÆFECTIS PRÆTORIO.

§. XXXV.

Regiminis mutatio.

GEographica & Civilis, quam huc usque expoſuimus, rerum Alſaticarum conſtitutio per tria priora Æræ Chriſtianæ ſecula ſubſtitit, quamdiu forma Imperii, ab Auguſto præſcripta, duravit. At ſeculo IV. quum per orbem Romanum univerſa regiminis ratio immutaretur, omnesque Provinciæ in quatuor Præfecturas, totidem Præfectis Prætorio ſubjectas, dividerentur, alia Geographicæ & Politicæ diſtributionis Provinciarum prodiit facies. Conſtantiniano enim ævo Præfecti Prætorio & Vicarii Diœceſeon, Præſides item & Conſulares novo ſenſu, in rebus Civilibus; Magiſtri militum, Duces & Comites, in re Militari, exorti ſunt: unde nova Magiſtratuum nomina, vel novus veterum appellationum ſignificatus. Alſatia Superior, Galliæ Lugdunenſi nuper adſcripta, nunc pars Maximæ Sequanorum evaſit: Alſatia Inferior autem Germaniæ Superiori ſemper attributa fuit, ſed ab hoc tempore Germania Superior vocari cœpit *Germania Prima.* Juniores diverſas has Alſatiæ Romanæ Epochas, tum in Politicis, tum in Geographicis, non ſatis diſtinguunt. Sebastianus Munsterus, (*m*) Beatus Rhenanus (*n*) aliique, ubi de Alſatia Romana loquuntur, Notitiam Dignitatum Imperii nobis afferunt ſolam, quaſi ſtatus ille Civilis obtinuerit ſemper, quum vix per LXXX. annos, qui Vandalico-Alemannicam irruptionem præceſſerunt, locum habuerit. Unde accuratius ea evolvenda exiſtimo.

(*i*) Lib. LV. pag. 647. ed. Steph. Ἐπί τε Αἰμιλίου Λεπίδου ϗ ἐπὶ Λουκίου Ἀῤῥουντίου ὑπάτων, ἐπεὶ μηδεὶς πόρος ἀρέσκων τισὶν εὑρίσκετο, - - ἐσήνεγκεν ὁ Αὔγουστος χρήματα καὶ ὑπὲρ ἑαυτοῦ ϗ ὑπὲρ τοῦ Τιβερίου ἐς τὸ ταμιεῖον, ὃ ϗ στρατιωτικὸν ἐπωνόμασε. Καὶ τισὶ τῶν ἐστρατηγηκότων τοῖς λαχοῦσιν ἐπὶ τρία ἔτη διοικεῖν προσέταξε. - - αὐτός τε οὖν συνεσήνεγκέ τινα. - - καὶ παρὰ Βασιλέων δήμων τε τινῶν ἐπαγγελίας ἐδέξατο. - - ὡς δ' οὖν ταῦτά τε ἐλάχιστα πρὸς τὸ πλῆθος τῶν ἀναλισκομένων ἦν, ϗ ἀθανάτου τινὸς εὐπορίας ἐδεῖτο. - - τὴν εἰκοστὴν τῶν τε κλήρων ϗ τῶν δωρεῶν, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντές τισι, πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν ἢ ϗ πενήτων καταλείπωσι, κατεστήσατο, ὡς ϗ ἐν τοῖς τοῦ Καίσαρος ὑπομνήμασι τὸ τέλος τοῦτο γεγραμμένον εὑρών.

(*k*) In *Excerptis Conſtantini Valeſianis* pag. 744. ſq. Χωρὶς γὰρ - - τῶν τε τελῶν τῶν τε ἄλλων ἃ καινὰ προσκατέδειξε, ϗ τοῦ τῆς δεκάτης, ἣν ἀντὶ τῆς εἰκοστῆς ὑπέρ τε τῶν ἀπελευθερουμένων ϗ ὑπὲρ τῶν καταλειπομένων τισὶ κλήρων καὶ δωρεῶν ἐποίησε, πάσας τάς τε διαδοχὰς ϗ τὰς ἀτελείας τὰς ἐπὶ τούτοις, τὰς δεδομένας τοῖς πάνυ προσήκουσι τῶν τελευτώντων καταλύσας. Οὗ ἕνεκα ϗ Ῥωμαίους πάντας τοὺς ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ, λόγῳ μὲν τιμῶν, ἔργῳ δὲ, ὅπως πλείω αὐτῷ ϗ ἐκ τοῦ τοιούτου προσῇ, διὰ τὸ τοὺς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν μὴ συντελεῖν, ἀπέδειξε.

(*l*) In *Fragmento* ejus, quod Editio Wecheliana exhibet Lib. LXXVIII. pag. 893.

(*m*) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. XI.

(*n*) *Rer. German.* Lib. III. pag. 274.

§. XXXVI.

Præfectorum Prætorio origo.

Initium autem nobis faciendum à Præfectis Prætorio, quorum dignitas poſt Imperatoriam prima, quam SYMMACHUS (*o*) *ſummum culmen honorum*, CODEX THEODOSIANUS *faſtigium & apicem dignitatum*, appellant. Auguſtus ex Mæcenatis conſilio Præfectos Prætorio duos inſtituit, qui militibus, ad corporis cuſtodiam delectis, præeſſent. (*p*) Primo modicum munus, ac mere militare, equeſtris ſæpe ordinis (*q*) demandatum hominibus. Paulatim ejus aucta eſt dignitas, ita ut Veſpaſianus filium ſuum Titum Prætorii præfectura ornarit. (*r*) Conſtantinus M. denique duobus Præfectis Prætorio, nulli certæ Romani orbis parti affixis, ſuperaddidit duos alios, & inter hos quatuor omnem Imperii Romani Juriſdictionem diviſit, uti teſtis eſt ZOSIMUS. (*s*) Quum autem antea Præfecti Prætorio ubique ordinandi & puniendi milites poteſtatem haberent, Conſtantinus illis imperium militare ademit. Diocletianus tamen, qui Imperium jam in quatuor partes, inter duos nempe Auguſtos & duos Cæſares diviſerat, ſingulisque ſuum Præfectum Prætorio & ſuum exercitum attribuerat, Conſtantino præiviſſe videtur. Quidquid hujus rei ſit, Conſtantinus M. quatuor Præfectos Prætorio in perpetuum conſtituit, & ſeparatam ſingulis juriſdictionem adſcripſit. Quatuor hæc Prætoria fuerunt I. Orientis, II. Illyrici, III. Italiæ, IV. Galliæ, quorum duo poſtrema ad Occidentem, priora duo ad Orientem, pertinuerunt.

§. XXXVII.

Vicarii.

Præfecto Galliarum non omnis modo Gallia, ſed & Britannia Hiſpaniaque ſubjectæ. Unde Præfectura hæc in tres ſubdiviſa fuit Diœceſes, quæ ſingulæ ſuum habuere Vicarium; ſingulæ Diœceſes vero in plures iterum diſpertitæ Provincias. Ex tribus his Vicariis, Præfecto Prætorio Galliarum ſubordinatis, Vicarius Galliæ, qui ſolam Galliam rexit, propius Alſatiam reſpicit. Hujus autem Diœceſis ſub ſe comprehendit XVII. Provincias, in quas omnis tum Gallia dividebatur. Totum hoc, quod Vicarii unius juriſdictioni ſuberat, Græcis Πατριά, Ἐξαρχία, Διοίκησις, (*t*) vocabatur, nec alio Latinos, quam Diœceſis nomine, uſos fuiſſe reperimus; quum commode *Vicariatus* appellare potuiſſent, quod ſinguli Vicarii ſingulas Diœceſes vice Præfectorum regebant. In veteribus Inſcriptionibus Vicarii hi ſubinde *Pro-Præfecti* dicuntur, & in Codice Juſtiniani *Vicariam agentes Præfecturam.* (*u*)

Galliæ Vicariatus.

Univerſa ergo Gallia Diœceſin peculiarem compoſuit, à peculiari Vicario rectam, qui Treviris ſedit, ubi & Præfectus Prætorio, cui Gallia, Hiſpania & Britannia, ſuberant, ſuam habuerat ſedem. (*x*) Poſt Auguſteam Galliæ partitionem, quum ejus Provinciæ varie ſubdividerentur, ſucceſſu temporis factum eſt denique, ut Conſtantiniano ævo in univerſum XVII. computarentur, (*y*) quarum VI. Conſulares à Viris Conſularibus, XI. Præſidales à Præſidibus rectæ. (*z*) CONSULARES fuerunt I. Viennenſis, II. Lugdunenſis prima, III. Germania prima, IV. Germania ſecunda, V. Belgica prima, VI. Belgica ſecunda. PRÆSIDALES I. Alpes Maritimæ, II. Alpes Penninæ & Grajæ, III. Maxima Sequanorum, IV. Aquitanica prima, V. Aquitanica ſecunda, VI. Novempopulania, VII. Narbonenſis prima, VIII. Narbonenſis ſecunda, IX. Lugdunenſis ſecunda, X. Lugdunenſis tertia, XI. Lugdunenſis quarta ſive Senonia. Diviſio hæc Galliæ obtinuit, quum Notitia utriusque Imperii, (*a*) imo & Notitia Galliarum Sirmondiana, (*b*) conderetur. Ex his XVII. Provinciis Maximam Sequanorum (*c*) & Germaniam Primam ad civilem Alſatiæ noſtræ ordinationem referimus; Rauracenſis enim atque Sequanica, ſive Superior Alſatia, ad Maximam Sequanorum pertinebat, Præſidis, qui Veſontione, Metropoli Provinciæ ſedebat, juriſdictioni ſubjectam.

Præſes

(*o*) Lib. IV. *Epiſt.* LXIX.

(*p*) DIO Lib. LII. pag. 480.

(*q*) SUETONIUS *in Tito* Cap. VI.

(*r*) S. AURELIUS VICTOR *de Cæſarib.* Cap. IX.

(*s*) *Hiſtor.* Lib. II. Cap. XXXIII.

(*t*) SUICERUS in *Theſauro Eccleſiaſtico*, voce *Διοίκησις*. *Diœceſis*, Juriſdictionem, Gubernationem, Adminiſtrationem denotat. Vid. CICERONEM *ad Atticum* Lib. V. *Epiſt.* XXI. & *Familiar.* Lib. XIII. *Epiſt.* LIII. Sub Chriſtianiſmo natæ ſunt *Diœceſes Epiſcoporum*, ſenſu ſpeciali, regio nempe certa ſub Epiſcopi juriſdictione Eccleſiaſtica.

(*u*) PETRUS DE MARCA in *Differt. de Conſtantinopolitano Patriarchiatu* inter *Diſſertationes poſthumas* pag. 130.

(*x*) Treviri ſedes Præfecti Prætorio Galliarum, Mediolanum Præfecti Italiæ, Theſſalonica Illyrici, Antiochia Præfecti Orientis.

(*y*) Varias Galliæ ſubdiviſiones in quinque, in decem, item in quatuordecim, imo & in ſeptendecim octodecimque, Provincias erudite, prout omnia, expoſuit BLONDELLUS in Libro ſuo: *Primauté de l'Egliſe*, pag. 667. Item CAROLUS à S. PAULO in *Geographia Sacra*, Inſigni & ſplendido Opere, Lib. V.

(*z*) *Notitia Dignitatum Imperii Rom.* Sect. XLVIII. pag. 94. Edit. Labb. & pag. 7. Edit. Pancir. In univerſo Occidente XXXI. Præſides erant.

(*a*) PANCIROLUS *ad Notit. Imp. Occid.* Cap. LXVIII. pag. 99. adde pag. 12.

(*b*) Apud DU CHESNIUM *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. I. pag. 5.

(*c*) De qua ſupra in Geographicis actum Lib. II. Cap. I. §. XIII. pag. 129.

POLITICA.

Præſes hic inter XI. Præſides Galliæ numero tertius fuit. Inferior vero Alſatia, Germaniæ Primæ attributa, Conſularis Provincia fuit, à Viro Conſulari adminiſtrata, qui in urbe Moguntiacenſi ſedebat. Utraque Provincia principem ſuam urbem, ſive Metropolim habuit: Maxima Sequanorum Veſontionem, uti ſupra (*d*) oſtenſum; Germania Prima autem Mogontiacum urbem. Ita enim Notitia Galliarum vetus Honoriana: (*e*)

" Provincia Germania Prima.
„ Metropolis Civitas Moguncíacenſium.
„ Civitas Argentoratenſium.
„ Civitas Nemetum.
„ Civitas Vangionum.

Hæc de Imperio Civili. Rem autem militarem per omne Imperium Magiſtris Militum duobus demandavit Conſtantinus M. ut Præfectorum Prætorio potentiam minueret. (*f*) Alter Equitum, alter Peditum fuit Magiſter; quibus ſubordinati Duces & Comites, qui & ipſi Vicariorum per Diœceſes poteſtatem civilem militari ſuo continerent imperio; iisdem, quibus Vicarii, honoribus, titulis & inſignibus condecorati.

§. XXXVIII.

Præfector. Prætorio poteſtas.

Ceterum à ſingularum Diœceſium Judicibus provocatio ad Præfectum Prætorio locum habuit, uti illud colligere licet ex Conſtitutione, quam Valens, Gratianus & Valentinianus, Imperatores An. CCCLXXVI. ad Senatum dederunt; ubi de foro Senatorum in cauſis criminalibus ſermo. (*g*) Enumerantur ibi omnes provinciarum ſingularum & Diœceſeon Magiſtratus, Spectabiles videlicet & Clariſſimi. " Provincialis „ Judex vel intra Italiam, (inquiunt) cum in ejus diſceptationem criminalis cauſæ „ dictio adverſum Senatorem inciderit, intendendi quidem examinis & cognoſcendi „ cauſas habeat poteſtatem, verum nihil de animadverſione decernens, integro non „ cauſæ, ſed capitis ſtatu, referat ad ſcientiam noſtram vel ad Inclytas poteſtates. „ (intelligitur Præfectus Prætorio) Referent igitur Præſides & Correctores, item „ Conſulares, Vicarii quoque Proconſules, de capite, ut diximus, Senatorio negotii „ examine habito. Referant autem de ſuburbanis provinciis Judices ad Præfecturam „ ſedis Urbanæ, de ceteris ad Præfecturam Prætorio. „ Inverſo ordine honoratiores heic poſteriore loco nominantur, facto à minoribus ad majores progreſſu. Ad Legem iſtam porro notandum, Præfectum Prætorio & Præfectum urbi *Inclytas poteſtates* vocari. Præfectus urbi, Præfectis Prætorio par, in Suburbicanas vel Suburbicarias (*h*) Provincias juriſdictionem exercuit, quæ generali *Italiæ* appellatione hic indicantur; quum alias ab Italia, ſpecialiter accepta, hæ diſtinguerentur regiones. Urbis nempe Romæ dignitati tributum, ut Præfectus ejus parilis & indiſcretæ dignitatis eſſet cum Præfectis Prætorio, licet hæc per plures Diœceſes ſe latiſſime diffunderet. (*i*)

§. XXXIX.

Inſignia.

Inſignia Præfectorum Prætorio in *Notitia Dignitatum Imperii* (*k*) depicta reperimus. Vultus Principis pilæ auratæ & erectæ præfixus; abacus, mappa alba, aureo limbo circumdata, inſtratus, in quo candelabra quatuor, hinc inde diſpoſita, cum ardentibus cereis: in medio eorum Codex ſive Mandatorum Liber, duabus fibulis occluſus, in cujus integumenti umbilico imago quoque Principis impreſſa. Infra hæc cernitur Sella curulis, in hemicyclum incurva, quadriroto currui, à quatuor equis albis tracto, impoſita; ad quorum latus flagello equos agens auriga pedes.

Sedes Præf. Præt. Gall.

A Conſtantini Magni temporibus Præfecti Prætorio, cui Gallia, Hiſpania & Britannia, ſuberant, ſedes in civitate Trevirorum fuit; poſtquam autem Conſtantinus Honorio VII. & Theodoſio Juniore II. Coſſ. hoc eſt, An. CCCCVII. tyrannidem occupavit

Pp 2

(*d*) Loco citato.
(*e*) Duchesne *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. I. pag. 5.
(*f*) Zosimus *Hiſtor.* Lib. II. Cap. XXXIII.
(*g*) Lege XIII. *de Senatorum criminibus reorum* &c. Lib. IX. *Cod. Theod.* Tit. I.
(*h*) Suburbicariæ Regiones ad Centeſimum ab Urbe Lapidem extenſæ. Multa de his quæſtio inter Sirmondum, Leschasserium, Gutherium, & Dartim, Anteceſſorem Juris in Univ. Pariſienſi, atque Salmasium, quorum ſcripta ſane lectu ſunt digna.
(*i*) Valens, Valentinianus & Gratianus, Imperatores id jubent Lege I. *Cod. Theod.* de *Præfectis Prætorio*, Lib. VI. Tit. VII. ubi ſtatuunt: *Præfectum Urbi*, *Præfectum Prætorio*, *Magiſtros Equitum ac peditum*, *indiſcretæ ducimus dignitatis* &c. Vide Felicis Contelorii Librum de *Præfecto Urbis*, Romæ editum An. 1631. 4to, levis licet momenti ſit.
(*k*) *Notitia Imperii Orient.* pag. 44. & *Imp. Occid.* pag. 9.

POLITICA.

occupavit, Vandalica accedente irruptiooe, Arelas ab eo Galliæ Metropolis ac ſedes Præfecti Prætorio Galliarum facta eſt: nec Conſtaotino devicto rem immutavit Honorius; qui non potuit Galliarum Prætorium Treviris, quibus ademptum erat, reſtituere; cum profligato Conſtantino illas tantum provincias, quæ in tyranni poteſtate fuerant, (*l*) in ſuam receperit.

§. XL.

Præfecti Prætorio Galliæ &c.

Quum ergo à ſummo Galliæ Magiſtratu ſit ducendum initium, ante omnia Laterculum Præfectorum Prætorio, qui Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæque præfuerunt, ſedemque Treviris tenuerunt in Belgica, producimus, AMMIANI MARCELLINI & præſertim *Codicis Theodoſiani*, imo & hinc inde *Juſtinianei*, auctoritate innixi; quod Conſtitutiones ſuas & Leges ad Præfectos Prætorio mittere ſolebant Imperatores. (*m*)

PRÆFECTI PRÆTORIO GALLIARUM.

Ambroſius.

AMBROSIUS primus Præfectorum Prætorio Galliarum fuit, quod novimus, circa An. CCCXXXIV. quo natus ipſi filius S. Ambroſius. PAULINUS in *Vita* hujus ait: " Poſito in adminiſtratione Galliarum Patre ejus Ambroſio, natus eſt Ambroſius, qui „ infans in Area Prætorii in cunabulis poſitus; &c. „ Prætorium tum ooo alibi quam Treviris fuit.

Tiberianus.

TIBERIANUS. HIERONYMUS in *Chronico* ad An. CCCXXXVII. ait: " Tiberianus „ Vir diſertus Præfectus Prætorio Gallias regit.

T. Fabius Titianus.

T. FABIUS TITIANUS. Hunc quoque nobis indicat HIERONYMUS in *Chronico Euſebiano* ad An. CCCXLVI. ubi ait: " Titianus Vir eloquens Præfecturam Prætorio „ apud Gallias adminiſtrat.

Flavius Volcatius

FLAVIUS VOLCATIUS RUFINUS. An. CCCLIV. quo à Conſtantio Imp. miſſus, Cabillonum ſeditionem militum opportuna frumenti evectione ſedavit. Exercitus hic parabatur contra Gundomadum & Vadomarium, Alemannorum Reges, qui limitem Rheni ooſtrum incurſabant, teſte AMMIANO. (*n*)

§. XLI.

Florentius.

FLORENTIUS. Hic Præfectus Prætorio interfuit prœlio Argentoratenſi An. CCCLVII. contra Alemannos, tradente AMMIANO. (*o*) An. CCCLIX. Præfecturam hanc adhuc geſſit, eodem referente Ammiano, ubi ait: " Et civitates captæ ſunt ſeptem, Caſtra „ Herculis, Quadriburgum, Triceſimæ, Nivetio, Antennacum & Bingio, ubi læto „ quodam eventu etiam Florentius Præfectus apparuit ſubito.

Honoratus.

HONORATUS breviſſimo tempore Præfecturam Prætorianam geſſit, (*p*) ſi modo geſſit; anno nimirum CCCLX. quo Julianus apud Argentoratum proclamatus Auguſtus, Florentio, qui Præfecturam ante geſſerat, & proclamatione teſtis intereſſe ooluerat, recedente Viennam. (*q*) Anno CCCLXI. Florentium Præfectum Prætorio in Illyrico creatum, ex AMMIANO (*r*) ſimiliter docemur.

Nebridius.

NEBRIOIUS An. CCCLX. ex Quæſtore Juliani ad Præfecturam Prætorianam promotus, Conſtantio jubente: (*s*) qui indigne tulerat, Julianum Auguſti titulum à militibus oblatum, accepiſſe. Admiſit eum Julianus, quum reliquos omnes, à Conſtantio promotos, repudiaſſet. (*t*)

Germanianus.

GERMANIANUS. An. CCCLXI. juſſus eſt à Juliano vicem tueri Nebridii in Præfectura Galliarum, ut loquitur Ammianus. (*u*) Anno ſequenti ad Præfecturam Prætorii Orientis promotus; (*x*) unde nonniſi breviſſimo tempore, circa menſem Decembrem, hoc officio functus eſt.

§. XLII.

(*l*) SOZOMENUS Lib. IX. Cap. XV. GUTHERIUS de *Officiis Domus Auguſtæ* Lib. II. Cap. VII. pag. 287.
(*m*) Vide ÆGIDII LACARRY eruditum Libellum, cui Tit. *Gallia à Præfectis Prætorio adminiſtrata*; editus eſt Claramonti 1672. 4to.
(*n*) Lib. XIV.
(*o*) Lib. XVI. Cap. IX.
(*p*) LIBANIUS *Epiſt.* CCCLXXVI. eum Præfectum Prætorio appellat.
(*q*) AMMIANUS Lib. XX. Cap. X.
(*r*) Lib. XXI. Cap. V.
(*s*) AMMIAN. Lib. XX. Cap. IX.
(*t*) AMMIANUS Lib. XXI. Cap. I.
(*u*) Lib. XXI. Cap. VIII.
(*x*) Patet ex *Leg.* XXX. COD. THEOD. *de Appellationibus.*

§. XLII.

Secundus Salluſtius Promotus.

Secundus Sallustius Promotus anno CCCLXI. quoque Præfecturam geſſit; Ammianus (y) ait: "Diſcedens inter hæc Julianus à Rauracis . . Salluſtium Præfectum „ Promotum remiſit in Gallias, Germaniano juſſo vicem tueri Nebridii. „ Anno CCCLXIII. Officium hoc adhuc geſſit Salluſtius, idem enim Ammianus alio in loco (z) ita ſcribit: " Julianus jam ter Conſul adſcito in collegium trabeæ Salluſtio Præfecto „ per Gallias. „ Quartus hic Juliani Conſulatus, quem cum Salluſtio geſſit, incidit in annum CCCLXIII. quo periit Julianus.

Germanianus.

Germanianus iterum Præfectus Prætorio An. CCCLXV. Ad hunc annum enim Valentiniano & Valente Augg. Coſſ. Ammianus (a) ait: "Orientem regebat poteſtate „ Præfecti Sallutbius; Italiam vero cum Africa & Illyrico Mamertinus, & Gallias „ Provincias Germanianus. „ Sunt Codices Mſſ. ubi *Germanus* appellatur, & ita quoque in *Codice Juſtinianeo.* (b) In *Theodoſiano* autem, Lege à Valentiniano & Valente data Remis, VII. Id. April. Gratiano & Dagalaipho Coſſ. hoc eſt, anno CCCLXVI. (c) *Geminianus* appellatur.

Menander.

Menander. Hic An. CCCLXIV. Præfectus Prætorio fuiſſe creditur. Jacobo Gothofredo. (d) Lex enim tum miſſa ad Menandrum à Valentiniano & Valente Augg. Ex Legibus XXVIII. & XXX. ejuſdem Tituli evidens ſatis eſt, Legem hanc Gallis datam, quod ibi Præfecto Prætorio Italiæ Probo ſcribit, eam Galliis profuiſſe. Sancitur ibi, ut nemo amplius Rhedæ, quam mille pondo, imponat.

§. XLIII.

Viventius.

Viventius. An. CCCLXV. Valentinianus in Galliis ſubſiſtens Legem de Sacris Virginibus ad Viventium dedit. Eo ipſo enim anno Alemanni, Rheni limitem aggreſſi, Valentinianum ex Italia Pariſios vocarunt, (e) ubi quum fuiſſet, de perrupto limite allatus eſt nuntius. Viventius An. CCCLXVII. ad Præfecturam Urbis Romæ translatus eſt, ut ex Lege XI. *Codicis Theodoſiani de Pœnis* à Valentiniano data colligimus. An. CCCLXVIII. Viventius iterum Galliarum fuit Præfectus. (f) Valentinianus & Valens An. CCCLXIX. Legem ad Viventium hunc Præfectum Prætorio ſcripſerunt. (g) Hujus temporibus Valentinianus I. grave illud & glorioſum cum Alemannis bellum geſſit. Viventii Præfectura ad annum usque CCCLXXI. duravit.

Florentius II.

Florentinus II. à priore diverſus An. CCCLXVIII. Præfecturam Galliarum, per breve temporis ſpatium, tenuit, adeoque Viventii Præfecturam interrupit. Colligimus hoc ex Ammiano, (h) ubi Valentiniani iram eum ſedaſſe enarrat.

Maximinus.

Maximinus. Ex Præfecto Annonæ & Vicario Urbis à Valentiniano I. Præfectura Prætoriana Galliarum auctus eſt anno CCCLXVIII. Ammianus (i) ita: " Ad Principis Comitatum Maximinus accitus, auctusque Præfectura Prætoriana, nihilo lenior fuit, „ & jam longius nocens, ut baſiliſci ſerpentes. „ Alibi (k) porro annotat, eum Valentinianum ad crudelitatem impuliſſe. Sed & ipſe, *ſub Gratiano intoleranter ſe efferens, damnatorio jugulatus eſt ferro*, ut idem refert Ammianus. (l)

S. Petronius Probus.

S. Petronius Probus, circa An. CCCLXXV. inter Præfectos noſtros haud dubie reputandus, auctoritate Legis I. Cod. ſine die & Conſule data ad Probum Præfectum Prætorio Galliarum à Valente & Valentiniano II. Auguſtis. (m) Accedit Inſcriptio vetus, (n) quæ ita: S. PETRONIO PROBO V. C. PROCONSVLI AFRICÆ PRÆFECTO PRÆTORIO QVATER ITALIÆ ILLYRICI AFRICÆ GALLIARVM CONSVLI ORDINARIO &c.

(y) Lib. XXI. Cap. VIII.
(z) Lib. XXIII. Cap. I.
(a) Lib. XXVI. Cap. V.
(b) *Leg.* XXIX. *de Decurionibus.*
(c) *Leg.* IX. *De Diverſis Officiis* Lib. VIII. Tit. VII.
(d) *Not. ad Leg.* XVII. *Cod. Theod. de Curſu Publ.* qui eſt Lib. VIII. Tit. V.
(e) Ammianus Lib. XXVI. Cap. V.
(f) Lex XXX. *Cod. Theod. de Curſu Publ.* & Lex IV. *de Curſu*, aliæque à Valentin. I. ad eum data, quo illa *de Scænicis* III. Id. Febr. Treviris data, pertinet.
(g) Lex X. *de Diverſis Officiis* Lib. VIII. Tit. VII. *Cod. Theod.*
(h) Lib. XXVII. Cap. VII.
(i) Lib. XXVIII. Cap. I. pag. 400.
(k) Lib. XXIX. Cap. III.
(l) Lib. XXVIII. Cap. I. pag. 402.
(m) *Cod.* Lib. VII. Tit. XXXVIII. *Ne Rei Dominica* &c.
(n) Gruteri *Inſcript.* Tom. I. pag. 450. num. 1. 2. 3.

§. XLIV.

Antonius.

ANTONIUS. Hujus Præfecturam per Gallias ad An. CCCLXXVI. declarant Valens, Gratianus & Valentinianus, Auguſti, qui X. Kal. Jun. Valente V. & Valentiniano Augg. Coſſ. *Legem de Rhetoribus & Grammaticis* ad Antonium, Præfectum Prætorio Galliarum, dirigunt. (*o*) Continuata ejus Præfectura per annum CCCLXXVII. quo Gratiani pugna apud Argentouariam noſtram pugnata eſt.

Decius Magnus Auſonius.

DECIUS MAGNUS AUSONIUS. Gratiani Imp. Præceptor, à diſcipulo ad Præfecturam Galliarum promotus eſt circa An. CCCLXXVIII. Hoc ſane, Valens, Gratianus & Valentinianus ad Auſonium Præf. Præt. Legem *de Numero Veredorum & Vehiculorum* dederant Treviris. (*p*) Gratianus anni ſequentis initio in *Gratiarum Actione* (*q*) ait: " Agant pro me gratias voces omnium Galliarum, quarum Præfecto hanc honorifi„ centiam detuliſti. „ Conſulatum intelligit; Auſonii Conſulatus autem in An. CCCLXXIX. incidit. Cum Præfectura Galliarum Præfecturam Prætorio Italiæ adminiſtravit, cui Africa & Præfectura Illyrici tum fuit annexa. (*r*)

Heſperius.

HESPERIUS. Hic filius Auſonii An. CCCLXXIX. Præfectus Prætorio fuit Galliarum, uti ex Lege à Gratiano, Valentiniano & Theodoſio, Auguſtis, ad eum anno hoc data, elucet; (*s*) ibi enim & ſermo de *Clericis intra Gallias* eſt, quos ut & Italiæ & Illyrici Clericos, immunes eſſe volunt Imperatores à luſtralis auri depenſione. Filius nimirum, ut Pater, Illyrici, Italiæ & Galliarum, Præfecturas adminiſtravit indiviſas, uti JACOBUS GOTHOFREDUS (*t*) judicat.

Siburius.

SIBURIUS. Hunc quoque Præfectum Galliarum nobis indicat Conſtitutio (*u*) Gratiani, Valentin. & Theod. ad Siburium Præfectum Prætorio data An. CCCLXXIX. Treviris; ubi Galliæ Præfecturam intelligi debere iterum docet GOTHOFREDUS.

Syagrius.

SYAGRIUS. Hunc ex GOTHOFREDI conjectura heic ponimus circa An. CCCLXXXI. qui Præfecturam Præt. Gallicam Syagrii ex SYMMACHI EPISTOLIS extorquere ſtudet. (*x*)

§. XLV.

Gregorius.

GREGORIUS. Præfectura hujus circa An. CCCLXXXII. certiore innititur fundamento. Notitiam ejus debemus SULPITIO SEVERO; (*y*) qui ubi de Priſcilliano, hæreſeos, in Hiſpania emergentis, auctore loquitur, *Gregorium* hunc *Galliæ Præfectum* turbarum auctores Imperatori detuliſſe ſcribit. At Macedonius, Comes Sacrarum Largitionum per Occidentem, grandi pecunia corruptus, fecit, ut auctoritas eriperetur Præfecto, cauſæque cognitio traderetur Hiſpaniarum Vicario.

Licinius

LICINIUS inter Præfectos Prætorio Galliarum quoque refertur, circa An. CCCLXXXV. quod in Codice Lex prima *de Fundis Limitrophis* (*z*) à Valentiniano, Valente & Gratiano Auguſtis jubetur, ut Tiberiani diſpoſitio obſervetur. Hic autem inter Præfectos Galliarum ſupra relatus quum fuerit, Licinium hunc quoque ex idonea conjectura inter eosdem recenſeri putat LACARRY. (*a*) Notandum eſt, *Licinii* nomen in Codicibus diverſimode exprimi. Sunt qui *Linicium*, ſunt qui *Latinium*, appellant.

Evodius.

EVODIUS eodem An. CCCLXXXV. Præfecturam Galliarum exercuit. Hic enim Treviris Priſcillianum, ſub Maximo Imp. tyranno, audivit; qui eum cum Euchrocia, Delphini Oratoris conjuge, gladio addixit, ut idem SULPITIUS SEVERUS (*b*) teſtatur. Evodius hic interfuit quoque convivio, quo S. Martinus à Maximo tyranno exceptus eſt. (*c*) Maximus hic An. CCCLXXXVIII. à Theodoſio Magno apud Aquileiam victus & capite truncatus eſt.

CONSTAN-

(*o*) Leg. XI. *Cod. Theod. de Medicis & Profeſſoribus*; quæ eſt Lib. XIII. Tit. III.

(*p*) Lex XXXV. Tit. V. *de Curſu Publico* Libro VIII. *Cod. Theod.*

(*q*) AUSONII *Operum* pag. 718. Edit. Toll. Oratio hæc habita, circa menſem Octobrem An. 379. ſub finem Conſulatus ſui, quo tempore Gratianus & Auſonius Treviris degebant.

(*r*) Duplicem Præfecturam Prætorio ipſe indicat Auſonius in *Protreptico ad Nepotulum ſuum*, filium Thalaſii.

(*s*) Lex XI. *Cod. Theod. de Luſtrali Conlatione*, Lib. XIII. Tit. I.

(*t*) In *Commentario ad Legem* alleg.

(*u*) Lex VII. *Cod. Theod.* de *Reparationibus Appellationum* Lib. XI. Tit. XXXI.

(*x*) In *Proſopographia Cod. Theod.* verbo *Syagrius*.

(*y*) *Hiſtor.* Lib II. pag. 445. Edit. Hack.

(*z*) Lib. XI. Tit. LIX.

(*a*) *Hiſt. Galliarum ſub Præfectis Prætorio* pag. 44.

(*b*) Lib. II. pag. 449.

(*c*) SULPITIUS SEVERUS in *Vita S. Martini*, Cap. XXIII. pag. 485.

POLITICA.

Conſtan-tianus.

CONSTANTIANUS. Hunc prodit nobis Lex *Codicis Theod.* (*d*) data ad Præfectum Prætorio Galliarum Conſtantianum XIX. Cal. Febr. Timaſio & Promoto Coſſ. hoc eſt, An. CCCLXXXIX. Legis Auctores Valentinianus II. Theodoſ. & Arcadius. Huic adde Legem eorundem Imperatorum, iisdemque Coſſ. miſſam ad *Conſtantum* Præf. Præt. Galliarum, & Treviris datam. Alibi *Conſtantinus* vocatur. (*e*)

Florus.

FLORUS. Hujus Præfecturam nobis indicat Lex ab iisdem Imp. Treviris ad Florum Prætorio Præfectum data, Valentiniano Aug. IV. & Neobario (ſcribendum Neoterio) Coſſ. (*f*) hoc eſt, An. CCCXC. Eadem Lex in *Codice Theodoſiano* (*g*) occurrit, ſed Flori nomen ibi intercidit.

§. XLVI.

Fl. Manlius Theodorus.

FL. MANLIUS (*Mallius*) THEODORUS, Vir Clariſſimus & Doctiſſimus. Ad hunc Præfectum Arcadius & Honorius Impp. Legem dederunt XIII. Kal. Febr. Olybrio & Probino Coſſ. id eſt, An. CCCXCV. (*h*) Præfecturam hanc indicat CLAUDIANUS *in Panegyrico* ſuper Theodori hujus Conſulatum, qui in An. CCCXCIX. incidit; ubi inter alia Præfecturæ Gallicæ limites Hiſpaniis, Britannia Galliisque, circumſcribit, his verbis: (*i*)

" - - Hiſpana tibi Germanaque Thetys
„ Paruit, & noſtro diducta Britannia mundo;
„ Diverſoque tuos claruerunt gurgite voces
„ Lentus Arar, Rhodanusque celer, & dives Iberus.
„ O quoties doluit Rhenus, qua Barbarus ibat:
„ Quod te non geminis frueretur judice ripis.

Indubium ergo, Præfecti Prætorio Galliarum jurisdictionem Rheno noſtro terminatam fuiſſe. Per Germaniam duas Germanias cis Rhenum, & per Synecdochen partis, Galliam univorſam intelligit.

Vincentius.

VINCENTIUS. P. P. Galliarum dicitur in Inſcriptione Legis Arcadii & Honorii Mediolani datæ Cæſario & Attico Coſſ. hoc eſt, An. CCCXCVII. (*k*) Item in alia Conſtitutione eorundem Imperatorum data Theodoro, quem modo memoravimus, Conſule, hoc eſt, An. CCCXCIX. quæ in *Codice Theodoſ.* occurrit; (*l*) ubi GOTHOFREDUS annotat, eum per triennium, ad annum CCCC. usque, Præfecturam Galliarum geſſiſſe. Adde JURETUM ad *Symmachum.* (*m*)

Felix.

FELIX. Triennium Præfecturæ Vincentianæ interrupit aliquantum Felix, uti JAC. GOTHOFREDUS recte judicat ex Inſcriptione Legis Arcadii & Honorii ad Felicem P. P. ſcriptæ, Honorio IV. & Eutychiano Coſſ. hoc eſt An. CCCXCVIII. (*n*) Quum enim Hiſpaniæ, de quibus ibi agitur, ſub Præfecto Prætorio Galliarum fuerint, Lex hæc non ad alium mitti potuit.

§. XLVII.

Petronius.

PETRONIUS. Novimus Præfectum hunc ex *Codice*, (*o*) ubi Arcadius, Honorius & Theodoſius Junior, Legis ad Petronium Auctores dicuntur, at ſine die & Conſule. Quum autem Arcadius Cal. Maji An. CCCCVIII. obierit, & An. CCCCII. ab eo Theodoſius Junior creatus fuerit Auguſtus IV. Idus Januarii, neceſſe eſt Petronium inter CCCCII. & CCCCVIII. Præfecturam geſſiſſe. Adde quod Honorius ipſe Petronii, ut veteris Galliarum Præfecti, meminerit in Conſtitutione An. CCCCXVIII. edita, & Agricolæ Præf. Præt. Galliarum inſcripta, quam correctam edidit SIRMONDUS; (*p*) BERTHERIUS (*q*) autem à Conſtantino tyranno ſcriptam, ab Honorio Imp. renovatam exiſtimat. Sub hoc Præfecto magnam Galliæ ſuæ partem Honorius amiſit, undique irruentibus

(*d*) Lex VIII. *de infirmandis his, quæ ſub tyrannis aut barbaris geſta ſunt.* Lib. XV. Tit. XIV.
(*e*) JAC. GOTHOFREDUS in *Commentario* ad hanc Legem.
(*f*) Leg. XIII. *Cod. de Curſu Publ.* Lib. XII. Tit. LI.
(*g*) Leg. L. quæ *de Hippocomis* eſt Tit. V. *de Curſu Publ.* Lib. VIII. *Cod. Theod.*
(*h*) Lex CXL. *Cod. Theod. de Decurionibus.* Lib. XII. Tit. I.
(*i*) Verſu 50. ſeqq.
(*k*) Leg. V. *Cod. Quando Imperator inter pupillos.* Lib. III. Tit. XII.
(*l*) Lex XXVI. *de Annona & Tributis* Lib. XI. Tit. I.
(*m*) *Miſcellaneorum ad Symmachi Epiſtolas* Lib. IX. Epiſt. XXIII. pag. 234.
(*n*) Lex X. *Cod. Theod. de Senatoribus.* Lib. VI. Tit. II.
(*o*) Leg. III. *de Collatione fundorum fiſcalium,* Lib. XI. Tit. LXXIII.
(*p*) *Not. ad Sidonii Epithalam. Polemii & Araneolæ* vers. 151.
(*q*) *Pithæan. Diatr.* I. pag. 34.

POLITICA.

irruentibus Barbaris, Rhenique limes in perpetuum amiſſus, quippe qui Alemannis ceſſit in prædam & poſſeſſionem perpetuam. Treviri, quater tum direpti, licet reſtaurati deinceps, ab hoc tamen tempore Præfectorum Prætorio, ut & Vicariorum, ſedes eſſe deſierunt. Arelas in Trevirorum locum ſucceſſit, quo Conſtantinus illius ævi tyrannus, victor Galliarum, Vandalis fuſis, Imperii ſui ſedem tranſtulerat: nec urbi honorem Honorius, tyranno oppreſſo, abſtulit, adeoque & Præfecti & Vicarii ſedes permanſit. Præfectura ergo Prætoriana reſtituta licet, Præfecti tamen Arelate ſedentes nihil juris amplius in Rhenenſem noſtram oram exercere potuerunt, Alſatia ſub Alemannis ſemper vivente; unde ſeriem eorum hic plane abrumpimus. Ne tamen Lectori curioſo ignota ſint reliquorum nomina, qui ad extinctum uſque Occidentis Imperium dignitate hac fuerunt induti, en tibi ſequentium ſeriem, prouti eam Lacarry expoſuit.

§. XLVIII.

Præf. Prætorii Arelatenſes.

Petronium ſecuti ſunt
- Limenius, ſub Honorio.
- Apollinaris, Avus Sidonii, ſub Conſtantino tyranno.
- Dardanus, ſub Honorio.
- Rusticus, ſub Conſtantino tyranno, qui anno CCCCXI occiſus eſt ab Honorio.
- Julius, ſub Honorio.
- Agricola, ſub eodem.
- Exuperantius, ſub eodem.
- Armatius, ſub Valentiniano III.
- Auxiliaris, ſub eodem.
- Avitus, ſub eodem.
- Apollinaris, Pater Sidonii, ſub eodem.
- Ferreolus, ſub eodem.
- Priscus Valerianus, ſub eodem.
- Pæonius, Interregni tempore.
- Magnus, ſub Majoriano.
- Arvandus, ſub eodem.
- Auxanius, ſub eodem vel ſub Severo.
- Eutropius, ſub Anthemio.
- Polemius, ſub eodem.
- Felix, ſub Jul. Nepote.
- Liberius, ſub Athalarico, Italiæ Rege.
- Martias, ſub Vitige, Italiæ Rege.

Hæc de Præfectis Prætorio Galliarum.

§. XLIX.

Vicarius Galliarum.

Huic Præfecto, uti diximus, tres trium Diœceſium, Hiſpaniæ, Galliæ Britanniæque Vicarii ſuberant. Unus ergo totius Diœceſeos Galliarum Vicarius fuit, ut ex *Notitia Imperii* liquet. Vocantur hi *Agentes Vicariam Præfecturam*, *Agentes vices Præfecti Prætorio*; item *vice Præfectorum cognoſcentes*. (r) Hi Judicibus ſeu Rectoribus Provinciarum, uti Rectores exactoribus imminuerunt. Vicarii, ut & Præfecti Prætorio Galliæ, inſignia Notitiæ Imperii Auctor omiſit, quæ oobis ex Africæ Vicariatu (s) ſupplenda. Sunt ea hæc: Liber rubro corio tectus, duabus fibulis clauſus, cujus integumentum ſine imagine Principis, liber, inquam, ſuper menſam, tapeto tectam, poſitus. Ad latus menſæ pila aurata, cui Principum vultus affixi. Inferius conſpiciuntur quinque mulierum, coronis ornatarum, dimidiatæ effigies, quæ vaſa, aureis plena, geſtant, Provinciarum, Vicario ſubjectarum, ſymbola. Officiales autem & Miniſtros Vicarii Galliarum quod attinet, *Notitia Imperii* (t) ita de illis loquitur: "Officium (u) „ habet idem vir ſpectabilis Vicarius hoc modo: Principem (x) de Schola Agentum

(r) Imo & *Pro-Præfecto* regere, *Pro-Præfectis* agere dicuntur, uti contra Gutherium Gothofredus *Comment. ad Cod. Theod.* Leg. X. *de Uſuris* Lib. II. Tit. XXXIII. pag. 235. obſervat.

(s) *Notitia Imperii Occid.* pag. 93.

(t) *Notitia Imp.* Sect. XLVIII. pag. 94. Edit. Labb. & Edit. Pancirol. pag. 99.

(u) *Notitia Imperii* ſtylo per *Officium* intelliguntur Officiales, Miniſtri, Apparitores, & quicunque ut Magiſtratui, Vicario ex formula, Dignitatis huic præſcripta, adſunt.

(x) Princeps eſt caput Officii, qui omnibus imperat, & quid agendum ſit, ubique diſponit. In Officio Præfectorum *Primicerius* vocatur.

Agentum (*y*) in rebus ex Ducenariis (*z*) Cornicularium; (*a*) Numerarios duos; (*b*) „ Commentarienſem; (*c*) Ab Actis; (*d*) Curam Epiſtolarum; (*e*) Adjutores, (*f*) „ Subadjuvas; (*g*) Exceptores; (*h*) Singulares (*i*) & reliquum Officium. „ Ceterum *Spectabilitatis* honor competebat Vicario. Huic Galliarum Vicario, apud Treviros ſedenti, ſubordinati fuerunt & Præſes Maximæ Sequanicæ, cui Alſatia Superior paruit, & Conſularis Germaniæ Primæ, cui Alſatia Inferior ſuberat. Vicarius talis per Gallias fuit Acilius Glabrio Sibidius, cui poſita Inſcriptio apud GRUTERUM (*l*) hæc legitur: ACILIO. GLABRIONI. SIBIDIO. V. C. ET. OMNIBVS. MERITIS. INLVSTRI. LEGATO. IN. PROVINCIA. ACHAIA. CONSVLARI. CAMPANIÆ. VICARIO. PER. GALLIAS. SEPTEM. PROVINCIARVM. SACRI. AVDITORII. COGNITORI. Non omnes tamen Diœceſes ſub Vicariis erant: Orientem adminiſtravit Comes, qui & ſubinde appellatur Vicarius, ut BERTHERIUS (*m*) oſtendit.

§. L.

Præſes Maximæ Sequanorum.

Maximam Sequanorum adminiſtravit Præſes, hujusque Provinciæ pars fuit Superior Alſatia. Nomen *Præſidis* interdum generale eſt, eoque continentur Pro-Conſules, Legati Cæſaris, omnesque Provinciarum Rectores. In Lege de *Senatorum criminibus*, ſupra allegata, Præſides quidem primo loco ponuntur, ſed ibi à minoribus ad majores aſcendi jam ſupra annotatum: eadem tamen Præſidis, quæ Conſularis, in Provinciis regendis poteſtas, hic licet gradu vel dignitate præcelleret alterum. Præſidibus, quum prodirent in publicum, nobiliora Inſignia, quam Conſularibus, prælata exiſtimavit GUTHERIUS, (*n*) vultum Principis inter Conſularium Inſignia fuiſſe negans. Sed fallitur Gutherius, qui ex Caſſiodori Formula Conſularis, quam mox dabimus, facile didiciſſet contrarium. Præſidum Inſignia (*o*) erant effigies duorum Principum, velut unius viri, in auratæ pilæ ſummo duos vultus & pectora exprimens: Abacus inſuper, purpureo tapeto tectus, erectum librum ſuſtinens: infra effigies oppidi, nomine provinciæ, cui Præſes jus dicebat, ſuperius inſcripto. Sed & inſuper ſuum Maximæ

(*y*) Principes hi Officiorum ex Schola Agentium in rebus mittebantur. Agentes in rebus Literas & mandata Principis perferebant celeriter, variaque illis negotia committebantur a Principe, evectionibus publici curſus providebant. Singuli in ſingulas mittebantur Provincias, ut Arcadius Honoriusque ſanxerunt Leg. ult. *Cod. de Curios.* Neque vero ex omni numero miſſi ſunt, ſed ex illis, qui gradum meruiſſent in ſchola, Leg. I. *Cod. de Offic. Mag. Officior.* Hi dicebantur *Curioſi*, item *Magiſteriani*, quod ſub Magiſtro Officiorum militarent. Vid. Tit. *Cod. Theod. de Agentibus in Rebus*, ubi JAC. GOTHOFREDUS de munere, ſcholis & privilegiis copioſe.

(*z*) *Ducenarius*, qui duabus militum centuriis præerat, ſicut uni Centurio. Item Judex, qui de levioribus cauſis judicabat. SUETONIUS in *Auguſto* Cap. XLIII. Aliter in *Cod. Theod. Leg.* I. *de Exact.*

(*a*) *Cornicularii* munus erat ad cornua Secretarii ſtare & miniſtrare Judici agenti, loquenti, ſcribenti, reſcribenti. A corniculis, ſive atramentariis, appellatos cenſent. CASSIODORUS Lib. XI. *Epiſt.* XXXVI. ubi de præmio Cornicularii agitur, ita ſcribit: "Præ- „ fuit cornibus Secretarii Prætoriani, unde ei nomen „ eſt derivatum.

(*b*) *Numerarius* Civitatum rationes & rei vectigalis tabulas tractabat, unde etiam *Tabularius* dictus. Inter Officia Præfectorum, Vicariorum, Ducum, Comitum, Numerarii & Tabularii, promiſcue referuntur, in nullo tamen officio occurrunt ſimul, ſat claro indicio, idem munus, diverſis modo titulis, deſignatum fuiſſe. Theodoſius in ſingulis Provinciis Tabularios duos conſtituit, quorum alter fiſcalis arcæ ratiocinia, alter Largitionales titulos curaret, *Leg.* XII. *Cod. Theod. de Numerar.* Adde *Leg.* IX. item *Leg.* XXX. *de Suſceptoribus.* De Tabulariis his Titulus quoque eſt in eodem Codice. Confer Edictum Theoderici Regis §. CXXVI.

(*c*) *Commentarienſis* eſt cuſtos & præfectus carceris, qui vinctorum nomina in Commentario ſive libello perſcribebat. Leg. IV. *Cod. de Cuſtodia reorum.*

(*d*) *Ab Actis* ſunt Actuarii, Exceptores, Actorum Scriptores. *Nov. Juſtin.* 38.

(*e*) *Cura Epiſtolarum*, qui curam gerit Epiſtolarum. Cura pro Curatore, unde *Cura Palatii* dignitas Palatina, cui CASSIODORUS Lib. VII. *Epiſt.* V. Palatinorum ædificiorum inſtaurandorum & de novo exſtruendorum curam incubuiſſe ait, qui & Curopalates.

(*f*) *Adjutores* varii generis erant in civilibus & militaribus officiis, qui Magiſtratibus, vel potius Officialibus, quibusvis adjungebantur, ut in muniis obeundis eſſent, qui eum adjuvarent. Vide Leg. XX. *Cod. Theod. de Palatinis Sacr. Largit.*

(*g*) *Subadjuva*, adjutoris adjutor, qui in aliquo officio Magiſtratus præcipuo Adjutori ſuberat, ejusque vices agebat. *Cod. Theodoſ.* Leg. III. *de Agent. in Reb.*

(*h*) *Exceptor*, qui Judicis ſententiam excipit, Notarius, Amanuenſis. ISONIS MAGISTRI *Gloſſa ad Prudentium*: "Scribas, Exceptores, qui dicta Judi- „ cis & reſponſa Martyris excipiebant. „ Adde ENNODIUM in *Vita S. Epiphanii*, *Epiſcopi Ticinenſis*, ubi: "Notarum in ſcribendo compendia & figuras „ varias, verborum multitudinem comprehendentes, „ (unde Notarii) brevi aſſecutus, in Exceptorum „ numero dedicatus enituit.

(*i*) *Singulares*, *Singularii*, inter poſtrema officia Præfectorum, Vicariorum &c. Variæ de hoc munere ſententiæ. A nonnullis ita appellati creduntur, quod ſingulis literis, ſive ſiglis, ſcribere ſoliti fuerint. PANCIROLUS *Commentar.* in *Notitiam Imperii Oriental.* pag. 38. putat, quod à cæteris omnibus Scriniariis eſſent disjuncti: JUSTINIANUS enim eos à Scriniariis diſtinguit Leg. I. in fin. *Cod. de Offic. Præf. Præt. Afr.* Veriſimilior hæc conjectura, quam quæ ab Ala Equitum Singulariorum ita dictos exiſtimat.

(*l*) *Inſcript.* Tom. I. pag. 344. num. 2.

(*m*) *Pithanon Diatr.* I. pag. 92.

(*n*) *De Officio Domus Aug.* Lib. I. Cap. V.

(*o*) *Notit. Imp. Occid.* pagg. 88. 155. & 156. Edit. Pancirol.

Sequanicæ Præſes Officium habuit hoc modo: (*p*) " Principem ex eodem Officio, „ Cornicularium, Tabularios duos, (*q*) Commentarienſem, Adjutorem, ab Actis, „ Subadjuvam, Exceptores, & reliquos Cohortalinos; (*r*) quibus non licet ad aliam „ transire militiam, ſine annutatione clementiæ Principalis. „ In Præſidum horum, Veſontione ſedentium, numerum CHIFLETIUS (*s*) reponit Aurelium Proculum; & quidem fide Lapidis antiqui, qui Conſtantiæ ad Lacum Brigantinum eſt, cujus Lapidis verba poſtrema à nonnemine addita eſſe, ſupra (*t*) oſtendimus: adeoque Proculus hic Alſatiam Superiorem non reſpicit. ÆGIDIUM LACARRIUM (*u*) eadem Inſcriptio eundem in errorem induxit. Proculo huic Urſicinum, Salluſtium, Marcellumque Martyrologiorum auctoritate Chifletius Maximæ Sequanorum Præſides addidit. Hæc de Superiore Alſatia.

§. LI.

Conſularis Germaniæ primæ.

Alſatia Inferior jurisdictioni Conſularis Germaniæ Primæ, Moguntiaci ſedentis, ſuberat. Roma florente, qui Conſulatu functi ſunt, *Conſulares*, voce adjective ſumpta, appellabantur. Poſterioribus temporibus *Conſularis* Rectorem Provinciæ, novo ſignificatu, quam Latinitatem mediam vocant, denotavit. Hadrianus jam quatuor Conſulares, per omnem Italiam, conſtituit judices. (*x*) Illi ergo, qui *Ex-Conſulibus* dicebantur diverſi plane à Conſularibus fuerunt; priore nomine inſigniti, qui Conſulatum re vera geſſerant, quum plerique Conſularium, de quibus nos agimus, nunquam fuerint Conſules. *Conſularitatis* Formulam nobis reliquit CASSIODORUS, (*y*) Inſignia autem ejus *Notitia Dignitatum Imperii.* (*z*) Caſſiodorus ait: " Secures & faſces tuis videntur „ faleris deputata. Sed quale tibi debet eſſe, quod curules inclytas probatur ornare? „ Vultus quin etiam Regnantium geniata obſequii pompa præmittit. De nomine „ Conſulis promitteris clementiſſimus, & de Principum imagine metuendus. In „ aliquibus adhuc Provinciis ornatus penula Carpenti etiam ſubvectione decoraris, ut „ multis declaretur indiciis, per expreſſas imagines, rerum vices te præcelſæ gerere „ dignitatis.

Conſularis hujus Moguntiacenſis Inſignia non exprimit quidem, *Notitia Imperii*, at Inſignia Conſularis Campaniæ (*a*) ita: Tribunal amplum, in quo mulier, Provinciam referens capite turrito, ſiniſtra clypeum, dextra tenens vexillum, cui Provinciæ nomen inſcriptum. Quum autem in fine ſubjungatur: " Cæteri omnes Conſulares ad ſimilitu- „ dinem Conſularium Campaniæ Officium habent; „ noſtri quoque Moguntiacenſi eadem extitiſſe inſignia veriſimile eſt. CASSIODORUS tamen Carpentum etiam nonnullis additum annotat. Formulam ſuam quum Caſſiodorus ſeculi VI. initio conſcriberet, centum jam annis Germaniæ Primæ dignitas Conſularis perierat. In Notitia autem Imperii quindecim Conſulares per omne Imperium Rom. numerantur. Officium quod attinet, Germaniæ Primæ Conſularis hoc habuit: (*b*) "Principem de Officio Præfecti „ Prætorio Italiæ, Cornicularium, Tabularios duos pro Numerario, Adjutorem, „ Commentarienſem, ab Actis, Subadjuvam, Exceptores & reliquos Cohortalinos; „ quibus non licet ad aliam transire militiam, ſine annutatione clementiæ Principalis. „ *Clariſſimi* titulo ornabatur Conſularis Provinciæ. Alſatia Inferior circa Conſularium ſuorum nomina haud felicior eſt, quam Alſatia Superior, à Maximæ Sequanicæ Præſide recta. Inſcriptio vetus apud SPONIUM (*c*) & apud GRUTERUM (*d*) de LEPIDO, EX CONSVLARI. GERMANIÆ. PRIMÆ loquitur; præter hunc Primæ noſtræ Germaniæ Conſularem vix alius reperitur.

§. LII.

(*p*) *Notitia Imp. Sect.* LXVII. pag. 126. Edit. Labb. ubi occaſione Officii Præſidis Dalmatiæ, cujus recenſetur Officium, hæc adduntur: " Cæteri Præ- „ ſides ad ſimilitudinem Præſidis Dalmatiæ Officium „ habent.

(*q*) Officiales, qui hic memorantur, in ſuperiori jam occurrerunt Officio. Tabularii ibidem Numerariorum nomine appellantur.

(*r*) *Cohortalini*, *Cohortales*, *Curtalini*. Ita dicti ſunt primum Officiales Præfecti Prætorio, uti docet Lex I. *Cod. Theod. de Cohortal.* ſed poſtmodum ita quoque vocati Rectorum Provinciarum officiales. Vid. Leg. XXVI. XXVIII. tit. de *Cohortalinis*. His Principis injuſſu non licebat ad aliam transire militiam.

(*s*) *Veſontionis* Part. I. Cap. XXIX. pag. 106.

(*t*) Sect. I. §. XVI. pag. 131.

(*u*) *Hiſtoria Galliarum ſub Præfectis Prætorio* pag. 10.

(*x*) SPARTIANUS in *Hadriano* Veſpaſiani ætate Legati Conſulares in quibusdam Provinciis fuere, Conſulares Provinciarum nusquam. Jo. FRID. GRONOVIUS *Obſervat. in Scriptoribus Eccleſiaſt.* pag. 226. BULENGERUS *de Imperio Rom.* Lib. IV. Cap. XXXVI.

(*y*) *Variar.* Lib. VI. Cap. XX. pag. 107. Edit. Garet. Tom. I.

(*z*) Sect. LXVI. pag. 125. Edit. Labb. & pag. 152. Edit. Pancirol.

(*a*) *Notit. Dignit. Imperii Occid.* pag. 152. Edit. Pancirol.

(*b*) *Notitia Imp.* Sect. LXVI. pag. 125. Edit. Labb. Officium refert Conſularis in Provincia Campaniæ, cui Conſulari cæteri pares fuerunt.

(*c*) *Miſcellanea Erudita Antiquit.* pag. 150.

(*d*) *Inſcriptionum* Tom. I. pag. 151. num. 6.

§. LII.

Magiſter Equitum per Gallias.

Sed jam à Dignitatibus Civilibus ad Militares, quibus recta fuit Alſatia, progredimur. Has inter primo loco annotandus eſt *Magiſter Equitum per Gallias*, quem inter Dignitates Occidentis primarias *Notitia Imperii* (*e*) recenſet, atque duobus *Magiſtris in Præſenti*, vel *Præſentalibus*, qui in comitatu Principis ſemper erant præſentes, ſubjungit. Unus tantum fuit in Gallia, apud Hiſpanos autem & Britannos nullus, ubi Magiſtri Militum vices à Comitibus exercebantur. Magiſter hic & civiles & criminales militum cauſas, ut Præfectus Prætorio provincialium, audivit, ejusque dignitas fuit poſt Imperatorem in militaribus prima, ut teſtatur HIERONYMUS. (*f*) *Magiſteria Militaris* ſubinde dicitur, (*g*) item *Magiſteria Militum* poteſtas: (*h*) par Præfectorianæ; (*i*) quippe cui *Illuſtriſſimatus* competebat: interdum tamen & *Eminentiſſimi*, *Excelſi* & *Illuſtres*, ſimpliciter dicti fuerunt Equitum Magiſtri. *Notitia Dignitatum Imperii* hac utitur rubrica: (*k*) *Intra Gallias cum Viro Illuſtri Comite & Magiſtro Equitum Galliarum.* Utroque Comitis & Magiſtri nomine inſignitur hic Galliarum Magiſter; qui licet Peditum Equitumque copias ſub ſe haberet, Equitum tamen dicebatur Magiſter; forte quod in his præcipuum ipſius robur conſiſteret. Magiſtri Equitum per Gallias Officium in dicta Notitia (*l*) hoc modo indicatur: "Princeps ex Officiis Magiſtrorum Militum præſentalium, uno anno à parte peditum, alio à parte equitum, (*m*) Commentarienſis, Numerarii ex Viris & Officiis ſingulares, Adjutor, Regerendarius, (*n*) Exceptores & reliqui apparitores." Annotantur ibidem copiæ militum, ſive equites & pedites, qui eidem Galliarum Magiſtro ſuberant. (*o*) Inſignia autem ejus in Notitia Imperii non indicantur, at illa, quibus Collega ejus uſus eſt, Magiſter Militum Præſentalis: (*p*) Liber nempe mandatorum ſupra abacum, tapeto inſtratum, cujus umbilico, aureæque tabellæ, aurei duorum Principum vultus inſculpti. Ratio omiſſionis Inſignium à PANCIROLO (*q*) allegata, quod provincia hæc Galliarum à Barbaris occupata tum fuerit, non quadrat: tum quod ante An. CCCCVII. Notitia hæc condita eſſe videatur, tum quod Britannias adhuc cum Duce Comiteque & eorum Officiis recenſeat Notitia; quam Provinciam tamen ante Gallias jam deſeruerant Romani, circa ſeculi V. initia.

Origo Imaginis Imperatoris, inter præcipuorum Magiſtratuum Inſignia ponendæ, inde prognata, quod Imperatores electi imaginem ſuam mittere ſolebant Romam. Ita Conſtantinus M. poſt patris obitum à Prætorianis militibus Cæſar apud Britannos appellatus, Imaginem ſuam tranſmiſit Romam, & quidem ex more, uti ZOSIMUS (*r*) ſcribit; unde Maxentius, Maximiani filius, æmulus ejus vehementer commotus eſt: rem confirmat LACTANTIUS. (*s*) In exercitibus quoque Imago Imperatoris geſtabatur à ſignifero quodam, qui *Imaginifer* vel *Imaginarius* hinc vocabatur, uti Aquilifer, qui Aquilam portabat, referente VEGETIO. (*t*)

§. LIII.

Duces Alſatiæ.

Magiſtro Equitum Galliæ ſubordinati erant *Duces* & *Comites*. Licet enim Magiſter etiam Comes ſubinde vocaretur, (*u*) uti modo vidimus, prior tamen titulus plus auctoritatis habebat. AMMIANUS (*x*) de Æquitio ait: "Illyriciano præponitur exercitui, nondum Magiſter, ſed Comes." Taciti ætate Duces pro Militum Præfectis generatim

(*e*) Sect. XXXIV. Edit. Labb. pag. 57. Edit. Panciról. pag. 7.

(*f*) *Commentar. in Ezechiel.* Cap. XXIII.

(*g*) Leg. I. *Cod. de Præpoſ. Sacri Cubic.*

(*h*) Leg. ult. *Cod. Theod. de Metat.*

(*i*) Leg. I. *de Præf. Præt.* Ita militaris poteſtas ablata eſt Præfectis Prætorio, quod prudenter Conſtantinus inſtituit. Valentinianus, Valens & Gratianus, Auguſti, Lege lata *Cod. Theod.* Lib. VI. Tit. VII. voluerunt, ut Præfectus Urbi, Præfectus Prætorio, Magiſtri Equitum & Peditum indiſcretæ eſſent dignitatis, & alter alterum promotionis tempore præcederet, quum ad privatam vitam ſeceſſerint.

(*k*) Sectione XL. pag. 78. Edit. Labb. & pag. 55. Edit. Panciról.

(*l*) Ibid. pag. 76. Edit. Labb.

(*m*) Magiſter Equitum per Gallias præter copias militum, quas ipſe ex ſe habebat, alias inſuper à Magiſtris Peditum Equitumque Præſentalibus accipiebat, imo & aliquot Cohortales ab eorum officiis aſſumebat. Unde Principem ex Officiis Magiſtrorum Militum Præſentalium uno anno, à parte Peditum, altero, à parte Equitum, habebat, quorum caput vel præfectus *Princeps* appellabatur; Princeps nempe vel Præfectus Cohortium illarum, quæ à Præſentalibus miſſæ quotannis. Quotquot enim in ordine aliquo primarium locum obtinebant, principes; ſubinde quoque *Primiceriі* dicti fuerunt.

(*n*) *Regerendarius*, qui in Scripta, Tabulas vel Codicem, regerit aut refert: vocatus etiam *Regendarius*: erat a Regeſtis. Iſo in *Gloſſis*: "Regeſtum vocatur Liber continens memorias aliorum Librorum & Epiſtolas in unum collectas." Edicta Regum regeruntur (inregiſtrantur) in Curiis ſupremis.

(*o*) Ead. Sect. pag. 74. & 78.

(*p*) *Notitia Imp. Orient.* pag. 54. Edit. Pancir.

(*q*) *Commentar. ad Notit. Imp. Occid.* Cap. XXVIII. pag. 56.

(*r*) *Hiſtor.* Lib. II. Cap. IX. Ἐν τῇ Ῥώμῃ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ δειχθεῖσαν, κατὰ τὸ σύνηθες. Romæ imagine ejus exhibita, pro more.

(*s*) *De Mortibus Perſecutor.* Cap. XXV. ubi: *Laureata Imago* (Conſtantini) *adlata eſt ad malam beſtiam.* Galerium Maximianum intelligit.

(*t*) *De Re Militari* Lib. II. Cap. VII. ubi addit: *Signiferi, qui ſigna portant, quos nunc Draconarios vocant.*

(*u*) Leg. I. *Cod. de Offic. Magiſtr. Milit.*

(*x*) Lib. XXVI. Cap. V.

generatim ſumebantur, paulo poſt Limitum Præfecti ſpeciatim appellati ſunt Duces. Res militaris Alſatiæ duobus Ducibus & uni Comiti ſuit mandata: Superior Sequanici Provinciæ Duci, Inferior Comiti Argentoratenſi, quoad maximam partem, reliqua pars Duci Moguntiacenſi. Magiſtri Militum, ſive Equitum, ſive Peditum, uti æqualis erant dignitatis cum Præfectis Prætorio, ita Duces & Comites rei militaris æquabantur Vicariis Diœceſeon, iiſdemque titulis Dignitatum decorabantur. A Sequanici Duce ducendum initium. Hic ſedem ſuam non habuit Veſontione, ut Sequanici Præſes, ſed *Olmone*, quod Caſtellum fuit propius Rheno; unde Alemannorum furentium motus obſervare potuit Dux ille militiæ in his partibus ſummus, uti in Germania Prima Moguntiaci eosdem motus Dux ibi conſtitutus obſervare ſolebat. Notitia Dignitatum Imperii haud obſcure hoc nobis indigitat. Repræſentatur ibi (*y*) ſub Provinciæ Sequanicæ Duce Caſtellum, ſupra quod Liber magnæ molis, duabus fibulis clauſus, cum codicillis ad latus. Libro inſcriptæ ſunt ſiglæ, quæ in ſimilibus aliorum Ducum, imo & Comitis Argentoratenſis, (*z*) Libris in eadem Notitia occurrunt, nempe:

Tab. Inſignium Mag. Alſat. Fig. A.

Fig. B.

F L.

IN TA$\overline{\text{LL}}$

COMO$\overline{\text{RD}}$

$\overline{\text{PR}}$

Has GUIDO PANCIROLUS (*a*) aliique, eum ſecuti, conjectura veriſimili, ſequentem in modum exponunt: *Felix Liber injunctus Notariis Tribunis à Laterculo, continens mandata ordine Primicerii*, vel *Principis*. Exponit hæc interpretatio, quid ſit Liber, à quo expediatur, quid contineat, & unde edatur, nempe à Laterculo. Scilicet Icon hæc in Notitia Imperii eo in loco occurrit, (*b*) ubi de Primicerio Notariorum ſermo eſt. Libro, duobus umbilicis clauſo, appoſitus eſt voluminum faſciculus; infra quem jacet Liber alius major, ſed ſine umbilicis, cujus inſcriptio: *Laterculum majus*; quæ omnia Primicerii officium & munus reſpiciunt. Unde conjicimus, alterum Librum eſſe Laterculum minus, quod Primicerius Magiſtratibus tradidit, in quo Principis Mandata, Leges & Conſtitutiones Imperii, continebantur. Hinc in Primicerii Notariorum Notitia idem Laterculum minus cum Laterculo majore, atque faſciculo Voluminum vel Codicillorum, exhibetur conjunctim.

§. LIV.

Inſignia Ducum.

In Inſignibus Ducum vero & Comitum ſolus liber minor, umbilicis inſtructus, apparet; qui datus eſt eis, ut, quid muneris & officii ſui ſit, inde addiſcerent, Legesque in illo contentas, Jurisdictionis exercendæ cauſa, diligenter inſpicerent. Illuſtrat hæc omnia JUSTINIANUS, ad Tribonianum Quæſtorem Palatii ſcribens: (*c*) “ Illuſtris „ auctoritas tua eadem mandata & in Libris Legum tranſcribi, & in ſacro Laterculo „ deponi, præcipiat, quatenus ex his una cum Codicillis ſuſcipiendis adminiſtratores, „ quemadmodum poſſint Reipublicæ ſubvenire, non ignorent. „ Nonnulli Laterculum majus Dignitatum majorum, minus vero minorum, Notitiam continuiſſe crediderunt. JULIUS CÆSAR BULENGERUS (*d*) majus apud Principem ſub cura Primicerii Notariorum ſervatum fuiſſe exiſtimat, in quo Cives & Majores Magiſtratus deſcripti: minus ſub cura fuiſſe Quæſtoris, in quo Præfecturæ, Tribunatus omnes & Præpoſituræ caſtrorum, adeoque Militaria munera deſignarentur. *Laterculi* vox ſub Antoninis in uſu, ſub Auguſto *Breviarium Imperii* appellabatur; inde *Commentarius Principis* quoque cœpit vocari. (*e*)

Caſtrum.

Caſtrum quod attinet, magnifice illud exſtructum, repræſentatur, eumque plane in modum, quo in eadem *Notitia Imperii* (*f*) Caſtrum Comitis Argentoratenſis apparet, cum Inſcriptione: *Argentoratenſis*; pauciſſima huic Caſtro ſimilia in tota Imperii Occidentalis Notitia occurrunt. Caſtro ſuperinſcriptum *Olmo*, in quibusdam Codicibus *Olmone*,

(*y*) *Notit. Dignitat. Imperii Occid.* pag. 135. Edit. Pancir. Vide *Tab. noſtram Inſignium Magiſtratuum Alſatiæ Romanæ*, Fig. *A*.

(*z*) Pag. 115. Edit. Genev. Pancir.

(*a*) *Commentar. ad Notit. Imperii Orient.* Cap. XCII. pag. 145. SERTORIUS URSATUS *de Notis Romanor.* pag. 186.


(*b*) Loco cit. pag. 144.

(*c*) *Auth. de Mandatis Princ.* §. I. ſeu *Nov.* 17. in princip.

(*d*) *De Imperio Romano* Lib. II. Cap. XIII. pag. 339.

(*e*) Leg. III. D. *Ex quib. cauſis major.*

(*f*) Pag. 115. Edit. Genev. Pancirol.



Ex Notitia Dignit: Imperii

POLITICA.

Olinone; quod haud dubie nomen Caſtri exprimit, ubi Dux Sequanici ſuam tenuerat ſedem. Juniores Rauracenſium, Helveticarum, Sequanicarum Alſaticarumque Rerum Scriptores, unanimi conſenſu huc referunt locum *Hole* Baſiliæ vicinum, nec ego habeo, quod regeram. Ceterum " ſub diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis Provinciæ Sequanici „ erant: (*g*) Milites Latavienſes Olinone. Officium autem habet idem Vir ſpecta- „ bilis Dux hoc modo: Principem ex Officiis Magiſtrorum Militum præſentalium à „ parte peditum, (*h*) Numerarium utrunque, Commentarienſem ut ſupra, Adjutorem, „ Subadjuvam, Regerendarium, Exceptores, Singulares & reliquos Officiales.

§. LV.

Comes Argentoratenſis.

Sequanici Ducis jurisdictio militaris ubi in Alſatia terminabatur, ibi Argentoratenſis Comitis diſtrictus incepit. *Notitia Dignitatum Imperii* Comitis noſtri formulam ita exponit: (*i*) *Sub diſpoſitione Viri ſpectabilis Comitis Argentoratenſis: Tractus Argentoratenſis.* Comes ergo noſter eodem, quo Duces, elogio ornatus fuit. Inſignia eadem plane, quæ Sequanici Provinciæ Ducis, idem Liber, iidem Codicilli, idem Caſtrum, quod ſupra in Duce Provinciæ Sequanicæ vidimus. Sub Libro & Codicillis Caſtrum ſive *Munitio*, magnifice extructa, ſive unius urbis effigies, uti in Sequanici Ducis & in Britanniæ Comitis inſignibus, occurrit, cum Inſcriptione: *Argentoratenſis.*

Comitum Officium.

Comitum limitaneorum officium annotat Notitia, (*k*) hoc modo: " Principem „ ex Officio Magiſtri Militum præſentalium uno anno à parte Peditum, alio anno à parte „ Equitum: Cornicularium, Adjutorem, Commentarienſem ex Officio Magiſtri Militum „ præſentalium alternis annis: Numerarios duos ex utrisque Officiis Magiſtri Militum „ præſentalium ſingulos, Subadjuvam, Regerendarium, Exceptores, Singulares & „ reliquos Officiales. „ Officium hoc licet non ſubjunxerit *Comiti Argentoratenſi* Notitia, idem tamen, quod reliquorum, fuiſſe neceſſe eſt; quum eandem rem toties repetere ſupervacaneum videretur. Illuſtriores nimirum per omne Occidentis Imperium Comites in eadem Notitia ſex memorantur, I. Comes Africæ limitaneus, II. Comes Tingitaniæ limitaneus, III. Comes littoris Saxonici per Britanniam, IV. Comes Britanniarum, V. Comes Italiæ, VI. Comes Argentoratenſis. Primarii hi totius Imperii Comites dignitate, poteſtate, prærogativa, inſignibus, titulis, æquiparati ſunt Ducibus.

§. LVI.

Com. Arg. Mogunt. Duci non ſubjectus.

Errare ergo nobis videntur omnino, (*l*) qui Comitem Argentoratenſem Duci Moguntiacenſi, imo & Conſulari, Moguntiaci ſedenti, ſubordinatum fuiſſe, ſibi perſuadent; quando Comes ille omnia jura cum Ducibus communia habuit, & ſub utrisque Legiones & Equitum vexillationes meruerunt: adde quod Comites Ducibus haud raro prælati. AMMIANUS (*m*) certe Sebaſtianum *Comitem ex Duce Ægypti* appellat. Ceterum *Comitis* nomen novos jam ſignificatus diverſos ſuſcipere cœpit. Notiſſimus eſt antiquior, quo Proconſulem aut Prætorem in provincias, vel Senatus, vel ipſorum Magiſtratuum, judicio comitati deſignabantur, qui publicorum Negotiorum adjutores fiebant: cujusmodi fuere Quæſtores, Legati, Scribæ, Accenſi &c. Conſtantiniano autem ævo vox *Comitis* ad Magiſtratus, cum Urbanos, tum Provinciales cœpit referri; qui iterum à Comitibus Palatinis, in Comitatu vel Aula Principis hærentibus, fuerunt diſtincti. (*n*) Conſtantinus M. Comites primi, ſecundi & tertii ordinis invenit; (*o*) quorum aliqui Militares, Ducibus pares, ſubinde ſuperiores, nonnulli honorarium Magiſtri Equitum axioma per Codicillos adepti. (*p*) Argentoratenſem Comitem ex

primæ

(*g*) *Not. Imp. Occid.* pag. 135. Edit. Pancir. Genev. item pag. 113. Edit. Labb.

(*h*) Recte hic Librarii errorem ſubodoravit GUIDO PANCIROLUS, qui legendum eſſe putat, *ex Officio Magiſtri Militum.* Quum enim pedites tantum Dux haberet, veriſimile eſt, à Magiſtro Equitum non accepiſſe Principem. Si vero recte legitur: *ex Officiis Magiſtrorum Militum*, tum delenda ſunt verba: *à parte peditum*, & adjiciendum vel ſubaudiendum eſt *alternis annis*, uti hoc in eadem Notitia ſub *Duce Moguntiacenſi* aliisque exprimitur; ut nimirum anno uno ex Officio Magiſtri peditum, altero ex Officio Magiſtri Equitum Principem, Numerarios & Commentarienſem acciperet: Adjutorem vero, Subadjuvam, Regerendarium, Exceptores, Singulares & reliquos Officiales, ipſe Dux conſtituebat.

(*i*) Pag. 115. Edit. Genev. Sect. LIII. pag. 100. Edit. Labb. Vide *Tab.* noſtram *Inſignium Magiſtratuum Alſatiæ Rom. Fig. B.*

(*k*) Sect. L. pag. 96. ſqq. Edit. Labb. & pag. 104. ſq. Edit. Pancirol.

(*l*) SEBAST. MUNSTERUS in *Coſmogr.* Lib. III. Cap. XI. BEAT. RHENANUS *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 223. ubi ait: " Comes Argentoratenſis, Præ„ fectus Militum apud Nemetas, & Præfectus mili„ tum apud Vangiones, Ducem Moguntiacenſem „ agnoſcebant, & Conſularem ipſum. „ Conſularis Germaniæ Primæ jurisdictio civilis fuit, non militaris.

(*m*) Lib. XXIII. Cap. III.

(*n*) BULENGERUS *de Imperio Romano* Lib. IV. Cap. XXIV. ſqq.

(*o*) EUSEBIUS *in Vita Conſtantini* Lib. IV. Cap. I.

(*p*) *Cod. Theodoſ.* Lib. VI. Tit. VII. Leg. I.

primæ claſſis Comitibus, nulli Duci ſubjectis, fuiſſe, id nobis perſuadet, quod eadem plane cum Duce Sequanicæ Inſignia geſſit, quodque eodem *Spectabilis* ornabatur elogio, quo Duces, uti id ex Notitiæ Imperii ſchematibus apparet. Quum autem Comitiva, ſive jurisdictio militaris, civilem (*q*) non ſemper excluſerit, haud immerito quæritur, an Comes Argentoratenſis utramque habuerit? Utramque ſi habuiſſet, jurisdictioni civili Conſularis Germaniæ Primæ, qui Moguntiaci ſedit, Alſatia Inferior non fuiſſet ſubjecta, à proprio ſuo Comite ſagato togatoque recta. Verum enimvero quum ex ordinatione communi nec Comites, nec Duces, nec Magiſtri Militum, jurisdictionem in populos civilem habuerint, uti Pancirolus (*r*) obſervat, nosque documentis, quæ quæſtioni lumen afferre poſſent, deſtituamur, ampliandum hac in re eſſe exiſtimo.

§. LVII.

Comitatus Argentorat. limites.

Comitatus Argentoratenſis limites quod attinet, quousque illi ſeſe extenderint, haud difficulter definimus. Sequanicum tractum Alſatia Superiore terminatum fuiſſe, ſupra probatum eſt. Argentoratenſis ergo Comitis tractus incepit, ubi Alſatia Inferior initium ſumſit, & ad oppidum Saletionem, quod hodieque Epiſcopatus Argentoratenſis cis Rhenum limes eſt, terminabatur. Tum demum Ducis Moguntiacenſis inchoaverat ditio. Evidens hujus rei documentum ſunt Ducis Moguntiacenſis Inſignia. Urbium enim & Caſtellorum, ei ſubjacentium, nomina ubi recenſentur, *Saletio* primo loco memoratur. Multum aberrat à vero Guido Pancirolus, (*s*) qui Comitis Argentoratenſis tractum Vangiones & Treviros quoque comprehendiſſe exiſtimat, non perpendens, Moguntiacum in Vangionibus ſitum. In hos autem & Trevirenſes jurisdictionem militarem ſi Comes Argentoratenſis exercuiſſet, Dux Moguntiacenſis vel nullum habuiſſet militare imperium, vel Comiti Argentoratenſi plane fuiſſet ſubjectus. Peculiarem vero & primariæ dignitatis Comitem Argentorato impoſitum, nemo mirabitur, quum perpenderit, non unam alteramve Fabricam, vel Sagittariam, vel Loricariam, vel Scutariam, vel Baliſtariam, Clibanariam aut Spatariam, quæ diverſis in locis Illyrici, Italiæ, Galliæque floruerunt ſingulæ, (*t*) Argentorati extitiſſe, ſed omnes. Argentoratenſis ſola *Armorum omnium*, atque hinc inter octo Fabricas Galliarum primo loco poſita fuit. In urbe limitanea & florente, ubi tot enſium, haſtarum, caſſidum, ſcutorum, cataphractarum, omniumque, quibus in bello opus, armorum Officinæ, quæque adeo præcipuum totius Imperii Romani Armamentarium conſtituit, peculiarem Comitem rei bellicæ cauſa, qui urbi nempe & regioni vicinæ præeſſet, conſtitutum fuiſſe quid mirum?

§. LVIII.

Jurisdictio Comitis Argentor.

Omnis ergo res militaris Germaniæ Primæ à Duce Moguntiacenſi & à Comite Argentoratenſi ſub Magiſtro Equitum Galliæ recta fuit: quod ipſum apud Britannos quoque factum, uti Ammianus (*u*) me docet. " Britannias (inquit) indicabant „ barbarica conſpiratione ad ultimam vexatas inopiam, Nectaridumque Comitem maritimi „ tractus occiſum, & Bulchonandem Ducem hoſtilibus inſidiis circumventum. „ Ceterum in univerſo Occidentis Imperio CCLXIX. præſidia cum totidem præpoſitis computabantur. Ex his unum præſidium Argentoratum occupavit, ut ex *Notitia Imperii* (*w*) patet, quum reliqua omnia, ſi Mogontiacum excipias, per Provincias, non per urbes, diſponerentur. Præſidium hoc erat mille peditum, teſte eadem *Notitia.* (*x*) Sed & Comitis ejusdem jurisdictioni ſubjectæ fuerunt illæ copiæ, quæ inter Marckelshemium & Saletionem tendebant. Ex omni Comitum Argentoratenſium numero, qui per LXXX. circiter annos Argentorati ſederunt, vix unius nomen reperimus. Charietto per utramque Germaniam Comes, ſub Valentiniano & Valente, Auguſtis, circa An. CCCLXVI. (*y*) ab Ammiano Marcellino (*z*) refertur; huncque adeo inter noſtros referre haud dubito, quod ad Germaniam Primam pertinet, in qua Argentoratenſis Comes ſolus occurrit. Unus enim Dux, unus Comes, plures ſub jurisdictione Tractus & Civitates habere potuit. Apud Cassiodorum certe extat *Formula Comitivæ diverſarum Civitatum.* (*a*) Comitis Argentoratenſis jurisdictio, ſi & togata fuit atque ſagata; nonniſi

(*q*) Formulam Comitivæ civitatum nobis dat Cassiodorus *Variarum* Lib. VII. Cap. XXVI.

(*r*) *Commentar. in Notit. Imperii Oriental.* pag. XXXIV.

(*s*) *Commentar. in Notit. Imp. Occid.* Cap. LXXV. pag. 115.

(*t*) Vid. ſupra Lib. II. Cap. IV. §. CLXIII. pag. 214.

(*u*) Lib. XXVII. Idem Ammianus Lib. XXVIII. docet, Theodoſium, qui poſtea imperavit, Ducem apud Britannos fuiſſe.

(*w*) Pag. 105.

(*x*) Pag. 157.

(*y*) Gratiano & Dagalaipho Coſſ.

(*z*) Lib. XXVII. Cap. I.

(*a*) *Variar.* Lib. VII. num. 26.

nonniſi infima Alſatia, Nemetica nempe, Conſularis (*b*) Germaniæ Primæ, apud Moguntiacenſes ſedentis, jurisdictioni civili fuit ſubjecta. Si vero tantum ſagata, Germaniæ Primæ Conſularis jurisdictionem in omnem Inferiorem Alſatiam, Tribocenſem nimirum atque Nemeticam habuit, uti jam dictum. Sed præter hunc Conſularem eadem Germania Prima quoque habuit, uti diximus, Ducem, qui rerum militarium cauſa io eadem hac urbe Mogontiacenſi ſedebat. De Duce hoc ſequentia annotat *Notitia:* (*c*) " Sub Diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis Mogontiacenſis: Præfectus militum Pacenſium „ Saletione: Præfectus militum Menapiorum Tabernis: Præfectus militum Anderecia- „ norum Vico Julio: Præfectus militum Vindicum Nemetes: Præfectus militum Mar- „ tenſium Alta Ripa: Præfectus militum ſecundæ Flaviæ Vangiones: Præfectus militum „ Armigerorum Mogontiaco: Præfectus militum Bingenſium Bingio: Præfectus militum „ Baliſtariorum Bodobrica: Præfectus militum Defenſorum Confluentibus: Præfectus „ militum Acincenſium Antonaco. „ Militare tantum fuiſſe Ducis Mogontiacenſis imperium, ex hac ipſius diſpoſitione perſpicimus. Suberant ei præſidia limitanea urbium atque caſtellorum ſive arcium ad Rhenum, cum ſuis Præfectis. Recenſentur hic XI. Legiooum Præfecti, ſine Equitibus. (*d*)

§. LIX.

Legiones in partes diviſæ.

Notamus ante omnia, unam Legionem plures ſæpe diverſis in locis ſtationes habuiſſe; quod ex ipſa Imperii Notitia perdiſcimus, in qua legitur: " Præfectus „ Legionis III. Italicæ, pro parte media prætendentis à Vimania Caſſiliacum usque, „ Cambiduno. Præfectus Legionis III. Italicæ, transvectiooi ſpecierum deputatæ, Fœtibus. „ Præfectus Legionis III. Italicæ, transvectioni ſpecierum deputatæ, Teriolis. Item „ Legio III. Italica ad Prentium amnem (*e*) & Pagum. „ Legio ergo hæc in partes diviſa fuit, ſingulæ ſuum Præfectum habuerunt, quæque oram Danubianam, Rhætiarum Duci, cui prima & ſecunda Rhætia ſuberant, attributam, cuſtodiverunt. Eodem modo Præfecti hi XI. non integris Legionibus, ſed partibus Legionum, quæ in oppidis & caſtellis litoris Rhenani tenuere præſidium, & quidem ſeculi quarti fine, præfuerunt.

Legiones in Alſatia.

Quæ tribus ſeculis prioribus Alſaticum Rhenum cuſtodiverint Legiones, oſtenſum eſt ſupra; nunc videndum, quibusnam tempore ſequenti id demandatum fuerit muneris. Sub diſpoſitione Sequanici Ducis, adeoque in Rauracis & ſuperiore Alſatia, erant, uti modo vidimus, Milites Latavienſes Olinone. Quarumnam Legionum Cohortes ſub Comite Argentoratenſi in Tribocis præſidia tenuerint, nec Notitia, nec aliud Monumentum nos docet, quæ de infima magis, quam de media Alſatia videtur fuiſſe ſollicita.

§. LX.

Pacenſes milites.

In Nemetica ergo Alſatia excubuere Saletione Milites *Pacenſes*, quorum Legio ex XXXII. Comitatenſibus una cenſebatur. (*f*) Legio hæc Hiſpanica fuit, ab urbe Luſitanica, quæ *Pax Auguſta*, PLINIO autem Colonia Pacenſis, appellatur, nunc *Badajoz* incolis, Provinciæ Extremaduræ Caput. Potuiſſet quoque ab urbe *Pax Julia* Legio ſuum nomen obtinuiſſe, quæ itidem Hiſpaniæ Luſitanicæ, ſed Turdetanorum, urbs eſt, nunc *Beja* appellatur. Undecunque Legioni natum ſit nomen, ea certe ſeculo IV. ad Rhenum heic noſtrum prætendit.

Menapii.

Pacenſes excepere *Menapii*, qui cum Præfecto ſuo præſidium tenuere Tabernis, Rhenenſibus nempe, quod oppidum Saletionem excepit. Meoapiorum Legio una quoque ex XXXII. Comitatenſibus fuit, cui nomen à Belgica Menapiorum gente, Scaldun inter Molamque extenſa, ubi nunc Ducatus Brabantiæ, ex cujus gentis militibus Legio forſan compoſita fuerat.

Infra

(*b*) Conſulares vocabantur hi Rectores Provinciarum, nunquam licet functi fuerint Conſulatu.

(*c*) Pag. 132. Edit. Pancirol. Sect. LXIV. pag. 119. Edit. Labb.

(*d*) *Itinerarium* ANTONINI in hoc tractu VII. Alas & III. Legiones locat.

(*e*) Prenzius amnis juxta Gundelfingam oppidum in Danubium egreditur.

(*f*) Comitatenſes Legiones appellatæ ſunt à *Comitatu* ſive Aula Principis, in qua degebant, quæque in Prætorianorum ſucceſſerant locum. Seculo IV. primus militum ordo fuit Palatinorum, quibus Palatii Principis cuſtodiendi cura: ſecundus *Comitatenſium*, tertius *Pſeudo-Comitatenſium*. Comitatus ergo eſt Aula Imperatoris, ex qua evocabantur vel mittebantur milites ad præſidia urbium, caſtellorum, arcium, provinciarum. Palatini hi & Comitatenſes milites ſubinde quoque dicti ſunt Principes.

POLITICA.

Anderecani.

Infra Tabernas *Anderecianorum* militum Præfectus Vico Julio præſidebat. Vicum Julium ibi ſitum olim, ubi Germershemium hodie, ſupra expoſui, quod locum illum inter Tabernas Rhenenſes & urbem Nemetum *Notitia Imperii* annotat. Anderecianos quod attinet, GUIDO PANCIROLUS (*g*) ex Andibus, Galliæ Celticæ populo, qui hodie Andegavenſes, & ex Rhætis mixtam Legionem fuiſſe exiſtimavit. Mallem ego, *Anderitum*, Galliæ Aquitanicæ urbem huc trahere, illamque Legionis hujus conſtituere Matrem, ab ea ſane *Anderitiani* & *Anderetiani* (*h*) nomen facile accipere potuerunt. Quodſi quis ab *Andera*, Troadis Agri urbe, Anderecianos derivare maluerit, & ei ego ſane lubentius, quam Pancirolo aſſenſerim: urbem hanc STRABO (*i*) PLINIUSque (*k*) memorant.

§. LXI.

Vindices.

Nemetum urbi denique, gentis hujus principi loco, *Vindicum* militum præfuit Præfectus, ut Notitia tradit. Vindices à Julio illo Vindice Gallo, qui Galbianas partes tam ardenter defendit, appellatos Pancirolus conjectat. Sed qui veriſimile, Gallici illius hominis nomen per quatuor fere ſecula in exercitu Romano continuatum; factione illa à Vitellianis Ducibus Cæcina & Verginio Rufo, ante quam naſceretur, deleta, uti ſupra (*l*) ex TACITO oſtenſum. Adde quod aſſeclæ Vindicis *Vindiciani*, non *Vindices*, appellabantur. Mallem ergo hoc Legionis epitheton rei cujusdam præclare geſtæ occaſione ortum conjicere, uti ab eventibus ſimilibus *rapax*, *martia*, *victrix*, *ferrea*, *pia*, *pollens*, *fidelis*, *adjutrix*, *fortis*, *valens*, *ferrata*, *firma*, *conſtans* &c. diverſarum Legionum cognomina prodierunt.

Legionum Romanarum ſtatum, qualis Severi Alexandri temporibus fuit, dedit nobis diligens illius ævi Scriptor, DIO CASSIUS, (*m*) ex quo multa retulimus. Duorum ſeculorum, quæ ad Honorium usque effluxerunt, decurſu Legionum veterum aliæ exauctoratæ, aliarum nomina mutata, quædam in plures Legiones diſtinctæ, earum immutata eſt ſeries; uti ex allegato ſæpe *Notitiæ Imperii* Libro, ubi Legiones ab eo tempore erectæ recenſentur, addiſcimus. In ſummam ergo ſi omnia, quæ ſtationarios milites, in Alſatia ſeculo IV. excubantes, reſpiciunt, congeras, tria illis aſſignata fuerunt Prætoria, quorum primum *Olinone* in Rauracis, Medium *Argentorati* in Tribocis, tertium *Magontiaci* in Vangionibus; inter quæ Prætoria duobus Duces, uni vero quod Argentorati, Comes præfuerant. Hæc de præſidiis litoralibus, Duci Moguntiacenſi ſubjectis.

§. LXII.

Ducis Officium.

Officium vero Ducis hujus quod attinet, *Notitia* illud his verbis ſubjungit: « Officium autem habet idem Vir ſpectabilis Dux hoc modo: Principem ex Officiis „ Magiſtrorum Militum præſentalium alternis annis. (*n*) Numerarium à parte „ peditum ſemper. Commentarienſem à parte peditum ſemper. Adjutorem. Subad- „ juvam. Regerendarium. Exceptores. Singulares & Reliquos Officiales. „ *Spectabilitatis* honos & huic Duci competebat.

Inſignia.

Inſignia vero quod attinet, (*o*) Dux Mogontiacenſis quidem Librum clauſum, iisdem ſiglis FL INTALL COMORD PR inſculptum & Codicillos ad latus Libri, eodem modo, quo Sequanicæ Provinciæ Dux & Comes Argentoratenſis, geſſit, at loco Caſtri unius, quod hi vaſtum ampliſſimumque geſſerunt, Dux Mogontiacenſis XI. Caſtella quoque in ſuis Inſignibus habuit, his notata nominibus: *Saletio*, *Tabernæ*, *Vico Julio*, *Nemetis*, *Alta Ripa*, *Vangionis*, *Mogontiaco*, *Bingio*, *Bodobriga*, *Confluentibus*, *Antonaco*; quæ loca jurisdictioni ejus militari ſubjecta.

§. LXIII.

(*g*) *Commentar. in Notit. Occid. Imp.* Cap. XC. pag. 146.

(*h*) *Anderetiani* ſcribuntur in eadem *Notitia Imperii* pag. 147. Edit. Pancir. ubi ſcribitur: *Præfectus claſſis Anderetianorum Pariſiis.* Claſſis, ſive ſtatio navium fuit Pariſiis, quam Anderetiani milites tuebantur.

(*i*) Lib. XIII. pag. 610.

(*k*) *Hiſt. Natur.* Lib. V. Cap. XXX.

(*l*) Pag. 174.

(*m*) Lib. LV.

(*n*) *Notitia Imp. Occid.* pag. 145. Edit. Pancir.

(*o*) Vide *Tab. noſtram Inſignium Magiſtratuum Rom.* Fig. C.

§. LXIII.

Nomina Ducum.

Ex Mogontiacenſibus Ducibus, toto ſeculi IV. decurſu, quo Ducatus duravit, nonniſi unum reperio, *Florentium* nempe, quem Ammianus (*p*) memoriæ prodidit circa An. CCCLXXI. ſub Valentiniano, Valente & Gratiano, Auguſtis. Vocatur quidem ab Ammiano ſimpliciter *Germaniæ Dux*, at Germaniæ primæ Ducem Mogontiacenſem intelligi debere, circumſtantiæ ſuadent: unum enim ex Alemanniæ primatibus, Hortarium nomine, à Florentio proditum fuiſſe ſcribit. Jam vero Alemannos è regione Germaniæ primæ trans Rhenum, & quidem ad Mœnum, tantum habitaſſe res nota in vulgus. Franci è regione Germaniæ ſecundæ litus Rheni dextrum occupaverant; unde ad Conſularem Germaniæ ſecundæ Florentius hic referri haud poteſt.

Qui & alium Ducem Maguntiæ, Gerontium nempe quendam, huc trahunt, illi corruptis Ammiani (*q*) Codicibus decepti in hanc ſententiam pervenerunt. Hic ſub Conſtantio Auguſto circa An. CCCLIII. *Gerontium Magnentianæ Comitem partis* nobis commemorat, quem Conſtantius excarnificari juſſerit, quod Magnentii Tyranni partibus fuit addictus. Corruptus Codex legit: *Gerontium Mogontianæ Comitem partis*; unde Comitem Ducemve Moguntiacenſem exſculpſerunt. Sed error nemini non incurrit in oculos. Mogontiacenſis hic, ut & Sequanicæ, Dux inter XII. illos Occidentalis Imperii Duces, qui in limitibus excubuerunt, reputatus fuit: uti inter ſex Comites Limitaneos ejusdem Occidentalis Imperii Comes Argentoratenſis comprehenſus erat.

Præſidia noſtra limitanea, quæ huc usque deſcripſimus, cum Ducibus & limitibus ſuis ab Alemannis, Rhenum transeuntibus, limitemque rumpentibus, non ſemel ejecta; ab Imperatoribus, quantum fieri potuit, reſtituta & redintegrata fuerunt: quod idem circa limitem Danubianum ſive Rhæticum quoque factum reperio. Sextam ejus contra Alemannos aut Suevos reſtitutionem, à Valentiniano & Gratiano tentatam, annotat Heroldus. (*r*) At Vandalico-Alemannica ſeculi V. irruptione oppida & caſtella Rhenenſia prorſus everſa fuerunt, poſtquam Stilico Romana præſidia inde revocaſſet; ut nempe, Barbaris per interiora Imperii graſſantibus, Honorium facilius præcipitaret è ſolio.

§. LXIV.

Tituli Honorum.

Quum de Epithetis Honorum, quæ Magiſtratibus Alſatitis fuerunt Sec. IV. tributa, ſæpe mentio inciderit, nonnulla hujus argumenti ſubjungenda cenſuimus. Scilicet *Auguſti* Axioma ſoli Imperatori ſervatum; *Nobiliſſimus* vero Imperatoris filius, aut Cæſar, ſive deſignatus Imperator appellabatur; quem titulum Conſtantinus invenit. Poſt hos Honoratorum gradus tres præſertim obſervare eſt apud Scriptores: *Illuſtrium*, *Spectabilium*, *Clariſſimorum.* (*s*) *Illuſtres* imo & *Illuſtriſſimi* ſunt Præfecti Prætorio, Præfecti Urbis Romæ & Conſtantinopoleos, Magiſter Officiorum, Quæſtor Sacri Palatii, Comes Rerum Privatarum, Comes Sacrarum Largitionum & Magiſtri Militum, ſive Peditum, ſive Equitum. Ita Magiſter Equitum per Gallias *Vir Illuſtris*, (*t*) uti vidimus, dictus eſt. Cassiodoro Senatori (*u*) hic Titulus *Illuſtratus dignitas*, item *Illuſtria* dignitas. *Spectabilitas* autem, ſive Titulus *Spectabilis*, inter *Illuſtris* & *Clariſſimi* titulos medius, dabatur Vicariis Diœceſeon, Ducibus & Comitibus Rei Militaris, Proconſulibus, Præfecto Auguſtali, Comiti Orientis, quæ tres Dignitates erant ut Vicarii Diœceſeon. (*w*) *Clariſſimatus* honor autem, ſive *Clariſſima* dignitas, dabatur Rectoribus Provinciarum, Conſularibus, Correctoribus Unde generatim inferre poſſumus, Clariſſimos utplurimum ſingulas rexiſſe provincias; Spectabiles vero totas Diœceſes; Illuſtres denique plures Diœceſium Tractus. Inde ſecuta eſt *Perfectiſſimatus* dignitas, Perfectiſſimi enim dicebantur Præſes Arabiæ, Dalmatiæ, Magiſter Curſus &c. Sub Conſtantino nullus Dux Clariſſimatus dignitate decoratus fuit: Duces enim tum nonniſi Perfectiſſimi (*x*) erant, qui poſtea Spectabiles, imo & Illuſtres. Succeſſu temporis Imperatorum benignitas favorque fecit, ut tituli hi communicarentur illis, qui iis antea caruerant, vel Provinciarum majorum Rectoribus majores tituli, quam minorum tribuerentur Præſidibus. His Conſtantiniani ævi nominibus & titulis Juſtinianus Imp. ætate ſua addidit novos, ut *Excelſus*, *ननglorioſiſſimus*, *Eminentiſſimus*, *Magnificentiſſimus*, *Sublimis* &c. Denique omnes hi tituli honorum Magiſtratibus promiſcue conceſſi ſunt.

(*p*) Lib. XXIX. Cap. IV. pag. 419.

(*q*) Lib. XIV. Cap. V. pag. 13.

(*r*) *De Legionis III. Ital. Palatina ſtativis*, apud Schardium *Script. Rer. German.* Tom. I. pag. 308.

(*s*) Jo. Seldenus *de Titulis Honorum* & Brissonius *de Formulis Pop. Rom.*

(*t*) *Notitia Dignit. Imp.* Sect. XL. pag. 76. Edit. Labb.

(*u*) *Variar.* Lib. I. Epiſt. IV. & Lib. VI. Epiſt. XI. XVI.

(*w*) Vide eundem Senatorem Lib II. *Epiſt.* XXVIII. Lib. VII. *Epiſt.* IV. XXXVII.

(*x*) Ammian. Marcell. Lib. XXI. Leg. XXX. Cod. Theod. *de Erogat. Milit. Annon.* Vide Guthersium *de Officiis Domus Auguſtæ* Lib. I. Cap. IV.

POLITICA.

§. LXV.

Magiſtratus oppidorum.

Internum ſingulorum Alſatiæ oppidorum Regimen non potuit non in multis Romano ſub Imperio immutari. Suprema apud Argentouarienſes, Helvetenſes, Argentoratenſes, Brocomagenſes, Magiſtratuum auctoritas Romanis tunc ſubordinata Præſidibus fuit. An ſuum quoque Vergobretum annuum, (y) Bibractenſium inſtar, qui Dictatoris modo, cum ſupremo jure vitæ & necis, civitati præfuerat, noſtræ Sequanicæ & Mediomatrico-Tribocicæ urbes habuerint, non liquet: Divodurum, Mediomatricorum caput, Senatum habuiſſe, qui vero nomen *Decurionum* aſſumpſerit, Monumentum Mediomatricenſe apud Meuaissium (z) teſtatur. Frequens hinc formula: *Ordo Decurionum.*

Quæ de Alſatiæ Rectoribus huc usque diſputata ſunt, ſatis nos docent, Alſatiam ſub Romanis duas in partes, diverſis Provinciis adſcriptas, ſemper diſtractam, adeoque non ab uno vel communi Præſide rectam fuiſſe; ſed in civilibus Præſidem Sequanicum & Conſularem Germaniæ Primæ, in militaribus autem duos Duces, unumque Comitem, agnoviſſe Rectores. Sub Merovingis Regibus demum Alſatia in unum coaluit corpus, communi ſubjicienda Duci. Helvetia è contrario antequam fieret Romana, unam Civitatem, ſive corpus aliquod & communem civitatum Helveticarum Rempublicam compoſuit, uti ex Julio Dictatore novimus; poſtea temporis vero ab A. Cæcina, Vitellii Imp. Duce, quod Galbianis partibus adhæſiſſent, Helvetii afflicti & Respublica eorum diſrupta, atque orientalis Helvetiæ pars, à Rheno usque ad Urſam, Rhætiæ Primæ adjecta eſt: occidentalis, ab Urſa ad Juram, Sequanicæ attributa Provinciæ. Maximæ Sequanorum autem, ſeculo IV. exortæ, omnis Rhenum inter & Juram Helvetia partem haud dubie compoſuit; quod Vindoniſſa, urbs Rheno vicina, Aventicum & Ebrodunum, adjacentia Juræ monti oppida, Maximæ Sequanicæ partes conſtituerunt, uti Galliarum Notitia perſcribit. Hæc de civili & militari Alſatiæ ſub Romanis imperio, nunc diſpiciendum de Moribus.

(y) Cæsar Lib. I. *de Bello Gall.* Cap. XVI. & Lib. VII. Cap. LV. ubi Bibractenſium quoque memoratur Senatus. Senatus Rhemorum apud eundem Lib. II. Cap. V. Centum & tredecim Senatorum apud Treviros mentionem facit Tacitus *Hiſtor.* Lib. V. Cap. XIX.

(z) Monumentum Victorinæ, cui ex D. D. *Decreto Decurionum Olla publice data.* Meurisse *Hiſt. des Eveques de Metz* pag. 15. Solennis ſtylus erat L. D. D. D. Locus Datus Decreto Decurionum. Hic *Olla* memoratur.

LIBRI

MORES.

LIBRI SECUNDI

SECTIO TERTIA.

ALSATIÆ ROMANÆ

MORES, CULTUS, RELIGIO GENTILIS.

§. I.

GAllicis Rauracorum Sequanorumque Superioris Alſatiæ & Germanicis Tribocorum Nemetumque Inferioris Alſatiæ moribus, ſub Periodo hac, acceſſerunt inſtituta Romanorum, à Magiſtratibus, Legionibus, Legibusque eorum introducenda paulatim. Innocuos Gallorum Germanorumque mores optimus rerum teſtis oculatus deſcripſit Cæsar Dictator. (a) Fortis hic bello heros, corruptiſſimus pace, ſimplicitatem cultus & victus in hoſtibus ſuis Gallis, quos vicerat, laudat impenſe. At ipſe domitor Galliæ cum nova dominatione novos quoque mores devictis, laudabiles multos, ſed & perverſos plurimos, attulit. Cæſari conſentit Tacitus, (b) perpetuus ſimplicitatis Germanicæ præco, quam cum corrupta Romanorum vivendi ratione diligenter ubique comparat. Romana ergo dominatio omnia vitæ commoda, elegantioremque cultum, ſed & cum his illecebras voluptatum, in Alſatiam adduxit: adduxit & idioma Latinum, perque hoc bonas artes, & Literas, regionemque adeo ex ſimplici quidem corruptam, at ſimul ex hirta & ſemibarbara cultam, pulchram florentemque effecit. Morum mutatio.

§. II.

Amictus hinc, Victus & reliqui Alſatiæ Celticæ cultus magna mutatio. Tunicis manicatis apertis, tum brevibus, (c) tum infra femora defluentibus, (d) at cingulo ſubinde reductis: Sago item Gallico Germanicoque, (quo Mediomatrico-Triboci noſtri utebantur) manicis inſtructo, duplex in hac Periodo, Germanicus nempe atque Romanus, acceſſit veſtitus. Braccata olim Gallia dicebatur pars ejus Auſtralis, reliqua omnis Comata, cui annumerata Alſatia; Triboci, qui Inferiorem Alſatiam Periodi Romanæ initio occupaverant, eidem quoque attulerant *Braccas.* De Vangionibus ſane, Tribocorum ſociis atque fratribus, ſcribit Lucanus: (e) Veſtitus.

" Et qui te laxis imitantur, Sarmata, bracis
" Vangiones.

Bracas, *braccas*, ad femora proprie pertinuiſſe, & ſuperiorum ſeculorum feminalibus laxis fuiſſe ſimiles, multa perſuadent. (f) Ovidius de Beſſis, Getis ac Sarmatis, locutus, illis bracas quoque adſcribit, quas nunc *ſutas* (g) nunc *laxas* (h) appellat, unde ad pedes fere deſcendiſſe videntur. Cæcina, Vitellii fautor & aſſecla, ex Germania cis

Rhenum

(a) Lib. VI. Cap. XXI. ſqq. *de Bello Gall.*

(b) In Libello *de Moribus Germanorum.*

(c) De Tunicis brevibus Martialis Lib. I. *Epigr.* XCIII. intelligendus eſt, ubi ſcribit:
Dimidiasque nates Gallica Palla tegit.

(d) Strabo Lib. IV. pag. 135.

(e) *Pharſal.* Lib. I. vers 430.

(f) Illis non accederem, qui de Tunica vel Pallio brevi Braccas interpretantur. Pluralis numerus favet alteri ſententiæ, quam ſequimur. Catel *Hiſt. de Languedoc* Lib. I. Cap. II.

(g) *Triſt.* Lib. III. X. XIX.

(h) Ibidem Lib. V. VII. XLIX.

MORES.

Rhenum cum exercitu in Italiam progreſſus, hoc oræ Rhenenſis veſtitu uſus eſt. Unde Tacitus (*i*) de eo: "Ornatum ipſius Municipia & Coloniæ in ſuperbiam „ trahebant, quod verſicolore ſagulo, braccas, barbarum tegmen, indutus, togatos „ alloqueretur. „ (*k*) Sed & ſupervenit ſane Toga Romana, quippe quam Proceres & Nobiliores Gentis, ut Præſidibus, Proconſulibus, Ducibus Comitibusque placerent Romanis, geſtare, vel ſaltem uſum ejus paulatim introducere, debuerunt. Indumenta pedis ſi quoque reſpicias, calceamento illi Gallorum, *Gallica* (*l*) dicto, quæ fuit crepidæ ſpecies, Romani jam ſoccos atque cothurnos, mulleos (*m*) atque perones, (*n*) addiderunt. Amictus hos Alſatæ ſenſim ſuos reddidere. Imo ſi & cultum conſideres, veriſimile prorſus eſt, Rauracorum, Sequanorum, imo & ex Germanis advenis Tribocorum atque Nemetum Primores, Romani moris cauſa, comas & barbas depoſuiſſe primum, ſeculoque ſecundo recepiſſe, tertioque labente abjeciſſe rurſus; uti triplex hoc barbæ fatum apud Romanos, toto Periodi hujus Romanæ decurſu, nobis nummi oſtendunt. Unde pro varietate temporum Alſatiam nunc comatam diceres, nunc raſam; ab initio tamen ex comata in togatam arbitramur converſam.

§. III.

Victus.

Victum quod attinet, Cæsar (*o*) obſervavit, Gallos agriculturæ magis, quam Germanos, ſtuduiſſe. Conjicere ergo licet, Tribocos noſtros atque Nemetes, origine Germanos, poſtquam initio hujus Periodi tranſiſſent in Galliam, ſtudia Sequanorum Superioris Alſatiæ vel ſponte imitatos, vel certe à Romanis ad culturam hanc fuiſſe inductos, ut regio natura fertilis, accedente cultura, fertilior evaderet.

De vitibus autem ſpeciatim annotamus, illarum culturam quidem in Narbonenſi & Lugdunenſi Gallia interiore jam diu obtinuiſſe, (*p*) ad Rhenum vero, ſub Probi demum Imperio, vites ſerere colereque permiſſum. Nec Tacitus obſtat, quum in *Germania* ſua (*q*) ſcribit: "Proximi ripæ Germani & vinum mercantur. „ Mercari nempe potuerunt à Gallis noſtris ripenſibus vinum, quod alibi provenit, prouti hoc quotidie paſſim fieri videmus. Vites inſtituendi colendique, quantum quis vellet, neque in Italia neque in Provinciis jus fuit; coercente libertatem hanc Lege Domitiani. (*r*) De Probo autem res nota, quod *Gallis omnibus & Hiſpanis ac Britannis permiſit, ut vites haberent vinumque conficerent*, quod Vopiscus, (*s*) teſtatur; cui Aurelii Victoris, (*t*) & Eutropii (*u*) teſtimonia accedunt. Hoc autem jus, à Probo Gallis conceſſum, eo magis ad Rhenum Alſatiamque noſtram extendimus, non modo quod interiores Galli jam pridem vites coluerant, ſed & quod in ſubigendis Germanis Gallorum præſertim ripenſium uſus eſt ope, quibus gratificari ſtuduit Probus. Conjecturæ noſtræ Lehmannus (*w*) aliique plures ſuffragantur. Ad hoc ergo tempus vinearum culturæ, Alſatis tam proficuæ, referenda origo. De Alſatia Sequanica ſive ſuperiore tamen cautius pronuntiandum. Memorabilis enim eſt Plinii locus, in *Hiſtoria Naturali*, (*x*) ubi Sequanici vini facit mentionem: "Jam inventa vitis per ſe, „ (inquit) in vino picem reſipiens, Viennenſem agrum nobilitans, Arverno Sequa- „ noque & Helvico generibus non pridem illuſtrata, atque hæc Virgilii vatis ætate „ incognita, à cujus obitu XC. aguntur anni. „ Plinius ante Domitiani Legem, novam vitium culturam prohibentem, jam ſcripſit, unde & poſt legem hanc Sequanicæ vites

(*i*) *Hiſtor.* Lib. II. Cap. XX.

(*k*) Casaubon. *ad Sueton. Auguſt.* Cap. LXXXII.

(*l*) Laz. Baysius *de Re Veſtiaria* pag. 225.

(*m*) Proprium geſtamen eorum, qui Magiſtratum curulem cepiſſent. Punicei erat coloris, quum reliquis aluta nigra ſufficeret. Aurelianus Imp. uſum hunc ſuſtulit, teſte Vopisco *in Aureliano* Cap. XLIX. de quo ait: "Calceos mulleos, & cereos, & albos & „ hederaceos, viris omnibus ſuſtulit, mulieribus „ reliquit.

(*n*) Perones genus calceamenti ruſtici ex corio crudo contra nives & imbres. Balduinus *de Calceo Antiquo* Cap. XVII.

(*o*) De *Bello Gall.* Lib. VI.

(*p*) Notum eſt Martialis *Epigramma* Lib. XIII. Epigr. CVII.

" Hæc de vitifera veniſſe picata Vienna,
„ Ne dubites, miſit Romulus ipſe mihi.

Plura hac de re apud Menetrier *Hiſtoire Conſulaire de la Ville de Lyon* pag. 64. ſqq.

(*q*) Cap. XXIII.

(*r*) Sueton. in *Domitiano* Cap. VII. Exiſtimaverat Domitianus, vinearum ſtudio negligi arva. Adde Philostratum in *Vita Apollonii* Lib. VII. qui latæ Legis cauſam affert ſeditiones, ex temulentis ortas.

(*s*) *In Vita Probi* Cap. XVIII.

(*t*) *De Cæſaribus* Cap. XXXVII.

(*u*) Lib. IX. Cap. XI. ſcribit: *Vineas Gallos & Pannonios habere permiſit.*

(*w*) *Chron. Spir.* Lib. I. Cap. XXIV.

(*x*) Lib. XIV. Cap. I.

vites & vineta ſubſiſtere potuerunt. Sequanorum interiorum ergo (*Francs-Comtois*) primò jam ſeculo celebrata ſunt vina; quod an exteriores quoque noſtros, reſpiciat Alſatas, nequeo decernere. Epocha Probi vero omnem noſtram oram Rhenenſem haud dubie reſpicit.

§. IV.

Architectura.

Præcipuum autem Alſatiæ noſtræ ornatum addidit militaris atque civilis Romanorum Architectura, Celticæ Alſatiæ vicis & oppidis vel mire amplificatis, vel in magnas, frequentes, divites & opulentas, urbes paulatim converſis. Rhenenſis ejus ora manſionibus, mutationibus, tabernis, arcibus, caſtellis, urbibus & viis ſtratis, inſtructa atque munita. Vogeſus ad præſidia, caſtra ſtativa, ſpeculasque ibi ponendas apertus; unde factum, ut non litoris tantum, ſed & Vogeſi accolæ incolæque divitiis, opibus, commerciis, numeroque in dies augerentur & creſcerent. Multiplicia Architecturæ Romanorum utriusque ſpecimina nobis exhibent Auguſtæ Rauracorum mœnia, quæ adhucdum ex parte ſubſiſtunt, Theatrum, Templum, Aquæductus, & reliqua. Architecturam illam, in Coloniæ Rauricæ mœnibus, quorum iconem ſupra expreſſimus, adhibitam, dum probe conſidero, in ea ſane Romani & Gallici moris mixturam quandam mihi deprehendere videor. Gallicum murum ita deſcribit Cæsar: (y) " Trabes directæ perpetuæ, in longitudinem paribus intervallis diſtantes inter ſe binos „ pedes, in ſolo collocantur. Ea autem, quæ diximus, intervalla grandibus in fronte „ ſaxis effarciuntur; iis collocatis & coagmentatis aliis inſuper ordo adjicitur, ut idem „ illud intervallum ſervetur, neque inter ſe contingant trabes, ſed paribus intermiſſæ „ ſpatiis, ſingulæ ſingulis ſaxis interjectis arte contineantur: ſic deinceps omne opus „ contexitur, dum juſta muri altitudo expleatur. „ Alternis ergo ſtratis trabium & lapidum, in mœnibus ſuis conficiendis, Galli utebantur, ita ut opus in ſpeciem varietatemque non eſſet deforme, quum rectis lineis ſuos ordines ſervarint. Gallici hæc muri ſpecies & varietas quum placeret Romanis, imitati ſunt eam, ita tamen, ut pro ligneo ſtrato lateritium, quod ex longis, latis, denſis & duris, lateribus conſtabat, ſubſtituerent, quibus muro robur & firmitas, rubello colore gratia & venuſtas quædam, conciliaretur: opus ſane, ante hos mille octingentos fere annos exſtructum, tot ruinis, caſibus, aeris & tempeſtatum injuriis expoſitum, hodie tam integrum, tam pulchrum & nitidum eſt, ut noſtris demum temporibus videatur exſtructum. Quodſi *Chronici Novientenſis* Auctori ſeculi XIII. vel XIV. fides poſſet haberi, eo in loco, ubi hodie Ebersheimenſe Monaſterium eſt, adeoque in Tribocenſi Alſatia, fortiſſima Arx, à Julio Cæſare condita & *Novienti* nomine appellata, quatuor aliis Caſtellis, in vicinia poſitis, decorata atque munita, extitiſſet. Sed in rebus tam antiquis Scriptores medii ævi, genuinæ antiquitatis ignari, fidem ſuam decoxerunt jam pridem. Ad Ædificia hujus claſſis referimus quoque Arces, quas Dux Sequanici noſtri Olinone, haud procul ab ora Raurica Rheni, & in Germania Prima Argentoratenſis Comes inhabitarunt: illa item Saletionis & Tabernarum Caſtella, quæ omnia in veteris *Imperii occidentalis Notitia* exprimuntur iconibus, (z) unde nos quoque ea expreſſimus. Armamentaria, magno numero exſtructa, Fabricas omnis generis armorum, ſupra enarratas; publica item Præſidum Romanorum, Magiſtratuum ædificia, Domus, Ædes, Curias, Prætoria, Theatra & alia hujus generis, vel me tacente, heic referri debere, nemo non videt.

§. V.

Templorum constructio.

Quodſi ad Architecturam Ædium Sacrarum transeamus, in hac quoque præſertim decus & ornamentum oræ noſtræ Rhenenſi attulit Romana majeſtas. Nulla ſub priore Periodo templa, delubra, ædes, ſacella, ædiculas, aras, Alſatæ Celtæ habuerunt, quod omnis eorum Religio per Druidas in nemoribus peracta & lucis. At Druidis Imperatorum Legibus identidem proſcriptis, Alſatæ noſtri facilius ad ſacros Romanorum ritus traduci, vel certe adduci potuerunt, ut Gallica ſua Sequani, Germanica, Triboci & Nemetes nuper allata, ſacra cum Romanis miſcerent. Unde Galli, nemoribus olim uſi pro templis, & ipſi jam exſtruere cœperunt templa, vel ea certe cum Romanis habuere communia; in quibus exſtruendis Romani liberales quum eſſent, non potuit non ædificiis ſacris repleri Alſatia. Eorum veſtigia & in veteri Auguſta Raurica, & in Vogeſo noſtro Dagsburgico, in Ferrato Monte Dononis; item prope Altſtadium & Niderbronnam, reperimus: quando his omnibus in locis Templa, vel Ædes, Mercurio olim conſecratæ fuerunt, uti Monumenta vel ruinæ, quæ ſuperſunt,

 nos

(y) *De Bello Gall.* Lib. VII. Cap. XXIII. Diverſæ ſunt Criticorum de hoc loco ſententiæ.

(z) *Notitia Imperii Occidentalis* pag. 145. Edit. Pancir.

MORES.

nos docent. Ingens autem illud & ſplendidum Mercurii Fanum, quod Julius Cæſar in Inſula Elli, ubi hodie Aprimonaſterium eſt, inveniſſe collapſum, reſtauraſſe & donariis multis ditaſſe, in Topologi Novientenſis Annalibus ſcribitur, in eandem claſſem, in quam Caſtella ibidem exſtructa, hoc eſt, in fabuloſam reponimus. Topologum hunc tamen ex noſtris ſequuntur plerique. Ex exteris ſecutus eſt eum GUILIELMUS EISENGREIN, (a) Rerum Spirenſium Scriptor, ubi ita loquitur: "S. Maternus, „ auxilio fidelium fretus, locum quendam inſignem, qui tunc Novientum, nunc vero „ *Ebersheim-Munſter* vocatur, haud procul à Seleſtadio ſitum, diruit, ubi Julius Cæſar „ magnificum pro adepta victoria contra Gallos templum condiderat. „ Othmarsheimenſium vero Canoniſſarum Templum, quod veteri traditione Delubrum Romanum fuiſſe creditur, Marti conſecratum, uonniſi finientis Romanæ Periodi opus eſſe cenſemus, ut inter Monumenta docebitur.

§. VI.

Theatra & alia ædificia.

Theatri, Arcus triumphalis, aut Circi Baſilicæve cujuſdam, veſtigia apud Alſatas quærenti nulla, ſed apud Rauricos (b) & Veſontinos (c) plura, occurrunt. Aliquid tamen hujus rei apud Argentouarienſes, Argentoratenſes & Brocomagenſes extitiſſe credendum. Viarum publicarum munitio per omnem Alſatiam, & ad Rhenum per mediterranea, Vogeſum verſus, inſtituti curſus publici, vehiculationes provincialium, magnam negotiis, commerciis aliisque vitæ commodis, promovendis facilitatem attulerunt. Multiplicibus ædificiis his additus eſt ornatus & nitor: quorum teſtes ſunt Pavimenta teſſelata & Fornicum Muſiva, (d) quæ in oppidis Gallicis, Coloniæ Romanæ jure gaudentibus, præſertim occurrunt. In Raurica Colonia haud ita pridem reperta fuit operis Muſivi Camera, quod vaſa, flores aliaque hujus generis ornamenta, expreſſit. Notæ ſunt Arauſionenſium, Lugdunenſium, operis Muſivi reliquiæ, quas exhibet SPONIUS. (e) In veteris Helvetiæ Aventico, quod dein Colonia Flavia evaſit, elegans Lithoſtratum vidi, dignum quod ære exſcriberetur. Romani Alſatis quoque noſtris ſuas attulerunt Thermas, Balnea, Laconica, Sudatoria, Hypocauſta varii generis, quæ hinc inde apud uos atque vicinos inter ruinas occurrunt. Buxovillæ, quod Inferioris Alſatiæ oppidum, anno MDCCXXXV. Baloei ſingularis ſtructuram, infra exhibendam, deteximus. In Bipontino Ducatu Laconicorum duorum diverſi generis & Fabricæ rudera hodieque ſubſiſtunt. Thermas Plumbarienſes Romanis jam notas fuiſſe, plures demonſtrant murorum ſtructuræ, ibidem reſiduæ, & præſertim Inſcriptio vetus, ibi olim conſpicua, at deinde ad ſubſtructiones reficiendas ab opificibus, rerum harum ignaris, adhibita:

DEAEO. NEPTVNO
IOVTISSIA
VESTINA
V. S. L. M.

Apud Epamanduodurenſes, qui ad Sequanos interiores pertinuerunt, nobile Balneum fuiſſe neceſſe eſt, quod ad marmorandum illud Flavius Catullus pecuniam teſtamento legavit, uti antiqua etiam Epigraphe docet. (f)

§. VII.

(a) *Chronologia Rer. Spirenſium* ad An. LIV. pag. 52.

(b) Vide ſupra Lib. II. Cap. IV. §. LXX. pag. 161.

(c) CHIFLETIUS in *Veſontione* Part. I. Cap. XL. ſqq. Arcus triumphalis rudera, quæ ibidem adhuc ſubſiſtunt, exhibet. Arcus Aureliano erectus creditur, poſtquam Veſontionem, à Tetricis oppreſſam, libertati reſtituiſſet.

(d) Teſſelata & Lithoſtrata præcipue de pavimentis: Muſiva, Muſia, Muſez, de opere hoc in parietibus & apſidibus adhibito, dicebantur. Celeberrimum eſt Præneſtinum (*Paleſtrina*) illud Lati, in Fortunæ delubro, ex parvulis cruſtis compoſitum, quod Templum exſtruxit Sylla. PLINIUS *Hiſt. Natur.* Lib. XXXVI. Cap. XXV. Apud Præneſtinos illud ſollicite ſervatum attentus adſpexi.

(e) *Recherches Curieuſes de l'Antiquité*, Diſſert. II. pag. 27.

(f) Apud GRUTERUM *Inſcript.* Tom. I. pag. 181.

MORES.

§. VII.

Fodientibus in Alſatia terram urnarum ſepulcralium fragmenta, ſarcophagi, nummi, vaſcula, Romani moris teſtes indubii, paſſim occurrunt. Sarcophagi vel corpora exuſta, vel etiam non exuſtorum reliquias panduot, claro indicio, majores noſtros & combuſſiſſe & non combuſſiſſe mortuos, prouti apud Romanos alterutra conſuetudo invaluit. Cæsar (*g*) de Gallis ait: “ Funera ſunt pro cultu Gallorum magnifica „ & ſumtuoſa, omniaque, quæ vivis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inferunt, „ etiam animalia, ac paulo ſupra hanc memoriam ſervi & clientes, quos ab iis dilectos „ eſſe conſtabat, juſtis funeribus confectis, una cremabantur. „ Seculi II. fine cremationis corporum apud Romanos conſuetudo imminui cœpit. Apud Spirenſes haud ita pridem (*b*) detectum eſt ſepulcretum Romanum, pluribus urnis teſtisque plenum, & inter eas ſarcophagus calce adhuc refertus, quæ cadaver fere conſumpſit. Cum oſſiculis reſiduis reperiebantur vaſcula vitrea, corneus circulus, fuſci coloris, perforatus, ut flores aliaque ornamenta ei poſſent infigi. Supellectilem contemplatus, virginis Romanæ corpus, ibi calce conſumptum, vel inde judicavi, quod corolla hæc, varii ornatus capax, nonniſi crinibus continendis inſervire potuerat.

Funera & ſepulcra.

Anno autem hujus Seculi XXVIII. prope Wormatiam erutus fuit ſarcophagus, in quo cadaver adhuc jacuit ſtaturæ mediocris, capite ad ſeptentrionem converſo, quod & in Spirenſi obſervatum. Auctor, qui Wormatienſe Monumentum deſcripſit, (*i*) catinum & pateram fictilem extrinſecus appoſitum, phialas autem ſex vitreas juxta cadaver poſitas, fuiſſe affirmat; quæ omnia Romanorum & Gallorum (*k*) mores redolent, quos Nemetes & Vangiones, priſcis incolis accedentes, non abolueruut. Vaſa ſacra, ſepulcralia, culinaria, œconomica, diverſæ formæ atque figuræ, diverſis uſibus deſtinata, urnæ, ollæ, cineraria, gutti, pateræ, patinæ, phiolæ, ex ſepulcris aliisque locis in Alſatia certatim effodiuntur: quibus jungenda ſunt vitrea variæ figuræ vaſa, apud nos, apud Spirenſes & Wormatienſes, in ſepulcris reperta. Id ſingulare, Legiones in Alſatia, ne otio marceſcerent, lateribus conficiendis impendiſſe operam. Nec mirum; quum enim viis ſternendis & caſtrenſibus aliisque ædificiis militaribus conficiendis adhiberentur Legiones Romanæ, ne marceſcerent otio, cur non conficerent lateres, quorum præcipuus in ædificiis uſus. *Legionis VIII. Aug.* nomen, lateribus, ſeculo ſuperiore noſtroque extra & intra Argentorati mœnia numero ſat magno detectis, impreſſum hac de re dubitare non ſinit. Lateribus his, inter ſe junctis, conficiebatur ſtructura cava, quæ inſtar ſarcophagi, urnam cinerariam ab injuriis defendit, integramque ſervavit. Unde omnis generis fabricas, variaque opificiorum genera, in Alſatia tum jam floruiſſe concludimus.

Ita paulatim in mores Romanos tranſierunt noſtri majores, illisque adeo accidit, quod de Germanis, inter Rhenum & Viſurgim habitantibus, Varianæ cladis occaſione annotat Dio. (*l*) “ Iis in locis, (inquit) Romani milites habebant hiberna, urbes condebant, mores eorum jam Barbari accipiebant, in forum conveniebant, congreſſus „ cum iis pacatos habebant. Neque tamen patriarum conſuetudinum, morum „ innatorum, libertatis armorumque potentiæ, obliti penitus fuerant: & propterea usque „ ad illud tempus ſenſim ſenſimque, & cum aliqua ſemper eorum obſervantia, ea „ dediſcebant, mutationemque vitæ ſuæ adeo non gravate ferebant, ut ne ſentirent „ quidem eam.

§. VIII.

Lingua regionis, primo Celtica tantum, dominantibus deinceps Romanis, Tribocisque cum Nemetibus ex Germania ad nos tranſeuntibus, duplicem, Latinæ nempe & Teutonicæ linguæ, acceſſionem accepit. Tria hæc diverſa idiomata temporis ſucceſſu inter ſe coaluerunt, indeque corrupta illa Romanica vel Romanenſis (*m*) prodiit,

Lingua.

(*g*) *De Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XIX.

(*b*) Anno MDCCXLI. Vid. M. Georgii Litzelii *Deſcriptio Sarcophagi* hujus, Germanice edita Spiræ An. MDCCXLVIII.

(*i*) Phil. valent. Franckius in *Diſſertat.* cui titulus: *Vaſa vitrea, juxta hominem mortuum in Arca lapidea poſita, An. MDCCXXXVIII. Wormatiæ reperta* pag. 4.

(*k*) Cæsar *de Bello Gall.* loco cit.

(*l*) Lib. LVI. pag. 582.

(*m*) *Romance, le Patois.*

prodiit, cujus ſoboles apud nos adhuc dum ſubſiſtit; quam ex Celtica atque Teutonica & Latina ruſtica in quartam aliquam ſpuriam, hoc eſt Celto-Romano-Barbaram, tandem degeneraſſe docuimus; (*n*) ubi nempe Latinæ illi corruptæ & ruſticæ ex Celtica & Teutonica interſperſæ ſunt ſordes: quod idioma incultum & ſcriptionis vix capax in Juraſſo Rauracenſi-Sequanico, ut & in Vogeſo noſtro Tribocico-Mediomatricenſi etiamnum obtinet. Romanum Teutonicumque idiomata in Romanenſi licet aperte dominentur, annotavimus tamen quoque nonnulla, quæ ad neutrum horum quum poſſint referri, ad Celticum referenda credidimus, (*o*) Patronos cauſæ noſtræ Viros Celeberrimos nacti. (*p*) Idioma Latinum in ſacris, in Judiciis, in Politia, Legibus & in bello, regnavit; unde Alſatæ, ad cæterorum Gallorum exemplum, apud quos denique univerſos Romana lingua, ſed ad Celticæ indolem adaptata, invaluit, eidem paulatim aſſuefieri cœperunt. Eum enim Romanis fuiſſe morem, ut Leges ſermone ſuo, imperium quaſi præ ſe ferente, conſcriptas gentibus debellatis imponerent, ex Romana Hiſtoria notum. (*q*) Ad dominatoris populi honorem pertinere arbitrabantur, linguæ ejus uſum exiſtere publicum: illud ea propter inter cætera dignitatis obtinendæ arcana ſollicite cuſtodientes, ne Græcis unquam, niſi Latine, reſponſa darent, & ut per interpretem loqui eos cogerent: idque non in urbe modo, ſed in ipſa Græcia Aſiaque, quo ſcilicet Latinæ vocis honor per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Quæ ipſa cauſſa eſt, quamobrem Græci Romanorum linguam terribilem appellarint atque ſuperbam, & cur ea barbara iiſdem viſa ſit ac moleſta. (*r*) Quodſi Germania Magna in ſtipendiariæ provinciæ formam, ut VELLEJUS PATERCULUS falſo prorſus tradidit, (*s*) à Romanis redacta fuiſſet, cum Germanis illi acturi fuiſſent, quemadmodum cum Italis, Hiſpanis & Gallis egerunt. Romanum idioma apud Rauracos, ſeculo quarto, ſatis receptum fuiſſe AMMIANUS (*t*) ſatis indigitat, ubi ſcripſit, Valentinianum I. munimentum exſtruxiſſe prope Baſiliam, quod accolæ *Robur* vocarint. Monumentum hoc in Rauracis conditum fuit. *Robur* autem Latinum vocabulum, & pro tali habitum à Valentiniano, quum Conſtitutionem ſuam *Robore* conderet, ſupra expoſui.

Tribocor. lingua.

Triboci noſtri, originis ſuæ ratione, Ubiiſne an Treviris ſimiles fuerint, non equidem definiverim. Origine ſua Germanica Ubii erubuerunt, ut TACITUS (*u*) ſcribit, atque conditoris ſui nomine vocari ſe maluerunt *Agrippinenſes*. Treveri ex adverſo Nerviique, circa Germanicæ originis adſectatiooem ambitioſi, per hanc gloriam ſanguinis ab inertia Gallorum ſe ſeparari crediderunt. Quoscunque ex his imitati ſint Triboci, Latinum idioma ſub Periodo Romana certe prævaluit, quod vero deinceps ſub Alemannis & Francis ſeculo V. & ſequentibus rurſus abolitum eſt; ruſtica illa uſuali Romana, quam ſeculo IX. ita appellavit NITHARDUS, (*w*) quæ Provincialis barbara quoque poteſt appellari, in Juraſſi Vogeſique convallibus adhuc durante.

§. IX.

Scholæ.

Eliminatis Druidibus ſcientiarum atque artium ſuarum ſcholas cum lingua ſua apud Alſatas paulatim introduxiſſe Romanos, dubitare quis vellet? Gallicis illis veteribus Bardorum ſcholis, quæ ſubſiſtere potuerunt, (*x*) Latinæ jam additæ. Literas tamen in his oris ad florem aliquem tum aſſurrexiſſe, nullum teſtem habemus. Romana Periodus omnis ne unum quidem nobis Alſatam Literatum oſtendit, imo nec Francica fere, ſi extrema ejus excipias. Ante Fulradum Alſatam, S. Dionyſii ſub Carolo M. Abbatem,

(*n*) Periodi Celticæ §. CXII. pag. 92.

(*o*) Periodi Celticæ §. CXVIII. pag. 97.

(*p*) Hos inter præſertim Jo. GEORGIUS SCHERZIUS, in Academia noſtra Juris Anteceſſor, Antiquitatum Teutonicarum doctrina celeberrimus; cujus *Gloſſarium Teutonicum Vetus*, Schilteriano longe auctius, Eruditus orbis jam pridem expectat.

(*q*) VALER. MAX. Lib. II. Cap. II. MORHOF. *de Patavin. Liv.* Cap. XI.

(*r*) ISAACUS CASAUBONUS in *Exercit. IX. ad Annal. Baron.* pag. 164.

(*s*) Lib. II. Cap. XCVII. CVI. CVIII. CXXII.

(*t*) Lib. XXX. Cap. III.

(*u*) *De Mor. Germ.* Cap. XXVIII.

(*w*) *De Diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii* Lib. III.

(*x*) POMPONIUS MELA Lib. III. Cap. II. ait de Gallis: Habent ad facundiam ſuam Magiſtros Sapientiæ Druides. AMMIANUS Lib. XV. Cap. IX. ſcribit: " Phocæa condidit in Viennenſi Maſſiliam, " dein ſecutis ætatibus oppida aucta, per hæc loca " hominibus paulatim excultis viguere ſtudia lauda- " bilium doctrinarum, inchoata per Bardos, Euhages " & Druidas.

Abbatem, & Otfridum, Weiſſenburgenſem Monachum, ſub Ludovico Germanico florentem, Alſatas Literatos non novimus. Perpetua hujus oræ bella non admiſerant Literas: quum in Auguſtodunenſi, (y) Veſontina & Trevirenſium, urbibus ſtudia artesque florerent. Scholæ apud Veſontionem, ut & Magiſtri ejus Titiani, ut eruditi & celeberrimi hominis, AUSONIUS (z) meminit. Memorabilis eſt Conſtitutio, quam Gratianus Imp. ad Præfectum Prætorio Galliarum anno CCCLXXIII. (a) dedit; ubi jubet, ut Profeſſores Rhetores & Grammatici utriusque linguæ, Græcæ nimirum & Latinæ, in frequentiſſimis per Galliæ Diœceſin civitatibus, ſeu in ſingulis urbibus, quæ Metropoles ſunt, conſtituantur; his autem Profeſſoribus annonas certas, ſtatas & juſtas, è fiſco præberi vult, quum alias à viribus Rerum publicarum Profeſſores in Provinciis conſequerentur ſalaria: antea enim exiles & ſteriles eorum Cathedræ fuerant, ut AUSONIUS, (b) Gratiani Præceptor, dein Præfectus Prætorio & Conſul, id ipſe prodidit. Num ex hac Gratiani Lege aliqua etiam in Alſatiam noſtram literarum ratione redundaverit utilitas, haud immerito quæras; quum de frequentiſſimis urbibus, quæ pollerent & eminerent claritudine, in ea Lege ſit ſermo, quas inter relata jam tum fuit Argentoratus, licet Metropolis non eſſet. (c) Anno ſane, qui Conſtitutionem hanc latam ſecutus eſt, nempe CCCLXXVII. vel CCCLXXVIII. in Alſatia fuit Gratianus, & apud Argentouariam, memorabili illa victoria, profligavit Alemannos. Sed ipſæ hæ turbæ perpetuæ fortaſſis impediverunt, ne Gratianea hæc Conſtitutio Alſatis uſum afferret. Treviros vero quod attinet, quum Conſtantius Chlorus, Conſtantinus, Conſtantius, Julianus, Valentinianus, Gratianus, Valens aliique Impp. ibi multum habitarent, bella inde in Germanos moverent, atque inde, veluti ex altera Roma, darent Reſcripta, quorum bona pars in *Codice Theodoſiano* adhuc supereſt, *Auguſta* Trevirorum, *Solium Regni*, *Domicilium Principum*, appellari (d) & Viris Literatis florere cœpit. Hos inter CLAUDIUS MAMERTINUS, qui duos ibi Panegyricos in Maximiani Herculii laudem pronuntiavit; alius item Conſtantini M. Panegyriſta Anonymus, qui cum Mamertino vixiſſe videtur, Trevirenſis origine: (e) EUMENIUS item, cujus quatuor Panegyrici extant; ita ut Treviri Schola tum Rhetorum & Oratorum Domus Auguſtæ evaſerint. URSULUS & HARMONIUS Grammatici, ſub Valentiniano I. viventes, qui Treviris docuerunt, huc quoque referendi ſunt. (f) Non mirum ergo S. Hieronymum circa An. CCCLXXI. cum amico ſuo Bonoſo Treviros veniſſe, ut ibi cum Literatis converſaretur. (g) Paulo ante S. Athanaſius, Epiſcopus Alexandrinus, ibi aliquot annos quoque transegit. Schola Gallica Palatii, cujus apud SYMMACHUM (h) mentio, ad Treviros merito etiam referenda videtur. De Maſſilienſi, (i) Burdigalenſi, (k) Toloſana, (l) Pictavienſi, (m) Lugdunenſi, (n) Scholis tum celebribus diſſerendi heic locus non eſt. Unde haud immerito HIERONYMUS in Libro contra *Vigilan-*

(y) Auguſtodunenſis urbs celebrem Rhetorem habuit EUMENIUM; quem urbi huic vindicat BALDUINUS in *Notis ad Panegyricum* ejus, & Rerum Auguſtodunenſium Scriptor JEAN MUNIER in Libro: *Recherches & Memoires servans a l'Hiſtoire de la Ville d'Autun*, *recens par* CLAUDE THIROUX, *à Dijon* MDCLX. pag. 9. ſqq. ubi graviter in Beatum Rhenanum noſtrum invehitur, qui Eumenium abjudicat Æduis.

(z) AUSONII *Gratiarum Actio*, Operum ejus pag. 713. "Quomodo (inquit) Titianus Magiſter? „ Sed glorioſus ille Municipalem Scholam apud „ Viſontionem Lugdunumque variando, non ætate „ quidem, ſed vilitate conſenuit. „ CAPITOLINUS, in *Maximo Juniore*, Maximini Imp. Magiſtrum Titianum enarrat, Modeſtim, Juris Conſulti coætaneum, quem CHIFFLETIUS *Veſont.* Part. I. Cap. XXVIII. huc trahendum exiſtimat.

(a) X. Kal. Jun. Valente V. & Valentiniano AA. Coſſ. *Codicis Theodoſ.* Lib. XIII. Tit. III. Leg. XI.

(b) AUSONIUS in *Profeſſoribus* paſſim.

(c) JAC. GOTHOFREDUS in *Commentario* ad hanc Legem, *frequentiſſimas* non modo de *primis*, ſed & de *primariis*, provinciæ urbibus explicat.

(d) AUSONIUS inter claras urbes eam quarto loco commemorat.

(e) *Hiſtoria Literaria Galliarum* Auctores Benedictini Tomo I. Part. II. pag. 417. Claud. Mamertinum ex ipſa Trevirenſium urbe ortum fuiſſe exiſtimant.

(f) AUSON. *Epiſt.* XVIII.

(g) Hieronymus Treviris nonnulla Hilarii Opuſcula, præſertim Librum de Synodis, ab illo rogatus, ſuapte manu deſcripſit.

(h) *Epiſtolar.* Lib. IX. Epiſt. LII. ubi videndus in *Miſcellaneis* ſuis ad *Symmachum* FR. JURETUS. Adde CORIPPUM AFRICANUM *de Laudibus Juſtini Minoris* Lib. III. & JUSTINIANUM Leg. XIII. *Cod. de Judiciis* Lib. III. Tit. I.

(i) Multa de Maſſilienſium doctrina apud Jo. BAPT. GUESNAY, *Annal. Provinciæ Maſſil.* Lib. I. Cap. XXV.

(k) GABRIEL DE LURBE & JEAN DARNAL *Chronique Bourdeloiſe* pag. 6.

(l) GUILLAUME DE CATEL *Memoires de l'Hiſtoire du Languedoc* Lib. II. pag. 119.

(m) Ex qua ſeculo IV. prodiit HILARIUS, dein Patriæ ſuæ, ubi doctrinam ſuam hauſit, Epiſcopus. Vide *Vitam*, Operibus, Lutetiæ à Conſtantio editis, præfixam.

(n) HONORAT BOUCHE *Chorographie de Provence* Lib. II. Cap. IV. pag. 83.

Vigilantium dixit: "Sola Gallia monſtra non habuit, ſed Viris ſemper fortiſſimis & „ eloquentiſſimis abundavit. „ De vetuſtioribus Gallis notum jam eſt dictum M. Catonis: (*o*) "Gallia duas res ingenioſiſſime proſequitur, Rem militarem & „ argute loqui.

§. X.

Res nummaria.

Nummariam Rem Alſatiæ Romanæ quod attinet, quum tot armorum fabricæ fuerint Argentorati, Officinam quoque Nummariam Romanorum temporibus ibi conſtitutam fuiſſe crederes. Andreas Morellius, (*p*) Helvetio-Bernas, ſagax ille nummorum veterum indagator, ultra CC. notas obſervavit in nummis, quibus Romani vel Monetariorum, vel Officinarum, vel pecuniæ percuſſæ indolem, vel ſimile quid, expreſſerunt, & in imo poſticæ partis poſuerunt. Has inter propius nos ſpectant P. L. N. *Pecunia Lugdun nova*: P. L. C. *Pecunia Lugduni Coloniæ*: P. LVG. *Percuſſa Lugdun*: *Officina Lugdunenſis* in nummis quibusdam Juliani Apoſtatæ occurrit. (*q*) Item P. T. vel P. TR. *Percuſſa Treviris*, vel *Pecunia Trevirenſis*. Ex his vero notis nullam ad Argentoratum, vel ad Auguſtam Rauracorum, referri poſſe obſervo. Jo. Jacobus Chifletius (*r*) nummum æneum Aureliani, cujus poſtica oſtendit figuram ſtolatam, ſive Victoriam, quæ Imperatori, haſtam tenenti, dextra porrigit lauream, cum Inſcriptione: *Reſtitut. Orbis*, ad Veſontionem ſuam trahendum eſſe exiſtimat, literas ingenioſe ſeparans legensque *Reſtitutor Biſ.* quod explicat *Reſtitutor Biſontii.* Reſtitutionem hanc, nummis celebratam, Tetricum Tyrannum deſignare arbitratur, à quo Veſontionem oppreſſam, ab Aureliano autem reſtitutam, Chifletius credidit, cui & nummus hic Veſontione percuſſus videtur. Equidem in urbe hac, Sequanorum Metropoli, Officinam Nummariam fuiſſe olim, nullus negaverim, indicia ejus licet non extent; Nummum hunc tamen male ad Veſontionem à Chifletio trahi exiſtimo. Extant enim alii ſimiles ejusdem Aureliani, cum Inſcriptione: *Reſtitut. Orientis*, item ubi voces expreſſæ: *Reſtitutor Orbis*, & *Reſtitutori Orbis*; (*s*) qui ſane conjecturam Viri, alias egregie docti, omnino evertunt. Nec in tanto Nummorum, apud nos quotidie effoſſorum, numero ullum hujus generis unquam mihi obveniſſe, affirmare auſim.

Jus Officinæ Monetariæ Argentoratus antiqua non videtur habuiſſe, quod à Germanicis Imperatoribus deinceps obtinuit. Apud Hiſpanos plura urbium, nummos ſuis titulis ſignantium, quam apud Gallos, exempla ſuperſunt. (*t*) Trevirenſis, Lugdunenſisque urbium celebritas; Imperatorum & Cæſarum, tertio quartoque ſeculis ibi ſedentium, præſentia, monetarias officinas ibi frequentiores reddiderunt. Non ſemel quæſitum fuiſſe intelligo, qui factum, fierive potuerit, ut in Rauracis, Sequanicis, Tribocicis, Nemeticis, Alſatiæ noſtræ regionibus tanta nummorum ex omni metallo & modulo copia occurrat? Romanos mortuorum cineribus adjeciſſe nummos, moreque hoc factum, ut urnis cinerariis multum pecuniæ terra abſconderetur, tralatitia res eſt; ſed accedit huc ſubitaria illa incolarum per Alſatiæ urbes vicosque deſertio, (*u*) quum improviſa Vandalico-Alemannica ſeculi V. initio in Alſaticam oram irruptio animos eorum ita perculiſſet, ut civitatibus & vicis relictis, de vita modo ſolliciti, fugam capeſſerent. Omnia ergo cædibus, igne & ferro quum vaſtarentur, nummi vel occultati, vel in ædium ruinis diſperſi ſepultique, & longo temporis tractu altius defoſſi, novis tandem ſuffoſſionibus, ædificiorumque ſtructuris, partim agricultura quoque, ex ſepulcris quaſi reſurgunt, & in commercia hominum redeunt. Quot in locis enim ſeges eſt, ubi olim vici oppidaque floruerunt?

Rei

(*o*) Lib. II. *de Origin.* apud Sosipatrem Charisium Lib. II. Vid. Putschii *Corpus Grammaticorum* pag. 181.

(*p*) Jobert *Science des Medailles* Tom. I. pag. 186.

(*q*) Menetrier *Hiſtoire Conſulaire de la Ville de Lyon* pag. 145.

(*r*) *Veſontionis* Part. I. Cap. XLIV. pag. 184.

(*s*) Mediobarbi *Numiſmata Imperator. Rom.* pag. 407.

(*t*) Anton. Augustinus in *Dialogis* ſuis VI. & VII. Nummos illos Hiſpanicos enarrat.

(*u*) Frequens nummorum in ruinis oppidorum occurſus ſubiti cujusdam mali, incolas obruentis vel conſternentis, indicium. Quot nummi in eruto nuper ex ſinu terræ veteri Herculaneo, ad Veſuvii pedes ſito & Plinii tempore ſepulto, reperiuntur? Vide Hospitalii Marchionis *Epiſtolam* hac de re Pariſiis editam An. MDCCXLVIII.

MORES.

Metalli-fodinæ.

Rei nummariæ ob affinitatem metalla ſubjungimus, quærimusque, an Metallifodinæ Alſaticæ ſub Romana Periodo jam notæ fuerint? Negandum hoc arbitror, quod ante ſeculum X. harum ſodinarum nullum appareat veſtigium, uti ſupra (w) jam docui. Romanos de cætero metallifodinas diligenter tractaſſe, præter alia patet ex eo, quod in *Notitia* Comes Metallorum per Illyricum indicetur, cui Metallorum Procuratores paruerunt. (x)

§. XI.

Mores reliqui.

Cæteros Alſatarum noſtrorum Gallo-Germanorum mores quod attinet, Posidonius apud Strabonem (y) obſervat, Gallos & pleraſque Septentrionis, adeoque & Germaniæ, gentes, barbaricum inſtitutum habuiſſe, ut à pugna redeuntes capita hoſtium de collis equorum ſuſpenderent, & ante portas affigerent, ſuisque id oculis aſpexiſſe ſe Poſidonius tradit. Subjungit mox Strabo, barbarum hunc morem Gallorum ſub Romanis exoluiſſe. Inſequenti tamen tempore ex Germaoia eum in Galliam reduxiſſe videntur Franci. In *Lege Salica*, à Carolo M. emendata, (z) hæc dicuntur: "Si quis caput „ hominis, quod inimicus ſuus in palo miſerit, ſine permiſſu Judicis, aut illius, qui „ eum ibi poſuit, tollere præſumpſerit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. jud.

Ambactos illos atque Clientes, devotis illis, uti Cæsar (a) eos vocat, vel Solduriis (b) Aquitanorum, fere ſimiles, Romana Periodus noſtra interire vidit paulatim. Genus id hominum, quibus nefas etiam in extrema fortuna deſerere patronum, quum habuerint Ædui, (c) Sequanos in ſua quoque aluiſſe Republica nulli dubitamus. Frequentes in ſingulis Galliæ civitatibus motus & turbæ cauſa fuerunt, ut Ambactos hos atque Soldurios ſibi adjungerent illi, qui potentiores & divites in Republica fuerant. Romana dominatio hos aboluit motus, atque adeo cum his devoti illi atque clientes aboleri debuerunt; quos Triboci & Nemetes, populi Germani, hujus uſus ignari, in Inferiorem Alſatiam transeuntes & ipſi jam aboluerant. Et ille ergo apud Alſatos tum deſiit uſus, quo tumulos conſecratis in locis, ex rebus bello captis & in acervum collatis, erexerunt; quales multis in Galliæ Civitatibus Cæſaris ævo conſpicabantur; (d) quo nonnullis tumulos aliquos, in Alſatia, & in Tungris præſertim apud Belgas, adhuc conſpicuos referre libitum eſt. Dies & tempora denique numerare per noctes, quod apud nos quoque olim Cæsare teſte (e) obtinuit, ſub Romana dominatione abrogatum. Viri autem & Patris in uxorem liberosque poteſtas, cum Romanorum moribus fere conformis, apud majores noſtros potuit perſtare. (f)

§. XII.

Religio Gentilis triplex.

Religionem Alſatiæ Romanæ tandem attingimus & quidem primo *Gentilem*, de qua uberius in Monumentis agetur. Triplicem eam in Romana obſervamus Alſatia, quæ nimirum ex Celtica, Germanica atque Romana, paulatim concrevit, uti ſupra quoque de Lingua Alſatiæ Romanæ obſervatum. Romani enim gentium admittendo Numina, gentium quoque imperia ſe meruiſſe crediderunt: unde communis Religionum patria tandem Roma evaſit. Mixturæ hujus Religionum paſſim ad Rhenum noſtrum reperimus veſtigia. Huc enim referenda ſunt Topica illa Ubiorum vicinorumque populorum Numina, quæ indicavimus ſupra; (g) quibus ex Puſtumi Tyranni Nummis Herculem Deuſonienſem, Herculemque Maculanum, (h) ſubjungimus; quorum illum ad Tuitium oppidum, Coloniæ Agrippinæ in altera Rheni ripa oppoſitum, referunt; Maculam vero vel Macuſum ad Bataviæ borealis locum, (i) vel ad alium quendam prope oſtia Scaldis; (k) vel in ipſo Moguntiaco, (l) quærendam exiſtimant.

(w) In Alſatiæ Conſpectu §. XV. pag. 11.
(x) Bulengerus *de Imperio Rom.* Lib. IX. Cap. XXII. Caspar Klockius *de Ærario* Lib. I. Cap. III.
(y) *Geograph.* Lib. IV. pag. 213. Edit. Baſil. Diodorus Siculus Lib. V. Livius Lib. X. Cap. XXVI.
(z) Leg. LXIX. Art. III.
(a) *Bello Gall.* Lib. III. Cap. XXII. coll. c. cum Lib. VI. Cap. XV.
(b) Vide ſupra Periodi Celticæ §. LXVII. pag. 67.
(c) Cæsar *Bello Gall.* Lib. VII. Cap. IV. Litavicum Æduum cum Clientibus his ſuis profugiſſe ſcribit.
(d) *Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XVII.
(e) Ibidem Cap. XVIII.
(f) Cæsar loc. cit. Cap. XIX. ait: "Viri in „ uxores, ſicuti in liberos, vitæ necisque habent „ poteſtatem. &c.
(g) Periodi Celticæ §. LXXIII. pag. 70. ſqq.
(h) Patinus in *Theſauro Numiſm.* pag. 89. & in *Nummis Impp. media & minima forma*, pag. 421. Mediobarbus in *Impp. Rom. Numiſmatibus* pag. 393.
(i) Tillemont *Hiſt. des Empereurs* Tom. III. ſub Gallieno Art. IV. pag. 185.
(k) Ortelius in *Theſauro Geographico*.
(l) Tristan *Commentaires Hiſtoriques*.

§. XIII.

Mercurii cultus.

Ut vero ad noſtram ipſam accedamus Alſatiam, multiplices Statuæ Mercuriales, in omnibus Inferioris Alſatiæ partibus obviæ, nobis ſatis perſuadent, Mercurium non omnis modo Galliæ numen commune, ſed & Alſatiæ Mediomatricenſis, ſive Triboco-Nemeticæ, ſpeciale Numen tutelare habitum cultumque fuiſſe. Teutatem ſive Wodanum, Numen Gallorum præcipuum, quod ſupra expoſui, Mercurio ſuo ſimilem Romani quum cernerent, appellarunt Mercurium. Teutates hic ergo ſive Mercurius ab Alſatis eo loco habitus eſt, quo apud Naxios Bacchus, apud Lemnios Vulcanus, apud Arcades Pan, apud Latinos Faunus, apud Etruſcos Janus, apud Cyprios Venus, apud Phryges Cybele, Mater Deorum. Humanarum tamen hoſtiarum barbariem, cui cum reliquis Gallis veteres Alſatæ dediti, (*m*) ut Mercurium placarent, humanior Romanorum correxit Religio, proſcriptis Druidibus. Ritus immanis apud Germanos ad Chriſtianiſmi, apud eos ſurgentis, tempora usque duravit.

Polytheismus.

Fœdis his Sacris abolitis multiplex ille Romanorum Polytheismus ſucceſſit, cæteris Gallicis religionibus junctus; adeoque omnis illa Romanæ religionis colluvies, ex omnium Gentium ſuperſtitione coorta, noſtram quoque invaſit Alſatiam. Unde Mithriaca illa Perſarum, Iſiaca Ægyptiorum, aliarumque gentium Sacra Vogeſus & Juraſſus viderunt. Iſidis cultus ſi nulla apud Alſatas veſtigia, apud vicinos tamen Helvetios indubitata ſuperſunt. (*n*) Mithriacorum vero Sacrorum illuſtres reliquiæ in occidentali parte Vogeſi, in Bipontino Ducatu reperiuntur; quæ ex Perſide Romam, Roma ad Vogeſum allata ſunt, quæque ſæpius non ſine victima (*o*) peragebantur humana: imo quod legimus etiam, poſt *ἀνθρωποθυσίαν*, ab Hadriano proſcriptam, peragebantur occulte; quas ſuperſtitiones JUSTINUS, ATHENAGORAS, TATIANUS, THEOPHILUS ANTIOCHENUS, CLEMENS ALEXANDRINUS, TERTULLIANUS, MINUCIUS FELIX, ARNOBIUS, paſſim perſtringunt.

§. XIV.

Cultus.

Cum Numinibus peregrinis & propriis Romani omnem Sacerdotum, Augurum, Aruſpicum, diſciplinam ac placita, Sacrificia nempe, Ludos, Spectacula, Conſecrationes, cæteroſque ritus & ſacra, ad oras noſtras attulerunt, iisque impleverunt urbes & agros. Ceſpititiis Aris, quæ in Celtica Religione apud Alſatas obtinuerant, ſucceſſerunt lapideæ. Rotunda apud nos nulla occurrit Ara, ſed occurrunt quadratæ, vel uni vel pluribus dicatæ Numinibus, vel poſitæ *in honorem Domus Divinæ*, ſive Imperatoris Familiæ. Stelæ hæ, ſive Aræ, quadrilateræ ſingulis lateribus ſingula numina, & quidem duo ſexus utriusque paria, alternis vicibus poſita, opere anaglyphico exprimunt: ſimiles fere cippis illis trilateris, quos Romani frequenter in compitis Deæ Triviæ olim collocaverant; ubi Diana triplici ſub forma, Lunæ nempe vel Phœbes in cœlo, Venatricis in terra, & Hecates ſive Proſerpinæ apud inferos, ſiſtitur; cujus generis æneum ſignum continet Lararium meum. Ex Stelis his Alſaticis nonnullæ Herculem, Apollinem, Venerem & Palladem, aliæ pro Hercule Mercurium, adeoque duo Deorum Dearumque paria exhibent, in quorum honorem Ara poſita fuit. In Ara noſtra Apollinis ſacrificatum fuiſſe, nigra ignis accenſi veſtigia, & fiſſura Aræ, in medio lapidis violentia ignis facta, oſtendit. Aras ſæpe ſine æde à Romanis conſecratas fuiſſe, res cognita eſt. Ara illa Pacis, Ara Accæ Laurentiæ, Fortunæ, Ara Neptuni, Herculis & Muſarum, Ara Julii Cæſaris, in eo loco, ubi combuſtus fuit; Ara item illa Auguſto Lugduni, ad Confluentes Rhodani & Araris, & in noſtris Rheni oris Ara Druſi, (*p*) Ara Ubiorum, (*q*) Aræ Flaviæ, Rhenum inter atque Danubium erectæ, magnam celebritatem olim obtinuerunt; ex quibus aliquæ excreverunt in oppida.

§. XV.

(*m*) CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. VI. STRABO Lib. IV. TACITUS *German.* Cap. IX. PLINIUS Lib. XXX. Cap. I.

(*n*) Vid. ſupra in Periodo Celtica §. XCI. pag. 80.

(*o*) THOMAS HYDE in *Hiſtoria Religionis veterum Perſarum* Cap. IV. pag. 112.

(*p*) TACITUS ANNAL. Lib. II. Cap. VIII. NORIS *Cenotaphia Piſan. Diſſert.* III. Cap. IV.

(*q*) Ara Ubiorum, quam multi ad Bonnam urbem pertinere putant. EBERARDUS RAU vero in *Monumentis Vetuſtatis Germanicæ* Lib. II. Cap. I. pag. 53. ad Tuitium (*Deutz*) in ripa Rheni, Coloniæ Ubiorum adverſa, quærit.

MORES.

§. XV.

In urbibus Alſatiæ Romanæ Sacerdotium *Seviratus* præſertim invaluiſſe, Monumenta Mediomatricenſia nobis perſuadent. In ſola enim Divodurenſi civitate, quæ Mediomatricorum Alſato-Rhenenſium Mater fuit, quinque Marmora Sex-Virorum vel Sevirorum Auguſtalium faciunt mentionem. Et tibi unum: Seviratus.

D. M. TI. CL. CARATI. IIIIII VIRO
AVG. ATTIC. CICERO. FELIX. COL. (r)

Collegium Sevirale Sacerdotum à Tiberio, (s) in honorem Auguſti, Romæ ac deinde in Coloniis & Municipiis inſtitutum. Seviri hi ex Decurionibus ſumti, atque in Juniores & Seniores diſtincti fuerunt. Corpus hoc Sacerdotum Magiſter Auguſtalis moderabatur. (t) In Coloniis libertos tantum ad hoc munus admiſſos eſſe Reinesius (u) credidit, quem non Marmor modo Florentinum, quod Gorius (x) protulit, ſed & Mediomatricenſia noſtra, ſatis confutant. Sacra Romanorum autem quum Alſatiæ Municipia admitterent, ſua tamen ſimul quoque retinuerunt: id quod etiam de Municipio Raurico, in Coloniam converſo, credendum. Inſignis enim error eſt Caroli Sigonii, (y) Colonos Romana ſacra deſeruiſſe credentis, ut illa aſſumerent, quæ in locis, in quos perrexerant, colebantur. Ficulneum eſt, quod ex Cicerone petit argumentum, ab Henr. Norisio (z) deſtructum. Civitates ergo Alſaticæ Patrios Deos, & ſpeciatim Tutelares ſuos, ſive Genios, haud dubie retinuerunt.

(r) Meurisse *Hiſtoire des Evêques de Metz* pag. 12.

(s) Tacitus *Annal.* Lib. I. Cap. LIV.

(t) Fuſe hæc exponit Norisius in *Cenotaph. Piſan.* Diſſert. I. num. 6.

(u) Claſſ. I. pag. 19. ad *Inſcript.* XII.

(x) *Inſcript. Florent.* Tom. I. pag. 214.

(y) *De Antiquo Jure Civium Romanor.* Cap. VIII.

(z) *Cenotaph. Piſan.* Diſſert. I. Cap. V.

LIBRI

LIBRI SECUNDI

SECTIO QUARTA.

ALSATIÆ ROMANÆ

CHRISTIANISMUS.

CAPUT I.

ORIGINES ET FATA CHRISTIANISMI.

§. I.

Epochæ Chriſtianiſmi.

ETHnicæ Alſatarum veterum religioni, ex Gallica, Germanica atque Romana, ſucceſſu temporis in unam coalitæ. Chriſtianiſmus tandem acceſſit, à Gentilium ſacris toto cœlo diverſus. Fata hujus per Galliam & ſpeciatim per Alſatiam noſtram probe intellecturus, tres epochas ejus diligenter diſtinguat: Chriſtianos Alſatiæ I. ſub perſecutionibus gentilium Imperatorum oppreſſos; II. ſub Imperatoribus Chriſtianis liberos; III. ſub Alemannica oppreſſione miſerrimos. Prima Epocha ad Conſtantiniana uſque anni CCCXII. tempora progreditur; ſecunda ab anno hoc ad Vandalico-Alemannicam anni CCCCVII. irruptionem; tertia ad dominationem uſque Francorum, pertingit. In prima ingens perturbatio rerum, fata ſemper incerta, regiminis Eccleſiaſtici ratio dubia: in ſecunda Conciliis, frequenter habitis, externa Eccleſiæ definita eſt forma; quæ ſub Alemannica barbarie rurſus diſparuit, nonniſi reſtituenda ſub Francis.

Chriſtianiſmi Orig. in Alſatia.

Origines Chriſtianiſmi per Alſatiam nimium alte repetunt plerique: ex altera parte non deſunt quoque, qui eas nimium deprimant. Illi Eccleſiarum Alſaticarum antiquitatem Romanæ Eccleſiæ contemporaneam reddunt; hi autem Galliæ univerſæ, atque adeo & Alſatiæ, incunabula Chriſtianiſmi ad tertium uſque ſeculum rejiciunt. Enimvero, ſi Scriptoris Galli & rerum Gallicarum periti, SEVERI nempe SULPITII, qui ſeculo IV. vixit, & Martyrum Acta ſe evolviſſe tradit, teſtimonium admittas, Chriſtianiſmum ſerius in Gallia receptum fuiſſe, dicendum eſt. (a) Nec Turonenſis Antiſtes contrariatur GREGORIUS; (b) qui nonniſi ſub Decio Imp. Epiſcopatus in Gallia conſtitutos profitetur. JOANNES PEARSONIUS in *Annalibus Cyprianicis*, (c) Victoris II. Pontificis tempore, quo controverſia de Paſchate nata, præter Irenæum Lugdunenſem, alios in Gallia Epiſcopos non fuiſſe, exiſtimat. Sententias tam contrarias conciliaveris forſitan, ſi Chriſtianos diſperſos à Chriſtianorum cœtu vel Eccleſia diſtinguas. Chriſtiani in Gallia paſſim reperti fuerant, antequam coirent in cœtus vel formarent Eccleſias. Legiones Romanæ, quæ in limite Rheni tendebant, immixtos cohortibus ſuis habuerunt Chriſtianos; quod ex Legionis illius Fulminatricis, ſub Antonino ad Danubium excubantis, hiſtoria patet. Chriſtianorum, in illa militantium, precibus victoriam

(a) SULPITIUS SEVER. Lib. II. pag. 383. ait: « Sub Aurelio, Antonini filio, perſecutio quinta » agitata; ac tum primum intra Gallias martyria » viſa, ſerius trans Alpes Dei religione ſuſcepta.

(b) *Hiſtor. Francor.* Lib. I. Cap. XXVIII. & XXX.

(c) Pag 39.

victoriam à Marcomannis, orta tempeſtate, reportatam, TERTULLIANUS (*d*) adſcribit. In argumento hoc autem de Chriſtianiſmi apud Gallos origine de cœtibus totis, ſive Eccleſiis, ſub Paſtore Epiſcopove viventibus, non de Chriſtianis diſperſis, magno licet numero in Gallia degentibus, quæſtio eſt.

§. II.

Origines præmaturæ.

Ante omnes vero Galliæ Eccleſias prærogativa hac gaudet Lugdunum, quod magnus ibi Chriſtianorum cœtus ſeculo II. ſub illuſtri Antiſtite Pothino floruit; qui una cum fidelibus ſuis circa An. CLXXVII. martyrium paſſus eſt. Alſatia ſuperior, Galliæ Lugdunenſi ſubjecta, quin Evangelii præcones ab urbe illa, Provinciæ principe, vel à Veſontione, viciniore Eccleſia, acceperit, in tanto Chriſtianiſmi naſcentis zelo vix licet dubitare. Quodſi Legendas & Traditiones, à pluribus ſeculis receptas, conſulueris, Eccleſiæ noſtræ, tum Superioris, tum Inferioris Alſatiæ, Apoſtolos ſuos Roma, ab ipſo Petro immiſſos, acceperunt. Scilicet nulla fere nobilior Galliæ civitas eſt, quæ non aliquo Apoſtolorum Chriſti diſcipulo, religionis apud ſe fundatore, glorietur. Philippum, Lucam, Dionyſium, Maximinianum alioſque prætereo, quos generatim Galliæ Evangeliſtas credidit pia Antiquitas; Martialem, Petri diſcipulum, Lemovices, Sabinianum & Potentianum Senones, Urſinum Bituriges, Julianum Cenomani, Trophimum Arelatenſes, Lucianum Bellovacenſes, (*e*) Creſcentem Vienneuſes, Sixtum Rhemenſes, fidei ſuæ promotores producunt. (*f*) At ex Sequanis noſtris Veſontini Linum, Rauraci Beatum, Metenſes Clementem, Moguntini Creſcentem, Treviri autem, Colonienſes & Argentoratenſes noſtri, Maternum cum Euchario atque Valerio, ſuos Apoſtolos prædicant. Eccleſiarum iſtarum traditionem convellere, nec fori noſtri, nec conſilii eſt. Ad Criticæ autem ſeverioris, quam ſeculi præſentis indoles nobis præſcribit, amuſſim vetera hæc Majorum tradita ſi diligenter examinemus, hiſtorica illis certitudo haud poteſt attribui.

§. III.

Irenæi teſtimonium.

Enimvero IRENÆUS, ſeculi II. Lugdunenſium Antiſtes, ſucceſſor Pothini, Eccleſiarum Chriſtianarum ad Rhenum primus omnium facit mentionem. Hic in Libris ſuis *adverſus Hæreſes*, (*g*) poſtquam ſymbolum fidei recitaſſet, hæc pauca ſubjungit: " Quanquam enim diſpares inter ſe mundi loquelæ ſunt, una tamen & eadem eſt „ traditionis vis. Ac neque hæ, quæ in Germaniis ſitæ ſunt, Eccleſiæ aliter credunt, „ aut aliter tradunt; nec quæ in Hiſpaniis, aut Galliis, aut in Oriente, aut in Ægypto, „ aut in Africa, aut in mediterraneis orbis regionibus ſedem habent. „ Irenæus, Eleuthero ſedem Romanam tenente, ſcripſiſſe ſe dicit. (*h*) In Eleutherianis annis conſtituendis licet inter Chronologos, PAPEBROCHIUM, RICCIOLUM atque HENR. DODWELLUM, diſſenſus ſit, in eo tamen facile omnes conſentiunt, (*i*) Irenæum Libros ſuos verſus ſeculi II. finem compoſuiſſe: quare & ipſe ab EPIPHANIO, (*k*) *Succeſſor Apoſtolorum*; ab HIERONYMO, (*l*) *Vir Apoſtolicus*, *Apoſtolicorum temporum diſcipulus*, vocatur. Ex proprio ejus teſtimonio patet, Polycarpum ipſius Præceptorem fuiſſe, quem cum Apoſtolis verſatum, & ab eiſdem Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopatum obtinuiſſe, tradit. (*m*) Hic autem noſter Irenæus ſua regionum & provinciarum enumeratione, quibus Eccleſias Chriſtianas aſſignat, utramque Alſatiam complectitur: Superiorem quidem,

(*d*) In *Apologet.* Cap. V. *impetratum imbrem* ſcribit, *Chriſtianorum forte militum precationibus.* Ex eodem Tertulliani Libro *de Corona Militis*, patet, Chriſtianos multos ſub Trajano & Hadriano meruiſſe.

(*e*) ANTON. L'OISEL *Memoires des Pays, Villes, de Beauvais* pag. 74. ingenue fatetur, Lucianum hunc, Dionyſii Galliæ Apoſtoli ſocium, non eſſe tantæ antiquitatis, uti populares ejus ſibi perſuadent.

(*f*) Vid. CLAUDII ROBERTI *Gallia Chriſtiana* & Jo. CHANUTIUS (*Chenu*) Biturix in *Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Galliæ Chronologica Hiſtoria*, ſub ſingularum Eccleſiarum rubro.

(*g*) Lib. I. Cap. X. Edit. Renati Maſſueti pag. 49. Καὶ γὰρ αἱ κατὰ τὸν κόσμον διάλεκτοι ἀνόμοιαι, ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς παραδόσεως μία καὶ ἡ αὐτή. Καὶ οὔτε αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι Ἐκκλησίαι ἄλλως πεπιστεύκασιν, ἢ ἄλλως παραδιδόασιν, οὔτε ἐν ταῖς Ἰβηρίαις, οὔτε ἐν Κελτοῖς, οὔτε κατὰ τὰς ἀνατολάς, οὔτε ἐν Αἰγύπτῳ, οὔτε ἐν Λιβύῃ, οὔτε αἱ κατὰ μέσα τοῦ κόσμου ἱδρυμέναι.

(*h*) Lib. III. Cap. III. pag. 176.

(*i*) Vid. HENR. DODWELLI *Diſſert.* III. *in Irenæum* §. VI. ſqq. & Antagoniſta ejus REN. MASSUETUS *Diſſert.* II. Irenæi Operibus præmiſſa, pag. 77. Dodwelli ſententiæ favet TILLEMONTIUS *Hiſt. Eccleſ.* Tom. II. pag. 79.

(*k*) *Hæreſ.* XXIV. §. VIII.

(*l*) *Commentar. in Eſai.* LXIV. Opp. ejus Tom. V. pag. 202. Item in *Epiſt.* XXIX. *ad Theodoram viduam*, Tom. I. pag. 126.

(*m*) In Fragmento *Epiſtolæ ad Florinum*, apud EUSEB. *Hiſt. Eccleſ.* Lib. V. Cap. XX. conf. IRENÆUS ipſe Lib. III. *adverſus Hæreſes* Cap. III. pag. 176.

ECCLES.

quidem, ubi de *Galliis*, ſive, ut textus Græcus (*n*) habet, de *Celtis*, loquitur; Inferiorem vero, quando *Germaniarum* facit mentionem. Alſatia Superior enim ad Galliam Celticam, quæ Irenæi ævo Lugdunenſis, pertinuit: unde promotorem directoremve fidei ſuæ ipſum Irenæum, Lugdunenſem Antiſtitem, Alſatæ noſtri ſuperiores habere potuerunt.

Conjectura firmatur teſtimonio Theodoreti, (*o*) qui Irenæum non tantum *occidentalium Gallorum lumen* appellat, ſed & eundem Celticas ſpeciatim gentes illuminaſſe dicit. Sed de Alſatia Inferiore disquiritur, num ſub Irenæi *Germaniis* ea intelligatur. Bucherius, (*p*) verſionem illam veterem Latinam ſecutus, in qua ſingulari numero *Germania* ponitur, de Magna trans Rhenum Germania Irenæum loqui arbitratus eſt: haud dubie mutaturus ſententiam, ſi authenticum Auctoris textum, nuperis demum reſtitutum temporibus, ubi *ἐν Γερμανίαις, in Germaniis*, legitur, videre potuiſſet. Germaniam Trans-Rhenanam veteres, ſive Græce, ſive Latine, ſcribentes, deſignare quum volunt, plurium numero nunquam, ſingulari ſemper utuntur. Ubi autem de *Germaniis* ſermo, duas cis Rhenum Germaniæ Provincias, ab Auguſto Cæſare inſtitutas & *Germaniarum* nomine appellatas, intelligunt. Irenæus, inter Romanos Lugduni vivens, Romanorum more & ſtylo loqui credendus eſt. Teſtimonium ejus de Chriſtianiſmo, in Germaniis cis Rhenum ſeculo II. jam invaleſcente, eo gravius eſt, quod Lugdunenſis Gallia, cui ipſe præerat Epiſcopus, illis erat contigua. Nec abſonum credere, certis Diœceſium Eccleſiaſticarum limitibus nondum conſtitutis, Eccleſias Rhenenſes in fide Chriſtiana, miniſtris & Paſtoribus ab Irenæo miſſis, roboratas in fide. Placuit hæc ſententia Beato Rhenano, (*q*) veteri licet illa verſione quoque ſit uſus. " Irenæus (inquit) vetuſtiſſimus inter Scriptores Chriſtianos, qui ſaltem extent, „ proximusque temporibus Apoſtolorum, ſatis indicat, Germaniam ad Chriſtum cito „ converſam, ea videlicet, quæ Provincia fuit, & in Primam & Secundam dividitur. „ Paucis deinde interjectis ita pergit Rhenanus: " Provinciales (Germani) prius amplexi „ ſunt Chriſtum, ut puta civiliores, & linguam callentes Romanam, qua divini verbi „ præcones utebantur. „ Sententiam Rhenani Jodocus Willichius, (*r*) Jo. Henr. Ursinus, (*s*) Balthasar Bebelius, (*t*) Jo. David Koeler, (*u*) Vir raræ eruditionis, aliique plures ſequuntur. At Commentator Irenæi, Jo. Ernestus Grabius, in ſuis ad locum hunc *Notis*, pro Germania Magna tamen pugnat, quod miror.

§. IV.

Tertulliani teſtimonium.

Irenæi teſtimonio, Chriſtianis Alſatiæ Eccleſiis faventi, fervidus ille Chriſtianæ fidei defenſor & coætaneus fere Scriptor Tertullianus (*x*) accedit. "In quem enim „ alium (inquit) univerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui jam venit? Ut „ jam Getulorum varietates & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, „ & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto „ vero ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & „ quæ enumerare minus poſſumus. In quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui jam „ venit, regnat. „ Gallias heic Tertullianus, ſenſu latiſſimo, omnes regiones iſtas, Oceanum inter & Rhenum ſitas, appellat. Per Germanos autem manifeſte ſatis Trans-Rhenenſes intelligit, quod inter Dacos & Scythas illos poſuit medios. Haud ſine ratione ergo Petrus de Marca (*y*) quorundam (Johannem Launoyum intelligit) in patriam ſuam acerbitatem reprehendit; qui omnium Eccleſiarum Gallicanarum origines, præter Lugdunenſem & alias paucas, ad medium tertii ſeculi detrudunt.

Primus

(*n*) Textus Græcus, utpote authenticus, veteris Interpretis Anonymi Latino haud dubie præferendus. Accuratius itaque Græcum *ἐν Κελτοῖς* Latine redditur *in Celtis*, quam *in Galliis*, inter quæ duo vocabula differentia eſt ut partis à toto.

(*o*) *Dialog.* I. pag. 33. Item in *præfat. Hæreticar. fabularum.*

(*p*) *Belg. Rom.* Lib. VI. Cap. III. §. VI. pag. 192.

(*q*) *Rer. Germ.* Lib. II. pag. 264.

(*r*) *Commentar. ad Taciti German.* pag. 417.

(*s*) *De Eccleſiar. Germanicarum origine*, Lib. II. Cap. I. pag. 20.

(*t*) *Antiquit. Germaniæ Primæ*, Art. II. pag. 33. ſqq.

(*u*) *Diſſert. de Germaniis Chriſtianis in ſeculo II.* Gœttingæ An. MDCCXLVII. edita.

(*x*) *Adverſus Judæos* Cap. VII. Opp. Tertulliani, à Carolo Morello editorum, Tom. I. pag. 184.

(*y*) *Epiſtola ad Henr. Valeſium*, quæ præfixa eſt Tomo I. *Scriptor. Hiſtor. Eccleſiaſticæ*, pag. 34. Adde Antonium Pagium in *Critica Baronii* Tom. I. ad An. DLV. pag. 257. Hugo Mathoud, Monachus Benedictinus, in Præfat. *Diſſertationis de vera Senonum origine Chriſtiana adverſus Launoyum*, Marcano licet faventior, hujus tamen ſententiam, de primis Galliæ Apoſtolis, non à Critices ſpinetis cenſet eſſe immunem.

Primis his tamen temporibus Chriſtianismum in Germania Magna magnos feciſſe progreſſus credibile non eſt, tum propter borridam interiorum Germanorum barbariem, tum etiam propter animos ipſorum, ſuperſtitionis inveteratæ tenaciſſimos, (z) ut ex Hiſtoria ſequentium temporum diſcimus. Licet vero nonniſi mediocris Chriſtianorum cœtus apud Germanos cis Rhenum eſſe potuerit, cœtum tamen cum Paſtore fuiſſe neceſſe eſt, quum *Eccleſias* IRENÆUS appellet. Cœtus autem fuit inter Gentiles, hoſtes ſuos & perſecutores, medius & occultus plerumque, Templis & ædibus publicis carens; (quæ nonniſi ſeculo IV. in his oris quærendæ) ſævis contra Chriſtianos Edictis identidem reoovatis. TERTULLIANUS, (a) feliciſſimum tempore ſuo Chriſtianismi per totum ſere orbem ſucceſſum prædicaturus, ſcribit: *Sola vobis* (Gentibus) *relinquimus templa.* Ceterum Religio Chriſtiana ab urbibus, ubi commercia, ubi frequentes incolæ, ubi præſidia militaria, primum ſuſcepta fuit, antequam ad incolas vicorum rurisque transiret.

§. V.

Alſatia ergo cœtus Chriſtianos, cum Parochis ſive Epiſcopis, ſeculo ſecundo jam habuit, quia Eccleſias Germanicas & Celticas laudat Irenæus. Seculo I. autem Eccleſias jam extitiſſe Alſaticas, nullius ex antiquitate Chriſtiana Scriptoris priſci auctoritate docemur, ſingulos licet per oram noſtram Rhenenſem Chriſtianos fuiſſe plurimos, nemo negaverit. Lugdunenſem Eccleſiam, quam illo tempore Rauraci & Sequani, adeoque & Alſatia Superior, venerati ſunt matrem, circa An. CLXXVII. ſub Antonino Philoſopho, duriſſime habitam fuiſſe, monumenta Euſebiana (b) teſtantur. Inter illos, qui martyrium tum ſubierunt, non dignitate modo, ſed & conſtantia ſua, illuſtris fuit Pothinus, (quem multi *Photinum* vocant) nonagenario major, primus, quem novimus, Lugdunenſium Antiſtes, quo antiquiorem Epiſcopum nulla Galliarum producit Eccleſia. Nec mitius Galliam paulo poſt habuit Septimius Severus Imp. cujus perſecutione, initio ſeculi III. excitata, magnam Chriſtianorum partem Lugduni iterum deletam eſſe, GREGORIUS TURONENSIS (c) tradit; quos inter Irenæus, dignus per omnia Pothini ſucceſſor, qui vario pœnarum atque ſuppliciorum genere exanimatus occubuit. Deciana, circa medium ſeculi III. itemque Diocletianea, ſub initium ſeculi IV. Chriſtianorum perſecutiones omnem ſere Romanum orbem, adeoque noſtram certe concuſſerunt Alſatiam. (d) NICEPHORUS CALLISTUS, (e) Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſeculo XIV. mediocris fidei Scriptor, ubi Chriſtianismum à Rhenenſibus populis, Gallis atque Celtis, quos omnes Barbaros vocat, ſub Conſtantino M. ſuſceptum memoravit, publicum & plenarium Chriſtianismi in his oris exercitium intelligere videtur.

Alſatiæ Eccleſiarum Antiquitas.

Conſtantino Magno An. CCCXII. ad Imperium promoto pax quidem Chriſtianis Alſaticis lætior, ſed non diu duratura, affulſit. Frequentes Alemannorum cis Rhenum irruptiones eos valde proſtrarunt. Et quanquam à Juliano & Valentiniano I. Rheni reſtauratus ſit limes, Vandalico-Alemannica tameo ſeculi V. irruptione Chriſtianismus, ſub Alemannis Gentilibus, toto ſere ſeculo V. in Alſatia dominantibus, ita peſſundatus eſt, ut ſeculo VI. demum ſub Francis reſtitui ac reſtaurari potuerit. De Chriſtianismi in oris noſtris ſtatu nonniſi pauca hæc late confuſeque cognoſcimus, nec multo plura profecto, ſi deſcendas ad ſingula. Quodſi enim Rauricenſis, Argentoratenſis & Spirenſis Eccleſiarum, imo & Metropolium, à quibus tum pendebant, Lugdunenſis nempe Trevirenſisque, & poſt Synodum Nicænam Archiepiſcopatus Veſontini & Moguntiacenſis, qui prioribus Metropolibus ſucceſſerunt, origines & ſtatum examines, multiplicem quidem rerum & eventuum mirabilium ſeriem ex variis Eccleſiarum Legendis addiſcimus, ex idoneis autem & ætatis vicinæ monumeotis excutimus nihil.

(z) BEATUS RHENANUS *Rer. German.* Lib. II. pag. 265. hac de re ita ſcribit: " In ipſam Germaniam, quam ego diſcriminis cauſa veterem appello, " nemo facile fuiſſet admiſſus, qui contra receptas " gentium ſuperſtitiones aliquid ſe dicturum foret " pollicitus. Rudiores enim erant, quam qui nova " doctrina caperentur, aut a deliriis avocari " poſſent.

(a) In *Apologetico adverſus Gentes* Cap. XXXVII. Opp. ejus Tom. I. pag. 76.

(b) *Hiſtor. Eccleſiaſtica* Lib. V. Cap. I.

(c) *Hiſtor. Francor.* Lib. I. §. XXVII. USUARDUS, NOTKERUS, aliique in *Martyrologiis* ſuis, Irenæum cum omni ſere civitatis ſuæ populo tunc coronatum eſſe martyrio, ſcribunt.

(d) LACTANTIUS *de Mortibus Perſecutor.* Cap. XVI. ita loquitur: " Vexabatur ergo univerſa terra, " & præter Gallias, ab oriente usque ad occaſum " tres acerbiſſimæ beſtiæ ſæviebant. " Per tres beſtias intelligit Diocletianum, Maximinianum Herculium & Galerium Maximinum. Vide Not. ad h. l. in Cel. LENGLETI Editione, Tom. II. pag. 202.

(e) *Hiſtor. Eccleſ.* Lib. VIII. Cap. XXXIII. ubi inter alia de temporibus Conſtantini M. loquens, hæc profert: [illegible]

§. VI.

Apoſtoli oræ Rhenenſis.

Traditionum mediæ ætatis auctoritatem ſequi ſi lubeat, S. Maternus, cum Valerio Presbytero & Euchario Epiſcopo, Roma in Gallias miſſi à Petro, Evangelium annuntiarunt Tribocis atque Nemetibus, antequam ad Trevirenſes, Colonienſes item & Tungros, progrederentur, verique adeo Alſatiæ noſtræ extiterunt Apoſtoli. Sed & ex eadem fama Evangelium apud Rauracos docuit S. Beatus, natione Britannus, Barnabæ prædicatione converſus, & Romæ ſacerdotio initiatus à Petro; cujus juſſu Helvetios adiit, eosque, ſocio ejus Achate, fidem Chriſtianam edocuit. (*f*) De Lino ſuo multa Veſontini, quem, Epiſcopatu hujus urbis inſtituto, Petri in Romana ſede ſucceſſorem evaſiſſe tradunt; (*g*) refragante tamen Cel. Dunonio, (*h*) qui Ferreolum & Ferrutium, ab Irenæo, Lugdunenſi Antiſtite, miſſos, reputat Veſontinorum Apoſtolos. De S. Creſcente, fidei ſuæ ſtatore, non pauca quoque ferunt Moguntiacenſes, quem principem Doctorum urbis ſuæ, imo & Alſatiæ Tribocicæ, facit Serarius: (*i*) magnoque id conatu dum ivit probatum, rem dubiam dubitatiorem reddidit, Rupertum Tuitiensem, ſeculi XII. Scriptorem, (*k*) primum rei teſtem adducens, publiceque profeſſus: "nullam S. Creſcentis in Ritualibus Moguntinorum, „ Libris, Breviariis, Miſſalibus & ſimilibus, uſpiam fieri mentionem. „ Quum autem ex omnibus Rhenenſis oræ Apoſtolis nullus Alſatiam magis reſpiciat, quam Maternus, res, quæ de ipſo traduntur, accuratiori ſubjiciemus examini.

S. Maternus.

Ad firmandum ejus Apoſtolatum Alſatiæ, allegantur primum Bedæ, Usuardi, Adonis, Baronii *Martyrologia*, quæ, ſi Bedam ex ſeculo VIII. excipias, nonniſi ſequiorum temporum ſunt, imo & progreſſu temporis interpolata. De ipſo Bedæ Martyrologio annoto, in eo nihil prorſus de Materno occurrere, ſi Bollandiſtarum exemplum, (*l*) ex duobus Mſſ. Codicibus, uno Romæ in Reginæ Chriſtinæ, altero in Bouhierii Bibliotheca Divione repertis, correctum, ſequaris; ubi verba: *Treviris depoſitio S. Materni, Epiſcopi & Confeſſoris*, ad XVIII. Kal. Octobris non extant. Lacinia hæc Bedæ Codicibus addita, quam facile in Martyrologia poſteriora tranſivit? Quodſi etiam Maternum Trevirenſem inter Martyres à Beda numeratum concedamus; inde tamen pro Materno noſtro, Alſatarum Apoſtolo, nihil elicimus, quod Trevirenſes alium ejusdem nominis, qui initio ſeculi IV. Colonienſibus præfuit, ſibi quoque Epiſcopum vindicant. Sed quam à Chriſtianismi naſcentis ævo remotus eſt Beda? remotior Uſuardus, & reliqui. Notkerus, cognomento Balbulus, qui circa An. DCCCXCIV. Martyrologium (*m*) ſcripſit, ad IV. Kal. Februarii ait: *Treviris depoſitio beati Valerii Epiſcopi, diſcipuli S. Petri Apoſtoli;* nulla ſociorum Valerii, adeoque nec Materni, facta mentione.

§. VII.

Harigeri teſtimonium.

Omnium, quantum quidem nos novimus, primus Maternum noſtrum in lucem protulit Harigerus, (*n*) Lobienſis, in Epiſcopatu Leodienſi, Abbas, ſeculi X. ad finem vergentis Scriptor; qui Maternum ac ſocios ejus resque ipſorum geſtas multis proſequitur. Apud eum enim verba hæc legimus: "Beatus Petrus ad Metropolim, „ Trevirorum ſcilicet civitatem, ternos deſtinaverat unicæ Trinitatis adſtipulatores ... „ Eucharium videlicet, Valerium atque Maternum. Et Eucharium quidem Pontificatus, „ Valerium vero Diaconatus, Maternum autem Subdiaconatus, donavit honore. „ Recenſet inde Harigerus orationem, quam Petrus, illos dimittens, habuerit, eaque finita hæc annotat: "Tali itaque dotatam benedictione ſocietatem hanc fraternitatis „ abſolvit abire. Qui Urbe Roma egreſſi, peregrinatione ſumta felici, circum circa incunctanter

(*f*) Franciscus Guillimannus *Rer. Helvet.* Lib. I. Cap. XV. pag. 136. & *Habſpurg.* Lib. II. Cap. I. Beati vitam Germanico idiomate conſcripſit Petrus Canisius, S. J. & Henricus Murer, Carthuſianus, in *Helvetia ſancta*.

(*g*) Gollut *Memoires du Pays des Sequanois*, Cap. XXVI.

(*h*) Dunod *Hiſtoire de l'Egliſe de Beſançon* pag. 18. ſqq.

(*i*) *Rer. Mogunt.* Lib. II. Cap. II. ubi: "Addunt „ alii S. Creſcentem veniſſe in Nemetum, Vangio- „ num, Tribocorumque urbes.

(*k*) Obiit Rupertus An. MCXXXV.

(*l*) Extat in *Act. Sanctor.* Menſis Martii Tom. II. ab initio.

(*m*) Produxit illud in lucem Henr. Canisius *Theſaur. Monumentorum Eccleſiaſt.* Tom. II. Part. III. pag. 97.

(*n*) Harigerus ſcripſit *Geſta Pontificum Tungrenſium, Trajectenſium ac Leodienſium.* Editus eſt à Jo. Chapeauville inter *Scriptores Geſtorum Pontificum Tungrens.* Tom. I. ubi pag. 9. de Materno loquitur. Harigerum Hiſtoriam hanc conjunctim cum Notkero, ejusdem temporis Leodienſium Epiſcopo, ſcripſiſſe, judicat Casimirus Oudinus *Commentar. de Scriptor. Eccleſ.* Tom. II. pag. 484. Harigerus obiit circa An. MIX.

ECCLXX.

incunctanter nomen prædicabant Domini Jeſu Chriſti. Cum vix paucorum evaſerant „
iter dierum, & tanti ſodalitii perpeſſi ſunt diſpendium. Nam cum in Elegiam „
caſtellum deveniſſent, ibique prædicandi gratia morarentur, S. Maternus, à febre „
valida interceptus, humanis ſubito rebus eſt exemptus. Reliqui dolore inſperato „
perculſi, ſed de Dei pietate non dubii, beato ſepulto corpore, protinus ad Apoſtolum „
Petrum regreſſi ſunt, infortunium, quod acciderat, nunciantes. „ Sequitur iterum oratio D. Petri, qua lugentes advenas erexerit, iisque fratris defuncti reſurrectionem, vi Pontificalis baculi, ipſis traditi, ſit pollicitus. Inde porro narrare pergit Harigerus:
“ Hac iterum Apoſtolica conſolatione firmati, quadrageſimo defunctionis beati viri die „
ad corpus cum fide regreſſi ſunt, quo terra egeſto, ... cujus umbra ſanavarat „
omne genus morborum, ejus baculus beatum revocavit à morte Maternum . . . . . „
Incolæ vero loci laudes Deo reddebant, & multi paganorum baptiſmi gratiam con- „
ſecuti, unitati fidei ſe conjunxerunt, & mortis illius occaſio multis fuit ad vitam „
reſurrectio. In quo loco poſtea Chriſtiani Eccleſiam conſtruxerunt, eique ex eo, „
quod acciderat, nomen reſurrectionis impoſuerunt. Illi vero poſtquam multos ad „
fidem imbuerunt, valedicentes fratribus, per Gallias & quocunque tranſibant, verbi „
divini ſemen ſpargentes, ad antiquiſſimam Trevirorum, trium civitatum Metropolim, „
urbem tandem pervenerunt. „

Annotat porro, qua ratione tres hi præcones Apoſtolici rem Chriſtianam in Inferioris Rheni partibus, apud Trevirenſes præſertim, Agrippinenſes & Tungrenſes tam mire promoverint, ut publicus Chriſti cultus paſſim introduceretur. Euchario, poſt XXIII. annorum regimen Epiſcopale defuncto, Succeſſorem dat Valerium; huic denique poſt XV. annos Materoum: qui Trevirenſi Eccleſiæ totidem annis, quot diebus in ſepulchro Elegiæ apud Alſatas jacuerat, id eſt, quadraginta, præfuerit. Primum hoc teſtimonium de Chriſtianiſmo apud Alſatas per Maternum, D. Petri diſcipulum, ſtabilito invenimus. Circumſtantias narrationis hujus ſi probe examines, illæ à Geographico, Politico atque Eccleſiaſtico, primi ſeculi ſtatu non leviter diſcrepant.

§. VIII.

Harigerum, centum fere poſt annos, ſeculo nempe XI. vivens, excepit Marianus Scotus; (o) qui Materni ac ſociorum profectionem Roma ad Treviros anno Chriſti LIV. Claudii Imp. XI. Romani autem Epiſcopatus Petri VIII. aſſignat, additque Eucharium ſedem Trevirenſem XXIII. annis tenuiſſe. Chronologiæ nævos, quos Marianus heic commiſit, quique Bucherium, Browerum & alios, Materni Apologetas, jam pridem vexarunt, nemo non facile animadvertit. (p) Uberiora de Materno multisque circumſtantiis aucta, nobis offerunt ſeculi inſequentis XII. Scriptores, qui tamen maxima ex parte Alſatiam noſtram prætereunt ſilentio; quos inter Golscherus, (q) Petrus Cluniacensis, dictus Venerabilis, (r) Otto Frisingensis, (s) Gotfridus Viter-

Aliorum ſententia.

Tt 2

(o) *Chron.* Lib. II. Ætat. VI. In Pistorii *Scriptor. Rer. German.* Tom. I. pag. 555.

(p) Vid. Beeslerus *Antiq. Germaniæ Primæ* Art. II. §. VIII. pag. 54.

(q) *Hiſtor. Archiepiſcopor. Trevirenſ.* cujus VI. priora capita, quæ vitam Valerii & duorum ſodalium continent, *Actis Sanctor.* inſeruit Bollandus, Januar. Tomo II. die XXIX. pag. 918. Golſcherum hunc, qui etiam Goldſcherus ſcribitur, S. Eucharii prope Trevirim Monachum, circa An. MCXXX. floruiſſe, oſtendit Casim. Oudinus *Commentat. de Scriptorib. Eccleſ.* Tom. II. pag. 1135. ſq. Fallitur ergo Bollandus &, qui eum ſequitur, Ludov. Laguille *Hiſt. d'Alſace* pag. 48. Golſcherum ſeculo X. jam vixiſſe reputantes, quod apud Harigerum, quem modo allegavimus, plurima ex illo ad verbum deſcripta reperiantur. Contrarium potius videtur contigiſſe, ut Golſcherus nimirum ex Harigero, tanquam junior ex ſeniore, ſua deſumſerit, quæ ſententia eſt ejusdem Oudini loco cit. aliorumque. Sunt qui Golſcherum ſeculo XIII. aſſignant: plures hujus nominis Scriptores annotat Oudinus.

(r) *Epiſtolarum* Lib. I. Epiſt. II. contra Petro-Bruſianos.

(s) *Chron.* Lib. III. Cap. XV. in Urstisii *Scriptoribus Rer. Germ.* pag. 62. ubi hæc Friſingenſis obſervat: “ Petrus, cathedram Romæ ſuſcipiens, ad florentiſſimam Galliæ urbem Treverim „ tres ſimul proceres, Valerium, Eucharium ac „ Maternum, deſtinavit. Qui dum Alpes tranſiiſſent, Maternus in via moritur, quo facto perculſi „ ſocii Romam revertuntur. Beatus itaque Petrus „ Apoſtolus paſtoralem virgam, ut traditur, per eos „ ad ſuſcitandum eum miſit. Qui venientes ad „ locum ſepulchri, XXXIII. dies invenerunt eum „ in monumento jacentem; attamen viri Dei fide & „ operibus bonis pleni, ſub obedientia Magiſtri, „ admota virga ſocium à morte ſuſcitaverunt. Qui, ut „ fertur, poſt Eucharium & Valerium per tot annos „ Treverenſem & Agrippinenſem rexit Eccleſiam, „ quot dies antea ſepulchro jacuerat. Oſtenditur „ autem adhuc eadem virga in argumentum rei, „ quam diximus, Treveri ac Agrippinæ, ita, quod „ ſuperiorem ejus partem Treverenſes, inferiorem „ Colonienſes habeant. „ De virga, quæ hic memoratur, agit Bollandus *Act. Sanctor.* Januarii Tom. II. pag. 918. Lit. I. & in appendice ejusd. Tomi pag. 1153. ubi ex Martyrologio Pragenſi obſervat, partem ejus, quæ Treviris fuit, à Carolo IV. Imp. Pragam translatam eſſe. Conf. Beeslius *Antiquit. German. Primæ* pag. 53.

ECCLES.

Viterbiensis, (*t*) præcipui ſunt, quorum magnus in narrando diſſenſus eſt. Otto Frilingenſis, Scriptor prudens ac pro ſeculi ſui modo eruditus, formulas, *ut traditur*, *ut fertur*, adhibet. Harigerum Golſcherus, ut ex eorundem collatione apparet, exſcripſit, at *Elegum* caſtellum, quod Harigerus late indicat, *Alſatiæ caſtellum* appellat. Traditio ſupplet, Elegiam illum eſſe locum, qui ad Ellum flumen ſitus, hodie *Ell*, à Romanis *Helvetus*, à Celtis, uti videtur, *Helell* (*u*) appellabatur, haud procul Benfelda. Golſchero majorem, quam reliquis, fidem eſſe adhibendam, Bollandiſtæ exiſtimant, eo quod in Epilogo ipſe teſtetur, ſe trium Pontificum illorum geſta, poſt excidium Trevericæ urbis relicta, perſcrutantem, ſparſim in chartulis ſcripta, in unum volumen congeſſiſſe fideliter. Sed & iidem Doctiſſimi Compilatores fatentur, Epilogum hunc in quibusdam Mſſ. Codicibus deſiderari, interpolatoris forte manu adjectum.

§. IX.

Alii teſtes.

Seculo XIII. novus iterum de Materni noſtri ad Treviros itinere teſtis occurrit, Albertus Stadensis, (*x*) Scriptor utique diligens. Hic rem totam brevi compendio expoſuit, & ipſe tamen non ſemel à cæteris diſcrepans, ita ut nova quoque, aliis non memorata, hinc inde adjiceret. Locum mortis & ſepulturæ Materni, Treviros petituri, *Gelenhem Alſatiæ* nuncupat; quo ſine dubio eundem, quem Golſcherus, *Elegum* nempe, indicare voluit, quum illius, quod exprimit, nominis nullus locus apud Alſatas extet. Scriptoribus his denique ſine ſeculi XIV. Jacobus noſter de Koenigshoven (*y*) acceſſit, qui Legendæ plura, aliis non relata, adjecit. Illi enim Maternus pro juvene habetur, quem Chriſtus apud Naimitas reſuſcitaverat: adeoque ter vita donatus, ter mortuus. Illi Maternus, Alſatia Superiore Chriſtianorum gregi adjuncta, Inferiorem Alſatiam petiiſſe dicitur; ubi primo ſtatim occurſu Aprimonaſterienſe Templum, paganicæ ſuperſtitioni huc usque dicatum, conſecraverit Chriſto, & Presbyteris Diaconisque inſtruxerit. Idem quum Argentorati facere tentaret, urbe ejectus eſt, feliciorem mox poſt reditum doctrinæ, quam prædicavit, experturus ſucceſſum. Aderant enim ipſius reſurrectioni, quæ prope Benfeldam in loco, *Eley* (*z*) inde appellato, poſt XXX. dierum ſepulturam contigit, plurimi Argentoratenſes, qui de divina jam Materni miſſione convicti, Chriſtianorum in caſtra transgreſſi ſunt, ſibique An. Chriſti LXIV. extra muros civitatis Eccleſiam, D. Petro Seniori ſacram, extruxerunt: id quod Molshemii quoque factum, ubi templum, à Materno conditum, *Domus Petri*, *Dompieter*, nuncupatur. Rebus hoc modo ad fidem in Alſatia promovendam ordinatis, Maternus cum ſociis Treviros, Colonienſes, aliosque inferioris Rheni populos inviſit. Koenigshovius hæc omnia fuſe.

§. X.

Sententiarum diviſio.

Quodſi Scriptorum, noſtræ ætatis, de Materno ſententias diſtinguamus in claſſes, tres eorum reperio. Sunt, qui rem omnem, prouti vulgo traditur, ingenue admittunt: ſunt, qui circumſtantias quasdam, veritati hiſtoricæ minus conſentaneas, reprobant: ſunt denique, qui omnem Apoſtolatum Materni, rejiciunt, atque hujus nominis diſcipulum Petri fuiſſe negant omnino.

Ad

(*t*) *Chron.* Part. XIV. in Pistorii *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. II. pag. 240. ubi Gotfridus rem verſibus ita exponit:

« Eucharius fuit atque ſuus Collega Maternus,
» Diſcipuli Petri, verbum coluere ſupernum,
» Quos ſibi trans Alpes Petrus abire jubet.
» Quumque Jovis montem niveo jam calle ſubirent,
» Ille Maternus obit, ſed iter timet alter inire,
» Qui Romam rediens judicat acta viæ.
» Præbet ei baculum, quo fungitur ordine Petrus,
» Tactus eo ſocius ſurrexit pergere ſecum.
» Perveniunt Treverim.

Sed & addit mox Viterbienſis:

« Eſt & ibi baculus, quo ſibi vita datur.
» Hæc ut perpetuis pateant miracula rebus,
» Nullus habet baculum Romæ per ſecula præſul,
» Hoc erit in Treveri perpetuale decus.

(*u*) Vide ſupra Lib. I. §. XXXIX. pag. 54.

(*x*) In *Chronico* ſuo, quod extat inter *Scriptores Rer. Germ.* à Jo. Schiltero editos, pag. 156.

(*y*) *Chron. Alſatiæ*, Germanice ſcripto, Cap. V. §. XV. pag. 269. ſqq. Verba ipſa Kœnigshovii jam olim ex Mſ. publici juris fecit Balth. Bebelius in *Antiquit. Germ. Primæ* Art. II. pag. 36. Integrum vero Chronicon abhinc edidit Jo. Schilterus, ſuisque obſervationibus paſſim munivit.

(*z*) Quaſi παρὰ τῶν ἐλέγων, ἢ θρήνων, h. e. *ab elegis ſive threnis*, qui illic circa Materni funus profuſi ſunt, uti Chronica Monaſterii Ebersheimenſis tradunt. Beatus Rhenanus in Etymologiam hanc vocis *Elegiæ* graviter invehitur, *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 311.

Ad primam Claſſem referendi ſunt ÆGIDIUS BUCHERIUS, (*a*) JODOCUS COCCIUS, (*b*) & CHRISTOPHORUS BROWERUS; (*c*) quibus omnia, quæ Materno tribuuntur, ſolidis fundamentis inniti perſuaſum. His plures alii, Colonienſium, Trevirenſium atque Leodienſium, præſertim rerum acceſſere Hiſtorici, (*d*) Maternum trium horum Epiſcopatuum Antiſtitem; Rauracenſis vero, Argentinenſis, Spirenſis & Wormatienſis Eccleſiarum celebrantes Apoſtolum. (*e*)

BEATUS RHENANUS, (*f*) poſt Literas reſtauratas ſolers hiſtoricarum rerum indagator, Critico judicio pollens & Seleſtadii degens, ita hac de re ſentit: " De „ Materno, qui hic D. Petri juſſu doctrinam Evangelicam primus enuntiaverit, non „ puto prorſus inanem eſſe famam. Apud Hellum vicum, tribus milliaribus à „ Seleſtadio diſtantem, adhuc conditorium oſtenditur, in quo jacuerit mortuus „ aliquandiu, ſed mox vitæ reſtitutus, ut adhuc Treveros Agrippinenſeisque erudiret. „ De tempore dubito, de re ipſa ſatis certus. „ Sarcophagus Materni, qui adhucdum apud Ellenſes noſtros monſtratur, nulla tam remotæ antiquitatis indicia habet. LUDOVICUS LAQUILLIUS vero, (*g*) qui ante me Alſatica florido Gallici idiomatis ſtylo deſcripſit, Materniana quidem prouti à Golſcherò, quem ſeculo X. vixiſſe exiſtimat, aliisque ætate ſupparibus enarrantur, admittit, Kœnigshovii tamen, Gebvileri aliorumque Juniorum, de exſtructis paſſim per Alſatiam Chriſtianorum templis, traditiones expungit.

Ad tertiam juniorum de Materno Scriptorum claſſem JOANNES LAUNOJUS, (*h*) TILLEMONTIUS (*i*) & *Galliæ Chriſtianæ* Scriptores, (*k*) referendi ſunt; qui Materni Apoſtolatum omnem omnino rejiciunt.

§. XI.

Verisimilior ſententia.

Enimvero res difficilis creditu eſt, tot illuſtrium Eccleſiarum, Trevirenſis, Colonienſis, Argentoratenſis, Leodienſis, Conditorem per integra fere ſecula decem potuiſſe latere: res vero ſuſpecta, tam mirabiles eventus nonniſi illo tempore innoteſcere cœpiſſe, quod ob ignorantiam rerum & in ſcientiis barbariem Baronius *plumbeum* appellat. Seculo IX. ſane Apoſtolatum Materni adhuc ignoratum fuiſſe, Argentinenſis Eccleſiæ *Calendarium* illius ævi (*l*) demonſtrat, quod inter reliquos Alſatiæ Sanctos non memorat Maternum; memorare tamen debuiſſet, ſi ille Chriſtianiſmi apud Alſatas fundamenta poſuiſſet. De Colonienſium Præſulibus id adhuc ſubjungo, eos præter Maternum hunc noſtrum Alſaticum, quem primum ſibi Epiſcopum vindicant, alium quoque habuiſſe, quem vocant ſecundum, qui Concilio Arelatenſi, An. CCCXIV. contra Donatiſtas celebrato, interfuit, (*m*) & poſt Lugdunenſem Epiſcopum his ponitur verbis: *Maternus Epiſcopus, Macrinus Diaconus, de Civitate Agrippinenſium.* (*n*) Neque ſilentio tranſeundum eſt, in Agro Moguntiacenſi monumentum extare, ubi *Maternus* quidam miles veteranus Legionis XXII. memoratur: *Fl. Julio Materno Vet. Leg. XXII. P. P. F. miſſus honeſta miſſione ex Duplicario* &c. (*o*) Quidquid

autem

(*a*) *Diſſertat. Hiſtor. de primis Tungrorum Epiſcopis*, pag. 8. & 16. quæ Jo. CHAPEAUVILLEI *Geſtor. Pontificum Leodiens.* Tomo I. ſubjuncta legitur. Conf. ejusdem *Belg. Rom.* Lib. V. Cap. I. §. VII. pag. 152.

(*b*) *Panegyr. Leopold.* Lib. II. Cap. V. pag. 120. it. Lib. III. Cap. II.

(*c*) *Annal. Trevirenſ.* Lib. II. pag. 144.

(*d*) GELENIUS *de Coloniæ Agrippinæ magnitudine* Lib. I. Syntagm. 6. pag. 36. & 38. HERMANNUS STANGEFOLIUS in *Annal. Circuli Weſtphal.* pag. 99.

(*e*) *Baſilea Sacra* pag. 4. EYSENGREIN *in Chronologia urbis Spiræ*, Lib. I. pag. 52. b.

(*f*) *Rer. Germ.* Lib. II. pag. 159.

(*g*) *Hiſtoire d'Alſace* Tom. I. *Liv.* IV. pag. 47.

(*h*) De *Sulpitii Severi ſententia, ratione Origin. Chriſtian. in Gallia*, Cap. XXIX. pag. 121.

(*i*) *Memoires Eccleſiaſtiques* Tom. IV. pag. 207. ubi Tillemontius, de Euchario diſſerens, hæc ſcribit: *Nous avons une grande Hiſtoire de lui, de S. Valere & de S. Materne, qu'on fait les Compagnons de ſa Miſſion & ſes Succeſſeurs dans l'Epiſcopat. Et cette Hiſtoire eſt pleine de prodiges, qui auroient du rendre ſon nom fort celebre. Mais il eſt vrai auſſi, que les faits, qu'elle rapporte, ſont ſi peu vraiſemblables, ſi fabuleux & ſi contraires à ce que les bons Auteurs nous apprennent du progres de la Foi en France, qu'il eſt impoſſible d'y avoir aucun egard. Elle eſt d'un Goiſquer*, (Golſcherus) *Moine de Treves, ce qui ne prouve ni ſon antiquité, ni ſa verité.* Item Tom. VI. pag. 300. Not. 6. ita loquitur Tillemontius de Materno: *Quoique Baronius diſe, que tout le monde tombe d'accord, qu'il a été diſciple de S. Pierre, il eſt fort permis, ſelon Baronius même, de ne ſe pas arrêter à un bruit commun, dont on ne trouve aucun fondement legitime & aſſuré.*

(*k*) *Gallia Chriſt.* Tom. III. pag. 809. ubi, poſt enarratos, ex Harigero præſertim, octo priores Leodienſium Epiſcopos, ita ratiocinantur: " Hæc omnia (adeoque etiam quæ de Materno referuntur, quem primum Leodienſium ſive Tungrorum Epiſcopum faciunt) vel cæcutienti videntur abſurda, & nulla „ omnino fide digna. Nec ſola tamen traditionis „ illius auctoritatem labefactant & penitus evertunt, „ alia ſuppetunt, & quidem plurima.

(*l*) Prodiit hoc Martyrologium Auguſtæ Vindelicorum An. MDCLXXXVII. è Bibliotheca MATTHIÆ FRID. BECKII, qui illud, Argentorato caſu fortuito Auguſtam advectum, ob inſtante jamjam interitu vindicavit, atque cum prolixo Commentario edidit, ſub hoc titulo: *Martyrologium Eccleſiæ Germanicæ pervetuſtum.* Rectius *Calendarium Argentoratenſis Eccleſiæ* vocaretur.

(*m*) MOLANI *Natales Sanctor. Belgii*, XIV. Sept. pag. 202. BARONII *Martyrolog. Rom.* pag. 390.

(*n*) Vide *Acta Concilior.* Tom. I. pag. 1430. Edit. Labb.

(*o*) Vid. HUTTICHII *Collectanea Antiquitatum in urbe & in agro Moguntino.*

autem ſit de Materni, Eucharii, Valerii, Beati, Lini, Creſcentis, ad oram Rhenenſem Apoſtolatibus, in eo tamen defenſores eorum conſentiunt omnes, tempora, primos hos inſecuta Apoſtolos, tenebris tam denſis involvi, ut de ſucceſſoribus eorum nulla plane notitia ſuperſit. Annotaut hoc Veſontinorum, Rauricenſium, Argentoratenſium, Spirenſium, Colonienſium, Trevirenſiumque Annales, uno veluti ore; (*p*) ita ut Alſatas noſtros, propter inſecutas perſecutiones, ad priſtinam paganorum ſectam retrogreſſos Wimphelingius cenſeat. Ægidius Bucherius, (*q*) Sirmondi æqualis, ſociusque ſtudiorum, aperte profitetur: "Quod pene omnes Gallicanorum Epiſcoporum „ indices, qui ab Apoſtolis deducuntur, cum primum ſuum aut ſecundum cenſuere „ ſacerdotem, ſpatium repente ducentorum circiter annorum Epiſcopis vacuum exhi„ beant, & proximos deinde eorum ſucceſſores in Conſtantini tempora, ſubinde etiam „ ſerius, Hiſtoricorum auctoritate revicti, rejiciant. „ Alibi idem Bucherius: "Van„ gionum, Nemetum, Argentoratenſium Epiſcopi, nulli adeo certi, ante Conſtantini, „ aut etiam filiorum ejus tempora, numerantur. „ Itaque, quam pro Helvetia ſua tenebrarum iſtarum cauſam Guillimannus (*r*) allegat, reliqui omnes fere, verbis modo mutatis, faciunt & ſuam. Diriſſimæ illæ ſub Imperatoribus perſecutiones allegantur, quibus Acta perierint. Id vero mirum, qui fieri potuerit, ut in illo naufragio poſteriora tantum Chriſtianiſmi apud Gallos inſtituti Acta perirent, prioribus ubique ſervatis. Penſitatis ergo bis omnibus, de publico Chriſtianiſmi apud Alſatas cultu & conſtitutis Eccleſiis concludimus tandem, Epiſcopi publici & ordinarii nullam in ora ſuperiore Rhenenſi ante ſeculum VI. in idoneis Scriptoribus memoriam reperiri.

§. XII.

Auctoritas Synodi Agrippinenſis.

Verum enimvero ſententiæ huic prorſus contrariari videtur tota illa Agrippinenſis Synodus, ſeculo IV. contra Euphratam, Colonienſem Epiſcopum, celebrata, cui Amandus Argentinenſium, Juſtinianus Baſilienſium, Jeſſes vel Jeſſius Nemetum, Victor Vangionum, Antiſtites, cum aliis ex Gallia Epiſcopis interfuiſſe ſcribuntur. Grave teſtimonium, ſi modo Concilii hujus certitudo & veritas ſatis eſſet adſtructa. Acta, quæ protulit Labbeus, (*s*) celebratam hanc Synodum tradunt *poſt Conſulatum Amantii & Albini IV. Idus Majas*, hoc eſt die XII. Maji anno Chriſti CCCXLVI. qui nempe Faſtis Conſularibus Romanorum reſpondet. Diſtincta hæc notatio temporis quum fidem Synodo conciliare debuiſſet, tela ſane ſuppeditat, quibus Critici illam aggrediantur, reddantque ſuſpectam.

Quibusdam ſuſpecta.

Faciunt hoc Baronius, (*t*) Bailletus, (*u*) Sammarthani, (*w*) Caveus, (*x*) Tillemontius, (*y*) Du Pinius, (*z*) aliique complures. Hi omnes, Agrippinenſi Concilio fidem denegantes hoc urgent præſertim, quod Euphratas, Colonienſis Epiſcopus, qui ab XVIII. Galliæ Epiſcopis damnatus, atque ob Arianiſmum ſede ſua An. CCCXLVI. dejectus legitur, anno ſequenti CCCXLVII. inter orthodoxos Concilii Sardicenſis patres occurrat, & ita quidem, ut præcipuas ibi in tractandis fidei ac Eccleſiæ rebus partes tenuerit. Teſtis hujus rei S. Athanasius (*a*) ipſe, qui Euphratam cum Vincentio, Capuano Epiſcopo, publico Concilii nomine, ad Conſtantium Imp. miſſum fuiſſe ſcribit, ut Epiſcopis, per Arianorum fraudes in exilium protruſis, reditum ad Eccleſias ſuas impetraret. Quam difficulter hæc inter ſe conciliari poſſint, nemo non videt. Si Euphratas, nefandi erroris propugnator apertus, An. CCCXLVI. unanimi plurium Epiſcoporum conſenſu loco ſuo dejectus fuit, num anno ſequenti eum ipſum, iisdem Epiſcopis conſciis, imo præſentibus, ad graviſſima Religionis orthodoxæ negotia fuiſſe adhibitum veriſimile eſt?

§. XIII.

(*p*) Guillimannus *de Rebus Helveticis*, Lib. I. Cap. XV. Sudanus *Baſilea Sacra* pag. 9. Wimpheling. *de Epiſc. Argent.* pag. 6.

(*q*) *Belg. Rom.* Lib. VI. Cap. III.

(*r*) Guillimannus *de Reb. Helvet.* Lib. I. Cap. XV. pag. 136. ubi ita: "Quos Beatus in Hel„ vetia reliquerit ſucceſſores & diſcipulos, quique „ poſt eum Chriſtianæ Religioni præcipue incubuerint, „ non ita exploratum eſt. Nam & ſæviſſimæ deinde „ in Gallia ſub Antoninis, Aureliano, & denique „ Maximiano perſecutiones fuerunt, & eodem tem„ pore, Chriſtianorum ſcriptis & omnibus primæ & „ antiquæ veræ pietatis inſtrumentis incenſis, eorum „ pariter memoria apud homines prope extincta eſt. „ Poſtquam vero perſecutionum procellæ deferbue„ rant, Conſtantinique imperio fides confirmata eſt, „ Helvetia viris, ſanctitate & miraculis conſpicuis, „ nunquam caruit.

(*s*) *Concilior.* Tom. II. pag. 615.

(*t*) *Annal. Eccleſ.* Tom. III. ad An. CCCXLVI. pag. 622.

(*u*) In *Vita S. Maximini Trevir.* Menſe Majo.

(*w*) *Gall. Chriſt.* Tom. III. pag. 622.

(*x*) *Hiſt. Lit. Scriptor. Eccleſ.* Tom. I. pag. 356.

(*y*) *Memoires ſur l'Hiſtoire Eccleſ.* Tom. VI. pag. 331. Not. 37. Suffragatur ipſi Auctor Libri, qui nuper prodiit: *Hiſtoire Literaire de France*, Tom. I. Part. II. pag. 191.

(*z*) *Script. Eccleſ.* Tom. II. Part. II. pag. 326.

(*a*) In *Epiſtola ad Solitariam vitam agentes*, Opp. Tom. I. pag. 822.

§. XIII.

Illi, qui defenſionem Concilii Agrippinenſis Actorum in ſe ſuſcipiunt, difficultatem hanc removeri poſſe exiſtimant, ſi ſtatuatur, Euphratam, Coloniæ Agrippinæ depoſitum, ab illo, qui Sardicæ fuit, eſſe diſtinguendum, ita quidem, ut poſterior hic alteri in Epiſcopali apud Colonienſes munere ſucceſſerit, ſive diverſo, ut GODOFR. HENSCHENIUS, (*b*) ſive eodem Euphratæ nomine, uti ANT. PAOIUS (*c*) exiſtimat, appellaretur. Ingenioſa medicina, quæ vulnus non ſanat. Enimvero qui credibile eſt, tot graves Antiſtites, qui Sardicenſem Synodum compoſuerunt, Legationem tam arduam Epiſcopo, noviter ad Epiſcopatum promoto, commiſſuros fuiſſe, de cujus ſinceritate & conſtantia certi nondum eſſe potuerant. Adde, quod Euphratas ille, qui Sardicenſi Concilio interſuit, ab Athanaſio deſcribitur, ut ſenio confectus, ac ſingulari conſtantia & ſanctitate conſpicuus, quæ in Euphratam novum non quadrant. Accedit, quod *Acta* SERVATII, Præſulis Tungrenſis, (*d*) qui Euphratæ depoſitionem in Concilio Agrippinenſi urſiſſe ſcribitur, Euphratæ depoſito non alium Euphratam, ſed Severinum, ſucceſſorem adſcribant. Severinum hunc autem in locum Euphratæ ſubrogari non potuiſſe, fatendum eſt illis, qui Euphratam in Sardicenſi Synodo, anno ſequenti celebrata, comparuiſſe ex Athanaſio norunt. Nova difficultas, quæ Synodi Agrippinenſis Actorum Patronos vexat non parum. Plerique eorum Chronologiam, illis Actis præfixam, prufitentur corruptam, atque Agrippinenſem Sardicenſi faciunt poſteriorem; exiſtimantes, Euphratam, poſtquam ex Oriente redierat, in hæreſin demum eſſe prolapſum; quæ conjectura tamen ab Henſchenio poſtulatur abſurdi.

Ab aliis defenſa.

COINTIUS (*e*) atque BINIUS (*f*) Euphratæ depoſitionem circa An. CCCLII. factam eſſe putant, ab eodem confutati Henſchenio, quod Maximinus, Trevirenſis Epiſcopus, qui in Synodo Agrippinenſi præſediſſe ſcribitur, An. CCCXLIX. diem jam ſupremum obierat. (*g*) BROWERUS (*h*) ubitum Maximini in eundem annum ponit, quod recte omnino fieri, TILLEMONTIUS, (*i*) eo potiſſimum argumento probat, quoniam ATHANASIUS (*k*) ipſe Literas Urſanii atque Valentis, Arianorum, quibus ipſi ſuum ad Eccleſiam Catholicam reditum nuntiaverint, per Paulinum, Maximini ſucceſſorem, ſe accepiſſe teſtetur, quæ res utique in An. CCCXLIX. referenda erit. Binius ergo duplex in cauſa Euphratæ Concilium habitum fuiſſe exiſtimat, quorum Acta compilator confuderit. In priore, anni nempe CCCXLVI. Euphratam vel ab imputata hæreſi abſolutum, vel ad palinodiam cantandam inductum; in poſteriore autem anni CCCLXXV. de quo TRITHEMIUS (*l*) loquitur, Epiſcopatu ſuo denique fuiſſe amotum, dato illi ſucceſſore Severino. Conjectura hæc quidem difficultatibus videtur occurrere, quæ ſubſcribentium Epiſcoporum ratione naſcuntur, reliquas vero haudquaquam explanat.

§. XIV.

Ingenioſiores hinc alii, inter quos BUCHERIUS (*m*) & BEBELIUS, (*n*) in Actis Agrippinenſibus legendum eſſe exiſtimant: *Poſt Conſulatum Albini & Amantii anno IV. Idibus Maji*, ut ninurum Synodus hæc in annum CCCXLIX. incidat, quo ex Oriente jam Euphratas redierat. Sed neque huic emendationi Chronologicæ locus poteſt concedi, eo quod Acta Concilii de Euphrata, tanquam pertinace hæretico, omnibus cognito, loquuntur. SERVATIUS ibi Tungrenſis ait, Euphratam coram Athanaſio ſuum non

Acta hæc ab aliis correcta.

(*b*) *Act. Sanctor.* ad diem 13. Maji, in Vita S. Servatii, Tungrenſis Epiſcopi.

(*c*) *Crit. Baronii* Tom. I. pag. 465.

(*d*) Apud LABBEUM ſubjuncta leguntur Concilio Agrippinenſi, quantum hocce reſpiciunt.

(*e*) *Annal. Eccleſiaſt. Francor.* ad An. CCCLV. num. 13.

(*f*) In *Notis ad Concil. Agripp.* Edit. Labb.

(*g*) *Acta Sanctor.* Tom. VI. Maji, pag. 375.

(*h*) *Annal. Trevirenſ.* Tom. I. Lib. IV. pag. 232.

(*i*) *Memoires Eccleſ.* Tom. VII. pag. 323. & Tom. VIII. Not. 65.

(*k*) *Apolog. ad Conſtantium* Imp. Opp. Tom. I. pag. 775. ubi: Παρὰ Παυλίνῳ. Ἐπισκόπῳ Τριβηρ. Conf. ejusd. *Epiſtola ad ſolitar. vitam agentes*, ibid. pag. 826.

(*l*) *In Vita Maximi, Epiſcopi Moguntini.*

(*m*) *Belg. Rom.* Lib. IX. Cap. VI.

(*n*) *Antiquit. Germaniæ Primæ* pag. 86. Rationem, cur Bebelius Concilium Agripp. tam ſtrenue defenderit, ipſe exponit, ut nimirum *Arbertianam prætenſionem*, qua Argentoratenſis Epiſcopatus, à Franciæ Regibus fundatus, Franciæ quoque Monarchiæ vindicatur, everteret, originem Epiſcopatus hujus adſcribendo Romanis.

non ſemel propugnaſſe errorem. (*o*) Atqui Athanaſius Treviris ab An. CCCXXXV. usque ad An. CCCXXXVIII. in exilio commoratus eſt, id quod ex *Vita* ejus conſtat; (*p*) ut adeo Euphratas nec inter Sardicenſes patres comparere, nec ab Athanaſio tantis elogiis condecorari potuerit.

Actis ergo his Agrippinenſibus quum ſua fides non conſtet, Synodum omnem cum BARONIO, (*q*) TILLEMONTIO, aliisque Viris eruditis in dubium voco. Sublata vero Actorum horum auctoritate, concidit quoque Epiſcoporum Rhenenſium triga, Juſtinianus Baſiliæ, Amandus Argentorati, Jeſſius Spiræ Antiſtites; à quibus hiſtoricum Epiſcopatuum ſuorum tempus Eccleſiæ hæ repetunt. Neque vero negandum, Epiſtolam, quam Sardicenſe Concilium An. CCCXLVII. ad Ægyptios & Africanos Epiſcopos ſcripſit, inter Galliæ Epiſcopos *Jeſſem*, *Amantium*, *Juſtinianum* (*r*) memorare; ſed obſervandum eſt probe, nominibus Epiſcoporum nomina urbium, quibus præfuerint, non fuiſſe adjecta, quæ in Agrippinenſis modo Synodi Actis addita reperimus. Unde non male conjecit DU PINIUS, (*s*) Actorum Agrippinenſis Synodi, quæ in *Vita S. Servatii* extant, compilatorem Evagrium Tongrenſem his Epiſcoporum nominibus, quæ in Synodi Sardicenſis Epiſtola, ſine addita locorum nota, invenerat, urbium, in quibus Epiſcopi fuerint, ex ingenio ſuo adjeciſſe nomina. His omnibus denique accedit, quod ab Agrippinenſis Synodi defenſoribus nulla poteſt ratio reddi, cur ab hoc Amando ad alterum illum Aquitanicum, qui Trajectenſis primum ad Moſam, dein Argentinenſis ſeculo ſeptimo, ſub Dagoberto, Epiſcopus fuit, nullus Argentinenſium in veteribus monumentis conſignetur Antiſtes. Idem fatum Baſilienſis, (*t*) Spirenſiſque (*u*) Eccleſiæ expertæ ſunt, quæ poſt Juſtinianum & Jeſſium ad Merovingorum usque Regum tempora nullos protulerunt, aut proferre noruut, Epiſcopatuum ſuorum Paſtores.

§. XV.

Henſchenii opinio.

Enimvero ſi GODEFRIDI HENSCHENII, qui Amandum, Synodi Agrippinenſis aſſeſſorem, admittit, admittimus placita, Amandi hujus ſucceſſorum nomina adhucdum ſuperſunt. Laterculum nempe ſucceſſorum Amandi verſibus edidit doctus ille ſeculi X. Præſul Argentinenſis, ERCKENBALDUS; (*x*) in quo poſt Amandum Maximinus, Valentinus & Solarius, recenſentur his verbis:

“ Alpha nitet dignus pater hujus ſedis *Amandus*;
„ *Juſtus* juſtitiæ poſt additur aſſecla ſummæ:
„ Hinc *Maximinus* baculatur in ordine tritus:
„ Et *Valentinus* paſtori tunc benedictus:
„ *Solarius* tandem cathedram poſſedit eandem:
„ Laus *Arbogaſti* jam crevit in arte regendi.

Unde

(*o*) Verba Servatii ita ſe habent: “Quid fecerit,
„ quidve docuerit Euphratas Pſeudoepiſcopus, non
„ opinione, ſed veritate cognovi pro finitimi loci
„ conjuncta civitate, cuique publice & domeſtice
„ obſtiti ſæpe, cum ille Chriſtum Deum negaret,
„ audiente Athanaſio Epiſcopo Alexandriæ, & Pres-
„ byteris & Diaconis plurimis.

(*p*) Dicitur enim ibi Athanaſius, à Conſtantino M. in Galliam relegatus, ad Treviros ſe contuliſſe, unde, Conſtantini morte paulo poſt ſecuta, anno nimirum CCCXXXVII. a Conſtante Imp. reditum Alexandriam impetraverit, cujus Literæ, ipſi in hanc rem traditæ, ibidem referuntur. Vid. TILLEMONTIUS Tom. VIII. pag. 284. Not. 36. Athanaſium ab hoc tempore unquam in oris hiſce Rhenenſibus verſatum eſſe, nullibi traditur, imo reliqua vitæ ejus hiſtoria refragari videtur.

(*q*) *Annal. Eccleſ.* Tom. I. ad An. CCCXLVI. §. VII. ait Baronius: *Acta hæc impoſturæ ſuſpicione vehementer laborare.*

(*r*) Extat hæc Epiſtola in ATHANASII *Apologia ad Imperatorem Conſtantium*, Athanaſii Operum Tomo I. pag. 367. Inde repetuntur in *Actis Conciliorum* Labbeanis Tom. II. pag. 679. Verſio hujus Epiſtolæ eſt in Fragmentis Hilarii, quæ à nonnullis creduntur autographa Synodi. Adde *Hiſtor. Tripartitam* Lib. IV. Cap. XXIV. In fine Actor. Sardicenſis Concilii inter alios Galliæ Epiſcopos hi circa finem, ſine nota urbis adjecta, reperiuntur: *Jeſſes*, *Ariſtus*, *Simplicius*; *Mettianus*, *Amantius*, *Juſtinianus*, *Victorinus*, *Saturninus*, *Abundantius*, *Donatianus*, *Maximus*.

(*s*) DU PIN *Scriptor. Eccleſ.* Tom. II. pag. 326. HOTTINGERUS *in Hiſt. Eccleſ. Helvet.* Tom. I. pag. 167.

(*t*) CHRIST. URSTISIUS *in Chron. Baſil.* Lib. II. Cap. VII. SUDANI *Baſilea Sacra* pag. 33. ubi Adelphius Epiſcopus ad An. 507. ſub Clodoveo M. tanquam Aurelianenſis Concilii aſſeſſor occurrit, poſt Juſtinianum & Pantalum, fabuloſos Epiſcopos, primus.

(*u*) BRUSCHIUS *in Catalogo Epiſcopor. Spirens.* Fol. 77. *b.* & EYSENGREIN *Chronolog. urbis Spiræ*, poſt Jeſſium nullum Epiſcopum Spirenſem habent, usque ad Athanaſium, qui circa tempora Dagobertina vixerit. LEHMANN *in Chron. Spir.* Lib. III. Cap. XIII. & SIMONIS *in Hiſtorica Deſcript. Epiſcopor. Spir.* An. MDCVIII. Friburgi Briſgoiæ fol. edita, pag. 4. idem faciunt. Conſentiunt quoque *Galliæ Chriſtianæ* Auctores Tom. V. pag. 715.

(*x*) Carmen hoc extat in *Scriptor. Rer. Germ.* à BOECLERO & SCHILTERO editis, pag. 120. & editum eſt ex Codice Mſ. Auguſtanæ Bibliothecæ. KOENIGSHOVIUS noſter *Chronico Latino* inedito, quod inter *Scriptores Rer. Alſaticarum* edituri ſumus, idem Carmen inſeruit, quod ex Epiſcopalis Eccleſiæ Bibliotheca forte acceperat, ubi Erckenbaldi ſcripta omnia, ab ipſo donata, ſervabantur. Wimphelingii temporibus ſane Codex Erckenbaldi Mſ. adhuc ibi ſupererat. SCHILTERUS ex Koenigshovio Latino Carmen edidit in *Notis ad Koenigshov. Germ.* pag. 491.

ECCLES.

Unde Epiſcoporum horum nomina Erckenbaldus didicerit, nobis non conſtat. Juſtus, ſive Juſtinus, in Actis S. Deicoli quoque memoratur, quorum auctor pariter ex ſeculo X. eſt; qui circa annum DCCCCLXV. vitam S. Deicoli, Lutrenſis in Burgundia Abbatis, conſcripſit, (y) & ſpeciminis tantum loco Epiſcoporum Argentinenſium nonnullos, atque inter hos Juſtinum, nominavit. Sed obſervandum diligenter, Erckenbaldum carmine ſuo non putatitium illum ſeculi IV. ſed Aquitanicum ſeculi VII. intellexiſſe Amandum, qui Trajecto-Moſanus Epiſcopus, à Dagoberto in Alſatiam vocatus eſt. (z) Duabus hoc ex rationibus ſtatuo: I. Nonniſi unum Amandum quum memoret Erckenbaldus, ille ſane intelligendus, qui miraculis apud Alſatas claruit, qui in Catalogo celebratur Sanctorum, quem Alſatici mediæ ætatis Annales certatim loquuntur; alter enim Seculi IV. nec ſanctis adſcriptus, nec ulla re geſta celebris eſt. II. Amandum inter & Arbogaſtum nonniſi quatuor Epiſcopos Erckenbaldus poſuit, qui vero poſſibile eſt, ut tribus integris ſeculis nonniſi quatuor Antiſtites Epiſcopale ſolium Argentoratenſe occupaverint? Et ita ſane Erckenbaldinum Amandum expoſuit Jacobus Koenioshovius noſter ſeculo XV. in Gloſſa, primo verſui ſubjecta, (a) ita ſcribens: "Hic Amandus erat primus Epiſcopus Argentinenſis. Obiit anno Dom. DCXX. ut „ legitur in Lambartica Hiſtoria. Sed in Legendis aliis legitur, quod fuerit tempo- „ ribus Dagoberti Regis Francorum, qui incepit regnare Anno Dom. DCXXXI. & „ regnavit annis XXXIIII. cujus filium Amandus baptizavit, ei nomen Sigebertus „ imponens. Quem S. Arbogaſtus poſtea à morte ſuſcitavit. „ Ejusdem ſententiæ eſt Jacobus Wimphelingius, (b) centum fere annis poſt Kœnigshovium vivens, Conſentientes denique ſunt Gaspar Bruschius, (c) Franciscus Guillimannus, (d) & Gabriel Bucelinus; (e) qui omnes S. Amandum ſeculi VII. buc trahunt, & quatuor memoratos Epiſcopos eidem ſeculo ſeptimo & ſequenti aſſignant ſucceſſores. (f)

§. XVI.

Unde haud immerito concludimus, priorem Amandum Scriptoribus his omnibus vel ignotum, vel ſane neglectum fuiſſe, quum nullus in Præſulum Argentinenſium Syllabo ejus faciat mentionem. Bruſchio tamen Synodus Agrippinenſis non fuit ignota, quum fide ejus Jeſſium Indici Antiſtitum Spirenſium inſeruerit, (g) Amandum noſtrum ſilentio tranſiens; uterque autem nonniſi ex Synodo Agrippinenſi innotuit. Potuiſſet ergo Henſchenius abſque periculo Amandum ſeculi IV. admittere & inter eum alterumque ſeculi VII. Amandum in laterculo Epiſcoporum relinquere hiatum; ſed hiatus hic ei non placuit. In Erckenbaldinum Indicem ergo manus immittens, omnem ejus ſeriem ita perturbat, ut Epiſcopos Argentoratenſes, qui Amando Trajectenſi ſeptimo & octavo ſeculis ſucceſſores conſtituuntur, ad quartum rejiciat, quo eos Amando illi fictitio, quem ſeniorem appellat, ſucceſſores aſſignet; unde hæc ſeries tandem apud eum prognata eſt: I. Amandus, II. Juſtus ſive Juſtinus, III. Maximinus, IV. Valentinus, V. Solarius, VI. Biulfus, VII. Magnus, VIII. Garoinus, IX. Landebertus, X. Rodobaldus, XI. Magnebertus, XII. Labyolus, XIII. Gundoaldus, XIV. Aldus, XV. Gando; quem Amandum ſecundum, ſive Trajectenſem, eſſe potuiſſe Henſchenius conjicit, nulla ordinis, à ſe ita conſtituti, addita ratione. Sic quatuordecim Epiſcopos ante Amandum Trajectenſem ſyſtema hoc ponit, qui ab Erckenbaldo, Kœnigshovio, Wimphelingio, Amandum priorem ſeculi IV. ignorantibus, poſt Trajectenſem ſeculi VII. ponuntur. Priores ex his Epiſcopis duos, Juſtum nempe & Maximinum, ut & Anſoaldum, Monaſterii Gregorianæ Vallis Abbates fuiſſe, Indices quidam veteres hujus loci Abbatum indicant; quod Henſche-

Confutata.

Uu nianis

(y) Extat in *Actis Sanctor. Bollandianis* ad XVIII. Januar. ubi Cap. I. hæc leguntur: "Civitas „ Argentina, quæ vulgarico vocabulo *Strasburch* „ vocatur, exceptis reliquiis principalibus, proprios „ ſe gaudet habere patronos, quos a Domino ſuſce- „ pit veræ fidei fundatores, & divini verbi prodigos „ ſeminatores, id eſt, Amandum, Juſtinum, Arbo- „ gaſtum, Florentium & alios nonnullos; quorum „ nomina in beati ordinis albo ſuperna illa regio „ ſine fine tenet coaxata.

(z) In veteribus Monumentis celebres quinque Epiſcopi repeniuntur Amandi. I. Argentinenſis noſter ſeculi IV. Agrippinenſis Synodi aſſeſſor qui creditur. II. Burdigalenſis, qui obiit An. CCCCXXXI. Wormatienſes duo, III. Primus circa An. CCCLXIV. Victoris, qui Synodo Agrippinenſi An. CCCXLVI. interfuiſſe quoque ſcribitur, ſucceſſor habitus. IV. Secundus Dagoberti I. temporibus. Vid. Schannatus in *Hiſt. Wormat.* pag. 308. V. Trajectenſis, quem Dagobertus I. in Alſatiam evocavit, quique Epiſcoporum Argentinenſium cenſetur primus. Ex his V. Amandis Wormatienſis ſecundus, Salisburgenſis Epiſcopus evaſit. Vide Mezger *in Hiſt. Salisburg.* Lib. I. Cap. XXI. pag. 133.

(a) In *Chronico Latino* Mſ.

(b) In *Catalogo Epiſcoporum Argentinenſ.* pag. 7. ſqq.

(c) *De Epiſcopatibus Germaniæ* Cap. V. pag. 55.

(d) *De Epiſcopis Argent.* pag. 69. qui S. Amando S. Arbogaſtum & S. Florentium, dein Anſoaldum, Biulfum &c. ſubjungit.

(e) *Germania Sacra* Part. I. pag. 7.

(f) Levis hæc inter Bruſchium & Guillimannum differentia, quod ille S. Amando ſucceſſores dat S. Arbogaſtum, Rodharium, S. Florentium & Anſoaldum, hisque demum ſubjungit S. Juſtum, S. Maximum, S. Valentinum & S. Solarium.

(g) Bruschius Lib. alleg. Cap. VI. fol. 77. *b.*

ECCLES.

nianis rationibus plane contrariatur, quum Monaſterium Gregorianum Alſatiæ nonniſi ſeculo VII. fuerit exſtructum. Infirmis ergo fundamentis innititur Henſchenii ſyſtema, imo ex allatis rationibus repugnat Hiſtoriæ. Sequuntur illud tamen, quod miror, Scriptores ex ſuperiori noſtroque ſeculo Doctiſſimi, *Galliæ Chriſtianæ* Concinnatores, (*h*) Cointius, (*i*) item, Calmetus, (*k*) Laguillius, (*l*) aliique plurimi; vel Henſchenii fama & auctoritate inducti, vel quod, ex rationibus ejus, Epiſcoporum Argentinenſium ſeries à ſeculo IV. ad noſtra uſque tempora, ordine non interrupto, continuatur; quum Kœnigshovii, Wimphelingii, Bruſchii, Bucelini, Guillimanni ſyſtemata nonniſi ad ſeculum VII. uſque aſcendant.

§. XVII.

Epiſcopatus Argentor. Epocha.

Equidem hanc ipſam ob cauſam veteres has hypotheſes, quod Francicam non antevertunt Periodum, Henſchenianis præferrem. Quum enim Materni Apoſtolatus ſeculi I. & Amandi Epiſcopatus ſeculi IV. argumentis idoneis non poſſint probari, atque adeo ex quatuor prioribus Chriſtianismi ſeculis nullius Epiſcopi Argentoratenſis nobis nomen ſuperſit: ſeculoque V. Argentoratenſi urbe everſa, Alſatiaqoe ſub Alemannis gemente, nulli eſſe potuerint in hac urbe ſacrorum Antiſtites; omnem Epiſcopatus Argenturatenſis epocham, quæ Merovingos præcedit, quæque Epiſcopos haud dubie habuit, ſed nobis ignotos, appellamus *Obſcuram*, hiſtoricumque Epiſcoporum Argentinenſium tempus nonniſi ad Merovingorum ætatem collocamus; quum præcedentia tempora ob perſecutiones Eccleſiæ, & Alemannicas irruptiones certam aliquam & continuam Antiſtitum Alſatiæ ſeriem non admittant. Regionarii tum Epiſcopi, nulli certo loco affixi, *Miſſionariis* hodiernis ſimiles, Alſatas Chriſtianos diſperſos, vel etiam occultos, ſubinde inviſerunt fortaſſis; adeoque genuinos Rauricenſes, Argentoratenſes, Spirenſesque Epiſcopos tota Alſaticæ Hiſtoriæ Periodus Romana ignorat.

Argentor. Epiſcopus Metenſi ſubjectus.

Quodſi porro nonnullos Alſaticarum & Metenſium Rerum Scriptores audias, Argentoratenſis Eccleſiæ Diœceſis ad Dagobertina tempora uſque Metenſium Epiſcopo paruit. Wimphelinoius, (*m*) ubi de S. Amando & Dagoberto M. loquitur, ita ſcribit: *Ante hos annos Argentina ſub Epiſcopatu Metenſi fuerat.* Beatus Rhenanus (*n*) eodem fere modo ait: *Olim Argentoratenſis Eccleſia ſub Mediomatricenſi fuit.* Bruschius, (*o*) de S. Remigio, qui Clodoveum An. CCCCXCVI. baptizaverat, locutus hæc addit: "Tum temporis Argentina Metenſi Epiſcopatui (quod ad Eccleſiaſticam jurisdictionem „ attinet) ſuberat. Epiſcopatus vero Argentinenſis conſtitutus ac fundatus eſt à „ potentiſſimo Galliarum Rege Dagoberto. „ Eundem in modum ipſos Scriptores Rerum Metenſium quoque ſcribere video. (*p*) Nec ego profecto huic ſententiæ refragor. Quum enim Trevirenſium urbs, ab antiquo totius Belgii caput extiterit, nemini videbitur mirum, Præſulem Trevirenſem, Belgii tum Metropolitam, Epiſcopo Metenſium, ſibi ſubjecto, vicinas cis & trans Vogeſum, adeoque ad Rhenum uſque, demandaſſe Eccleſias, donec in priſtinum, qui ſeculo quarto obtinuerat, ſtatum, tranquillis temporibus, Chriſtianæ res omnes reſtituerentur.

§. XVIII.

Præſulum Metenſium jura in Alſatia.

Alſaticarum & Metenſium Rerum Scriptores aſſerti hujus nullam plane rationem prodiderunt. Nobis priſci illius Præſulum Metenſium juris in Alſatia quærentibus indicia, ſe obtulerunt, quæ refero. Neovillanum Aſceterium, hodie Collegiata Eccleſia, ad ingreſſum montium Voſagi ſita, & Argentinenſi Diœceſi ſubjecta, originem ſuam debet Sigebaldo, Metenſium Epiſcopo, cujus obitus ad An. DCCXLIII. refertur, id quod omnes, qui de originibus Neovillarienſibus egerunt, medii & recentis ævi Scriptores teſtantur. Maurimonaſterienſis Abbatia cum omni ſua *Marca*, quam vocant, Ochſenſteinii item, Geroldſeckii, Bythenſes, Rappoltſteinenſes, Liechtenbergenſes Dynaſtæ & Comites ratione certorum bonorum, in Alſatia Inferiore, Vogeſum verſus ſitorum, Epiſcopum Metenſem adhucdum Dominum directum agnoſcunt. Tabernæ Alſaticæ An. DCCCCXXIII. oppidum fuere Epiſcopatus Metenſis. Wigericus tum Metenſis

(*h*) *Galliæ Chriſtiana* Tom. V. pag. 777.
(*i*) *Annal. Eccleſiaſt. Francor.* Tom. I. pag. 83. alibique paſſim.
(*k*) *Remarques ſur les premiers Eveques de Strasbourg* Mſ.
(*l*) *Hiſtoire d'Alſace Liv.* V. pag. 54.
(*m*) *De Epiſcopis Argent.* pag. 7.
(*n*) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 274.
(*o*) *De Epiſcopatibus German.* Cap. V. fol. 54. *b.*
(*p*) Meurisse *Hiſtoire des Evêques de Metz, Liv.* II. pag. 129. ſub. S. Gœrico Epiſcopo ait: *La ville de Strasbourg fut ſouſtraite de la juriſdiction des Eveques de Metz ſous le Pontificat de S. Goeric, ſçavoir l'an* 639. *que Dagobert y erigea & fonda une Egliſe Cathedrale.*

Metenſis Epiſcopus, in bellis civilibus Franciæ occidentalis, Carolo Simplici contra Rudolphum, Burgundiæ Ducem, Regnum tum occupantem, adhæſerat. Rudolphus ergo Metenſem urbem An. DCCCCXXIII. quum cepiſſet, Wigericus ſe ei ſubjecit, ea conditione, ut Tabernas Alſaticas, quas Henricus Auceps occupaverat, ex manibus ejus eriperet, Metenſique reſtitueret Eccleſiæ; id quod Rudolphus præſtitit. Wigericus reſtitutum ſibi Tabernenſe caſtellum evertit, ne Henricus Auceps illud poſſet recipere, atque inde terras infeſtare Metenſes. (*q*) Sed & viciſſim Dagsburgi Alſatiæ Comites, ſeculo XIII. jam extincti, ut Richerius Senoniensis nos docet, Metenſis urbis Comitatum ab antiquo poſſederant, qui pereunte Dagsburgica maſculorum gente ad Epiſcopum Metenſem rediit; quæ omnia pervetus Alſaticarum & Mediomatricenſium rerum indicant vinculum.

§. XIX.

Epiſcopatus Baſilienſis antiquitas.

Ceterum cum *Ammando* noſtro, quem ex Præſulum Argentoratenſium Indice eliminamus, ex Rauracorum quoque Epiſcoporum laterculo *Juſtinianus* ejicitur. Exulibus duobus tertium quoque exulem addimus, *Pantalum*; qui Baſilienſes inter Antiſtites dubia quoque, ſed aliorum quam Agrippinenſis Concilii Actorum, Urſulani nempe Martyrii Legendæ, auctoritate, memoratur.

Pantalus.

Pantalus Juſtiniano prior poſteriorve habetur, prouti Martyrium hoc tertio, quarto, quintove ſeculis Juniores aſſignant. Scilicet non modo centuriæ, ſed & Martyrum millia Legionesque paſſim, ſeculo III. tribuuntur. Thebæam Legionem Valeſiæ, Britannicas XI. mille Virgines Coloniæ Agrippinæ, tum affectas martyrio, Acta Martyrum tradunt. Thebææ Legionis (*r*) fata heic examinandi locus non eſt; at ab Urſulæ fatis quum Pantali Baſilienſis quoque ſors pendeat, critico rem paucis examini ſubmitto. Obſervari autem hic ante omnia velim, martyrium Urſulanum, uti à Scriptoribus medii ævi traditur, ſi quoque lubens admittas, nullum tamen inde lucrum pervenire ad Pantalum; quando nullibi ejus apud Scriptores de Virginibus Britonum martyribus mentio occurrit. Nullum Hiſtoricorum, nec Martyrologorum, ne eorum quidem, qui Urſulanum martyrium deſcribunt, ante ſeculum XV. reperio, qui Pantalum memoret. (*s*) In Elisabethæ quidem Schoenaugiensis, quæ ſub Friderico I. Imp. circa An. MCLVI. floruit, (*t*) ut & in Hermanni Steinfeldiensis, quem Crombachius ad An. MCLXXXIII. refert, (*u*) *Revelationibus* Pantalus quidem recenſetur, at hujus generis ſcripta in hiſtoricorum librorum cenſum nequeunt referri. Hiſtorici ſi aliquid ſubeſt, fabulis nimium obruitur. (*x*)

§. XX.

Fictus à recentioribus.

Seculo XV. & ſequenti demum Martyrologi quidam (*y*) reperiuntur, qui Pantalum inter Urſulæ ac Sociarum comites martyresque collocant, nullo alio tamen fundamento, quam Revelationibus Eliſabethæ Schœnaugienſis innixi. Unde ſola Urſulæ Legenda, quæ nonniſi ſeculi XII. partus eſt, omnis ſors Pantali nititur. Hanc autem ſi inſpicias, nec veram, nec veriſimilem facile deprehendes. Non vera eſt, quia res, ſi ulla unquam Chriſtiano orbi memorabilis, nullum nacta eſt ex vicinioribus ſeculis

teſtem

(*q*) Vid. Frodoardus *in Chronico* ad An. DCCCCXXIII. ubi: *Wigericus Epiſcopus Zabrenam ut recepit, evertit.* Paulo ante Frodoardus Zabrenam vocat *Caſtrum in Pago Elſatio.*

(*r*) Legionis Thebææ martyrium à variis in dubium vocatur, præcipue a Joanne de Bourdieu in Libello: *Diſſertation Hiſtorique & Critique ſur le Martyre de la Legion Thebeene*, Amſterdam 1705. ubi Acta martyrii hujus Legionis, quæ Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo ſeculi V. tribuuntur, ſpuria eſſe probat. Primus martyrii hujus mentionem facit Gregorius Turonensis de *Gloria Martyrum* Lib. I. Cap. LXII. ubi tamen dubitanter hac de re loquitur. Imo, annotante Ruinarto, exiſtunt Codices, in quibus Caput hoc plane abeſt. Acta Legionis Thebææ, vel Paſſionis S. Mauritii & Agaunenſium Martyrum, correctiora edidit, poſt Petr. Franc. Chifletium in *Paulino Illuſtrato*, Theodor. Ruinartus in *Actis Martyrum ſinceris* pag. 271.

(*s*) Beatus Rhenanus hinc *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 237. alios de Pantalo teſtes, præter famam atque traditionem, apud Baſilienſes vigentem, allegare non potuit.

(*t*) Crombach. *Urſula Vindic.* Lib. VIII. pag. 725. ubi Epitaphium Pantali hoc legitur: “ S. Pantalus Baſileenſis Epiſcopus, qui virgines ſacras cum „ gaudio ſuſceptas Romam perduxit; unde reverſus „ Coloniam pervenit, ibique cum eis martyrium „ ſuſcepit.

(*u*) Ibid. Lib. VII. pag. 540.

(*x*) Conjecerunt nonnulli, ex XI. M. V. *undecim Martyres virgines*, natum eſſe undecim mille virgines; vel ex Urſula & Ximilla M. V. compoſitum *Urſula & XI. Mille Martyres Virgines.*

(*y*) *Martyrologium Coloniæ* poſt Lombardicam Hiſtoriam editum circa An. MCCCCXC. ad XII. Cal. Nov. Item Petrus de Natalibus *in Catalogo Sanctor.* Lib. IX. fol. 195. Proprium ſive *Martyrolog. Baſilienſe*, Friburgi Briſgoiæ An. MDLXXXIV. impreſſum, IV. Id. Octobr. pag. 232.

ECCLES.

teſtem hiſtoricum. (z) Sunt in Britannia, unde virgines egreſſæ, ſunt in Gallia, ubi martyrium perpeſſæ dicuntur, antiquiſſimi ſimul ac florentiſſimi Hiſtoriæ Martyrum Compilatores. Nec Beda tamen Britannus, ex ſeculo VIII. nec Gregorius Turonenſis ex ſeculo VI. Urſulæ Virginumque ſociarum ullam ſecere mentionem. Galfredus Monumetensis, (a) primus hujus martyrii Scriptor, Eliſabethæ Schœnaugienſis coætaneus, refertus eſt fabulis; quem Hiſtoriæ Britannicæ corruptorem paſſim Angli accuſant. Et hunc tamen ſi audias, aſcenſus ille Virginum Baſiliam verſus locum habere nequit; quum Galfredus perhibeat, Virgines, Britannicam Inſulam egreſſas, ut in Gallicam Britanniam navigarent, primo ſuo in barbaras inſulas adventu ab ignota quadam Hunnorum gente ſive trucidatas, ſive mancipatas fuiſſe. Quum hac narratione itaque omne Virginum iter Baſilienſe, adeoque & iter Romanum ad Cyriacum Papam. maximaque traditionis reliquæ pars concidat, concidit quoque Pantalus, qui Romæ redux & cum Virginibus, ad Coloniam Agrippinam redeuntibus, proſecutus iter una cum illis ibidem periiſſe dicitur. Allegant quidem hujus Legendæ patroni Sigebertum Gemblacensem, (b) Eliſabetha & Galfredo paulo antiquiorem, qui Urſulæ Romanum per Baſiliam iter teſtimonio ſuo firmare videtur. Sed lubricum hoc plane teſtimonium eſt, quum Sigebertini Codices optimæ notæ hanc narrationem expungant. Chronico huic multa recenti manu adjecta ſunt & interpolata, uti Henricus Stephanus & Aubertus Miræus, optimi editores ejus, ingenue fatentur.

§. XXI.

Legenda S. Urſulæ ſuſpecta.

Narrationem de Urſula ad interpolatorum claſſem retulit Miræana editio. (c) Reliqui ex medio ævo Scriptores, Robertus Antissiodorensis, Gotfredus Viterbiensis, Martinus Polonus, Augustinus de Ancona, Petrus de Natalibus, Equilensis, apud quos Urſula fidem invenit, & Galfredo, & Eliſabethæ poſteriores ſunt omnes, imo ex Eliſabethæ Viſionibus, ut ipſi quandoque profitentur, quidquid hac de re proferunt, hauſerunt. Nullo itaque fundamento hiſtorico martyrium hoc nititur. Imo ſi circumſtantias totius rei ab initio ad finem uſque perpendas, tota illa narratio ne quidem veriſimilis eſt. Inter omnes vero circumſtantias nulla magis ab omni veriſimilitudine abhorret, quam iter illud Rhenenſe, quo ab oſtiis Rheni ad Coloniam & Baſiliam urbes delatæ perhibentur virgines. Sive enim ſeculo III. ſive quarto aut quinto res contigiſſe dicatur, quis crediderit, Romanos vel Francos & Alemannos gentiles, diriſſimos Chriſtianorum hoſtes, ſeculis illis oræ poſſeſſores Rhenenſis, numeroſo huic Virginum Chriſtianarum agmini liberum in Rheno itum reditumque fuiſſe conceſſuros? (d) Accedunt Chronologica criteria, ubi iterum in diverſa abeunt Scriptores. Galfredus Monumetensis illud ad Maximi ſub Gratiano Tyranni, quem Maximianum vocat, tempora, ſicque ad An. CCCLXXXIII. refert, eumque Cæsar Baronius (e) & Antonius Pagius (f) ſequuntur. Sigeberti Gembla-

(z) Usuardus & Wandelbertus ex ſeculo IX. huc nequeunt produci, quod neuter Urſulam, multo minus Pantalum, memoret. Prior *Saulam* vel *Soulam* quandam nominat, quæ ad Urſulam referri num debeat, prorſus incertum. Wandelbertus vero rem omnem quatuor verſibus complectitur, ubi nihil de Urſula, nihil de undecim mille Virginibus, nihil de Pantalo ſcribitur. Verſus ita ſe habent:

" Tunc numeroſa ſimul per littora fulgent
" Chriſto virgineis erecta tropæa maniplis
" Agrippinæ urbi, quarum furor impius olim
" Millia mactavit ductricibus inclita ſanctis.

De millibus hic ſermo, non de XI. millibus. Vid. D'Achery *Spicileg.* Tom. II. pag. 54. Edit. poſter. Maxime autem fallitur Baronius aliique, ſi ad teſtimonium Bedæ hic iterum provocant, uti ſupra pro Materni Apoſtolatu ſtabiliendo ad eundem provocarunt. In genuina enim ipſius Martyrologii editione, quæ *Act. Sanctor.* Tom. II. reperitur, nulla Urſulæ, nec ſociarum fit mentio.

(a) *Hiſtoria Regum Britanniæ* Lib. V. Cap. XVI. Numerus Virginum, quæ patriam reliquerint, ad ſeptuaginta millia uſque augetur, è quibus multæ tempeſtate perierint, & XI. mille aliæ, ſanguine nobiliores, martyrium perpeſſæ ſint.

(b) In *Chronico* ad An. CCCCLIII. in *Scriptorib. Rer. Germanicar.* Pistorii Tom. I. pag. 716.

(c) Aubertus Miræus *Euſebii*, *Hieronymi*, *Sigeberti*, *Chronica* edidit Antverpiæ An. MDCVIII. 4to. Miræana hæc Editio cæteris præfertur, quod ex optimo Codice Mſ. accuratiſſime adornata, eaque à ſe invicem diſtincta, quæ Sigebertum, quæque manum alienam, auctorem habent. Ita enim ipſe loquitur Miræus in præfatione ad Sigebertum: " Cæterum " ſemel id monuiſſe ſatis ſit, quæ minuti charactere " excudenda curavimus, ea aut Gemblacenſi in Co- " dice domeſtico non reperiri, aut ſi quæ erant, " recenti manu eſſe agglutinata, ut culpam præſtare " alienam Sigebertus haud quaquam teneatur. Qua- " lia ſunt, quæ a Racematoribus plerumque indoctis " adjecta, aut ex nugis ac quiſquiliis Galfridi Monu- " metenſis inſperſa ſequuntur." Poſteriores ergo Chronologiæ Sigebertinæ editores, inter *Scriptores Rerum Germanicar.* Pistorii, peccarunt, quod ſpuria cum genuinis, indiſcrete omnia eodem charactere expreſſerint, adeoque Miræanam Editionem neglexerint, ſi liber rariſſimus in manus eorum pervenit.

(d) Baronius quoque in *Notis ad Martyrol. Rom.* die 21. Octobr. & *Annal. Eccleſ.* Tom. IV. ad An. CCCLXXXIII. vulgarem de Urſula traditionem, quæ ex Eliſabethæ Revelationibus petitur, reſpuit prorſus, & licet martyrium ejus admittat, atque in hoc Galfredum Monumetenſem ſequatur, multa tamen in Monumetenſi etiam, tanquam incredibilia & a veriſimilitudine aliena, reprehendit, præſertim vero, quod numerum Virginum tam immanem eſſinxerit.

(e) In *Notis* ad 21. Octobr. *Martyrologii Romani*; & in *Annal. Eccleſ.* Tom. IV. ad An. CCCLXXXIII.

(f) *Critica Baronii* Tom. I. pag. 561. ad An. CCCLXXXIII.

ECCLES.

Gemblacenſis interpolator vero, & Otto Frisingensis (*g*) anno CCCCLIII. illud aſſignant, Attilam virgineæ hujus cladis auctorem reputantes; quam chronologicam rationem ex Junioribus Christophorus Browerus (*h*) calculo ſuo approbat. A duabus his Epochis longe recedunt illi, qui Eliſabethæ viſiones pro Hiſtorica veritate accipiunt. Tertiæ hujus ſententiæ anteſignanus eſt Hermannus Crombachius, (*i*) qui Urſulæ martyrium in An. CCXXXVII. collocat, pro Maximo tyranno Maximinum Imp. intelligendum eſſe exiſtimans. Suffragatur ipſi Ægidius Bucherius, (*k*) qui in reliquis cum Baronio ſenſit & Pagio. Cæteras infimæ claſſis Scriptorum de Urſula chronologias prætereo.

§. XXII.

Pantali tempus incertum.

Ex diverticulo redimus ad Pantalum, quem ex iis, quæ dicta ſunt, nemo non intelligit, vel ad annum CCXXXVII. vel ad An. CCCLXXXIII. vel denique ad Attilam ſive An. CCCCLI. poni debere. Quemcunque ex his calculis ſequamur, Pantalus omnibus, hiſtoricarum rerum vel leviter gnaris, non poteſt non fabuloſus videri. Verum enimvero ſingulas has qui amplexi ſunt Epochas, illi nec ad urbis Baſilienſis, nec ad Epiſcopatus ejus origines & rationes, ſatis attenti fuerunt. Illis enim ſeculis Baſilia vel nondum jura Civitatis poſſedit, vel ſi poſſedit, Epiſcopum certe non habuit, quum Augusta Rauracorum, urbs princeps, Epiſcopi ſedes eſſe debuerit: quæ initio ſeculi V. quum fuiſſet everſa, omniſque ora Rhenenſis ſuperior ab Alemannis vaſtata & occupata, nec Rauracorum Auguſta, nec Baſilia, nec cæteræ ad Rhenum urbes, toto ſeculi V. decurſu, habuerunt Epiſcopos. Pantalum ergo neque cum Crombachio primum Baſilienſem Epiſcopum, neque cum Claudio Stoano (*l*) ſecundum, conſtituimus, ſed Antiſtitum Baſilienſium Indice eum plane expungimus, adeoque Juſtiniano relegato adjungimus comitem, Baronii hac in re imitati exemplum; quod & *Galliæ Chriſtianæ* Scriptores (*m*) fecerunt, qui Aquilinum, Colonienſem Epiſcopum, ſolo quoque martyrii Urſulani fide ſubnixum, proſcribunt: uti Baronius Cyriacum Papam expunxit, hunc Urſulæ Pantalique, Roma redeuntium, comitem non minore zelo, quam decantatum illud Johannæ Papiſſæ figmentum impugnans: ſtrenuum in utroque argumento nactus ſequacem Joannem Launojum, (*n*) vulgarium traditionum debellatorem. Cyriacus autem Papa, plurimis licet memoratus Scriptoribus, quum fictitius ſit, & in Pontificum Romanorum ſerie non reperiat locum, demonſtrante Baronio, multo magis Pantalum, non tam Scriptorum teſtimoniis, quam vaga traditione notum, inter fictitios Baſiliæ reputamus Antiſtites

§. XXIII.

Aurelia Argentoratenſis.

Inter Urſulanas comites recenſetur quoque Aurelia noſtra Alſatica, quæ ex itinere Romano redux per Baſiliam Argentoratum veniſſe, ibique diem ſupremum obiiſſe dicitur, antequam Pantalus cum Urſula & Virginum choro Coloniæ trucidaretur. Aureliæ Virginis cujuſdam Argentoratenſes ab antiquo coluerunt memoriam, quod Martyrologium illud Argentinenſe, ſeculo VIII. vel IX. in Eccleſiarum Alſaticarum uſus conſcriptum, demonſtrat, ubi ad Idus Octobris legitur: *S. Aureliæ virginis*, ſcilicet memoria; nec dubium, quin Templum Aurelianum Argentorati ab hac nomen acceperit. At eam ex Urſulanis Britannicis fuiſſe, quod Koenigshovius, (*o*) Hertzogius, (*p*) Urstisius, (*q*) Crombachius, (*r*) volunt, ego minime dixerim. (*s*) Petrus de Natalibus in *Catalogo* ſuo *Martyrum*, ubi Urſulam ac ſocias memorat, Auream quandam Geraſinæ, Reginæ Siciliæ, filiam dat Urſulæ comitem; quam cum Aurelia noſtra confudiſſe videtur.

(*g*) *Chronico* ad An. CCCCLIII.
(*h*) *Annal. Trevirenſ.* Tom. I. Lib. V. pag. 290.
(*i*) *Urſula Vindicata* Lib. I. Cap. VII. Hermannus hic Crombachius ingenti Volumine Legendam de Urſula & XI. mille Virginibus expoluit, atque omnia, quæ habere potuerat, illi Acta inſeruit. Operis rubrum eſt: *S. Urſula Vindicata*, Coloniæ anno MDCXLVII. in fol. editi. Quam laudem Crombachius meruerit, Pagius loco cit. & Launojus *Epiſtolar.* Part. IV. *Epiſt.* VIII. declarant.
(*k*) *Belg. Rom.* Lib. VI. Cap. VIII. pag. 202. & Lib. XII. Cap. V. pag. 169.
(*l*) *Baſilea Sacra* pag. 21. ubi Juſtiniano, qui Synodo Agrippinenſi interfuiſſe creditur, datur ſucceſſor; Pantalo ad medium ſeculi V. detruſo.
(*m*) *Gallia Chriſtiana* Tom. III. pag. 622. ubi ſcribunt: "Notandum hic, Aquilinum poſt Maternum Colonienſem Epiſcopum vulgo conſtitui, ſed „ nullo alio fundamento, quam S. Urſulæ & ſociarum hiſtoria, qua, ut mitiſſime loquar, nihil „ minus certum."
(*n*) *Epiſtolar.* Part. IV. Epiſt. VIII.
(*o*) *Chron. Alſat.* Cap. V. pag. 279.
(*p*) *Chron. Alſatiæ* Lib. VIII. Cap. XVIII.
(*q*) *Hiſtor. Baſilienſ. urbis* Cap. VI.
(*r*) *Urſula Vindicata* Lib. I. Cap. VIII. pag. 33. & Lib. XI. Cap. II. pag. 995.
(*s*) Balth. Bebelius ejuſdem nobiscum ſententiæ eſt in *Antiquit. Germaniæ Primæ*, pag. 108. ſqq. ubi Crombachii argumenta pluribus confutat.

Eugenia Weiſenburgenſis.

Occaſione hac non tacendum eſt, præter Aureliam noſtram Urſulano quoque ſodalitio S. Eugeniam adſcribi, cujus ſepulcrum io Weiſenburgenſi Monaſterio ſupereſſe ſuo ævo Coccius (*t*) ait, hoc ejus Epitaphium allegans: *Hic reconditum eſt integrum corpus S. Eugeniæ virginis & Martyris de Sodalitate S. Urſulæ.* De S. Aurelia Ratisbonenſi, quæ forte noſtra eſt, Wimphelingius (*u*) differit. Hæc de Eccleſiaſticis Alſatiæ Romanæ originibus vetera, quæ ſuperſunt, Monumenta nos edoceot, transimus ad Hierarchiam, ſeu Eccleſiæ regimen.

CAPUT II.

HIERARCHIA CHRISTIANA ALSATIÆ SUB ROMANIS.

§. XXIV.

Subordinatio Epiſcoporum.

INter Rerum Eccleſiaſticarum Scriptores lis pridem agitata eſt, primisne Chriſtianismi temporibus pares an ſubordinati fuerint Presbyteri Epiſcopis; numque ſubordinatio hæc divini ſit, an modo juris humani. Qui Presbyteros Epiſcopis æquaot, Hieronymum (*x*) ex ſeculo IV. gravem nobis teſtem adducunt, cauſamque hanc inter præcipuos defendit Blondellus. (*y*) Litem nos ſane noſtram non facimus, quum inſtituto noſtro obſervaſſe ſufficiat, Epiſcopos, ſi non ab ipſis Chriſtianismi initiis, brevi poſt tamen ſuperiores evaſiſſe Presbyteris: ita quidem, ut & ipſi mox Epiſcopi Metropolitanis ſubderentur, qui temporis progreſſu *Archiepiſcopi* dicebantur. Metropolitani vox Eccleſiaſtico ſenſu vix occurrit ante Nicænum Concilium. Primis temporibus Πρῶτοι & Κεφαλαὶ dicti ſunt; (*z*) *Concilium Sardicenſe* (*a*) eos Ἐξάρχυς τῆς ἐπαρχίας *Exarchos Provinciæ*, Augustinus (*b*) nonnumquam *Principes* appellat. Ab Epiphanio (*c*) autem, ſeculi IV. Scriptore, vocantur *Archiepiſcopi.* Subinde Primates quoque & Patriarchæ, ſed improprie dicti. (*d*) Metropolitanorum poteſtas in jure ordinandi Epiſcopos, convocandi Provinciale Concilium, eique præſidendi vertebatur præſertim, ut omnia per Provinciam ſecundum Canones fierent: unde jurisdictio in Epiſcopos ſuffraganeos nata, & facultas recipiendi eos, qui ab Epiſcopi ſententia ad ſuperius provocavere tribunal.

Hierarchia Alſatiæ.

Alſatiæ Hierarchia nonniſi ſub Francica Periodo certum & durabilem ſtatum obtinuit, qui à Pipini Regis temporibus ad noſtram usque ætatem perdurat. Superior Veſontinam, Inferior Moguntinam, Metropolitanas agnoſcit. Sub Merovingis noſtris diſciplinam hanc in uſu fuiſſe, Scriptorum conſenſus eſt: diſſenſus autem de Periodo Romana; præſertim ratione Moguntiæ, cujus Archi-Præſulatum ſub Pipino Rege vel inſtitutum, vel reſtitutum ſi dixeris, major inde minorve Metropolitanæ Moguntinenſium poteſtatis antiquitas oritur. Priorem ſententiam Carolus à S. Paulo (*e*) tuetur cum plurimis, poſteriorem Petrus de Marca (*f*) cum paucis. Tantos inter Viros judex aut arbiter equidem nolo ſedere, dicenda tamen ſententia eſt, tanto magis, quod quæſtionem hanc à Scriptoribus ooſtris vel plane præteritam, vel ſummis tantum labris deguſtatam, à nemine autem ſyſtemate quodam cohærente comprehenſam fuiſſe videam. Diſcrepantes ſententiæ, quibus diverſi rerum ſtatus permixti, argumentum per ſe ſatis obſcurum, reddiderunt obſcurius.

§. XXV.

Variæ ejus rationes.

Evitandæ ergo confuſioni, adhibitam ſupra diviſionem repetimus, ubi Chriſtianismum Alſaticum I. ſub perſecutione, II. ſub libertate ſua, III. ſub Alemannorum oppreſſione, ad Francicæ dominationis tempora usque durante, conſiderandum edocui. Sub triplici hac Epocha duplex Eccleſiarum ſuperioris Alſatiæ, triplex inferioris Hierarchica

(*t*) *Dagobert.* Cap. XVIII. pag. 169.
(*u*) *De Epiſc. Argent.* pag. 27.
(*x*) *Commentar. in Epiſtolam Pauli ad Titum,* Bethlehemi conſcripto An. CCCLXXXVII. ubi ait: *Idem eſt ergo Presbyter qui & Epiſcopus* &c.
(*y*) Dav. Blondelli *Apologia pro ſententia Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris,* Amſtelod. MDCXLVI. 4to.
(*z*) *Canones Apoſtolici* Cap. XXXVII.
(*a*) Canone VI.
(*b*) Augustin. in *Brevic.* Cap. XVI. Opp. Tom. VII. pag. 393. Edit. Froben. *Non expediant* (Cæcilianus) *ut Princeps à Principe ordinaretur.*
(*c*) *Hæreſ.* LXVIII. num. 1. & 69. num. 1.
(*d*) Vid. Macri *Hiero-Lexicon* in voce: Archiepiſcopus.
(*e*) *Geographia Sacra* Lib. V. pag. 142.
(*f*) *Diſſert. de Primatibus* §. LXXVI. ſqq.

chica prognata eſt ratio, quæ ſigillatim examinandæ jam veniunt. Chriſtianam doctrinam Roma Lugdunum, Lugduno, Galliæ Lugdunenſis Capite, in Alſatiam ſuperiorem, quæ Galliæ Lugdunenſis pars fuit, promanaſſe, rerum humanarum progreſſibus plane conforme eſt. Imperiorum & Regnorum principes urbes minoribus leges, mores, ritus, conſuetudines & cum his plerumque religionem transmittunt. Urbs urbem, unde ſemina Religionis accepit, matrem venerata eſt. Quodſi autem ulla Galliæ civitas de Chriſtianismi primitiis potuit gloriari, potuit ſane Lugdunum; cui religionis Chriſtianæ per Lugdunenſem Galliam ſeculo II. promotores acerrimi, Pothinus nempe atque Irenæus, præfuerunt; quorum uterque in illa urbe cum multis Chriſtianorum millibus martyrium paſſus eſt. Prodiit hinc paſtoralis illa Eccleſiæ Lugdunenſis in omnem Galliam Lugdunenſem auctoritas, qua minores Eccleſiæ ſub ea vigentes, ab urbe hac matre, Paſtores ſuos ſtatos aliæ, presbyteros nempe atque Diaconos, aliæ regionarios, certo loco non affixos, quos Chorepiſcopos appellant, petierunt, acceperuntque; quantum nempe turbidus rei Chriſtianæ, ſub tot perſecutionibus gementis, ſtatus permiſit. Primis autem Chriſtianismi temporibus illi Eccleſiæ deferebatur Primatus, quæ prior erat vocatione ad fidem: cujus rei Zoſimum Pontificem mox allegabimus teſtem. Quodſi vero Πρωτεκκλησία prærogativam aliquam & ſuperioritatem Eccleſiis conciliavit, quanto major auctoritas illis accedere debuit, quæ aliarum matres & genetrices fuerunt. Ex turbido ſuo ſtatu poſt trium ſeculorum decurſum, quum eluctaretur Chriſtianismus, faciemque nanciſceretur lætiorem, fixus & regularis Hierarchiæ ſtatus exoriri denique cœpit, Conciliorum Canonibus & Principum Reſcriptis firmatus.

Id ſingulare Alſatiæ noſtræ accidit, quod Provincia hæc, ex diverſis trium populorum, Rauracorum nempe, Sequanorum, Mediomatricorum, tractibus, verſus Rhenum vergentibus, olim compoſita, nonniſi ſub Francis cœpit conflari: quorum omnium populorum urbes priucipes, Auguſta Raurica ſcilicet, Veſontio & Divodurum, extra Alſatiam ſitæ ſunt. Neque poſt Tribocorum ad Mediomatricos noſtros Rheoeoſes, ſive Alſatas Inferiores, Romana ſub Periodo, tranſitum, Divodurum civilem ſuum amiſiſſe videtur Primatum; unde ſorte Divodurenſis quoque Epiſcopi, in Inferiorem Alſatiam juris ſacri, olim exerciti, origo. Nullum enim veſtigium reperio, ex quo conſtet, Tribocos, origine Germanos, qui ſemper averſati ſunt urbes, quum in Mediomatricorum terras progrederentur, ſibi quoque peculiarem ibi conſtituiſſe urbem primariam. Romano autem ſub Imperio Provinciarum diviſio ita comparata fuit, ut Præſidis Provinciæ ſedes cenſeretur Metropolis. In veteris ergo Alſatiæ partibus nulla urbs fuit, in qua Præſes reſideret Romanus. Comitis Argentoratenſis inſtitutio, circa ſeculum IV. demum orta, peculiaris jurisdictio & militaris præſertim fuit. Argentoratus enim Germaniæ Primæ, uti antea Superioris, partem ſemper conſtituit.

§. XXVI.

Quum autem circa eadem fere tempora, Imperio in quatuor Præfecturas diviſo, nova Provinciarum diſtributio prodiiſſet, qua Gallia in XVII. Provincias (*g*) ſubdiviſam ſe vidit, Lugdunenſis Proviocia in partes diſtracta eſt plures; quas inter Maxima Sequanorum, Helvetios, Rauracos, Sequanos, adeoque & Alſatiam noſtram Superiorem complexa, cui Provinciæ novæ caput conſtituta Veſontio. Nova hæc diviſio Galliæ, circa initium ſeculi IV. à Conſtantino Magno (*b*) deoique ſtabilita, ſingulas ejus Provincias & Provinciarum Metropoles definivit. Notitiam generalem hujus diviſionis reliquit nobis Sextus Rufus in *Breviario Imperii*, ad Valentem Imp. ſcripto: *Libellus* item *Provinciarum*, Theodoſiano ævo, uti videtur, compoſitus. Sed cum Provinciis Metropoles earum & præcipuas civitates Galliarum expreſſit *Notitia* illa *Galliarum*, à Sirmondo edita, & à nobis ſæpe laudata, quæ Honorii tempore condita creditur, quamque hic, quatenus Alſatica noſtra reſpicit, oculis Lectorum ſubjicimus;

Diviſio Galliarum politica.

" Provincia Lugdunenſis prima, numero III.
" Metropolis Civitas Lugdunenſium.
" Civitas Æduorum.
" Civitas Lingonum.
" Caſtrum Cabilooenſe.
" Caſtrum Matisconenſe.

" Provincia

(*g*) Varias Gallia civiles partitiones ſubiit, antequam poſtrema hæc in XVII. Provincias diviſio locum haberet, quas vide apud Blondellum, *de la Primauté de l'Egliſe* pag. 667. ubi diviſiones Galliarum, earumque progreſſus in quatuor, quinque, ſeptem, decem, quatuordecim & ſeptemdecim denique, Provincias diligenter enarrat.

(*b*) Vid. Bucherii *Belgium Rom.* Lib. VIII. Cap. X.

“ Provincia Belgica prima, numero IV.
„ Metropolis Civitas Treverorum.
„ Civitas Mediomatricorum Mettis.
„ Civitas Leucorum Tullo.
„ Civitas Verodunenſium.
“ Provincia Belgica ſecunda, numero XII.
„ Metropolis Civitas Remorum.
„ Civitas Sueſſionum.
„ Civitas Catuellaunorum.
„ Civitas Veromanduorum.
„ Civitas Atrabatum.
„ Civitas Camaracenſium.
„ Civitas Turnacenſium.
„ Civitas Silvanectum.
„ Civitas Bellouacorum.
„ Civitas Ambianenſium.
„ Civitas Morinum.
„ Civitas Bononenſium.
“ Provincia Germania prima, numero IV.
„ Metropolis Civitas Moguncíacenſium.
„ Civitas Argentoratenſium.
„ Civitas Nemetum.
„ Civitas Vangionum.
“ Provincia Germania ſecunda, numero II.
„ Metropolis Civitas Agrippinenſium.
„ Civitas Tungrorum.
“ Provincia Maxima Sequanorum, numero IV.
„ Metropolis Civitas Veſoncienſium.
„ Civitas Equeſtrium Noiodunus.
„ Civitas Elvitiorum Aventicus.
„ Civitas Baſilienſium.
„ Caſtrum Vindoniſſenſe.
„ Caſtrum Ebredunenſe.
„ Caſtrum Rauracenſe.
„ Portus Abucini.

§. XXVII.

Diviſio Hierarchica.

Hæc eſt politica illa Imperii Rom. formula, ad cujus normam Hierarchica quoque inſtituta eſt ratio, uti id non ex Occidentalium modo, ſed & ex Orientalium Provinciarum, laterculo patet abunde: & quidem ex Synodi Nicænæ, aliorumque Conciliorum decretis. Nicæni Patres enim An. CCCXXV. generatim conſtituerunt: (*i*) “ Ut antiqua conſuetudo ſervetur, ſicuti Alexandrinus Epiſcopus in Ægypti, Libyæ & „ Pentapolitanas Eccleſias poteſtatem exercet, ſicuti ſuam habet Romanus „ Epiſcopos, ſicuti Antiochenus, ita & in aliis Provinciis ſua privilegia, digni„ tates & auctoritates, ſerventur Eccleſiis. „ Concilium Sardicenſe I. An. CCCXLVII. ſub Conſtantio Imp. habitum, *Canone* VI. ſingulis civitatibus Epiſcopos dedit, vetuitque, ne aut in modica Civitate, aut in vico aliquo, ordinaretur Epiſcopus, nec ex alia Provincia iovitati Epiſcopum conſtituerent. In iisdem Canonibus frequens Epiſcoporum ejusdem Provinciæ & Regionis, ut & diverſarum Provinciarum, mentio ſatis evincit, Epiſcopos in Provincias quoque fuiſſe diviſos. In Concilio Taurinenſi An. CCCXCVII. quum Patroclum inter Arelatenſem & Simplicium Viennenſem de Metropolitica dignitate eſſet contentio, in lite hac interlocuti ſunt Patres, (*k*) eam civitatem frui debere honore Primatus, quæ Provinciæ Metropolim ſe eſſe doceret: dato tamen ad fovendam concordiam Epiſcopis conſilio, ut quisque viciniores ſibi civitates ad curam ſuam revocaret. Poſt hæc dubium ſupereſſe vix poteſt, Concilia

pro

(*i*) *Canon* VI. ita ſe habet: Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. Ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ Ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν. Ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς Ἐκκλησίαις. *Concilior.* Tom. II. Edit. Labb. pag. 32.

(*k*) *Canone* II. *Concilii Taurinenſis* hæc leguntur: “ Illud deinde inter Epiſcopos urbium Arelatenſis & Viennenſis, qui de Primatus apud nos „ honore certabant, a S. Synodo definitum eſt, ut „ qui ex eis approbaverit, ſuam civitatem eſſe Me„ tropolim, is totius Provinciæ honorem Primatus „ obtineat.

pro Metropolitanis Eccleſiis normam ſibi ſumſiſſe urbes Metropolitanas Provinciæ civilis. Zosimus Papa tamen, viginti poſt hanc Synodum annis, eadem in cauſa Eccleſiarum inſtitutarum antiquitati favere adhuc viſus eſt, quum in cauſa Patrocli Arelatenſis & Simplicii Viennenſis contra Synodum Taurinenſem pronuntiaret. (*l*)

Lugdunenſis ergo Eccleſia Canonum Hierarchicorum, in Synodis conditorum, auctoritate ex veteri jurisdictione, quæ uſu obtinuerat, multa amiſit. (*m*) Metropolitana poteſtas novo jam ſuperſtructa fundamento eſt; in qua diſciplina non ad Eccleſiam matrem, à qua fidei ſemina provenerunt, ſed ad orbem Provinciæ principem reſpiciebatur. Hoc enim modo quatuor Eccleſiaſticæ Provinciæ Lugdunenſes exortæ ſunt, quarum Metropoles erant, primæ Lugdunum, ſecundæ Rotbomagus, tertiæ civitas Turonenſis, quartæ civitas Senonia; à quibus Maxima Sequanorum jam ſeparata & peculiaris Provincia facta; unde pars illa Lugdunenſis Galliæ, propinquior Rheno, divulſa & Lugdunenſis Antiſtitis cum Rauricenſi ruptum eſt vinculum. Maxima hæc Sequanorum ſubinde Lugdunenſis quinta (*n*) dicitur; Caput ejus fuit Veſontio.

§. XXVIII.

Veſontinus Præſul ergo, in locum Lugdunenſis ſuccedens, Helveticarum, Rauricarum (*o*) & Sequanicarum Eccleſiarum Metropolitanus evaſit, quod in Laterculo civili eadem urbs Maximæ Sequanicæ quoque Metropolis fuerat. Novus hic Alſatiæ Superioris Metropolita ſub ſecunda Chriſtianiſmi Alſatici Epocha, hoc eſt libera & florente, exortus eſt; qui variis deinceps ſub Alſatiæ fatis & irruptionibus Alemannicis ſeculi IV. duravit. Sub magna autem illa Vandalico-Alemannica ſeculi V. invaſione, ſuo flore dejectus, ſed non plane extinctus eſt. Alemanni enim Gentiles & barbari oram Rauricam & Sequanicam Rhenenſem omnem tenuerunt. Non equidem ignoro, Præſulis Veſontini Metropolitanatum Conciliorum Canonibus quidem, ſed Actis non videri conformem, quod ille meros inter Epiſcopatus, ſola Epiſcopali dignitate inſignitos, hinc inde compareat. (*p*) Ita enim nec Claudius Veſontinus in Concilio Epaonenſi, nec Urbicus in Aurelianenſi V. nec Tetradius in Lugdunenſi II. nec Silveſter in Pariſienſi IV. & Matiſconenſi I. ac II. Metropolitani titulo inſigniti fuerunt, nec ſuperiore cum cæteris Metropolitanis loco ſubſcripſerunt. Verum ex Synodorum Gallicanarum ſubſcriptionibus notum eſt, alios quoque Metropolitanos, nullo ordine dignitatis ſervato, Epiſcopis ſæpe inveniri permiſtos. Antiquior ordinatione Epiſcopus Collegas ſuos plerumque in ſubſcribendo anteceſſit, uti Africana Concilia, Leo I. (*q*) Justinianus Imperator, (*r*) Galliæque Epiſcoporum (*s*) uſus, paſſim teſtantur. Promiſcuæ hæ ſubſcriptiones in ſolius Veſontienſis Epiſcopi cur traherentur injuriam? Subinde tamen antiquiores Epiſcopi jus ſuum ex modeſtia quum remitterent, accidit, ut ſubſcriptiones Conciliorum in Galliis non ſemel neglecto omni ordine fierent. (*t*) Veſontinæ autem Provinciæ Eccleſiaſticus ordo, qui hodie obtinet, cum Maximæ Sequanorum regimine civili, ſub Romanis ſervato, egregie conſpirat. Antiquæ ſubordinationis indicium haud leve eſt Bellicenſis Epiſcopus, qui Veſontinum Metropolitam agnoſcit, quod, Nojoduno (*Nion*) everſo, Epiſcopatus ejus translatus eſt Bellicam. Idem de Aventicenſi dicendum Epiſcopatu, cujus ſedes quum perveniſſet Lauſannam, (*u*) atque

Veſontio Metropolis Alſatiæ ſuperioris.

mutatæ

(*l*) *Epiſtola* Zosimi An. CCCCXVII. hac de re ſcriptæ, & a Sirmondo editæ, extant Tom. II. *Concilior.* Edit. Labb. pag. 1567. ſqq. Adde Petrum de Marca in *Epiſtola ad Henr. Valeſium* Eusebii *Hiſtoriæ Eccleſ.* præfixa.

(*m*) Notandum hac occaſione, Gregorium VII. ſeneſcente ſeculo XI. Gebumo, Lugdunenſi Archiepiſcopo, ejusque ſucceſſoribus perpetuum contuliſſe Primatum in IV. Provincias Lugdunenſes, Rotomagenſem, Turonenſem & Senonenſem. Lugdunum non Galliæ, ſed Arelatenſi tunc ſuberat regno. Pontifex præfatus eſt, veterem Lugduno ſeſtitui Primatum, non inſtitui novum.

(*n*) Biondi *de la Primauté de l'Egliſe* pag. 679.

(*o*) Baſilienſes Epiſcopi ſubinde quoque vocantur Raurici, etiamſi Epiſcopatus Baſiliam translatus. Ita Tungrenſis Epiſcopatus Trajectum Moſæ An. CCCLXXXIII. per Servatium translocatus, Tungrenſis tamen nomine non ſemel occurrit. Domitianus, Tungrenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Concilio Aurelianenſi An. DXLIX. ſubſcripſit, licet Trajecti jam fuerit. An. DCCIX. S. Hubertus Epiſcopatum Trajecto Leodium transtulit, ubi hodieque floret.

(*p*) Carolus à S. Paulo *Geographia Sacra* Lib. V. pag. 142. ſcribit: "Biſuntini Præſules ſemper ſex „ primis ſeculis inter meros Epiſcopos ſubſcripti „ reperiontur.

(*q*) *Epiſtola* LXXXIX.

(*r*) Leg. XXIX. *Cod. de Epiſcop.*.

(*s*) Frodoardus *Hiſtoria Rhemenſis* Lib. III. Cap. XIII. & Cap. XX. Hincmarus ipſe *Epiſtola* XLIV. Cap. XVI. de Metropolitanis Belgicis & Germanicis loquens ait: "Inter eos, ſicut & inter reliquos Epiſcopos, hæc conditio regularis ſervatur, ut „ qui prius fuerit ordinatus, prios habeatur.

(*t*) Negligentiam Gallorum in hoc capite carpit Gregorius I. in *Epiſt. ad Syagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum* Lib. VII. Epiſt. CXIV. ubi injungit, ut Epiſcopi ſecundum ordinationis ſuæ tempus in Concilio conſideant atque ſubſcribant.

(*u*) An. DLXXXV. Aventicum adhuc Epiſcopum habuit Marium, qui Concilio Matiſconenſi II. ſubſcripſit. Exciſo Aventico dignitas Epiſcopalis collata Lauſannæ, cujus Epiſcopus Arricus An. DCL. Synodo Cabilonenſi ſubſcripſit.

mutatæ in hac urbe religionis tempore Friburgum Helvetiæ ſe recepiſſet Lauſanenſis Epiſcopus, Veſontinum tamen continuavit Metropolitam agnoſcere. Notiſſima illa Hilarii Arelatenſis in Chelidonium Veſontienſem affectata Metropolitani poteſtas, Veſontini in ſuffraganeos Epiſcopos jura haudquaquam reſpexit, uti Petrus de Marca (x) demonſtrat. Num vero Veſontinus Præſul nulli quoque Primatui, nec Lugdunenſi nimirum, nec Viennenſi, nec alii cuiquam ſubjectus fuerit, ut Chifletius (y) aſſerit, ejus rei diſcuſſionem heic ego ſupervacaneam arbitror; id annotaſſe contentus, Baſilienſem Epiſcopum, cui magna jam parte Superior Alſatia tum paruit, ad Maximæ Sequanicæ Provinciam pertinuiſſe, adeoque Metropoliticam Veſontini Præſulis jurisdictionem, ex Canonica regula, agnoviſſe haud dubie. Diœceſis hæc Sequanos, Rauricos atque Helvetios complexa, hodiernum Burgundiæ Comitatum, Helvetiam cis Rhenum, Urbis & Epiſcopi Baſilienſis territorium, cum Alſatia ſuperiore comprehendit.

§. XXIX.

Alſatiæ Inferioris Hierarchia I. Epochæ.

Sed jam à Superioris Alſatiæ Hierarchia ad Inferiorem progredimur, cujus Metropolitanatus pluribus rerum viciſſitudinibus fuit ſubjectus. Sub Romanis Alſatia Inferior pars erat Germaniæ Primæ, cujus Metropolis politica, urbs Moguntiacum, Canonum allegatorum decreto, Eccleſiaſtica quoque Metropolis facta eſt. Quanquam enim ante Synodum Nicænam, hoc eſt, antequam Galliæ in XVII. Provincias ſubdiviſio locum haberet, Moguntiacum Germaniæ ſuperioris urbs primaria jam fuerit, (z) nulla tamen inde jurisdictio Eccleſiæ Moguntinæ accrevit; quod præcedentium Synodorum Decretis regula generali nondum eſſet definitum, ut ad partitionem Imperii Eccleſia quoque Diœceſes Parochiarum aptaret. Cauſa dubitandi eſt, quod juniores rerum Metenſium, imo & Alſaticarum Scriptores, Argentoratenſem Eccleſiam, ante Dagobertina tempora, Metenſi Epiſcopatui ſubjectam fuiſſe doceant; uti ſupra annotavi. (a) Metenſis Epiſcopus autem, ad Belgicæ I. Provinciam pertinens, Trevirenſi Metropolitano, ab illo jam tempore, fuit ſubjectus, quod civili quoque Provinciæ ordinationi conforme. Illa inde diſparitas orta, ut Alſatia Inferior in Diviſione Politica Germaniæ Primæ, in Eccleſiaſtica Belgicæ Primæ ſubjiceretur. Diſparebunt hæ tenebræ, prælucente Hiſtoria, ſi res omnis repetatur ab ovo. Trevirorum urbs, Galliæ Belgicæ caput, cujus extrema pars Alſatia Inferior, verſus meridiem & ortum, primis temporibus fuit. Ut Lugdunenſes ſuperiori Alſatiæ, ita Trevirenſes Inferiori, prima Chriſtianismi ſemina transmiſerunt, quod utraque civitas provinciæ ſuæ Metropolis civilis tum fuerat; ex qua plerumque mores & cultus ad cæteros Provinciales derivantur. Eodem ergo modo Trevirenſis Eccleſia Inferioris Alſatiæ, uti Lugdunenſis Eccleſia Superioris, mater evaſit. Status hic ſub prima Chriſtianismi Alſatici Epocha, hoc eſt, ſub perſecutionibus duravit.

§. XXX.

Secundæ Epochæ.

Sub ſecunda Epocha vero, reſpectus ille Matris, quæ Evangelium transmiſerat, ceſſavit, atque illius tantum urbis ratio habebatur, quæ in Politico Imperii Laterculo deſignata fuit urbs Provinciæ princeps. Unde in Inferiore quoque Alſatia ſtatus Hierarchiæ mutatus eſt, ita ut Argentoratenſis Epiſcopus ex poteſtate Trevirenſis in jurisdictionem Moguntini transiret, quod in Galliarum diviſione civili Maguntiacum Germaniæ Primæ conſtituebatur Metropolis, cui Argentoratenſis, Spirenſis & Wormatienſis Civitates ſubjiciebantur. Ad hunc usque diem ſane nemo litem ſuper Metropolitanatum Eccleſiaſticum movit Lugduno, quod in Laterculo Imperii Metropolis Lugdunenſis Primæ conſtituitur; nec Rothomago Metropoli Lugdunenſis ſecundæ, nec Treviris, in ſecunda hac Epocha Metropoli Belgicæ primæ, nec Rhemorum Metropoli Belgicæ ſecundæ, nec Biturigum urbi principi in Aquitania prima, nec Burdigalenſi in Aquitania ſecunda, nec Eluſatium in Novem-populana. Moguntiacum eodem Principatus in Eccleſiaſticis jure cur non, harum urbium inſtar, frui debuiſſet, quo in civilibus fruebatur? Quemadmodum ergo nova Hierarchici ordinis inſtitutione ex Metropolitico ſuo jure plurimum Eccleſia Lugdunenſis amiſit, ita Trevirenſis quoque, præter Argentoratenſem noſtram, multas alias & illuſtres Eccleſias ex

(x) *Diſſert. de Primatibus* §. LXXVIII. pag. 179.

(y) *Veſontion.* Part. II. pag. 99.

(z) Maguntiacum Superioris Germaniæ principem urbem fuiſſe, antequam Gallia in XVII. Provincias divideretur, multa nobis perſuadent. Tacitus *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LIX. eam, ut præcipuam Legionum ſuperioris Germaniæ ſedem, deſcribit, ubi ait: "Tutor valida manu circumdatos Agrippinenſes, „ quantumque militum apud Superiorem Rheni „ ripam, in eadem verba adigit; occiſis Magontiaci tribunis, pulſo caſtrorum Præfecto, qui „ detrectaverant. „ Ptolemæi errorem, qui Magontiacum Inferiori Germaniæ adſcripſit, ſupra notavimus.

(a) Vid. pag. 338.

ECCLXI.

ex poteſtate ſua in aliam vidit tranſire. Belgica enim Gallia, quæ ſub Auguſto in Germaniam Superiorem, Inferiorem & Belgicam ſpeciatim, adeoque in tres Provincias, ſubdiviſa fuerat, nova nunc diſtributione in Germaniam Primam & Secundam, Belgicam Primam Secundamque, adeoque in quatuor Provincias partita eſt; quarum Metropoles Magontiacum, Colonia Agrippinenſis, Treviri & Civitas Rhemorum; qui urbium harum primatus civilis nunc etiam ad Eccleſias earundem, ita volentibus Conciliorum Decretis, tranſivit. In urbibus autem ſingulis, quæ non Metropolitanæ, ſed Metropolitanis ſubjectæ, Epiſcopos quoque conſtitui, ſi antea caruiſſent, pariter ſtabilitum Canonibus eſt. Quodſi Conciliorum decretis ſuus tum conſtitit vigor, uti eum ab Imperatoribus datum fuiſſe non dubito, Argentoratenſis Epiſcopatus illo jam tempore creari debuit, ſi ante non extitit, & Moguntinæ jurisdictioni ſubmitti. (*b*).

§. XXXI.

Verum enimvero Moguntini Præſulis exercitium Metropolitici juris non fuit diuturnum. Frequentes Alemannorum paulo poſt illa tempora, quibus Canones hi conditi, irruptiones, quas graves illæ pugnæ, ad Argentoratum ſub Juliano, ad Argentouariam ſub Gratiano, commiſſæ, teſtantur, omnem hanc oram Rheni tam infeſtam reddiderunt, ut Epiſcopi Moguntini Primatus vix ullum ex iſto ævo documentum ſuperſit. Quodſi in nova hac juriſdictione memorabile quid contigit, illud vel Actis non conſignatum eſt, vel Acta perierunt. Præſulum Argentoratenſium nomina ad ævum usque Dagobertinum ignoramus, & tamen Paſtores ibi fuiſſe, nequit dubitari. Idem de Primatu Moguntiacenſi dicendum, quem Canones nos admittere jubent, juris tum jam exerciti licet teſtimonia deſint. In Moguntiacenſi urbe ab irrumpentibus Vandalis An. CCCCVII. multa hominum millia in Templo trucidata, annotavit Hieronymus, numeroſæ Eccleſiæ urbisque documentum. Moguntiaco, Borbetomago, Noviomago, Argentoratoque eadem ſimul clade dirutis, totius Germania Primæ civitates, veluti cadavera, cum Metropoli ſua fuerunt ſepultæ, quæ ab eo tempore Epiſcopis caruit. (*c*) Nimium audacter ergo Carolus à S. Paulo (*d*) de Moguntiaco pronuntiavit, Eccleſiam ejus ad Bonifacium usque nonniſi Epiſcopalem ſedem fuiſſe: cujus ſententiæ quoque ipſe Serarius, (*e*) *Rerum Moguntiacarum* Scriptor, extitiſſe videtur. Trevirorum urbs quidem pluries tum quoque ab irruentibus barbaris fuit direpta: Alemannica autem dominatio quum ad illam ſe non extendiſſet, è cineribus reſurrexit facilius, quam noſtra Alſatia, ſævo Alemannorum, per totum ſeculi V. decurſum, dominatui ſubdita, & inter urbium ſuarum ruinas ſemper ingemiſcens. In hac oræ Alſaticæ perpetua ſtrage, qua urbibus & Epiſcopis Prima hæc Germania caruit, priſca Præſulis Trevirenſis in eam auctoritas revixiſſe videtur; qui, remotior ipſe quod eſſet, Metenſi Epiſcopo, ſuffraganeo ſuo, Chriſtianorum per Inferiorem Alſatiam reſiduorum curam haud dubie demandavit; unde Metenſis Eccleſiæ jurium, in noſtris his partibus ad Dagoberti I. tempus exercitorum, fortaſſis origo; quæ Provinciarum Eccleſiaſticarum conſtitutioni, Conciliorumque Canonibus, licet contraria, conſtanti tamen V. VI. VII. ſeculorum uſu obtinuerunt, quod inter arma civiles & Eccleſiaſticæ Leges obmuteſcere ſolent.

Mogontiæ ablata.

§. XXXII.

Primi ergo, quos novimus, Argentoratenſes Epiſcopi, Arbogaſtus, Florentius, Widegernus & Heddo, ſeptimo & octavo ſeculis, ſub Merovingis Franciæ Regibus viventes, Trevirenſem Antiſtitem, Metropolitanum ſuum agnoverint neceſſe eſt, quod Moguntina metropolis nonniſi An. DCCLI. reſtaurata fuit, Heddone Argentorati Epiſcopo, qui Moguntinam Eccleſiam poſt CCCL. annos matrem iterum primus agnovit. Sic ab initio Chriſtianiſmi apud Alſatas inferiores, ad annum usque DCCLI. Hierarchicus eorum ſtatus ſæpius fuit mutatus. Ante Nicænum Concilium Archi-Præſuli Trevirenſi ſubfuerunt; à tempore Concilii autem, ad Alemannicam usque dominationem, Moguntinum agnoverunt Primatum; ſub Alemannis & ſub Merovingis Franciæ Regibus rurſus Trevirenſi paruerunt, donec ſub Pipino, Carolingicæ ſtirpis primo Franciæ Rege, nempe An. DCCLI. ad Moguntini jurisdictionem redirent: Metenſi

Variæ mutationes.

 Epiſco-

(*b*) Non primus conjecturam hanc profero. Petrus de Marca argumentum hoc fuſe pertractat in *Diſſert. de Primatibus* §. LXXVI. pag. 175. cui ſuffragatur Cointius *Annal. Eccleſiaſt.* Tom. I. ad An. 455. num. 14. pag. 83. Pagius in *Critica Baronii* ad An. CCCCI. Bucherius *Belg. Rom.* Lib. VIII. Cap. X. Nec prætereundus Toloſanus Præſes, Vir Doctiſſimus, Philippus Berterius *Pithanon* Diatrib. II. Cap. V. pag. 213. cujus auctoritate præſertim uſus eſt Petrus de Marca.

(*c*) Bonifacius ipſe in *Epiſtola ad Zachariam Pontificem*, An. DCCXLIII. ſcripta, id fatetur.

(*d*) *Geographia Sacra* Lib. V. pag. 127.

(*e*) Lib. I. & II.

Epiſcopatui, cui ultra tria ſecula ſubjecti fuerant, adeoque & Metropolitano Trevirenſi, à quo Metenſis Epiſcopus pendet, tandem penitus ſubtracti. Veſontinus Archi-Præſul è contra, ſub Burgundionibus, Chriſtianiſmo addictis, vivens, ex interiore ſua Sequania Sequanos Rhenenſes & Rauricos ſub ſuo facilius Primatu retinuit; ſive Epiſcopum Baſilia, ab Alemannis quoque occupata, habuerit; (Auguſta Rauracorum enim fuit everſa) ſive Epiſcopatu ſuſpenſo, Chorepiſcopos modo atque Presbyteros in partes has miſerit. Unde Superior Alſatia, Metropolitanatus ratione, paucioribus mutationibus fuit obnoxia. Quum enim ad Nicænam Synodum usque Lugdunenſis Præſulis agnoviſſet Primatum, atque ex Synodi ejusdem decretis Metropolitam Veſontinum accepiſſet, quod in politica diviſione Maximæ Sequanorum, cujus pars Alſatia Superior, urbs princeps eſſet Veſontio; dominantibus dein in hac quoque Alemannis, jura tamen Metropolitica ſive Archiepiſcopalia ad alium Præſulem tum translata fuiſſe, nullibi reperio.

§. XXXIII.

Moguntiæ reſtituta.

Moguntiacum funditus ab Alemannis everſum, & ſub iisdem toto ſeculo V. gemens, ad priſtinum ſtatum non niſi ſub Francis reſurgere potuit: qui oræ hujus Rhenenſis quum fierent domini, bellis inteſtinis externisque agitati, ſub Regibus Merovingis de Hierarchia, ad Canonum normam reſtituenda, vix cogitare potuerunt; ita, ut ab anno DCLXX. usque ad An. DCCXLIII. Gallia Archiepiſcopis caruerit, quod novus Moguntiaci Archiepiſcopus, à Pipino conſtitutus, ipſe teſtatur Bonifacius. (*f*) Everſas ergo ad Rhenum Eccleſias tam ſero priſtinum in ſtatum reſtitutas fuiſſe, nemo mirabitur, quum interioris Galliæ Eccleſias neglectas intelliget. Argentoratenſis Epiſcopatus autem cum à ſeculi V. initio oppreſſus quoque jaceret, Chriſtianorum ſuperſtitum curam in ſe ſuſcepit Metenſis, poteſtati Metropolitanæ Trevirenſis ſubjectus. Conjecturæ hæ noſtræ Canonibus Synodorum & eventibus rerum innixæ, nodos aliquot difficiles ſolvunt fontemque nobis retegunt; unde veteres illæ de Trevirenſium in Alſatiam Inferiorem dominatu, de Materni, Trevirenſis Epiſcopi, Apoſtolatu Alſatico, traditiones potuerint oriri. Syſtema hoc noſtrum difficilem quoque nodum reſolvit, quem illi, qui cum Serario (*g*) & cum Carolo à S. Paulo (*h*) Primatum Moguntinum ante Pipiniana tempora locum habuiſſe negant, expedire vix poſſunt: cur nimirum Germaniæ Primæ Provincia, cæterarum Galliæ Provinciarum ſoror, non eodem Hierarchico jure, Canonibus ſtabilito, recta fuerit, quo regebantur ſorores? Sed & noſtrum hoc ſyſtema cauſam ſuppeditat, cur Pipinus, Rex Francorum, & Zacharias Pontifex, Moguntinam (*i*) Metropolim An. DCCLI. inſtauraturi, Romani Imperii veteris Laterculum exacte ſecuti ſint, cum Franci, apud Gallos rerum potiti, aliam Galliæ diviſionem feciſſent: prompta enim reſponſio, Moguntinum jus non denuo inſtitutum, ſed reſtitutum modo & ex Galliæ veteris Romanæ formula reſtauratum fuiſſe. (*k*) Ceterum ex Agrippinenſis Concilii Actis contra Moguntiacenſem Primatum nemo argumentetur, quod nimirum Maximinus Trevirenſis in eo præſederit, Martinus Moguntiacenſis vero ibidem inter Epiſcopos non Metropolitanos comparuerit, cujus tamen Metropolitana poteſtas Canonibus ſtabilita jam fuerat. Ex iis, quæ ſupra diſputavimus, patet, non Acta modo Synodi, ſed & Synodum Agrippinenſem ipſam inter Apogryphas poni. Repetenda quoque heic ea, quæ ſupra (*l*) Veſontini Præſulis occaſione de ſignandis Synodorum Actis ſedendique modo dicta fuere; in his rebus nimirum non Eccleſiarum prærogativæ & ordinis, ſed ſenioratus, habitam præſertim fuiſſe rationem, quod Petrus de Marca (*m*) aliique ante me plures jam pridem docuerunt.

§. XXXIV.

(*f*) In *Epiſtola ad Zachariam Pontificem* An. DCCXLIII. ait: "Franci, ut ſeniores dicunt, plus-
" quam per tempus LXXX. annorum Synodum non
" fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt, nec
" Eccleſiæ Canonica jura alicubi fundabant vel reno-
" vabant.

(*g*) *Rer. Mogunt.* Lib. III. toto.

(*h*) *Geograph. Sacr.* Lib. V. pag. 127.

(*i*) Coloniæ Agrippinæ Metropolis ab iisdem inſtituta An. DCCXLV. quæ pariter reſtauratio potius quam inſtauratio dicenda.

(*k*) Germanicas aliasque Eccleſias, quas Pipinus Bonifacio & ſucceſſoribus ejus pariter ſubjecit, examinare hujus loci non eſt, qui nonniſi de Cis-Rhenanis noſtris heic ſumus ſolliciti. Bonifacius, nulli antea ſedi affixus, Apoſtolici Legati munia per omnes Galliæ Germaniæque Eccleſias geſſit; quo nomine Pipinum Sueſſione Regem inunxit. Sed hæc cum Bonifacio exſpiravere. Primatum vero inter Germaniæ Præſules ad ſucceſſores transtulit. Vid. Thomasinus *de Veteri & Nova Eccleſiæ Diſciplina*, Tom. I. Part. I. Lib. I. Cap. XXXI. num. 2. pag. 105.

(*l*) Pag. 345.

(*m*) *De Primatibus* pag. 183.

§. XXXIV.

Aliorum conjecturæ.

Quodſi quis cum Beato Rhenano (n) ſtatuere velit, Moguntiacenſem, imo &, quod Carolus à S. Paulo (o) addit, Nemetenſem, Vangionenſem, Agrippinenſem, Tongrenſemque Eccleſias Trevirenſi olim, tanquam viciniori, Eccleſiæ usque ad Bonifacii tempora fuiſſe ſubjectas, huic ego non repugnaturus ſum. Brouuerus (p) quovis modo adſtruere conatur, Belgio oniverſo jus olim dixiſſe Trevirenſem, adeoque & Germaniæ Primæ, quæ pars fuit Belgicæ Galliæ; nec ego refragor, modo tempus illud ſeculi IV. quod inter Synodum Nicænam & Vandalico-Alemannicam irruptionem effluxerat, quo nempe Metropolitanatus Moguntinus locum habuit, excipere me ſinat. Illi autem, qui Wormatienſem heic nobis crepant Primatum, quam longe aberrant à vero, omni veteris Eccleſiæ repugnante diſciplina; addo & auctoritate Scriptorum. Sententiæ hujus promus eſſe videtur Anonymus ille, qui *Geſta Trevirorum* ad annum usque MCXXXII. complexus eſt; quique de Bonifacio Epiſcopo agens, ſubdit: " Ante hujus tempora Moguntini Epiſcopi ſuffraganei erant Wormatienſium Epiſcoporum. " Errorem hunc ſecuti ſunt Albertus Stadensis, Sifridus Presbyter, Theodoricus Engelhusius, Guillielmus Eysengrein, Franciscus Irenicus, Bruschius, &, quod miror, Freherus, aliique ex Neotericis, auctoritate Scriptorum potius, quam veritate rei inducti. Proſcripſit opinionem Schannatus, Rerum Wormatienſium Scriptor; (q) digniſſimus, qui longiore vita frueretur. Fabulæ origo inde derivanda, quod Moguntiacum olim ad Vangionum gentis Regiones pertinuit, uti alibi oſtenſum.

§. XXXV.

Summa Argumenti.

Argumenti obſcuri atque difficilis, tamque varie agitati, rem omnem ut contrahamus in ſummam, Lectori pauca hæc ante oculos ponimus. Tribus primis Chriſtianiſmi ſeculis, ante quam Gallia Belgica in IV. ſubdivideretur Provincias, quum Trevirorum Auguſta Belgicæ totius caput fuiſſet, mirum non eſt, omnes Eccleſias hanc Belgii urbem, Provinciæ principem, ita ſuſpexiſſe, ut & ejusdem Epiſcopum cæteri Provinciæ Epiſcopi, ceu caput, venerarentur; à quo Evangelii doctrinam, leges ſacras & ordinationem acceperant. Libertate dein ſub Conſtantino M. conceſſa Eccleſiis, Gallia quoque omni in XVII. denique Provincias, Belgicaque ſpeciatim in IV. ſubdiviſa, & Regimine Eccleſiaſtico Conciliorum Canonibus, ad civilem formam inſtituto, Trevirenſis Antiſtes neceſſario ſua Metropoleos jura in Eccleſias illas, quæ Conciliorum auctoritate Metropolitanæ quoque factæ ſunt, amiſit; neceſſitate præſertim id exigente, quum Chriſtianismus per Galliam omnem, ſub Imperatoribus Chriſtianis, ita invaluiſſet, ut unus Metropolita tot Eccleſiis regendis ſufficere non poſſet. Quum autem ſeculo V. Alemannis Gentilibus ad Superiorem Inferioremque Rhenum ſurentibus, Romani Imperii majeſtas in omni ora Rhenenſi aboleretur, urbes noſtræ exſcinderentur & jacerent ſepultæ, Antiſtitis Trevirenſis, revixit auctoritas, ad illud usque tempus continuata, quo Bonifacio, Moguntino Antiſtiti, Apoſtoloque Germaniæ, apud Franciæ Principes ſummæ auctoritatis Viro, non vetus modo in Argentoratum, Nemetes atque Vangiones, (quorum Epiſcopatus, per aliquot ſecula extincti, nuper reſtaurati fuerunt) ſed & in omnes Germaniæ Magnæ Eccleſias, quas Chriſto adduxerat, jurisdictio redderetur.

Non poſſumus heic præterire ſilentio Inſcriptionem illam Trevirenſem, ex *Annalibus Trevericis* Anonymi in Kyriandri *Annales*, (r) & in Freheri *Commentarium ad Moſellam Auſonii*, (s) translatam:

IOVI. VINDICI. TREVERORVM
EX CENSV QVINQVE CIVITATVM &c.

Spurius, ſi quis unquam, hic partos eſt, ab homine, antiquitatis ignaro, productus, ut imaginarium illud Trevirorum in Rhenanas civitates Argentoratumque noſtram, imperium vetuſti lapidis auctoritate adſtrueret, quod præter alios quoque ſagaciſſimus Monumentorum indagator obſervavit Reinesius. (t)

(n) *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 407.

(o) *Geograph. Sacr.* Lib. V. pag. 127.

(p) *Annal. Trevir.* pag. 147.

(q) *Hiſtoria Epiſcopatus Wormatienſis* Part. III. pag. 307. Opinionem hanc retulit quoque, ſed non probavit Cointius *Annal. Eccleſiaſt.* Tom. I. ad An. CCCCLV. num. 14.

(r) *Commentar. de Auguſta Trever.* Part. III.

(s) Vers. 315.

(t) *Inſcript.* Claſſ. I. num. 21. pag. 47.

ECCLES.

§. XXXVI.

Concluſio.

Ita, ni fallor, omnia rerum, naturæ, temporum, locorum, circumſtantiis, Synodorum Canonibus, Politicis Galliarum Notitiis, probe & exacte reſpondent: ſua jura Trevirenſi, ſua Moguntiacenſi, ſi tempora diſtribuas, bona fide tribuuntur, nec exceſſu in hoc argumento, nec defectu, peccatur. Mirum fortaſſe nonnemini videbitur, nos de Veſontina, Trevirenſi, Moguntinenſi, Metropolibus, de Baſilienſis item Argentoratenſiſque Epiſcoporum ſubjectione tam multis egiſſe, quum vix unius alteriusve harum Diœceſeon Epiſcopi admittamus nomen; ſed ille intelligat, nobis non de Epiſcopis, ſed de Epiſcopatuum ipſorum jurisdictione & ſubordinatione heic eſſe quæſtionem. Num autem Metropolitani, quibus Alſatia ſuberat, ſupra ſe habuerint Primatem, (*u*) heic nolo diſquirere: illuſtrem quæſtionem illam quoque relicturus intactam, Hierarchia num omnis, aut ſaltem certi gradus ejus, ſint juris divini, an Eccleſiaſticæ modo inſtitutionis; quæ inter Anglos præſertim, Epiſcopales & Presbyterianos agitata eſt quæſtio. Petrus de Marca, (*x*) ut & plures Britannorum Eruditi, (*y*) Metropolitanæ dignitatis origines ad Apoſtolica jam tempora ponunt.

Hæc ſunt, quæ de Eccleſiarum Alſaticarum antiquitate & ſtatu ſub Romano Imperio, omnibus Monumentis excuſſis, diſcere docereque potuimus; ingenue profeſſi, originum harum ſortem aliter cecidiſſe, quam ab initio ſperaveram. Quum enim Juſtinianum, Amandum, Jeſſiumque, Rauricæ, Tribocenſis, Nemetenſiſque Alſatiarum Epiſcopos, in Antiſtitum laterculo ſervare ſtuduiſſem, re probe perpenſa, deſtruere coactus ſum, quod adſtruere conabar. Neque vero Alſaticarum Eccleſiarum ſplendori aliquid decedere exiſtimo, quod primorum Epiſcoporum nomina non ſuperſint aut extent. Communem hanc cum pleriſque Gallicanis Eccleſiis ſortem experitur Alſatia. Quodſi Germaniam omnem Trans-Rhenanam reſpicias, nulla ejus Eccleſia ad Merovingorum usque Regum aſcendit ætatem. Documento hæc nobis eſſe poſſunt, quam caute in mediæ ætatis Scriptorum ſit procedendum lectione; quam periculoſum ſit teſtes numero non pondere metiri; quam frequenter delabantur in devia, qui in rebus hiſtoricis ſanæ Critices regulas non rigide ſectantur.

(*u*) Jus appellationum à Metropolitanorum judiciis ſolum obtinere Lugdunenſem Antiſtitem; hocque poſterioribus ſeculis demum eſſe natum, putat Du Pin *de antiqua Eccleſiæ Diſciplina*, Diſſert. I. §. X. pag. 36. De Primatibus Thomasinus *de Diſciplina Eccleſiaſt.* Binghamus in *Originibus Eccleſiaſticis*, aliique quam plures.

(*x*) *De Concordia Sacerdotii & Imperii* Lib. VI. Cap. I. num. 5. ſqq. ubi ait: "Evidens rei argu„ mentum in Epiſtola Pauli ad Titum; ubi ſcribit, „ ſe illum reliquiſſe Cretæ, ut conſtitueret Presby„ teros per civitates. Ecce Metropolitani inſtitu„ tionem. Atque is quidem habet auctoritatem or„ dinandi Presbyteros, id eſt, Epiſcopos &c. „ num. 7. ſcribit: "Nobile argumentum Metropolitici „ juris à Paulo obſervati colligitur ex Epiſtola ejus „ ad Corinthios. Urbs illa Metropolis erat Achajæ &c. „ Typus heic eſt provinciæ Eccleſiaſticæ, ſub ſua „ Metropoli conſtitutæ ad exemplum Imperii. „ Paulo ante dixerat Marca: Apoſtolos, quum Eccleſias diſtribuerent in provincias, in animo habuiſſe, ut in iis corpus Epiſcoporum ſtatueretur, ſub præſidentia Epiſcopi Metropoleos.

(*y*) Henr. Hammondus in *Annotat. ad Epiſt. I. ad Timoth.* Cap. I. vers. 18. pag. 269. Binghamus *in Originibus Eccleſiaſticis* Lib. II. Cap. XVI. §. II. His accenſendus Garsias Loaisa Hiſpanus; qui in Libro *de Inſtitutione Primatis Toloſani* ab Eccleſiæ initiis Primatum hunc repetit.

LIBRI

LIBRI SECUNDI
SECTIO QUINTA.
ALSATIÆ ROMANÆ.
ANNALES.

§. I.

GEographicas, Civiles & Sacras Alſatiæ Romanæ rationes huc usque diſcuſſimus; Res in ea Geſtæ jam enarrandæ obveniunt; in quibus exponendis placuit illa Annalium forma, quibus diſperſa diverſarum Provinciarum eventa, ex Veterum monumentis eruta, veluti laciniæ rerum hiſtoricæ omnium optime coagmentantur & digeruntur. Copioſam enim Alſaticorum illius ævi eventuum narrationem in tanto Hiſtoricorum defectu à nobis nemo expectet; quum nou tam Res geſtas, quam indicia & fugientia quaſi fragmenta Rerum geſtarum ex latebris ſuis protrahamus in lucem. Ex membris autem, tam macilentis, miſereque dilaceratis, plenum aliquod Hiſtoriæ Romano-Alſaticæ Corpus quis unquam componat? Sterile argumentum ergo ut fieret fertilius, non vicini modo noſtri, ſed & remotiores ſubinde populi in auxilium vocati ſunt. Alſatia enim non una tum civitas aut provincia, ſed plurium civitatum, Rauracorum nempe, Sequanorum & Mediomatricorum, quibus poſtremis Triboci dein atque Nemetes ex Germania novi incolæ acceſſerunt, nonniſi extrema pars fuit; adeoque non propria, ſed aliena luce radiavit Galliæ Lugdunenſis, ad quam Superior, & Germaniæ Superioris, ad quam Inferior Alſatia pertinuit, proſperis adverſisve fatis plerumque implicita; ſub Francicis demum Regibus in unius Provinciæ formam coaleſcens. Prævia hæc Lector edoctus, quum frequentem Galliæ Lugdunenſis & Superioris Germaniæ in his Annalibus mentionem repererit, in alienam meſſem immiſiſſe nos falcem, haud facile pronuntiabit.

Res in Alſatia Romana geſtæ.

§. II.

Sequani, & cum iis Alſatia Superior, à Romanis primum ſubacti, Calpurnio Piſone & Aulò Gabinio Coſſ. Hæc Alſatiæ epocha qua initium ſumſerit ratione, ſupra (*a*) expoſitum eſt. Titus Labienus, qui exercitui, poſt Arioviſtinum prœlium in Sequanos hiemandi cauſa ducto, à Cæſare præpoſitus erat, anno ſequenti cum tribus Legionibus inde adverſus Belgas iterum evocatus eſt. (*b*)

A. U. C. Ær. Varron. 696. *Ante Ær. Dionyſ.* 58.

Alſatiam Inferiorem cum reliquis Belgis Julius Cæſar Romanorum quoque Imperio ſubjicit, P. Corn. Lentulo & Q. Cæcilio Metello Coſſ. Hoc quomodo factum ſit, CÆSAR diſtincte non tradit, qui de Belgis generatim obſervat, eos pro tuenda libertate ſua in Populum Rom. conjuraſſe (*c*) & inde pleroſque ſpontanea deditione, Nervios autem cruento prœlio, (*d*) ſub jugum eſſe receptos, nulla ſpeciali Mediomatricorum, qui inferiorem Alſatiæ partem inhabitaverunt, facta mentione. Mediomatricos ex numero dedititiorum fuiſſe, proximi in Sequanis exercitus magnitudo nobis perſuadet, à quo forte, Labieno duce, primi omnium Belgarum ſubacti fuerunt, antequam Cæſar, ex Gallia citeriore redux, aggreſſus eſt reliquos. Labienus enim, abſente Cæſare, quum in Sequanis verſaretur, Belgarum motus obſervavit attentus, eorumque Cæſarem literis certiorem fecit; ut adeo credibile ſit, Mediomatricos, etſi forſan quietos, ab ipſo facile Imperio Rom. fuiſſe ſubjectos. Extra dubium eſt, totum Belgium eo, quo diximus, anno ad Romanos tranſiiſſe. Barbari, trans Rhenum habitantes, legatos ad Cæſarem miſerunt, imperata ſe facturos polliciti. (*e*)

A. U. C. 697. *Ante Ær. Dionyſ.* 57.

§. III.

(*a*) Lib. I. pag. 102. ſqq. & Lib. II. pag. 123.
(*b*) CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. II. Cap. XI.
(*c*) Ibid. Cap. I.
(*d*) Cap. XXVIII.
(*e*) CÆSAR ibid. Cap. XXXV.

§. III.

A. U. C. 698. *Ante Ær. Dionyſ.* 56. Univerſa Gallia Romanam dominationem ſubit; qua de re quum Cicero (*f*) loquitur, domitas quidem à Cæſare maximas eſſe nationes ſcribit, ſed nondum legibus, nondum jure certo, ſatis firma pace devinctas. Hoc ergo etiam de Alſatia noſtra pronuntiandum.

A. U. C. 699. *Ante Ær. Dionyſ.* 55. Germanos, qui Gallicam Rheni ripam infeſtaverant, Cæſar aggreditur, ponte ſuper Rhenum, non in Germania ſuperiore noſtra, ſed in inferiore conſtructo. Cauſa tranſitus erat, ut Cæſar Germanos, tam facile in Galliam transeuntes, terreret, hique adeo rebus quoque ſuis timere diſcerent. (*g*) Nonniſi octodecim dierum hæc expeditio fuit.

A. U. C. 700. *Ante Ær. Dionyſ.* 54. Cæſar in Treviros, nec ad Concilia publica Gallorum venientes, nec Romanorum parentes imperio, cum Legionibus IV. & equitibus DCCC. proficiſcitur; ibique gravem de principatu in gente ſua contentionem, Indutiomari ſcilicet & Cingetorigis, ita componit, ut Cingetorigi, propter egregiam in Romanos fidem, poſthabito Indutiomaro, ſummam auctoritatem procuraverit. (*h*) Indutiomarus acriter indignatus, quum nulla à Germanis trans Rhenum auxilia impetrare potuiſſet, è finitimis Gallis copias paſſim coegit. Oppugnata inde caſtra Labieni, qui cum quarta Legione apud Rhemenſes in confinio Trevirorum hibernare juſſus fuerat; ſed fruſtraneo, imo infauſtiſſimo ſucceſſu oppugnata, quum Indutiomarus ipſe, ſuis mox in fugam converſis, miſere occiſus, ejusque caput in caſtra Labieni relatum fuerit. Poſt hæc quietiorem Cæſar Galliam habuit. (*i*)

A. U. C. 701. *Ante Ær. Dionyſ.* 53. Treviri, ab una licet Romanorum Legione modo fugati, novam tamen ſeditionem moliuntur, quam Labienus iterum compeſcit. Tum Cæſar ſecunda vice Rhenum ponte ſuperat, ut Germanos, qui contra ſe auxilia in Galliam miſerant, puniret, impediretque, ne Ambiorix hoſtis, ſalutem mox fuga quæſiturus, ad illos ſe reciperet. Suevos præcipue Cæſar in oculis habuit, potentiſſimam Germaniæ gentem, quæ vero de exercitus Romani adventu certior facta, ad extremos regionis ſuæ fines in ſilvas cum omnibus, quas coegerat, copiis, pro more receſſit. Cæſar inopiam frumenti veritus, reditum in Gallias, ubi Ambiorix adhuc debellandus erat, acceleravit, partemque ultimam pontis, quæ Ubiorum fines contingebat, abſcidit. (*k*)

§. IV.

A. U. C. 702. *Ante Ær. Dionyſ.* 52. Galli prope univerſi, Vercingetorige Arverno duce, à Romanis deficiunt. Ædui, Carnutibus juncti, à Cæſare, quem adorti erant, fugantur atque in civitate obſidentur Aleſia. Prœlium hoc Cæſarem inter Æduosque commiſſum fuit in Sequanis noſtris; Plutarchus (*l*) ita de eo: “Motis inde caſtris fines Lingonum ſuperavit Cæſar, quo „ ad Sequanos ſocios, ac Italia reliqua Gallia viciniores, perveniret. Ibi ingruentibus „ in eum hoſtibus, (Æduis) atque innumera eum cingentibus multitudine, geſtiens „ acie decernere, cæteris rebus vicit, temporisque diuturnitate & metu ſubactos fudit „ fugavitque Barbaros. „ His in motibus Galliæ fere univerſæ Sequani Romanorum ſocii fuerunt; Plutarcho ſi fides. Sed refragari videtur Florus, (*m*) ubi Vercingetorigem, rebellionis auctorem, omnes pariter Arvernos, Biturigas, Carnutes Sequanosque, contraxiſſe memorat. Conciliabis hæc, ſi tempora conjurationis diſtinguas. Sequani, Romanis ab initio addicti, rebus Cæſaris haud proſpere cedentibus, numeroque conjuratorum in dies creſcente, & ipſi à Cæſare deſeciſſe videntur. Cæsar ipſe commemorat, (*n*) per extremos ſe Lingonum fines iter in Sequanos feciſſe, quo facilius Narbonenſi Provinciæ ferret auxilium. Tum ſane Sequani adhuc fidem Romanis ſervaverant, nempe donec Aleſia (*o*) civitas obſidione cingeretur à Cæſare. Hac enim ſuſcepta, Senonibus, *Sequanis*, Biturigibus, Santonibus, Ruthenis, Carnutibus XII. millia; Ambianis vero, *Mediomatricis*, Petrocoriis, Nerviis, Morinis, Nitiobrigibus quina millia; *Rauracis* & Bojis XXX. millia hominum Vercingetorix imperavit. (*p*)

Sequani

(*f*) *Orat. de Provinciis Conſular.* Cap. VIII.
(*g*) Cæsar *de Bello Gall.* Lib. IV. Cap. XVI. ſqq.
(*h*) Idem Lib. V. Cap. II. ſqq.
(*i*) Ibid. Cap. LV. ſqq. Dio Lib. XL. pag. 125.
(*k*) Ibidem Cap. IX. X. & XXIX.
(*l*) *In Cajo Cæſare* pag. 720.
(*m*) *Hiſt. Rom.* Lib. III. Cap. X.
(*n*) *De Bello Gall.* Lib. VII. Cap. LXVI.
(*o*) Aleſia, Alexia in Mandubiis, urbs colli impoſita, cujus reliquiæ hodie *Aliſe.* Urbs ab LXXX. millibus defenſa.
(*p*) Cæsar Lib. VII. Cap. LXXV.

Sequani ergo, & præter hos Rauraci quoque ac Mediomatrici, Alſatiæ habitatores, copias, à Vercingetorige ipſis imperatas, in Cæſarem ſubminiſtravere, adeoque cum cæteris Gallis, pro libertate recuperanda, hoſtilia in Romanos arma converterunt. Res prœlio erat decidenda, quod ad Aleſiam, obſeſſam à Cæſare urbem, initum, funeſtiſſimam Gallis, pro aris & focis pugnantibus, cladem attulit. Audiamus de eo ipſum Cæsarem: (q) "Hoſtes (inquit) terga vertunt, fugientibus equites „ occurrunt; fit magna cædes: Sedulius Dux & princeps Lemovicum occiditur . . . . „ ſigna militaria LXXIV. ad Cæſarem referuntur: pauci ex tanto numero ſe incolumes „ in caſtra recipiunt: conſpicati ex oppido cædem & fugam ſuorum, deſperata ſalute, „ copias à munitionibus reducunt: fit protinus, hac re audita, ex caſtris Gallorum fuga. „ Quod niſi crebris ſubſidiis, ac totius diei labore milites fuiſſent defeſſi, omnes hoſtium „ copiæ deleri potuiſſent. De media nocte miſſus equitatus noviſſimum agmen conſe- „ quitur: magnus numerus capitur atque interficitur: reliqui ex fuga in civitates „ diſcedunt . . . . Vercingetorix deditur, arma projiciuntur: reſervatis Æduis „ atque Arvernis, ſi per eos civitates recuperare poſſet; ex reliquis captivis toto exercitu „ capita ſingula, prædæ nomine, diſtribuit. &c. „ Quæ Mediomatrici ſpeciatim ac Rauraci tunc fata experti ſint, Cæſare ignoramus ſilente. De Sequanis autem hoc novimus, quod poſt prœlium Titus Labienus, juſſu Cæſaris, duas Legiones & equitatum in eos duxerit, aſſumpto quoque M. Sempronio Rutilo, ut hiberna ibi ſua conſtituerent. (r) His Sequani copiis, in Romanorum fide, quam fregerant, firmati ſunt. Forte eædem Legiones Rauracos quoque & Mediomatricos vicinos in obſequio retinuerunt.

Harum tamen Legionum altera, durantibus adhuc hibernis, à Cæſare in Bellovacos abducta eſt, qui irruptionem in Sueſſiones, Rhemis attributos, paraverant. Cæſar enim non tantum ad dignitatem, ſed etiam ſalutem ſuam, pertinere credidit, nullam ſocios, optime de Rep. meritos, quales Sueſſiones erant, accipere calamitatem. (s) Altera vero Legio, quæ cum T. Labieno in Sequanis manſerat, quæque duodecima, poſt bellum Bellovacenſe finitum, reſtituta ubique per Galliam Comatam quiete, in Togatam Galliam mittitur, ut colonias Civium Romanorum ibidem contra latrones tueretur.

A. U. C. 703. *Ante Ær. Dionyſ.* 51.

§. V.

Belli civilis Cæſarem inter atque Pompejum initium, in hæc tempora incidens, duplicem ob cauſam in Alſaticis rebus memorandum. Præterquam enim quod plures veterum oræ noſtræ incolarum in illo civili bello perierunt, Germanica quædam natio, Rheno vicina, tranſito flumine à Mediomatricis recepta eſt. Cæſar quum, Gallia derelicta, Cn. Pompejum & aſſeclas ejus armis proſequeretur, numeroſum exercitum, copiarum auxiliarium nomine, per omnes Galliarum Provincias collectum, ſibi curavit adduci. Corfinium, Pelignorum olim (in Regno hodie Neapoleos) urbem primariam, obſidens Cæſar, viginti duas, eo ipſo teſtante, (t) ex novis Galliæ delectibus, cohortes cum Legione octava accepit. Cohortibus hiſce, & quæ poſtea è Gallia conductæ ſunt, Alſatas quoque interfuiſſe, plura nobis perſuadent. Cæſar quidem nonniſi generatim de Gallis loquitur; at Lucanus, (u) belli Pharſalici Scriptor Poëta, ſingulos, qui Cæſari auxilium miſerunt, Galliarum populos nominatim recenſet; quos inter Sequani, Belgæ, Vangiones, Batavi, Trevirique occurrunt:

A. U. C. 705. *Ante Ær. Dionyſ.* 49.

" . . . . Tunc rura Nemoſſi (x)
„ Qui tenet, & ripas Aturi . . .
„ Signa movet . . . .
„ Optima *gens* flexis in gyrum *Sequana* frenis,
„ Et docilis rector roſtrati Belga covini.
„ Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis
„ *Vangiones*, Batavique truces, quos ære recurvo
„ Stridentes acuere tubæ . . .
„ Tu quoque lætatus converti prœlia Trevir.

 Fortiſſimus

(q) Ibid. Cap. LXXXVIII. ſqq.
(r) Cæsar *de Bello Gall.* Lib. VII. Cap. XC.
(s) Hirtius Pansa Lib. VIII. *de Bello Gall.* Cap. VI.
(t) Cæsar *de Bello Civ.* Lib. I. Cap. XVIII.
(u) *Pharſalia* Lib. I. v. 419. ſq.
(x) Priores Lucani editiones loco Nemoſſi habent *Nemetis.* Nemetes poſtea partem Inferioris Alſatiæ tenuerunt. Quænam lectio genuina ſit, nolo diſquirere; id tantum annoto, quod inſufficiens pro eliminando *Nemetis* allegetur ratio, cum dicatur, non fieri potuiſſe, ut Lucanus ab Aquitanis, quos memoraverat, ad ripam Rheni tranſiret. Poeta enim nulli rerum ordini adſtrictus, ut vel & ex hujus loci inſpectione apparet. Imo & proleptice Vangiones Lucanus heic poſuit.

Fortiſſimus quisque ergo populorum Rhenenſium Cæſarem in Italiam ſecutus eſt. Florus, (*y*) ubi pugnam Pharſalicam deſcribit, Germanorum quoque facit mentionem, quorum præſertim ope victoriam in Pompejanos Cæſar reportaverit. Loquitur Florus ex more ſui temporis; quo ſub Germanorum nomine ii plerumque deſignabantur, qui cis Rhenum Germanias, ab Auguſto inſtitutas, inhabitarunt. Atqui Alſatia Inferior partem Germaniæ Superioris conſtituit; adeoque dubitari nequit, ex incolis quoque ejus Cæſaris exercitui interfuiſſe milites. Florum vero Germanos Cis-Rhenanos intelligere, inde apparet, quod initio ejusdem Capitis dixerat, Cæſarem Gallicos Germanicosque delectus feciſſe; qui delectus ultra Rhenum inſtitui non poterant, Germania Magna quum adhuc ſui juris eſſet, atque Romanis infeſta. Illi ipſi ergo quibus tam intolerabile viſum eſt jugum Romanum, qoique illud ſæpius, & haud diu ante excutere tentaverant, parentibus jam, amicis, patriæ valedicunt, & Domitoris ſui explendæ ambitionis cauſa vitæ diſcrimen adeunt. Multo magis vero fiduciam Cæſaris in feros & pertinaces Gallorum animos miraberis, ſi audias, eum, quæcunque fere ad Rhenum & in Vogeſo Romana erant præſidia, ſecum adduxiſſe in Italiam. Ita enim Lucanus: (z)

„ Deſeruere cavo tentoria fixa Lemanno,
„ Caſtraque, quæ Vogeſi curvam ſuper ardua rupem
„ Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

Item alio in loco: (*a*)

„ Et vos crinigeros bellis arcere Caycos (*b*)
„ Oppoſiti, petitis Romam, Rhenique feroces
„ Deſeritis ripas, & apertum gentibus orbem.

Nudatus itaque & Vogeſus & limes Rhenenſis à Cæſare fuit; aperta Germanis Gallia, Gallis ſeditionum via aperta: niſi Cæſarem, ne novi quid pro libertate recuperanda Galli molirentur, eo ipſo proſpexiſſe dixeris, quod præcipuos eorum, ſub ſpecie auxiliarium, revera autem obſidum loco, ſecum abduxerit. (*c*) Id certum eſt, fortitudini Gallorum, Rhenenſium præſertim, Cæſarem debuiſſe plurimum. „ Nam quum „ diu æquo Marte, inquit Florus, (*d*) contenderent, (Cæſar nempe atque Pompejus in „ Campis Pharſalicis) juſſuque Pompeji fuſus à cornu erupiſſet equitatus; repente „ hinc ſigno dato, Germanorum cohortes tantum in effuſos equites fecere impetum, „ ut illi eſſe pedites, hi venire in equis viderentur. Hanc ſtragem fugientis equitatus, „ levis armaturæ ruina comitata eſt Tunc terrore latius dato, turbantibus invicem „ copiis, reliqua ſtrages quaſi una manu facta eſt. „ Lumen hæc conjecturæ illi accendunt, quam ſupra (*e*) circa tranſitus Tribocorum in Alſatiam tempus protulimus. Alſatia Mediomatricenſis, ſive Inferior, flore juventutis exhauſta, nullisque ad Rhenum, nec in Vogeſo, præſidiis Romanorum munita, Germanis, Gallicæ Rheni ripæ à longo jam tempore inhiantibus, aperuit aditum. Tranſitus Tribocorum annum nolim determinare: intra quadriennium res forte evenit, quo bellum civile Cæſarem inter atque Pompejum exarſit.

§. VI.

A. U. C. 711. *Ante Ær. Dionyſ.* 43.

Decimus Brutus, Julii Cæſaris interfectorum ſocius, & Galliæ citerioris Rector, hoc anno à Sequanis captus atque occiſus ab Orosio (*f*) traditur; quod ego nullus crediderim, quum alia plane à Scriptoribus, Oroſio fide potioribus, Vellejo (*g*) nempe & Appiano Alexandrino, (*h*) narrentur. Ille D. Brutum, ab exercitu ſuo derelictum & fugientem, in domo hoſpitis cujusdam, nobilis viri, nomine Cameli, ab iis, quos miſerat Antonius, jugulatum eſſe ſcribit. Hic, fuſiſſime omnium rem iſtam enarrans, à Vellejo quidem nonnihil differt, imo Rhenum fluvium, & Camillum quendam, Gallorum Dynaſtam, apud quem Decimus capite truncatus ſit, memorat; ſed manifeſto tamen cædem hanc in Italia ponit. Bononienſis enim Rhenus ibi intelligendus eſt, qui è regione Fori Allieni Pado miſcetur, quod ex Appiano fit evidens, quando Brutum, Rheno trajecto, Aquilejam petiiſſe ait. Inde captus à latronibus & vinctus; cognito autem, quod ea regio Camilli illius, Gallorum Dynaſtæ, eſſet, de quo

(*y*) Lib. IV. Cap. II. 48.

(*z*) Lib. I. *Pharſal.* vers. 396.

(*a*) Ibidem vers 463.

(*b*) Chauci, Germanicus ad Rhenum Inferiorem populus, ad quem à fluminis hujus cohibendum tranſitu poſita erant præſidia

(*c*) Bucherius *in Belgio Rom.* Lib. I. Cap. VI. pag. 15.

(*d*) Florus Lib. IV. Cap. II.

(*e*) Lib. II. Sect. I. Cap. II. pag. 136. §. XXIV

(*f*) Cap. XVIII.

(*g*) Lib. II. Cap. LXIV.

(*h*) *De Bellis Civilib.* Lib. III. pag. 587.

quo bene meritus fuerat, duci ad eum ſe juſſit. Camillus hoc quum ſignificaſſet Antonio, in mandatis accepit, ut interfecti caput ad ſe mitteret. Hic fuit finis, inquit Appianus, Decimi, qui Cæſaris Magiſter Equitum fuerat, & illo vivo veteri Galliæ, id eſt Narbonenſi, præfuerat, deſignatus ab eo Conſul in annum proximum, ſimul Rector alterius, Togatæ nimirum, Galliæ. Camelus Velleji Paterculi Camillus Appiani eſt. In Livii *Epitome* (*i*) D. Brutus à Capeno Sequano dicitur interemtus, unde Oroſii error prognatus eſſe videtur.

Marcus Agrippa, Galliarum Cæſaris Octaviani nomine Præſes, Gallos, neſcio ob quam cauſam rebellantes, ad obſequium reducens, honore triumphi ab Auguſto afficitur. (*k*) Cur vero idem hujus belli occaſione ſecundus poſt Cæſarem Rhenum tranſierit, nec Dio, nec alius quidam, præter Strabonem, Scriptor indicat. Secundum Strabonem (*l*) vero Agrippa Rhenum ideo transgreſſus eſt, ut Ubios, Romanorum amicos, ex Germania in Gallicum ſolum deduceret, eisque non invitis novas ibidem ſedes aſſignaret; quo hi à vexationibus Suevorum, quibus potentia longe inferiores erant, liberarentur. Tacitus (*m*) huic ſententiæ haud parum favet, quando Agrippam Ubiorum gentem, Rhenum transgreſſam, in Romanorum fidem accepiſſe tradit. Ubii itaque tum fecerunt, quod paulo ante Triboci noſtri, ex Germania patria tranſeuntes in Galliam, ut dextram Rheni ripam cum ſiniſtra commutarent. Romanis conſentientibus id fecerant Ubii, quod ego de Tribocis non dixerim.

A. U. C. 717. *Ante Ær. Dionyſ.* 37.

§. VII.

Auguſtus Romæ, ex bello Actiaco, quo Antonium & Cleopatram oppreſſit, redux, triplicem de hoſtibus paſſim devictis triumphum agit. Prima die præter Pannonios de nonnullis etiam Galliæ Germaniæque populis triumphatum, quos Caj. Carinas, Belgicæ Præſes, profligaverat. (*n*) Suevi nimirum Gallicas iterum provincias invaſerant, illisque juncti ſunt Treviri, uti ex Dione (*o*) conjicimus; qui Treviros à Nonio Gallo facile oppreſſos & ad obſequium reductos ſcribit. Morinos autem, validam ſeptentrionalis Belgicæ gentem, pariter rebellem, Carinas una cum Suevis compeſcuit. Carinæ quidem debebatur triumphus, ſed illum ſibi vindicavit Auguſtus.

A. U. C. 725. *Ante Ær. Dionyſ.* 29.

Gallia omnis Auguſto Cæſari regenda traditur, ea nempe Provinciarum diſtributione, qua aliæ Senatus Populique, aliæ Imperatoris curæ aſſignatæ fuerunt. Dio (*p*) hac de re quum loquitur, & Narbonenſem, & Lugdunenſem, Aquitaniam & Celticam Gallias, cum populis earum colonis, Cæſari ſcriptas eſſe teſtatur. "Nam Celtæ „ quidam, (inquit) quos Germanos vocamus, quum omnem Celticam regionem, „ quæ ad Rhenum eſt, occupaſſent, effecerunt, ut ea *Germania* vocaretur: Superior, „ quæ Rheni fontibus propior eſt: Inferior, quæ ab hac usque ad Oceanum Britannicum „ ſeſe extendit. „ Per colonos Celtarum Dio Gallicæ oræ Rhenenſis, hoc eſt, Superioris & Inferioris Germaniæ, habitatores intelligit; licet tum temporis, quo diviſio Provinciarum hæc facta eſt, Germaniæ iſtæ ab Auguſto nondum inſtitutæ, aut *Germaniarum* nomine appellatæ fuerint. Lugdunenſis Gallia & omnis cis Rhenum Germania Cæſareanis quum accenſerentur Provinciis, utraque noſtra Alſatia, Superior quidem ſub Lugdunenſi, Inferior ſub Germania Superiore, comprehenſa, iisdem attributa fuit. In hac diviſione Auguſtum regiones, Rheno noſtro contiguas, potiſſimum in oculis habuiſſe, evidens eſt; quod frequentibus hoſtium irruptionibus expoſitæ, absque validis exercituum præſidiis defendi, ac ſub Imperii poteſtate non potuerant retineri. Auguſtus, gloriæ atque potentiæ magis, quam vitæ otioſæ, cupidus, provincias has prudenti conſilio pacatioribus prætulit, ut honeſta ſub ſpecie arma militemque ad ſe ſolum traheret: Senatum Populumque relicturus inermem. (*q*) Paulo poſt oræ Rhenenſis, ad Belgicam relatæ, diviſionem novam inſtituit. Eam enim quum appellaviſſet Germaniam, in Superiorem & Inferiorem ſubdiviſit eandem; (*r*) ut non Gallis tantum, à Julio Cæſare devictis, ſed & ferociſſimis Germaniæ populis, quos ille modo terruit, imperare crederetur. Nec inſtitutum ipſum fundamento caruerat: regiones enim illæ, quas Germanias vocavit, maximam

A. U. C. 726. *Ante Ær. Dionyſ.* 28.

partem

(*i*) Lib. CXX.

(*k*) Dio Ljb. XLIV. pag. 389.

(*l*) *Geograph.* Lib. IV. pag. 295. ubi: Πέραν (τοῦ Ῥήνου) ᾤκουν Οὔβιοι, κατὰ τοῦτον τὸν τόπον, οὓς μετήγαγεν Ἀγρίππας ἑκόντας εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου.

(*m*) *Annal.* Lib. XII. Cap. XXVII.

(*n*) Dio Lib. LI. pag. 459.

(*o*) Ibid. pag. 457.

(*p*) Lib. LIII. pag. 503. conf. ſupra pag. 270.

(*q*) Dio loco cit.

(*r*) Vide ſupra pag. 139. ſq.

partem incolas tum habuerunt Germanos. Ita Alſatia Inferior Germaniæ Superiori jam adſcripta eſt, quæ Julii Cæſaris temporibus Tribocos habitatores acceperat; Mediomatricis (s) vel inde expulſis, vel nomine ſaltem eorum in Alſatia paulatim exſtincto. Gallici autem populi, quum Superiorem Alſatiam conſtanter tenerent, hæc quoque ad Galliam Celticam, vel Lugdunenſem, ſemper fuit relata. Idem enim Auguſtus, nomine Celtarum abolito, partem illam Galliæ, à capite ejus Lugduno, appellari voluit Lugdunenſem. Quantæ curæ autem Auguſto fuerint Germaniæ cis Rhenum, numeroſus ille octo Legionum exercitus, in ſtationibus ibi poſitus, ſatis oſtendit. Ex his in ſuperiore noſtra Germania quatuor Legiones, reliquæ quatuor in Inferiore, ſub Auguſto, & ad exemplum ejus, ſub pluribus poſtea Imperatoribus, ſua ſtativa habuerunt.

§. VIII.

A. U. C. 733. *Ante Ær. Dionyſ.* 21.

M. Agrippa Galliis, ſpeciatim Lugdunenſi, adeoque Alſatiæ Superiori, præficitur, quod illo tempore non tantum motus inter Gallos ipſos exorti; ſed etiam Germani hoſtili irruptione infeſtati ſunt Galliam. (t) Germani hi iidem fuiſſe videntur, contra quos Auguſtus ipſe mox Roma profectus eſt, Sicambri nimirum, Uſipetes & Tencteri, de quibus Dio (u) teſtatur, eos, actis quibusdam in ſuo Territorio Romanorum in crucem, Rheno transmiſſo, ex Germania Galliaque prædas egiſſe. Inferiorem hic maxime Germaniam intelligi docet res ipſa. Tumultus hos & irruptiones brevi repulit Agrippa, anno ſequenti in Hiſpaniam profecturus.

A. U. C. 738. *Ante Ær. Dionyſ.* 16.

Auguſtus iter in Galliam & ad Rhenum ſuſcipit, Germanorum armis provocatus, qui in Gallia, direptionibus eorum ſemper expoſita, Lollium, Germaniæ Præfectum, deviceraut. Sicambri, Uſipetes & Tencteri, cladis auctores, non redituri in patriam, antequam Auguſti magno cum exercitu adventum acceperant. Tum demum octo Legionibus Cæſar Rhenum inſtruxit. Galliarum Procurator Licinnius fuit, quem ob immodicam avaritiam graviſſime accuſaverant Galli. Verba Dionis, (w) hac de re ſunt: "Licinnius alio uſus artificio, Gallos ludificatus eſt. Cum enim Auguſtum „ videret ſibi infenſum, pœnasque ſe daturum intelligeret, in ædes ſuas eum adduxit, „ multisque argenti & auri theſauris, multis acervis demonſtratis: hæc, inquit, Domine „ data opera tibi ac Romanis collegi, ne Galli tanta vi pecuniæ inſtructi deficerent. „ Itaque omnia & conſervavi tibi, & nunc do. Ita Licinnius, quaſi vires Gallorum „ in Auguſti gratiam enervaſſet, diſcrimen evaſit.

A. U. C. 740. *Ante Ær. Dionyſ.* 14.

Rauricum oppidum, Rauracorum Caput, à Rauricis ipſis Julii Cæſaris tempore excuſtum, poſt reditum reſtauratum, Auguſtus Imp. per Munatium Plancum civium Romanorum Colonia auxit, quæ Rhenum Superiorem, & Galliam Lugdunenſem præſertim, contra Germanos cuſtodiret, Rhætosque frenaret. (x) Gallicas res quum ordinaſſet Auguſtus, Gallis Germanisque nonnullis libertatem ac jus Civitatis conceſſit, nonnullis ademit, referente Dione. (y) Alſatas tum quosdam in partem hujus juris veniſſe, vix licet dubitare; quibus vero illorum Auguſtus illud dederit, nullo ex indicio poſſumus colligere. Rhenenſibus certe noſtris Civitatis jus tunc adimi non potuit, quod illud nondum poſſederant, niſi à Julio Dictatore, propter ſtrenuam in bello civili navatam operam, nobilioribus eorum hujusmodi aliquid fuerit conceſſum. Quæcunque autem jura Auguſtus oræ noſtræ contulerit, ea Superiorem ſive Sequanicam Alſatiam potius reſpicere debuerunt, quam Tribocenſem; quod novis his ex Germania advenis, de quorum fide Auguſtus nondum ſatis certus erat, nova jura & privilegia cum veteribus Gallis communia dare, non videbatur conſultum. Poſt diſceſſum Auguſti ex Gallia Druſus ibidem relictus eſt, ut limitis præcipue Rhenenſis, ab hoſtium Germanorum irruptionibus defendendi, curam ſuſciperet.

§. IX.

A. U. C. 742. *Ante Ær. Dionyſ.* 12.

Sexaginta Galliæ populi Lugduni, quæ Lugdunenſis Galliæ, adeoque & Alſatiæ Superioris, Metropolis erat, ad Rhodani Ararisque confluentes Auguſto Cæſari erigunt Aram, cui nomina & imagines eorum inſcriptæ fuerunt. (z) Ad Aram hanc poſtea annua celebrata ſunt Sacra Auguſti; id quod ſuis adhuc temporibus, hoc eſt, medio

ſeculi

(s) Annotavi ſupra in Periodo Celtica ad §. XXI. pag. 44. Not. (l) nomen *Mediomatrici* frequentius eſſe altero *Mediomatrices*. Marmora vetera quidem *Cive Mediomatrico*, item *Cives Mediomatrica*, pro *Civis Mediomatrica*. Vide Apianum pag. 461. & 472. ſed apud Gruterum quoque pag. 631. num. 8. *Cives Mediomatrices* occurrunt, quacum forma convenit Ptolemæus.

(t) Dio Lib. LIV. pag. 528. Ed. Wech.

(u) Ibidem pag. 535.

(w) Ibidem pag. 536.

(x) Vide ſupra pag. 156.

(y) Lib. LIV. pag. 558. Confer ſupra pag. 289.

(z) Strabo *Geograph.* Lib. IV. pag. 292.

ſeculi III. factum eſſe, ipſe Dio (*a*) teſtatur. Inter res memoratu dignas Suetonius (*b*) annotat, quod ipſo die, quo Ara Auguſto dedicata eſt. Claudius Imp. Lugduni ſit natus. Addit in *Epitome* Livius, (*c*) Aram hanc dedicatam eſſe à Sacerdote Æduo, quem C. Julium Vercundaridubium appellat. Poſt hæc tumultus apud Gallos ob cenſum exortus, quem Druſus, primoribus Galliæ, ſub ſpecie Sacrorum Auguſti, ad Aram Lugdunenſem convocatis, compoſuit. (*d*) Gallis longe tenaciores priſtinæ libertatis erant cis Rhenum Germani, qui jam à Druſo una cum Trans-Rhenanis civitatibus, quibuscum arma forte conjunxerant, oppugnati ſcribuntur.

A. U. C. 744. *Ante Ær. Dionyſ.* 10.

Poſt Cattos, quibus Sicambri vicini ſeſe adjunxerant, (*e*) à Druſo iterum ſubactos, Auguſtus Romam, unde in Galliam nuper venerat, una cum Druſo atque Tiberio rediit. Iter hoc Gallicum Auguſtus eam præcipue ob cauſam ſuſcepit, ut bello Germanico, quod Druſus gerebat, propius ſpectator adeſſet, caſui, ſi quis adverſus accideret, allaturus remedium. In Lugdunenſi Gallia eum plerumque verſatum tunc fuiſſe, Dio teſtatur. Druſus, utriusque Germaniæ & Galliæ Lugdunenſis tum Præſes, quum noſtris his exceſſiſſet Provinciis, ut Romæ Germanorum ſeſe victorem oſtenderet, alios ſine dubio Rectores iſtarum & exercituum Duces conſtituit, qui ipſius nomine & jus dicerent, & hoſtes quoscunque debellarent, vel aggrederentur ſeditioſos. Nihil vero tam curæ Auguſto fuiſſe videtur, quam Barbarorum trans Rhenum oppreſſio: non tam ut Imperii ſui limites extenderet, quam ut Galliarum poſſeſſionem quietam redderet atque perpetuam. Druſus itaque anno ſequenti, cum T. Quintio Criſpino Conſul factus, eodem reverſus eſt, multaque in utroque Rheni litore ſingularis prudentiæ ac fortitudinis ſpecimina edidit.

§. X.

A. U. C. 745. *Ante Ær. Dionyſ.* 9.

Quo melius autem Druſus frequentes Germanorum in Galliam irruptiones prohiberet, per omnem Rheni ripam L. caſtella in Gallico ſolo exſtruxit; per Moſam quoque fluvium præſidiis hinc inde militaribus poſitis. Sed & flumini eidem pontes, claſſibus firmatos, impoſuit, Hercyniamque ſilvam, Romanis inacceſſam hactenus, imo ne viſam quidem, perviam reddidit. (*f*) Tam eximiis operibus Druſus intentus, trigeſimo ætatis anno, trigeſimoque poſt fatalem ex equo lapſum die, morte præventus eſt in ipſa, cui jugum minabatur, Germania. Quantum Auguſtus & Roma omnis Druſi jacturam doluerint, à Scriptoribus traditur paſſim; unde & ei præter alios plures honores cognomen *Germanici* datum, idemque ad filios ejus translatum eſt. Gallos Rhenenſes tam manſueti Præſidis obitum deploraſſe, vel ex eo apparet, quod Moguntiaci honorarius ei tumulus erectus, & ſtato quotannis die à civitatibus Galliarum, circa illum publice ſupplicatum. (*g*) Sub hoc Druſi ad Rhenum imperio Maroboduus Marcomannos ſuos à dextra Rheni ripa, ſpeciatim ex hodierna Suevia Cis-Danubiana, in Bojohemum abduxit: ejectis è Bojohemo veteribus incolis, qui fuerant origine Galli. Cauſam migrationis indicat Vellejus, (*h*) his verbis: "Maroboduus, vim regiam „ complexus animo, ſtatuit, avocata procul à Romanis gente ſua, eo progredi, ubi „ quum propter potentiora arma refugiſſet, ſua faceret potentiſſima. „ Vicina itaque Romanorum arma Maroboduus exhorruit, qui, victis Rhætis ac Noricis, (*i*) populorum omnium ad Rhenum atque Danubium usque domini, regiones Marcomannorum circumdederant undique, quas ſuam quoque ſub poteſtatem mox redacturi videbantur. In regiones, Marcomannis relictas, ad quas Agri quoque Decumates, uti poſtea dicti ſunt, pertinuerunt, ex Gallia vicina, adeoque & ex Alſatia, transiere quam plures, ibique ſedes ſuas fixerunt. (*k*)

(*a*) Lib. LIV. pag. 544. Edit. Wechel.

(*b*) *In Claudio* Cap. II.

(*c*) *Epitomes* Lib. CXXXVII.

(*d*) Livius loco cit. & Dio Lib. LIV. pag. 543. ſq.

(*e*) Dio Lib. LIV. pag. 546. Franci quando ex pluribus Germaniæ ad Rhenum Inferiorem populis, fœdere mutuæ defenſionis cauſa inter ſe unitis, poſtea conflati, eorumque populorum præcipui fuerunt Catti atque Sicambri, prima hujus fœderis incunabula heic forte quærenda ſunt.

(*f*) Florus Lib. IV. Cap. XII. Conf. Cluverius in *German. Antiq.* Lib. II. Cap. XIII. & Bucherius in *Belg. Romano* Lib. I. Cap. XVII. pag. 43. ſq.

(*g*) Suetonius in *Claud.* Cap. I. Dio Lib. LV. pag. 549. Livii *Epit.* Lib. CXL. Eutropius Lib. VII. Cap. VIII.

(*h*) *Hiſt. Rom.* Lib. II. Cap. CVIII.

(*i*) Vid. Spenери *Notit. Germaniæ Antiq.* pag. 167. Rhæti ac Norici à Druſo atque Tiberio domiti ſunt circa An. Urb. Cond. DCCXXXIX. M. Livio Druſo & L. Calpurnio Piſone Coſſ. Dio Lib. LIV. pag. 536. Vellejus Lib. II. Cap. XXXIX.

(*k*) Tacitus *de Moribus Germanorum* Cap. XXIX.

A. U. C. 746. *Ante Ær. Dionyſ.* 8. Suevi atque Sicambri quum à Tiberio, Druſi fratris ad Rhenum ſucceſſore, ſub Auguſti auſpiciis eſſent devicti, quatuor eorum millia, quos ille captivos fecerat, in proximis cis Rhenum agris, ſolo patrio avulſi, collocantur, uti SUETONIUS (*l*) tradunt atque EUTROPIUS. (*m*) Longe majorem vero Germanorum ſub Auguſti imperio numerum in Gallicam Rheni ripam fuiſſe translatum, ut novas ibi perpetuasque ſedes haberent, ex SUETONIO (*n*) pariter liquet; qui à ſolo Tiberio, quamdiu Germanico bello præeſſet, quadraginta millia eorum in Galliam transducta memorat. Auguſtus hoc ideo feciſſe videtur, ut duæ cis Rhenum provinciæ, quas nuper *Germanias* appellari voluit, frequentibus his Germanorum in eas translationibus vere tandem redderentur Germanicæ, in ſolo licet Gallico poſitæ.

A. U. C. 759. Æræ Chriſt. An. 6. Hoc anno præter Tiberium alium quoque Germaniæ, vel Superioris, vel Inferioris, Præſidem reperimus, C. Sentium nempe; de quo annotat DIO, (*o*) illi honores triumphales fuiſſe decretos, quod ejus metu Germani Trans-Rhenani pacem accepiſſent. Ita Galli Rhenenſes, inferiores præſertim, ſub Auguſto nunquam fere quieti, & à barbaræ gentis irruptionibus parum ſecuri fuerunt. Neque enim pacem initam diu ſervare ſoliti erant. Tempore hoc Rhenus Superior Inferiore multum tranquillior erat, quod Marcomanni, inter accolas ejus præcipui, mutatis nuper ſedibus, in Bojohemum receſſerant.

§. XI.

An. Chr. 9. Quintilius Varus, Exercitus Germaniæ Inferioris, fortaſſis & Superioris, (*p*) Præſes, magnam ſeu Trans-Rhenanam ingreſſus Germaniam, cum tribus ibi Legionibus, totidemque alis & ſex cohortibus, quas à Rheno ſecum abduxerat, itemque auxiliis omnibus, perit: ita ut nec nuntius cladis relinqueretur. Factum hinc, ut omnis trans Rhenum Germania libertatem ſuam recuperaret. (*q*) Ex octo Legionibus ergo, quæ ſub Auguſto ad Rhenum excubare ſolebant, in clade Variana tres perierunt. Arminius nimirum, liberator Germaniæ, Romanos ejecturus Germania, Varum è caſtris ſuis, Rheno propinquis, in interiora Viſurgim verſus pellexerat, ne illi ſpes ſupereſſet auxilii. (*r*) Auguſtus, clade hac Romæ audita, timuit, ne Galli ad Germanorum exemplum contra Romanos inſurgerent, ſeque eorum ſubtraherent imperio. Annotat DIO, (*s*) Gallos atque Germanos complures, qui Romæ tum vel peregrinandi cauſa, vel inter Prætorianos milites verſabantur, ne quid novi molirentur, urbe fuiſſe dimiſſos. Tiberius, collecta celeriter ex emeritis & libertis multitudine, juſſu Auguſti in Germanias profectus eſt; ibique militari ſuſcepto imperio, in id incubuit, ut Gallos ad tranquillitatem reduceret & in Romanæ dominationis firmaret obſequio. (*t*)

An. Chr. 14. Germanicus, Druſi filius & Tiberii ex fratre nepos, paulo ante Auguſti obitum ad Germanicum mittitur exercitum, ut Lugdunenſem, Germanicas & Belgicæ, gubernaret Provincias. Mox ſeditio apud duarum Germaniarum exercitus, quibus ille præerat, exoritur. Cauſa ſeditionis erat, quod Legiones, exceſſu Auguſti nunciato, Tiberium Imperatorem agnoſcere recuſarent, ſuamque conditionem in meliora mutatam eſſe vellent; id quod à Tiberio ſperare vix poterant, niſi vim & arma oſtenderent. Germanico quum ſumma Reipublicæ ab illis deferretur, eam tam conſtanter recuſavit, ut quanto ſummæ ſpei propior, tanto impenſius pro Tiberio niteretur. Erat tum Galliarum cenſui intentus; ſimulque proximos Rheno Sequanos, id eſt, Alſatas ſuperiores, & Belgarum civitates in Tiberii verba adegit Germanicus. Cajum Silium & Aulum Cæcinam, Legatos ſub ſe habuerat; quorum ille Germaniæ Superioris, hic vero Inferioris exercitum curabat. Superior exercitus, adeoque & Inferior Alſatia, ſub Silio tranquillior erat, eventum ſeditionis, quæ apud Inferiorem in flammas eruperat, expectaturus. Conſtabat ſuperior hic exercitus quatuor Legionibus, Secunda nimirum, Decima tertia, Decima quarta, & Decima ſexta; quæ mox à Germanico ipſo, ſedatis militum

(*l*) In *Auguſto* Cap. XXI.

(*m*) Lib. VII. Cap. V.

(*n*) In *Tiberio* Cap. IX.

(*o*) Lib. LV. pag. 567. ſq. Edit. Wech. & pag. 650. ed. Steph.

(*p*) Obſcuriora ſunt, quæ Hiſtorici de Vari apud Germanos præſidio habent; unde illum nos ſupra pag. 284. inter incertos Germaniæ Superioris, adeoque & Alſatiæ Inferioris, Præſides retulimus. De Inferiore autem Germania, quin Varus eam rexerit, non dubitamus, quod ex VELLEJI Lib. II. Cap. CXVII. evinci poteſt, eum cum tribus Legionibus, quæ poſtea perierunt, ex hac Provincia in Magnam tranſiiſſe Germaniam.

(*q*) FLORUS *Hiſt. Rom.* Lib. IV. Cap. XII. VELLEJUS Lib. II. Cap. CXIX. SUETONIUS in *Auguſto* Cap. XXIII.

(*r*) DIO Lib. LVI. pag. 582. ed. Wech.

(*s*) Ibid. pag. 585.

(*t*) VELLEJUS Lib. cit. Cap. CXX. conf. BUCHERIUS *Belg. Rom.* Lib. III. Cap. I. & II.

ANNALES.

militum Inferioris Germaniæ nonnihil animis, ſacramento novo firmatæ ſunt Cæſari. Quarta-Decumani tamen ab initio paulum dubitaverant, donec pecunia ipſis offerretur, miſſionemque acciperent, qui ulterius ſtipendia mereri nollent; etſi nullus eorum miſſionem pecuniamque flagitaverat. (*u*) Suevi à Mari Suevico, (*x*) hodie Balthico, verſus Rhætiam, ſive Danubium appropinquare iocipiunt, à quibus Alemannia inſequentibus ſeculis Sueviæ nomen accepit. Tempus hujus migrationis Suevorum Tacitus (*y*) oſtendit, ubi propter ſeditiones, poſt mortem Auguſti ad Rhenum inter Legiones exortas, Veteranos à Germanico ſpecie defendendæ provinciæ, ob imminentes Suevos, miſſos in Rhætiam annotat.

§. XII.

Rebus ergo cis Rhenum compoſitis, Germanicus bellum, per breve tempus interruptum, repentino in Cattos excurſu recepit, quod Arminium & Segeſtem apud Germanos inter ſe diſſidere acceperat. Hac occaſione quatuor Superioris Germaniæ Legiones, cum decem ſociorum millibus, ductæ trans Rhenum: ipſo quidem Germanico duce, qui reliquas Inferioris Germaniæ Legiones & quinque auxiliarium millia, ut & tumultuarias Germanorum, cis Rhenum coleotium, catervas, Aulo Cæcinæ ducendas tradidit. (*z*) Hac expeditione Germanicus magnam ſibi gloriam contraxit. Non modo enim Varianæ cladis reliquias ſepulturæ commiſit, (*a*) ſed & inſignem de Arminio reportavit victoriam; (*b*) non ſine magno tamen Secundæ & Quartæ decimæ Superioris Germaniæ Legionum diſcrimine, quæ ſub P. Vitellii ductu in Galliam redeuntes, aqua fere ſubmerſæ fuerunt. An. Chr. 15.

Germanicus, poſtquam totum quadriennium in Gallia, Rhenenſi maxime, transegerat, à Tiberio domum revocatur, ut triumphum ageret, mox in Orientem abiturus, ubi Antiochiæ anno ſequenti diem obiit ſupremum. An. Chr. 17.

Sequanorum Pagi magna clade afficiuntur, dum C. Silius, Superioris primum, dein & utriusque Germaniæ Legatus, (*c*) cum duabus Legionibus, præmiſſa auxiliari manu, illos ob rebellionem vaſtaret. Hoc enim anno pleræque Galliarum civitates, magnitudine æris alieni obrutæ, movere ſe cœperant: ita quidem, ut Treveros Julius Florus, Æduos vero & Sequanos Julius Sacrovir, nobilitate clarus uterque, extimularet. Treverici motus primum extincti, quum Ædui adhuc in armis eſſent. Ut hos itaque Silius quoque oppremeret, profligandi prius fuerant Sequani, qui finium Galliarum extremi & Æduis contermini, ſociique rebellionis erant. Paucis hoc exercitus ſui turmis præſtitit Silius, uti in oratione, quam ante initam cum Æduis pugnam ad exercitum habuit, ipſe gloriatur. (*d*) Sequani cum reliquis Gallis, veteris ſuæ libertatis recuperandæ tam cupidi fuerunt, ut non ſemel contra Romanos provolarint ad arma. Miranda hæc eorum, non minus ac Trevirorum, audacia, quum ex viginti totius Imperii Legionibus octo in ſolis duabus Germaniis, Belgicæ & Lugdunenſi Galliæ proximis, metari ſolitas conſtet. Clariſſimis verbis hoc Tacitus (*e*) docet: " Præcipuum robur Rhenum juxta, commune in Germanos Galloſque ſubſi- „ dium, octo Legiones erant. „ Atqui Legio quum ultra ſex mille tunc milites continuerit, An. Chr. 21.

(*u*) Vellejus Lib. II. Cap. CXXV. Obſervamus hic paucis, Vellejum haud ſecus quam Dio, ubi de Germanicis cis Rhenum Provinciis loquitur, obſcuriorem eſſe, quod eas à Germania trans Rhenana nullo modo fere diſtinguat. Item Suetonius in *Caligula* Cap. I. Præcipue vero Tacitus *Annal.* Lib. I. Cap. XXXI. XXXIV. XXXVII.

(*x*) Mare Suevicum dicebatur quoque mare *Venedicum*, à Venedis populis, qui illud attigerant. Appellabatur etiam Sinus Codanus; Germanis accolentibus *Oſt-See*, *Belt.*

(*y*) *Annal.* Lib. I. Cap. XLIV.

(*z*) Tacitus *Annal.* Lib. I. Cap. LVI.

(*a*) Ibid. Cap. LXI.

(*b*) Ibid. Cap. LXVIII.

(*c*) Cajus Silius quod Germaniæ Superioris Legatus ſeu Præſes fuerit, ex contextu Taciti *Annal.* Lib. III. Cap. XLII. conjicimus, imo probamus. Verba Taciti hæc ſunt: " Aliud vulgus obæratorum „ aut clientium arma cepit, petebantque ſaltus, „ quibus nomen Arduenna, quum Legiones utroque „ ab exercitu, quas Viſellius & C. Silius adverſis „ itineribus objecerant, arcuerunt. „ Duo hic exercitus memorantur, quorum uni Viſellius Varro præfuit, alteri C. Silius. Viſellium autem Tacitus paulo ante Inferioris Germaniæ Legatum appellaverat; Silius ergo Legatus apud Germanos Superiores fuerit, neceſſe eſt. Eundem vero Silium per aliquod tempus otriusque Germaniæ fuiſſe Rectorem, Tacitus ibid. Cap. XLIII. indicat, ubi dicit: " Mox Varro inva- „ lidus ſenecta, vigenti Silio conceſſit. „ Hinc etiam *Annal.* Lib. IV. Cap. XVIII. ingentis exercitus ſeptem per annos moderator vocatur; ex quo, ſi Conſulatum Corn. Cethegi & Viſellii Varronis, ſub quo ille vuluntaria morte obiit, conferas, clariſſime apparet, Silium Germanico ſtatim, ex Germaniis revocato, ſucceſſiſſe, adeoque ab An. Chr. XVII. usque ad An. XXIV. Germaniam Superiorem rexiſſe. Hæc Lectorem diligenter obſervare velim, quoniam in ſerie Præſidum Germaniæ Superioris pag. 278. male à nobis omiſſa ſunt, inſerenda eidem, quod jam extra dubium poſitum, ad An. Urb. Cond. DCCLXX. & ad ſeptem annos ſequentes.

(*d*) Tacitus *Annal.* Lib. III. Cap. XLVI.

(*e*) *Annal.* Lib. IV. Cap. V.

nuerit, exercitum Rhenenſem, ſeu, uti ſubinde dicitur, Germanicum, ultra quinquaginta millia armatorum effeciſſe, non computatis iis, qui nomine copiarum auxiliarium aut ſociorum veniebant, colligimus. Sequanos quidem Acilius Aviola, Galliæ Lugdunenſis Præſes, tum rexit, cui vero unica tantum cohors Lugduni paruit: quacum in Andegavos rebelles, Provinciæ ſuæ populum, profectus eſt; nec ſatis viribus fuit inſtructus, ut etiam Sequanos Æduosque aggrederetur, quos idcirco aggreſſus eſt Silius, majorem longe copiarum numerum ſub ſuo habens imperio. Idem hinc Aviola, Turonios, qui cum Andegavis in rebellionem primi eruperant, oppreſſurus, Legionarios milites à Viſellio Varrone, Inferioris Germaniæ Legato, accepit; quibus Primores nonnulli Galliarum, ſuam ut diſſimularent defectionem, mox acceſſerunt, & in delendis motibus tulere auxilium. (*f*) Silio, quum bellum hoc, quod à præcipuo ejus auctore Sacrovirianum appellatum, perduxiſſet ad finem, inſignia triumphalia decreta ſunt. (*g*)

§. XIII.

An. Chr. 24. Silius ex Provincia ſua Germaniæ Superioris Romam revocatur, Corn. Cethego & Viſellio Varrone, qui ante tres hos annos Germaniæ Inferioris Legatus fuerat, Conſulibus. Vix autem miſer domum redierat, quum à Sejano, Tiberii adulatore perditiſſimo, graviorum criminum accuſatione peteretur, inviſus nimirum Tiberio, quod ipſum Germanicus olim, forte in ipſa Germania noſtra, amicitia fuiſſet complexus. Addit Tacitus: (*h*) "Credebant plerique auctam offenſionem ipſius intemperantia, „ immodice jactantis, ſuum militem in obſequio duraviſſe; quum alii ad ſeditiones „ prolaberentur; neque manſurum Tiberio imperium, ſi iis quoque Legionibus cupido „ novandi fuiſſet. Deſtrui per hæc fortunam ſuam Cæſar, imparemque tanto merito „ rebatur. „ Viſellius Conſul, quem his olim in oris familiarem & amicum Silio crediſſes, ejusdem accuſator jam Romæ evaſit. Arguebatur præſertim avaritiæ, qua partam in Gallos victoriam fœdaverit, adeoque repetundarum criminibus hærebat cum ſua uxore Soſia, uti loquitur Tacitus; (*i*) "Sed cuncta quæſtione Majeſtatis exercita, „ & Silius imminentem damnationem voluntario fine prævertit.

An. Chr. 26. Validis Gallica Rheneuſis ora licet munita eſſet præſidiis, Germani tamen eam hoc tempore iterum invadunt atque diripiunt, quum Tiberius, voluptatibus immerſus, omnemque fere Reipublicæ curam abjiciens, nec Præſides Legatosve in Provincias mitteret, aut priſtinos mutaret: nec militum præſidiorumque haberet rationem, ut numerum eorum ſuppleret; magno dedecore Imperii, nec minori Provinciarum diſcrimine. (*k*)

An. Chr. 29. Tandem poſt intervallum quinque annorum, quo Germania noſtra Superior Rectore caruit, Lentulus Getulicus ei præficitur, per integrum ſequens decennium maxima cum laude, propter effuſam clementiam & modicam ſeveritatem, eam adminiſtraturus. Hinc non exercitui tantum ac populis, ipſi ſubditis, ſed & Inferioris Germaniæ Legionibus, quas ſocer ejus L. Apronius rexit, gratiſſimus erat. (*l*)

An. Chr. 38. Sabinus hoc anno, qui primus Caligulæ Imp. erat, Provinciam Germaniæ Inferioris accipit, L. Apronii ſucceſſor. Verba enim Dionis, (*m*) quibus ille Celtarum ſub Cajo Præſes vocatur, ſic explicanda eſſe, conſtans hujus Scriptoris loquendi ratio nos docet, qua ſub Celtarum nomine Germani, vel Cis- vel Trans-Rhenani, veniunt. Germania Trans-Rhenana vero quum Provincia non fuerit, noſtraque Superior Lentulum tum adhuc habuerit Præſidem, ſupereſt ſola Germania Inferior, cui Præſidem aſſignemus Sabinum.

§. XIV.

An. Chr. 40. Cajus Caligula magnis pecuniarum exactionibus Galliam premit, (*n*) quumque ad Rhenum eſſet expeditionem contra Germanos minatus, nefandæ atrocitatis conſilium, Legiones Germanicas nempe contrucidandi, inivit: illas nempe, quæ in Germania Inferiore, fortaſſis & Superiore, ab Auguſti temporibus, ſubſtiterant; eo quod, ſe adhuc puero,

(*f*) Tacitus *Annal.* Lib. III. Cap. XLI.
(*g*) Idem *Annal.* Lib. IV. Cap. XVIII.
(*h*) *Annal.* Lib. IV. Cap. XVIII.
(*i*) Ibidem Cap. XIX.
(*k*) Suetonius *in Tiberio* Cap. XLI. Aurelius Victor *in Epit.* Cap. II.
(*l*) Tacitus *Annal.* Lib. VI. Cap. XXX.
(*m*) Lib. LX. pag. 684. ubi: Συνδιεφθάρθαι αὐτῷ τῶν τε ἄλλων, καὶ αὐτοῦ τοῦ Κλαυδίου τὸν Σαβῖνον, τὸν τῶν Κελτῶν ἐπὶ τοῦ Γαΐου ἄρξαντα, ἐν μονομαχίᾳ τινὶ ἀποθανόντα, ἡ Μεσσαλῖνα ἐποίει.
(*n*) Dio Lib. LIX. pag. 656.

puero, poſt finem Auguſti, rebellionem excitaſſent, patremque ſuum Germanicum, ipſarum Ducem, ſeque infantem, vallo & armis tunc circumſediſſent. A crudeliſſimo hoc inſtituto amicorum ſuorum precibus revocatus, nullo fere modo prohiberi potuit, quin Legiones iſtas, ob limitem Imperii contra Germanos maſcule defenſum, & tumultus Gallorum ſæpius oppreſſos, tam celebratas, decimaret; donec, re ſuſpecta, plerique militum ad arma confugerent, ut, ſi qua vis fieret, in Cæſarem illa converterent. His Caligula intellectis territus, mox concione profugit, rediturus in Urbem. (o)

Referenda huc quoque Lentuli Gætulici, qui per integrum decennium Germaniæ Superiori præfuerat, cædes, juſſu Caligulæ Lugduni cum pluribus aliis ipſi illata: eo quod militum benevolentiam ſibi paraſſet, ut quidem DIO CASSIUS (p) tradit. Exutus jam Lentulus dignitate ſua fuit, paulo antequam Cæſar in Galliam veniret, qui Sergium Galbam, Conſularem, poſtea vero Imperatorem, ipſi ſubſtituit, haud minori cum laude, quamdiu ætate vigebat, adminiſtraturum Provinciam. (q) Ceterum Lentulus hic jam ſub Tiberio diſcrimen mortis adierat, quod Sejani filius ipſius gener eſſet, de quo Sejano conſtat, eum in Tiberii Imperatoris vitam conjuraſſe, ideoque cum multis aliis trucidatum. Lentulus tamen, qui Tiberio facile quoque ſuſpectus eſſe potuerat, adeo ſeſe ei probavit, ut unus omnium Sejani adfinium incolumis, & in Principis ſui perſtiterit gratia. (r)

Quum Caligula hoc anno Romæ occiſus eſſet, Galba, Superioris Germaniæ An. Chr.
Præfectus, à multis extimulabatur, ut Imperium ſibi vindicaret; quod facile fieri 40.
potuiſſet, ſi auctoritate & favore, quo apud omnes, milites præſertim, florebat, uti voluiſſet. Verum amicorum ſuorum conſilia Galba rejecit, motibus turbiſque præferens quietem: Claudio per hoc gratiſſimus futurus, qui ipſum inter optimos ſuos amicos recepit, tantique fecit, ut ob levem valetudinem, Galbæ ſupervenientem, Britannicæ expeditionis diem differret. (s) Germaniæ itaque Superioris quies tunc temporis ſubſtitit, quo omnia Romæ turbata atque tumultibus plena fuerunt. Eodem anno Sulpitius Galba, Rhenum tranſgreſſus, Cattos, Germaniæ Superiori ſcilicet, Provinciæ ſuæ, oppoſitos, vicit; (t) quum P. Gabinius, Inferioris Germaniæ Legatus, à Chaucis devictis militarem aquilam, quæ ſola è clade Variana ſupererat, idem circa tempus recuperaſſet.

§. XV.

Religio Druidum, ſub Auguſto Civibus Romanis tantum interdicta, nunc à An. Chr.
Claudio Imp. ex omni Gallia, adeoque & ex Alſatiæ finibus proſcribitur; quod 43.
humanas hoſtias offerret. (u) Superſtitioſa tamen hæc Sacra non omnino extingui potuerunt. (x) Alſatiam vero puriorem ab eis crediderim, quam interiores Galliarum Provincias, quamvis Germaniæ Trans-Rhenanæ, ubi Druidas diu poſt adhuc floruiſſe novimus, propinquior eſſet. Regiones hæ noſtræ tantis Romanorum militum exercitibus inſtructæ & obſervatæ fuerunt, ut Romanis Legibus adverſum quid, ne occulte quidem, perpetrari potuerit. Accedit, quod Alſatia, cum reliqua Galliæ ripa, Germanos potiſſimum habuerit incolas; qui migrationis ſuæ cis Rhenum temporibus Celticam Religionem, adeoque & Druidas, poſtea demum in Germaniam tranſituros, ignoraverant. Nec dubitandum eſt, quin jam plerique Druidum ſub Claudio, Gallia expulſi, extra Imperii Rom. limites, id eſt, trans Rhenum, ſecuritatem quæſiverint.

Claudius, ipſe Gallus, Logduni natus, in Senatu propoſuit, ut Primoribus Galliæ Comatæ, id eſt Lugdunenſis, Belgicæ & Aquitanicæ, quod expetierant, jus adipiſcendorum in Urbe Roma honorum concederetur. Erat hæc ſumma & ultima, quæ Galliæ principibus à Romanis tribui poterat, dignitas, poſtquam inter ſoederatos ac cives Romanorum jam pridem, vel ſub Auguſto, vel ſub Tiberio, fuerant recepti. Magna hinc in Senatu diſceptatio, num Reipublicæ, ac Latii potiſſimum, habitatoribus proficuum foret, Gallos tam inſignis prærogativæ participes fieri. Claudius gravi denique oratione, ad Senatum habita, multis rationibus utilitatem rei oſtendit, qua Patres permoti, Conſultum fecerunt, ut primum Ædui Senatorum in Urbe jus adipiſcerentur; quoniam hi ab antiquiſſimo tempore fœdus cum Romanis inierant, quo reliqui Galliæ Comatæ incolæ eorundem hoſtes extiterant. Acceſſit, quod eo adhuc tempore ſoli quoque Gallorum Ædui cum Populo Romano honorificum fraternitatis nomen, fœderis ergo ipſis conceſſum, (y) haberent.

(o) SUETONIUS *in Caligula*. Cap. XLVIII.
(p) Lib. LIX. pag. 657. Edit. Wechel.
(q) SUETONIUS in *Galba* Cap. VI.
(r) TACITUS *Annal.* Lib. VI. Cap. XXX.
(s) SUETONIUS *in Galba* Cap. VII.
(t) Dio Lib. LX. pag. 670. Edit. Wechel.
(u) PLINIUS *Hiſtor. Nat.* Lib. XXX. Cap. I. SUETONIUS in *Claudio* Cap. XXV. AURELIUS VICTOR, *de Cæſaribus* Cap. IV.
(x) Vide Periodi Celticæ §. XCVIII. pag. 84.
(y) TACITUS *Annal.* Lib. XI. Cap. XXIII. & XV.

§. XVI.

De Æduis Primoribus itaque certum, illos ſub Claudio omnium honorum, qui Latinis atque Romanis ipſis competebant, non civilium tantum, ſed & militarium, capaces declaratos eſſe, ut adeo unum eundemque cum Romano populum conſtituerint. At Sequanorum atque Belgarum alia ratio, qui nonniſi poſt Claudii mortem, ad eandem cum Æduis dignitatem promoti fuiſſe videntur. Nec TACITUS repugnat, quando Æduos primos ex Senatus Conſulto jus honorum adeptos eſſe memorat. Ita enim indicat, reliquis Gallis idem jus denegatum non eſſe, ſed ad tempus modo fuiſſe dilatum. ÆGIDIUS BUCHERIUS (z) ex lapide antiquo, ad oſtia veteris Rheni reperto, jus illud Belgis ſuis adſtruere conatur, quum ita ſcribit: "Extat lapis antiquus apud Lipſium, „ hic, Britannico ad oſtium Rheni veteris Armamentario, erutus, qui verba iſta præfert: „ *Gens Batavorum amici & fratres Rom. Imp.* & LUCANUS Lib. I. *Arvenique auſi Latio ſe* „ *fingere fratres, Sanguine ab Iliaco populi.* Jam hinc igitur Belgæ noſtri, Galliæ Comatæ „ præcipui, non amplius barbari, neque externi, ſed novo nobilique jure Romani, „ velut indigenæ, viros equeſtris ac Senatorii ordinis, Prætores, Conſules, belli „ Duces, Romæ ſuppeditare cœperunt. „ Verum enimvero nec ex lapide iſto, nec ex Lucano, aliquid pro jure honorum, Belgis conceſſo, elici poteſt. Quodſi enim Belgæ Amici & Fratres Populi Romani fuerunt, non tamen honorum eo ipſo ſunt facti participes, id quod ipſum Æduorum demonſtrat exemplum; qui titulo fraternitatis uſi ſunt diu, antequam jus honorum àdipiſcerentur. Sed & fraternitatis cum Populo Romano nomen à Belgis uſurpatum fuiſſe, Lucanus non tradit, audaciæ hoc Arvernorum non Batavorum, adſcribens; de quibus Lucano ſermo non eſt, ut Bucherius credidit, Arvernos in Arvenos convertens. Quamvis vero Ædui jus honorum, in Urbe gerendorum, interceſſu Claudii Imp. à Senatu impetraverint, id non de omnibus in univerſum, ſed de ipſorum Proceribus tantum, profitente Tacito, intelligendum. Idem ergo ratione Alſatiæ, ſi quid tale poſtea ei contigit, ſtatuendum. Jus hoc apud Æduos ac Sequanos in univerſum tum demum commune factum eſt, quum Galba, populorum horum ope, Imperio fuiſſet potitus. (a)

§. XVII.

An. Chr. 50. Colonia veteranorum in oppidum Ubiorum ducitur, quod Agrippina Auguſta, magnæ auctoritatis mulier, à Cæſare marito impetraverat; unde Coloniæ Agrippinæ nomen exortum. Duplicem ductæ hujus Coloniæ rationem TACITUS (b) videtur indicare: primam, quod Agrippina Ubiorum oppidum, ab ipſius avo Agrippa conditum, ſingulari complecteretur favore, illudque, quod in eo genita, ornatius florentiusque à ſe reddendum eſſe crederet: alteram, ut exteris quoque & Romanorum ſociis oſtenderet, quanta ipſius in Republica auctoritas eſſet, quum intelligerent, veteranorum coloniam hortatu ipſius deduci, & à nomine ſuo vocari Agrippinenſem.

Iisdem temporibus inſignis Germanos Superiores terror invaſit, quum Catti, ferociſſima Germaniæ natio, transitum Rhenani limitis tentarent, ut ſua pro more latrocinia exercerent. (c) Aderat tunc L. Pomponius, Superioris Germaniæ Legatus, qui exercitum, ex auxiliaribus Nemetum atque Vangionum & equite alario compoſitum, populatoribus hiſce obviam ire juſſit, ipſe interim cum Legionibus ad montem Taunum (d) eos expectaturus. Auxiliaris hic exercitus in duo agmina dividebatur, quorum alterum partem Cattorum, quæ poſt abſumptas per luxuriam prædas recens redierat, circumventam facile oppreſſit, atque nonnullos, ex clade Variana poſt quadraginta annorum captivitatem adhuc ſuperſtites, libertati ſuæ, maxima cum lætitia, reſtituit. At qui dextris & propioribus compendiis hoſti obviam iverant, prœlio inito, haud paucos ex ſuis deſideraverunt. Catti hinc, præda onuſti & ob victoriam elati, quum ad montem Taunum reverterentur, ſibique Pomponium cum Legionibus obvium viderent, metuentes, ne hinc à Romanis, inde à Cheruſcis, Germanis quidem, at perpetuis æmulis ſuis atque inimicis, circumdarentur, obſides miſerunt; qui Romam abducti fecerunt, ut triumphalis

(z) *Belg. Rom.* Lib. IV. Cap. XII. pag. 149. §. IV.

(a) Ad An. Chr. LXVIII. conf. etiam quæ ſupra pag. 290. diximus.

(b) *Annal.* Lib. XII. Cap. XXVII.

(c) TACITUS loco cit.

(d) Taunus hic Mons, quem MELA Lib. III. Cap. III. ſummos inter Germaniæ montes refert, è regione Moguntiæ trans Rhenum ſitus eſt, quem vulgo *Heyrich* hodie appellant. CLUVERIUS *Germania Antiq.* Lib. III. Cap. XLVIII. pag. 781. & CELLARIUS *Geograph. Antiq.* Lib. II. Cap. V. pag. 460.

phalis honos decerneretur Pomponio. (*e*) Ex omni hac Taciti narratione manifeſte apparet, Nemetes & Vangiones, Claudii Cæſaris temporibus, ſuas adhuc trans Rhenum ſedes habuiſſe, illosque adeo Scriptores quam maxime falli, qui populis his idem, quod noſtris Tribocis, tranſiti fluminis & occupatæ Gallicæ ejus ripæ tempus aſſignant. Auxiliares enim Romanorum quomodo vocari potuiſſent, ſi eorum ditioni, per omnem Rheni limitem ſe extendenti, cum Tribocis fuiſſent ſubjecti? Quum vero Nemetes hi ac Vangiones Populi Rom. ſocii eſſent atque amici, cui nonnunquam in hoſtes auxilia ſuppeditarunt, à reliquis procul dubio Germanis, Cattis præcipue, plurimas vexationes experti ſunt. Hinc etiam paulo poſt, per ipſum fortaſſis Pomponium, ex Germanico ſolo in Gallicum transducti videntur, uti ſub Auguſto Ubii propter Suevos, inimicam ipſis gentem, cis Rhenum deducti fuerunt. Sententia itaque noſtra de Nemetum & Vangionum, in Galliam nonniſi poſt Tribocos transeuntium, epocha, quam ſupra (*f*) protulimus, hoc etiam ex Taciti loco confirmatur; eaque epocha ad intervallum temporis, quod Claudium & Veſpaſianos interceſſit, reſtringitur.

Germaniam Superiorem L. Vetus, Inferiorem Pompejus Paulinus rexere: uterque An. Chr.
pacis ſtudioſiſſimus. Germaniæ hinc cis Rhenum ſub ipſorum regimine quietæ fuerunt, 58.
nulloque hoſtium impetu territæ. Milites tamen, ne otio perderentur, operibus adhibiti ſunt. In Germania Inferiore agger ille, quem Druſus olim, coercendis Rheni inundationibus, inceperat, à Pompejo Paulino abſolutus eſt. L. Vetus autem, quum in ſua Provincia nihil hujusmodi perficiendum haberet, Moſellam & Ararim in Sequanorum & Leucorum, quos Vogeſus ſeparat, finibus, ducta inter duos hos fluvios foſſa, connectere voluit; ut copiæ ex Italia per mare Mediterraneum, ex mari in Rhodanum & Ararim, inde per foſſam ducendam, & ex ea in Moſellam ac Rhenum ad ejus oſtia usque & Oceanum, ſubvehi poſſent: adeoque, itineribus Romanorum in Galliam & Germaniam longe facilioribus redditis, navigabilia inter ſe duo maria fierent. Inſtituto tam arduo tamque præclaro mox invidia interceſſit Ælii Gracilis, qui Belgicæ præfuit. Hic enim Veteri gloriam ejus exſequendi denegans, Legiones Germanicas Provinciæ ſuæ, per quam foſſa maxime facienda erat, inferri prohibuit, quamvis ipſe ejusmodi quid præſtare nequiverit. (*g*)

§. XVIII.

Vetus, poſt breve Germaniæ Superioris regimen inde avocatus, ſucceſſorem habuit An. Chr.
Curtilium Manciam, (*h*) quum Pompejo Paulino in adminiſtranda Inferioris Ger- 59.
maniæ provincia ſucceſſiſſet Dubius Avitus, ſub quo publica Rhenenſium quies, à Veteri & Paulino per aliquot annos ſervata, haud parum imminuta fuit. Cauſam Veteris, ex Superiore Germania revocati, Tacitus indicat. Calumniatus eſt Gracilis, Veterem his conſiliis animos Gallorum allicere, ſibique reddere faventes, ut novas res poſſet moliri. Curtilius Mancias itaque, L. Veteris apud Germanos Superiores ſucceſſor, bello mox Germanico implicitus fuit, quod Avitus duritie ſua in Anſibarios, populum Germanicum, & à Chaucis ſedibus ſuis pulſum, excitaverat. Anſibarii enim quum agros ad Rhenum, incolis vacuos, velut tutum exilium occupaſſent, indeque ab Avito, Inferioris Germaniæ Præſide, eſſent expulſi, Bructeros, Tencterosque in auxilium vocarunt. Hos Avitus ut felicius opprimeret, Manciam rogavit, ut Rhenum transiret, hoſtibusque à tergo bellum inferret. Ipſe Legiones in Tencteros perduxit, hisque ab Anſibariorum cauſa deflexis, Bructeros, excidium agri ſui metuentes, ab iisdem Anſibariis abſtraxit, qui ſedibus carentes errabundi pauperes tandem perierunt. (*i*)

Neque Curtilius Mancias diu Germaniæ Superiori præfuit, eodem fortaſſis hoc anno, vel ſaltem paulo poſt, à Nerone domum revocatus. Conjicimus hoc ex Xiphilino, (*k*) ubi Scribonios fratres An. Urb. Cond. DCCCXIX. id eſt An. Chr. LXVI. ob Neronis crudelitatem ſibi mortem intuliſſe ſcribit, poſtquam diu Germaniam utramque adminiſtraſſent. An. LX. itaque Scribonius, vel Ruſus vel Proclus, Provinciam Germaniæ noſtræ Superioris adiiſſe videtur. Felix tum ſtatus oræ hujus Rhenenſis,

(*e*) Tacitus ibidem & Cap. XXVIII.

(*f*) Pag. 136. ſq. §. XXV.

(*g*) Tacitus *Annal.* Lib. XIII. Cap. LIII.

(*h*) Curtilium hunc Manciam, in Laterculo Præſidum Germaniæ Superioris, neſcio, quo facto, ſupra pag. 279. omiſſum, Tacitus *Annal.* Lib. XIII. Cap. LVI. expreſſis verbis *Legatum Superioris Exercitus* appellat, id quod idem ſignificat, ac ſi eum Germaniæ Superioris appellaſſet Præſidem. Qui enim exercitum ſuo ſub imperio tum habuit, ille omnem quoque ſimul Provinciam rexit.

(*i*) Tacitus *Annal.* Lib. XIII. Cap. LV. & LVI.

(*k*) Xiphilinus *ex Dione* Lib. LXIII. pag. 191. Edit. Steph. & Edit. Wechel. pag. 722.

quum duo conjunctiſſimi fratres, meritis pares, ei præeſſent, idem uno eodemque tempore fatum habituri. Nero enim, verſatus in Græcia, utrumque ſimul Scribonium ad ſe accerſivit, ut pro immani ſua crudelitate in eos ſæviret, quos ſuſpectos habuerat. Hi antem, qnum neſcio quorum criminum rei facti, nec ad colloquium, nec in conſpectum Cæſaris venire poſſent, ac proinde ab omnibus pariter deſpicerentur, inciſis tandem venis morte ſpontanea vitam finierunt.

§. XIX.

An. Chr. 68.

Galli atque Hiſpani, deſtituto Nerone, Galbam Imperatorem proclamant, à Julio Vindice, qui tum Gallias Pro-Prætor regebat, inſtigati. (*l*) Exercitus, qui ad Rhenum erat, perſtitit in fide Neronis; unde & Alſatas Inferiores, quibus tunc Verginius Rufus, Superioris Germaniæ Legatus, præerat, quietos & tranquillos turbarum harum ſpectatores fuiſſe, credibile eſt. De Alſatia Superiore aliter forte pronuntiandum; niſi exercitus Verginiani proximitas eos à defectione retinuit. Sequanos interiores enim cum reliquis Gallis ad Galbam transiiſſe, patet ex eo, quod Verginius cum Legionibus ſuis à Rheno profectus eſt, nt Veſontionem, Sequanorum Metropolim, propter defectionem obſidione cingeret, & vi armorum ad obſequium Neronis reduceret. Xiphilinus (*m*) rem hanc ſequentem in modum exponit: "Rufus, qui Germaniam obtinebat, inde profectus eſt, ut Vindici bellum inferret. „ Is poſtquam Veſontionem venit, cœpit eam urbem obſidere, quod ab ea non fuiſſet „ exceptus. Vindex ad opem urbi ferendam contendit, nec procul caſtra poſuit. „ Tandem ambo, miſſis ad ſe literis, in colloquium ſoli venerunt, remotis arbitris. „ Ibi ſuſpicio fuit, eos una contra Neronem conjuraſſe. Poſt hæc Vindex properat „ cum exercitu, quaſi ſtatuiſſet urbem capere: quorum adventum ubi cognoſcunt „ milites Rufi, rati eos aperte contra ſe venire, injuſſi impetum faciunt, & inopi„ nantes atque confuſos invadunt, ac magnum numerum eorum concidunt. Quod „ quum Vindex videret, ferretque graviter, ipſe ſibi manus intulit. „ Si Plutarchum (*n*) audias, Galba vehementer timuit, ne Verginius Rufus, victoria hac, à Vindice reportata, elatus, ſuoque fortiſſimo exercitui fiſus, quo jam maximam Galliæ partem ſubegerat, ipſe quoque affectaret Imperium. Verum quantacunque Verginii eſſet gloria atque auctoritas, oblatam tamen à militibus Cæſaream dignitatem conſtanti ſemper & generoſa mente rejecit. Nihilominus eodem hoc anno Verginius à Galba, ſummam qnoque rerum apud Germanos adepto, Provincia abire juſſus eſt; qui in ejus locum Germaniæ Superiuri Legatum præfecit Hordeonium Flaccum, de quo in ſequentibus.

§. XX.

Quum Galli eam præcipue ob cauſam à Nerone defeciſſent, quod crebris pecuniarum exactionibus graviſſima quæque pertulerant, (*o*) Galba, Imperio Rom. potitus, quo magis eos ſibi obſtringeret, plerisque Galliæ populis non modo jus Civitatis Romanæ conceſſit, quod ſolis Primoribus Galliæ hactenns competierat, ſed & quartam tributorum partem ipſis remiſit. Memor autem vindictæ, à beneficio hoc partibus ſuis nnper adverſos non modo excluſit, ſed etiam extremos finium ipſorum agros ad alios, qui ei faverant, transtulit. Addit Suetonius, (*p*) Galbam eas Hiſpaniarum Galliarumque civitates, quæ cunctantius ſibi acceſſerant, gravioribus tributis, quasdam etiam murorum deſtructione puniviſſe, imo & Præpoſitos ac Procuratores earum cum eorundem conjugibus ac liberis capitis affeciſſe ſupplicio. Triſtiſſimus hic populorum noſtrorum ſtatus, qui Rheno & Germanicis exercitibus proximi, pari dolore aliena commoda ac ſuas injurias metiebantur, uti Tacitus (*q*) loquitur.

Galbæ imperium affectanti, ſi non adverſati ſunt Alſatæ, illi profecto non niſi tarde acceſſerunt; unde Imperatorem, haud adeo benignum, experiri potuerunt. Interiores Sequani vero, quum novis honoribus, commodis atque muneribus, priſtinas calamitates, ſub Nerone acceptas, à novo Cæſare jam compenſatas gauderent, exteriores noſtri cum duabus Germaniis commune fatum habentes, beneficiis his caruerunt. Haud mirum ergo, ſi exercitus Germaniarum, Galbæ olim adverſus, jamque ab eodem neglectus,

(*l*) Sueton. in *Nerone* Cap. XL. Carolus Patinus in *Suetonii Galba* Cap. XII. nummum profert argenteum, qui in poſtica *tres Gallias*, Celticam nimirum, Belgicam & Aquitanicam exhibet.

(*m*) In Dione Cassio Lib. LXIII. pag. 724.

(*n*) Plutarchus in *Galba* pag. 1057.

(*o*) Xiphilinus ex Dione Lib. LXIII. pag. 724. Edit. Wech.

(*p*) *In Galba* Cap. XII.

(*q*) *Hiſtor.* Lib. I. Cap. VIII. & IX.

neglectus, novas iterum turbas paravit, Duceſque ſive Legatos ſuos, qui poſt Verginium, ſub amicitiæ ſpecie à Galba abductum, præerant, contempſit. Hordeonius Flaccus Superioris Germaniæ tum erat Legatus: provectæ ætatis homo, pedibuſque laborans, & nulla auctoritate apud exercitum pollens. Inferioris autem Germaniæ exercitus per aliquod temporis ſpatium caruit Conſulari, donec Vitellius ei præfectus à Galba.

Uterque exercitus, Superior præſertim, à Galliarum civitatibus ad Rhenum, quas Galba male habuit, adverſus Galbianos quam maxime inſtigatus fuit; ut eos, remiſſam ſibi à Galba quartam tributorum partem, juſque civitatis Romanæ & agros vicinorum traditos, immoderatius forſan jactitantes, vexarent: (r) Æduos præcipue Sequanoſque, uti videtur, interiores. Inter hæc Aulus Vitellius ſub ipſis Kalendis Decembr. militare imperium apud Inferiores Germanos aſſumſit, multoque ſtudio atque prudentia uſus, vetera militum, de Legatis avaris querentium, gravamina penitus aboluit, militumque animos præclare ſibi devinxit. Hic Legiones ſuas Kal. Jan. ſolenni ſacramento, licet non ſine quorundam obſtrepitu, Galbæ adſtrinxit. Quo pacatior autem Germania Inferior, eo magis Superioris Germaniæ exercitus aucta in Galbam exacerbatio eſt: fomite novo mox accedente, quum A. Cæcina, Vir juvenis, corpore præſtans, militumque ſuorum favore florens, jubente Galba, Romæ peculatus poſtularetur. Cæcina, miſcere omnia & privata vulnera Reipublicæ malis quoquo modo operire decernens, in id totus incubuit, ut Legiones Rhenenſes ad rebellionem, & ad alium Imperatorem eligendum excitaret, quæ omnia Tacitus (s) ubertim deſcribit. Trevirenſes, quum milites urbis ſuæ præſidiarios, à Vitellio quoque pacatos, Galbæ adhærere viderent, clandeſtina cum Superioris Germaniæ Legionibus, jamjam ſeditionem parantibus, colloquia habuerunt, ſeque illis præter multas alias civitates, quæ Galbæ adverſabantur, eadem in cauſa ſociaverunt. (t)

§. XXI.

Ipſis Kalendis Januar. quibus Inferioris Germaniæ Legiones ſacramento fidei pro Galba adactæ ſunt, in ſuperiore exercitu ſeditio in flammas erupit, projectis Galbæ imaginibus, miſſiſque Romam, qui Imperatorem alium flagitarent, ejuſque eligendi poteſtatem & arbitrium Senatui Populoque Rom. permitterent. (u) Nuncius hic Romam allatus, funeſtiſſimus Galbæ, gratus omnino eſſe debuerat Senatui ac Populo; qui poſt tot rerum converſiones in priſtinæ libertatis jura poſtliminio ſe reſtitutos iri putabant. Verum enimvero res aliter cecidit. Nam poſt cœptam rebellionem quum Fabius Valens, unus ex Primæ Legionis Legatis, Coloniam Agrippinam cum milite ingreſſus, Vitellium Imperatorem conſalutaviſſet, mox III. Non. Jan. ſuperior omnis exercitus, relictis iis, quæ Senatui Populoque Rom. addixerat, Vitellio quoque acceſſit, eumque Cæſarem in locum Galbæ ſibi elegit. Agrippinenſes, Treveri, Lingones & reliqui ſine dubio Germaniarum cis Rhenum incolæ, eaſdem militum partes ſecuti, auxilia, equos, arma, pecunias Vitellio, novo Cæſari, obtulerunt, quo dignitatem ſuam adverſus Galbianos poſſet defendere. Pompejus Propinquus, vicinæ Belgicæ Procurator, qui Galbam ſcriptis literis defectionis hujus certiorem fecerat, ſtatim eſt interfectus, alii cuſtodiæ traditi, habitique ludibrio. Vitellii partibus in Gallia acceſſerunt Valerius Aſiaticus, Belgicæ provinciæ Legatus, & Junius Blæſus, Lugdunenſis Galliæ Rector ſeu Præſes, cum copiis nonnullis, quæ ipſius imperio commiſſæ fuerant. (w) An. Chr. 69.

Britannico accedente exercitu, Vitellius, maximis jam viribus opibuſque inſtructus, Fabium Valentem conſtituit, ut Gallias omnes ſibi adduceret, vel ſi abnuerent, igne & ferro vaſtaret, & inde per Allobroges in Italiam pergeret. Cæcinæ XXX. millia armatorum è Superioris Germaniæ Legionibus & Auxiliaribus tradita, quibus per Alpes Penninas Italiam intraret. Tantus hinc per omnem Galliam terror exortus, ut civitates certatim appropinquanti Valentis exercitui obviam irent, ſuæ ut ſaluti conſulerent. Divoduri, quæ Mediomatricorum Metropolis, quatuor millia hominum furore militis perierunt. Civitas ipſa vix ab excidio ſervata. (x) Legionibus à limite ad interiores Gallos profectis, oræ noſtræ Rhenenſi, quam Hordeonius Flaccus interim curabat, per aliquot annos miſeris bellorum civilium ſeditionumque fatis exagitatæ, aliquo modo reſtituta eſt quies, ſed ad breviſſimum tempus, quum inteſtinis malis mox externa

 ſuccederent

(r) Tacitus *Hiſt.* Lib. I. Cap. LI.
(s) *Hiſt.* Lib. I. Cap. LII. ſqq.
(t) Tacitus ibid.
(u) Ibid. Cap. XII. LV. ſqq.
(w) Tacitus *Hiſtor.* Lib. I. Cap. LIX.
(x) Ibidem Cap. LXI. & LXIII.

ſuccederent à Trans-Rhenano barbaro hoſte, flumen transgreſſo. Hæc tamen quum Inferiorem potius Rhenum, quam Superiorem noſtrum, concernant, ſummam tantum geſtarum rerum breviſſimis ex Tacito (y) verbis indicabimus.

§. XXII.

An. eod. 69.

Vitellius, Othone Anti-Cæſare (Otho enim eodem fere tempore Romæ, quo Vitellius ad Rhenum, Imperator adverſus Galbam electus eſt) ſublato, quum ſolus Reipublicæ præeſſet, auxiliares Batavorum copias, Legionibus haud parum infenſas, in Germaniam remiſit, ne milites ipſi arma inter ſeſe committerent, à minis & verborum colliſionibus ad rem ipſam ſanguinisque effuſionem progreſſuri. At non Batavi modo, ſed & reliqui auxiliares Galli, à Vitellio domum dimiſſi ſunt, quo Imperii opes largitionibus atque ſtipendiis militum ſufficerent. (z) Hæ copiæ quum ad ſuos rediiſſent, Claudius Civilis, regia ſtirpe oriundus, nec prudentia atque fortitudine minus illuſtris, eas ad ſeditionem contra Vitellium, ſibi jam pridem exoſum, excitavit, Moguntiaci tum agitantes. Præterea Caninefates ac Friſios Trans-Rhenanos induxit, ut arma ſua Batavicis jungerent, adeoque Romanos communi auxilio finibus expellerent Rheni. Res primum agebatur doloſe; donec gentibus his Rhenum transgreſſis, Caſtellis atque Præſidiis Romanorum everſis, patefactoque conſilio, apertum ſeſe Vitellii hoſtem declararet Civilis. Nec proſpero eventu caruit conatus. Quum enim Civilis in Vitellianos aliquot obtinuiſſet victorias, fama ejus per omnem cis Rhenum Germaniam ita crevit, ut amicitiam & ſocietatem ejus plurimi ſtudioſiſſime quærerent, ſuasque ipſi opes offerrent. Motibus his quidem Legatus Superioris Germaniæ, Flaccus Hordeonius, ſeſe oppoſuit, at infelici ſucceſſu; quum copiæ ejus, inito apud Vetera (a) prœlio, vel ad Civilem transgreſſæ, vel in fugam converſæ ſint. Inde in Ubiis Bonnenſe Caſtrum, cui Herennius Gallus præerat, multa cum ſanguinis effuſione & cruenta Romanorum clade occupatum eſt.

§. XXIII.

Civilis tamen viribus ſuis non adeo confiſus, ut omnem Romani Imperii exueret reverentiam, cunctos, qui ſibi aderant, eo perduxit, ut in Veſpaſiani à Legionibus Orientis in Imperatorem electi, partes tranſirent, atque in ejus verba jurarent. Legionum duarum reliquiæ, quæ priore prœlio fuſæ, in Vetera caſtra redierant, ſeque vallo probe munito ibi tuebantur, ad idem ſacramentum invitatæ, integram Vitellio fidem ſervarunt. Obſeſſæ pluries à Civili, nullo modo ad deditionem cogi potuerunt, etſi hoſtes numero longe majores eſſent, à Trans-Rhenanis quoque populis adjuti. Hordeonius, pavidus ſenex, militibus indies exoſiorem ſe præbens, omnium miſeriarum, quas Romani ad oram Rhenenſem ſub ipſius auſpiciis experiebantur, publice auctor culpatur: nec militum animi prius ſedati, quam ſumma rerum in Dillium Voculam tranſlata, qui Herennium Gallum collegam & adjutorem accepit. Sed & hi infeliciſſimi Duces erant, quum res Romana paſſim magis magisque perderetur, non tam ſua, quam militum culpa, inter quos ignavia atque diſcordiæ, aliis pro Vitellio, aliis, nobilioribus præſertim, pro Veſpaſiano ſtantibus, invaluerant. Ubii, Treviri, Menapii atque Morini, his rerum circumſtantiis plurimum affligebantur, quod in medio quaſi conſtituti, nec Civilem, nec Legiones Romanas aperte ſequi audebant; adeoque utramque partem ſibi adverſam habebant. Denique Hordeonius ipſe milites Romanos in Veſpaſiani verba adigens, Vitellii rebus jam plane exciſis, Civilem hortatus eſt, ut bello & armis deſiſteret; quum unius ejusdemque Principis ambo venerarentur imperium. At ſurdo narrabatur fabula; Civilis enim altiora in animo gerebat, nec prius arma deponere ſtatuit, quam omni Romanorum jugo decuſſo ad priſtinam Batavos ſuos libertatem reduxiſſet. Bellum hinc inter Voculam atque Civilem varia fortuna geſtum: ſeditiones domeſticæ à Legionibus renovatæ, in quibus Hordeonius, earundem Legatus, & Germaniæ Superioris Præſes, miſere occiſus, eoque ſuperior exercitus ab inferiore diſciſſus eſt. Magontiacum à Batavis, cum quibus Catti, Uſipii & Mattiaci, Germaniæ Trans-Rhenanæ populi, mixti erant, obſeſſum quidem, at mox iterum à Romanis, ſub Vocula Duce, liberatum eſt.

§. XXIV.

(y) *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. XII. ſqq.
(z) Tacitus *Hiſtor.* Lib. II. Cap. LXIX.
(a) Secundum Bucherium *Belg. Rom.* Lib. V. Cap. IX. pag. 172. Vetera idem hodie locus eſt, qui in Cliviæ Ducatu ſitus appellatur *Santen* vel *Byrten*. Vid. Tacitus *Hiſt.* Lib. IV. à Cap. XII. ad XX.

§. XXIV.

Rebellio in Romanos, quæ hactenus ad Rhenum, maxime inferiorem, ſubſtiterat, per omnem Galliam, audita Vitellii Imp. morte, ſeſe diffundere cœpit. Nova ſpe accenſæ jam fuerunt mentes Gallorum, fore ut jugum Romanum, turbatiſſimis his Imperii rebus, tandem excuterent. Acceſſit ſuperſtitio Druidum, qua populis Trans-Alpinis, id eſt, Gallis atque Germanis, ſumma rerum portendebatur, quod Templum Capitolinum, magnificentia ac dignitate nulli ſecundum, Romæ incendio perierat, ita ut finis Imperii adeſſe crederetur. Civili itaque junxerunt ſeſe tria præcipue Gallorum capita, Claſſicus, Præfectus alæ Trevirorum, regio ſanguine natus, & Tutor, Trevirenſis origine, cui ripæ Rheni demandata à Vitellio cura: ut & Julius Sabinus, Lingo, qui Julio Cæſare ſe prognatum jactabat. Conjuratio, Coloniæ Agrippinæ in privata domo inita, mox Voculæ, Romanarum Legionum poſt Hordeonii cædem Præfecti, interitum peperit, qui auctore Claſſico per Æmilium Longinum quendam, primæ deſertorem Legionis, doloſe occiſus eſt. Hinc conjurati, poſtquam inſignia Romani Imperii ſumſerant, exercitum, qui aderat, Romanum pro Galliarum imperio jurare fecerunt: id quod Tutor apud Agrippinenſes & reliquos Superioris Rheni milites præſtitit; occiſis vel pulſis omnibus, Moguntiaci præſertim, qui juramentum hoc detrectare auſi ſunt. Civilis tamen, caſtrorum Romanorum apud Vetera, quæ ſæpiſſime jam fruſtra adortus erat, expugnatione ferocior, in alia iterum plane diſceſſit, nec ullum Batavorum ſuorum ad Claſſici & Tutoris exemplum in verba Galliarum adegit, res ſuas quod ſeparatas habere vellet, Germanorum opibus, fide atque auxilio, confiſus. Nova quoque Colonienſibus cum Tencteris, valida ſibique in altera Rheni ripa oppoſita gente, lis eſt exorta, quum hi murorum urbis Colonienſis deſtructionem, bonorum communionem aliaque privilegia, poſcerent. Hæc omnia tamen per Velledam, fatidicam & maximæ auctoritatis apud Bructeros virginem, ex Agrippinenſium voluntate mox iterum fuere compoſita, Civili urbem eorum in ſuam ſocietatem ſumente. An. Chr. 70.

Hæc cum in Germaniis ad Rhenum agerentur, quæ jam à Romanis deſciverant, Sequani, beneficiorum forte à Galba nuper acceptorum memores, integram fidem ſervarunt. Julius Sabinus, Vir audacia pollens, Cæſarem quum ſe ſalotari juberet, ac cum Lingonibus ſuis irruiſſet in Sequanos, hi diſcrimen certaminis adiere, ac tanta pugnavere conſtantia, ut aggreſſores Lingones cum Sabino duce penitus funderent. Licet autem victores eſſent, ulterius tamen bellum in hoſtes ſuos proſequi noluerunt, vel quod ei feliciter gerendo impares ſeſe crederent, vel quod quietem motibus, obſequium audaciæ, certumque incerto præferrent. (*b*) Alſatia itaque Superior, ſub Sequanis comprehenſa, Inferiore multum pacatior fuit; quæ ob perpetuas militum diſcordias & ſeditiones nonniſi rapinas, cædes, & alia domeſtici belli incommoda, per aliquot annos experta eſt. Forte etiam Alſatæ Superiores majore præ reliquis Sequanis, in quos irruptio Lingonum facta, vixerunt in otio.

§. XXV.

Laborantibus Gallis, & per ſeditioſos vexatis, Veſpaſianus tandem, qui jam ſolium Romanum felicibus auſpiciis aſcenderat, novos Duces, novasque copias, in auxilium miſit. Adventu numeroſi exercitus per Gallias audito, civitates rebelles ac dubiæ Rhemos convenere, ibique, præter Treviros ac Lingones, qui à Tullio Valentino quodam, homine turbulento ac facundo, ad bellum inſtigabantur, pacem cum Romanis ſervandam ac renovandam eſſe, Julii Auſpicis, qui è primoribus Rhemorum erat, hortatu cenſuerunt univerſæ. Tutor, qui inter ſeditionis principes Superiorem Germaniam præcipue curabat, ab initio vecors ac nihil metuens, Romanis propius adventantibus, copias ſuas Trevirenſes, quas nupero per Nemetes atque Tribocos, Alſatiæ Inferioris incolas, itemque Vangiones, delectu habito auxerat, veterano pedite & equite firmavit. Jam vero quum prœlia cum hoſtibus ineunda eſſent, poſt occiſam, quam Romani præmiſerant, cohortem, non legionarii tantum milites, ſed & Triboci, Vangiones ac Nemetes, à Tutore, transfugio honeſto, ad Veſpaſiani exercitum defecere: ita ut omnis tunc Alſatia ſub Romanam, quam Inferior per aliquod tempus eluſerat, poteſtatem redigeretur. Tutor ergo ſolo adhuc Trevirorum auxilio ſtipatus, Bingium conceſſit, quod Caſtrum Rhenenſe munitiſſimum in ipſius manibus erat. Sed &

(*b*) Tacitus *Hiſt.* Lib. IV. à Cap. LIV. ad LXVII. De iisdem Germanorum ad Rhenum motibus agit Josephus *Antiquit. Jud.* Lib. VII. Cap. XI.

ANNALES.

An. eod. 70.

& hinc, brevi poſt, à cohortibus Romanis mira fortitudine ejectus fuſusque Tutor, Treviri item clade perculſi, & Legiones perfidæ in verba Veſpaſiani adactæ fuerunt. Inde Petilius Cerealis, (c) Romani exercitus Dux fere præcipuus, jamque Germaniæ Superioris conſtitutus Præſes, Treviros ac Lingones, qui à Tutore Valentinoque inſtigati arma retinebant, gravi oratione ad obſequium & pacem hortatus eſt. Orationi vim addidit reportata in conjuratos victoria, qua Civilis trans Rhenum, & reliqui ſeditionis auctores, aut interfecti, aut verſus Rheni oſtia pulſi fuere; ut adeo Trevirenſes, Agrippinenſes, & qui hactenus cis Rhenum in armis contra Romanos ſubſtiterant, ad priſtinum dominationis jugum redire cogerentur. (d) Tandem oræ omni Rhenenſi ſecuritas reſtituta & quies, poſtquam Cerealis altero Civilem apud Vetera Caſtra, ubi conſederat, prœlio ſuperaſſet, proditione perfugæ Batavi præſertim adjutus. Civilis poſtea nihil ultra auſus, cum principibus ſociis amicitiam & pacem Romanorum quæſivit, quæſitas obtinuit, atque adeo belli, primum pro popularium ſuorum libertate, mox pro ſuo principatu, per integrum biennium fortiter geſti, durum triſtemque expertus eſt exitum. (e) Ita Cerealis, expugnata primum Veſpaſiano, affini ſuo, Imperii ſede Roma, jam periculoſiſſimas quoque Gallorum Germanorumque ſeditiones compeſcuit, omniumque animos eidem Principi conciliavit, verus tyrannidis hujus ævi oppreſſor, & felicitatis ac tranquillitatis ad Rhenum publicæ reſtaurator, dicendus. (f)

§ XXVI.

Quæ hactenus dicta ſunt, in breve ſi redigamus compendium, eaque ad noſtram applicemus Alſatiam, ſumma rei hæc erit. Anno Chriſto ſexageſimo octavo Galli atque Hiſpani Imperatorem Neroni ſubſtituerunt Galbam; quem quum Sequani etiam cum Æduis vicinis ſequerentur, à Verginio Rufo, Superioris Germaniæ Præfecto, qui eundem averſabatur, puniti & in Metropoli ſua Veſontione expugnati ſunt. Galba inde, ſolio potitus, eximiis beneficiis ornavit Sequanos; Germanos vero, & Superiores & Inferiores, ipſi adverſatos, contempſit. Hi itaque, Galbæ infenſiores redditi, una cum Legionibus, quas ſecum habebant, auctoritate ejus abrogata, Vitellium, Ducem ſuum, Imperatorem elegerunt; cui Junius Blæſus, Lugdunenſis Galliæ, adeoque & Sequanorum, Præſes, acceſſit. Factum hoc eſt anni ſexageſimi noni initio; quo Alſatia Superior & Galbam & Vitellium Imperatores habuit, Inferior autem ſolum Vitellium. Belgæ ſeditionis tertiæ mox auctores fuere, Claudii Civilis inſtinctu, qui eos Romano ſubducere volebat imperio, ita tamen, ut Veſpaſiani, quarti jam per ſeditioſos electi Principis, cum Legionibus Orientis ſe tenere partes ſimularet. Rebus per Civilem feliciter ſuſceptis, exercitus Superioris Germaniæ, novo furore correptus, Hordeonium Flaccum, ſupremum ejusdem Præſidem, interfecit. Turbæ hæ Rhenenſes poſt Hordeonii mortem ſub Vocula, ejus ſucceſſore, continuatæ, & Vocula paulo poſt Vitellium Imp. quoque ſublato, univerſam prope Galliam implicuerunt. Implicitæ Galliæ nec Veſpaſiano, nec cuicunque alii Romanorum, Civilis exemplo parere voluerunt, Legionibus Romanis paulatim in cauſam ſuam & poteſtatem adductis. Anno ſeptuageſimo ineunte veteris libertatis imago plerisque in Provinciis Galliæ reviviſcere cœpit. Sequani tamen, etſi conjuratis proximi eſſent, & ab ipſis ad defectionem inſtigarentur, nunquam Romani nominis reverentiam exuerunt, prudentiſſimo omnium conſilio uſi. Vix enim ſeditio invaluerat, quum Veſpaſiani exercitus appropinquaret, ac Tribocos, Nemetes, Vangiones primum, deinde Agrippinenſes, Lingones, Trevirenſes cæterosque populos, ſub Civilis, Claſſici, Tutoris & aliorum ductu pro libertate pugnantes, ad excuſſum redire cogeret obſequium. Hæc fata Alſatiæ & vicinarum regionum ſub Galba, Vitellio, Veſpaſianique Imp. initio, quocum omnis ubique reſtituta eſt quies, reſtituta quoque eadem dominatio, reſtitutæ leges, ſacra, conſuetudines, diſciplina; quum Veſpaſianus, teſte SUETONIO, (g) nihil antiquius haberet, quam prope afflictam nutantemque ſtabilire primo, deinde & ornare Rempublicam.

§. XXVII.

(c) Cerealis hic, paulo ante à Veſpaſiano, qui ſolium Imperii conſcenderat, in Germanias dimiſſus, ut eas quoque novo Cæſari obſtringeret, unus ex primis Senatoribus, ipſiusque Veſpaſiani affinis erat, a cujus etiam partibus fortiſſime ſteterat. Iſte enim ipſe Cerealis eſt, qui Veſpaſiani, ex Syria Romam pergentis, exercitum duxit, primusque urbem, à Vitellio occupatam, intravit, uti teſtatur XIPHILINUS *ex Dione* pag. 213. edit. Steph. & Lib. LXV. pag. 741. ſq. ed. Wechel.

(d) TACITUS ibidem, Cap. LXVIII - LXXIX.

(e) TACIT. *Hiſt.* Lib. V. à Cap. XIV. usque ad finem.

(f) XIPHILINUS *ex Dione* pag. 217. edit. Steph. & Lib. LXVI. pag. 745. edit. Wech.

(g) *In Veſpaſ.* Cap. VIII.

§. XXVII.

Julius Sabinus, quem ſupra retulimus, illum aſſumpto per ſeditionem Imperatoris titulo, Sequanos, Romanis fideles, cum exercitu invaſiſſe, prœlioque victum eſſe, juſſu Veſpaſiani jam, poſt novem annorum, quibus latuerat, decurſum agnitus, Romam abducitur; ubi cum uxore debitas excitatæ rebellionis pœnas morte perſolvit. (*b*) Sub Imp. hoc Flavio Veſpaſiano Flavia Colonia in urbem Helvetiorum Aventicum deducta fuiſſe videtur, quæ hinc *Flaviæ* nomen accepit. Sed & Via tum illa Aventico-Rauracenſis per Juram Montem Petramque Pertuſam ducta, à Coloniæ hujus Duumviro M. Durmio Paterno; quæ Via in Veſontino-Alſaticam deinceps incidit. An. Chr. 79.

Cohors Uſipiorum, per Germanias noſtras conſcripta, in Britanniam Inſulam, cui Julius Agricola tunc præerat, mittitur. Memorabile hæc ibi facinus auſa. Centurione enim ac militibus, qui diſciplinam militarem ei tradebant, occiſis, tres naves aſcendit, ſine gubernatore; quibus hinc & illinc abrepta, poſt varios cum Britannis ripenſibus conflictus, ad extremum eo inopiæ venit, ut commilitones infirmiſſimis ſuorum veſcerentur: atque ita circumvecti Britanniam, amiſſis per inſcitiam regendi navibus, pro prædonibus habiti, primum à Suevis, mox à Friſiis, intercepti fuerint; uti Tacitus in *Vita Agricolæ*, (*i*) Soceri ſui, memoravit. An. Chr. 83.

Domitianus Imp. expeditionem contra Germanos, ſpeciatim Cattos, nulla cogente neceſſitate, ſuſcepit. De hac expeditione ex Dione Xiphilinus (*k*) annotat, eam omni plane ſucceſſu deſtitutam fuiſſe, quum Domitianus, hoſte nusquam viſo, Romam redierit. Suetonius (*l*) tamen & Aurelius Victor (*m*) prœlia loquuntur, quibus ille devicerit Cattos. Certum quoque Domitianum non ſolum de Germanis triumphum egiſſe, verum etiam nomen *Germanici* (*n*) inter præcipuos ſuos honoris titulos poſuiſſe; imo menſem Septembrem appellaſſe *Germanicum*, Octobrem vero *Domitianum*, quod in illo natus eſſet. (*o*) Sed triumphum, de Germanis actum, quod attinet, Tacitus (*p*) eum Romæ deriſui fuiſſe ſcribit: quod Domitianus coemerit homines, quorum habitus & crines in captivorum Germanorum formati ſint ſpeciem.

§. XXVIII.

L. Antonius, Superioris Germaniæ Præſes, à Domitiano defecit, ſibique titulum Imperatoris tribuit. Cauſam defectionis hujus indicat Aurelius Victor, (*q*) ubi ſic loquitur: "Domitiani ſævitiis, ac maxime injuria verborum, qua ſe ſcortum vocari „ dolebat, accenſus Antonius, curans Germaniam Superiorem, imperium corripuit. „ Scilicet magna tunc paſſim animorum in Domitianum exacerbatio erat, ob immanem ejus ſævitiam ac crudelitatem, quam in optimum quemque tum Romæ, tum alibi exercuit. Nec dubium, quin Antonius plurimos Galliæ Rhenenſis populos, maxime vero Tribocos, Nemetes & Vangiones, quibus præerat, ſeditionis ſuæ habuerit aſſeclas. De duabus Superioris Germaniæ Legionibus atque Germanis trans Rhenum hoc certum eſt; qui poſteriores vero, dum Antonio in Domitiani exercitum ſuppetias ferre volebant, à tranſitu Rheni ipſius hujus fluminis violentia & aquarum ſuarum effuſionibus prohibiti. (*r*) Lucius Maximus enim, quem Victor Norbanum Appium vocat, (*s*) vicinæ cujusdam Gallicæ Provinciæ aut Germaniæ Inferioris Præſes, Antonio, nihil tale exſpectanti, ſupervenit, eumque cruento prœlio devictum, cum maxima Legionum ſuarum parte delevit. (*t*) Domitianus ipſe, nuntio hujus cædis allato, in via erat, ut Legiones ad Rhenum contra ſeditioſos duceret. Rem, miraculo proximam, quæ tunc contigerit, Suetonius narrant atque Plutarchus, (*u*) Domitiani imperio, vergenti ad finem, coætanei Scriptores: famam ſcilicet de victo Antonio, absque ejus comperto auctore, ipſo illo die Romam veniſſe, quo prœlium commiſſum fuit, etſi loca An. Chr. 88.

(*b*) Xiphilinus *ex Dione*, Lib. LXVI. pag. 752.
(*i*) Cap. XXVIII. Xiphilinus *ex Dione* Lib. LXVI. pag. 754. eadem mutatis atque omiſſis nonnullis tradit, quæ ſub Titum Imp. at male, refert: referenda nimirum ſub Domitiani, Titi fratris & ſucceſſoris, regimen; uti Taciti *Agricola* clare oſtendit. Vide Bucher. *Belg. Rom.* Lib. V. Cap. XV. pag. 186.
(*k*) Lib. LXVII. pag. 760. Edit. Wech.
(*l*) In *Domitiano* Cap. VI.
(*m*) *De Cæſaribus* Cap. XI. Item in *Epitome* Cap. XI.
(*n*) Onuphrius Panvinius *Faſtor.* pag. 32. plurimos nummos profert, quibus Domitianus *Germanici* nomen uſurpat.
(*o*) Aurelius Victor loco cit. & Xiphilinus *ex Dione* loco cit.
(*p*) In *Vita Agricolæ* Cap. XXXIX.
(*q*) In *Epitome* Cap. XI.
(*r*) Suetonius in *Domitiano* Cap. VI.
(*s*) Diſſenſum hunc Victoris à Dione tollere videtur Tillemontius *Hiſtoire des Empereurs* Tom. II. in Not. pag. 39. ſq.
(*t*) Xiphilinus *ex Dione* Lib. LXVII. pag. 764. Edit. Wech.
(*u*) In *Paulo Æmilio*, Opp. Tom. I. pag. 268.

plus MMD. inter ſe diſtarent milliaribus. Præſagiis hoc Suetonius tribuit: "Siquidem „ (inquit) ipſo, quo dimicatum eſt, die, ſtatuam Imperatoris Romæ inſignis Aquila „ circumplexa, pennis clangores lætiſſimos edidit: pauloque poſt occiſum Antonium „ adeo vulgatum eſt, ut caput quoque ejus apportatum vidiſſe ſe plerique conten- „ derent. „ Belli hujus civilis eventus quo lætior fuit Domitiano, eo miſeriorem omnium, qui Antonio faverant, conditionem reddidit. Quamvis enim L. Maximus, poſt commiſſum prœlium, omnes, quas in ſcriniis Antonii repererat, Literas igne combuſſerit, ob quod à Dione multum extollitur, ut nempe conjuratorum nomina Domitianum effugerent; hic tamen pleroſque, novo quæſtionis genere inveſtigatos, magno numero variis cruciatibus ſuſtulit. Tribunus tantum & Centurio ex notioribus veniam adepti ſunt, qui ſe, quo facilius expertes culpæ oſtenderent, impudicos probaverant. (*w*)

§. XXIX.

An. Chr. 96. M. Coccejus Nerva apud Sequanos, quo metu Domitiani, atrociſſimi omnium Principis, aufugerat, hoc jam per vim ſublato, à Legionibus Imperator ſalutatur, ſi Aurelio Victori (*x*) quidem fides adhibenda, quum ita ſcribit: "Nerva cum „ extrema ætate apud Sequanos, quo Tyranni defecit metu, Imperium arbitrio „ Legionum cepiſſet . . . . . menſe ſexto & decimo ſemet eo abdicavit. „ Verum Dio Cassius (*y*) aliud indicare videtur, quando Nervam Romæ Imperatorem deſignatum eſſe ſcribit, auctoritate nimirum Senatus, cui populus ſtatim acceſſit, dum milites ab initio cædis, Domitiano illatæ, auctores pertinaciſſime ad ſupplicium trahi poſtularent. (*z*) Conſpirat cum Dione Eutropius, (*a*) qui Nervam Petronii Secundi, Præfecti Prætorio, & Parthenii, interfectoris Domitiani, opera ac ſtudio ad Imperium evectum eſſe ſcribit; ut adeo Romæ, non apud Sequanos à Legionibus, Nerva Imperator factus ſit. Eum tamen tum temporis, quum Domitianus, cui datus eſt ſucceſſor, obiit, in Sequanis fuiſſe verſatum, non plane incredibile, quod Domitianus eum paucos ante, quam occiſus eſt, annos Roma proſcripſerat. (*b*) Hoc modo Nervæ, ad Imperium promoto, idem, quod mox Trajano, evenit; ut ſcilicet Romæ à Senatu abſens deſignaretur Imperator.

An. Chr. 98. Ulpius Trajanus, Inferioris tunc Germaniæ Præſes, à Nerva Imperatore in Capitolio Romæ adoptatur, atque ipſius in Imperio declaratur ſucceſſor. Abſens Trajanus & ignarus ad hoc faſtigium elatus, ſiquidem Coloniæ Agrippinæ, quæ Provinciæ Metropolis, verſabatur; (*c*) Cæſaris & Germanici nomen accepit. (*d*) Ælius Spartianus (*e*) annotat, Hadrianum hac occaſione ex Mœſia Inferiore, ubi apud exercitum erat, ejusdem exercitus nomine Romam eſſe profectum, ut Nervæ Imperatori adoptionis conſenſum & gratulationem deferret; ac inde in Germaniam Superiorem translatum, intellecto mox Nervæ exceſſu, nuntium hunc primum Trajano in Germaniam Inferiorem attuliſſe. Haud dubie vero Hadrianus, poſtquam ex Mœſia Romam redierat, ideo ad exercitum Germaniæ Superioris translatus eſt, quoniam ipſe hoc forte à Nerva petierat, ut Trajano nempe, conſobrino ſuo, jamque ad ſummam Orbis dignitatem evecto, propius adeſſet, & eo facilius gratiam hujus Principis aucuparetur; quod etiam vel tunc maxime factum, quum obitum Nervæ ei annuntiaſſet. Omnia hæc cum præcedentibus qui ſecum expendit, facile intelligit, quantum curæ cordique Romanis fuerit ora noſtra Rhenenſis, ut nonniſi Viros illuſtres ei præficerent Duces, dignos, qui univerſo Imperio præficerentur. Duos ex his, Vitelliom nempe, atque Trajanum, Germaniæ dederunt Orbi Romano Imperatores; Sequani Nervam, qui vero potius exul, quam in publico conſtitutus honore, hic fuerat.

§. XXX.

(*w*) Suetonius ibid. Cap. X.
(*x*) In *Cæſaribus* Cap. XII.
(*y*) Xiphilinus *ex Dione* Lib. LXVIII. pag. 769.
(*z*) Suetonius in *Domitiano* Cap. XXIII.
(*a*) *Hiſtor. Rom.* Lib. VIII. Cap. I.
(*b*) Vid. Tillemont *Hiſt. des Empereurs* Tom. II. pag. 56
(*c*) Xiphilinus *ex Dione* Lib. LXVIII. pag. 770. Edit. Wech. Aurel. Victor. *in Epitome* Cap. XIII. Eutropius Lib. VIII. Cap. II. Paulus Orosius Lib. VII. Cap XII.
(*d*) Plinius *in Panegyr. Traj.* Cap. IX.
(*e*) In *Hadriano Cæſare* Cap. II. Verba Spartiani hæc ſunt, "Trajano à Nerva adoptato, ad gratula- „ tionem exercitus miſſus, in Germaniam Superiorem „ translatus eſt: ex qua feſtinans ad Trajanum, ut „ primus nuntiaret exceſſum Nervæ &c. „ Variæ ſunt Criticorum de hoc loco ſententiæ. Nos Casauboni explicationem ſequimur: quæ reliquis omnibus, & Scaligerianæ, & Salmaſianæ, præferenda videtur, eo quod verba Auctoris optime inter ſe hoc modo conſpirant. Trajanum itaque ſupra pag. 280. nimis præcipitanter inter Germaniæ Sup. Præſides retulimus, de quo Victor & Eutropius ſcribunt, eum Coloniæ Agrippinæ, adeoque in Inferiore Germania, cujus caput erat, nuncium adoptionis ſuæ accepiſſe.

§. XXX.

Ceterum inter præcipuas Trajani laudes Plinius in *Panegyrico* ſuo hoc refert, quod fortiſſimum, ampliſſimum, amantiſſimumque ſui exercitum apud Germanos rexerit, nec ab eo tamen, ſed ab Imperatore ipſo Romæ, acclamante Senatu ac populo, Imperator ſit factus; quodque eidem, quum Germaniæ præſideret, *Germanici* nomen aliunde fuerit transmiſſum. Trajanum in Germania trans Rhenum urbes reparaſſe, itemque Munimentum ſui nominis ibidem contra Barbaros exſtruxiſſe, quod Julianus Apoſtata deinde ſeculo IV. reſtaurari curaverit, Ammianus Marcellinus (*f*) atque Eutropius (*g*) teſtantur. Hoc nonnulli, Trajano apud Germanos Præſide, alii ſub ipſius, poſt Nervæ obitum, Principatu factum exiſtimant. Priorem ſententiam fovet Bucherius, (*h*) poſteriorem Tillemontius: (*i*) ille quidem, ubi ſic loquitur: " Nec ſtatim à Nervæ exceſſu, qui finiente Januario proximo, anni Urb. Cond. DCCCLII. „ contigit, Germaniam noſtram ille deſeruit, urbes trans Rhenum Eutropiu teſte „ reparavit, quas Trans-Rhenani ſub Domitiano, vecorde Principe, ſubverterant. In „ Germania certe noſtra Inferiore ad Rhenum Monumenta Trajani ſunt, *Ulpia caſtra*, „ Veteribus haud procul, & trans Rhenum ad Mœnum fluvium *Trajani munimentum*, „ Ammiano memoratum. Altero igitur anno à Nervæ exceſſu Romam deſideratus „ introiit. „ In novi hujus Imperatoris Trajani honorem anno eodem nonageſimo octavo Veſontini vel Viam publicam Veſontino-Alſaticam ab urbe ſua per Epamanduodurum verſus Rhenum ſtraverunt, vel certe repararunt eam, inſignibusque columnis milliariis ornarunt; quarum una, quæ diſtantiam Epamanduoduri à Veſontione indicat, XXXXIIX. Mill. Paſſ. An. MDCCXVIII. in vico *Mandeuvre*, qui ex oppido illo veteri reliquus eſt, humo eruta fuit.

§. XXXI.

Hadrianus Cæſar in Gallias proficiſcitur, inſigne munificentiæ ſuæ ſpecimen editurus, quum egenos omnes & facultatibus lapſos liberalitatibus ſublevaverit. An. Chr. 120.
Spartianus (*l*) hac de re ita: " Poſt hæc profectus (Adrianus) in Gallias, omnes „ cauſariis liberalitatibus ſublevavit. „ Quid per *cauſarias liberalitates* intelligatur, Casaubonus atque Salmasius (*m*) diſputant. Nobis Salmaſii emendatio haud diſplicet, qua legeretur: *omnes cauſarios*, id eſt, variis caſibus afflictos & facultatibus lapſos, *liberalitatibus ſublevavit.* Alſatas quoque & reliquos Gallos Rhenenſes hujus beneficii Cæſarei participes factos eſſe, eo magis credibile eſt, quod vix alius Galliæ interioris populus tantas bellorum ac deprædationum miſerias à longo jam tempore expertus fuerat. Nec dubium, quin Hadrianus Germaniæ præſertim Superiori plurimum favoris exhibuerit, in qua ſub Nerva & Trajano olim ipſe ſtipendia meruerat. Pergit Spartianus de Hadriano referre, quod inde in Germaniam, eam nempe, quæ cis Rhenum & Provincia Romana erat, tranſierit; paciſque magis quam belli cupidus, militem, quaſi bellum immineret, exercuerit: " Tolerantiæ documentis eum imbuens, ipſe „ quoque inter manipulares vitam militarem magiſtrans, cibis etiam caſtrenſibus in „ propatulo libenter utens, hoc eſt, larido, caſeo & poſca, exemplo Scipionis Æmiliani & Metelli, & auctoris ſui Trajani: multos præmiis, nonnullos honoribus „ donans, ut ferre poſſent ea, quæ aſperius jubebat: ſiquidem ipſe poſt Cæſarem Octavianum labantem diſciplinam, incuria ſuperiorum Principum, retinuit, ordinatis & „ officiis & impendiis &c.

(*f*) Lib. XVII. Cap. I.

(*g*) Loco cit. Vid. ſupra pag. 242. §. CCXL

(*h*) *Belg. Rom.* Lib. V. Cap. I. pag. 189.

(*i*) *Hiſtoire des Empereurs* Tom. II. pag. 61.

(*l*) In *Hadriano Cæſare* Cap. X. inter *Scriptores Hiſt. Aug.* Edit. Hack. Tom. I. pag. 79.

(*m*) In *Notis* ad cit. locum Spartiani; ubi uterque emendationem Textus requirit. Caſaubonus quidem per *cenſuarias liberalitates*, quas in exigendis profeſſionibus cenſualibus, aut cenſibus ipſis, & in privatos Gallos, & in urbes ipſas Galliæ, contulerit Hadrianus. Idem tamen Caſaubonus locutionem: *cauſariis liberalitatibus aliquem ſublevare*, admitti poſſe exiſtimat; ita ut cauſaria liberalitas opponatur illi, quæ virtutis ergo aut meritorum impetratur. Salmaſius vero utramque lectionem rejicit, & eam, quam diximus, haud ſine ratione ſubſtituit.

ANNALES.

Lætus itaqoe fuit Alſatiæ, uti omnis Imperii Romani, ſub Hadriano ſtatus, pace, Rhenenſibus præſertim diu exoptata, regnante; qua amice habebantur exteri, pauperes & afflicti erigebantur à Principe, feroces militum animi largitionibus Cæſaris, non civium exactionibus, reddebantur mitiores; quaque diſciplina ſuam, ad Auguſtei ſeculi exemplum, vim atque ſplendorem recepit.

Iisdem temporibus Bitraſium Pollionem Galliæ Logdunenſi præfuiſſe, ad quem Hadrianus Reſcriptum dederit, jam obſervavimus ſupra. (n)

§. XXXII.

An. Chr. 150. Illa autem ætate, qua Antoninus Pius imperavit, Germaniam Superiorem rexit Cajus Popilius, C. Fil. teſte *Inſcriptione*, (o) quam Senatus Populusque Tiburenſis (*Tivoli*) ei poſuit. Vocatur ibi: *Legatus Imp. Caſ. Antonini Aug. Pii, Proprætor Germaniæ Superioris & Exercitus in ea tendentis.* Virum hunc ſummis jam ſub Hadriano condecoratum honoribus, & ab eo donis militaribus, ob Judaicam expeditionem, fuiſſe donatum, eadem Inſcriptio docet. Diſtinguitur vero hic Popilii munus provinciale ab eo, quod circa milites exercuit, quum alias utrumque ſub unico Legati, aut Proprætoris, aut alio nomine, à Scriptoribus comprehendi ſoleat. Provinciale ſcilicet incolas reſpicit, quo res civiles inter illos Præſides curabant & adminiſtrabant juſtitiam; militare antem, quo omnibus Provinciæ ſuæ imperabant militibus. Præſides Alſatiæ utroque, & civili & militari, imperio muniti erant; uti omnes plerumque fuerunt, qui in Provincias limitaneas miſſi ſunt, ante Conſtantini M. ætatem.

An. Chr. 162. Rhenus poſt diuturnam, qua utrimque fruitus eſt, pacem, ſub Antonini Philoſophi Imp. initio à Cattis turbatur; qui non Germaniam Cis- Rhenanam tantum, ſed & Rhætiam invaſerunt. Eodem tempore Romani Britannos habuere hoſtes, contra quos miſſus eſt Calphurnius Agricola. Cattos autem, ut JULIUS CAPITOLINUS (p) vult, aggreſſus eſt Aufidius Victorinus, cujus tamen nec dignitatem, nec belli adverſus Germanos ſuſcepti exitum, ex ullo rerum Romanarum diſcimus Scriptore. Antoninum Philoſophum, neglecto *Parthici* elogio, *Germanici* nomen ſumſiſſe, idem CAPITOLINUS (q) teſtatur. Debellati ergo ab hoc Imperatore Germani, & triumphus, ſaltem in ſpeciem, de iis actus; quoniam alias ridiculum fuiſſet, ſi Antoninus ſeſe appellaſſet *Germanicum.* Gloriam hanc facile adſcriberemus Aufidio, niſi Capitolinus addidiſſet, Antoninum ipſum Germanici elogium proprio ſibi bello contra Germanos peperiſſe. Marcomannicum bellum procul dubio indigitat, quod, de ordine chronologico rerum parum ſollicitus, in ſequentibus exponit. Scriptores illius ævi in tradenda Hiſtoria tam parum accurati fuerunt, ut priora tempore cum poſterioribus ſæpe confunderent, & privatam Imperatorum vitam magis, quam geſta eorum publica, deſcriberent.

Forte ad eundem annum CLXII. pertinent quoque, quæ SPARTIANUS (r) de Didio Juliano, Legionis viceſimæ ſecundæ Primigeniæ in Germania Legato, poſtea Imperatore, annotat, quod ſcilicet Cattos debellaverit. Hoc ſi admittimus, dicendum eſt, Julianum ſub Aufidio Duce bello contra Cattos interfuiſſe, & gloriæ, ex felici ejus exitu reportatæ, factum eſſe participem.

§. XXXIII.

An. Chr. 166. Temporibus hiſce Antonini Philoſophi circa annum Æræ Chriſtianæ CLXVI. prima Confœderationum illarum, quas Germaniæ populi inter ſe inierunt, fundamenta poſita eſſe videntur. Res maximi momenti, ac non Alſatiæ tantum, ſed & toti Galliæ, imo univerſo Romanorum Imperio, ſi quæ unquam, fatalis. Quum enim hactenus Germani trans Rhenum, in plurimos minores populos diſtincti, inteſtinas diſcordias & bella foviſſent, atque adeo à Romanis haud ægre ſuperarentur, prohiberenturque, ne Rhenum tranſirent, majus jam longe Gallis Romaniſque periculum, majorque bellorum moles imminere cœpit, Germanis in majora corpora coaleſcentibus, ac diſſeminatas paſſim conjungentibus vires in hoſtem communem. Fœdera hæc Germanorum, Marco-

(n) Inter Præſides Alſatiæ pag. 280. Not. (x)

(o) Vid. GRUTERI *Inſcript.* Tom. I. pag. 457. num. 6.

(p) In *Antonino Philoſopho* Cap. VIII. inter *Scriptores Hiſt. Aug.* Edit. Hack. Tom. I. pag. 321.

(q) Ibidem Cap. XII. pag. 337.

(r) In *Didio Juliano* Cap. I. ibidem pag. 574.

Marcomannici belli, quod Antoninus Philoſophus feliciter geſſit, occaſione exorta, JULIUS CAPITOLINUS (s) memorat his verbis: "Gentes omnes ab Illyrici limite usque Galliam conſpiraverant, ut Marcomanni, Nariſci, Hermunduri & Quadi, Suevi, „ Sarmatæ, Latringes & Buri &c. „ Ex his omnibus etſi populis vix unum alterumve „ ad gentem vel Alemannicam, vel Francicam referas, nullus tamen dubito, eam utramque hoc etiam tempore, ſi non jam antea, ita formatam eſſe, qualem ætas mox ſequens Romanis oſtendit. Capirolinus enim plures populorum Germaniæ, qui tum mutuæ ſuæ defenſionis cauſa arma junxerunt, perpetuaque in fœdera coiverunt, omiſiſſe credendus eſt, quum & ipſe Gentes omnes ab Illyrici limite usque ad Galliam conſpiraſſe affirmet.

Prima Chriſtianorum intra Gallias perſecutio à Marco Aurelio Imp. excitatur, qua Lugduni præcipue, & in hujus urbis regionibus, magnus Chriſtianorum numerus morte ſublatus eſt. Alſatiam eo jam tempore Chriſtianos vidiſſe, ſuperius annotatum. (t) Nun vero eadem, quæ Lugdunenſes & Viennenſes afflixit, perſecutio heic quoque mota fuerit, incertum eſt. Quodſi BUCHERIUS (u) ad Belgium ſuum eam ſe extendiſſe recte conjecit, veriſimilius longe eſt, ſuperiorem quoque Alſatiam ea fuiſſe afflictam, quæ non tantum Lugduni propior, ſed & Provinciæ Lugdunenſis partem hoc tempore conſtituerat. An. Chr. 177.

Septimius Severus Lugdunenſi Provinciæ, cujus pars Alſatia noſtra Superior, præficitur, quem ob ſeveritatem, honorificentiam & abſtinentiam à Gallis tantum, quantum nemo, dilectum fuiſſe, teſtatur SPARTIANUS. (x) An. Chr. 186.

Hoc etiam tempore, vel paulo poſt, Peſcennius Niger, amiciſſimus Severo, in Gallias miſſus eſt, ut deſertores milites, qui innumeri fere Gallias vexabant, extirparet. (y) Veriſimili hinc ratione concludimus, oram noſtram Rhenenſem & reliquas Provincias Galliæ ab invaſionibus exterorum atque bellis eo tempore fuiſſe immunes, quo ſummam rerum Aurelius Commodus tenuit, Princeps voluptatum magis, quam rei militaris amans.

Eodem tamen adhuc anno Clodius Albinus, qui poſt Pertinacem, ipſo auctore occiſum, in Gallia Imperator ſalutatus eſt, Friſios Trans-Rhenanos aggreditur, bello eam forte ob cauſam ſuſcepto, ut militibus, ex gerendarum rerum inopia per Galliam laſcivientibus, daretur negotium. Bellum hoc felicem, ac Duci ejus Albino, & apud Romanos & apud Barbaros, glorioſum exitum habuiſſe, JULIUS CAPITOLINUS (z) tradit. Etſi vero, ſecundum SALMASII ſententiam, (a) expeditio hæc Albini non contra Friſios, ſed contra alium quemcunque Germaniæ populum, directa fuerit, generatim tamen heic annoto, pleraque contra Germanos tribus prioribus Æræ Chriſt. ſeculis geſta quæ reperimus, infra Nicrum & ejus oſtia geſta fuiſſe; quum vaſtum illud Romanorum vallum, Nicrum inter & Danubium, ſuperiorem hanc Rheni oram tegeret, quod vallum, ſub Probo Imp. à Barbaris ruptum, mox à Romanis reſtauratum eſt.

§. XXXIV.

Septimius Severus, poſtquam Conſulatum geſſiſſet & annum ferme otioſus Romæ tranſegiſſet, exercitui Germanico, uti SPARTIANUS ſcribit, (b) præponitur, apud quem famam, ante jam partam, longe illuſtriorem reddidit. An. Chr. 191.

"Dehinc à Germanicis Legionibus, (inquit idem SPARTIANUS) ubi auditum „ eſt, Commodum occiſum, Julianum autem cum odio cunctorum imperare, multis „ hortantibus repugnans, Imperator eſt appellatus apud Carnuntum Idibus Auguſtis. „ In manifeſto Spartianus hic errore verſatur. Loquitur de Legionibus Romanis, in alterutra vel utraque cis Rhenum Germania conſtitutis, quibus Severus præpoſitus, & ab iisdem deinceps Imperator appellatus fuerit. Atqui Severus Pannonias, easque univerſas, An. Chr. 193.

(s) In *Antonino Phil.* Cap. XXII.
(t) Sect. præced. §. V. pag. 329.
(u) In *Belgio Rom.* Lib. VI. Cap. II. pag. 191.
(x) In *Severo* Cap. III. Edit. Hack. Tom. I. pag. 594. conf. ſupra pag. 281. Not. (a)
(y) Idem in *Peſcennio Nigro* Cap. III. pag. 646.
(z) In *Clodio Albino* Cap. VI. inter *Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ*, Edit. Hack. Tom. I. pag. 693.

(a) SALMASIUS in *Not.* ad h. l. annotat, veteres Codices Capitolini, omiſſa Friſiorum mentione, magno conſenſu omnes exhibere: *in qua fuſis fugientibus Trans-Rhenanis*; ut adeo Friſii, qui in textu leguntur, loco *fugientibus* vel *fugatis* à corruptore quodam ſubſtituti fuerint.

(b) In *Vita Severi* Cap. IV. & V.

ANNALES.

univerſas, teſte Herodiano, (c) coætaneo Scriptore, rexit, ita ut ejusdem quoque Pannoniæ, non vero Germaniæ, exercituum ſuffragio Imperium acceperit. Herodiano addimus Dionem, (d) qui Severum hoc tempore Paoniæ, ſive Pannoniæ, præfuiſſe ſcribit. Qua ratione Severi ad Imperium per exercitus Germanicos promotionem ad Carnuntum, Pannoniæ Superioris oppidum, Spartianus poſuerit, non equidem intelligo, quum Pannonia Germaniæ nomen nunquam acceperit; ipſeque Spartianus Pannoniam hinc inde diſerte à Germania diſtinguat. Quid autem his in Imperii motibus Galliæ atque Germaniarum exercitus egerint, num à Severi, an vero Albini, ſummæ poteſtatis Candidatorum, partibus, aut denique inter utrumque ſteterint medii, ob inſignem Scriptorum diſſenſum, ſtatuere difficile eſt. Spartianum (e) ſi audias, præter Illyricianos milites Gallicani quoque, à Ducibus ſuis coacti, in Severi, antequam Pannonias, Romam profecturus, relinqueret, verba jurarunt.

§. XXXV.

An. Chr. 193. Refragatur hisce Julius Capitolinus, (f) quum Clodium Albinum eodem, quo Severus ab exercitu Illyriciano electus eſt, tempore in Gallia Imperatorem appellatum eſſe perſcribit. Idem tamen mox in alia videtur abire, hæc verba ſubnectens: " Sed quum alter alterum (Severum puta & Albinum) indignaretur, nec Galli ferre " poſſent aut Germaniani exercitus, quod & ipſi ſuum ſpecialem Principem haberent, " undique cuncta turbata ſunt. " Diverſis hisce Scriptorum teſtimoniis & falſi aliquid, & veri, ſed obſcurius enuntiati, ineſſe exiſtimo. Utrumque in lucem emerget, ſi alios Hiſtoricos, Herodianum præſertim, quem his in rebus teſtem fide digniſſimum reputo, duces ſequaris. Nos itaque, Spartianum & Capitolinum, quantum licebit, conciliaturi, eos, repetita paulo altius rerum origine, in hunc modum explicandos eſſe cenſemus. Pertinax, vitæ & moribus laudandus Princeps, poſtquam Romæ occiſus eſſet, Julianus, corruptis prætorianis militibus, ſummam rerum obtinuit, & à Senatu agnitus eſt Imperator. (g) At Juliani auctoritas & opes nimis anguſtæ erant, quam ut dignitatem, injuſte partam, in tam corrupto Imperii ſtatu diutius ſuſtineret. Ipſe, deliciis crapulæque deditus, vitam mollitie luxuque fluentem traduxit. Hinc, paucis poſt electionem diebus, milites contemtui atque ludibrio eum habuerunt; quorum exemplum quoque ſecutus eſt Populus, alium, & quidem Peſcennium Nigrum, Syriæ Præfectum, loco Juliani flagitans Imperii Rectorem.

Præter Nigrum Juliano quoque æmolus ſupervenit Septimius Severus, qui Cæſaris nomine utramque regebat Pannoniam. Hic ſpe ſummæ dignitatis obtinendæ erectus, multaque & in Julianum & in Nigrum, quos contemtui habebat, acerba locutus, univerſi ſui exercitus acclamationibus Auguſtus Pertinaxque appellatus eſt. Tam felici principio lætus mox ſucceſſus reſpondit, quum Severus ipſe prudentia, promptaque rerum executione, antecelleret cæteros. Brevi poſt enim exercitus Galliarum, teſte Spartiano, iis ſeſe junxerunt, qui in Pannoniis ſub Severi excubabant imperio. Neque dubium eſt, quin Rhenenſes, ſeu Germaniarum, milites, Severo proximiores, eundem cum Sequanis Imperatorem agnoverint, poſtquam Legati eorum pecunia fuiſſent corrupti. Corrupiſſe autem Severum Legatos exercituum, ut pro ſe apud milites loquerentur, Spartianus quoque tradit, id quod de Germanicis Legatis ſpeciatim, ob varias rationes, intelligendum eſſe puto. Inter rationes has, præter vicinitatem Rheni cum Danubio, ea præſertim locum habebit, quod exercitus ad Rhenum, Imperii cuſtodem, haud facile alii numero, auctoritate & fortitudine, inferior erat, pugnaciſſimæ Germanorum genti oppoſitus. Si Galliæ ergo favorem novus Imperator ambivit, multo magis Germanias cis Rhenum in oculis eum habuiſſe credibile eſt, quas Spartianus forte ſub Galliæ nomine comprehendit; ut adeo & Alſatæ Sequani, vel ſuperiores, & Alſatæ Germani, ſeu inferiores, Juliano & Nigro poſthabitis, Severo Principi tunc ſeſe ſubmiſerint. Cujus partes enim exercitus tenuit, eidem provinciales tenebantur parere. Eo lubentius autem Sequani hoc feciſſe videntur, quod Severi, Præſidis Lugdunenſis olim, memoria ipſis dulciſſima erat, uti ex iis, quæ ſupra (h) tradidimus, colligitur facile.

§. XXXVI.

(c) Lib. II. Cap. XXXIII.

(d) Lib. LXXIII. pag. 817. Capitolinus in *Albino* Cap. I. tradit, Severum ab exercitu in Illyrico Imperatorem appellatum eſſe, quo ipſo tamen ab Herodiano atque Dione non multum diſſentit, quia exercitus Illyrici electionem Severi, à Pannoniarum Legionibus factam, mox approbavit.

(e) In *Severo* Cap. V.

(f) In *Clodio Albino* Cap. I.

(g) Herodianus Lib. II. Cap. XXIII.

(h) Ad An. CLXXXVI.

ANNALES.

§. XXXVI.

Rebus hoc modo per Galliam diſpoſitis, Severus Romam contendit, ut à Senatu Populoque omnia, quæ voluerat, citra ſanguinem adipiſceretur. Inde expeditionem in Syriam adverſus Nigrum paravit, quem ſecuritati atque ſaluti ſuæ plurimum obſtare crediderat. Sed obſtabat quoque Britannia ejusque exercitus, quibus univerſis Albinus præerat, homo dives, genere famaque nominis illuſtris, qui bellum olim contra Germanos trans Rhenum proſperrime geſſerat. Quamvis enim nihil in Severum hactenus molitus eſſet, periculoſum tamen ipſi videbatur, Orientem petere, antequam de viri hujus amicitia & ejus conſiliis certus eſſet atque ſecurus. Hinc Severus, ad fraudes confugiens, Albinum ſibi collegam adjunxit & appellavit Cæſarem; quo ipſo ineſcare illum voluit, ne durante adverſus Nigrum bello infauſti aliquid in Occidente ſuſciperet. Teſtem hujus rei integerrimum habemus Harodianum, (*i*) qui eam ita exponit: " Hunc (Albinum) ſibi Severus aſtu ratus adjungendum, ne „ ſcilicet divitiis, genere, exercitibus, famaque nominis, magnis ad concupiſcendum „ Imperium facibus, inſtinctus, ſummam ſibi rerum poſceret, Romamque, haud procul „ à Britannia diſtantem, ſe bellis orientalibus implicito, occuparet: ſtatuit eum ſpecie „ quadam honoris ineſcare; levem alioquin & ſimplicem; tunc vero etiam juranti „ multa per literas credentem. Quare eum Cæſarem appellans, ſpem cupiditatemque „ hominis anticipat poteſtate participanda. Mittit item plenas humanitatis literas, „ obſecrans, ut ipſe potiſſimum curam ſuſcipiat Imperii: opus eſſe aliquo viro nobili „ & ætatis integræ, qualis ille foret: ſe jam ſenem, morboque articulari affectum, „ natos adhuc infantes. Quibus creditis Albinus honorem libenter ſuſcepit, lætus „ citra pugnam aut diſcrimen ullum, compotem ſe voti factum. „

Clodius Albinus itaque non in Gallia Imperium, quod Capitolinus vult, arripuit, ſed partem curarum ejus, à Severo ſponte oblatam, cum titulo Cæſaris accepit. (*k*) Dio (*l*) quidem rem paulo aliter enarrat, quum Albinum revera Reipublicæ inhiaſſe eamque invaſiſſe, ſed poſtmodum à Severo, potentiſſimo ac prudentiſſimo omnium, in ſocietatem Imperii aſſumtum & Cæſarem appellatum eſſe, ſcribit; adeo ut jam omnis Europa, præter Byzantium, Severo devinciretur. Uterque tamen, & Dio & Herodianus, in eo conſentiunt, quod hæc omnia in Britannia peracta ſint, nulla Galliarum facta mentione. Capitolinus forte, tempora à ſe invicem non probe diſtinguens, in errorem ſeductus eſt, quem evitare facile potuiſſet, modo chronologiæ rationem habuiſſet, & priora non confudiſſet cum iis, quæ tribus demum poſt annis ſecuta ſunt.

§. XXXVII.

Tunc enim Severo, ex Oriente, ubi Nigrum deleverat, Romam reduci, novum An. Chr.
cum Albino bellum civile exortum eſt, in Gallia ſola, & Lugdunenſi præcipue, 196.
gerendum. Occaſionem ei dedit Severi, poſt Orientem pacatum, ſuperbia; qua Albino non Cæſaris tantum honores amplius tribuere recuſabat, ſed & eundem ſtructis inſidiis è medio tollere voluit. His vero compertis, Albinus è Britannia in Galliam transmiſit, ut in adverſo ejus litore caſtra collocaret, & vitam ac dignitatem contra Severum tueretur, adverſus quem titulum Imperatoris jam, depoſito Cæſaris nomine, aſſumſit. Miſit quoque literas ad vicinos provinciarum Præſides, ut pecunias & commeatum exercitibus juvandis corrogarent; ſed pauci obedientes fuere: maxima eorum pars vel Severo adhæſit, vel neutrum in cauſa ſua adjuvandum eſſe ſtatuit. Huc jam pertinent ea, quæ ſuperius ex Capitolino retulimus, Gallos ſcilicet & Germanicianos exercitus nec Severum, nec Albinum, tunc ferre potuiſſe, quod ipſi ſuum principem haberent. Quis Princeps hic, univerſas ſub imperio Severi Gallias regens, fuerit, haud adeo clarum eſt. Extat Epiſtola Severi Imp. ad Ragonium Celſum, Gallias regentem, in Spartiani *Peſcennio Nigro*, (*m*) ubi de collapſa exercitus per Galliam diſciplina militari acerbe queritur, & Ragonio imperat, nt, depoſito omni timore, Tribunos primum, deinde militem emendare ſtudeat. Si Ragonius hic Celſus

eo

(*i*) Lib. II. Cap. XLVIII. ubi ita loquitur: *Καίσαρα δὴ αὐτὸν ἀναδείκνυσι, φθάσας αὐτοῦ τὴν ἐλπίδα καὶ τὴν ἐπιθυμίαν τῇ τῆς ἐξουσίας κοινωνίᾳ. Ἐπιστέλλει δὴ αὐτῷ φιλικώτατα γράμματα ἀξιῶν, ἱκετεύων ἐπιδοῦναι αὐτὸν εἰς τὴν τῆς ἀρχῆς φροντίδα . . . οἷς πιστεύσας ὁ Ἀλβῖνος, τὴν τιμὴν ὑπεδέξατο ἀσμενῶς, ἀγαπήσας ἄνευ μάχης καὶ κινδύνου λαβεῖν ταῦτα, ὧν ὠρέγετο. κ. τ. λ.*

(*k*) Conf. Tillemont *Hiſtoire des Empereurs* Tom. III. in Not. pag. 243.

(*l*) Lib. LXXIII. in *Didio Juliano* pag. 837.

(*m*) Cap. III. *Hiſt. Aug.* Tom. I. pag. 650.

eo jam tempore, quo motus Severum inter atque Albinum in Gallia fuerunt, Galliæ præfuit, nullum ſupereſt dubium, quin eum Spartianus, de ſpeciali Gallorum & Germaniciani exercitus Principe loquens, intellexerit. Alſatæ itaque noſtri, cum reliquis Gallis atque Germanis cis Rhenum, per aliquod tempus ſuſpenſi erant, cuinam Imperii Candidatorum, an Severo, an Albino, accederent; donec prævalente Severo, ejusdem, quem deſeruiſſe videbantur, jugum rurſus ſubirent. Annotamus enim, quod poſt leves quasdam velitationes pugna decretoria apud Tiburtium, (*n*) ſeu ſecundum alios, (*o*) apud Lugdunum, inita fuerit, in qua Albinus cum omni exercitu ſuo proſtratus occubuit, & Severo quietam Imperii univerſi reliquit poſſeſſionem. Direpta mox & incenſa Lugdunum civitas, proceres quoque Gallorum plures occiſi: illi nimirum, qui Albini exercitibus pecunias & commeatum erogaverant, uti HERODIANUS (*p*) memorat.

§. XXXVIII.

An. Chr. 213. Antoninus Baſſianus, cognomento Caracalla, quum fratrem Getam Romæ occidiſſet, Gallos atque Germanos vexaturus, ad Rhenum profectus eſt. Apud Gallos res omnes turbatæ; quum non Provinciarum Præſides modo, cæterique officiales, vel occiſi, vel aliis pœnis afflicti, ſed & civitatum atque privatorum jura paſſim turpiter violarentur. Generatim hæc annotat SPARTIANUS, (*q*) de ſingulis provinciis, præter Narbonenſem, nihil diſtincte tradens. Mox pauca de Caracallæ in Rhætiam & contra Germanos expeditione affert, qua *Germanici* elogium viſus eſt meruiſſe. Sed & *Alemannici* ſpeciatim nomen ſibi adſcripſit, eodem SPARTIANO (*r*) ſcribente, poſtquam Alemannorum gentem, mira pugnandi fortitudine præditam, prope Mœnum amnem devicerat. (*s*) Prima hæc Alemannicæ gentis apud Scriptores mentio fit. Alemannos hos à Francis Mœnus, à Romanis Vallum Danubio-Rhenanum, quod accoluerant, adeoque Rhenus, Nicer, Danubiusque diſtinxerant, quamdiu limes hic Trans-Rhenanus, ut à Valeriano Imp. ipſo apud TREB. POLLIONEM (*t*) vocatur, ſubſtiterat. Alemanni non nova gens advena erant, aliunde profecta, quæ nunc demum Mœnum Rhenumque appropinquavit, uti de Burgundionibus, Vandalis, Suevis, Gothis & Hunnis, ſingularibus gentibus, id factum eſſe conſtat; ſed ex pluribus Germaniæ gentibus, in fœdus contra Romanos coeuntibus, compoſiti fuerunt, qui hoc ſibi nomen à fortitudine ſumſerunt, quo omnes ſocii inſignirentur conjunctim. (*u*) Caracalla Imp. ergo quum Alemannici jam ſibi ſumſerit nomen, ſeculo II. fœdus hoc ortum fuiſſe neceſſe eſt; Francicoque hinc fœderi coætaneum. Utrum vero ex his duobus primum fuerit, ex hiſtoria non liquet; id autem ſatis liquet, ad Inferiorem Rhenum feciſſe Francos, quod Alemanni ad Superiorem fecerunt. Catti illi, Hermunduri, Suevi, Trans-Rhenani limitis ſive Valli Romani accolæ, libertatis contra Romanos defendendæ cauſa auctores fœderis ſociique fuerunt; (*x*) ejus denique jam limitis hoſtes evaſerunt acerrimi, quem ſeculo tertio eos ſubinde perrupiſſe, ſine ejus omnino evertiſſe, videbimus. Quum itaque Alemannis Scriptores juniores Rhenum, Mœnum atque Danubium conſtituunt limitem, id non de ſeculo tertio, ſed quarto intelligendum, quo Romani cis Rhenum rejecti ſunt, Vallo deſtructo, quod Romani deinceps nunquam reſtituere potuerunt. Valentinianus I. arces quasdam trans Rhenum exſtruxit, limitem autem nec ille, nec nllus ſucceſſorum reſtituit. Itaque ſeculo IV. toto Germanicam Rheni ripam, Alſatiæ oppoſitam, tenuerunt Alemanni, pertinaciſſimi hoſtes Alſatiæ futuri. Ante ſeculum quartum autem bella, cum Alemannis geſta, apud Moguntiacum parabantur, quod Alemanni Rhenum illo tempore nonniſi Moguntiacum inter atque Nicrum attigerant, reliqua Superioris Rheni Vallum Romanum defenderat. Severus Alexander & Maximinus, Alemannis illaturi bellum, circa Moguntiacum transgreſſi ſunt Rhenum.

§. XXXIX.

(*n*) SPARTIANUS *in Severo* Cap. XI. pag. m. 606.

(*o*) HERODIAN. Lib. III. Cap. XXI. XIPHILINUS *ex Dione* Lib. LXXV. pag. 851.

(*p*) HERODIANUS loco cit. Cap. XXIII. item SPARTIANUS *in Severo* Cap. XII.

(*q*) In *Antonino Caracalla*, Cap. V.

(*r*) Ibidem Cap. X.

(*s*) AURELIUS VICTOR *de Cæſaribus* Cap. XXI. & DIO in *Eclogis Peireſcianis* pag. 748.

(*t*) In *Poſthumo*, Cap. III.

(*u*) Illi, qui Alemannorum originem & nomen ab incolis diverſarum nationum, qui loca à Marcomannis ad Rhenum relicta, occupaverunt, derivant, etymologiam Germanicam *Allerley Manner* præferunt; ſed conjectura, quam ſupra protulimus, eam non admittit, quod Decumates hi Agri, ſive Trans-Rhenanus limes, ſi nonnullas irruptiones Germanorum excipias, in Romanorum manibus, ad ſeculi III. finem usque, conſtanter permanſit. Alemanni ergo extra hoc vallum orti ſunt, illudque non niſi poſt Romanos expulſos obtinuerunt; ita, ut omnes regiones, inter Danubium, Rhenum Nicrumque ſitæ, nonniſi ſeculo IV. Alemanniæ nomen accipere potuerint, Latino Decumatium Agrorum & Trans-Rhenani limitis nomine penitus abrogato. Vid. ſupra pag. 248. §. CCXXII.

(*x*) Vide Rom. Periodi pag. 248.

§. XXXIX.

An. eod. 213.

Quo in loco Alemannos Caracalla aggreſſus ſit, quæ occaſio, qui finis belli fuerit, nulla nobis indicia produnt. Herodianum, qui in deſcribendis illorum temporum fatis ſat diligens eſt, nullam hujus belli nobis reliquiſſe memoriam, miramur. Quamvis enim Caracalliani in Germaniam itineris non ſit oblitus, nec Alemannici belli tamen, à Caracalla geſti, nec alterius cujusdam cum Germaniæ populis prœlii, aut conflictus, ullam fecit mentionem. Loquitur autem HERODIANUS (y) in hunc modum: “Italia „ decedens, (Antoninus Caracalla) ad ripas Danubii pervenit, ac partes Imperii „ Romani, Septentrioni ſubjectas. Ibi aut corpus exercebat aurigando, cædendisque „ cominus omnis generis belluis: aut jus dicebat, ſed rarius, ſtatimque ſententiam „ ferens ac reſpondens, pauculis duntaxat auditis. Cæterum Germanos illic ſibi omnes „ adjunxit, atque in amicitiam conciliavit, ita ut ex his ſocios bellorum & cuſtodes „ corporis, validiſſimum quemque & pulcherrimum ſibi adſciverit. Sæpe etiam Romano „ cultu depoſito, veſtem Germanicam induebat, atque in eorum ſagulis, argento „ variegatis, conſpiciebatur. Capiti quoque flavam cæſariem impoſuit, ad modum Ger- „ manicæ tonſuræ. Hisce læti Barbari mirifice eum dilexerant; gaudebant etiam „ Romani milites, quos ſcilicet ille ampliſſimis largitionibus proſequebatur. „

Transegit ergo Baſſianus aliquod temporis ſpatium in Germania, & in Decumatibus Romanorum agris, Rheno, Danubio, Nicroque incluſis, uti ex lapideis quibusdam Wirtenbergenſis Ducatus & Marchionatus Badenſis Monumentis (de quibus infra) colligimus. Germanorum animos Princeps truculentus conciliare ſibi ſtuduit, ut ſi qui exercituum, quibus erat inviſus, in eum exſurgerent, à Germanis auxilium impetraret ac opem. Hinc etiam Germanos, uti ex Herodiano apparet, corporis ſui cuſtodes delegit, in quibus, ſecundum DIONEM, (z) majorem, quam in propriis militibus, fiduciam poſuit. Idem DIO, (a) ubi res Caracallæ, in Germania geſtas, exponit, haud obſcure indicat, Caracallam in Germania quoque Cis-Rhenana, quæ Provincia Romana erat, aliquandiu verſatum eſſe, poſtquam nimirum ex hoſtium manibus evaſiſſet, magna pecuniæ ſumma redemptus. “Bellum enim geſſit cum Cennis, (b) gente Celtica, „ (*Germanica*) quos ferunt tanta ira incitatos in Romanos irruiſſe, ut tela, quibus illi „ ab Oſrhoenis vulnerati erant, dentibus evellerent è corporibus, ne manus in illis „ cædendis defatigarent, permiſeruntque ei, redempto libertatis nomine magna „ pecunia, ut ſalvus ſe in Germaniam reciperet. „ Si per Cennos hos Catti, aut alius Magnæ Germaniæ populus, intelligantur, non eſt, quod dubitemus, Caracallam inde, traoſito Rheno, in Germanias, quæ juris Romani fuerant, perveniſſe. Eundem vero Caracallam, ut fiſco ſuo optime inſerviret, ad omnes & ſingulos, Imperio ſubditos, & ad Alſatas quoque ſpeciatim univerſos, jus Civitatis Romanæ jam extendiſſe, ſupra (c) jam ex DIONE oſtenſum eſt.

An. Chr. 225.

C. Cæſonius Quir. Macer Rufinianus, Comes Severi Alexandri Imp. circa hæc tempora Pro-Prætor Germaniæ Superioris fuit, uti ex *Inſcriptione* ipſius, à Cæſonio filio Romæ poſita, (d) diſcimus. Nec videtur ille diu Provinciam hanc gubernaſſe quum præter dignitates Senatorias aliasque, plures etiam Provinciæ, ut Africa, Luſitania Achaja, quibus Cæſonius noſter præfuerit, ibidem recenſeantur.

§. XL.

An. Chr. 234.

Sub finem Severi Alexandri, optimi Principis, ex Germanis illis, confœderatis, qui jam *Alemanni* nuncupari cœperant, plurimi Provincias Romanorum, ad Rhenum & Danubium ſitas, hoſtium more intrant, terrent, atque exercitus, utriusque fluvii ripis inſidentes, oppugnant. (e) Primum hoc, quod novimus, ferocitatis Alemannicæ, limitem Rhenenſem ſuperiorem & adjacentes ei regiones, ſpeciatim Alſatiam,

per

(y) Lib. IV. Cap. XII.

(z) Lib. LXXVIII. pag. 891. Edit. Wechel.

(a) Lib. LXXVII. pag. 876.

(b) Quis populus *Cenni* hi fuerint, haud adeo certum eſt, alii Cattos, alii Cenomanos, alii Fennos aliumve populum, per eos intelligunt. Gens Celtica vocantur ſtilo Dionis, qui Germanos trans Rhenum frequentius Celtas appellat; in eo quoque ab aliis diverſus Scriptoribus, quod duos cis Rhenum Germanias numero ſingulari appellet Germaniam.

(c) Pag. 291.

(d) Vide GRUTERI *Inſcript.* Tom. I. pag. 381 num. 5.

(e) HERODIANUS Lib. VI. Cap. XV. Vocat Herodianus populum hunc Germanos, quod recens Alemannicum nomen Romanis adhuc minus uſitatum erat. Alemannos autem, Rhenum inter, Mœnum atque Danubium habitantes, ille haud dubie intelligit, quum Rhenum Danubiumque à Germanis ſuperatum eſſe ſcribit.

ANNALES.

per totius ſeculi quarti decurſum, vaſtaturæ, exemplum. Barbaricarum irruptionum hæc auſpicia diceres, quæ ooo Alſatiæ tantum, & reliquæ oræ Rhenenſi, ſummas calamitates, ſed & Imperio Romanorum in Gallia tandem attulerunt exitium. Si quis ſtatum illius temporis Germaniæ Galliæque perpendat, duplicem eventuum horum cauſam inveniet. Formidoloſiorem faciem tum indoerat Germania, quod, diſcordiis populorum ejus inter ſe ſoblatis, civitates, olim inter ſe diſſidentes, in unam jam ſocietatem, fœderibus, pro libertate contra Romanos tuenda, contractis coiverant. Ab altera vero parte limes Rhenenſis à Romanis adeo negligi cœpit, ut vel nullis, vel modicis præſidiis, eundem muniverint, atque nonniſi tres Legiones ad univerſum Rhenum ſub Severi Alexandri excubarent Imperio; octava nimirum & vigeſima, itemque prima Athenienſis à Domitiano inſtituta, quod ex DIONE (*f*) colligimus. Harum duæ priores, tertiam, uti ætate, ſic etiam honore ac fortitudine ſuperantes, Rhenenſis ad Germaniam Superiorem ripæ Vallique Trans-Rhenani cuſtodes conſtitutæ ſunt; ſat claro indicio, Alemannorum irruptiones præ cæteris timoiſſe Romanos; nec ad Rhenum inferiorem Gallicæ oræ tantum à Germanis tum imminuiſſe periculum. Mirum ergo videbitur nemini, Alemannos, fortem ac numeroſam gentem, Romanos cis Rhenum auſos adoriri.

An. eod. 234. Prima, quam oovimus, tentata irruptio eſt An. CCXXXIV. felicibus initiis, at infelici ſucceſſu. Vix enim de tranſitu hoſtili Germanorum in Galliam, cæſisque Legionibus fama ad Alexandrum Imp. pervenit, quum ipſe magno, Orientalium præcipue militum, exercitu inſtructus in auxilium accurrit. Alemannicæ gentis audaciam ac ferocitatem adeo extimuerunt Romani, ut noo Parthos magis, quam Alemannos, vererentur. (*g*) Adventu Alexandri intellecto, hoſtes, metu perculſi, ad ſua redierunt. Alexander autem, confecto itinere, ad Gallicas Rheni ripas ſubſiſtens, res ad bellum gerendum neceſſarias, teſte HERODIANO, (*h*) ibidem comparavit. Agebatur jam de Alemannis in ipſa Alemannia perſequendis, oe in poſterum Romanas tam facile aggrederentur provincias. Pons Rheno, junctis inter ſe navigiis, quo exercitus in Germaniam penetrare poſſet, impoſitus, & Mauri complures ingensque ſagittariorum oumerus, quos Alexander ſecum ex Oriente adduxerat, adverſus hoſtem armis inſtructi fuerunt. Orientales enim hæ copiæ, utpote leves & expeditæ, Germanis, intra ſilvas ac paludes plerumqoe latentibus, facilius quam Legiones, cladem illaturæ putabantur; quum & ſagittarii ouda eorum capita, prægrandiaque corpora, veluti ſignum aliquod, eminus haud ægre cootingerent. Præterea tanto pugnandi ardore milites hi flagrabant, ut quum deinceps ſpe ſua excidiſſe ſe cernerent, Alexandro Imp. mortem inferrent. Hic enim, Rheno nondum ſuperato, Alemannos ſibi pace ineunda reconciliaturus, magnam pecuniæ ſummam, cujus avidiſſimi eraot, & quarumcunque opus haberent, res eis pollicitus eſt. Hinc murmur, odium & coojuratio militis in Imperatorem, ſtimulos addente Maximino quodam, ex Thracibus oriundo, quem tironibus militiæ Alexander præfecerat. Facinoris, à copiis exteris, nuper adductis, cogitati, Legiones quoque conſciæ ac participes erant, quæ in Germania Superiore, dum Alemanni eam invaderent, ad Galliam Rheni ripam excubuerant.

§. XLI.

Cauſam tantæ in Principem ſuom perfidiæ, in quo, præter juventutem & nimiam matris dilectionem, ſeditioſi nihil damnabant, LAMPRIDIUS hanc etiam tradit, qood ſeveritatem ejus, nomine & re ipſa ſeveri, quamvis annum ætatis ſuæ vigeſimum ſeptimum nondum impleviſſet, poſt indulgentis Elagabali lene imperium Gallicanæ mentes ferre ooluerint. Severitatem autem Alexander in eo exercuit, quod Galliæ, vel Germaniarum potius, Legiones, neſcio qua de cauſa tumultuantes, abjici aut ſtipendiis ſolvi atque dimitti præcepiſſet, uti LAMPRIOIUS AURELIUSqoe VICTOR (*i*) teſtantur. Tumultus forte inde exortus, quoniam Severus, poſtquam perveniſſet ad Rhenum, militum, ibi conſtitutorum, ob Alemannos cis flumen admiſſos, increpaſſet ignaviam.

Cædes

(*f*) Lib. LV. pag. 564. ubi Dio, Alexandri Severi, Mammææ filii, ætate vivens, numerum Legionum, quæ ſub Auguſto fuerant, indicat: ac deinde, oblata hac occaſione, eas recenſet, quæ ſuo tempore, id eſt, ſub Alexandro, paſſim in Imperio ſubſtiterant. Inter has duæ nominantur, Germaniæ Superiori, & unica, Germaniæ Inferiori, cuſtodiendis ad Rhenum poſitæ.

(*g*) LAMPRIDIUS in *Alex. Severo*, Cap. LIX.

(*h*) Lib. VI. Cap. XV.

(*i*) *De Cæſaribus* Cap. XXIV. ubi ita: " Alexander in Galliam maturrime contendit; quæ Germanorum direptionibus tentabatur. Ibi tumultuantes Legionum pleraſque conſtantiſſime abjecit: quod in præſens gloriæ, mox exitio datum.

Cædes itaque Alexandri & Mammææ matris decreta, ac in ejus locum Maximinns, ſeditionis promotor, appellatur Auguſtus. De loco, ubi Alexander cum matre occiſus, diſſentiunt Scriptores. Herodianus illum ſilentio tranſit, ita tamen, ut omnia hæc ad Rhenum peracta eſſe, haud obſcure indicet. Lampridius & Aurelius Victor Sicilam, quam ille Galliæ, hic Britanniæ, vicum faciunt, locum mortis appellant. Per Sicilam vero Calvisius oppidum *Siclingen* prope Moguntiam, & Bucherius (k) vicum *Ober-Weſel*, ditionis Trevirenſis, Bingium inter & Boppardiam ſitum, intelligunt. Orosius (l) & Eusebius (m) ad Moguntiacum ipſum, Superioris Germaniæ Metropolim, factum hoc eſſe autumant, ubi juvenis Princeps cruentis ſeditioſorum manibus fuerit exſtinctus. Hoc modo Germania noſtra Superior facinorum, quæ jam perpetrarunt milites furioſi, omnium fuit ſpectatrix, neque eorum fortaſſis plane immunis. Rhenus Imperio Rom. raræ virtutis ac ſummæ ſpei abſtulit Principem, bonis qoibuslibet eo acerbius dolendum, quo triſtior mox ſub Maximino, indigno ſucceſſore, rebus inducta eſt facies. Ille idem tamen Maximinus bellum, contra Alemannos inſtauratum, fortiter ac glorioſe geſſit, ut docebunt ſequentia.

§. XLII.

Alexandri mortem varii ad Rhenum Superiorem motus, & crudelitatis & fortitudinis Maximini, Reipublicæ invaſoris, teſtes, ſecuti ſunt. Crudelitatem exercuit in omnes ac ſingulos, qui vel Alexandro amici, conſiliarii atque miniſtri, affuerant, vel de ignobili ipſiusmet origine certiores, ac nobilitate generis ei potiores erant. Hos omnes, ſibi inviſos atque ſuſpectos, vel officiis ac mnneribus, vel bonis, non præmiſſo judicio, vitaque privavit, ita, ut ultra quatuor millia hominum hac ſtrage perierint. (n) Quanta rerum in Imperio Rom. poſt Alexandrum exſtinctum contigerit mutatio, hinc nemo non percipit. Maximinus ad Rhenum adeo ſæviit, ut illi ipſi, qui ab initio pro eo ſteterant, deſiderio Alexaodri, cujus fatum acerbe lugebant, excitati, vel occulte conjurationem inirent, vel aperte à novo Tyranno deficere inciperent. Magnus quidam, Vir patricius & conſularis, cum multis militibus ac centurionibus in cædem Maximini conſpirans, pontem, Rheno impoſitum, poſtquam Maximinus, in Alemannos profecturus, illum cum exercitu tranſiiſſet, juſſit abſcindi, ut reditu in Galliam intercluſo, in Germanico ſolo Maximinus occideretnr ab hoſtibus. Quum autem Maximinus nullam ejus rei inquiſitionem vel judicium inſtituerit, ſed conjurationem, Magno imputatam, forte ipſe effinxerit, ut magnæ auctoritatis Virum, ſibi periculoſum, tollendi è medio cauſam haberet, Magni illius conſilium in dubio relinquitur. An. Chr. 235.

Quomodocunque ſe res habeat de Magno, alia Osrhoenorum militum ſeu ſagittariorum, qui ex Oriente huc adducti erant, à partibus Maximini defectio indubia eſt: eo usque agitata, ut Alexandri quendam olim amicum & paulo ante à Maximino caſtris dimiſſum, Quartinum ſeu Titum nomine, (o) Ducem proprium ſibi elegerint, ac purpura regioque apparatu ornatum, invitum tamen, Imperatorem ſalutaverint. Verum neque hi militum conatus ſperatum ſucceſſum habuerunt. Quartinus enim in tabernaculo dormiens, à contubernali quodam & amico, imo & præcipuo defectionis inſtigatore qnondam, qui antea ipſe Oſrhoenis præfuerat & Macedo appellabatur, per inſidias occiſus eſt. (p) Scilicet Macedo bic, Titi amicus, facinus perpetravit, vel quod, ex Capitolini mente, illum ſibi præhabitum eſſe doleret, vel quod Maximini Principis eo gratiam initurum ſe crederet, uti Herodianus obſervat. Verum turpiter per omnia deceptus, ſimilem mox poenam mortis ipſe, tanquam proditor, ſubiit. Ita conjurationibus ad Rhennm ac omni adverſariorum timore ſublatis, Maximinus cum univerſo exercitu, validiſſimo ſane, quem præter Mauros, Parthos, Armenios aliosque Orientis populos, Oſrhoeni quoqoe ſecuti ſunt, pontem, Rheno impoſitum, tranſiit, Alemannis jam bellum, diu cogitatum, magno cum apparatu illaturus. Plurimum

 enim

(k) *Belg. Rom.* Lib. VI. Cap. VIII. pag. 201.
(l) Lib. VII. Cap. XVIII.
(m) In *Chronico* ad An. Chr. CCXXXV.
(n) Julius Capitolinus in *Maximino* Cap. IX. & X. Herodianus Lib. VII. Cap. I.
(o) Diſſentiunt in nomine hujus hominis Scriptores: Herodianus Lib. VII. Cap. III. Quartinum vocat, quem Trebellius Pollio in *Triginta Tyrannis* Cap. XXXII. Titum, & Jul. Capitolinus in *Maximino* Cap. XI. Tycum appellant. Verum Tyranni iſtius nomen fuiſſe videtur Titus Quartinus, poſtrema Capitolini lectione neglecta, uti Doct. Salmasius in *Not.* ad dictum Pollionis locum obſervat.
(p) Fallitur ſine dubio Trebellius loco cit. quum Titum menſibus ſex imperaſſe ſcribit. Non tantum enim narratio Hiſtoricorum repugnat; ſed nec credibile, Maximinum, novæ dignitatis ſuæ quoquo modo conſervandæ ſtudioſiſſimum, hoſtem tam periculoſum ita negleхiſſe, ut illum per totos ſex menſes quietum relinqueret. Forte totidem dies, quot Trebellius menſes habet, intelligendi ſunt. Conf. Tillemont *Hiſt. des Empereurs* Tom. III. pag. 261. Not. 3.

enim ſaluti ac gloriæ ſuæ intereſſe crediderat, ut tam periculoſos Romani nominis hoſtes opprimeret, quo dignus Imperio dignusque Alexandri, Principis juvenis, ſucceſſor haberetur Romæ. Hinc etiam apparatui bellico, quem Alexander ſecum adduxerat, multa præclara addidit, ac numerum militum ex vicinis Galliarum provinciis longe majorem coegit.

§. XLIII.

An. eod. 235. ' Media itaque anni CCXXXV. æſtate, maturis jam ſegetibus, Rheno trajecto, oppoſitam Alemannorum terram Maximinus intravit; ubi omnia per ampliſſimum ſpatium habitatoribus vacua invenit, qui conſuetis ſuis artibus uſi, in Germaniæ ſuæ interiora, ſilvis atque paludibus horrida, receſſerant. Bellum inde, quod incolæ detrectaverant, regioni, pecori ac vicis, ipſorum illatum eſt, tanto quidem furore, ut cuncta jam gladio traderentur & igni. (q) Hæc nemine reſiſtente quum fierent, periculum quoque adeundum eſſe Maximinus decrevit, quo illuſtriora virtutis ac intrepidi ſui animi documenta ederet. Et ſingulare profecto ſummæ fortitudinis mox ſpecimen edidit, Alemannos, quod nemo hactenus auſus fuerat, in ipſis ſilvis atque paludibus, ubi deliteſcere ſolebant, armis aggreſſus. Hoſtes ergo, intra vaſtam paludem ſecuros ac probe munitos, quum deprehendiſſet, nec quiſpiam militum munimenti hujus oppugnationem tentare vellet, ipſe primus equo paludem ingreſſus eſt, reliquumque exercitum, ob ignaviam pudore confuſum, exemplo ſuo ad fortitudinem adeo excitavit, ut cœco quaſi impetu in hoſtem irrueret. Palude ſuperata, Romani tanta Germanos ſtrage ceciderunt, ut & ſtagnum vicinum cadaveribus repletum, & palus ſanguine tanquam in prœlio navali, ſuffunderetur, nec ullus pene Barbarorum reliquus aut ſuperſtes evaderet. (r) Maximini virtuti hæc ſane debebantur, qui non tam imperatoris, quam gregarii militis, officio in pugna hac fungebatur. Refert Capitolinus (s) Literas & partem Orationis, quas, arrogantiſſime ſcriptas, Romam ille ad Senatum miſit. In Oratione ita loquitur: "Brevi tempore, Patres Conſcr. tot bella geſſi, quot „ nemo veterum. Tantum prædæ in Romanum ſolum attuli, quantum ſperari non „ potuit: tantum captivorum adduxi, ut vix ſola Romana ſufficiant. „ Epiſtola vero his conſignata verbis erat: "Non poſſumus tantum, P. C. loqui, quantum fecimus. „ Per CCCC. millia (rectius per quadraginta millia) Germanorum vicos incendimus, „ greges abduximus, captivos abſtraximus, armatos occidimus, in palude pugnavimus. „ Num Maximinus tum, rebus tam feliciter geſtis, in Germaniam noſtram Superiorem, aut in aliam cis Rhenum provinciam redierit, ſilentio Scriptores prætereunt; id tantum annotantes, quod inſtante hyeme Sirmium, celebrem Pannoniæ urbem, perrexerit, ibique novam in Germanos & Sarmatas, ad Oceanum usque Imperio Romano ſubjiciendos, expeditionem paraverit.

§. XLIV.

In tranſitu annotamus, XI. Mill. Virginum Chriſtianarum apud Colonienſes ſtragem in hæc Maximini, ad Rhenum imperantis, tempora à Crombachio (t) aliisque (u) referri. Putat nimirum Crombachius, Virgines has, ex Britannia oriundas, iter ſuum Rhenenſe primum, quo Romam petebant, Severo Alexandro adhuc vivente ſuſcepiſſe, ſub quo Principe Chriſtiani ſumma quiete & ſecuritate Religionis fruebantur; ita ut magnæ illi Virginum turbæ peregrinationem per omnes Romanorum provincias ſuſcipere, ipſamque Italiam & urbem Romam adire, haud difficile fuerit: Mammæa, Alexandri mater, quod fuerit Chriſtiana. Poſtquam vero Alexander Severus apud Moguntiacum, orta inter milites ſeditione, occiſus eſſet, Maximinus, Chriſtianorum hoſtis, Virgines iſtas, Roma Coloniam per Baſilienſium civitatem redeuntes, ob fidei ac pudicitiæ ſervandæ conſtantiam, ſecundum Crombachii tradita, juſſit trucidari; miniſterio præſertim Hunnorum uſus, qui præter reliquos Barbaros, ab Herodiano & Capitolino memoratos, cum exercitu Romano tum ad Rhenum ſubſtiterint. Hanc vero cum aliis de Urſulano martyrio traditionibus quum ſupra jam, quantum opus erat, examinaverimus, hic duos tantum Crombachiani ſyſtematis nævos, quibus laborat, chronologicos annotaſſe ſufficiat.

Primo

(q) Capitolinus *in Maximino* Cap. XII. inquit: " Ingreſſus igitur Germaniam Trans-Rhenanam, per „ CCC. vel CCCC. millia barbarici ſoli vicos incen- „ dit &c. „ Errorem hic in numerum vicorum combuſtorum irrepſiſſe, *& triginta vel quadraginta millia*, non vero, quod plane incredibile eſt, *trecenta vel quadringenta millia*, legendum eſſe, Salmasius ex Codice Palatino docet ad h. l.

(r) Herodianus Lib. VII. Cap. II.

(s) In *Vita Maximini* Cap. XII. & XIII.

(t) In *Urſula Vindic.* Lib. I. Cap. VII. pag. 31.

(u) Vid ſupra pag. 339. ſq.

Primo enim Alexandri Imp. necem, & Maximinianæ tyrannidis, ſeu invaſionis Reipublicæ initium, ſub quo Virgines mortem paſſæ ſcribuntur, Crombachius in annum Chriſti CCXXXVII. male refert, referendum in An. CCXXXV. uti Bucherius (*x*) ipſe, Crombachianæ licet opinionis, in plerisque ſectator, & Tillemontius (*y*) quoque, variis ex argumentis, ſolide adſtruunt. Alterum errorem ejus obſervamus, quod Urſulanæ cædis auctores Hunni reputentur, ac pro tali habeantur populo, cujus nomen non tantum hac Maximini ætate, ſed & mille jam annis ante fuerit in uſu. Ratiocinatur enim Crombachius (*z*) hunc in modum: "Hunni gentibus barbaris innominatis in exercitu Romano, quarum Herodianus, Capitolinus & Lampridius meminerunt, accenſentur; quod Hunni, licet Græcorum, nondum tamen Latinorum, „ literis eſſent commendati. Unde quam maxime, gentilibus Scriptoribus congruenter, „ Hunni dicuntur Urſulanas Virgines occidiſſe. Nam & mille jam annis ante gens illa „ eo nomine utebatur, & ex iisdem locis & confinibus, ubi degebant, exercitus „ Romanus coactus erat, talibusque notis in eo barbararum gentium nomine deſignantur, „ quæ nullis perinde ac Hunnis conveniunt. „ Quo nixus fundamento Crombachius hæc dixerit, ego non video, quum Hunnorum gens ante ſeculum IV. ignoretur, memorata primum ab Ammiano Marcellino, (*a*) occaſione irruptionis Barbarorum ſub Gratiano in Thraciam; ubi Hunnorum gentem ultra paludes Mæoticas glacialem Oceanum accolere, omnemque feritatis modum excedere, ſcribit.

§. XLV.

Sed jam novus quoque & periculoſiſſimus omnium Gallicæ Rheni ripæ, An. Chr. 241.
inferiori præſertim, hoſtis exoritur, *Franci* nimirum; cujus gentis, ex pluribus Germaniæ gentibus quoque, ut Alemanni, coalitæ, nomen apud Scriptores hoc tempore primum refertur. Flavius Vopiscus (*b*) enim, Aureliani Imp. vitam deſcribens, inter præclara ejus geſta hæc quoque refert: quod Tribunus Legionis ſextæ Gallicanæ apud Maguntiacum, Superioris Germaniæ Metropolim, Francos, cis Rhenum irruentes ac totam pervagantes Galliam, ita afflixerit, ut trecentos eorum captos, ſeptingentis interemptis, ſub corona vendiderit.

Quæritur de tempore, in quod hæc Francorum in Galliam irruptio, eorumdemque per Aurelianum ſtrages, à Vopiſco memorata, ponendæ ſint? Aurelianus quidem Tribunus Legionis ſextæ tum fuit, ſed quonam ſub Imperatore ignoratur, tacente Vopiſco. Sunt qui ſub Severo Alexandro, ſunt qui ſub Gordiano juniore, ſunt denique qui ſub Valeriano III. Tribuni munus Aurelianum obiiſſe contendunt. Sub Alexandri finem & annum quidem Chriſti CCXXXIV. Tribunatum ejus refert Bucherius, (*c*) quem poſt longum rei examen ſequitur Carolus Cointius: (*d*) in eo tantum diverſus, quod Alexandri mortem, adeoque & Francorum apud Moguntiam ſtragem, anno ſerius ponendam eſſe ducat. Præcipua hujus ſententiæ ratio à Bucherio inde petitur, quod in *Chronico Alexandrino* legatur: Aurelianum anno CCLXXV. Æræ Dionyſ. & ætatis anno LXXV. diem ſupremum obiiſſe, quo ex calculo ille ſub Alexandri finem in anno vitæ ſuæ XXXV. verſatus & hinc Tribuni officio aptiſſimus fuiſſet. Cointius eo maxime innititur fundamento, quod Severus Alexander, de quo Herodianus, Lampridius aliique ſcribunt, eum Perſico bello confecto adverſus Germanos perrexiſſe, ibidem loci à militibus ſuis occiſus fuerit, ubi Franci ab Aureliano cæſi leguntur, id eſt, Moguntiaci. "Ea (inquit) loci circumſtantia perſuadet, „ Germanos, adverſus quos perrexit Alexander confecto bello Perſico, non alios fuiſſe „ à Francis, quos habitaſſe conſtat in Germania inter Rhenum & Viſurgim; nec „ alienum videtur à vero, Francos trajecto Rheno in Galliam irrupiſſe, Imperatore „ rebus Orientalibus detento, ut acceptam prius ad Moguntiacum cladem, & illatum „ à militibus ſextæ Legionis Gallicanæ dedecus, ulciſcerentur. „ Ejusdem cum Cointio ſententiæ videtur eſſe Jo. Nic. Hertius, (*e*) qui vero rem ipſe non examinavit, aliorum ea in re auctoritatem ſecutus.

(*x*) *Belg. Rom.* Lib. VII. Cap. VIII. pag. 200. & 201. ubi probatur, Alexandrum anno Chriſti vulgari CCXXII. Imperium iniviſſe, & poſt XIII. annorum, novemque dierum, quod Lampridius in *Vita Alexandri* teſtatur, regimen, adeoque An. CCXXXV. principatu & vita privatum eſſe.

(*y*) *Hiſtoire des Empereurs* Tom. III. pag. 260. Not. XI.

(*z*) Lib. V. Cap. XVII. pag. 377.

(*a*) Lib. XXXI. Cap. II. Diſtinguendi ſunt Chuni ab Hunnis, quorum nominum ſimilitudine Crombachius forte deceptus eſt. Chunos Ptolemæus jam memorat, eosque Baſtarnas inter & Roxolanos in Europæa Sarmatia ponit. Eosdem tamen Beda & Saxo Grammaticus atque Helmoldus Hunos vocavere: quum Hunni ex altera parte ab Ausonio, Claudiano, Prospero, Sidonioque Apollinari nonnunquam Chuni, ſed male, appellentur.

(*b*) In *Divo Aureliano* Cap. VII.

(*c*) *Belg. Rom.* Lib. VI. Cap. XIII. pag. 209.

(*d*) *Annal. Eccleſiaſt. Francor.* pag. 19. ſq.

(*e*) In *Notitia Regni Francici vet.* Cap. I. §. II. inter Opuſcula ejus Vol. II. pag. 138.

Digitized by Google

§. XLVI.

An. eod. 241. Viros tamen hos, in re Literaria ſummos, Cointium præſertim, non injuſte alicujus hic præcipitantiæ accuſandos eſſe, liquet exinde, quod Herodianus (*f*) ſcribat, Germanos iſtos, adverſus quos Alexander expeditionem ſuſcepit, intra Rhenum Danubiumque fluvios, Imperii Romani limites, conſtitutos fuiſſe. Atqui terminus hic erat non Francicæ, ſed Alemannicæ regionis, uti ſupra oſtenſum, quodque nos ex variis Scriptorum teſtimoniis adſtruximus alibi. (*g*) Franci hi ſedes ſuas inter Rhenum, Albim, Oceanumque habuerunt. Alemanni Mœno flumine ab illis erant ſejuncti, quod Cointius fatetur. Populus ergo, quem Alexander & poſtea Maximinus impugnarunt, diverſus ab illo, quem Aurelianus ad Moguntiam cecidit: hic enim Francos devicit. Chronologicas rationes, quas Bucherius affert, juſtas haud eſſe atque probatas, ex Monumentis fide dignioribus, patebit. Minime ergo poteſt admitti Hadriani Valesii (*h*) ſententia, qui nomen *Francorum* Romanis ſub Valeriani principatu circa An. CCLV. primum audiri cœpiſſe exiſtimat; Aureliani Tribunatum Leg. VI. Gallicanæ ad tempus hoc referens. Verum enimvero ex Flavio Vopisco (*i*) docemur, Aurelianum ſummos Ducis Conſuliſque honores à Valeriano Imp. conſecutum eſſe, & quidem mox ab initio Imperii ejus; ita ut incredibile ſit, illum Tribuni Legionis officio ſub eodem Principe functum, quod dignitatibus his, in eundem collatis, longe inferius erat. (*k*)

§. XLVII.

Tertia denique ſententia ſupereſt, quæ reportatam Aureliani Tribuni à Francis apud Moguntiacum victoriam temporibus Gordiani Imp. aſſignat; quæ Tillemontii (*l*) & Martini Bouqueti (*m*) ſententia eſt, quam ego lubens amplector. Romanos tum in procinctu Perſicæ expeditionis fuiſſe, quum Aurelianus Tribunus Francos cecidiſſet, cantilena nos docet, occaſione hujus victoriæ vulgata, referente Vopisco: (*n*) *Mille Francos, mille Sarmatas, ſemel occidimus. Mille, mille, mille, mille Perſas quærimus.* Notum eſt bellum iſtud graviſſimum, quod Gordianus contra Saporem Perſarum Regem, anno Æræ Dionyſianæ CCXLII. tam glorioſe geſſit, in quo etiam Imperator hic inſidiis Philippi Arabis, Præfecti tum Prætorio, periit. (*o*) Addit Capitolinus, (*p*) milites ſepulchrum Gordiano feciſſe in finibus Perſidis, eique inſcripſiſſe hunc titulum: *Divo Gordiano, Victori Perſarum, Victori Gothorum, Victori Sarmatarum, Depulſori Romanarum Seditionum, Victori Germanorum; ſed non Victori Philipporum.* En tibi Germanos, quos Gordianus devicerit: unde veriſimilitudo, victoriam Aureliani, adhuc Tribuni, ſub Imperio Gordiani ad Moguntiacum reportatam fuiſſe à Francis, qui heic loci, & alibi ſæpius, generico nomine appellantur Germani, uti Herodianus Alemannos quoque vocitavit Germanos; quod Alemanni & Franci ex Germanicis pluribus populis gentes eſſent conflatæ. Majorem veritatis ſpeciem conjectura hæc accipit, quum perpendimus, eundem Aurelianum felix quoque cum Sarmatis in Illyrico bellum geſſiſſe, quorum Gordianus victor prædicatur, etſi nullum teſtimonium adſit, ex quo conſtet, illum Sarmatis arma intuliſſe. Sub Gordiano itaque Aurelianus, antequam bellum Perſicum Gordianus inciperet, hoc eſt, circa annum Chriſti CCXLI. primum Sarmatas, dein Francos, Provincias Romanorum invadentes, devicit.

Rationibus his, quas ex Hiſtoria illius ævi deſumſimus, Tillemontius (*q*) aliam addit, ex ætate & vita ipſius Aureliani depromptam. Oſtendit enim variis argumentis, falli Chronicon Alexandrinum, quod Aureliano LXXV. annos vitæ adſcribat, ut inde ſequatur, eum anno Chriſti CC. natum jam eſſe, quum tamen dies ejus natalis nonniſi in An. CCXII. ponendus. Hanc emendationem chronologicam ſi quis admittat, uti admitti omnino debet, provenit inde Aureliano ad Gordianum usque ætas XXX. annorum, quæ muneri iſti Tribuni Legionis, quod gerebat quum Francos trans Rhenum rejiceret, conveniens eſt. Num Valerianus eum poſtea, ob pulcherrimum hoc facinus, *Reſtitutorem Galliarum* (*r*) appellaverit, uti quidam exiſtimant, id quidem

(*f*) Lib. VI. Cap. VII.

(*g*) In *Diatriba de Alemannicis Antiquitatibus* Cap. I.

(*h*) *Rer. Francicarum* Lib. I. ad An. CCLV. pag. 2.

(*i*) In *Aureliano* Cap. X. ſqq.

(*k*) Conf. Cointius *Annal. Eccleſ. Francor.* Tom. I. pag. 17.

(*l*) *Hiſtoire des Empereurs* Tom. III. pag. 162. & pag. 300. ſq.

(*m*) In *Rerum Gallicarum & Francicarum Scriptoribus.* Tom. I. pag. 540. Not. (*b*)

(*n*) In *Aureliano* Cap. VII.

(*o*) Vide Jul. Capitolinum in *Gordiano Tertio* Cap. XXVI.

(*p*) Ibid. Cap. XXXIV.

(*q*) *Hiſtoire des Empereurs* Tom. III. pag. 300. ſq.

(*r*) Vopiscus in *Aureliano* Cap. IX.

quidem incertum, ſed veriſimile eſt, quum & *Liberator Illyrici*, ob Sarmatas in Illyrico eodem circiter tempore profligatos atque inde ejectos, appelletur. Aurelianum enim aliud quid in Gallia vel Illyrico geſſiſſe, antequam ad ſolium perveniret, quam ea quæ modo diximus, nullo ex Hiſtorico liquet.

§. XLVIII.

Imperium Romanum ſub Valeriano quum undique hoſtium peteretur irruptionibus, An. Chr. 254.
Perſarum quidem in Orientis partibus, & Germanorum in Occidente, qui Rhenum iterum transgreſſi de poſſeſſione atque imperio Galliarum cum Romanis certabant, Gallienus, à patre in conſortium Regni aſſumtus, Roma limitis Rhenani propugnandi cauſa in noſtras huc oras pervenit, quum Valerianus pater contra Perſas in Orientem eſſet profectus. Auctores rei EUTROPIUS (s) & ZOSIMUS, (t) quorum poſterior eam ita deſcribit: « Gallienus, (conſors Imperii factus, patre in Orientem profecto) » videns Germanicas gentes cæteris infeſtiores, quæ accolas Rheni Gallicas nationes » acrius vexarent, hanc partem ſibi contra hoſtes propugnandam ſumſit. Ipſe quidem » Rheni transjectus cuſtodiens, quantum poterat, interdum transitu hoſtes arcebat, » interdum transeuntibus ſeſe opponebat. Sed quum perexiguas copias habens cum » ingenti multitudine bellum gereret, resque ipſius in anguſtum coactæ eſſent, inito » fœdere cum quodam de gentibus Germaniæ principibus, ex aliqua parte periculum » minuiſſe viſus eſt. Nam cæteros ille barbaros frequenti Rheni transitu prohibebat, » & irruentibus obſtabat. »

Hæc Zoſimi narratio ſatis indicat, utrumque Germaniæ populum, qui in majora ab aliquo tempore fœdera coiverant, & Alemannos ſcilicet, & Francos, Gallicum ſolum Civitatesque præſertim Rhenenſes tum infeſtaſſe, atque ita & Superiorem, & Inferiorem invaſiſſe Germaniam. Gallienus enim cum Germanico quodam Principe pacem ſeu inducias inivit, quem vel ex Alemannis, vel ex Francis fuiſſe neceſſe eſt. Quum autem limes Rhenanus ab hoſtium impetu nec ita eſſet immunis, concludimus, alterutrum iſtorum Germaniæ populorum, omnem jam Germanicam Rheni ripam occupantium, in armis contra Romanos & Gallos perſtitiſſe, dum altera natio, largitionibus ſorte inducta, domi remaneret quieta. Germanos autem, qui hoſtes Gallieni manſerunt, Alemannos fuiſſe inde colligimus, quod recens illis adhuc eſſet funeſtiſſimæ cladis, à Maximino acceptæ, memoria; licet, ob amicitiam cum Alexandro Imperatore, ab omni Romanorum invaſione ſe exiſtimaſſent ſecuros. EUTROPIUS conjecturam hanc noſtram haud parum confirmat, qui Alemannos eodem circiter tempore, quo Gallienus Occidentis provincias, patre abſente, gubernavit, vaſtatis Galliis, in Italiam irrupiſſe ſcribit. (u) Conſentiens Eutropio eſt ZONARAS, (x) qui trecenta millia Alemannorum ab exercitu Romano, vix decem millia hominum explente, ſub Gallieni ductu, prope Mediolanum fuiſſe devicta, memoravit. His equidem non per omnia fidem tribuerim, quod tanta Gallieni felicitas in profligandis tam numeroſis tamque validis hoſtibus à nullo alio Scriptore, temporibus ejus propiore, memoriæ prodita eſt. Id tantum inde elicerem, Alemannos, à Rheni transitu per Gallienum prohibitos, ex altera parte Danubium transgreſſos, Pannoniam Italiamque invaſiſſe; Francis tranquillis, & paulo ante à Gallieno in fœdus receptis.

Galliæ ab Alemannis vaſtari potuerunt, quum Gallienus adhuc Romæ verſaretur, cuſtodia Rheni in ſe nondum ſuſcepta, quas vero adventu mox ſuo à Barbarorum vaſtationibus liberavit. Ita ſalvus Eutropius. Non ſine ratione ergo à Scriptoribus celebratur Gallieni, quam ad Rhenum exercuit, virtus; cujus documenta juvenem eum edidiſſe, EUTROPIUS, AURELIUS VICTOR (y) & ZOSIMUS teſtantur: ita ut primum feliciter ac fortiter, mox commode, ad ultimum pernicioſe imperium geſſerit.

§. XLIX.

(s) Lib. IX. Cap. VI.
(t) Lib. I. Cap. XXX.
(u) Lib. IX. Cap. VI.
(x) Lib. II. pag. 235.
(y) *De Cæſaribus* Cap. XXIII.

§. XLIX.

An. Chr. 259. Chrocus, Rex Alemannorum, matris ſuæ ſuaſionibus inſtigatus, cum exercitu Gallias invadit, ibique nobiliſſimas urbes & ædes ſacras incendit, diruit atque ſubvertit. (z) Inter urbes, quas Chrocus deſtruxit, prima omnium furorem ejus experta eſt Moguntiacum, Superioris Germaniæ caput, ad quam vel certe in vicinia ejus factus Alemannorum pro more ſuo in Galliam tranſitus, quod Rhenus nonniſi inter Nicrum & Mœnum tum ſuperari potuerat. Ad Nicrum enim terminabatur Vallum iſtud, quod Romani ſub Hadriani imperio in Decumatium agrorum finibus per Nicri decurſum adverſus Germanos condiderant; quodque integrum tum adhuc extabat, præſidiis militum probe munitum; ita ut Alemannis, in Galliam tranſituris, perrumpendum prius fuiſſet Vallum, antequam veterem Rhenanum perrumperent limitem. Hæc profecto ſententiam noſtram de Alemannici nominis origine, quam ſupra (a) protulimus, confirmant, quod Alemanni ab omni iſto, quo primum innoteſcere cœperunt, tempore Rhenum è regione Moguntiaci, nunquam vero in eo terrarum tractu, quem Rhenus & Vallum Rom. incluſerant, tranſiiſſe legantur.

Moguntiacum ergo ab Alemannis ſub Chroci ductu captum atque deletum fuit; ſed & Civitas Metenſis deleta, quum Trevirenſis è contra, obſeſſa quidem, ſed fortitudine civium & militis præſidiarii ab excidio ſervata ſit. Chrocus inde, meridionales Galliæ provincias petens, Arelatum obſeſſit, ubi à milite quodam captus, varioque ſuppliciorum genere excruciatus, gladio tandem periit. Hæc quantocunque juniores conſenſu aſſumant Scriptores; (b) haud ſine ratione tamen aliquis ea poſſet ſuſpecta habere, vel in aliud ſaltem tempus reponere. Præterquam enim, quod nihil tale in Annalibus Romanorum legatur, res licet memoratu digniſſima fuerit, mox etiam videbimus, Poſtumum eam præcipue ob cauſam ſummum apud Gallos imperium obtinuiſſe, quod eos adverſus Germanos defenderit. Quæ autem hæc fuiſſet defenſio, ſi tot illuſtriſſimis urbibus, tot ædibus ſacris funditus everſis, maximam Galliæ partem impune pervagari hoſti ſanguinolento licuiſſet? Demandata tum Poſtumo fuit non tantum Trans-Rhenani limitis, ſed & omnis Galliæ cura, cui ſane officio parum ſatisfeciſſet, ſi Alemannos admiſiſſet cis Rhenum, eorumque furori omnia permiſiſſet tam facile. Accedit, quod Aimoinus non Alemannorum, ſed Vandalorum gentem loquatur, quæ junctis ſibi Suevis atque Alanis ſub Chroco Rege depopulata ſit Gallias. Vandalica autem irruptio, non Moguntiaco tantum, ſed & Argentorato omnique Alſatiæ fatalis, initio ſeculi V. demum contigit. Interim Aimoinum refutat GREGORIUS TURONENSIS, Scriptor & tempore & auctoritate Aimoino prior, qui ſub Valeriani Gallienique principatum Chroci cum Alemannis ſuis expeditionem refert. Eutropius ei haud parum favere videtur, quando paulo ante Poſtumi uſurpatam tyrannidem contigiſſe hæc ſcribit: *Alamanni vaſtatis Galliis in Italiam irruperunt.* Item: *Germani usque ad Hiſpanias penetraverunt, & Civitatem nobilem Tarraconem expugnaverunt.*

§. L.

Non dubitamus itaque, Gallias tum circa annum CCLIX. miſere dilaceratas fuiſſe, idque armis præſertim Alemannicæ gentis, quæ ſolita omnino ferocia in urbes maxime, cæteraque loca munitionibus cincta, ſævire ſolebat. Poſtumus fortaſſis, quantacunque præditus eſſet fortitudine, impar viribus erat, quam ut tantæ barbarorum multitudini ſeſe felici cum ſucceſſu opponeret. Trans-Rhenani limitis, id eſt, Valli Romanorum in Decumatibus agris conditi, Dux conſtitutus quum eſſet, facile fieri potuit, ut dum hujus defenſioni atque cuſtodiæ invigilaret, Alemanni ſubita irruptione citeriorem Imperii limitem, Rhenum ſcilicet, ubi vallo & munimentis nudatus erat atque præſidiis, ſuperaverint, quod in tranſeundis fluviis velocitate Romanos longe Germani præcellerent.

(z) Ita GREGORIUS TURONENSIS *Hiſtor. Franc.* Lib. I. Cap. XXX. & AIMOINUS *Hiſtor. Franc.* Lib. III. Cap. I. Scriptores Romani Chrocum ejusque expeditionem ſilentio prætereunt, unico tantum verbo Alemannorum irruptiones tangentes, quæ ſub Gallieno in Gallias factæ ſunt, uti modo annotavimus. Verum difficile judicatu eſt, num Auctores hi de Chroci expeditione, an vero de priore loquantur, quæ ſub Valeriani Principatu circa An. CCLIV. contigit, & ob quam Gallienus ipſe Cæſar Roma ad Rhenum pervenit. Solus EUTROPIUS in fine Lib. IX. Cap. VI. quædam de Alemannis recenſet, quæ huc referri poſſe videntur.

(a) Pag. 248. §. CCXXII.

(b) BUCHERIUS *Belg. Rom.* Lib. VI. Cap. XI. HENRICUS à BUNAU *Hiſtor. Imperii Romano-Germ.* Part. I. Lib. II. pag. 373.

lerent. Deſperatis ergo rebus Poſtumus ex Duce, Galliarumque Præſide, factus eſt Imperator. Vir fortis enim, gravis atque ſeverus, Galliam & Germanicum limitem gubernans, (c) obſequio Gallieni, cujus olim, juſſu patris Valeriani, curam geſſerat, (d) Galliam circa An. CCLIX. facile ſubduxit.

Gallienus, ex Galliis Germaniisque nuper in Italiam vocatus, filium ſuum natu majorem, Saloninum nomine, apud Colonienſes reliquit, eumque vel Poſtumi, quem ipſe Gubernatorem olim quoque habuerat, ſecundum TREBELLIUM POLLIONEM, vel Silvani cujusdam, uti ZOSIMUS (e) tradit, cuſtodiæ & inſtitutioni commiſit. Galli quum hujus pueri arbitrio ſe regi indignarentur, & Gallienus Imp. nonniſi luxuriæ ac ludicris puerilibus vacaret, prætereaque omnis fere tum Gallia ſævis hoſtium Alemannorum direptionibus eſſet expoſita, Poſtumo ſummam rerum obtulerunt, militumque conſenſu proclamarunt Auguſtum. Num Galli ſua ſponte, an Poſtumi ſollicitationibus inducti, hoc fecerint, ignotum eſt. Utrumque tum fieri potuit, rebus Imperii per Gallias, imo & alibi paſſim, frequentia Barbarorum, Provincias invadentium, ita turbatis, ut & Galli liberatorem ſuæque ſalutis vindicem, & Præſides Provinciarum, exercituumve Duces, ſupremam Orbis dignitatem facile anhelarent. Trebellium ſi audias, Poſtumus à Gallis, inſita quadam ſeveritate, luxurioſos non ſerentibus Principes, ad Imperium vocatus eſt. (f) Eundem fere in modum ZONARAS, (g) niſi quod Poſtumum callide rem egiſſe innuat, quo milites, inſigni Germanorum præda locupletati, eaque Silvani juſſu iterum ſpoliandi, Imperatoris nomen & poteſtatem ipſi deferrent. EUTROPIUS (h) contra & ZOSIMUS (i) Poſtumum primum uſurpationis auctorem faciunt, qui calamitates publicas in rem ſuam converſurus, non tantum purpuram ipſe induerit, obſcuris licet parentibus natus, ſed & maximam in Gallieni filium exercuerit crudelitatem. Saloninus ſcilicet Cæſar, quem pater Coloniæ Agrippinæ reliquerat, à Poſtumo in hac urbe obſeſſus, & urbe capta una cum Silvano, Præceptore ſuo, morti traditus eſt. Ab hoc tempore imperium ejus per Gallias & utramque Germaniam firmatum; ita quidem, ut à nonnullis inde demum rebellionis & uſurpationis ejus petatur initium. Si ullus unquam inter Romanos Tyrannos & diu &glorioſe regnavit, profecto Poſtumus eſt, quippe cujus in Gallia imperium per totos ſeptem annos (k) duravit, tanta cum gloria, ut *Reſtaurator Galliarum*, *Germanicus*, (l) aliisque nominibus honorum appellari meruerit. Hinc & maxime à Gallicis populis dilectus & cultus eſt, quos ab hoſtibus Germanis fortiter defendit, perditasque eorum provincias in priſtinum reſtituit ſtatum. Hac quoque uſa quiete eſt Alſatia noſtra; hoſtibus Alemannis, uti videtur, ſub Poſtumo intacta: qui quum Valli Romanorum trans Rhenum ſervaverit integritatem, Alſatiæ, & Vallo & Rheno fortiter munitæ, tranquillitatem eundem quoque ſervaſſe credendum.

§. LI.

Verumtamen tranquilla hæc Galliæ, à Poſtumo occupatæ, poſſeſſio validis Gallieni Imp. quas ipſe adduxerat, copiis tandem turbata eſt; cruento inter Imperatorem atque Tyrannum bello exorto. Præviderat hoc Poſtumus, eique gerendo ut parem ſe redderet, præter Gallos militesque Galliæ præſidiarios, Trans-Rhenanos quoque populos, Francos nimirum, in auxilium vocavit. Priores ſtudio atque amore Principis ſui, poſteriores vero ſpe præmii aut aliis commodis incitati, arma capiebant. Obſcura atque confuſa An. Chr. 262.

(c) TREBELLIUS POLLIO de *Triginta Tyrannis* Cap. III. pag. 259. ubi memorabilis Valeriani Epiſtola, ad Gallos hac occaſione ſcripta, exhibetur. Patet inde manifeſta ſatis ratione, Magiſtratus, qui Galliis nomine Cæſaris præſidebant, illum quoque Germaniæ tractum ſimul rexiſſe, qui, Rhenum inter & Nicrum fluvios ſitus, Romanorum ſuberat ditioni. Hic enim tractus per Trans-Rhenanum limitem à Valeriano deſignatur, cujus regimen atque cuſtodiam Poſtumus, una cum Præſidio Galliarum, obtinuit, atque tamdiu ſervavit, donec poſt mortem Valeriani ex Magiſtratu Auguſti Auguſtus ipſe fieret.

(d) VOPISCUS in *Aureliano* Cap. VIII. ubi alia ejusdem Valeriani epiſtola legitur, quam ad Antoninum Gallum Coſ. ſcripſit & rationes in ea reddidit, cur filium ſuum Gallienum Poſtumo, potius quam Aureliano, commiſerit.

(e) Lib. I. Cap. XXXVIII. Sunt, qui diverſas has duorum Scriptorum ſententias ita conciliant, ut Saloninum ſub fide Poſtumi in Galliis relictum ajant, educatore eidem dato Silvano; adeoque Poſtumum ducem & ſupremum Principis hujus inſpectorem, Silvanum vero Præceptorem ejus faciunt. PHIL. ARGELATUS in MEDIOBARBI *Numism. Imperator. Rom.* pag. 381.

(f) TREBELL. POLLIO in *Gallienis duobus* Cap. IV. & in *Poſthumio* inter *Triginta Tyrannos* Cap. III.

(g) Lib. II. pag. 236.

(h) Lib. IX. Cap. VII.

(i) Lib. I. Cap. XXXVIII.

(k) EUTROPIUS quidem & OROSIUS Lib. VII. Cap. XXII. Poſtumum per decem annos regnaſſe ſcribunt; initium ejus Regni fortaſſis ab eo tempore deducentes, quo ille Dux atque Præſes Galliarum à Valeriano Imp. conſtitutus eſt. Conf. BUCHER. *Belg. Rom.* Lib. VI. Cap. IX. pag. 203.

(l) Farrago nummorum hujus Poſtumi extat, quæ inter plures de Germanis loquuntur. Vocatur in quibusdam *Germanicus Maximus*: celebratur in aliis *Victoria Germanica*.

ſunt iterum, quæ Scriptores de bello hoc memorant. Varia illud utrimque fortuna per plures, uti videtur, annos geſtum eſt, quum & in Gallieno, ſi periculum imminebat, ſubitæ virtutis eſſet audacia. (*m*) Ut vero æmulum tam potentem tamque periculoſum eo facilius opprimeret, Aureolum, Tyrannum Illyrici, inita pace ſibi adjunxit. (*n*) Cum Victorino, militaris induſtriæ Viro, Poſtumum, imminente periculo, imperium ſuum Galliarum participaſſe, TREBELLIUS POLLIO (*o*) ſcribit, qui tamen à Gallieno hoc factum eſſe ſupra annotaverat. Quomodocunque res ceſſerit, bellum hoc inter Gallienum atque Poſtumum aliquoties interruptum atque redintegratum, vario marte continuatum, donec Lolliano promovente Poſtumus anno Chriſti CCLXVI. occideretur.

§. LII.

An. Chr. 266. Poſtumus enim priſtinam in imperando ſeveritatem quum ſervaret, nec tamen amplius tam læta in rebus ſuis fortuna frueretur, Gallorum tandem Romanorumque, qui ei adhæſerant, militum perfidiam expertus eſt. Res ita ſe habuit: Lollianus, quem alii (*p*) Ælianum, itemque Æmilianum vocant, apud Moguntiam, Superioris Germaniæ caput, Auguſti ſeu Imperatoris ſibi ſumſit honores. Bellum inde Poſtumum inter & Lollianum, in quo hic quidem, auctor belli, oppreſſus, ſed & Poſtumus cum filio ſuo, (*q*) propter denegatam militibus ſpoliandæ civitatis Moguntiacenſis, quæ Lollianum adjuverat, poteſtatem, imperio mox ac vita orbatus eſt. Ita quidem VICTOR (*r*) atque EUTROPIUS; (*s*) quibus nec refragatur POLLIO, (*t*) quando ſcribit: " Quum ſe „ graviſſime regeret, (Poſtumus) more illo, quo Galli novarum rerum ſemper ſunt „ cupidi, Lolliano agente, interemptus eſt. „ Facile enim fieri potuit, ut Lollianus, Auguſtus jam appellatus, milites Poſtumi in Principis ſui cædem, quam ob rejectas Moguntiacorum direptiones forte jam intentaverant, magis inſtigaret, eosque largitionibus corruptos in ſuas partes pertraheret. Poſtumo vix ſublato, Germani, victoris ſui metu liberati, non tantum caſtra Romanorum, à Poſtumo trans Rhenum ædificata, ſed & plurimas Galliarum civitates, ſubita irruptione incendunt atque diripiunt. Hæc tamen Lollianus in priſtinum ſtatum quum reſtituiſſet, id quod TREBELLIUS (*u*) inter præcipuas ejus laudes reponit, à militibus ſuis prope Moguntiacum (*x*) poſt breve exiguæ Galliarum partis regimen occiſus eſt. Alſatia, præſertim Inferior, motibus his & converſionibus rerum implicita, primum à Poſtumi, deinde à Lolliani aliorumque Tyrannorum, quos Scriptores memorant, partibus ſtetit, Imperatorum, Romæ ſedentium, plures per annos ſubtracta obſequio. De Poſtumo nullum eſt dubium, quin utramque Alſatiam ſolus poſſederit, quum præter Germanias omnis reliqua Gallia ei paruerit. Limitis Trans-Rhenani, quem Poſtumus fortiter defendit, beneficio, à Germanorum invaſionibus Alſatia tum libera fuit. Tanta enim felicitate in Germanos uſus eſt Poſtumus, ut non Galli modo, ei ſubjecti, hoſtes expulſos, ſed & Germani poſtea, de rebus ſuis integre ſervandis metuentes, nomen ipſius comiter venerarentur. Factum hinc, ut Poſtumus, limitem Galliarum orientalem firmaturus, in ipſo Germanorum, quod occupaverat, ſolo Caſtella, poſt mortem ejus quidem incenſa, ſed à Lolliano reſtituenda, exſtrueret. Caſtella vero hæc trans Rhenum ea præcipue in regione à Poſtumo condita fuiſſe exiſtimo, ubi Rhenus Germanis apertus tranſituque facilis erat, hoc eſt, intra Nicri & Mœni fluviorum oſtia: quod Alemanni tractus hujus accolæ eſſent, irreconciliabiles Romanorum hoſtes; quum Franci, illo tempore Romanorum amicitiam utcunque coluiſſent.

§. LIII.

(*m*) TREBELLIUS in *Gallienis duobus* Cap. IV. & VII.

(*n*) Ibid. Cap. IV.

(*o*) In *Victorino*, ſive *de Triginta Tyrannis* Cap. VI.

(*p*) AURELIUS VICTOR in *Epitom.* Cap. XXXII. & OROSIUS Lib. VII. Cap. XXII. conf. TILLEMONT *Hiſt. des Empereurs*, Tom. III. pag. 299.

(*q*) C. Jun. Caſſius Poſtumus, Cæſar imo & Auguſtus à patre appellatus, multis quoque nummis celebratur, patremque facile virtute ſuperavit. Adoleſcens literis omnibus inſtructus, tam diſertus, ut Controverſiæ ejus Quintiliano dicantur inſertæ. Vid. POLLIO in *Triginta Tyrannis* Cap. IV. pag. 260. Edit. Hack. Uterque Poſtumus inter Tyrannos memorantur; Trebellius Pollio tamen magnis eos laudibus extollit. Per Tyrannos cave ne malos Principes intelligas. Adverſarii victoria illis conciliavit hoc nomen. Vincenti *Imperatoris*, victo *Tyranni* additum eſt nomen.

(*r*) *De Cæſaribus* Cap. XXXIII.

(*s*) Lib. IX. Cap. VII.

(*t*) In *Triginta Tyrannis* pag. 259.

(*u*) Ibidem Cap. V. pag. 261.

(*x*) Idem enim, uti jam diximus Lollianus fuit cum Victoris Æliano & Oroſii Æmiliano, etſi Æmilianus in Ægypto rebellaverat, uti VICTOR in *Epitome* Cap. XXXII. memorat. Ibidem Ælianus dicitur imperium apud Moguntiacum invaſiſſe, & de Æmiliano OROSIUS Cap. XXII. ſcribit, cum ad urbem hanc, quum res novas moliretur, oppreſſum eſſe.

§. LIII.

Lollianum Poſtumi ſucceſſorem, Victorinus exceperat, quem jam Poſtumus olim, à Gallieno Imp. debellandus, ob inſignem rei militaris peritiam & fortitudinem, in principatu æqualem fecerat. (y) Hic, ſi vitium libidinis excipias, integerrimus & optimus Princeps, Poſtumo, promotori ſuo, per omnia fere ſimilis, Coloniæ Agrippinæ ſuam potiſſimum ſedem habuiſſe videtur; ubi ſeditione actuarii cujuſdam, ob adulteratam ipſius uxorem, cum filio ejuſdem nominis occiſus eſt, poſtquam biennio ſolus præfuiſſet Galliis. (z) Ex omni Poſtumi, Lolliani & Victorini hiſtoria patet, eos plurimum temporis ad Rhenum eſſe verſatos, quod in duabus Germaniis excubaret exercitus, à cujus fide & voluntate ſumma in omnem Galliam pendebat poteſtas. Unde non ſemel ſuos Gallis dedit Imperatores, eosdemque pro lubitu ſuſtulit: uti militibus Prætorianis Romæ, & Legionibus Orientis, id quoque facere conſuetum. An. Chr. 268.

Victorino ergo ſublato Marius purpuram accepit, miranda corporis robore pollens, & ex fabrica armorum inter milites olim aſſumtus. (a) Hic ſi diutius imperaſſet, (poſt triduum enim à milite gregario interfectus eſt) in Germanos forte, ſpeciatim Alemannos, expeditionem ſuſcepiſſet, quam eis ſaltem minatus eſt, quum primam ad milites habuiſſet orationem: "Ars mihi (inquit apud POLLIONEM) objiciatur ferraria, „ dum me & exteræ gentes ferrum attrectaſſe ſuis cladibus recognoſcant in Italia. „ Denique ut omnis Alemannia, omnisque Germania, cum cæteris, quæ adjacent, „ Gentibus, Romanum populum ferratam putent gentem, & ſpecialiter in nobis ferrum „ timeant. „

Tetricus denique ſub finem Gallieni, promovente Victoria, (b) Victorini nuper occiſi matre, Galliarum Imperio admotus fuit. Tetricum hunc eo ipſo tempore, quo Auguſtus appellatus eſt, *Præſidatum* in Gallia tenuiſſe, ſeu omnes jure præſidiali Gallias rexiſſe, TREBELLIUS POLLIO (c) ſcribit. Adverſantur ipſi EUTROPIUS (d) & AURELIUS VICTOR, (e) qui Tetricum nonniſi Aquitaniæ Præſidem faciunt. Res dijudicatu difficilis, quod non veriſimile, Tyrannos hos ſeu Uſurpatores, quos hactenus enarravimus, alium quendam toti Provinciæ, multo minus univerſis Galliis, præfecturos fuiſſe; quum ipſi ex Præſidibus facti ſint Imperatores, Galliasque nunquam defererent, ſoli earum ſufficientes regimini. Si certum eſſet, Aquitaniam, Poſtumo, Lolliano & Victorino poſthabitis, in Gallieni fide manſiſſe, dici poſſet, Tetricum Præfecturam ejus obtinuiſſe à Gallieno, qui Tetricus Senator Pop. Rom. & Conſularis vocatur à Pollione. Hoc autem Aquitaniæ præſidium quum ille habuerit, ſplendido quoque, ſed vano, Præſidis omnium Galliarum titulo potuit exornari. Quidquid ſit, Tetricus, Gallieno adhuc vivente, ſummum in univerſas Gallias, adeoque & in utramque noſtram Alſatiam, accepit Imperium, ab exercitibus Germanicianis hortatu Victoriæ ipſi oblatum. Quanquam vero ultra quinquennium Galliæ, Germaniisque præfuerit, nulla tamen ejus ad oram noſtram Rhenenſem geſtorum memoria intereſt. Multa Tetricum feliciter egiſſe, & crebras militum ſuorum pertuliſſe ſeditiones, adeo, ut Aureliano tandem ſpontanea deditione ſeſe tradiderit, generatim annotant Pollio atque Eutropius.

§. LIV.

Poſt mortem itaque Claudii II. quem Ædui, tyrannidis pertæſi, ad recuperandas Gallias fruſtra invitaverant, (f) Aurelianus, quum ſolium conſcendiſſet Romanum, Gallias quoque omnes & utramque ſibi Germaniam facile ſubjecit. Tetricus ſcilicet ipſe, militum ludibrio & impudentiæ jam pridem expoſitus, non Aurelianum modo An. Chr. 273.
literis

(y) TREBELLIUS in *XXX. Tyrannis* Cap. VI. pag. m. 264.

(z) EUTROPIUS Lib. IX. Cap. VII.

(a) Ita TREBELLIUS POLLIO *de XXX. Tyrannis* Cap. VIII. AURELIUS VICTOR autem *de Cæſar.* Cap. XXXIII. & OROSIUS *Hiſt.* Lib. VII. Cap. XXII. Marium hunc Poſtumo ſtatim ſubjungunt, ejusque ſucceſſorem Victorinum faciunt. Trebellius ſibi quoque non ſatis conſtare videtur, quod Cap. XXIV. Tetricum Victorinu ſucceſſorem aſſignet, nulla ibi Marii facta mentione. Excuſari forte ex eo poteſt, quod Marius tertio jam ſui imperii die ſublatus fuit e medio, vixque adeo in cenſum veniat Imperatorum: unde EUTROPIUS etiam ac ZOSIMUS illum prætererunt ſilentio. Rem tam obſcuram, tamque incertam, nos non definimus, id modo anootantes, Marium vivente adhuc Gallieno Remp. invaſiſſe, quod ex Oratione ejus, à Trebellio exhibita, patet. Gallienus autem An. CCLXVIII. in obſidione urbis Mediolanenſis periit.

(b) Victoriæ ſeu Victorinæ, fortiſſimæ mulieris, *Mater Caſtrorum* appellatæ, præcipua quoque geſta peculiari Capite TREBELLIUS in *XXX. Tyrannis* Cap. ult. exponit. Monumentum Victorinæ Divoduri extare', ſupra pag. 314. Not. (z) annotavimus.

(c) *De XXX. Tyrannis* Cap. XXIV.

(d) Lib. IX. Cap VII.

(e) *De Cæſarib.* Cap. XXXIII.

(f) EUMENIUS in *Panegyrico*, Flavienſium ſeu Æduorum nomine ad Conſtantinum Imp. An. CCCXI. Treviris habito, Cap. II. & IV.

ANNALES.

literis occultis precatus eſt, ot veniret in Gallias, ſed & eidem, quum adveniſſet, exercitum prodidit, qui inde, rectore Duceque carens, apud Catalaunos (*Chalons ſur Marne*) miſere oppreſſus eſt. (*g*) Ita cum Gallis reliquis & Germanis cis Rhenum Alſatæ quoque noſtri, à Romano quaſi Imperio per tredecim annos avulſi, ad idem redierunt, non ſub Gallienis, ſed Aureliano, fortiſſimo Principe, gubernacula tenente. Nihil tamen hoſce, quos memoravimus, Tyrannos Reipublicæ nocuiſſe, ſed profuiſſe potius, judicat POLLIO. (*h*) "Ita Gallieno (inquit) perdente Rempublicam in Gallia „ primum Poſthumius, deinde Lollianus, Victorinus deinceps, poſtremo Tetricus, „ (nam de Mario nibil dicimus) aſſertores Romani nominis extiterunt: quos omnes „ datos divinitus credo; ne quum illa peſtis inaudita luxuria impediretur, in aliis „ poſſidendi Romanum ſolum Germanis daretur facultas: qui ſi eo genere tunc „ evaſiſſent, quo Gothi & Perſæ, conſentientibus in Romano ſolo gentibus, vene„ rabile hoc Romani nominis finitum eſſet Imperium. „ Gallia ergo, adeoque etiam Alſatia, per omne hoc uſurpationis tempus, à ſævis Germanorum direptionibus ſecura fuit atque immunis, ſi Tetricum ejusque poſtrema excipias. Alemanni enim quum præter nationes, ſibi finitimas, invaſiſſent Italiam, eaque per Aurelianum iterum eſſent ejecti, (*i*) Gallias etiam invadere auſi ſunt: in quarum forte interiora Rhenenſis exercitus, Tetricum Imp. nihili pendens, ſeſe receperat. Aurelianus vero eadem illos felicitate trans Rhenum rejecit, qua ultra Danubium paulo ante fuerant propulſi, & eo ipſo quidem tempore, quo Tetricum ejusque provincias ſuam ſub poteſtatem recepit. (*k*) Hinc præter Tetricum Francos etiam, Suevos, Vandalos, Germanos, Aurelianus in triumpho duxit, quem FLAVIUS VOPISCUS (*l*) late deſcribit.

§. LV.

An. Chr. 277. Probus Imperator cum copiis ad Rhenum proficiſcitur, ut Germanos, qui poſt Aureliani, feliciſſimi limitum Imperii reſtauratoris, mortem in Galliam irruperant, (*m*) ex illa rejiceret. Limes hic ſcilicet tum procul dubio Romanis præſidiis nudatus fuit, poſtquam Aurelianus, Gallias ſub Tetrico recuperaturus, Rhenenſem, quem adverſum ſibi habuerat, cruenta acie proſtraſſet exercitum. Facile hinc contigit, ut Alemanni, Franci & reliqui Germaniæ Trans-Rhenanæ populi, non in Romana tantum ſeu Gallica Rheni ripa, verum & per omnes fere Gallias, perrupto duplici limite, Vallo Decumatium nempe & Rheno, ſecuri vagarentur, & nobiliſſimas ibi civitates magno numero diriperent. In Decumatium tamen Agrorum & Germaniarum cis Rhenum incolas, ut & Sequanos noſtros exteriores, maxime tum præ aliis ſævitum eſſe, præter ZOSIMUM (*n*) ipſa quoque Geographica ratio docet. Alſatia ergo jam per aliquot annos Alemannica facta, ſub duriſſimo barbaræ hujus gentis jugo diutius forte gemuiſſet, uti per omnem fere ſeculi V. decurſum eam gemuiſſe videbimus, niſi Romani Probum accepiſſent Imperatorem, raræ profecto ſapientiæ atque virtutis Principem. Hic, vix ſummam rerum adeptus, quum Gallicis populis contra Germanos in auxilium feſtinaſſet, tanta uſus eſt felicitate, ut quadringentis hoſtium millibus occiſis, captisque armatorum ſedecim millibus, ſeptuaginta Galliæ civitates, à Germanis occupatas, inter quas Alſaticæ, in ſuam poteſtatem reciperet, ac, hoſtibus trans Nicrum Albamque fluvios rejectis, Vallum illud Hadriani in Decumatibus Trans-Rhenani Imperii agris reſtauraret, validisque denuo firmaret præſidiis. (*o*) ZOSIMUM ſi audias, Probus victorias ſuas inſigni reportavit miraculo, quod exorta inter milites fame, cum pluvia frumentum quoque è cœlo delapſum eſt, ea quidem copia, ut omnis inde exercitus famem depelleret.

Idem Zoſimus prœlium, quod cum Francis Probus inivit, memorat; imo Burgundiones ac Vandalos, Galliæ jam tum imminentes, ab eodem ſuperatos teſtatur. (*p*) Gravem tamen Probi errorem politicum obſervare licet, quod, teſte Vopiſco, ex hiſce devictis Germaniæ populis, quæcunque jam imperata facturis, ſedecim millia tironum non legionibus tantum vel numeris, ſed & militibus præſidiariis atque ripenſibus immiſcuerit; quum Barbari hactenus, inter auxiliares Romanorum recepti, ab ordinaria illorum militia plane fuiſſent diſtincti. Hoc novo conſilio, quo tanta Barbarorum

habita

(*g*) TREBELLIUS loco cit. AURELIUS VICTOR *de Cæſar.* Cap. XXXV. EUTROPIUS Lib. IX. Cap. IX. EUSEBIUS in *Chron.* ad An. Chr. CCLXXIII. Olymp. CCLXII.

(*h*) *De XXX. Tyrannis* Cap. V. pag. 261. ſq. edit. Hack.

(*i*) ZOSIMUS Lib. I. Cap. XLIX.

(*k*) AUR. VICTOR loco cit.

(*l*) In *Aureliano* Cap. XXXIII.

(*m*) VOPISCUS in *Tacito Imp.* Cap. III.

(*n*) Lib. I. Cap. LXVII.

(*o*) VOPISCUS in *Probo* Cap. XIII. & XV. conf. ſupra pag. 243.

(*p*) ZOSIMUS Lib. cit. Cap. LXVIII.

habita eſt ratio, ut abſque ullo dignitatis & juris diſcrimine Legionibus adſcriberentur; ac in provinciarum limitumque (*q*) ponerentur excubiis, magnitudo Romana haud parum detrimenti accepit; quod pluribus ex ſola Galliarum hiſtoria documentis poſſet oſtendi. (*r*) Probus quum Francos, mitioris ingenii populum, neque Romano nomini jam acriter infeſtum, legionario militi promiſcuos adjunxiſſet, novasque paſſim in Imperio ſedes illis conceſſiſſet, hi, priſtinam licentiam anhelantes, totam mox Græciam, Siciliam inde & Africam, eodem ſub Probo vehementer turbarunt, poſtque varios errores ad ſua redierunt incolumes. (*s*)

§. LVI.

Proculus atque Bonoſus, duo Galliarum uſurpatores, ſive ut tum appellabantur, Tyranni, ad Rhenum exſurgunt. Uterque Coloniæ Agrippinæ Rempublicam invaſit, ibidemque à Probo Imp. prœliis oppreſſus eſt. (*t*) De Proculo ſpeciatim annotat VOPISCUS, (*u*) quod hortatu Lugdunenſium, qui, ab Aureliano olim graviter puniti, Probum vehementer timuerant, Imperium arripuerit. Alemannos ille, ſive Germanos, (*x*) quum in ipſa, uti videtur, Germania Trans-Rhenana contriviſſet, à Probo ad ultimas usque Imperii terras fugatus, & inde à Francis, quorum auxilium fruſtra imploraverat, Cæſari proditus eſt, qui debita illum morte è medio ſuſtulit. Adeo Germani omnes, non Franci tantum, venerati ſunt Probum, vel metuerunt potius, ut neque Proculum, neque Bonoſum, adjuvare ſint auſi. An. Chr. 280.

Bonoſus, qui ſub Aureliano Rhætici limitis Dux fuerat, ea occaſione Tyrannidem invaſit, quod Germani Romanas naves, quibus ad coercendos ipſorum tranſitus Rhenus inſtructus erat, incenderant. Hisce navibus quum Bonoſus quoque præeſſet, metu pœnæ, propter jacturam earum infligendæ ipſi à Probo, titulum Auguſti uſurpavit, quo juſtiſſimi Imperatoris ſeſe poteſtati ſubtraheret. (*y*) Diutius ille regnavit, quam Proculus; à Probo tamen, qui An. Chr. CCLXXXII. ſeditione militum in Illyrico periit, denique apud Agrippinenſes ſuperatus, laqueo vitam finivit. Occupaverat autem ille cum Proculo non Gallicas tantum Provincias, & quæ ad Rhenum erant, ſed &

Britannias,

(*q*) Limitis nomine veniebant caſtra, caſtella, turres, burgi, foſſata aliaque id genus, quæ à militibus contra Barbaros cuſtodiebantur; unde milites dicti, *Caſtriſiani*, *Caſtellani*, utrique *Limitanei*. Caſtella & Limitaneæ terræ, caſtellis proximæ, à ſolis militibus, in illis conſtitutis, ex Imperatorum ſanctionibus poſſideri poterant; ad hæc fiebat evectio frumenti.

(*r*) Differunt hac de re CASAUBONUS & SALMASIUS, in *Notis ad Vopiſcum in Probo*, Cap. XIV.

(*s*) ZOSIMUS Lib. I. Cap. LXXI. EUMENIUS *Panegyrici in Conſtantium* Cap. XVIII. ubi ex captivis hos Francos fuiſſe ſcribitur.

(*t*) VOPISCUS in *Probo* Cap. XVIII. EUTROPIUS Lib. IX. Cap. XI. AUREL. VICTOR *Epit.* Cap. XXXVII.

(*u*) *In Proculo* Cap. XIII.

(*x*) VOPISCUS ita habet: " Non nihilum tamen „ Gallis profuit. Nam Alemannos, qui tunc adhuc „ Germani dicebantur, non ſine gloriæ ſplendore „ contrivit, nunquam aliter quam latrocinandi pu„ gnans modo. „ In horum verborum explicatione CASAUBONUS atque SALMASIUS plurimum diſcrepant. Ille Vopiſcum erroris accuſat in eo, quod Alemannos ſub Probo adhuc Germanos appellatos eſſe ſcribat; hic eum defendit. Si Vopiſcus hoc vult dicere, quod Alemannorum nomen Probi temporibus nondum innotuerit, utique craſſam ignorantiam prodit. Verum aliter Vopiſcum interpretatur Salmaſius, ubi in hunc modum ſcribit: " Multo ſane ante Proculum de „ nomine cogniti fuere Romanis Alamanni; ſed pro „ certa duntaxat Germanorum gente, non pro totis „ Germanis, quemadmodum jam accipiebantur Vo„ piſci ætate, & nunc quoque adhuc accipiuntur. „ Alamanni qui dicebantur Caracallæ temporibus, gens „ erat Germaniæ populoſa. Hi Alamanni poſtea toti „ Germaniæ nomen dedere, quæ ab illis Alamannia „ dicta eſt, & etiamnunc ita dicitur. Non multo „ ante Vopiſci tempora id apparet factum, ut Ger„ mania conceſſerit in Alamanniæ nomen &c. „ Ex hac Salmaſii ſententia nomen Alemannicum, quod peculiari hactenus genti competierat, ſtatim poſt Probi obitum Germanis omnibus factum eſſet commune; quoniam Vopiſcus ſub finem Conſtantii Chlori, & initium Imperii Conſtantini M. haud dubie vixit. Sed temerarium Salmaſius hic agit judicem, ſuum aſſertum quod ne unico quidem exemplo comprobare poteſt. Refragatur ei potius Scriptorum omnium ſeculi IV. & ſequentium plurium auctoritas, Ammiani præſertim Marcellini & Gregorii Turonenſis, qui Alemannos, tanquam peculiarem Germaniæ populum, à reliquis Germanis diligenter diſtinguunt. Media demum ætas nonnulla, ſed rariſſima, exempla ſuppeditat, ex quibus docemur, totam Germaniam Alemanniæ quoque nomen induiſſe, quæ appellandi ratio in Gallica lingua etiamnum obtinet. Interim tamen multum abeſt, quin cum Caſaubono Vopiſcum errare credamus. Vult enim innuere hic Scriptor, Alemannos ſub Probo adhuc generali totius Germanicæ nationis nomine ſæpius deſignatos, id eſt, Germanos appellatos fuiſſe: quum ſua ætate Alemanni tantum nuncuparentur, adeoque à Germanis appellatione eſſent diſtincti. Scilicet non negari poteſt, Alemannicum nomen Romanis ſub Caracalla jam fuiſſe cognitum; neque Vopiſcus id negat. Sed non minus certum eſt, Scriptores ſec. III. quum de Alemannis loquuntur, illud ſæpius tacuiſſe, ejusque loco vetus uſurpaſſe nomen Germanicum. Hoc vel ex unico HERODIANO probamus; qui, poſt tempora Caracallæ vivens, populum illum, adverſus quem Severus Alexander expeditionem militarem ad Rhenum ſuſcepit, quemque Rhenum inter atque Danubium habitaſſe ſcribit Herodianus, conſtanter Germanos appellat, uti ſupra ad An. CCXXXIV. à nobis jam obſervatum.

(*y*) VOPISCUS in *Bonoſo* Cap. XV.

ANNALES.

Britannias, Hiſpanniasque ſibi vindicavit. (z) Rem obſcuram Bucherius (a) ita explicare aggreditur: "Suſpicor Proculum & Bonoſum diverſis Galliarum partibus à „ Probo præpoſitos, illum Lugduneoſi, hunc Belgicæ noſtræ, Rhenanique limitis „ Ducem, tametſi ſeparatim ſibi quisque purpuram primum hauſiſſet, metu tamen Probi „ conſpiraſſe. „ Alſatis noſtris, ſaltem ioferioribus, jus vites ſerendi colendique primum à Probo fuiſſe conceſſum, pluribus teſtimoniis docui. (b) Jus hoc cur non ad eos quoque translatum, qui Rhenum inter & Vallum Hadriani, ſeu in Decumatibus agris, Romano paruerunt Imperio? Quæcunque Probum impulerit ratio, ut tam inſignis privilegii Gallos omnes participes faceret, oonnulli eorum pridem coluerant vineas. Plurimum autem Romanis intererat, ut Trans-Rhenani limitis accolas, ferociæ gentis Alemannicæ nunquam non expoſitos, optime ſibi obſtringerent, novisque juribus calamitates, quas ouper demum ſummas pertulerant, reſarcirent.

§. LVII.

An. Chr. 283.

Carinus, Cari Imp. filius natu major & Cæſar jam nuncupatus, cum viris lectiſſimis in Gallias mittitur, ut eas cum Germanicis Provinciis, noſtraqoe Alſatia, contra hoſtes Germanos tueretur, & novas ibi, quibus Galliam ſæpius obnoxiam vidimus, prohiberet ſeditiones. (c) Barbaros proximas ſibi Galliarum provincias, cognita Probi morte, denuo invaſiſſe, ideoque Carinum in oras noſtras occidentales à patre miſſum fuiſſe, perhibet Aurelius Victor. (d) Aderat jam tempus illud, quo Imperatores curam pruvinciarum, Gallicarum præſertim ac Rhenenſium, filiis ſuis vel creatis Cæſaribus demandarunt; quum conſultius videretur, eos potius, qui certam obtinendi Imperii ſpem haberent, limitibus, ab hoſte deſeodendis, quam inferioris conditionis homines præponi. Carinus autem quid contra Germanos ſuſceperit, nullibi proditum eſt. Gallias, Germanorum irruptionibus prope devaſtatas, miſeriores ille reddidit, quod & ex prava ejus ac corruptiſſima indole, (e) & ex inteſtinis plurium Gallorum motibus, qui proxime inſecuti ſunt, quosque Bagaudicos (f) vocarunt, facile elicimus. Seculo V. Bagaudæ, qui jam ſub Carini è Gallia diſceſſu tumultuati ſunt, ii vocabantur, " qui per malos judices & cruentos ſpoliati, afflicti, necati, poſtquam jus Romanæ „ libertatis amiſerant, etiam honorem Romani nominis perdiderunt. „ Salvianus (g) ubi hæc docet, ita Bagaudas deſcribere pergit: "Vocamus rebelles, vocamus perditos, „ quos eſſe compulimus criminoſos. Quibus enim aliis rebus Bagaudæ facti ſunt, niſi „ iniquitatibus noſtris, niſi improbitatibus judicum, niſi eorum proſcriptionibus & „ rapinis, qui exactionis publicæ nomen in quæſtus proprii emolumenta verterant, & „ indictiones tributarias prædas ſuas eſſe fecerunt: qui in ſimilitudinem immanium „ beſtiarum non rexerunt traditos ſibi, ſed devorarunt &c. „ Hisce ſeculi V. Bagaudis ſimiles eos fuiſſe, quos Maximianus Cæſar An. CCLXXXV. oppreſſit, quique Amando & Æliano Ducibus inſurrexerunt contra Romanos, incerti cujusdam Panegyristæ (h) verbis probatur: "Hic (Maximianus Herculeus) eſt, qui in ipſo ortu numinis ſui Gallias, „ priorum temporum injuriis efferatas, Reipublicæ ad obſequium reddidit, ſibi ipſas ad „ ſalutem. „ Quamvis eoim Bagaudæ non exprimantur oomine, eos tameo intelligit Anonymus, quum prima Maximiani expeditio, poſtquam in Cæſarem à Diocletiano eſſet promotus, adverſus Bagaudas Gallos, duriſſimis Carini legibus & exactionibus ad arma provocatos, fuerit ſuſcepta.

§. LVIII.

(z) Idem in *Probo* Cap. XVIII.

(a) *Belg. Rom.* Lib. VII. Cap. III. pag. 219.

(b) Pag. 326. §. III.

(c) Vopiscus in *Caro*, Cap. VI. & in *Carino* Cap. XVI.

(d) *De Cæſarib.* Cap. XXXVIII.

(e) Vid. Vopiscus in *Carino* Cap. XVI.

(f) Aurel. Victor *de Cæſar.* Cap. XXXIX. Eutropius Lib. IX. Cap. XIII. Conf. Du Bos *Hiſt. Critique de la Monarchie Françoiſe* Lib. II. Cap. II.

(g) *De Gubernat. Dei* Lib. V. pag. 150.

(h) Inter *veteres Panegyricos*, qui Pariſiis 1676. in uſum Delphini prodierunt, pag. 194. ſq., Huc pertinent etiam verba Claud. Mamertini in *Genethliaco Maximiani Aug.* ibid. pag. 129. " Non „ dico exacerbatas ſeculi prioris injuriis, per clementiam veſtram, ad obſequium rediiſſe provin- „ cias.

§. LVIII.

Burgundiones & Alemanni, fœdere, ut videtur, ab aliquo tempore inter ſe junсti, (*i*) tranſito ſuperiore Rheno, Galliæ univerſæ minitantur excidium. (*k*) Maximianus, qui plurimum temporis apud Treviros (*l*) verſabatur, domeſticos Bagaudarum tumultus vix oppreſſerat, quum novus, ſed priore longe periculoſior, ei hoſtis ſuboriretur atque externus. Hæc autem Germanorum irruptio, ſi Gallis omnibus terrorem incuſſit, triſtiſſima Rhenenſium conditio fuit. De Alſatis tamen res non ſatis comperta, quod adhuc incertum, an Barbari Trans-Rhenanum quoque limitem, quem Probus nuper reſtituit, cum ipſo Rheni limite ſimul perruperint. Alemanni ſi Decumatibus prius agris potiti ſunt, antequam Gallias invaderent, Alſatas furorem gentis inter primos ſenſiſſe liquet, id quod, Vallo Hadriani Probique ſervato, non tam facile fieri potuit. Reliquos Barbaros, Herulos nempe & Chaibones, quos, irruptionis ſocios, Mamertinus pariter memorat, quorumque ſedes BUCHERIUS (*m*) ad mare Codanum ſeu Balthicum quærit, inferiorem puto Rhenum tranſiiſſe, dum ſuperiorem ejus partem Alemanni ac Burgundiones tranſirent. Hos Maximianus conſilio potius, quam vi armorum delevit; rebus ſuis ita diſpoſitis, ut illi, nimia multitudine anguſtis circumſcripti limitibus, primum fame, mox peſtilentia, tandemque gladio perirent. An. Chr. 286.

Hoc tempore Aurelius Proculus Sequanis præfuiſſe creditur, fide Inſcriptionis antiquæ, ubi murum Vitoduri, Helveticæ civitatis, in Pago Turicenſi ſitæ, per ipſum reſtauratum legimus. Aurelium Proculum hunc inſignibus tum claruiſſe muneribus, ipſumque juſſu Principum, qui jam ſolium Imperii occuparunt, Vitodurum muro circumdediſſe, nemo in dubium vocat: illi autem falluntur, qui Sequanos Proculo, tanquam Præſidi ſuo, paruiſſe arbitrantur. Genuinum Inſcriptionis, quæ Conſtantiæ extat, exemplum ex duobus ſeculi XVI. Scriptoribus à me productum eſt alibi. (*n*) In eo vero nulla de Sequanis, nec de Maxima Sequanorum, mentio fit, quæ Provincia ſeculo IV. demum exorta. An. Chr. 295.

§. LIX.

Alemanni, occupatis prius Agris trans Rhenum Decumatibus, in Tribocos & Sequanos irruunt; ex hiſce penetraturi ad Lingones, vicinum Sequanis, nobilemque Galliæ Lugdunenſis populum. Hic Conſtantius, qui Galliæ univerſæ tum præfuit Cæſar, ad urbem illorum præcipuam, atrox cum Alemannis prœlium iniit, clade utrimque accepta celebri. Contigit enim, ut quum initium conflictus non exercitui tantum Romano funeſtum, ſed & Conſtantii Cæſaris ſaluti periculoſum fuiſſet, (*o*) Alemanni, reſtaurato mox à Romanis prœlio, ad internecionem usque profligarentur. Sexaginta horum millia, quæ Conſtantius jam ceciderit, Scriptores (*p*) memorant paſſim; unde conjicere licet, quam potens, quamque numeroſa fuerit Alemannica natio, quæ identidem à Romanis cæſa, majore tamen & numero & animo in Gallias ſemper An. Chr. 296.

(*i*) Burgundiones Alemannorum jam erant vicini, à quo illi ex ſedibus ſuis antiquis, ad mare Balthicum ſitis, profecti ſunt verſus meridiem. Hic dum ſubſtitiſſent, communem mox in diripiendis & expugnandis Romanorum cis Rhenum provinciis cauſam fecerunt, mox inter ſe ipſos diſſidia habuerunt ac bella domeſtica. Hinc EUMENIUS in *Genethl. Maximiani Aug.* Cap. XVII. ait: "Burgundiones Alamannorum agros occupavere, ſed ſua quoque „ clade quæſitos. Alamanni terras amiſere, ſed repetunt. „ Uterque populus ethnicis ſacris tum adhuc addictus erat: Burgundionibus initio ſeculi V. demum ad Chriſtum converſis. OROSIUS Lib. VII. Cap. XXXII.

(*k*) CLAUD. MAMERTINUS in *Panegyr. Maximiani Herculei*, Cap. V.

(*l*) Hoc itaque tempore Auguſta Trevirorum ſedes Imperatorum ac Cæſarum fieri incepit. Poſt Maximianum enim ibi regiam palatiumque per annos amplius centum habuerunt, Fl. Valerius Conſtantius, Conſtantinus M. ejusque filii Conſtans & Conſtantius; item Valentinianus ac filii ejus, Gratianus & Valentinianus junior, hisque Imperatoribus abſentibus eorum Cæſares: Tyranni quoque Magnentius Aug. cum fratre Decentio Cæſare, Maximus Aug. cum filio Victore & Eugenius Auguſtus, quorum pleique in repellendis Francorum, Alemannorumque bellis, occupati fuerunt. Hinc AUSONIUS in *Moſella* ſua urbem Trevirorum *ſolium & dignata Imperio mœnia* vocat.

(*m*) *Belg. Rom.* Lib. VII. Cap. IV. pag. 221.

(*n*) Supra pag. 232. §. XVII.

(*o*) EUMENIUS in *Panegyr. Conſtantini M.* Cap. VI. de Conſtantio, ejus patre, ita habet: "Quid „ commemorem Lingonicam victoriam, etiam Imperatoris ipſius vulnere glorioſam? Quid Vindonis „ campos hoſtium ſtrage completos, ſed adhuc oſſibus opertos? „ Vindoniſſenſem hanc cladem de Alemannis quoque intelligendam eſſe, loci gentisque ſitus nobis perſuadent. Sed tempus pugnæ commiſſæ haud æque eſt evidens. Si ordinis geſtorum, qui in Panegyricis obſervari ſolet, ab Eumenio habita fuit ratio, Alemannos poſt primam cladem, in Lingonibus acceptam, à Conſtantio rurſus ad Vindoniſſam devictos fuiſſe, neceſſe eſt. Meminit idem EUMENIUS paulo ſuperius Cap. IV. victoriæ cujusdam Vindoniſſenſis, quam vero diu ante Lingonicam Conſtantius reportaſſe videtur. Verba ejus hæc ſunt: "Te „ enim tantum ille & Imperator in terris, & in cœlo „ Deus, in primo ætatis ſuæ flore generavit, toto „ adhuc corpore vigens, illa præditus alacritate ac „ fortitudine, quacum bella plurima, tum præcipue „ campis Vindonis geſſit. „ Conſtantinus M. circa An. CCLXXIV. natus fuit, ad quod tempus forte hæc in campis Vindonis geſta referenda ſunt.

(*p*) EUTROPIUS Lib. IX. Cap. XV. OROSIUS Lib. VII. Cap. XXV. In nonnullis quidem Oroſii editionibus LXX. millia Alemannorum cæſa leguntur; ſed refragantur Codices Manuſcripti.

ſemper rediit. Crevit cum tempore populus, noſtræque Alſatiæ formidoloſior factus eſt in dies. Poſt pugnam Lingonicam publica Superioris Rheni quies ſub reliquo Conſtantii Chlori imperio illæſa ſubſtitiſſe videtur, diſpellenda rurſus præmaturo fortiſſimi hujus Principis obitu, qui An. CCCVI. contigit. Ejectis enim è Gallia Barbaris, Rhenus firmis, quibus olim defenſus eſt, præſidiis ita auctus, ut non armatis tantum navibus totus inſtrueretur, ſed & juxta ripam ejus ad Oceanum usque diſponeretur miles. (*q*) Decumatibus tamen Agris, Vallo nudatis, Romanos quoque potitos, aut Trans-Rhenanum Imperii limitem à Conſtantio, uti à Probo, reſtitutum eſſe, nullibi legimus. Contrarium potius rerum circumſtantiæ indicant. (*r*) Urbem Nemetum à Conſtantio Cæſare tum reſtauratam, vel ſecundum alios primum conditam, Lehmannus (*s*) refert, ſed idoneas conjecturæ ſuæ non adducit rationes. Conſtantium Chlorum Spiræ non ſepultum fuiſſe, infra (*t*) docemus.

§. LX.

An. Chr. 303. Alſatiæ ab hoſtibus externis tranquillitas haud parum Diocletianea Chriſtianorum perſecutione turbatur. Quanquam enim monumenta non proſtent, unde appareat, qua ratione in Germaniæ Superioris, quave in Sequanici incolas, Chriſtum profeſſos, fuerit ſævitum, plures tamen ex Alſatis turbo ille non potuit non involvere; qui omnes totius orbis Romani provincias ita peragravit, ut Chriſti cultores brevi delendos ubique ſperarent Gentiles. Non exiguus autem Chriſtianorum per Alſatiam numerus extare tum debuit, leniſſimo Conſtantii Chlori Cæſaris regimine auctus, qui à pluribus jam annis noſtræ regioni præfuit, quique ipſe Gentiliſmum averſatus eſt. Unde Perſecutio vix per biennium apud Gallos durare debuit, ejusdemque Principis lenitate imminuta, (*u*) imo poſt Diocletiani & Maximiani Impp. abdicationem, qua Conſtantius evaſit Auguſtus, plane ſublata fuit. Epiſcopos quidem Alſatia tum nondum habuit, niſi Paſtores, Chriſtiana Sacra adminiſtrantes occulte, ita appellare volueris. Martyrologia Rictiovarum quendam producunt, cujus anctoritate Treviris præcipue innumerabiles pene martyres ſub Diocletiano, vario mortis genere, necati perhibentur.

An. Chr. 306. Alemannos hoc adhuc tempore pacem cum Romanis coluiſſe, Alſatiamque ab iſtorum direptionibus tum fuiſſe immunem, vel inde perſpicitur, quod Rex Alemannorum Chrocus, cum Conſtantio in Britanniæ Inſulam profectus, poſt hujus mortem perſuaſerit militibus, ut filium ejus Conſtantinum ſibi Imperatorem eligerent. (*x*) Franci autem, Rheni inferioris accolæ, abſente Galliarum Principe, ruptis induciis, limitem apud Germanos inferiores tranſierunt, mox Conſtantini ex Britannia reditu ad ſuos iterum rejiciendi penates. (*y*) Alemannos tamen, mortuo fortaſſis Chroco, adverſus Romanos, ſub Conſtantiniani principatus initio Rhenum cuſtodientes, arma cepiſſe, noſtræque rurſus inhiaſſe Alſatiæ, Nazarius (*z*) atque Eutropius (*a*) produnt. Hic Alemannis Vangiones, Bructeros, Chamavos, aliosque Germaniæ Trans-Rhenanæ populos, addit; quos omnes ſigillatim, dein pariter armatos, conſpiratione fœderatæ ſocietatis in Romanos exarſiſſe ſcribit. Nazarius, oratorie rem exaggeraturus, plura gentium nomina recenſet, quæ unico Francorum nomine tum ſolebant venire. Eutropius hinc, ejusdem ſine dubio belli mentionem injiciens, Alemannos tantum & Francos, à Conſtantino clade affectos fuiſſe, refert. Num Vangiones, cis Rhenum habitantes, Nazarius intelligat, an vero illos, qui vel priſtinam in Germania ſedem retinuerunt, vel hanc, à Vangionibus plane relictam, occuparunt, difficile judicatu eſt. Si poſtremos intelligit, ut quidem veriſimile, male ab Alemannis eos diſtinguit: quum omnis Mœnum inter, Rhenum atque Danubium regio ſeculo IV. quo Trans-Rhenanus Romanorum limes everſus jam fuerat, appellaretur Alemannia. Quid autem à Conſtantio adverſus hos Barbaros feliciter geſtum ſit, ex Nazario breviter exponit Hadrianus Valesius: (*b*) "Non multo poſt (primum cum Francis bellum) vindi-
„ caturi ſe à Flavio Conſtantino Bructeri & Chamavi, Francorum gentes, cum Cheruſcis,
„ Vangionibus, Alamannis & Tubantibus, inita belli ſocietate, in Galliam tranſiere;
„ ad quos Conſtantinus ipſe, privatum habitum indutus, ac duobus tantum equitibus
„ comitatus, quam proxime poterat acceſſit, negavitque adeſſe Imperatorem: ita ſua
„ credulitate ad fiduciam elatos Germanos prœlio fudit, ac concidit. „ Contigit res
eo

(*q*) Eumenius quidem loco cit. Cap. XIII. ſub Conſtantino M. Rhenum ita munitum prædicat. Sed quum h. l. res ejus An. CCCVI. geſtas recenſeat, facile apparet, quod Conſtantius Chlorus jam omnium iſtorum auctor extiterit.

(*r*) Vide ſupra pag. 247. §. CCXIX.

(*s*) *Chron. Spir.* Lib. I. Cap. XXV. pag. 35.

(*t*) Inter Monumenta Romana.

(*u*) Vid. Eusebius *de Vita Conſtantini M.* Lib. I. Cap. XIII. & *Hiſt. Eccleſ.* Lib. VIII. Cap. ult. Antonius Pagius *Crit. Baron.* Tom. I. ad An. CCCIII. §. VII.

(*x*) Victor in *Epitome* Cap. XLI.

(*y*) Eumenius in *Panegyr. Conſtantini M.* Cap. X. ſqq.

(*z*) In *Panegyr. Conſtantini* Cap. XVIII.

(*a*) Lib. X. Cap. II.

(*b*) *Rer. Francicar.* Lib. I. pag. 59.

ANNALES.

eo tempore, quo Maximianus Herculeus, filio ſuo Maxentio in Imperiali dignitate poſthabitus, ex Italia confugit in Galliam, ibique Conſtantini, generi ſui, vitæ inſidiatus eſt atque imperio; circa An. CCCVIII. uti ex Eutropio manifeſte apparet. Quantus vero inde Germanos terror metusque occupaverit, ſequens docet narratio.

An. Chr. 309.

Maximianus quum novas Conſtantino inſidias ſtrueret, ut purpuram, quam Conſtantio patri tradiderat, è manibus eriperet filio, Conſtantinus, impios ſoceri conatus mature oppreſſurus, à Rheno verſus Mediterraneum mare nonnullas copias abduxit: quippe qui primum Imperii ſui ſexennium, antequam Roma potiretur, ad Rhenum, in urbe Trevirorum præſertim, omne fere transegit, quo Gallicæ ripæ ſecuritati proſpiceret. Limite autem boc tum relicto, Germani, alacriores jam facti, barbara cis Rhenum excurſione latrocinati ſunt magis, quam bellum intulerunt. Vix enim Conſtantinum ad Rhenenſes reditum parare audierant, quum illi, metu perculſi, Gallicas oras deſererent, patriasque trans Rhenum ſedes repeterent. (*c*) Ita Conſtantinus abſens Germanos devicit, qui Alemanni, an Franci, an ex utrisque compoſiti, quod quidem credibile eſt, nulla ex circumſtantia liquet.

§. LXI.

An. Chr. 312.

Conſtantinus Aug. ex Gallia Rhenenſi proficiſcitur in Italiam, Maxentium, Maximiani filium, ſolio Romano, quod injuſte occupaverat, dejecturus. Belli hujus gravitatem ac periculum ſi conſideres, Alſatiam tum, imo omnem Rheni ripam, præſidiis, quibus eam poſt Germanos expulſos inſtruere debuerat, nudatam, Germanorumque invaſionibus expoſitam fuiſſe putares, niſi contrarium nobis aliunde conſtaret. Ex Incerti enim Auctoris *Panegyrico*, (*d*) qui anno ſequenti Conſtantino M. Treviris habitus, Imperatorem Rhenanum limitem, non militum excubiis modo ſed & claſſibus, firmatum, reliquiſſe perdiſcimus; ita quidem, ut vix quartam exercitus partem ille trans Alpes ſecum abduxerit. Ita enim ibi: "Rhenum tu quidem toto limite diſpoſitis exercitibus tutum reliqueras: ſed hoc majores pro te ſuſcepimus metus, quod nobis potius, quam tibi, conſulebas, noſtramque pacem magis quam bellum, quod aggrediebare, firmaveras. Næ tu, Imperator, nimio noſtri amore neſciſti ad ſecuritatem nobis vere providere, qui non omnia tecum arma moviſti, cum tua conſervatio ſalus noſtra ſit. Et quid opus erat ipſi Rheno inſtructis & militibus & claſſibus, quem jam pridem barbaris nationibus virtutis tuæ terror obſtruxerat? An oſtentare voluiſti diligentiam tuam, diviſis copiis inter cuſtodiam pacis & belli, aut etiam jactanter &glorioſe probare liberandæ Urbi te ſufficere cum paucis? Vix enim quarta parte exercitus contra centum millia armatorum hoſtium Alpes transgreſſus es: ut appareret penitius conſiderantibus, id quod nos fugit in amore trepidantes, non dubiam te, ſed promiſſam divinitus petere victoriam." Ultimis hic verbis Auctor apparitionem illam crucis indigitare videtur, quam Conſtantino, iter cum exercitu facienti, media die, obtigiſſe, Euſebius (*e*) ſcribit. De loco, ubi res contigerit, inter ſe jam pridem diſputarunt Eruditi. Ludovicus Laouillius (*f*) eo inclinat, ut Alſatas noſtros vel ipſius prodigii ſpectatores, vel ei ſaltem vicinos fuiſſe, exiſtimet. Bucherius (*g*) contra, pro Belgio ſuo fortiſſime pugnans, Nivomagum, (*Neumagen*) vicum, ad dextram Moſellæ ripam, haud procul Treviris ſitum, viſionis illius locum deſignare audet. Sunt, qui Veſontionem, ſunt qui alium locum ſubſtituunt. Rem, quam ſe vidiſſe Conſtantinus dixit, in Gallia contigiſſe, variis ex indiciis teſtibusque (*h*) concludimus; locum autem vel regionem, ubi contigerit, ſilentio præterit Euſebius.

(*c*) Eumenius in *Panegyr. Conſtantini* Cap. XXI.

(*d*) Cap. II. & III. inter *Panegyricos Veteres* Jacobi de la Baune, pag. 233.

(*e*) In *Vita Conſtantini* Lib. I. Cap. XXVIII.

(*f*) *Hiſtoire d'Alſace Liv.* II. pag. 20.

(*g*) *Belg. Rom.* Lib. VIII. Cap. VI. pag. 243.

(*h*) Euſebius loco cit. Cap. XXVI. innuit, Conſtantino miraculum eo tempore apparuiſſe, quo ſeſe ad bellum, Maxentio inferendum, accinxit. Atqui Conſtantinus haud dubie in Gallia, & in ipſis fortaſſe Treviris, tum fuit. Sozomenus *Hiſt. Eccleſ.* Lib. I. Cap. V. omnes in eo conſpirare dicit, Conſtantinum Chriſtiana religione apud Gallos fuiſſe imbutum, prius quam contra Maxentium moveret. Nazarius in *Panegyr. Conſtantini*, An. CCCXXI. habito, de eadem re loqui videtur, ubi Cap. XIV. inquit: "In ore eſt omnium Galliarum, exercitus viſos, qui ſe divinitus miſſos præ ſe ferebant. &c.

§. LXII.

An. Chr. 313. Conſtantinus, ſumma rerum per Italiam, quæ Maxentio paruerat, feliciſſime potitus, quum ad Gallos noſtros Rhenenſes, ex bello redux, perveniſſet, Inferiorem ſtatim acceſſit Germaniam, cui Francos, ad arma recens converſos, imminere acceperat. Mox his adventu ſuo ab irruptione cis Rhenum prohibitis, majus Germaniæ Superioris, quam Alemanni invaſerant, periculum ſimulans, eosdem in Galliam Francos allexit, reportandæ ab hoſtibus victoriæ nactus occaſionem. Conſtantinus dein, toto Rheni alveo navibus devectus, in ipſa Germania ſua Germanos afflixit. (*i*) Rhenus atque Danubius inſigne præſidiorum ſuarum incrementum viderunt, quum Conſtantinus devictum Maxentii exercitum, maxima ex parte transductum in Galliam, eis addidiſſet copiis, quarum fide ac fortitudine ſibi vindicaverat Imperium. Ita enim apud *Panegyriſtam* (*l*) legitur: " Tibi jam militant, quos exutos armis Imperator adverſus hoſtes „ barbaros rurſus armavit. Jam obliti deliciarum Circi maximi & Pompejani theatri, „ & nobilium lavacrorum, Rheno Danubioque prætenduntur, excubias agunt, latro- „ cinia compeſcunt, certant denique cum victoribus, ut civili bello victi hoſtibus „ comparentur. „ Sed prudens hoc Rheni limitem firmandi inſtitutum, cujus auctor Octavianus olim Auguſtus, ab ipſo Conſtantino deinceps neglectum eſt; præſidiario finium milite in illas avocato provincias, quibus minimum periculi ab hoſtibus externis imminebat. (*m*)

An. Chr. 318. Circa hoc tempus Geographica, uti omnium Galliarum, ita ſpeciatim Alſatiæ, mutatio contigit. Conſtantinus M. non tantum omne Romanorum Imperium in quatuor Præfecturas majores diſtribuit, ſed ſingularum quoque Præfecturarum, Gallicæ præſertim, quæ Hiſpaniam Britanniamque complexa eſt, ita ſubdiviſit Provincias, ut ex paucis majoribus, ab Auguſto conſtitutis, plures minores prodierint. Ita ex ſola Lugdunenſi Provincia, quæ ante Auguſtum Celtica appellata, jam prognatæ ſunt quinque; quarum poſtrema Maximæ Sequanorum, quod hi præcipuam ejus partem compoſuerant, nomen obtinuit. Ab hoc tempore Alſatia Superior, quæ extima pars Sequanorum ſemper fuit, Maximæ jam Sequanicæ membrum evaſit, cui & Rauraci, & Helvetii à Conſtantino adſcripti fuerunt. (*n*) Novæ Provinciæ Metropolis, & Civilis & Eccleſiaſtica, jam facta Veſontio. Lugduno autem Metropolitanatus in Lugdunenſem ſuam primam relictus eſt, quarum quatuor, ſi Senoniam addas, ſeculo hoc ortæ ſunt. Apud Alſatas Inferiores in Geographicis nulla notabilis mutatio. Germaniæ Superioris Inferiorisque appellatio ab hoc tempore periit, ac Germaniæ *Primæ, Secundæque* ſubſtituta ſunt nomina. (*o*) Immutato Geographico ſtatu, Politicus quoque utriusque Alſatiæ, imo & Eccleſiaſticus commutatus eſt ſtatus, uti ſupra edocui. Obſervandum tamen, temporis ratione, quo Conſtantinus iſta ordinaverit, Scriptores nonnullos in diverſa abire. Zosimi (*p*) auctoritatem ſequentibus illa nonniſi poſt ſedem Imperii Roma Byzantium translatam, contigiſſe videntur. Nos vero ad An. CCCXVIII. retulimus, quod anno ſequenti in *Codice Theodoſiano* (*q*) legem Conſtantini M. reperimus, quæ Antonio Marcellino, Præſidi Provinciæ *Lugdunenſis Primæ* inſcribitur, data Kalend. Jul. Conſtantino Aug. V. & Licinio Cæſ. Coſſ. Si Lugdunenſis Prima tum jam inſtituta fuit, idem de Maxima Sequanorum & Germania Prima, ſub quibus noſtri Alſatæ comprehenſi, dicendum. Reliquas mutationes politicas à Conſtantino hoc quoque tempore ſuſceptas fuiſſe, non dixerim equidem, annotaſſe contentus, Zoſimum ordinem rerum non raro turbaſſe. Ipſum Conſtantini ad Sacra Chriſtiana transitum nonniſi poſt Criſpum filium & Fauſtam uxorem interfectos ponit, quem ad Maxentii devicti epocham, totis duodecim annis, & quod excurrit, priorem, debuiſſet referre.

§. LXIII.

(*i*) Incerti *Panegyricus, Conſtantino Aug. dictus*, Cap. XXII.

(*l*) Ibidem Cap. XXI.

(*m*) Zosimus *Hiſt.* Lib. II. Cap. XXXIV.

(*n*) Vid. ſupra pag. 130. ſqq.

(*o*) Conf. pag. 147. §. XLIII. ſq.

(*p*) Lib. II. Cap. XXXII. & XXXIII.

(*q*) *Cod. Theod.* Lib IX. Tit. III. Leg. I. edit. Lugdunenſis Tom. IV. pag. 52. Gothofredus ad An. CCCXII. legem hanc referendam eſſe cenſet, nomine Coloniæ Agrippinæ, ubi lex data ſcribitur, deceptus; quod An. CCCXIX. in Pannonia verſatus eſt Conſtantinus. Sed annus CCCXII. nec cum verbis, Legi additis: *Conſtantino Aug. V. & Licinio Caſ. Coſſ.* nec cum Gothofredi correctione: *Conſtantino Aug. II. & Licinio Caſ. Coſſ.* ſubſiſtere poteſt, quoniam Licinius, nonniſi An. CCCXVII. Cæſar creatus, primum An. CCCXIX. Conſulatum iniit. Loco Agrippinæ reponendum ſine dubio *Aquilejæ*, ubi Conſtantinus iisdem die & anno conſtitit, uti ex alia id Lege diſcimus.

§. LXIII.

Criſpus Cæſar, Conſtantini M. filius, Francos & Alemannos ad Rhenum oppugnat, An. Chr. brevique tempore maximas eis clades infert. De his Nazarius, (r) ubi Conſtan- 320. tinum Francos conficiendos filio reſervaſſe inquit, quum ipſe pridem eos funditus delere potuiſſet. Idem alio in loco (s) Criſpum iter, ſpatio immenſum, nivibusque infeſtum, incredibili celeritate confeciſſe, & mox pueriles annos gloriis triumphalibus ita occupaſſe teſtatur, ut ad patrem redux exhauſta ipſi bella narraverit. De Germanis etiam à Criſpo cæſis, hic Nazario ſermonem eſſe, facile evincitur; ſed nihil de Alemannis ſpeciatim, quos tamen, præter Francos, à Criſpo etiam devictos eſſe, aliunde conſtat. Reperiuntur enim Nummi, (t) Criſpi Cæſ. imagine inſigniti, in quibus Victoria, captivum proſternens, cum epigraphe: *Alamannia devicta*, *Alamannia capta.* Tempore hiemis hæc facta eſſe videntur, quo Rhenus forte nimio frigore congelatus, Barbaris facilem in Galliam tranſitum permiſit. Nazarius certe Criſpum hieme iter, gelu intractabile, ad Rhenum ſuſcepiſſe dicit, nulla licet Francorum, nec Alemannorum, facta mentione. Utrumque ſine dubio populum intelligit, ubi, Panegyrico ſuo finem impoſiturus, hæc inter laudes Conſtantini M. profert: *Jacet in latere Galliarum, aut in ſinu tuo fuſa Barbaria.* Per *ſinum* hic idem ſignificari puto, quod apud Tacitum, (u) extremam ſcilicet Imperii partem ſive limitem, & quidem Rhenanum; cui & Alſatia noſtra tum fuit adſcripta.

Sub reliquo Conſtantini M. ut & filiorum, Conſtantini atque Conſtantis, ſibi invicem ſuccedentium, Galliarum regimine, Alſatiam ab externis hoſtium direptionibus ſatis tranquillam reperimus; ſub Conſtantio mox, qui dilaceratum in partes Imperium denique rurſus conjunxit, omnino fere perdendam. Alemanni intra fines ſuos ſe diutius continuiſſe videntur, quo majori vi atque animo in vicinos Galliæ agros, nihil tale expectantes, erumperent. Conſtantini M. virtus tantum Barbaris metum incuſſiſſe videtur, ut & aliquandiu poſt ejus mortem quieſcerent. Accedit, quod quum Conſtantini junioris regimen nonniſi breviſſimum eſſet, Conſtans, fratris in Gallia ſucceſſor, paternam in conculcandis hoſtibus fortitudinem præ ſe ferret ac felicitatem. Ipſi Alemannorum populares, Rhenique Inferioris accolæ, Franci nimirum, inſigne hujus rei experimentum fecerunt, quos à Conſtante An. CCCXLII. perdomitos & ad pacem ſervandam coactos fuiſſe, *Hieronymianum* teſtatur *Chronicon.* Hinc etiam Ammianus (x) de Alemannis obſervat, quod illi Conſtantem non minus formidaverint, ac poſtea Julianum, invicti animi Principem, multisque cladibus, quas ipſis ad internecionem usque intulit, notiſſimum, formidaſſe conſtat.

§. LXIV.

Conſtante autem per Magnentii ſeditionem interfecto, triſtis Alſatiæ noſtræ facies An. Chr. exſurgit. Hic enim funeſta illa rerum Gallicarum Periodus initium ſumit, qua Provinciæ 351. Cis-Rhenanæ, à Barbaris diluvii inſtar inundatæ, ac per inſequentia tempora, intercedente nonnunquam breviſſima pace, ultimam calamitatem expertæ ſunt. Ipſe, quod mirum, Conſtantius, Conſtantis in Occidentis Imperio ſucceſſor, hujus miſerandæ cladis veluti auctor extitit; receptis in fœdera Barbaris, Rhenanoque limite illis aperto, quem ab omni exterorum tranſitu ſervare debuerat. Scilicet Magnentius, quum Tyrannidem invaſiſſet, præter Gallos atque Hiſpanos magnum quoque ex Francis ac Saxonibus exercitum contraxit; (y) quem, Decentio fratre in Cæſarem promoto, ducturus erat in Italiam. Vix Magnentius, tantis inſtructus viribus, Italiæ imminere cœpit, quum Conſtantius, hoſtem periculoſum quocunque modo profligaturus, alios ſibi in auxilium Barbaros vocavit, qui proximas Galliarum provincias Magnentio eriperent. Libanius, (z) Socrates (a) ac Zosimus, (b) quum hujus rei mentionem faciunt, generatim tantum Barbaros, Rheno vicinos, loquuntur, ita tamen, ut non obſcure, Socrates præſertim, Alemannos indigitent. Francos enim & Saxones maxime, quod vult Bucherius, (c) heic inter Barbaros intelligi, ego non arbitror; quippe quos à

 Magnentii,

(r) *Panegyr. Conſtantini Aug.* Cap. XVII.
(s) Ibidem Cap. XXXVI. ſq.
(t) Mediobarbus *Numiſm. Imperator. Rom.* pag. 471.
(u) *De Morib. Germ.* Cap. XXIX. Vide ſupra pag. 242. §. CCXI.
(x) Lib. XXX. Cap. VII.
(y) Julianus in *Orat. I. Conſtantio* habita, pag. 34.
(z) *Oratione* X. *in Juliani Imp. necem*, Opp. Tom. II. pag. 269.
(a) *Hiſt. Eccleſ.* Lib. III. Cap. I. pag. 166. Idem habet Sozomenus *Hiſt. Eccleſ.* Lib. V. Cap. II.
(b) Lib. II. Cap. LIII.
(c) *Belg. Rom.* Lib. IX. Cap. IX. pag. 292. §. XIII.

Magnentii, ex ipſis ſecundum nonnullos orti, partibus ſtetiſſe, Julianus obſervat; niſi dicere velimus, eos Francorum, qui domi remanſerant, ubi cladis ad Murſam acceptæ nuntius allatus, deſperatis prope Magnentii rebus, pro Conſtantio jam arma cepiſſe, more Barbaris ſæpe, tumque præcipue uſitato, ubi vel pecunia corrupti, vel ſperandis opibus ſpoliisque excitati fuerunt. Sed de Alemannis res certior, SOCRATE ita ſcribente: " Imperator (Conſtantius) eum (Julianum) Cæſarem renun„ tiat, & in Gallias contra Barbaros mittit. Etenim Barbari, quos Conſtantius Imp. „ ad auxilium ſibi ferendum contra Magnentium paulo ante conduxerat, cum nullum „ ſui uſum præbuiſſent in bello adverſus Tyrannum, urbes Imperii Romani popula„ bantur. „ Iidem ergo Germaniæ populi à Conſtantio cis Rhenum invitati ſunt contra Magnentium, adverſus quos Julianus poſtea, in Galliam miſſus, fortiter pugnavit, id eſt, Alemannica natio.

§. LXV.

Dubium vix ſupereſſe poteſt, ſi AMMIANI MARCELLINI (*d*) locum conferamus, ubi invaſionis, à Chnodomario, Rege Alemannorum, eo tempore factæ, quo Decentius à fratre in Gallia relictus eſt Cæſar, expreſſa fit mentio, his verbis: " Agitabat miſce„ batque omnia ſine modo princeps audendi periculoſa, Rex Chnodomarius, ardua „ ſubrigens ſupercilia, ut ſæpe ſecundis rebus elatus. Nam & Decentium Cæſarem „ ſuperavit æquo marte congreſſus, & civitates erutas multas vaſtavit & opulentas, „ licentiusque diu nullo refragante Gallias perſultavit. „ Ita Ammianus, quum Decentium ab Alemannis ſuperatum, Galliasque diu ab illis vaſtatas memorat, amice cum SOCRATE conſpirat, perrupti licet limitis cauſam, Conſtantii Imp. ſcilicet invitationem, ſileat. Sed addit LIBANIUS, Conſtantium, quum arbitraretur, omnem lapidem eſſe movendum, ut Magnentium è medio tolleret, Barbaris per literas aperuiſſe limites, liberumque reliquiſſe, ut, quantam poſſent, regionem occuparent. Idem paulo poſt (*e*) annotat, quod Alemanni Romanis, in Gallia demetentibus fruges, quas patrimonia ſua arbitrati ſunt, caduceatorem miſerint, qui Conſtantii Imp. oſtenderet literas, quibus iſtas regiones invadere ac bello vexare ipſis permiſerat: omnia ex ſenioris, ſive Conſtantii, conſenſu & auctoritate fieri dicentes. ZOSIMUS denique non tantum literas, ſed maxima munera loquitur, quibus vicinos Rheno Barbaros Magnentio infeſtos reddiderit. Innuit quoque Zoſimus evidente ratione, Germanos tum adhuc cis Rhenum verſatos eſſe, quum Magnentius, ad Murſam amnem in Pannonia cæſus, fuga ſalutem apud Gallos quæreret; id quod inter præcipuas mortis, quam Magnentius ſibi mox ipſe intulit, cauſas refert. Chnodomarius ergo, Alemannorum Regulus, jubente aut conſentiente ſaltem Conſtantio, Rhenanum limitem ſuperavit, Decentioque Cæſare devicto, omnia longe lateque populatus eſt: ita quidem, ut Alemannico more præcipuam in evertendis, quæ ad Rhenum erant, urbibus ac caſtellis vim adhiberet. Rem Chnodomario tam feliciter ceſſiſſe quis miretur, quum referente JULIANO, (*f*) nulla ad Rhenum præſidia jam eſſent; quæ Magnentius nempe ſecum abduxerat in Italiam, oras Gallicas Barbarorum, in quibus plurimam obtinendi Occidentalis Imperii ſpem collocaverat, invaſionibus apertas relinquens? Ceterum Chnodomarius hic, unus ex præcipuis Alſatiæ devaſtatoribus, idem ille eſt, qui ſexennio poſt à Juliano, cum cæteris Alemannorum Regulis, in Argentoratenſi prœlio ſuperatus, & captivus perductus eſt Romam.

Gallicas interea nationes, eas nempe, quas Alemanni tum non invaſerant, à Ducibus quibusdam Conſtantii, ſub Magnentii forte Tyrannide latentes, ad legitimi Imperatoris obſequium reductas eſſe, antequam periret Magnentius, ex eodem, quem allegavimus, Zoſimi loco apparet.

§. LXVI.

An. Chr. 354. Gundomadus & Vadomarius, duo apud Alemannos reges ſimulque fratres, Chnodomarii exemplum ſecuti, crebris etiam excurſionibus vicinos ſibi Gallos vexarunt. Conſtantius, hieme apud Arelatenſes transacta, per Cabillonum, (*Châlon ſur Saone*) ubi exercitus Romanus collectus eſt, multo cum labore verſus Rhenum proficiſcitur. Alemanni, de adventu ejus certiores mox facti, ultra Rhenum in terras ſuas ſe receperunt, Conſtantioque tum liber per Maximam Sequanorum ad Auguſtam usque Rauricam transitus fuit; niſi quod iniquitas temporis plurimas ei itineris difficultates objecerit.

(*d*) Lib. XVI. Cap. XII.

(*e*) Pag. 272. SOZOMENUS *Hiſtor. Eccleſ.* Lib. V. Cap. II. idem tradit.

(*f*) Ead. *Orat.* I. *in Conſtantium* pag. 35.

objecerit. Hic quum ad *Supercilia Rheni* ſubſiſteret Imperator, pontem compage navium erat ſtructurus, quo cum exercitu tranſire poſſet in Alemanniam. Sed reſtiterunt conatibus Alemanni, tela grandiois inſtar in Romanos emittentes. Factum itaque, ut Conſtantius de felici expeditionis ſuæ progreſſu deſperaret, jamque hoſtibus intactis cogitaret de reditu, ubi index quidam, Alemannicæ regioois gnarus, ex improviſo advenit, qui vadoſum Rheni locum, tranſituque facilem, ipſi oodu monſtravit. Occaſiooe tam opportuna Barbaros invadendi Conſtantius haud dubie uſus fuiſſet, niſi Alemanni, à quibusdam popularium ſuorum, qui in exercitu Romano, honoratiores inter, militiæ dediti erant, occulte moniti, prudenti conſilio Legatos miſiſſeot, delictorum remiſſionem petituros ac pacem. Hanc Conſtantius, Princeps ultra modom timidus, conſenſu militum facile eis conceſſit, ita quidem, ut Gundomadum & Vadomarium, diriſſimos licet Romani nominis hoſtes, in fœdus & auxiliarium numerum reciperet. (*g*) Patet hinc, quantum Imperatores peccaverint, quod exteros & barbaros homines ſuæ adſcripſerunt militiæ, ex quibus quum deinceps exercituum Romanorum Duces crearentur, popularium hi magis ſuorum, quam Romanorum, rebus faverunt. Ita Conſtantius exercitum proditoribus ſæpe commiſit, quales Latinus, Comes Domeſticorum, Agilo, Tribonus Stabuli, & Scudilo, Scutariorum Rector, Alemanni omnes origine, aliique hujus generis plures fuerunt. De Gundomado & Vadomario id adhuc obſervo, illos Superiorem præcipue noſtram, præter reliquas Maximæ Sequanorum regiones, infeſtaſſe Alſatiam, quum Chnodomarius contra videatur inferiorem ejus partem diripuiſſe. Caſtra profecto ſua inter Tribunos (*Lauterburg*) ac Concordiam (*Altſtatt* prope Weiſſenburgum) Chnodomarius tum habuit, quum Julianus Alemannos ad Argeotoratum aggreſſus eſt. (*h*)

§. LXVII.

Ita Alſatiæ Superiori publica jam quies reſtituta, quæ tameo vix per biennium duravit, ut infra videbimus. Illas enim Alemannorum, quos AMMIANUS (*i*) *Lentienſes* vocat, irruptiones, poſt diſceſſum Conſtantii in Romanorum limitem factas, Alſatiam noſtram quoque turbaſſe non puto; quod Alemannos hos, ad Lacum Brigantiæ, qui Conſtantienſis hodie ſeu Bodamicus dicitur, habitantes, Rhætiam invaſiſſe Ammianus tradit. Arbetio, Magiſter militum, adverſus eos à Cooſtantio, qui ipſe in Rhætiam ſe contulit, cum valido exercitu miſſus eſt; ſortunam primo adverſam, inde experturus ſecundam. Quum enim Lacus Brigantini relegeret margines, congreſſum cum Barbaris quærens, hi repentino è latebris excurſu illum adorti ſunt, ac Romanos imparatos noctu fugarunt. Illi, ſucceſſu ſelici rerum elati, ferocioresque in dies facti, ipſa Romanorum Muoimenta infeſtare perrexerunt. Arbetio denique, redintegratis viribus, ſimili excurſu hoſtes diſperſit, magnumque eorum numerum denſis gladiorum haſtarumque ictibus truncavit. In Gallico hæc omnia ſolo geſta fuiſſe videntur, quod Munimenta Romana, ad quæ pugnatum, cis Rhenum erant, & Alemanni per Gallias, uti videbimus, continuarunt vagari. Neque minores circa idem tempus ad Rhenum ioferiorem in Germania Secunda prognatæ ſunt turbæ, quando Silvanus, pedeſtris militiæ Rector, & origine Fraocus, Coloniæ Agrippinæ à Conſtantio ita defecit, ut ipſe *Auguſti* titulum ſibi tribuerit. Silvanus Principis ſui juſſu profectus erat in Galliam, ot limitem ejus à Barbaris, jam pridem latrocinantium more per eam impune graſſantibus, armis tueretur. Barbari etiam, quos Francos & Alemannos fuiſſe puto, trans Rhenum propulſi ſunt, tanta felicitate, ut in ipſis ſedibus ſuis trepidare inciperent. Sed quod Silvano gloriam parere debuerat, invidiam peperit, Arbetionis præſertim artibus, quem ad Lacum Brigantiæ victum atque victorem modo vidimus. Factum hinc, ut ille, de ſalute ſua jamjam deſperans, quum nec Francis, licet popularibus, ſe tradere conſultum crederet, militum & Tribunorum conſenſu Tyrannidem invaderet, charybdim vitando in ſcylla periturus. Nam paulo poſt Urſicious, à Conſtantio cum decem aliis, inter quos & Ammianus Marcellinus, Coloniam Agrippinam miſſus, Silvanum, ad Conventum Chriſtiani ritus tendentem, per armatorum globum denſis gladiorum ictibus trucidare fecit; (*k*) vix menſe poſt purpuram aſſumptam completo. (*l*)

An. eod. 354.

(*g*) AMMIANUS MARCELLINUS Lib. XIV. Cap. X.

(*h*) Idem Lib. XVI. Cap. XII. De Tribunorum & Concordiæ ſitu conf. ſupra pagg. 228. & 232. ſq.

(*i*) Lib. XV. Cap. IV.

(*k*) AMMIANUS Lib. XV. Cap. V. SOCRATES *Hiſt. Eccleſ.* Lib. II. Cap. XXXII.

(*l*) AURELIUS VICTOR *de Cæſar.* Cap. XLII. EUTROPIUS Lib. X. Cap. VII.

§. LXVIII.

An. Chr. 355. Conſtantius quum Galliam à Barbaris ſervari vix poſſe cerneret, (quod enim Alemanni ad Rhenum Superiorem, id ad Inferiorem fecerant Franci) Julianum, patruelem ſuum, creavit Cæſarem; ab Euſebia conjuge ad conſilium hoc præſertim inductus. (*m*) Res Gallicæ tum quanto in periculo verſatæ fuerint, Zosimus (*n*) oſtendit, qui quadraginta jam urbes, ad Rhenum ſitas, ab Alemannis, Francis ac Saxonibus devaſtatas, earumque cives & incolas in Germaniam abductos, memorat. Eodem tempore Quadi & Sarmatæ in Pannoniam, Mœſiamque Superiorem irruerant, quo & Sapor, Rex Perſarum, per Duces ſuos nunc Armeniam, nunc Meſopotamiam, infeſtavit. Galliis, tam miſere habitis, ut ſubveniretur, Julianus cum CCCLX. militibus, at non cum ſummo imperio, juſſu Conſtantii eo profectus eſt. Quamvis enim Cæſaris nomen & inſignia accepiſſet, multum tamen abfuit, quin Cæſaris quoque poteſtatem, auctoritatemque in rebus gerendis acceperit. Ipſe Julianus (*o*) teſtimonio id ſuo, in Literis ad Senatum Populumque Athenienſem, confirmat: „Cum trecentis, (inquit) „& ſexaginta militibus proficiſci me in Gallias, quæ tum erant perturbatæ, media „hieme juſſit; non ut provinciæ illius exercitibus imperarem magis, quam ut illorum „Ducibus ſubeſſem.„ Id vero incertum eſt, quod Ammianus (*p*) annotat, rumorem ſcilicet jactatum fuiſſe, Julianum à Conſtantio Cæſarem eſſe factum, ut in gravi hoc bello periret juvenis, qui rei militaris rudis habebatur. Socrates (*q*) ac Sozomenus (*r*) præcipue calumniam credunt, quod Conſtantius ſororem ſuam Juliano in matrimonium dederit. Julianus quum itineribus rectis Taurinos veniſſet, nuncium Coloniæ Agrippinæ, à Barbaris, qui ſine dubio Franci erant, poſt diuturnam obſidionem occupatæ ac deletæ, mœſtus accepit. (*s*) Viennam inde delatus, incredibili cum omnium applauſu urbem intravit, ibique inter graviſſimi belli apparatus anxie tranſegit hiemem.

§. LXIX.

An. Chr. 356. Status Galliæ, Rhenenſis præſertim, qualis initio hujus anni fuerit, Julianus (*t*) ipſe ſequentem in modum declarat: „Numerus oppidorum, à Barbaris everſorum, ad „quinque & quadraginta pervenerat, burgis & caſtellis minoribus omiſſis. Agri vero, „quem cis Rhenum obtinebant Barbari, tantum erat ſpatium, quantum à fontibus „illius ad Oceanum usque porrigitur: poſtremi autem illorum, ac finibus noſtris „citimi, trecentis à Rheni ripa ſtadiis diſtabant: ſed triplo adhuc amplior regio popu„lationibus illorum & excurſionibus vaſtata erat atque inculta, ubi ne paſcendi quidem „poteſtas Gallis fieret. Erant & urbes aliquot oppidanis vacuæ, etſi nondum vicinos „haberent Barbaros.„ Addimus Juliano Mamertinum, (*u*) teſtem quoque coætaneum, cujus verba ita ſe habent: „Florentiſſimas quondam, antiquiſſimasque urbes „Barbari poſſidebant: Gallorum illa celebrata nobilitas aut ferro occiderat, aut immi„tibus addicta dominis ſerviebat. Porro aliæ, quas à vaſtitate barbarica terrarum „intervalla diſtulerant, judicum nomine à nefariis latronibus obtinebantur: ingenua „indignis cruciatibus corpora (ſuberant;) nemo ab injuria liber.„ Quadraginta ergo & quinque Galliæ Rheno vicinioris oppida, inter quæ Alſatica pleraque, partim ab Alemannis, partim à Francis, fuere deſtructa, & regio noſtra juris velut Germanici facta, uti Libanius (*x*) id quoque affirmat. Sed non ripenſem modo, verum & interiorem Galliam longe lateque populati ſunt Barbari, per Maximam Sequanorum usque ad Auguſtodunum, (*Autun*) celebrem Lugdunenſis Primæ urbem, & ultra penetrantes. Hæc urbs quum ab Alemannis obſideretur, Julianus primam in illos VIII. Kal. Julias, hibernis Viennenſibus relictis, ſuſcepit expeditionem: unde per Autiſſiodorum, Tricaſſas & alia loca, repulſis & oppreſſis ubique hoſtibus, Rhemos pervenit, ubi Marcellus ac Urſicinus, ſummi hactenus rei militaris per Galliam Duces, illum cum

(*m*) Ammianus Lib. XV. Cap. VIII.

(*n*) Lib. III. Cap. I.

(*o*) *Epiſtola ad S. P. Q. Athenienſem*, Opp. pag. 277. Ita quoque Libanius *Orat.* X. in Juliani necem pag 271. & Zosimus Lib. III. Cap. II.

(*p*) Lib. XVI. Cap. XI. pag. 107.

(*q*) *Hiſt. Eccleſ.* Lib. III. Cap. I. pag. 167.

(*r*) *Hiſt. Eccleſ.* Lib. V. Cap. II. pag. 596.

(*s*) Ammianus Lib. XV. Cap. VIII. pag. 73.

(*t*) *Epiſtola ad S. P. Q. Athenienſ.* pag. 972.

(*u*) In *Gratiar. Actione Juliano Aug.* An. CCCLXII. *dicta pro Conſulatu*, §. IV. inter *Panegyricos Veteres* pag. 285.

(*x*) *Orat.* VIII. *Juliano Imp. Coſ. dicta*, Opp. Tom. II. pag. 238. ubi: Καρπουμένων τὴν ἡμετέραν τῶν βαρβάρων, καὶ πόλεις πέντε δεούσας πεντήκοντα καθῃρηκότων, ἀποτετμημένων δὲ τῆς γῆς τὸ πλέον, καὶ κεκληρωμένων. Τῶν δὲ φανοτάτων ἐν Γαλάταις γενῶν οἰκτρῶς ἐκεῖ δουλευόντων. „Barbaris provinciam noſtram depopulantibus, „atque urbibus quinque & quadraginta dirutis, item„que maxima territorii poſſeſſionum parte reciſa, & „clariſſimis Galatarum familiis miſere illic ſervien„tibus.

cum exercitu expectaverant. Rhemis mox per Decem-pagos, (*Dieuze*) Belgicæ Primæ oppidum, in Medinmatricis ſitum, in noſtras Alſatiæ Regiones profectus, ubi Argentoratum, Brocomagum, Tabernas, & Saliſonem, præter Nemetes, Vangiones ac Moguntiacum, à Barbaris captas eſſe acceperat. Quanta Juliano, iter hoc facienti, prudentia & circumſpectione opus fuerit, ne ab hoſtibus, per totam qua ibat, viam diſperſis & locorum optime gnaris, obrueretur, præter AMMIANUM, (*y*) ex quo omnia iſta diſcimus, LIBANIUS (*z*) quoque obſervat. Accidit enim, ut duæ Legiones, reliquum ſecutæ exercitum, ſubito Barbarorum impetu penitus fere delerentur, niſi idem, quem diximus, exercitus,audito pugnantium clamore, in ipſarum accurriſſet auxilium.

§. LXX.

Romanis itaque, Alſatiam intrantibus, primus, quem Alemanni tenebant, locus ſeſe obtulit Brocomagus. Tabernæ, munimentis deſtitutæ, Juliani adventu ab hoſtibus relictæ, qui ex montanis ſua ſponte ſe in planitiem receperunt. Brocomagus non ſine notabili hoſtium ſtrage occupata fuit. Pars illorum, inito juſto prœlio, trucidata, capti alii, cæterique omnes devicti ſola fugæ celeritate ſalutem quæſivere. Quid circa reliquas Alſatiæ urbes, Brocomago vicinas, Argentoratum præcipue, tentatum aut factum jam ſit à Romanis, nec ex Ammiano, nec aliunde cognuſcimus. In Alemannorum manibus eas manſiſſe, non credibile eſt; quod AMMIANUS (*a*) Barbaros ita territos docet, ut nullo eorum poſt pugnam Brocomagenſem repugnante, Julianus ad recuperandam Agrippinam ſeſe convertere potuerit, nullamque in omni, qui Brucomagum & Agrippinam interjacet, tractu, præter Rigomagum, civitatem aut caſtellum reperérit, hoſtium manibus eripiendam. Aliter enim ſibi Ammianus non conſtat, niſi Germanos trans Rhenum, vel in abdita ſaltem loca, ſe recepiſſe ſtatuas. Neque minus obſcura ſunt, quæ Libanius in eo, quem modo allegavimus, loco de duabus civitatibus, primum à Juliano captis, hunc in modum recenſet: (*b*) " Quum è „ duabus civitatibus ampliſſimis, hanc quidem cum denis millibus obſtaculorum „ objectam, aliam vero recens uno aditu exinanitam & jacentem, reperiſſet; uni ad „ reſtaurationem manus porrexit, & ad cuſtodiam præſidia decrevit: alteram adeo „ deſtitutam ab omnibus, út unde non eſſet lex cogeretur alere, meliori ſpe conſo- „ latus eſt. „ Sermonem heic de Brocomago eſſe & Agrippina, quas prima expeditione Julianus apud Ammianum recepiſſe ſcribitur, perſuadere nobis videntur, quæ Libanius ſubjungit, ubi quendam Barbarorum regem in fœdus Romanorum transgreſſum & auxilia illis pollicitum memorat. Simile enim quid AMMIANUS poſt captam Agrippinam contigiſſe tradit, ubi inquit: " Igitur Agrippinam ingreſſus, non ante motus eſt „ exinde, quam Francorum Regibus furore miteſcente perterritis, pacem firmaret, „ Reipublicæ interim profuturam, & urbem reciperet munitiſſimam. „ Neque abſurdi poſtulandus, ſi quis Brocomagum deſtitutam ab omnibus ſibique denuo relictam exiſtimet; id quod Libanius de altera urbe affirmat. Alemannos enim ejusdem mox oppidi, imo totius Alſatiæ, poſſeſſores infra videbimus. Ne tamen Brocomagum à Libanio deſignari credamus, impedire poſſet, quod oppidum hoc inter maximas & ampliſſimas Galliæ Civitates multi forte non libenter retulerint. (*c*)

An. eod. 356.

§. LXXI.

Alſatia Inferiore ab Alemannis maximam partem liberata, ex Germania Prima in Secundam Julianus profectus eſt, ut Coloniam Agrippinenſem, ante decem hos menſes à Francis prope deletam, Conſtantio Imp. recuperaret. Conatibus quum reſpondiſſet fortuna, omni inferioris Rheni oræ tranquillitas aliquo modo reſtituta eſt. (*d*) Romani autem per Treviros ad Superiorem, quem modo reliquerant, Rhenum denuo iter fecerunt, ut Alemannos, fines Imperii adhuc invadentes, ex Gallico, & quidem Maximæ Sequanorum, latere aggrederentur, dum à parte Rhætiæ illos cum alio exercitu aggrederetur Conſtantius. Alemanni tum, in ſummas anguſtias compulſi, propriamque terram ſuam Romanorum armis apertam videntes, ſupplici manu pacem petierunt.

(*y*) Lib. XVI. Cap. II.

(*z*) *Orat.* X. pag. 272.

(*a*) Ibid. Cap. III.

(*b*) LIBANIUS *Orat.* X. pag. 272. Καὶ μὲν δυοῖν πόλεοιν ταῖν μεγίσταιν τὴν μὲν ἰωρὰν μυρίαις προβολαῖς ἠσφαλισμένην, τὴν δ' ἔναγχος ἐφόδῳ μιᾷ κεκενωμένην τε καὶ κειμένην, τῇ μὲν χεῖρα, ὤρεξεν εἰς ἀνάστασιν, καὶ φρουρὰς ἐγκατέστησε. Τὴν δ' ἀπερημωθεῖσαν ταῖς ἀνάγκαις, ὥστε μὴ ἔδει ὁ νόμος ἀναγκασθῆναι τρέφειν, παραμυθήσατο ταῖς ἀμείνοσι τῶν ἐλπίδων.

(*c*) Sunt, qui urbem Ammiani munitiſſimam, quam Julianus recepiſſe ſcribitur, eandem eſſe putant, de qua Libanius annotat, eam ſolatio melioris ſpei fuiſſe erectam. Per hanc vero Treviros vel Tungros intelligunt. Ita TILLEMONTIUS *Hiſt. des Empereurs* Tom. IV. pag. 170.

(*d*) AMMIANUS Lib. XVI. Cap. III.

petierunt, cujus eo facilius facti ſunt compotes, quod militis, in hiberna reducendi, tempus adeſſet. (e) Alemanni hi, à Conſtantio ac Juliano in ordinem redacti, procul dubio iidem fuerunt, quos ante biennium ſub duobus regibus, Gundomado nempe & Vadomario, Maximam Sequanorum ad Auguſtam Rauracorum infeſtantes, pacaverat Conſtantius. In confinio enim Sequanicæ & Rhæticæ provinciarum ſiti, ab utroque etiam latere Romanorum armis oppugnati ſunt. Præterea quis non intelligit, AMMIANUM (f) id ſuo, licet obſcurius, teſtimonio firmare, ubi Gundomadum & Vadomarium, regios duos fratres, ideo in prœlio Argentoratenſi non comparuiſſe dicit, quod pacis, anno præterito à Conſtantio impetratæ, vinculo fuerint adſtricti? Pacem cum Alemannis An. CCCLVI. qui pugnam Argentoratenſem præceſſit, nullam aliam fecit Conſtantius, quam iſtam, de qua modo locuti ſumus. Poſſet quidem pax, An. CCCLIV. cum Gundomado & Vadomario apud Rauracos inita, facile intelligi, niſi Ammianus diſertis verbis annum præteritum memoraret, id quod contra VALESIUM (g) alioſque notandum. Hac etiam ratione nemo illorum in ſervanda fide conſtantiam mirabitur, quum eos anno ſequenti ſolos fere Alemannorum domi quietos, adverſus Julianum ſe non moviſſe accipiet. Bis enim Romanorum provincias adorti, bis quoque repulſi fuere, graveſque nupera clade temeritatis ſuæ pœnas dederunt. Populi tamen, ipſis ſubjecti ac prædæ Gallicæ cupidi, ſponte ſua, imo invitis Regibus, oras noſtras cum Alemannis reliquis invaſerunt, poſtquam Gundomadus, ut fide & auctoritate potior, per inſidias ab eis fuiſſet interfectus.

§. LXXII.

An. eod. 356. Primæ hujus in Alemannos & Francos expeditionis res geſtas qui ſecum perpendit, ille ea, quæ JULIANUS (h) de rebus, tum haud male adminiſtratis, ipſe perſcribit, haud difficulter admittet. Neque tamen exiſtimandum eſt, Barbaros omni tum Gallia fuiſſe ejectos, multo minus ita territos, ut à direptionibus ſuis & à limitis Rhenani tranſitu abſtinuerint ad tempus. Aliud enim ſæva mox plurium locorum, media in Gallia ſitorum, nos docet invaſio, ab iiſdem Barbaris, quos Alemannos fuiſſe veriſimile eſt, hibernante apud Senones Juliano, facta. His dum Julianus malis proſpiceret, & maximam militum, quos ſecum habuerat, partem laborantibus in auxilium mitteret, ipſe ab hoſtibus in oppido Senonum per XXX. dierum ſpatium ita incluſus eſt, ut in maximum ſalutis ac vitæ ſuæ diſcrimen adduceretur. Fieri id potuiſſe nemo mirabitur, quod Duces exercitus, apud quos ſumma auctoritas, plerumque ſibi Cæſar contrarios habuit. Marcellus, equitum Magiſter, ferox & duriſſimus homo, nullas Juliano periclitanti, quas facile poterat, tum ſuppetias tulit. (i) Ita incolæ noſtri Rhenenſes experti jam ſunt, quantum ſuſpicio & ſubdolus imperantium animus damnum Reipublicæ afferat. Afflicta nimirum Gallia, afflictus quoque Julianus ipſe: non quod huic debita in profligandis hoſtibus prudentia ac virtus deeſſet, ſed quod Conſtantius fortiſſimo juveni, ad maxima quæque perpetranda idoneo, liberati à Barbaris Imperii gloriam invideret: eique propterea, cui ne copias quidem cogere licitum erat, (l) Duces ejuſmodi adderet, qui vel contrariarentur ipſi, vel non obedirent. Marcellus tamen ſine dubio acerbiorem ſe geſſit, quam in mandatis ab Imperatore acceperat. Circa idem ſaltem tempus, quo Julianus apud Senones verſabatur, Marcellus à Conſtantio revocatus ex Gallia, ſuum, quod habuerat, militare imperium amiſit.

§. LXXIII.

(e) AMMIANUS quum expeditionem hanc Juliani adverſus Alemannos inter res, An. CCCLVI. geſtas, plane ſileat, eamque nonniſi prœlii Argentoratenſis, quod anno ſequenti commiſſum eſt, occaſione referat, Lib. XVI. Cap. XII. diverſitas ſententiarum inde prognata, ratione temporis, quo illa contigerit. Omnes tamen circumſtantiæ, quas Ammianus allegat, ita comparatæ ſunt, ut nulli dubitantes eam anno CCCLVI. nondum finito, poſt Agrippinam è Francorum manibus receptam, locum habuiſſe ſtatuamus. Vid. TILLEMONT *Hiſt. des Empereurs* Tom. IV. Not. *ſur Conſtance* XXXVIII. pag. 289.

(f) Loc. alleg. pag. 109. ed. Gronov.

(g) In *Notis ad Ammianum* pag. 109. Not. (b) ubi Vir Doct. Scriptoris hujus verba male detorquet.

(h) *Epiſtola ad S. P. Q. Athenienſ.* pag. 278. Contrariatur hic verſio Latina textui Græco, qui ita habet: Ὡς κακῶς εἶχ. ὡς ἀκηκόατε, τῷ πρώτῳ στρατευθέντος ἐνιαυτῷ, καὶ πραχθέντος σπουδαίου &c. In verſione autem legitur: " Igitur cum, ut audiſtis, primo anno „ male adminiſtratæ res eſſent, nec ullum factum „ eſſet operæ pretium &c. „ PETAVIUS recte omnino priorem lectionem Græcam poſteriori præfert, utpote Ammiano, qui Julianum de hacce virtutis ſuæ primitiis lætum in hiberna rediiſſe tradit, optime conformem. Atqui Ammianus ipſe rebus tum geſtis interfuit.

(i) AMMIANUS Lib. XVI. Cap. IV.

(l) JULIANUS ead. *Epiſt.* pag. cit.

§. LXXIII.

Julianus ineunte hujus anni vere quum ſummam in rebus, per Galliam & contra hoſtes ſuſcipiendis, poteſtatem obtinuiſſet, (m) aucto & firmato ſibi exercitu, ex Senonibus ad Rhemos contendit, Barbaros cum Severo, qui felicioribus nuper auſpiciis Marcello datus fuit ſucceſſor, undique aggreſſurus. Sed & alius inſuper Dux, Barbatio nomine, cum XXV. millibus armatorum (LIBANIUS (n) XXX. millia habet) ipſi miſſus eſt in auxilium. Hic vero, magno iterum Galliarum malo, ſeparatum illum à Juliani copiis exercitum rexit, nullius, niſi Conſtantii Auguſti, juſſibus obſequens. Quum enim in Rauracos veniſſet, ut inde Cæſari ſeſe jungeret, jubebatur ibi ſubſiſtere, monitus quoque, ne Juliano commiſceretur unquam, ſed Rhenum hac in parte ſolus transiret. Cauſa rei eadem, quæ Marcellum Juliano addiderat æmulum; infelix nimirum Conſtantii indoles, qua verebatur, ne Julianus, proſpero armorum ſucceſſu elatus, credita auctoritate ac viribus in ipſius tandem abuteretur exitium. (o) Quam iniquus vero in Julianum Barbatio, quam pernicioſus ille Galliis fuerit, præter alia hæc quoque Lectorem docebit narratio. Populus tum Germanicus, qui ſecundum VALESIUM (p) Læti vocabatur, Alemannici fœderis procul dubio ſocius, duos inter, Juliani ſcilicet, apud Rhemos, & Barbationis apud Rauricum, exercitus Lugdunum (q) usque, ſed occulte, penetravit, triſtemque urbi huic, in cujus agro vaſtavit diripuitque omnia, interitum ſuperbe minatus eſt. Barbaris non modo liberum, quem forte prohibere potuiſſet, Barbatio per Germaniam Primam & Maximam Sequanorum transitum permiſit, ſed & partem illorum, ad ſua redeuntem, amiciſſime habuit. Reliqui cuncti ab expedito equite, quem Julianus in eorum occurſum feſtinare, ac vias, per quas hoſtibus redeundum fuit, obſtruere juſſerat, trucidati ſunt; prioribus etiam, qui Barbationis perfidia incolumes evaſerunt, omoi Lugdunenſi præda exutis. (r) Enimvero vix credibile eſt, Germanos, licet audacia nulli populo inferiores, tantum vitæ diſcrimen adituros fuiſſe, ut duplici Romanorum exercitu neglecto, mediæ fere Galliæ arma inferrent, niſi finitimæ ejus Rheno provinciæ, opibus & incolis prorſus exhauſtæ, deſerti inſtar, ſteriles jacuiſſent. Ita Alſatiam in ipſa tum Alſatia quæſiviſſes: deſtructis oppidis, civibus vel interfectis vel in hoſticum abductis, nullo quoque arvorum cultore relicto, cunctis armorum Alemannicorum ſtrepitu repletis. An. Chr. 357.

§. LXXIV.

Sed pervenimus tandem ad illud tempus, quod novam quaſi Hiſtoriæ Alſaticæ epocham conſtituit, quoque illuſtrius & eventibus rerum feracius in omni noſtra Romana Periodo vix ullum occurrit. Alſatiæ nimirum, ſub Alemannorum tyrannide jam pridem gementi, Julianus tandem liberator advenit. Alii Barbarorum, recenti popularium ſuorum clade ac inopinato Cæſaris adventu perterriti, proximas paſſim, quas Rhenus effurmat, inſulas (s) occuparunt; alii, domicilia cis Rhenum retinentes, præſidium in ſilvis quæſiverunt, quarum aditus magnis obſtruxerant concædibus arborum. Inſulæ primum hoſtibus ereptæ, hoc forte conſilio, ut iſti Alemannorum, qui patriam non deſeruerant, eo facilius ab ulteriore Rheni prohiberentur transitu. Novum tunc Barbatio, apud Rauracos adhuc ſubſiſtens, adverſantis ſui Juliani conatibus animi documentum edidit. Agebatur de pontibus nonnullis, Rheno imponendis, quibus Romani ad Alemannos, inſulis ejiciendos, penetrarent. Septem à Barbatione, quas Juliano mitteret, naves rogatæ. Sed Cæſar à Barbatione adeo nihil impetravit, ut hic omnes potius, quas habuerat, naves igne combuſſerit; peſſimæ indolis homo, de perdendo Juliano magis, quam de ſervando Imperio, ſollicitus. Nec obſtare tamen Barbatio potuit, quin ille Barbaros inſulis mox prorſus ejiceret. Comperto enim per captos Alemannorum exploratores rapidiſſimi fluminis,

torrida

(m) JULIANUS ibid. ZOSIMUS Lib. III. Cap. II. & III.
(n) *Orat.* X. pag. 273.
(o) LIBANIUS ibid.
(p) *Not.* (y) *ad Ammian.* Lib. XVI. Cap. XI. pag. 105. edit. Gronov. Dubito tamen, num Ammianus vocabulo *læti* appellative, an vero adjective utatur. Alemannos certe hic intelligendos eſſe, circumſtantiæ rerum oſtendunt.
(q) Ebredunum, quod BEAT. RHENANUS *Rer. Germ.* Lib. I. pag. 78. pro Lugduno legendum eſſe putat, heic locum habere nequit. Hoc enim ſi Alemanni oppidum invaſiſſent, nec duos inter dictos exercitus transire, nec à Juliano tam facile intercipi potuiſſent. Ebredunum vero indubie illa civitas eſt, quæ hodie *Iverdon*, apud Helvetios occurrens, dicitur; Rhenanus licet eam haud procul a Rauracis ponat.
(r) AMMIANUS MARCELLINUS ibid.
(s) Inſulas has prope Rhinovium ex parte ſitos fuiſſe, veriſimile eſt. GUILLIMANNUS *Rer. Helvet.* Lib. I. Cap. XI. pag. 97. Valli Alemannici reliquias ibi adhuc ſupereſſe ſcribit. Romani enim oppidum Rhinovium tenebant. Alemanni vero vicinas occupaverant inſulas.

torrida jam æſtate paulatim deficientis, alicubi vado, milites ſub Bainobaudis, Cornutorum Tribuni, ductu ad proximos transgreſſi ſunt Barbaros, quos ſine ullo ſexus vel ætatis diſcrimine trucidarunt univerſos. Ex hiſce lintrium, quas vacuas repererant, ope perrumpentes ad alios, opimis paſſim ditati ſunt ſpoliis, idque ſane vel cædendo, vel terrendo, effecerunt brevi milites, ut nullus hoſtium Rheno inſederit amplius.

§. LXXV.

An. eod. 357. A Rheno Voſagum montem, Occidentalem Alſatiæ limitem, Julianus repetiit, Tres-Tabernas, ab Alemannis nuper deſtructas, reparaturus. Opus, prudenti conſilio inceptum, brevi abſolutum eſt tempore. Munimento hoc ſecuritati Galliæ interioris proſpiciebatur, quæ eo non reſtituto vix unquam ab invaſionibus Germanorum poterat eſſe immunis. (t) Locus reſtauratus & præſidio militari, quod iſtas Vogeſi fauces defenderet, inſtructus. Opus quoque erat commeatibus, nusquam in Alſatia, niſi apud hoſtes, reſiduis. Ex horum itaque meſſibus, vel maturis ſegetibus potius, tanta frumenti copia per milites, rem caute agentes, congeſta fuit; ut non Tribus-Tabernis modo, in anni ſpatium, ſed & aliis Romanorum locis, commeatu carentibus, egregie illa ſufficeret. (u) Omnis præterea exercitus Juliani, iisdem lubenter artibus uſus, viginti ſibi dierum alimenta paravit; quod nuperum commeatum, ad ejus ſuſtentationem paratum, Barbatio vel pro ſuo retinuerat milite, vel igne comburendum tradiderat. Barbatio tum ponti, navigiis ſtruendo, operam navabat, quo in Germaniam transiret cum exercitu, proximisque Alemannis, licet pacatis, ſpecie ſaltem, arma inferret. Sed quam impar iſti fuerit operi, mox eventus oſtendit. Non ſolum enim pontem non abſolvit Barbatio, ſed & in ipſa, ubi ſubſtitit, Gallica Rheni ripa repentino Germanorum impetu fere oppreſſus eſt; quo plures Romanorum, nihil tale expectantes, fuere occiſi. Alemanni tamen, inſigni ſarcinarum ac jumentorum, quæ Rauracis abduxerunt, præda locupletati, ad ſua confeſtim redierunt, vel quod vicinum Juliani exercitum timerent, vel ut nunniſi coactos & provocatos id ſe feciſſe oſtenderent. Nam ex iis ſine dubio Alemannis fuerunt, qui Gundomadum & Vadomarium fratres habuerunt Reges, quique annis ſuperioribus à Conſtantio Imp. bis in ordinem redacti, duplici pacis ſacramento, ut vidimus, Conſtantio adſtricti fuerunt. Barbatio quoque paulo poſt, quaſi re bene geſta, ex Rauracis ad Imperatorem reverſus eſt, milites, per ſtationes hibernas hinc inde diſperſos, media licet æſtate, in Gallia relinquens. (x) Ita Julianus Duce Romano adverſario, ipſis hoſtibus periculoſiore, liberatus eſt, neminemque adeo amplius in Gallia habuit, qui conatibus conſiliisque ejus reſiſteret; Barbatio licet animum hoſtilem in Julianum, in Aulam redux, depoſuerit nunquam.

§. LXXVI.

Interim tremenda Alemannorum colluvies, undiquaque ſedibus ſuis excita, prope Argentoratum, Mediomatrico-Tribocorum urbem primariam, ſeptem ſub Regulis ſuis conſedit. Inter hos Chnodomarius auctoritate & rerum geſtarum gloria veluti princeps fuit; ſequebantur inde Veſtralpus, Urius, Urſicinus, Serapio, Suomarius & Hortarius, omnes arcto inter ſe fœdere adverſus Julianum conjuncti, eandemque lætam, vel lugubrem graviſſimi belli ſortem habituri communem. Plures Alemannos hos cauſæ impulerunt, ut viribus collectis, Romanorum in faciem prodire non dubitarent. Præterquam enim, quod turpis illa Barbationis & numeroſiſſimi exercitus, quem rexerat, fuga ſpem eorum accendit; Julianum, copiis longe paucioribus, nonniſi tredecim millia explentibus, ſtipatum, aut absque prœlio ſalutem eſſe fuga quæſiturum, aut inita pugna facile iri deletum, ſperarunt. Tanto magis vero timidum Cæſarem arbitrati ſunt Alemanni, quod Rheno nuper relicto ad Vogeſum retroceſſerat montem, ubi perficiendi Trium-Tabernarum munimenti ſtudio tenebatur. Adde, quod juſtiſſimum in Romanos bellum ſe ſuſcipere crediderunt, pro vindicanda ſcilicet terra, quam Conſtantius Imp. ipſis pridem occupandam tradiderat; quamque virtute ac ferro quæſitam aliquandiu tranquilli poſſederant. Ab illis hinc Legati, antequam prœlium iniretur, ad Julianum miſſi, qui rationes ipſi graves exponerent, cur Alſatia protinus exire deberet, hoc addito monitu: *Aut ſcriptis* (Conſtantii Epiſtolis) *immanendum, aut neutrum volentibus, prœlium eſſe ſperandum.* (y) Legatos, riſu exceptos, eadem Cæſar ſuperbia, donec inceptum caſtrorum opus abſolveretur, retinuit, qua Alemannorum ipſi mandata expoſuerant.

§. LXXVII.

(t) Vide ſupra pag. 235. §. CXCIX.

(u) Ammianus Lib. XVI. Cap. XI. Libanius *Orat. funebri Juliani*, pag. 273.

(x) Ammianus & Libanius ibid.

(y) Libanius *Orat.* X. pag. 274. ubi: Ἡ τῶν [illegible]

§. LXXVII.

Prœlio itaque res omnis committenda. Flagitabant illud Romani non minus ac Barbari; hi quidem Chnodomario, quod Decentium olim Cæſarem ſuperaverat, concitatore temerario, illi virtute ac hoſtis opprimendi fiducia, excitati. Nec diutius Cæſar militum ardori reſtitit. Audiebatur, ſole vix ortum parante, per caſtra tubarum clangor, prœlii inſtantis nuntius. Exiere inde Tribus-Tabernis lento inceſſu pedites; adjuncti turmatim equites, cum quibus *cataphractarii & ſagittarii, formidabile genus armorum.* Procedente ita verſus Argentoratum, quæ ſeptem à munimento leucis diſtabat, exercitu, dieque jam ad meridiem vergente, quum nondum conſpiceretur hoſtis, Cæſar, quieſcendum eſſe ratus, milites ſuos cuneatim diſpoſuit, habitaque ad illos oratione monuit, ut vallo foſſaque circumdati, victu ſe ſomnoque reficerent; prima luce progreſſuri in hoſtem. Sed oratio, murmure ac fremitu omnium excepta, id tantum effecit, ut milites, ad victoriam ſe duci credentes, pugnandi ardore tanto magis incenderentur, quod memores fuerunt illorum, quæ anno ſuperiore, ubi ex Rhætis & Sequanis magnam Alemanniæ partem pervagati ac depopulati ſunt, feliciſſime geſſerant. Nihil itaque in proximum diem à Juliano differri voluerunt. Conſpirabant Ducum & Legatorum plerique, Florentius potiſſimum, Præfectus Prætorio Galliarum, qui timore agitatus, ne Alemanni, ſi Romanos adeſſe acceperint, caſtris ſuis relictis longe lateque diffluerent, obtemperandum eſſe militibus cenſuit; quos ſcilicet, erepta prœliandi occaſione, ad motus ac ſeditiones proclives cognoverat. His Cæſar rationibus quoque inductus, exercitum denique progredi jubet, paucas poſt horas & emenſum ſeptem leucarum iter cum hoſte dimicaturum. Progredientibus collis quidam, molliter editus, haud longe à Rheno diſtans, ſegetibusque jam maturis opertus, ſeſe obtulit, (z) ibique nonnulli ex hoſtibus ſpeculatores primum detecti fuerunt.

An. eod. 357.

§. LXXVIII.

Quartus ſpeculatorum pedes, quum ſocios tres equites, ad Chnodomarium properantes, Romanorumque adventum nuntiaturos, ſequi non poſſet, opportune horum in manus pervenit. Prodidit iſte Juliano cuncta, quæ ipſi ſcitu perutilia, vires, conſilia & aciem Alemannorum. Præcipua, quæ faſſus eſt, momenta fuere, quod totos tres dies totidemque noctes Germani nuper emenſi ſint Rhenani limitis in Alſatiam tranſitu; quodque in lævo cornu præſtantiſſimus quisque equitum, mixtis hinc inde peditibus, leviter armatis, ſit pugnaturus. Non dubito, quin inter poſtremos Alemannorum, Galliam invadentium, illi fuerint, qui Gundomado & Vadomario è Rauraci tractus regione paruerant Principibus; quum ex Ammiano, uti ſupra dictum eſt, conſtet, eos Regibus ſuis, quod pacem Romanorum colerent, invitis plane ac tum demum patriam armatos reliquiſſe, ubi Gundomado, per inſidias occiſo, juſtum ſeditioſi abſtuliſſent imperium. Hi omnes ergo, duobus regii ſanguinis fratribus ſubjecti, quorum Vadomarius ſolus ſuperſtes, cæteris Alemanniæ populis, qui ad Argentoratum conſederant, ſe quoque ita junxerunt, ut, Vadomario abſente, alienum Ducem, Chnodomarium forte aut Serapionem, acciperent. Apud hos enim Reges ſumma gerendorum poteſtas tum fuit atque auctoritas: prior, equo ſublimis, corporis & animi magnitudine præſtans, raroque armorum nitore per aciem conſpicuus, lævum ejus cornu, dextro nobilius, ſuperbus ducebat: Serapioni vero, Chnodomarii ex Medericho fratre nepoti, haud vulgaris prudentiæ ac fortitudinis juveni, dextrum latus regendum æque commiſſum fuit. Sequebantur inde reliqui quinque Reges; poſt decem alii, regio ſanguine nati, & plures gentis Alemannicæ Proceres, ſuis quisque præfecti ordinibus. Exercitus, partim à ſociis miſſus, variis partim ex nationibus mercede conductus, numerum triginta quinque millium armatorum explevit. (a)

(z) Collem hunc illum eſſe, qui jam prope Husbergam, Argentoratenſis agri vicum, conſpicitur, Beatus Rhenanus *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 320. recte conjecit. Vide ſupra pag. 217.

(a) Num hic 35000. armatorum numerus omnem Alemannicum exercitum abſolverit, dubito, quod Ammianus ſocios tantum & mercede quæſitos memorat, præter quos alios plures adfuiſſe neceſſe eſt barbaros, illos nempe, qui dictis ſeptem Regibus ſubditi erant.

§. LXXIX.

An. eod. 357. Ita diſpoſita Alemannorum acies Romanos intrepida ſibi obvios vidit, duo quoque in cornua extenſos. Alteri, quod à dextris ſtabat, ipſe Julianus, Chnodomario adverſus præfuit; Severo, qui in Marcelli locum Juliano ab Imperatore additus fuit, ſiniſtri lateris Duce conſtituto. Primum Severus impetum tentavit; ſed ad foſſas, hoſtibus repletas, inopinato perveniens, ulterius progredi auſus non eſt, quod occultas ſibi inſidias inde metueret, novitateque rei quaſi attonitus, nec perterritus tamen, cum milite ſubſtitit. Cæſar, id conſpicatus, quum jam ad teli jactum utraque acies veniſſet, obequitando ſingulas cohortes, varia oratione, ut cujusque animo convenit, allocutus eſt milites. Alios, quos ſegniores eſſe cognoverat, ad fortitudinem ita excitavit, ot & priſtini pugnandi ardoris, & præſentis vitæ ac Reipublicæ periculi, eos admoneret, oſtenderetque ipſis ampliſſima, quæ victoriam conſecutura ſint, acti laboris præmia. Alios, qui impetus faciendi nimium impatientes videbantur, quosque, ſigno pugnæ nondum dato, hoſtes fervide aggreſſuros præviderat Cæſar, paucis hortatus eſt, ne impetu facto turbati, quod ſæpius contingere ſolet, vel debiliores redditi gradum referant, ſuaque Barbaris terga cædenda præbeant. Tum pedeſtris Alemannorum exercitus, ſubito excitato clamore, vociferatus eſt, ſe accepto damno facile pugna exceſſuros, niſi Reges, dimiſſis equis, ſecum pedites verſarentur. Chnodomarius ſtatim equo deſiliens, reliquis, quod imitarentur, præbuit exemplum. Nec ullus id facere dubitavit cæterorum Principum, quod cuncti victoriam manibus jam tenere ſe crederent. Claſſicum prœlii canitur, fit utrimque concurſus atrox: Alemanni rigidis comis & trucibus oculis ultra ſolitum horridi, turmas Romanorum equeſtres involant; armis arma pulſantur, & Romani, objectis ſcutorum obicibus, gladios in Barbaros ſtringunt. Sed conſertis & cohærentibus quaſi excita pulveris nubes quum proſpectum adimeret, turbata maxime acies, ordines paulatim laxati, omnia incondito pereuntium clamore & ululatu repleta fuerunt. Dextrum Romanorum cornu, equitibus conſtans, lævum dum repelleret hoſtes, ipſum ab hisce repellitur, nec quicquam deerat fugæ, niſi quod terga nondum verterat. Territos Cæſar citato curſu aſſequitur, caſtigat leniter, & in militum ſociorum, pro Republica fortiſſime pugnantium, opem venire jubet; ea oratione uſus. ut obfirmatis illorum animis primum unius turmæ Tribunum, deinde univerſos in aciem, quæ jam nutabat, reduceret. (*b*)

§. LXXX.

Barbari interea, collectis viribus, in lævum pedeſtre cornu furore converſi, Cornutorum præſertim & Braccatorum virtute, de felici pugnæ eventu dubitare cœperunt. Singuli quoque adverſus ſingulos tunc dimicantes, inæquali licet numero, quo Alemanni longe ſuperiores fuerant, æquali tamen utrimque conſtantia & fortitudine locum, quem occupaverant, tuiti ſunt. Inſigne Romanis præſidium ſcuta præbuere,. teſtudinis inſtar inter ſe juncta; ſine quibus prævalenti Germanorum multitudini vix potuiſſent reſiſtere. Defatigatis & laborantibus dein celeri curſu ſupervenere in auxilium *Batavi cum Regibus, formidabilis manus, extremæ neceſſitatis articulo circumventos, ſi juviſſet fors, ereptura.* (*c*) Hæc ſi non acceſſiſſet, actum de Juliani exercitu; actum quoque de Alſatia, ſine dubio fuiſſet; quum tanta Alemanni pertinacia inſtarent, ut nec Batavi Regesque illorum impetum ab initio cohibere potuerint. Chnodomarius enim cum Optimatibus reliquis, via ſibi cædibus patefacta, in ipſum Romani exercitus, ubi Legio Primanorum conſtituta, meditullium, barbara magis temeritate, quam vera periti Ducis fortitudine, penetravit. Tum ſane ingens rerum mutatio facta. Hoſtis mediam in aciem receptus, dum firmiſſimos agminis Cæſareani ordines perrumpere conatur, ipſe magno numero diſtrictis gladiis perforatus occubuit. Cædes cædibus aucta; Romanis, diu laceſſitis, novum jam veluti animum mutua adhortatio indidit & firma vincendi fiducia; Barbaros, de vita modo ſollicitos, vel ipſe metus & pavor proſtravit. Agebatur apud hos nun de acie reſtituenda, ſed de

(*b*) Zosimus Lib. III. Cap. III. rem paulo aliter enarrat, hosque equites, ſexcentos numero, ubi ſuos fœde deſeruiſſent ordines, a Cæſare quidem ad reditum invitatos, ſed nequaquam eo inductos fuiſſe ſcribit, ut prœlii atque victoriæ participes eſſe vellent. Hinc etiam finita acie ignominioſe habiti, quum Julianus ſingulari illos pœna, veſte muliebri amictos, per caſtra duci juſſerit, alias in provincias mox diſtrahendos.

(*c*) Ita Ammianus Lib. XVI. Cap. XII. pag. 113. ubi locus videtur eſſe corruptus, cui medicam manum adhibiturus Cluverius *Germ. Antiq.* Lib. I. Cap. XXXIX. emendat: *Batavi venere cum Herulis* refragante tamen Henr. Valesio: qui *Reges* hoc loco numeri ſeu Legionis nomen eſſe exiſtimat, quos Notitia Imp. *Regios* appellat.

Digitized by Google

de loco fugæ quærendo. Neque fuga enim illis, qui medium agmen invaſerant, patuit, à fronte Romanus miles, ſanguinis effuſionem ultra modum anhelans, à tergu Rheous quum eſſet. Hinc ſtrages, ruinæ potius, quam cædi, ſimilis viſa, tantu magis horrenda præſentibus, quod plurimi acerbiſſimos inter vulnerum dolores, pauci ſubita morte, extincti ſunt. Superſtites, ad extremam denique ripæ Rheni marginem protruſi, animas flumini commiſerunt, ejusque transnatandi peritia lubricam quæſiverunt ſalutem. Cæſar, ne illos victor ſequeretur miles, idemque vitæ diſcrimen adiret, cum Tribunis & Ducibus ſevere prohibuit; unde factum, ut, abjectis gladiis, tela fugientium tergis immitterentur. Præter confoſſos autem alios plures, armorum & corporum pondere gurgitibus hauſtos, rapidus ſecum Rheous abſtulit, qui ex barbarico ſanguine decolor, miræ jucunditatis ſpectaculum Romanis tum præbuit. Pauci, clypeis vecti, *præruptas undarum occurſantium moles obliquatis meatibus declinantes*, ſalvam in Germanicum Rheni litus vitam retulerunt. Solus Regum Chnodomarius cum ducentis ſuorum, reperta evadendi via, caſtra ſua, quæ cis Rhenum Tribunos inter ac Concordiam (*d*) metatus fuerat, repetiit, ut inde aſcenſis navibus Rhenum trajiceret. At Tribunus cum cohorte illom ſecutus, licet voltum diſſimulaverat, facile agnovit, inſolita corporis magnitudine proditum, eumque in edito quodam nemore concluſit atque ita terruit, ut ipſe Chnodomarius è latebris ſolus ad obſidentes progrederetur, illisque captivum ſe traderet. Reliqui comites, ducenti oumero, tresque ejus amici junctiſſimi, amiſſo Rege ſalvi eſſe nolentes, ſpontanea quoque deditione mox vincti ſuut.

§. LXXXI.

Ita fere ſeculi res unum in diem fortuna cumulavit. Chnodomarius, ad Julianum Cæſarem perductus, quantum victoriæ ſplendorem addiderit, quantumque victoris exercitus lætitiam gloriamque adauxerit, ipſa res docet. Sortis ille, quam experturus erat, adhuc ignarus, incredibile dictu, quantum à ſe ipſo mutatus fuerit. Tremebundus & pallens ne ullam quidem vocem emiſit, donec inter captivos reliquos primus capitali ſiſteretur judicio, quo humi ſupplex proſtratus gentilitio more delictorum precatus eſt veniam. Exacta vero oocte, quæ prœlium proxime ſecuta, quamque Romani ad Rhenum transegerunt quieti, ſex millia Barbarorum cæſa in campo reperta ſunt, non computatis, quos unda fluminis oppreſſit, abſtulitque mortuos. Hallucinatur absque dubiu Zosimus, (*e*) quum ſexaginta millia hominum in prœlio, totidemque in flumine, deleta memorat. Libanius, (*f*) ſi Valesium audias, ab Ammiano quoque, plurimum vero à Zosimo, diſſentit, quod octo millia Alemannorum, præter eos, qui aqua ſuffocati perierunt, interfecta fuiſſe ſcribit. Reliqui illius & ſequentis ævi Scriptores, uti Aurelius Victor, (*g*) Eutropius, (*h*) Paulus Orosius, (*i*) Eusebius, (*k*) ac Socrates, (*l*) vel infinitas, vel ingentes tantum Alemannorum copias, à Romanis occiſas, loquuntur, oumerumque adeo definitum nun proferunt. Ammiano tamen haud facile fides deneganda, quippe quem ipſum rebus geſtis præſentem adfuiſſe nuvimus. Ex hujus calculo autem ſex millia hoſtium, ut diximus, in acie proſtrata, ſed nonniſi duceoti & quadraginta tres ex Romanis militibus deſiderati fuerunt, quibus addendi quatuor Duces, Bainobaudes ſcilicet, Cornutorum Tribunus, Laipſo, Innocentius, qui Cataphractariis præfuit, & alius quidam Tribunus incerti nominis. Tam exiguo victoris impendio maxima victoria conſtitit. Unicu velut ictu Alſatia, imo univerſa Gallia, periculoſiſſimis hoſtibus, per plures jam annos cis Rheuum dominantibus, liberata, Imperiique Romani vetuſtiſſimus limes reſtitutus fuit. Alia, quæ victoriam ſecuta ſunt, infra videbimus.

(*d*) Vide ſupra pag. 233. §. CXCV.

(*e*) Lib. III. Cap. III. ubi: Ἓξ ἐν αὐτῇ τῇ μάχῃ μυριάδας ἀπολωλέναι· ἑτέρους δὲ τοσούτους ἀπαγομένους κατὰ τοῦ Ῥήνου, καὶ διαφθαρέντας ἐν τῷ ῥεύματι. Zosimum χιλιάδων, non μυριάδων, ſcripſiſſe, quod vult Valesius, ideo non credibile eſt, quoniam ipſe victoriam hanc Juliani, cujus ſtudioſiſſimus erat, comparavit victoriæ illæ Alexandri Magni, quam in Darium reportavit.

(*f*) *Oratione* X. quæ *Juliani Imp. funebris* eſt, Opp. Tom. II. pag. 275. ubi hæc verba occurrunt: Καὶ ὃν ἔτι, ὁ μόνον ὂν βουλόμενος. (ſcil. ὁ βάρβαρος) ὥστε ἐκκαιδεκάτῳ μὲν τὸ πεδίον ἐκάλυψε. Ἐκρύπτετο δὲ ὁ Ῥῆνος τοῖς σώμασι τῶν νῦν ἀποπνιγέντων. Hic quidem numerus interfectorum indefinitus legitur; at Valesius illum ex Codice Mſ. ſupplevit, inſerto vocabulo: ἑπτακισχιλίοις, ſcil. νεκροῖς. Vide Ammiani Lib. XVI. Cap. XII. pag. 116. ed. Gronov. ubi Not. (*y*) locus Valeſii extat.

(*g*) *Epitom.* Cap. XLII.

(*h*) Lib. X. Cap. VII.

(*i*) Lib. VII. Cap. XXIX.

(*k*) *Chron. Hieronymi* ad An. CCCLVII.

(*l*) *Hiſt. Eccleſ.* Lib. II. Cap. XLVII.

§. LXXXII.

An. eod. 357. Argentoratum oostram proximam hojus rei, in ipſius nimirum campis peractæ, ſpectatricem extitiſſe, jam ſupra (*m*) evictum eſt, & ex narratis patet abunde. Diſertis id graviſſimorum quorundam Scriptorum verbis firmari, qui vel pugnam *Argentoratenſem* vocant, vel *ad Argentoratum* victos Alemannos unanimi conſenſu ſcribuot, adverſus Cluverium ibidem oſtendimus; quem Druſenhemium prœlio locum aſſignaſſe miror. Sed neque illa ſententia poteſt admitti, quæ commiſſum prœlium Mundolzhemium intèr & Suffelweyershemium, duos Argentoratenſis agri vicos, integra leuca ab urbe totidemque à Rheno diſtaotes, ponit. (*n*) Propius illud Rheno fuiſſe conſertum, Ammianus evidenter oſtendit: “ Ultimo (inqoiens) denique „ trudeote diſcrimine, Barbari, cum elati cadaverum aggeres exitus impedi„ rent, ad ſubſidia fluminis petivere, quæ ſola reſtabant, eorum terga jam „ perſtringentis. „ Rbenum flumen Ammianus intelligit, quod apparet ex ſequentibus. En ergo aciem Rheno tam vicinam, ut præter Chnodomarium & ducentos equites, nullus hoſtium dilabi aut fugam capeſſere potuerit; niſi qui fluvio ſeſe immitteret & transnatando vitam ſervaſſet. Alias ratione loci, ubi pugnatum, circumſtantias Ammianus noo prodit; Libanius (*o*) autem inſuper fluminis cujusdam, vel ſaltem aquarum ductus, meminit, ſub quo manipulus, dextri Romanorum cornu auxiliator, fuerit occultus. Deinde locum, quem Romani occupaverant, aquoſum appellat, quæ omnia perſuadere videntur, pugnam eo in tractu commiſſam ſuiſſe, qui Ellum flumen ac Rhenum interjacet, prope Argentoratum. In ſummitate collis, qui Husbergæ vicinus, primos Alemannorum exploratores viderunt Romani, teſte Ammiano, & in illa vicinia primæ Alemannorum copiæ fuerunt repulſæ.

§. LXXXIII.

Quantacunque Joliani ob exciſos Barbaros gloria fuerit, ipſe tamen adeo moderate ſe geſſit, ut oeque victoriam ſibi ſoli adſcriberet, neque oblatam ab exercitu dignitatem *Augyſti* acciperet. (*p*) Chnodomarium, quem è ſeptem Regibus ſolum cœperat, clementiſſime habitum, paulo poſt ad Conſtantium Imp. transmiſit captivum, omnem ei ſoli gloriam triumphandi relicturus. Fatetur Julianus, (*q*) ſibi qoidem triumphare oon licuiſſe, at nec fuiſſe prohibitum, ne barbarum Regem vel neci daret, vel totam per Galliam victor traduceret, urbium & agrorum oſtentaret iocolis, variiſque ludibriis & calamitatibus eum affici permitteret. Sed eadem hæc Juliani, quam Conſtantio Imp. exhibuit, fides ac reverentia conceptam jam olim de illo ſuſpicionem atque invidiam magis magiſque adauxit, ut plura in Cæſarem cogitarentur impia, ſuſciperenturque. Ita enim Mamertinus, (*r*) Conſtantio morte ſublato, Jolianum alloquitur: “ Quid à te aliud conſortis Imperatoris alienavit animum, niſi gloriæ tuæ „ ſplendor ? Teſtor immortalem Deum, teſtor ad vicem Numinis mihi ſanctam „ conſcientiam meam, me multa conſtanter in hac urbe fuiſſe dicturum de his, quæ „ adverſus Imperatorem (Julianum) ioclementer & impie cogitata atque ſuſcepta ſunt, „ ſi etiam nunc bominum cœtus Divus Conſtantius frequentaret. Nunquam profecto „ liberi civis & boni Senatoris officio defuiſſem, quo minus redarguerem & convin„ cerem, eas illi in te odii fuiſſe cauſas, quæ amoris inflammatrices & „ fidei obſides eſſe debuerunt. „ Enimvero Imperator Conſtantius, magnis Imperii rebus gerendis prorſus impar, ita de Argentoratenſi Juliani victoria gloriatus eſt, ac ſi ipſe præſens aciem ordinaſſet, ſtetiſſetque inter ſigoiferos, & Alemannos hoſtes, Rege Chnodomario capto, fugaſſet præcipites; nulla Juliani his in omnibus facta mentione. (*s*) Chnodomarius, mœrore & veterni murbo confectus, Romæ in caſtris Peregrinis, quæ Cælio monti impoſita, quæque captivum illum tenuerant, miſer animam efflavit. Ita Alemannos ſoperiores, ooſtræ potiſſimum adverſos Alſatiæ, Julianus trans Rbenum rejecit, limitemque Imperii hac in ora non tantum reſtituit, ſed eundem quoque à Barbarorum, acceptæ ſtragis memoria trepidantium, irruptionibus ſecurum aliquandiu reddidit; inferioribus nunc Alemannis, qui in vicinia Moguntiaci, pariter

(*m*) Pag. 216. ſq. §. CLXVII.

(*n*) Ludovicus Laguillius *Hiſt. d'Alſace* Part. I. *Liv.* II pag. 24.

(*o*) *Orat.* X. pag. 274. ſq. Τῷ δεξιῷ ᾗ κέρᾳ σύμμαχον εἶναι λόχον, ὃν ἐκρύφθαι ὑπὸ ὀχετῷ μεστῷ καλάμων τινῶν. Καὶ γὰρ ἦν ὑδρηλὸν τὸ χωρίον τοὺς καλάμους ἀφανιζόντων.

(*p*) Ammianus loco ſæpius allegato, pag. 116.

(*q*) *Epiſtola ad S. P. Q. Athenienſ.* pag. 279. Conf. Libanius *Orat.* X. *in Julians necem habita*, pag. 276.

(*r*) *Gratiar. Actione pro Conſulatu* §. III.

(*s*) Ammianus in fine Lib. XVI. Cap. XII.

pariter arma victricia illaturus atque terrorem. Tres itaque Tabernas, quas ante initum Argentoratenſe prœlium probe muniverat, cum exercitu repetiit, poſtquam ejus juſſu corpora peremptorum omnia ſollicite mandata ſepulcris fuiſſent; dimiſſis etiam ad ſua, quos ſecum retinuerat, uti ſupra dictum, Barbarorum Legatis. Eo autem quum perveniſſet, captivos, de quorum numero non ſatis conſtat, ac prædam in Mediomatricos, finitimos Alſatiæ, duci, & ad reditum usque ſuum, aut finitam in Alemannos expeditionem, ibi ſervari præcepit. Progreſſurus inde Moguntiacum, refractarios militum, quod minime crederes, expertus eſt animos, ut multis verborum illecebris opus fuerit, donec illos ſibi obſtringeret. LIBANIUS (t) obſervat, Julianum milites habuiſſe, natura ignavos & ſegnes, quos vero meliores paulatim effecerit. Hoc attendens quispiam, ſummos inter belli Duces referendum eſſe Julianum, eo minus dubitabit, quod hoſtes, ſibi longe potentiores, modicis copiis, iisque parum ſtrenuis, raro felicitatis exemplo, proſtravit, ut ſoli prudentiæ ac fortitudini ejus omnia deberi videatur.

§. LXXXIV.

Reducto jam ad obſequium milite, ſtatim iter per Germaniam Primam ingreſſus, & ad ejus urbem primariam, Moguntiacum, delatus eſt, ubi utramque Rheni ripam haud ægre pontibus junxit. Transeuntes Romanos in Alemanniam mox Legati adierunt Barbarorum, qui amicitiam & integra fœdera teſtarentur, peterentque pacem. Sed quam parum ſincere illam petierint, id tantum agentes, quo primum Cæſareanorum impetum averterent, eodem compertum eſt die, quum alii confeſtim Legati accederent, acerrimum Romanis bellum minati, niſi regionibus iſtis Alemannicis brevi excederent. Converſus hinc Julianus ad arma, prima noctis quiete navigiis levibus octingentos militum ſuorum impoſuit, ut Barbaros è Rheno paſſim aggrederentur, cunctaque, ſi poſſent, ferro & flammis ſubjicerent. Magis tamen in hoſtium ſedes ac domicilia, quam in hoſtes ipſos, à Romanis ſævitum. Hi enim, fugam arripientes, in ſilvarum primum ac montium latebris, inde trans Mœnum flumen apud Francos, quæſiverunt ſalutem, adeoque terras ſuas irato militi apertas, imo & pecora & fruges eidem reliquerunt, maximo terrore perculſi. Denique quum tempus exercitus, in hiberna reducendi, adeſſet, æquinoctio autumnali jam exacto, montibusque & campis nive prorſus opertis, tumultuario opere Munimentum illud, quod Trajanus olim in Alemannorum terra condiderat, de ſuo quoque nomine appellatum, (u) quodque Alemanni cum Vallu Decumatium Agrorum pridem everterant, Cæſar reſtauravit, eidemque reſtaurato nonnullos ad tempus aliquod præſidiarios milites impoſuit, ex Barbarorum frugibus ſuſtentationem vitæ trahentes. Quantum id Alemannos de libertate ſua anxios reddiderit, inde perſpicitur, quod ſtatim Legatos ad Julianum miſerint, humillimis verbis pacem ſibi qualemcunque expetituros. Data, ſed nonniſi in decimum menſem, pax induciis ſimilis. Tum tres coram Cæſare Alemannorum Reges, ex quorum civibus pugnæ quoque Argentoratenſi interfuerant auxiliares, comparuere, eique polliciti ſunt, ſe adeo nihil tentaturos fore in Romanos, quamdiu fœdera ſubſiſterent, ut victum potius Munimenti defenſoribus, ſi eis defuerit, ſuppeditare vellent. Julianus, his rebus feliciſſime peractis, expugnatisque in via duobus caſtellis ad Moſam, quæ Franci occupaverant, Alemannorum æmuli, Pariſios hibernaturus pervenit. (x)

§. LXXXV.

Juthungi, extrema verſus meridiem Alemannica natio, Lacui Bodamico ſeu Brigantino (y) contermina, pacis, quam ante biennium urgente, ut diximus, Arbetione fecerant cum Romanis, jam iterum obliti, nec ulla popularium ſuorum clade perterriti, vicinas Rhætiæ provincias invadunt ac populantur, nihilque ibi, ne urbes quidem An. Chr. 358.

(t) *Oratio funebr. Juliani*, pag. 276. Idem paulo poſt, cur milites jam arma deponere, quam ulterius illa hoſtibus inferre, maluerint, hanc cauſam allegat, quod dicerent, fatigatis opus quiete ac victoriæ deliciis utendum eſſe.

(u) Duas diverſas de hujus Caſtelli ſitu opiniones vide apud BAUDRANDUM *Geograph.* pag. 326. in voce: *Trajani Munimentum.* Adde CELLARII *Geogr. Ant.* pag. 475.

(x) AMMIANUS Lib. XVII. Cap. I. & II. LIBANIUS *Orat.* X. pag. 277. ſq. ZOSIMUS Lib. III. Cap. IV.

(y) Lacus ab oppido *Bodmen*, *Bodamicus*, hodie, *Brigantinus* & *Conſtantienſis* a Brigantio & Conſtantia oppidis nomen accepit; imo & *Venetus* appellatus eſt, etymologia incerta. Verſus Lacum hunc ſiti fuerunt Juthungi, *Alemannorum pars Italicis conterminans tractibus*, ut loquitur AMMIANUS. *Vithungi* appellantur ab AURELIO VICTORE *Cæſar.* Cap. XXXIII. à SIDONIO *Paneg.* VII. *Aviti* vers. 233. idem ab EUMENIO in *Panegyr.* quem Conſtantio dixit, Cap. X. Sed SIRMONDUS Codicum veterum auctoritate Sidonio Juthungos reſtituit, Eumenioque eosdem reddendos eſſe cenſuit. Iidem Juthungi occurrunt apud AMBROSIUM *Epiſt.* XXVII. IDATIUM in *Chronico* & DEXIPPUM in *Conſtantini Imp. Excerptis de Legationibus.* TABULA PEUTINGERIANA cum Marcomannis eos jungit & Quadis. SUIDAS in Ἐξέται ad Danubium, ex veteris Auctoris teſtimonio, eosdem locavit.

quidem munitas, intactum relinquunt. Mirum natiooem, Argentoratenſi prœlio nuper tam graviter afflictam, id auſam fuiſſe. Aberat quidem Conſtantius Imp. cum exercitu in Oriente, graviſſimo bello adverſus Perſas intentus, quod leves Juthungorum forte animos ad frangendam fidem excitavit; ſed miſſus tamen cum valida manu idem Barbatio, quem in Rauracis Alemanni ſuperiori tempore in fugam converterant, illos feliciſſimo jam ſucceſſu aggreſſus eſt, ut plerisque Barbarorum interfectis, reliquos, exiguo numero ſuperſtites, ad ſua iterum properare coegerit. (z)

Anno à pugna Argentoratenſi jam prope elapſo, Julianus Pariſiis, obi hiemem transegerat, egreſſus verſus Rhenum, & quidem primo inferiorem, quem Franci nuper transierant, dein hisce devictis, ſuperiorem verſus copias ſuas reduxit. Intellexerat nimirum prudentiſſimus Cæſarum, Galliam ſævis Alemannorum invaſionibus vix unquam vindicari poſſe, niſi natio indomita & ferox vel jugum ſubiret alienum, vel certe exhauſta viribus mitior redderetur, fieretque in vicinos humanior. Magnus præterea Gallorum oumerus, à Barbaris jam pridem trans Rhenum abductus, duriſſima vindicandus erat ex ſervitute, ac priſtinæ ſuæ libertati reſtituendus. Hoc itaque ut efficeret, navalem iterum pontem Rheno impoſuit, quamvis transitum ejus plures diſſuadere potuiſſent rationes. Uti enim anno ſuperiore adverſantes ſibi, poſt prœlium Argentoratenſe Moguntiacum, & inde Barbaros, petituro, habuerat milites, ita nunc eosdem adeo expertus eſt feroces ſibique infenſos, ut & graviſſimis proſcinderetur convitiis. Cauſa ſeditionis erat, quod frugibus nondum maturis alimenta deficere cœperant, nullaque ab eo tempore, quo Julianus in Galliam pervenit, ſoluta eſſent ſtipendia, quæ Auguſtus erogari prohibuit. Transducti tamen milites in Alemanniam, ſed inſtigante Severo, Magiſtro Militum, rurſus obedientiam Cæſari præſtare recuſarunt. His triſtiſſimis circumſtantiis rerum Julianus verſabatur, quum mira ejus felicitate inopinato ſupplex accederet Rex quidam Alemannorum Suomarius, (a) memoria cladis, apud Argentoratum acceptæ, eo adductus, ut vel duriſſimas pacis conditiooes iniret. Inter has præcipuæ fuerunt, ut ille captivos redderet omnes, quos à longo jam tempore ex Romanis Gallisque ſecum transduxerat in Germaniam; utque militibus Romanorum, Germanicæ Rheni ripæ invigilantibus, toties annonam, quoties opus eſſet, ſuppeditaret; ſuſceptorum (b) more, ſecuritates accepturus pro illatis; quas ſi non oſtendiſſet in tempore, vi adigeretur armorum.

§. LXXXVI.

An. eod. 358. Tam lætus ioceptæ expeditionis eventus non tantum Juliano, ſed & copiis, quas inobedientes ſibi & maxime iniquas habuerat, ulterius in hoſtes progrediendi animum addidit. Nulla jam de alimentorum egeſtate querimonia. Quærebatur autem, qua Hortarius, (c) alius Alemannici cujusdam Pagi Regulus, qui cum Chnodomario quoque ad Argentoratum infelix pugnaverat, ratione petendus eſſet; denſiſſimis arborum concædibus munitus. Inter hæc captus ex Barbaris Juliano adducitur juvenis, quo præeunte per longos circuitus tandem in Pagum illum milites penetrarunt; cunctaque aut flammis vaſtata, aut perempta gladio, direptave fuerunt. Hortarius ipſe quidem evaſit, ſed magnitudine periculi & illatæ ſuæ regioni cladis perterrefactus, mox victorum ſe manibus obtulit, ac omnium, quæ olim Romanis intulerat, malorum veniam precatus eſt humilis. Hanc ut impetraret, imperata quæque facturum & univerſos, quos haberet, captivos redditurum ſe fore promiſit. Aſt perfide rem agens, plurimis in captivitate retentis, nonniſi paucos Juliano reddidit; (d) gravem delicti

(z) Ammianus Lib. XVII. Cap. VI.

(a) Suomarium hunc inferioris Palatinatus, quæ trans Rhenum eſt, partem tenuiſſe putat Guillimannus *Rer. Helvet.* Lib. II. Cap. IV. Illuſtris Henr. à Bunau vero rectius ditionem ejus eo in tractu ponit, qui, Rheno ac Mœno fluminibus interjacens, Superior Comitatus Cattimelibocenſis hodie vocatur. Vide ejus *Teutſche Kayſer- und Reichs-Hiſtorie*, Part. I. Lib. III. pag. 810. Ammianus ipſe Lib. XVIII. Cap. II. Suomarii pagos *ulterioribus Rheni ripis adhærere* ſcribit.

(b) Per *Suſceptores* intelliguntur, qui annonam militarem, a provincialibus exactam, horreis inferunt, ideoque accipiunt apochas, quas Ammianus *ſecuritates* appellat, Lib. XVII. Cap. X. pag. 134. Vid. Valesius ad h. l.

(c) Situm Regni, quod Hortarius poſſedit, nolim cum Henrico à Bunau Lib. cit. pag. 811. intra Mœnum & Lohnam fluvios, nec cum Guillimanno *Rer. Helvet.* Lib. II. Cap. IV. in Palatinatu ſuperiore, quærere; quod prior ſententia Hiſtoriæ repugnat, quæ Alemannos non ultra Mœnum habitaſſe docet; poſterior autem Ammiano repugnat, ex cujus verbis clare apparet, ditionem Hortarii proximam Rheno fuiſſe. Si reliqua Ammiani, ubi de Hortario loquitur, inferius producenda, cum hisce quispiam contulerit, nobis, ut puto, non refragabitur, ſi regnum ejus prope Rhenum & Nicrum fluvios, vel eum in tractum, ponamus, in quo Heidelbergenſis urbs hodie conſpicitur.

(d) Qua Julianus ratione numerum captivorum didicerit, Zosimus Lib. III. Cap. IV. exponit his verbis, Latine redditis: " Arceſſitis ad ſe omnibus, „ qui ſingulis ex oppidis atque vicis fuga evaſerant, „ ab eis exigebat, ut nominatim dicerent, quosnam „ ex urbibus & vicis unius cujuscunque ipſorum „ Barbari captivos abduxiſſent. Quum quisque vel „ ex conjunctione ſanguinis, vel ex vicinia, vel „ amicitia, vel alio quodam caſu ſibi cognitos nominatim edixiſſet, juſſit, ut omnes à Notariis Imperatoris deſcriberentur &c.

delicti pœnam mox ſubiturus; poſt captivorum nempe omnium remiſſionem, civitatibus, quas Alemanni ad Rhenum deſtruxerant, reparandis, carpenta & reliquas ex opibus ſuis materias ſuppeditare coactus. Annona ipſi ideo non fuit imperata, quod ejus agro vel regnulo, per milites maximam partem vaſtato, vix eroganda ſupererat. (e) Id porro memorabile, quod Julianus (f) ipſe memorat, ſe viginti ſcilicet captivorum millia à Trans-Rhenanis Barbaris repetiiſſe; inter quos Alſatas plurimos fuiſſe neceſſe eſt. Abduxerant illos ſecum Alemanni ex iſtis præſertim oppidis, quæ ante Juliani in Gallia adventum deſtruxerant, uti Zosimus (g) diſertis hoc verbis tradit. Tanta autem, ſecundum ejusdem Scriptoris mentem, captivorum multitudo reddita, quantam ex quadraginta urbibus everſis fuiſſe coactam, veriſimile eſt. Libanius, (h) ubi hac de re paulo obſcurius quædam diſſeruiſſet, tandem ita concludit: “ Sic tunc Gallos divulſit, & copulavit bellum, partim ignavia Præfectorum, partim virtute confectum. Ac prætoria implebantur; populi, artes & pecuniarum commeatus, augebantur, & filiarum collocationes, & matrimonia juvenum, & peregrinationes, & feſta, & conventus publici agebantur ut prius .... Quasdam civitates ruentes excitavit; aliis parum exinanitis incolas ſervavit, ac ne amplius pari metu invaderentur, præſtitit. Quo circa nemo jam Barbarorum durante proxima hieme ad ſolitas deprædationes flumen trajecit; ſed domi manentes partis victitabant, non tam pactorum pudore, quam belli formidine. „ Apparet inde, quantum Romani, quantum Gallia, quantumque ſpeciatim Alſatia, Juliano tum debuerint Cæſari; Alſatiam dico, quæ ſuas paulatim urbes, oppida & vicos, imo & incolas, partim alio fuga dilapſos, partim miſeram in ſervitutem olim abductos, ſibi redditos vidit: tantique ſub Ducis præſidio reviviſcens, priſtinas quaſi vires recepit. Annotat quoque Libanius, Julianum, firmata jam Rheni ſecuritate, frumentum ex Inſula Britannica, ſecundum mare per Rhenum, deduci feciſſe; ut Gallis Rhenenſibus, qui, poſt tot bellorum calamitates, magna alimentorum penuria laborabant, ſuccurreret. Inſignis beneficii hujus Alſatas quoque factos eſſe participes, ideo non licet dubitare, quod rebus omnibus, ad vitam pertinentibus, fuerant exhauſti.

§. LXXXVII.

Tertiam Julianus in Alemannos expeditionem ſuſcipit, prioribus rerum geſtarum nec magnitudine, nec felicitate, inferior. Superfuerunt nimirum adhuc quidam illorum Reges; qoos Romanorum nondum terruerant arma victricia, quique adeo brevi novas iterum cis Rhenum irruptiones auſuri videbantur. Horum tamen animos & conſilia ut accuratius inveſtigaret, Legatum quendam, Hariobaudem nomine, ad Hortarium miſit, Regem anno ſuperiore, ut modo vidimus, pacatum. Ipſe Julianus interim, dum in Gallico ſolo hæreret, præclare ſibi & exercitui, nec ſecuritati minus Galliarum, proſpexit, magnam annonæ copiam, ex Britannia maxime advectam, conferendo in horrea: ſeptemque civitates, à Francis olim everſas, inter quas Noveſium, Bonna, Antunnacum & Bingium, è ruinis excitando muniendoque. Inde, quum Hariobaudes ex Alemannia rediiſſet, ducti ſunt milites ad urbem Moguntiacum, è cujus regione Suomarius erat, Rex itidem Romanis amicus. Quærebatur inter nobiliores Duces de loco, ubi Rhenus transeundus, ac proficiſcendum in Barbaros; quum alii pro Moguntiaco ſtarent, ubi flumen hoc ponte jam olim ſæpius junctum fuit; Cæſar vero eam ob cauſam reniteretur, quod Suomarium, terrarum ſuarum ingreſſum enixiſſime deprecantem, offendere nollet. Acceſſit, quod magna Barbarorum multitudo prope Moguntiacum in Germanica Rheni ripa confluxerat, ut ibi pontis conſtructionem omnemque exercitus tranſitum fortiter prohiberet. Prævalente itaque Juliani ſententia, à Moguntiaco promota caſtra fuerunt noſtram verſus Alſatiam, (i) quo in oppoſita fluminis ripa hoſtes, Romanorum motus probe obſervantes, leniori inceſſu ſequebantur. Relicta tamen, ſi Libanio (l) fides, exigua copiarum manus in valle quadam, Rhenanæ ripæ vicina, cum navigiis aliquot, ut, diſcedentibus quoque Barbaris, locum Germanici litoris, ſtruendo ponti quam maxime opportunum, occuparet; id quod cum iis, quæ Julianus Suomario addixerat, videtur non poſſe conſiſtere. Idem Libanius narrare

An. Chr. 359.

pergit,

(e) Ammianus Lib. XVII. Cap. X.

(f) *Epiſtola ad S. P. Q. Atheniens.* pag. 280.

(g) Lib. III. Cap. IV. & V.

(h) *Orat. X. in Juliani Imp. necem*, pag. 280.

(i) Ammianus nec gentem, nec locum indicat, ubi Romani, Moguntiaco profecti, ſubſtiterint. In Nemetibus tamen, qui & partem Inferioris Alſatiæ tenuerunt, illos ſubſtitiſſe, ex Eunapio Sardiano, cujus *Excerpta de Legationibus* in *Corp. Byzantinæ Hiſtoriæ*, Tom. I. pag. 11. ſqq. extant, inferius mox docebitur.

(l) *Orat. X. in Juliani necem*, pag. 282.

pergit, quo Julianus ſtratagemate uſus ſit, hunc prope in modum: (*m*) "Ipſe Julianus „ proficiſcens, hoſtes quoque ſimul proficiſci coegit. Sub veſperam autem caſtra „ metatus, iis, quos in occulto reliquerat, ſignum dedit, ut trajecto flumine locum „ occuparent. Atqui illi quidem dicto audientes locum occuparunt. Julianus vero „ cum ſuis reverſus eo, unde diſceſſerat, pontem junxit à Romana ripa ad locum, qui „ erat occupatus, illoque ponte ſuperato in Alemannorum terras pervenit.

Stratagema hoc ignorat AMMIANUS, qui tamen aliud quid ſimile enarrat. Dicit enim, trecentos milites nocte jam provecta impoſitos fuiſſe quadraginta navigiis, non apud Moguntiacum, ſed eo in loco, ubi totus exercitus, vallo foſſaque circumdatus, poſt relictum Moguntiacum erat. Impoſiti ita navigiis milites, per Rhenum taciti decurrentes, ita ut etiam remos ſuſpenderent, ne Barbari ſonitu aquarum excitarentur, facile Germaniam ingreſſi ſunt, quod Alemanni Romanorum tantum ignes obſervaverunt. Hortarius tum epulas finitimis Regibus Regulisque dederat, qui domum redeuntes à Romanis omnes fuiſſent ſublati, niſi beneficio noctis evaſiſſent diſcrimen.

§. LXXXVIII.

An. eod. 359. Tota hinc Alemannia, cognito hoſtium tranſitu, fulmine quaſi fuit commota; ut illi ipſi, qui ad Rhenum pontis conſtructionem impedituri excubabant, ad ſua quisque feſtinarent, & facultates ſuas alio transferrent. Tum demum pons Rheno impoſitus, omnisque Romanorum exercitus in hoſticum transductus eſt, cuncta, præter Hortarii regnum, quod amice peragrabat, diripiens vel flammis devaſtans. Macrianus denique & Hariobaudus, fratres, regia poteſtate præditi, imminens averſuri periculum, ſupplici manu pacem à Romanis petierunt. Tunc etiam Vadomarius comparuit, qui in regione, oppoſita Rauracis, ſive in hodierna Brisgovia, imperabat, Rex ab aliquot annis inter optimos Romanorum reputatus amicos. Comparuit autem, ut pro Urio, Urſicino & Veſtralpo, Regulis Alemannorum, qui in prœlio Argentoratenſi Chnodomarium adjuverant, ſuis apud Julianum precibus intercederet. Sed irritus fuit Vadomarii conatus: ferro & flammis in eosdem, ut in cæteros, ſævitum. Neque vero immani quodam furore aut nimia prædæ cupiditate, crudelitatem hanc exercuerunt Romani; quod Macriani & Hariobaudi exemplum facile docet, qui nulla injuria laceſſiti, quaſitam pacem facile obtinuerant. AMMIANUS (*n*) ſævitiæ cauſam allegat, quod Julianus illos tres reges, quos leviſſimos fide cognoverat, eo adigere voluerit; ut ipſi, de propria ſecuritate ſolliciti, nihil hoſtile impoſterum adverſus Romanos aut Gallos poſſent tentare. Liberandi quoque erant Gallorum plures, quos ſuis cis Rhenum excurſibus Barbari adhuc detinuerunt captivos. At non captivos hos modo, hoſtibus ereptos, Julianus libertate donavit; ſed etiam hoſtes, ſi penes AMMIANUM (*o*) fides, eo adegit, ut tributa & vectigalia Romanis penderent. Referuntur huc quoque ea, quæ EUNAPIUS SARDIANUS (*p*) de Vadomario habet, cum Ammiani narratis licet parum cohæreant. "Badomarius, (inquit) neſcio quis inter Germanos potentia & auctoritate „ excelluit; quæ res eum ad tantam ſuperbiam extulit, ut proprium filium, dum „ captivos redderet, quos per excurſiones cœperat, obſidem daret, & quum minime „ captivos teſtitueret, nihilominus obſidem ſibi reſtitui poſtulavit, multa mala minatus, „ ſi non reciperet. Hunc vero Julianus ad ipſum remiſit, hoc adjiciens, unum adoleſcentem, etſi nobilitate præſtantem, non eſſe idoneum apud ſe pro multis obſidem. „ Sed aut captivos, qui ad tria millia in ejus poteſtate erant, eum reſtituere oportere, „ aut ſe injuſta facere ſibi conſcium eſſe. Hæc ſcripſit & legationem miſit, quam „ non multo poſt eſt ſubſecutus, à Nemetibus ad Rhenum movens. Jam enim apud „ Rauracos erat, quod eſt caſtrum.

(*m*) Loco cit. ubi: Αὐτός τε ἐπορεύετο, καὶ τοὺς ἐχθροὺς ἠνάγκαζεν ἐκ παραλλήλου χωρεῖν. Ἑσπέρας δὲ στρατοπεδευσάμενος τοῖς καταλειφθεῖσιν ἐν λόχοις σημαίνει διαπλεύσασι κρατῆσαι τοῦ χωρίου. Καὶ οἱ μὲν πεισθέντες ἐκράτουν, ὁ δὲ ἀναστρέψας ἐζεύγνυεν. Ὁρμώμενός τε ἐξ ἐκείνων, καὶ τελειώσας εἰς τὸν κατειλημμένον.

(*n*) Lib. XVIII. Cap. II. pag. 148. ed. Gronov.

(*o*) Lib. XX. Cap. IV.

(*p*) *Excerpt. de Legationib.* in *Corp. Hiſtoriæ Byzantinæ* Tom. I. pag. 12. ubi: Βαδομάριος τις δυνάμει καὶ τόλμῃ προεῖχε Γερμανῶν, καὶ ἐς τοῦτο ὑπερῆρτο μεγαλαυχίας· ὥστε ἐτύγχανε μὲν ὅμηρον τὸν ἑαυτοῦ δεδωκὼς υἱὸν, ὡς ἂν ἀποδῷ τοὺς αἰχμαλώτους, οὓς ἐκ τῆς καταδρομῆς εἶχε συνηρπασμένους, τούτους δὲ οὐκ ἀποδιδοὺς, ἀπῄτει τὸν ὅμηρον, πολλὰ ἀπειλῶν, εἰ μὴ λάβοι. Ἀποπέμπει δὲ τοῦτον Ἰουλιανὸς αὐτῷ, τοσοῦτον ἐπιθεὶς, ὡς οὐκ ἔστιν ἀξιόπιστον ὁ μειράκιον ὑπὲρ πολλῶν εὐγενέστερος ὁ μειράκιον παρ᾽ αὐτῷ, ἀλλ᾽ εἰ τοὺς αἰχμαλώτους ἀποδίδωσι προσήκει, ὄντας ὑπὲρ τρισχιλίους τοὺς αὐτίκα ἕξουσι πρεσβείαν, ἢ ἀδικοῦντα εἰδέναι. Ταῦτα ἔγραφέ τε, καὶ τὴν πρεσβείαν ἔπεμπε. καὶ αὐτὸς ἕπετο τῇ πρεσβείᾳ ἀπὸ Νεμετῶν ἄρας ἐπὶ τὸν Ῥῆνον. ἤδη γὰρ ἦν πρὸς τοῖς Ῥαυράκοις, ὅ ἐστι φρούριον.

Si hæc eo, de quo agimus, tempore contigerunt, uti profecto contigiſſe videntur, dicendum eſt, Julianum poſt receptos à Macriano & Hariobaudo captivos in Galliam, & quidem in Nemetes, rediiſſe, in quorum regione pontem, Rheno impoſitum, antea furte transierat. Id tamen annotari velim, Eunapium parum accurate ſua deſcribere, quum & Nemetes non ad Rhenum, ſed neſcio quo, ponit, & Rauracos Φρέριον (*caſtrum*) appellat., quos florentem tum adhuc urbem fuiſſe, ex Ammiano novimus. (*q*) Badomarium Eunapii, & Vadomarium Ammiani, unum eundemque fuiſſe, nequit dubitari; at hoc ego nondum comprehendo, qui factum ſit, ut Ammianus rem tam memoratu dignam ſilentio præteriverit. Nec minus incerta ſunt, quæ Zosimus (*r*) de capto Vadomario tradit, filio Ducis vel Regis cujusdam Barbarorum, quem Julianus Conſtantio Imp. transmiſerit. Chnodomarium intelligi, quod nonnullis (*s*) viſum, ego non dixerim, quoniam Zoſimus, etſi Chnodomarium non memoret, prœlium tamen Argentoratenſe clare diſtinguit ab eo, quo Vadomarius hic captus fuit. Malim itaque iſtum pro filio celebris ejus Vadomarii, de quo ſæpius dictum, habere, quique poſtea temporis, ob invaſionem Rhætiæ, captivus in Hiſpaniam abductus eſt, uti ſuo mox loco videbimus.

§. LXXXIX.

Magnis animorum apud Gallos motibus hoc anno nuntius accipitur, præcipuam exercitus partem, cui Barbarorum in Gallia debebatur excidium, juſſu Conſtantii Imp. in Orientem vocari, ut expeditioni, primo vere in Parthos aut Perſas ſuſcipiendæ, intereſſent. Verſabatur tunc Julianus Pariſiis, ubi ab aliquot jam annis hiemem transigere ſolebat. Quod Libanius (*t*) hac occaſione generatim de Gallis annotat, ejulatum omni ex parte auditum eſſe & agricolarum, & oppidanorum, virorum, mulierum, juvenum, ſenumque, id de Rhenenſibus præſertim intelligendum eſſe puto. Hi nimirum, futura ex præteritis colligentes, non ſine cauſa timuerunt, ne avocato ex Gallia milite iisdem, quibus olim, miſeriis ab Alemannis Francisque premerentur. Ardentibus Gallorum votis ac precibus, pro retinendo intra Galliam omni exercitu, animi militum reſponderunt: quum contemptis Conſtantii, quos miſerat, Legatis, à Juliano Cæſare, quem cum parva copiarum manu in Gallia relinquere Conſtantius decreverat, avelli noluerunt. Res, diu varieque agitata, in apertam denique ſeditionem erupit. Præviderat illam quidem Julianus, ſed cohibere nullo modo potuit. Auctores ejus Germani potiſſimum fuere, qui magno tum numero militiæ Romanorum, ſed hac conditione, adſcripti erant, ne unquam adverſus ullum hoſtem, ducerentur trans Alpes. Seditioſi eo usque progreſſi ſunt, ut Conſtantii obſequio prorſus renuntiantes Julianum, vel invitum, vel certe renuentem, (*u*) horrendis clamoribus *Auguſtum* declararent, ac pro more illius ævi ſcuto ſublimem imponerent. An. Chr. 360.

Ita Gallia novum, quem pridem felicitatis ſuæ ſtatorem venerata eſt, Imperatorem accepit, eundemque cum Hiſpanis ac Britannis per omne ſequens trienuium, quo ille vixit, conſtanter retinuit. Extat Argentorati Lapis, inter Monumenta producendus, quo Julianus *Auguſtus* nuncupatur, hoc circa tempus procul dubio poſitus. Quieta tunc in Germania Prima, vel ad Rhenum ſuperiorem, omnia: nihil ab Alemannis, pertinacibus licet Romanorum hoſtibus, in oras noſtras tentatum. Sed tentata fuit à Francis, Attuariis ſpeciatim, hoſtilis Germaniæ Secundæ, quæ ad Rhenum Inferiorem, invaſio, gravi mox à Romanis clade punienda. Primam enim, exactis apud Pariſios hibernis, Julianus Imp. in Attuarios hos, Francicum populum, ſuſcepit expeditionem, ea quidem armorum felicitate, ut Rhenum transgreſſus magnam hoſtibus cladem intulerit. Paucis, ex clade reſiduis, quum pro arbitrio pacem dediſſet, ad ſuperiorem quoque Rhenum profectus eſt, cujus hinc inde munimenta diligenter inviſit ac emendavit præſidia. Imo & nonnulla in ſuam poteſtatem loca recepit, quæ in Barbarorum hactenus manibus fuerant, in Rauracis, uti videtur, vel in eorum ſaltem confinio ſita. Ex Rauracis his Julianus per Veſontionem in hiberna, quæ Viennæ Allobrogum habiturus erat, novo ſplendore auctus rediit. (*x*)

(*q*) Vid. ſupra pag. 175. §. XCIV.
(*r*) Lib. III. Cap. IV.
(*s*) Henricus a Bunau *Hiſtor. Imperii Romano-Germ.* Part. I. Lib. III. pag. 804
(*t*) *Orat. X. in Juliani Imp. necem* pag. 283. ſq. Libanius *Orat. alleg.* pag. 284. ſq. Zosimus Lib. III. Cap. XI. & Julianus ipſe in *Epiſt. ad S. P. Q. Athen.* pag. 284. Quid Scriptores Chriſtiani hac de re ſenſerint, Tillemont *Hiſt. des Empereurs* Tom. IV. pag. 185. exponit.
(*u*) Ita quidem Ammianus Lib XX. Cap. IV.
(*x*) Ammianus Lib. XX. Cap. X.

§. XC.

An. Chr. 361. Poſtremus omnium Alemanniæ Regum, quod nemo facile crediderit, Juliani arma provocavit idem ille Vadomarius, quem initæ cum Romanis ante hos quinque annos paci firmiſſimum, & ita quidem inſtitiſſe vidimus, ut Alemannos, ſibi ſubjectos, cum Alemannis ad Argentoratum confidentibus, jungere noluerit. Hic, vernali tempore non expectato, in Maximam Sequanorum, quæ Rhætiis proxima, ſubitam fecit irruptionem, & quo præ reliquis Alemanniæ Regibus ſpectatior erat, eo majus Galliæ rebusque Juliani minatus eſt periculum. Num Vadomario alia belli cauſa fuerit, quam ut ex Gallorum opibus ſuas augeret, non ſine ratione quæritur. Illa enim quam JULIANUS, (y) LIBANIUS (z) & AMMIANUS MARCELLINUS, (a) proferunt, Vadomarium nempe Conſtantii Imp. inſtinctu id feciſſe, quo Julianum laceſſeret, non indubia videri poſſet, quod Ammianus ipſe nonniſi famam incertam pro ejus fide allegat: *Si famæ ſolius* (inquiens) *admittenda eſt fides.* Neque Vadomarius pacem ſe violaſſe voluit videri; omnem in populares ſuos illatæ Gallis injuriæ culpam rejiciens. Quicquid ſit, incendium hoc Juliano terrorem incuſſit, quum hoſtes non innata tantum, ſicut alias, ferocia, ſed & inſigni, qua Romanas copias cæciderunt, victoria elatos cerneret. Miſerat enim Libinonem quendam, Comitem, cum Celtis & Petulantibus, ut Barbaros trans Rhenum repelleret, ſumeretque ab eorum temeritate vindictam. Libino, quum ad Sanctionem (b) oppidum veniſſet, juſtum cum Alemannis prœlium iniit, quo ipſe primus omnium, dein militum plures occiſi, aut vulnerati, ac fœdam denique omnes in fugam disjecti fuerunt. (c) Ab armis ergo ad artes Julianus converſus, Vadomario Regi inſidias ſtruxit per Philagrium, Orientis poſtea Comitem; cui ſignatam chartulam dedit, tunc demum aperiendam, ubi Vadomarius Gallicam terram ingreſſus fuerit. Vadomarius autem, veterem præ ſe ferens amicitiam, nec inſidiarum quid metuens, tanto minus in Rauracos venire dubitavit, quod, ſedatis omnino prioribus ad Rhenum turbis, cuncta jam in utroque ejus litore pacata erant. Invitatus Rex barbarus in convivio, quod Præfectus militum, ibi degentium, dedit, una cum Philagrio comparuit. Hoc autem finito, litteræ Juliani prælectæ Vadomarium hoſtem & captivum declararunt, eam præcipue ob cauſam, quod inimica Juliano & pernicioſa cum Conſtantio Imp. conſilia foviſſet, teſtibus litteris, quas, ad Conſtantium ſcriptas, interceperat quiſpiam & Juliano tradiderat. Perductus ergo Vadomarius ad Cæſarem, inde in Hiſpaniam transmiſſus in cuſtodiam; (d) ubi ad Valentiniani I. usque tempora obſcurus delituit, ſub quo inter Romanos primi ordinis Duces occurrit. (e)

§. XCI.

Julianus, qui jam altiora mente agitabat, brevi in Orientem profecturus adverſus Conſtantium, limitem Rhenanum ut ſecurum relinqueret, ultimam quaſi debellandis Barbaris manum imponere voluit. Aggreſſus eſt autem illos, quibus Vadomarius imperaverat, quique, ut vidimus, haud ita pridem proſperas in Libinonem Comitem res geſſerant. Hi ne, de ejus conſilio certiores facti, celeri fuga pugnam declinarent, atque adeo evaderent incolumes, nocte, qua nullus ab hoſtibus metus, Rhenum in Rauracis occulte ſuperavit, eoque ſuperato Barbaros, imparatos plane, proſtravit. Interfectis paucis, pluribusque in deditionem acceptis, reliquos pace dimiſit, firmam in ſedibus ſuis quietem pollicitos. Ceterum inter captivos Alemannorum quendam fuiſſe Principem, Ammianus non docet. ZOSIMUM (f) vero ſi audias, captus fuit filius Ducis, Vadomarius, qui patri, in Hiſpanias abducto, in regno forſan ſucceſſerat. Zoſimus ita: " Acerrimo prœlio commiſſo, quum Barbarorum innumera-
„ bilis in eo multitudo cecidiſſet, Cæſar fugientes ad ſaltus Hercynios usque perſecutus,
„ ingenti hoſtium edita clade, filioque Ducis Barbarorum Vadomario capto, ovantem
„ ob has victorias exercitum, & imperatoria Cæſaris facinora celebrantem, ad ſua
„ reduxit. Ac Vadomarium quidem Julianus Conſtantio miſit, ejus fortunæ victoriam
„ acceptam ferens.

Memo-

(y) *Epiſtola* alleg. pag. 286. ubi: Ὁ δὲ (Κωνστάντιος) ἐπιδέδωκεν ἐμοὶ τοὺς βαρβάρους. Ἐχθρὸν γ' ἀναγορεύων με ταῖς ἐπιστολαῖς, καὶ μισθὸν ἐκδίδοται, ὅπως τὸ Γαλατῶν ἔθνος πορθοίη. " At ille in nos Barbaros commovit, &
„ me apud eos hoſtem denuntiavit; imo ad vaſtan-
„ das Gallias mercede illos auctoravit.

(z) *Orat.* X. pag. 286.

(a) Lib. XXI. Cap. III.

(b) Sanctionem interpretantur *Seckingen*, id quod plures circumſtantiæ ſuadent. Romani frequentius Rhenum in Rauracis tranſierunt, propter opportunitatem loci, Rhætiæ vicini. Vid ſupra pag. 38. §. VIII.

(c) AMMIANUS Lib. XXI. Cap. III.

(d) AMMIANUS loc. cit. Cap. IV. LIBANIUS *Orat.* pag. 286.

(e) Vid. HENR. à BUNAU *Hiſtor. Imperii Rom. Germ.* Part. I. Lib. III. pag. 805.

(f) Lib. III. Cap. IV.

Memorantur hic & nonnullæ, quæ nobis favent, circumſtantiæ, & aliæ, quæ maxime repugnant. Inter poſteriores hæc fere præcipua eſt, quod Vadomarius ad Conſtantium miſſus perhibeatur, cujus tamen Julianus hoc tempore adverſarius ac hoſtis apertus fuit. Sed notari poſſent errores plurimi, quos Zoſimus in re chronologica potiſſimum commiſit, ut non incredibile ſit, illum heic etiam loci aliquid humani paſſum eſſe: confundendo nimirum inter ſe Chnodomarium, quem plane ſilentio premit, ac Vadomarii filium. Ignoramus præterea, quodnam Zoſimus prœlium intelligat, quum ait, Cæſarem ad Hercyniam usque ſilvam hoſtes perſecutum, innumerabilem eorum multitudinem cæcidiſſe. Zoſimus, Scriptor gentilis, geſta Juliani Apoſtatæ nimium extollit, Imperatoresque Chriſtianos manifeſto partium ſtudio deprimit. Hercyniam ille ſilvam quum memoret, non in Gallica, uti Chnodomarius, ſed in expeditione quadam Germanica, Vadomarium captum eſſe indicat. Pagus Vadomarii majoris ſine dubio extenſionis fuit, omnem iſtum, qui Auguſtam Rauracorum inter & Lacum Brigantinum juxta Rhenum conſpicitur, tractum, partemque Hercyniæ ſilvæ meridionalem, includens. Ducem Zoſimus appellat, qui ab Ammiano Rex, vel Regulus dicitur. Sententia noſtra de Vadomario juniore tum demum capto, ubi Julianus, paulo ante ſuam ex Gallia profectionem, quinta vice (*g*) Rhenum in Rauracis tranſiit, extra omnes poſita difficultates eſt, ſi conjecturam admittas, illum Vadomarii ſenioris, qui modo in Hiſpaniam abductus eſt, filium fuiſſe. Præter hunc ſane nullus Alemannorum Princeps vel Regulus ejusdem nominis ſub Juliano occurrit. Frequens autem eſt, ut filius patris nomine appelletur.

§. XCII.

Habuit idem quoque Vadomarius Vithigabium filium, (*b*) natu forte minorem, qui plurium Galliæ invaſionum auctor, à Valentiniano I. inſidiis peremptus eſt. Enimvero ex Ammiano conſtat, quod ab An. CCCLVI. usque ad An. CCCLXI. alta Romanos inter ac Vadomarium pax interceſſerit; cui accedit Eunapii teſtimonium, ſuperius allegatum, ex quo patet, filium, pacis obſidem, à Juliano patri redditum eſſe ante hoc circiter biennium. Nec dubitari poteſt, quin Julianus juvenem illum Principem, ſi pagum Vadomarii tenuit, renovato jam bello non modo captivum abducere potuerit, ſed & revera abduxerit; quod tunc ſubita irruptio facta, ut ne fugæ quidem locus pateret, quodque Cæſar impedire voluit, ne poſt ſuum ex Gallia diſceſſum Gallia, ægre compoſita, licentius iterum à Barbaris conturbaretur. (*i*) Merentur hic Libanii (*l*) verba tranſcribi, quæ de eadem Juliani poſtrema expeditione nos docent, quantum Alemannis terrorem incuſſerit. " Hic (loquitur de Vadomario ſeniore) „ ſimul prædabatur, ac ſimul etiam in agris, quos cœperat pro mercede, (à Conſtantio „ Imp. accepta) delicias agebat; ac velut innocens & inſons cœnabat una cum Ducibus, „ qui eo loci erant: atque eum certe, qui ſolvere fœdera ſuſtinuerat, bibentem habebat. „ Sed quum tranſiſſet (Julianus) ad ejus regionem, mulctam impoſuit perfidiæ ejus „ non improbandam. Exinde quum concurriſſent metu perterriti, qui fas & jura ſervarant, atque illius delictis valde erubeſcebant, & juramenta juramentis adjungebant, „ conſcendit ſuggeſtum ſublimem in medio Barbarorum ſolo, atque illorum Duces, in „ ordine ſubditorum cum vulgo ſtantes, ab edito loco conſpexit; quibus quum alia in „ memoriam revocaſſet, (fœdera ſcilicet ac priores calamitates) alia quoque minatus „ eſſet, abiit. „

An. eod. 361.

 His

(*g*) Julianus tres in Alemannos trans Rhenum expeditiones ſuſcepit quum adhuc Cæſar eſſet, An. CCCLVII. CCCLVIII. & CCCLIX. uti ad ſingulos hos annos oſtendimus, & ipſe illud teſtatur *Epiſt. ad S. P. Q. Athen.* pag. 280. Errat Petavius, ubi in *Not.* ad hunc locum primum Juliani Cæſ. tranſitum ad An. CCCLVI. refert, quem ad annum ſeq. debuiſſet referre. Conf. Tillemont *Hiſt. des Empereurs* Tom. IV. pag. 289. Not. 38. Auguſtus jam factus bis Rhenum tranſiit, An. CCCLX. & CCCLXI. de qua poſtrema trajectione nobis hic ſermo eſt. Extant plures nummi, qui victorias Alemannicas Juliani annuntiant, inter quos unus, in cujus poſtica legitur: *Virtus Exercitus Romanorum*; atque Julianus captivum crinibus apprehenſum, dextra ſternit, ſiniſtra tenet trophæum. In alio nummo: *Victoria Romanorum* legitur, cum duorum captivorum, labaro aſſidentium, typo, in quo S. P. Q. R. Quum vero Auguſti titulus in nummis his Juliano addatur, victoriæ hæ non ad pugnam Argentoratenſem, ſed ad Juliani irruptiones, An. CCCLX. & CCCLXI. in Alemanniam factas, debent referri.

(*b*) Vid. Ammianus Lib. XXVII. Cap. X.

(*i*) Ammianus Lib. XXI. Cap. IV. eandem rationem allegat, cur Vadomarius ſenior pago ſuo non reſtitutus, ſed captivus in Hiſpanias miſſus ſit.

(*l*) *Oratione X. in Juliani necem*, Opp. Tom. II. pag. 286. ubi: Ὁ δὲ ὁμοῦ ἐλῄστευε, ὁμοῦ δὲ ἐν τοῖς ἀγροῖς, οὓς εἰλήφει μισθὸν, ἐτρύφα, καὶ ὡς ἂν ἀθῷος τε συνεδείπνει τοῖς ἐκεῖ στρατηγοῖς, καὶ τόν γε λύσαντα τὰς σπονδὰς ὑπομείναντα, πίνοντα εἶχε. Διαβὰς δὲ εἰς τὴν ἐκείνου, δίκην ἐπιθεὶς τῆς ἐπιορκίας οὐ μεμπτήν. Συνδραμόντων δὲ περιδεῶν τῶν τὰ δίκαια τετηρηκότων, καὶ τοῖς ἐκείνου ἁμαρτήμασιν δεινῶς αἰσχυνομένων, καὶ προστιθέντων ὅρκοις ὅρκους, ἀναβὰς ἐπὶ βῆμα ὑψηλὸν ἐν μέσῃ τῇ βαρβάρῳ, καὶ τοὺς ἐκείνων ἄρχοντας ἄνωθεν ὁρῶν ἐν οἰκετῶν τάξει μετὰ τῶν πολλῶν ἑστῶτας, τὰ μὲν ἀναμνήσας, τὰ δὲ ἀπειλήσας ἀπῆλθε.

Digitized by Google

His itaque feliciter perpetratis, coactiſque Barbaris, ut pacem, quam bellum, amplecti mallent, Julianus adulta jam æſtate univerſum exercitum ad longinquam Orientis expeditionem, quam adverſus Conſtantium ſuſcepturus erat, probe inſtruxit. (*m*) Si quis rerum, hactenus geſtarum, breve compendium deſideret, ipſe Julianus in oratione, ad milites habita, illud ſuppeditat. (*n*) "Arbitrio Dei cœleſtis (inquit) „ vobis inter ipſa juventæ rudimenta permiſtus, irruptiones Alemannorum & Fran- „ corum, populandique jugem licentiam fregi: & vigore communi Romanis agmi- „ nibus, quoties libet, Rhenum pervium feci: contra rumorem fremitus, gentiumque „ validarum violentos excurſus ſtando immobilis, virtutis veſtræ nimirum firmamento „ confiſus. Et hæc laborum, quos exhauſimus, Galliæ ſpectatrices, poſt funera multa „ jacturasque recreatæ diuturnas & graves, poſteritati per ætatum examina commen- „ dabunt.

Julianus, ut Galliarum ſecuritati proſpiceret, Sallnſtium quendam ibi reliquit, quem etiam Præfecti Prætorio dignitate condecoravit. Inde è Rauracis per Marcianam ſilvam, Danubii fluminis ripas legens, cum exercitu, viginti millia hominum explente, Illyricum petiit; univerſo mox Romano, propter inſecutam Conſtantii mortem, potiturus Imperio. (*o*)

§. XCIII.

An. Chr. 365. Alſatia & reliqua Galliæ ora Rhenenſis, per aliquot annos, quibus Julianus Imperio præfuit, à priſtinis calamitatibus paulatim reſurgens, novo rurſus veteris ac pertinaciſſimi hoſtis furore miſerrima redditur. Alemanni, Juliano apud Perſas extincto, metum omnem excutientes, Rhenanum Danubianumque limites eadem, qua olim, ferocia tranſierunt, proximasque Germaniæ Primæ & Maximæ Sequanorum, ut & Rhætiarum denuo ſunt populati provincias. (*p*) Conſuetis ac frivolis tantæ ſævitiæ, in vicinos exercitæ, cauſis tum alia quædam ſpecioſior acceſſit, ab ipſo Imperatore Valentiniano I. vel ab Aulicis ejus ſuppeditata. Miſerat ſcilicet pars Alemannorum, qui pacem nondum aperte fregerant, Legatos ad Valentinianum, validas in periclitantium Gallorum opem ducturum copias, ut integram forte amicitiam teſtarentur ac fidem. Hi quum læta eo veniſſent facie, optimamque ex Principis liberalitate ſpem concepiſſent, flagrantes ira domum repetierunt; non modo, quod levioribus, quam olim, muneribus donati, ſed & quod ab Urſacio, Magiſtro Officiorum, ſævo & iracundo homine, verbis duriter fuiſſent excepti. Tum omnis in Romanos & Gallos Alemannia excitata: recollectæ, quas Julianus contriverat, vires, atque in Alſatiæ potiſſimum ruinam conjunctæ.

Valentinianus hinc, fratre Valente, propter turbatiſſimum Reipublicæ ſtatum, in ſocietatem Imperii aſſumpto, cui Orientem tradidit, ipſe ſtatim in Gallias, ab immani liberandas hoſte, profectus eſt, hiems jam licet inſtaret. Pariſios circa Cal. Novembr. delatus, Barbaris Dagalaiphum quendam, militiæ Rectorem, mature obvium miſit; dum ipſe adhuc, quid ageret, dubius hæreret. Vix enim Pariſios appropinquaverat, quum triſtem novi Reipublicæ invaſoris, Procopii nimirum, qui in Oriente creatus Imperator, nuncium acciperet. Nec multum abfuit, quin Valentinianus Illyricum repetiiſſet, re apud Gallos infecta, niſi ardentiſſimæ horum preces interveniſſent, procerumque conſilia: quibus tandem permotus Gallias, periculoſiſſimo ſimul ac crudeliſſimo hoſti patentes, non prius, quam reddita illis ſecuritate, relinquere decrevit; eo quod ſuum ſoliusque fratris hoſtem Procopium, Alemannos vero totius Orbis Romani hoſtes reputaret. Dagalaipho interea illud felicitatis contigit, ut Babaros ſolo Gallico trans Rhenum rejiceret; incruentos quidem, ſed magno perculſos terrore, ita ut Valentinianus hoc anno Rhenum non viderit, Rhemis, quo venerat, Pariſios in hiberna, ut videtur, regreſſus. (*q*) Multa tamen prudenter inſtituit, Galliæ, Alſatiæque ſpeciatim, ſalubria, oppidis ac caſtellis ad Rhenum præſidiario milite probe inſtructis. (*r*)

§. XCIV.

(*m*) Zosimus Lib. III. Cap. X

(*n*) Ammianus Lib. XXI. Cap. V

(*o*) Idem Lib. alleg. Cap. VIII.

(*p*) Ammianus Lib. XXVI. Cap IV. item Lib. XXX. Cap. VII. Zosimus Lib. IV. Cap. III.

(*q*) Ammianus Lib. XXVI. Cap. V.

(*r*) Zosimus Lib. IV. Cap. III.

§. XCIV.

Rhenus, nimio hiemis rigore concreſcens, Alemannos ad novum in Gallias tranſitum invitavit. An. Chr. 366. Tentata poſt Cal. Januarias irruptio, eo quidem ſucceſſu, ut clade non contemnenda Romani afficerentur. Charietto (s) enim, per utramque tunc Germaniam Comes, una cum Severiano Comite agmen in Barbaros, qui primum tranſierant, ducens, telo confoſſus occubuit, verſis, antequam ipſe periret, in fugam militibus; quorum inſignis etiam numerus, partim ſagittis, partim ſtrictis hoſtium mucronibus interfectus, deſideratus eſt. Ablatum Erulis Batavisque in hoc prœlio vexillum Romani poſtea temporis ægre recuperare potuerunt. Fallitur Zosimus, (t) ubi Valentinianum Imp. ipſum pugnæ interfuiſſe ſcribit, refragante Ammiano. (u) Ea vero, quæ idem de pœna refert, quam Valentinianus Batavorum Legioni, fugæ & acceptæ cladis auctori, inflixerit, facilius admittimus. Hæc, univerſo convocato exercitu, publice vituperata & armis exuta, alio jubebatur abduci, pro eorum, qui pretium offerebant, lubitu diſtrahenda. "Tum proni ad terram prolapſi „ omnes, (inquit Zosimus) ut exercitum penitus ejusmodi dedecore liberaret, obſe- „ crabant; ſimulque futurum pollicebantur, ut viros ſe præſtarent, nomine Romano „ dignos: quod quum ille (Valentinianus) deinceps ipſa re declarari juſſiſſet, ubi de „ terra ſurrexiſſent, ac ſemel ex uſu armaſſent, pugnam redintegrabant, & extra „ Vallum progreſſi, tam eo ſe bello ſtrenue geſſerunt, ut de Barbarorum infinita „ multitudine pauci domum incolumes redierint. „ Loquitur ſine dubio Zoſimus de inſigni, quam Valentinianus hoc anno ab Alemannis reportavit, victoria, quamque Ammianus, (x) poſt nonnullas alias minores, deſcribit uberius. Chariettone nimirum occiſo Dagalaiphus iterum Pariſiis ad exercitum miſſus eſt; cui tamen, quod rem ſegnius ageret, nec Barbaros, per varia loca diffuſos, aggredi vellet, mox Jovinus, Magiſter Equitum, ſurrogatus.

Alſatiam tum Alemanni ita tenebant, ut & longe trans Vogeſum Belgicam Primam, Secundamque latrociniis vexarent, ſuasque ultra Moſellam fluvium rapinas proferrent. Primum Jovinus ad Scarponnam, qui Tullum inter & Divodurum locus, in eos impetum fecit, & quum nimis ſecuri armisque parum inſtructi eſſent, brevi omnes conflictu fere extinxit. Aliud inde agmen, quod ad Moſellam quoque flumen conſederat, petebatur, haud aliter, quam prius, inopinata clade proſternendum. Tertius Alemannorum globus prope Catalaunos (*Châlons ſur Marne*) repertus, numero ac fortitudine prioribus longe ſuperior. Pugnandum hic juſto prœlio fuit. Recreati cibo ſomnoque milites, quos vallo cingi Jovinus curaverat: diſpoſita ſub auroram acies, & ordines in ſpeciem latius à Romanis extenſi. Collato jam pede Germani adeo dubiam iis victoriam fecere, ut Tribunus quidam, Balchobaudes nomine, fugam capeſſeret. Totus prœliando dies abſumptus, iniquiſſimus forte Romanis & Galliæ futurus, niſi Jovinum illi Ducem habuiſſent. Hic enim, addito ſub ingreſſum noctis militibus animo, tandem effecit, ut Alemanni, quorum interfecta ſex millia, vulnerata millia quatuor, pulſi loco fuerint, vel in fugam converſi. Periere deinceps hoſtium plures ex frigoris aſperitate, poſtquam ex ſuo Jovinus exercitu non amplius mille ducentos (y) amiſerat, ducentos habuerat ſaucios. Rex Alemannorum, cujus nomen ignoratur, paulo poſt inter fugientes captus, in patibulo vitam finivit. Conſerta inſuper varios per Galliarum tractus varia prœlia, quæ vero Ammianus, tanquam leviora & minus memoratu digna, cæterique Scriptores preſſerunt ſilentio.

§. XCV.

(s) De Chariettone hoc, ejusque origine ac rebus ante Valentinianum Imp. geſtis, plura Zosimus Lib. III. Cap. VII. habet. Dicitur ibi Vir magni ſupra cæteros omnes corporis, nec minoris animi; qui, natione barbarus, aſſuetus latrociniis, ad Gallos migraverit, hæſeritque per aliquod tempus Treviris. Hic quum Germanorum cis Rhenum irruptiones videret, Gallicæ oræ funeſtas, de tuendis ejus oppidis cœpit cogitare: moxque ita tuitus eſt, ut, Legibus aliter non permittentibus, ſolus in denſiſſimis ſilvis Barbaros, ſomno jam captos, noctu aggrederetur, & truncaret hinc inde capitibus. Tandem à Juliano Cæſare, in Gallias miſſu, cum ſociis latronibus aliis, dignus intra militiam qui reciperetur, habitus eſt; poſteaque ſingularis in bello adverſus Francos, quos Salios & Quados Zoſimus appellat, prudentiæ ac fortitudinis ſpecimina edidit.

(t) Lib. IV. Cap. IX.

(u) Lib. XXVII. Cap. I. & II.

(x) Ibid. Cap. II.

(y) Recte ſine dubio Valesius ex Regio Codice vocem *mille* reſtituit. Sunt enim Codices, qui *non amplius ducentis* habent, qui ſane numerus minime fortitudini Germanorum reſpondet, quam in hoc prœlio extollit Ammianus.

§. XCV.

Barbari Gallia tum omni, noſtraque proinde Alſatia, paulatim ejecti fuerunt, id quod ex iis, quæ Ammianus deinceps enarrat, manifeſte apparet. Sed apparebit quoque eodem ex Ammiano, quam miſere deceptus ſit Zosimus, (z) ubi bellum adverſus totam nationem Germanicam ejusmodi exitum habuiſſe ſcribit, qualem ille, verbis ſupra prolatis, Batavorum virtuti tribuerat. Interim referenda in annum CCCLXVI. videntur, quæ apud Zosimum (a) quoque in hunc modum leguntur: " In apparatu belli Perſici dum Valens occupatur, Valentinianus Imp. rebus Germa- „ nicis recte conſtitutis, in futurum quoque tempus ſecuritati Gallicarum nationum „ proſpicere ſe debere arbitratus eſt. Quapropter maxima juvenum multitudine tum „ de barbaris Rheni accolis, tum de ſubjectarum Imperio Romano gentium agricolis „ collecta, numerisque militaribus adſcripta, ſic eos bellicis in rebus exercuit, ut „ horum militum exercitationis & experientiæ metu, totos novem annos nemo Trans- „ Rhenanorum ſubjecta Romanis oppida vexarit. „ Novem, quos Zoſimus memorat, anni reliquum Valentiniani Imperium, ad An. CCCLXXV. usque duraturum, explent. Alſatia ergo per hoc temporis ſpatium providente Valentiniano Barbarorum irruptiones non vidit, de omni licet Germania Prima, cujus pars Alſatia fuit Inferior, id intelligi nequeat. Pacati num ex parte Alemanni tum fuerint, nec ne, uti Julianus eos pacaverat, non ſine ratione quæreres, quod plures ipſorum, Rhenani limitis accolæ, militiæ Romanæ, Zoſimo teſte, fuerunt adſcripti; & ita quidem adſcripti, ut popularibus ſuis, tranſituris in Galliam, opponerentur armati. Res de mediis tantum Alemannis, adverſam Alſatiæ ripam tenentibus, dubia eſt, quum ad meridiem & ad ſeptentrionem extremi inter Romanorum adhuc compareant hoſtes. Ceterum Valentinianus I. non parum Alemannos cohibuit, quod ipſe plurimum temporis ad Rhenum tranſigeret, Gallorum invigilans ſecuritati; ut ſequentia docebunt.

§. XCVI.

An. Chr. 367. Alemannos ſeptentrionales nondum arma depoſuiſſe, nec ſinceram cum Romanis iniviſſe pacem, Moguntiacenſes Chriſtiani hoc anno CCCLXVII. ad finem vergente (b) experti ſunt. Rando nimirum, ex Regio Alemannorum ſanguine ortus, quum diu Moguntiaco fruſtra inſidiatus eſſet, in urbem denique, cum manu ſuorum expedita, furtim irrepſit, ac multos utriusque ſexus homines cum ſupellectili varia impune inde abduxit. Qua id ratione fieri potuerit, Ammianus (c) indicat, Moguntiacum, ob Imperatoris forte in Francos expeditionem, plane nudatum præſidiis fuiſſe, ejusque incolas, quorum Epiſcopus Inferioris Alſatiæ jam tum Metropolitanus erat, Chriſtiana ſacra in Eccleſia celebraſſe tum, perhibens. Poſterior ratio indicat, cives Moguntiaci omnes, vel maxima ſaltem parte, ſacris Chriſtianorum fuiſſe addictos. Plures enim ſi ibi habitaſſent Gentiles, in urbem non tam facile Rando potuiſſet irrepere.

Qualis apud Moguntiacenſes religionis ſtatus obtinuit, talis etiam in Alſatia noſtra Inferiore, cujus Moguntiacum, tam in Politicis, quam in Eccleſiaſticis, Metropolis fuerat, obtinere tum debuit. Chriſtianismus quidem à Conſtantini M. temporibus ubique prævaluit, ſed miſere nonnunquam diſcerptus fuit in partes, imo & ſub brevi Juliani Imperio, haud leviter compreſſus. Ariana placita Conſtantius, Polytheismum Julianus, quum ad ſolium evexerint: Jovianus autem, religionis negotium tractare non potuerit, præmatura morte ſublatus; facile perſpicitur, quam triſtem Valentinianus, admotus Imperio, Chriſtianæ religionis conditionem repererit. Neque ſub illo notabilis mutatio. Avitas ſequi religiones, aut diſciplinam novam amplecti, cuique liberum fuit. Ita enim Ammianus (d) poſt alios plures: " Poſtremo hoc moderamine „ Principatus (Valentiniani) inclaruit, quod inter Religionis diverſitates medius ſtetit, „ nec quemquam inquietavit, neque ut hoc coleretur imperavit, aut illud: nec inter- „ dictis minacibus ſubjectorum cervicem ad id, quod ipſe coluit, inclinabat, ſed intemeratas reliquit has partes, ut reperit.

§. XCVII.

(z) Lib. IV. Cap. IX.

(a) Ibid. Cap. XII. ubi ita: Οὗτος μὲν ἐν παρασκευαῖς αὐτῷ. Οὐαλεντινιανὸς ὁ βασιλεὺς τὰ περὶ τοὺς Γερμανοὺς εὖ διαθέμενος. ἔγνω δεῖν καὶ τῆς εἰς τὸ μέλλον ἀσφαλείας τῶν Κελτικῶν ἐθνῶν ποιήσασθαι πρόνοιαν. Νεολαίαν οὖν πλείστην ἀθροίσας, ἔκ τε τῶν προσοικούντων τῷ Ῥήνῳ βαρβάρων, καὶ ἐκ τῶν ἐν τοῖς ὑπὸ Ῥωμαίοις ἔθνεσι γεωργῶν, τοῖς στρατιωτικοῖς ἐγκατέλεξε τάγμασιν· οὕτω δὲ αὐτοὺς ἐξήσκησε τὰ πολέμια, ὥστε δέει τῷ περὶ τὰ τοιαῦτα τῶν στρατιωτῶν μελέτης καὶ πείρας, ἐννέα τοὺς πάντας ἐνιαυτοὺς μηδένα τῶν ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον, ταῖς ὑπὸ Ῥωμαίοις πόλεσιν ἐνοχλῆσαι.

(b) Rem hanc omnes, præter Tillemontium Lib. cit. Tom. V. pag. 17. quem nos ſequimur, in An. CCCLXVIII. referunt.

(c) Lib. XVII. Cap. X.

(d) Lib. XXX. Cap. IX

§. XCVII.

Non dubitamus itaque, quin ioter Alſatiæ tum incolas, præſertim vero inter præſidiarios milites, alii orthodoxam, alii Arianam, alii tandem ethnicam, ſint profeſſi religionem. Ethnica tanto magis forte obtinuit, quod magna pars exercitus, Rheni tenentis excubias, ex Germanis conſtabat; qui Germani ſane, & Alemanni, & Franci, ne de interioribus loquar, ſuperſtitioni Paganorum erant deditiſſimi. Interim non negarem, Alſatiam, perpetuis Barbarorum invaſionibus obnoxiam, magno incolarum defectu laboraſſe, adeoque cujuscunque ſectæ cultores noonisi mediocri oumero habere potuiſſe. Hinc oec Rauracenſem, oec Argentoratenſem, nec Nemetenſem, ſeculo hoc quarto reperimus genuinos Epiſcopos. (*e*) Randone longe periculoſior Gallorum hoſtis fuit Vithigabius, poſt Vadooiarium patrem abductum, Rex ejus Alemannici tractus, qui ex parte Briſgojam & vicinas Germaniæ regiones hodie continet, extremus omnium veteris Alemanniæ Regum verſus meridiem. Vithigabius hic infirmioris quidem corporis, at fortiſſimi animi Princeps, à longo jam tempore plurimum laceſſivit Romanos, ſuosque ſæpe populares ad irruptiones excitavit, injuriam ut patri ulciſceretur illatam. Tantum Valentinianus hoſtem è medio quum tollere vellet, nec apertis ille armis unquam ſuccumberet, ſicarios diu quæſivit proditores, iniquius cum Vithigabio acturus, quam Julianus cum Vadomario egerat. Crudeli tandem conſilio, poſt plures ejus eluſiones, lætus ſucceſſus reſpondit, ita quidem, ut Vithigabius domeſtici cujusdam, à Romaois corrupti, perfidia trucidatus ſit juvenis. Sequani ac Rhæti, quibus ille finitimus erat, firmiore poſthac uſi ſunt pace, (*f*) nonniſi ad Gratiani tamen duratura Imperium.

§. XCVIII.

Valentinianus, perſpecta Alemannorum levitate, qua nunc ad preces, nunc ad An. Chr 368.
truculentas redire minas ſolebant, numeroſo cum exercitu, quem undique collegerat, Alemanniam invaſit. Hac in expeditione, æſtate ad finem vergente ſuſcepta, (*g*) comitatus eſt eum filius Gratianus, qui anno ſuperiore octennis à patre Auguſtus fuerat declaratus. Comitati ſunt eundem Jovinus ac Severus Magiſtri, incedentis exercitus, in cujus medio Valentinianus erat, latera tegentes, ne repentinus in illa Barbarorum impetus fieret. Rhenum nemine reſiſtente transgreſſi, per amplum regionis ſpatium, præter tecta & ſata, repererunt nihil, facileque adeo loca igne vaſtarunt, ac in ſuum frumenta collegerunt uſum. Alemanni recedentes ab exploratoribus denique haud procul Solicinio (*h*) detecti ſunt, ad quem locum Valentinianus quum perveniſſet, ulterius

(*e*) Confer, quæ in Eccleſiaſticis ſupra pag. 338. §. XVII. diximus.

(*f*) Ammianus Lib. XXVII. Cap. X. & Lib. XXX. Cap. VII.

(*g*) Ammianus eam ſuſceptam ait, *anni tempore jam tepente*; quo poſtremi ſine dubio Auguſti ac primi Septembris menſium dies intelliguntur. Pridie Kal. Auguſti Valentinianus apud Vangiones adhuc verſatus eſt, ubi Legem ad Muſufilum, Vicarium Africæ, dedit, quæ in *Cod. Theod.* Lib. XIII. Tit. VI. Lex III. eſt. Extant aliæ ibidem Leges, verſus Septembris finem Agrippinæ, adeoque in Gallia, promulgatæ, manifeſto ſane indicio, Imperatorem eo tempore jam ex Alemannia fuiſſe reducem. Menſe Octobris enim ſi quis eum irruptionem demum feciſſe diceret, facile ex Ammiano ipſo refellitur, qui ſata memorat, a Romanis adhuc reperta. Forte tranſitus in Germaniam ex ipſis Vangionibus factus, ubi die XXX. Julii allegatam Legem conſcripſit. Alii Moguntiacum præferunt.

(*h*) Variæ de hoc loco Geographorum ſententiæ ſunt, quarum nonnullas jam ſupra pag. 245. Not. (*e*) tetigimus. Beatus Rhenanus *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 344. conjicit, illum aut Hercyniæ ſilvæ confinem fuiſſe circa Heidelbergam, aut *Solicinium*, quod legerat, in *Viſolucum* mutato, explicandum eſſe de Bilicone, (*Billickheim*) Palatinatus ad Rhenum oppidulo. Excuſandus eſt Rhenanus, ſi minus hic recte conjecit, quod, ipſo profitente, Fragmenta tantum ex Ammiani Libro XXVII. adeoque ſeriem hiſtoriæ, qua illam Ammianus exponit, non habuit. Exemplar ejus Hiſtoriæ, quo Rhenanus alioquin uſus eſt, quodque An. MCCCCLXXIV. Romæ in lucem editum, Bibliothecæ meæ inſertum, Libro XXVII. & ſequentibus caret omnino. Abſurdiſſimam omnium conjecturam Cruſius profert in *Annal. Suev.* Part. I. Lib. VII. pag. 159. ubi Solicinium inter Moguntiam & Treviros, adeoque cis Rhenum, quærit. Bucherius *Belg. Rom.* Lib. XI. Cap. IX. pag. 351. Rhenano ſuffragari videtur, quando locum iſtum ſupra Heidelbergam in Via Montana ponit, hodie *Sultzbach* appellatum. Sed remotior à Rheno fuit, uti hoc Ammiani verba declarant. Franciscus Guilimannus *de Reb. Helvet.* Lib. II. Cap. V. pag. 186. per Solicinium oppidum *Sultz* intelligit, infra Rotvillam in ſiniſtra Nicri ripa conſtitutum. Huic ego ſententiæ, poſt Phil. Cluverium *Germam. Antiq.* Lib. III. pag. 16. & alios juniorum plures, tanto lubentior accedo, quod Ausonius, teſtis oculatus, ei favet quam maxime. In *Moſella* enim vers. 423. ſq. ita ſcribit:

"Hoſtibus exactis Nicrum ſuper & Lupodunum,
„ Et fontem Latiis ignotum Annalibus Iſtri.

Loquitur Poeta de eadem, quam Ammianus hic refert, Valentiniani I. ad Solicinium victoria. Nicrum flumen & Iſtri, ſeu Danubii, fontem quum memorat, in confinio utriusque illam ponit. De Lupoduni ſitu quæritur. Rhenanus *Rer. Germ.* Lib. I. pag. 10. eam arcem Lupodunum eſſe putat, quæ hodie *Lupf* dicitur, à qua Comitatus olim Lupfenſis in Suevia nomen habuit. "Indicant (inquit) ruinæ, quam „ egregium Munimentum fuerit, procul dubio olim „ à Romanis contra Alemannos pro militibus limitaneis conſtructum. Ego nuper . . . . ſingula ſatis „ diligenter ſum contemplatus. Ab origine Nicri & „ arce Lupondo, (vel Lupoduno) non ita procul „ abeſt ortus Danubii, trans cujus fontem pulſos „ Alemannos, canit Auſonius. „ At Marquardus Freherus peculiari libello probare conatus eſt, Lupodunum eſſe oppidum *Ladenburg*, inter Manhemium & Heydelbergam ſitum; qua in re gravem nactus eſt adverſarium Phil. Cluverium, pro Rhenani quoque ſententia pugnantem, in *Germ. Antiq.* Lib. III. pag. 12. ſq. Vid. Freheri *Origines Palat.* Part. I. Cap. IV. In colle poſitum hoc caſtrum fuiſſe, neceſſe eſt, quando vox Celtica *dunum* (*dune*) collem ſignificat, & ex Geographicis patet, omnia loca, in *dunum* deſinentia, montes occupaſſe ſive montana.

ulterius progredi non auſus, cum exercitu ſubſtitit. Mox atrox initum utrimque prœlium; Barbaris ex neceſſitate, Romanis ex gloriæ pariter ac vindictæ ſtimulo, acerrime pugnantibus. Illi præcelſo in monte, quem occupaverant, conſtituti, hoc tantum per aliquot horas agebant, ut aditum ſui montisque jugum hiſce præcluderent. Sed prævaluit imperterriti militis virtus, ſapientibus Principis, qui ipſe vitæ diſcrimen non ſemel adiit, cæterorumque Ducum moderata conſiliis. Expugnato itaque monte vel pereundum erat, vel vincendum. Victoria denique multo à Romanis ſanguine fuit redempta. Protruſi ex ſummitate Barbari, datique præcipites, maximam in fuga paſſi ſunt ſtragem, ut nonniſi pauci, ſilveſtrium tenebrarum beneficio, ſervarentur incolumes. Victor inde cis Rhenum in hiberna reductus exercitus, Valentinianus autem cum Gratiano filio Treveros profectus eſt, (*i*) ubi à longo jam tempore Imperatores, in Gallia viventes, ſedere conſueverant. Plures in hujus ac præcedentium victoriarum, quas Valentinianus ab Alemannis reportavit, memoriam, nummos excuſos Franc. Mediobarbus Biragus (*l*) aliique produxerunt in lucem. Ceterum fœdera & pacem cum Alemannis tum inita fuiſſe, Ammianus (*m*) tradere videtur, his verbis: " Quidam Optimates Alamanni venere obſidum patres, quos lege fœderis, manſuræque „ diutius pacis haud aſpernenda pignora tenebamus.

§. XCIX.

An. Chr. 369. Valentinianus, Alemannorum & Francorum in Galliam ut reprimeret irruptiones, per omnem, quaqua extenditur, Gallicam Rheni ripam caſtra, caſtella & turres, paſſim opportunis in locis exſtruxit, imitatusque eſt adeo laudabile Druſi inſtitutum, quo quinquaginta ſub Octaviano Auguſto caſtella ad Rhenum condita vidimus. Caſtella hæc Druſi una cum Vallo Decumatium agrorum jam pridem everſa fuerunt, nec à Juliano, fortiſſimo Galliarum vindice, ſi pauca excipias, reſtituta: ab ipſo tamen reſtituenda forte, ſi ſuo diutius nomine imperaſſet. Valentinianus itaque hoc quum præſtare vellet, ipſe munienda loca inviſit, ita quidem, ut die XVII. Maji Complati, (*n*) die IV. Junii Martiatici, (*o*) die XIX. ejusd. Altæ-ripæ, & die XXX. Auguſti Briſiaci (*p*) fuerit, ex quo itinere Rhenenſi pridie Id. Octobr. redux apud Treviros iterum ſubſtitit.

Sed Valentinianus etiam nonnulla trans Rhenum munimenta condidit, *barbaros ſubradens fines*, uti loquitur Ammianus. Inter hæc unum colli, ad Nicrum ſito, quum impoſuiſſet, (*q*) moxque vereretur, ne fluminis præterlabentis violentia illud ſucceſſu temporis ſubverteret, Nicri aliorſum divertendi conſilium cœpit. Arduum opus morigeri confectum militis diligentia. Novi dein Caſtri trans Rhenum in monte *Pri*, quem nonnulli ad Heidelbergam referunt, tentata exſtructio, cui operi, quod periculoſum eſſet, Imperator magna ſua felicitate non interfuit ipſe. Vix enim fundamenta caſtri duxerant milites, quum quidam Alemannorum Optimates, quorum filios anno ſuperiore Romani pacis obſides acceperant, ſupplices ibi comparerent, ut ab inſtituto Romanos averterent. Precibus ſpretis, " ex abdito collis propinqui barbaricus proſiluit „ globus, . . . adortusque milites ſeminudos, humum etiam tum geſtantes, expeditis „ agiliter gladiis obtruncabant; inter quos etiam Duces ambo ſunt cæſi. Nec indicaturus

---

(*i*) Ammianus Lib. XXVII. Cap. X. & Lib. XXX. Cap. VII.

(*l*) *Numismat. Imperator. Rom.* pag. 503. ſq.

(*m*) Lib. XXVIII. Cap. II.

(*n*) Complatum non idem locus eſt, quem *Itinerarium* Antonini pag. 354. *Cambetem* vocat. Valentinianus enim ſiniſtram Rheni ripam, profectus Treviris, paulatim aſcendiſſe, videtur, uti ſeries quidem locorum reliquorum ac temporis, ſi Martiaticum pro Manhemio accipiendum, clare oſtendit. Cambes vero (*Kembs*) longe ſupra Manhemium & Altam-ripam, imo & ſupra Briſiacum poſitus. Complatum vicinius Treviris fuiſſe, vel inde puto apparere, quod Imperator in poſteriore hoc loco die 1. Junii verſatus eſt, uti alia id Conſtitutio docet. Nomen Complati occurrit in *Cod. Theod.* Tom. II. pag. 579. Ed. Lugd.

(*o*) Si *Mattiacum* vel *Mattiaticum* cum Gothofredo legendum eſſe cenſes, idem illud Munimentum erit, quod, a Trajano olim conditum, à Juliano Cæſare reſtauratum, Manhemium interpretantur. Lex ibi data in *Cod. Theod.* Tom. III. pag. 494. extat. Eadem Lex probat, S. Petronium Probum An. CCCLXIX. jam Præfectum Prætorio Galliarum fuiſſe, quod ad pag. 301. ſupra notandum.

(*p*) De Briſiaco vide ſupra pag. 191. ſq.

(*q*) Cluverius *Germ. Antiq.* Lib. III. pag. 15. ſcribit: " Sunt, qui hoc Munimentum volunt hodie „ eſſe eum locum, qui inter Rheni Nicrique con„ fluenteis dicitur *Manheim*. Verum illi uti hanc „ ſuam opinionem ſatis tueri poſſint, vehementer „ ego vereor; quidpe in iſta Marcellini deſcriptione „ nihil ſingulare video, quod non multis ad Nicrum „ locis convenire queat. Tam immanem undarum „ impulſum ad ipſum oſtium fluminis fuiſſe dubito: „ tum non intelligo, quomodo Munimentum Valen„ tiniani *inquietudine errantis ingentis amnis* ſatis „ *excuſſum* fuerit, ſi hodieque ad pontem arcis Man„ hemianæ Nicer Rheni viam ſubinde tentat, noxias„ que paludeis & inundationes immittit; quæ infixis „ palis magno opere ac ſumtu ſunt arcendæ. Deni„ que miror tam altum Marcellino de Rheni aut „ Nicri confluente ſilentium. „ Lupodunum ego hic intelligerem, ſi cum Frehero pro oppido Ladenburg illud haberem.

turus geſta ſuperfuit quiſquam præter Syagrium: qui deletis omnibus ad Comitatum „ reverſus, irati ſententia Principis ſacramento exutus, abiit ad lares: id commeruiſſe „ ſævo judicatus arbitrio, quod evaſerit ſolus. „ (r) Syagrius tamen, tunc Notarius, poſtea ſub Gratiano, Valentiniani I. filio, Conſul factus eſt ac Præfectus Prætorio. Quæcunque autem Valentinianus Munimenta trans Rhenum condiderit, ea haud procul à Rheni litore condita Marcellinus indigitat; ut nullo inde modo appareat, Germaniæ partem, quæ Decumates olim Agros conſtituit, in formam Provinciæ rurſus fuiſſe redactam. Idem circa tempus latrocinia & inſidiæ, Francorum forte, per Galliam ita ſæviere, ut poſt alios complures Conſtantianus quoque interfectus ſit, Tribunus ſtabuli & Valentiniani adfinis.

§. C.

Saxonibus, qui poſt factam in Gallias irruptionem pacem impetraverant, à Valen- An. Chr.
tiniano Deuſone, (s) Francico trans Rhenum loco, perfide cæſis, novam, qua 370.
Alemannos tandem opprimeret, idem rationem excogitavit, nihil prorſus omittens, ut Gallicum & occidentalem Imperii limitem, ſæpiſſime perruptum, probe firmaret. Macriani præſertim, Regis Alemannorum, quem Julianus una cum Hariobaudo fratre ſibi devinxerat, (t) ſuſpecta fuit auctoritas. AMMIANUS (u) hac occaſione ſequens de Alemannis judicium profert: "Immanis natio, jam inde ab incunabilis primis varietate „ caſuum imminuta, ita ſæpius adoleſcit, ut fuiſſe longis ſeculis æſtimetur intacta. „ Inde porro ita pergit: "Sedit conſilia alia poſt alia Imperatori probanti, Burgundios in „ eorum excitari perniciem, bellicoſos & pubis immenſæ viribus affluentes, ideoque „ metuendos finitimis univerſis. „ Burgundiones itaque à Valentiniano I. ſollicitati ſunt, quo vicinos ſibi Alemannos invaderent; eoſdem ab alia parte aggreſſuris Romanis. Impetratum hoc ab eis tanto facilius, quod jam pridem ſobolem ſeſe Romanam profiterentur; (x) quodque ſalinarum & finium cauſa frequentes cum Alemannis lites habebant. Octoginta millia (y) Burgundionum inde ad Rhenum, ubi Valentinianus condendis adhuc munimentis incubuit, progreſſa, non Alemannis tantum, quos disjecerunt, ſed & ipſis Romanis panicum terrorem incuſſerunt, quod inopinato advenerant. Sed nihil Valentiniani culpa peractum, qui evocatos Burgundiones, quum promiſſis ſuis nequaquam vellet inſiſtere, quia gentis tam numeroſæ ac potentis fœdera ei forte periculoſa videbantur, domum remiſit; illatam tam inſignem injuriam, interfectis captivis, ſtatim ulturos.

Creſcente in dies Macriani potentia & faſtu, novum comprehendendi ejus Impera- An. Chr.
tor conſilium inivit; quod vero haud minus ac ſuperiora, irritum fuit. Populati 371.
tamen ſunt ejus Pagum Romani, qui cum Valentiniano ponte, ſuper Rhenum apud Moguntiacum ſtrato, in Germaniam transgreſſi, tanto furore omnia vaſtarunt, ut Fraomarius poſtea Bucinobantes, quæ Alemannica è regione Moguntiaci natio, cuique ille in Macriani locum à Valentiniano Rex datus fuit, ſponte reliquerit, Tribuni dignitate apud Alemannos, qui in Britannia ſubſtiterant milites, remunerandus. Macriani evaſio, copiarum adſcribenda intemperantiæ, multum afflixit Imperatorem; unde Hortarium, Primatem Alemannicum, & in exercitu Romano inter nobiliores degentem, ubi à Florentio, Germaniæ ſuperioris Duce, proditus eſſet, ac ſi Literas Macriano occulte ſcripſiſſet, igne comburi juſſit. (z) Valentinianum duobus proximis annis in hos Germaniæ Barbaros aliquid porro molitum, aut infeſtatam ab iis Galliam eſſe, non reperimus; nec aliud memorabile facinus, quod regiones noſtras ſpectaret, novimus.

§. CI.

Poſtremus hic, quo Valentinianus apud Gallos verſatus eſt, annus Munimento An. Chr.
Rhenenſi apud Rauracos, in Alſatiæ confinio, dedit originem. *Robur* (a) ſcilicet 374.
tum in Alemannos, Lentienſes præſertim, ædificatum, poſtquam Imperator nonnullos Alemanniæ, meridionalis forte, pagos vaſtaſſet, uti AMMIANUS (b) id docet. Allatus Valentiniano, ibidem commoranti, funeſtiſſimæ cladis, quam Illyrici provinciæ ac ejus præſidiis Quadi nuper intulerant, nuntius, tanto eum terrore perculit, ut à Proceribus

(r) AMMIANUS Lib. XXVIII. Cap. II.

(s) *Duitz* Germanis, Tuitium, è regione Coloniæ Agripp. de quo loco jam alibi ſæpius.

(t) Vide ſuperius ad annum CCCLIX. pag. 410.

(u) Lib. XXVIII. Cap. V.

(x) Vide *Not.* VALESII ad h. l. AMMIANI, pag. 416. ed. Gronov.

(y) Ita HIERONYMUS in *Chron.* ad An. CCCLXXIII. "Burgundionum LXXX. ferme millia, quot nunquam ante, ad Rhenum deſcenderunt. „ Nos autem, AMMIANUM ſequentes, rem hanc in An. CCCLXX. poſuimus. Idem Ammianus, numero indefinito, lectiſſimas tantum catervas Burgundionum memorat.

(z) AMMIANUS MARCELLINUS Lib. XXIX. Cap. IV.

(a) De Robore ſupra pag. 181. ſq. egimus.

(b) Lib. XXX. Cap. III.

vix retineri potuerit, ne protinus Illyricum peteret, hiberna licet tempeſtas inſtaret. Dilato itaque ad principium veris itinere, multo ſtudio agebatur, quo Galliæ relinquendæ pacem cum Alemannis firmaret; id quod facile obtenturum ſe credidit, ſi vel ſolum Macrianum, Regem periculoſiſſimum, inito ſibi fœdere junxerit. Macrianus, à Valentiniano Moguntiacum accitus, in Germanica Rheni ripa comparuit, non metu impulſus, ſed tamquam oblatæ pacis arbiter futurus. Colloquium inter utramque partem trans Rhenum, quo Romani aſcenſis delati fuerunt navigiis, ita inſtitutum, ut " poſt dicta & audita ultro citroque verſus, amicitia media ſacramenti fide firmaretur. „ Hisque perfectis diſceſſit turbarum Rex artifex delenitus, futurus nobis deinceps ſocius: „ & dedit poſtea adusque vitæ tempus extremum conſtantis in concordiam animi facinorum documentum pulchrorum. Periit autem in Francia poſtea; quam dum internecive vaſtando perrumpit avidius, oppetiit Mellobaudis bellicoſi Regis inſidiis „ circumventus. Poſt fœdus tamen ſolemni ritu impletum, Treveros Valentinianus ad „ hiberna diſceſſit. „ Hoc memorabili eventu Valentiniani res, in Gallia & trans Rhenum geſtas, Ammianus concludit.

An. Chr. 375. Valentinianus I. menſe Novembr. anno ætatis ſuæ LV. apud Illyrios ſubita quum morte fuiſſet extinctus, Occidentale ejus Imperium ita duos inter filios diviſum eſt, ut Gratiano, natu majori, qul tum Treviris verſabatur, Gallia præſertim obtingeret cum iis Provinciis, quæ ad Præfecturam Galliarum, ſecundum Conſtantini M. diſpoſitionem, ſpectarunt. Valentinianus junior, ignaro Gratiano, à Ducibus Gallicani exercitus, Quados nunc debellantis, in Pannonia, conſtitutus Auguſtus; ne milites alium ſibi Imperatorem eligerent, à defuncti ſanguine alienum. Valentinianus II. Italiam conſenſu fratris obtinuit, Africam atque Illyricum. (*c*)

§. CII.

An. Chr. 378. Lentienſes, (*d*) Alemannica gens, Rhætiis proxima, Gothorum in Thracia exemplum imitaturi, Rhenum menſe Februario congelatum transire, atque in Sequanos irruere fruſtra conantur. Alſatia tum Celtarum & Petulantium, qui in Sequanis tendebant, virtute ſervata incolumis, at exitiali mox & graviſſimo terrore concuſſa eſt. Iidem nimirum Lentienſes, maximam Gallicani exercitus partem in Illyricum profectam quum accepiſſent, ut Valenti adverſus Gothos in Thracia ferret ſuppetias, tantam Gallias occupandi, aut diripiendi ſaltem, fiduciam conceperunt, ut ſuis plerique ſedibus, Priarii Regis ductu, egrederentur, & quadraginta millibus (*e*) coactis invaderent ſuperiorem Alſatiam. Revocatæ hinc à Gratiano Imp. cis Rhenum cohortes, quas modo in Pannonias abire juſſerat, eisque conjunctæ, quas ſecum hactenus retinuerat in Galliis. Hiſce Nannienum, providum & cautum Ducem, ut & Mallobaudem, (*f*) quendam Francorum Regem, ac Domeſticorum ſub Gratiano Comitem, quum præfeciſſet, cruentiſſimum ad prœlium res brevi devenit. Tum memorabilis Gratiani Imp. victoria urbem Argentouariam, (*Horburg*) de qua ſuperius, (*g*) & illis temporibus & apud poſteros celeberrimam reddidit. Ad hanc enim Argentouariam, quam Ammianus *Argentariam* vocat, Romani cum Lentienſibus congreſſi ſunt, Mallobaudis potiſſimum, adeoque Germani contra Germanos, pugnandi ardore inſtigati.

Paulus Orostus (*h*) Gratianum ipſum prœlio interfuiſſe tradit, refragante Ammiano, cujus auctoritas præferenda Oroſio. Primo impetu ſagittis & miſſilibus proſpere facto, milites Romanos, numero inferiores, Barbarorum multitudo ita perterruit, ut ordinibus laxatis fugæ ſpeciem præberent, ac per calles occultos & arboribus conſitos

(*c*) Ammianus Lib. XXX. Cap. X. Zosimus Lib. IV. Cap. XIX.

(*d*) Populus, qui *Linzgauer* vocatur, ex ſententia Ortelii in *Theſaur. Geograph.* Stumpfius *Chron. Helvet.* Lib. VII. Cap. XXXVII. & Crusius in *Annal. Suev.* Part. I. Lib. VII. Cap. V. arcem & oppidum *Lenzburg* in Helvetica Ærgovia, prope amnem Arolam, hodieque nominis gentis hujus veſtigia ſervare ſtatuunt.

(*e*) Ammianus Lib. XXXI. Cap. X. hoc bellum uberius deſcribens, nonnullos, ait, laudes Principis extollendo numerum hoſtium ad LXX. millia jactitaſſe. Hieronymus & Cassiodorus in *Chronicis*, ut & Aurelius Victor in *Epit.* Cap. XLVII. Alemannorum XXX. millia in bello hoc extincta, referunt. Orosius Lib. VII. Cap. XXXIII. totidem quidem cæſos, at inæſtimabilem hoſtium multitudinem Romanis infuſam finibus, memorat. Nos Ammiani, gravis & coætanei Scriptoris, auctoritate fili, media incedimus via, & XL. millia, quæ Rhenum tranſierint, ponimus, eo magis, quod minime contraria ſunt allegatis Auctoribus, qui XXX. millia cæſa fuiſſe tradunt. Ammianus autem quinque tantum millia evaſiſſe ſcribit.

(*f*) Ita Marcellinus quidem; Cassiodorus vero illum Merobaudem vocat.

(*g*) Pag. 193. ſqq.

(*h*) Lib. VII. Cap. XXXIII. ubi: " Gratianus Imp. „ admodum juvenis, quum inæſtimabilem multitudinem hoſtium Romanis infuſam finibus cerneret: „ fretus Chriſti potentia, longe impari militum numero ſeſe in hoſtem dedit, & continuo apud Argentariam, oppidum Galliarum, formidoloſiſſimum „ bellum incredibili felicitate confecit.

conſitos dilaberentur. Sed mira rerum ſecuta converſio: conſilium, Romanis funeſtum quod eſſe debuerat, victoriam peperit. Hi ipſi enim milites diſperſi, metu ſoluto, quum in aciem rediiſſent, haud minorem Barbaris, Imperatorem adveniſſe ſplendido ex armorum fulgore credentibus, incuſſerunt terrorem quem ipſi modo acceperant. Fugati Alemanni, priusquam pedes conferrent, & ita quidem fugati, ut inſectantium manibus impune cæderentur plerique, ac non amplius quinquies mille, quos nemorum denſitas texit, ex iſta ſtrage cenſerentur ſuperſtites. Rex ipſe Priarius, (i) auctor belli, inter occiſos repertus eſt. Sic minimo, ut Oroſius loquitur, Romanorum detrimento formidoloſiſſimum bellum incredibili felicitate confectum.

Poſuimus illud in An. Chr. CCCLXXVIII. quod Cassiodorus Senator (l) Gratiano Aug. quartum & Merobaude Coſſ. An. CCCLXXVII. commiſſum ait. Obſtant plures rationes, quo minus poſteriori accedamus chronologiæ; cui tamen Gothofredus, Henricus Valesius, Martinus Bouquetus, aliique paſſim accedunt. Rationes has omnium optime Tillemontius, (m) quem hic ſequimur, expoſuit, argumentis ex vero hiſtoriæ nexu & aliunde petitis. Indubium enim eſt, prœlium brevi ante contigiſſe, quam Gratianus in Valentis Imp. patrui ſui proficiſceretur auxilium; id quod menſe Majo finiente An. CCCLXXVIII factum Socrates (n) tradit. An. eod. 378.

§. CIII.

Paulus Diaconus (o) victoriam Gratiani, ab Alemannis reportatam, ad *Argentoratum, oppidum Galliarum* ponit, atque adeo Argentouariam cum Argentorato aperte confundit. Eandem procul dubio Ausonius (p) intellexit victoriam, ubi Gratianum in Panegyrico ſuo vocavit *Alemannicum*, his verbis: "Vocarem Germanicum, „ deditione gentilium: Alemannicum, traductione captorum: vincendo & ignoſcendo „ Sarmaticum. „ Quo Alemannos Gratianus transduxerit, nullibi perſcriptum reperio. Guillimannus (q) in Helvetiam, ſive Tigurinum Pagum, inter Rhenum & Urſam transductos putat; ſed res non veriſimilis. Cur enim inhabitandam hoſtibus oram dediſſet, quæ Rheni & totius Galliæ cuſtos? Tanto minus Gratianus id feciſſe credendus, quod ex Gothis, cis Danubium biennio ante admiſſis, jamque Valenti & ejus Imperio interitum minantibus, diſcere potuit, quantum Romano in ſolo Barbarorum ſedes eſſent reformidandæ. Reduxit eos forte, unde venerant, trans Rhenum, quot ad Argentouariam captivos fecerat. (r) Mihi tamen Auſonius ad ea potius reſpicere videtur, de quibus Ammianus (s) ita loquitur: "Quem (Gratianum) Lentienſes intentum jugulis „ ſuis, omni perſeverandi ſtudio contemplantes, poſt deditionem, quam impetravere „ ſupplici prece, oblata, ut præceptum eſt, juventute valida noſtris tirociniis permi- „ ſcenda, ad genitales terras ire permiſſi ſunt. „ Duplex heic Alemannorum occurrit traductio, latiori ſenſu accepta, prima juventutis Lentienſis in Romanam militiam; altera cæterorum Lentienſium, quos Gratianus in poteſtatem ſuam redegerat, ad ipſorum penates, uti verius appellatur, remiſſio.

(i) Ita eum vocat Ammianus. Lindenbrogius cum Marc. Velsero legendum eſſe putat *Priamus*, Prosperi Tironis, Sigeberti Gemblacensis, Abbatis Urspero. aliorumque medii ævi Scriptorum, nixus auctoritate. Sed Priamus hic Proſperi in Francia regnaſſe ſcribitur; Priarius Alemannorum Rex fuerat, quum Mallobaudes ſeu Merobaudes, Rex Francorum & tum Conſul Romanus, Romanorum a partibus ſteterat.

(l) In *Chronico*.

(m) *Hiſtoire des Empereurs* Tom. V. *Note* X. *ſur l'Empereur Gratien*, pag. 25. ubi Vir Doctiſſ. ita diſputat: *Je ne voy pas, comment l'an CCCLXXVII. ſe peut accorder avec Ammien, qui met la bataille entre ce qui ſe paſſa a la fin de CCCLXXVII. & l'arrivee de Valens a Conſtantinople, ou il vint le XXX. de May CCCLXXVIII. De plus il marque que cette guerre vint de ce que les Allemans avoient appris, que Gratien alloit en Orient ſecourir Valens contre ſes ennemis, & qu'une partie des troupes, qui le devoient accompagner, etoit deja en Illyrie. Or je ne voy pas, que cela ſe puiſſe rapporter au commencement de l'an CCCLXXVII. auquel il ne paroit point que les Gots ſe fuſſent encore revoltez, ni que Valens fut obligé de demander ce ſecours & la preſence de Gratien. Mais toute la ſuite d'Ammien le confirme encore davantage, & fait voir qu'immediatement aprés cette bataille, Gratien ſe haſta d'aller en Thrace, en même temps, que Valens y venoit d'Antioche: & Valens n'y arriva que le XXX. de May CCCLXXVIII. Il precipita même la bataille d'Andrinople, donnée le IX. d'Aoust CCCLXXVIII. de peur que Gratien n'y euſt part. De ſorte qu'il eſt viſible, que celle de Colmar a été donnée la même année, comme l'a mis Baronius An. CCCLXXVIII. On peut joindre a Ammien ce que dit Auſone, que Gratien en une ſeule année avoit donné la paix aux frontieres du Rhein & du Danube.* Ausonius in *Gratiar. Act.* ita: "Teſtis eſt uno pacatus anno & „ Danubii limes, & Rheni. „ Vid. Opp. ex Jac. Tollii recenſione pag. 708.

(n) *Hiſt. Eccleſ.* Lib. IV. Cap. XXXVIII.

(o) *Hiſtor. Miſcella* Lib. XII. pag. 899.

(p) *Gratiar Act. ad Grottianum* pag. 702. ed. Tollii.

(q) *Rer. Helvet.* Lib. II. Cap. V. pag. 190.

(r) Vid. Cel. Birrii, Prof. Baſilienſis meritiſſimi, *Excurſus ſubitarias in Helveticam Hiſt.*

(s) Lib. XXXI. Cap. X. pag. 498. ed. Gronov.

Digitized by Google

ANNALES.

Victoriæ Argentouarienſis memoria pluribus nummis, ſub Gratiano excuſis, celebrata. Æneus eſt, in cujus parte poſtica Victoriam ſtantem videmus, quæ dextra lauream tenet, cum Inſcriptione : *Securitas Reipublicæ.* Alius, ubi figura, captivum dextra premens, ſiniſtra labarum tenet, cum appoſito monogrammate Chriſti. Sed & aureus Gratiani extat, in cujus averſa occurrunt duæ figuræ ſedentes, altera Imperatoris paludati, dextra globum, cui inſiſtit Victoria cum laurea, læva ſpiculum tenentis; altera muliebris cum corona murali, dextra globum cum Victoria. Nummos hos alioſque ſimiles Oiselius, (*t*) Cangius, (*u*) Mediobarbus, (*x*) Bandurius, (*y*) recenſent.

§. CIV.

Uti Valentinianus I. antequam Galliæ valediceret, in Illyriorum profecturus auxilium Alemannos pacavit, ſic Gratianus, filius ejus, quum Orientis provincias petere vellet, poſt liberatam Alſatiam eoſdem, ſed facta irruptione, compeſcuit atque redegit in ordinem, quod ſequenti modo factum. Imperator ex itinere, quod cum exercitu modo ingreſſus erat, inopinato lævorſum deflectens, in Rauracorum, uti veriſimile, vicinia, ſuperato Rheno Lentienſes invaſit, quos ad noſtram nuper Argentouariam profligaverat. Lentienſes viribus reſiſtendi prorſus exhauſti, non tum in armis, ſed in præruptorum montium apicibus, qualecunque vitæ quæſiverunt præſidium. Nec Gratianus tamen, univerſam qui gentem extinguere decreverat, à ſuis deterritus fuit conatibus. Deligebantur per ſingulas Legiones quingenti milites, ab ipſo in Barbaros, tanquam in venaticas prædas, per ignota & invia loca, ducendi. Oppugnati verſus meridiem Barbari ex altis, quas paſſim inſederant, rupibus tanta ſeſe tuiti ſunt fortitudine, ut non tantum aditum ſui Romanis præcluderent, ſed & eorum plures denſa lapidum & aliorum miſſilium jaculatione occiderent. Nocturnis tandem ſeparati tenebris pugnæ finem impoſuere, nunquam ex Gratiani ſententia ad illam redituri. Placuit enim Barbaros, locorum iniquitate munitos, ita circumſidere, uti alimentorum inedia ſpontaneam ad deditionem cogerentur. Sed nec tum res ex voto Romanorum ceſſit; Alemannis præter ſpem alios inde montes, prioribus altiores, occulte petentibus. Opus hic fuit magna animi & laboris conſtantia: perſequendi erant, nec tamen armis oppugnandi, Lentienſes. En illuſtre ſingularis, qua Gratianus Imp. juvenis polluit, virtutis ac prudentiæ ſpecimen. Inſectatus ille fortiter Barbaros, quocunque dilapſi videbantur, in ſupremas denique eos anguſtias compulit, ac univerſos, de ſalute deſperantes, in ſuam recepit poteſtatem dedititios; quos tamen præter florentem viribus juventutem, Romanis immiſcendam tironibus, ad ſua tranquille poſſidenda colendaque benigne remiſit. (*z*) Continuatum hinc cum exercitu iter per Arborem Felicem, ad Lacum Brigantiæ ſitam, & Lauriacum in Orientis provincias; unde Gratianus anno ſequenti reverſus eſt.

§. CV.

An. Chr. 379. Alemannos hoc iterum anno, dum Gratianus abſens eſſet, Galliam populatos eſſe, ac Imperatoris in eam acceleraſſe reditum, Zosimus (*a*) & Socrates (*b*) teſtantur. Ille quidem Rhenenſes generatim nationes, hic vero ſpeciatim Alemannos memorat. Leves tamen has irruptiones fuiſſe, tempore certe breves, inde apparet, quod Ausonius, reditum Gratiani in Gallias deſcribens, nullam earum mentionem reliquerit. Verba ejus, quæ huc faciunt, in *Panegyrico Gratiarum Actionis* ita (*c*) leguntur: " Tu Gratiane, tot Romani Imperii limites, tot flumina & lacus, tot veterum interſepta regnorum, abusque Thracia, per totum, quam longum eſt, latus Illyrici, Venetiam, Liguriamque, & Galliam veterem, inſuperabilia Rhætiæ, Rheni aquoſa, Sequanorum invia, porrecta Germaniæ, celeriore tranſcurſu, quam eſt properatio noſtri ſermonis, evolvis, nulla requie otii, ne ſomni quidem, aut cibi munere liberali, ut Gallias tuas inopinatus illuſtres." Hæc ſane ipſa itineris, quod Gratianus per Rhætiam, Sequanos & Germaniam fecit, celeritas oſtendit, Provincias iſtas non à Barbaris tum occupatas fuiſſe, aut infeſtatas; ut adeo credibile ſit, Alemannos, ubi proximum Imperatoris adventum cognoverant, ad ſua protinus rediiſſe trans Rhenum. Superiorem Auſonius Germaniam intelligit, à Gratiano, Treviros petente, poſt oram Maximæ

(*t*) In *Theſauro Nummorum.*

(*u*) *Conſtantinop. Chriſtiana* Tab. XVIII.

(*x*) *Theſaur. Numiſmat. Imperator. Rom.* pag. 510.

(*y*) *Numiſmata Imperatorum* Tom. II. pag. 482. ſqq.

(*z*) Ammianus Lib. XXXI. Cap. X.

(*a*) Lib. IV. Cap. XXIV.

(*b*) *Hiſtor. Eccleſ.* Lib. V. Cap. VI.

(*c*) In fine, pag. 735. ſq.

Digitized by Google

Maximæ Sequanorum Rhenenſem, peragratam, quam porrectam, id eſt, patentiorem, planioremque prioribus Galliæ partibus, appellat. Gratianus nimirum, poſt Valentis patrui, à Gothis prœlio devicti & occiſi, mortem, quum & Orientale Imperium obtinuiſſet, eique à Barbaris, undiquaque irruentibus, defendendo imparem ſe crediḋiſſet, Theodoſium, *Magni* epitheto poſtea ornandum, ſocium Imperii conſtituit, tradiditque Orientem, dum ipſe Provincias, quas prius poſſederat, Trans-Alpinas ſervaret; Valentinianus II. vero Italiam & Africæ partem.

§. CVI.

Gratiano Imp. adverſus Alemannos bellum gerenti, (*d*) Maximus Tyrannus, in An. Chr.
Britanniæ Inſula Imperator à ſeditioſis creatus, eo cum ſucceſſu impia arma infert, ut 383.
mox totam & Galliam & Hiſpaniam ſibi ſubjiceret. Rem fere incredibilem diceres, niſi plurimis Scriptorum niteretur teſtimoniis, quod Gratianum præclaris Imperatoris dotibus præditum fuiſſe nemo facile negat. Id ſcilicet Maximo felicitatis obtigit, ut Gratiani, apud milites hinc inde exuſi, in ſuas partes pertraxerit exercitum, illum præſertim, qui in Germaniis excubabat ad Rhenum. Tradit hoc ZOSIMUS, (*e*) ubi ſcribit: "Milites in Britannia facile ad ſeditionem impulſi, Maximum Imperatorem „ appellant; ac tradita illi cum diademate purpura, confeſtimque transmiſſo navibus „ Oceano, ad oſtia Rheni appulerunt. Exercitibus autem, qui erant in Germania, „ cæteriſque ſecundum hanc regionibus, ſumma cum benevolentia deſignationem hanc „ approbantibus, objiciebat ei ſe Gratianus, prœlio congreſſurus, quod non exigua „ pars exercitus adhuc ab ipſo ſtaret. „ Si exercitus Rhenenſis ſive Germanicus vivente adhuc Gratiano ad Maximum transiit, Provincias quoque, Rheno contiguas, & inter has Alſatiam noſtram, eidem tum acceſſiſſe credibile, metu ſcilicet Tyranni coactas. Certiſſime vero, uti omnis omnino Gallia, ſic & ſpeciatim Alſatia, Maximum Imperatorem accepit, poſtquam Gratianus apud Lugdunenſes periit, quod VIII. Kal. Septemb. An. CCCLXXXIII. Merobaude II. & Saturnino Coſſ. factum eſſe, MARCELLINUS COMES in *Chronico* annotat.

In hoc etiam tempus Urſulam & XI. mille Virgines, inter quas Aurelia, Argentorati ſepulta, quæ apud Colonienſes trucidatæ dicuntur, nonnulli Scriptores, uti ſupra (*f*) notavimus, referunt. Fabulas hinc fabulæ addunt, à Cel. TILLEMONTIO (*g*) noſtris omnium optime confutatas temporibus.

Eugenius, Valentiniano II. violenta manu Viennæ ſublato, per Arbogaſtem, An. Chr.
Magiſtrum Militum, Auguſtus declaratur in Gallia, moxque immenſo ſtipatus exercitu 392.
Rhenum accedit, quo priſtina Romanorum cum Alemannis & Francis, quæ ſæpius rupta ſunt, pacis fœdera renovaret, atque oſtenſa virium ſuarum magnitudine à nova Galliarum eos invaſione deterreret. (*h*) Alemanni ergo hac ætate Germaniam Primam Sequanosque non infeſtarunt, nec Franci Germaniam Secundam; dubito tamen, num Rhenus Superior, à Gratiani morte, eadem ſit fruitus quiete. Franci profecto, ab Eugenio itidem in fœdus recepti, quatuor hos ante annos inſignem Germaniæ Secundæ cladem intulerunt, quam SULPITIUS ALEXANDER (*i*) deſcribit. Eugenium inde & Arbogaſtem plures Barbarorum auxiliares habuiſſe, Francos potiſſimum, ex quibus Arbogaſtes oriundus erat, declarat OROSIUS. (*l*)

§. CVII.

Honorius quum Occidentalis Imperii ſolium conſcendiſſet, Stiliconem, natione An. Chr.
Vandalum & ſummæ tum auctoritatis Virum, in Galliam mittit, ut Barbaros ad Rhenum 395.
pacaret, Alemannos nimirum & Francos; qui occiſu forte Eugenio cis Rhenum rurſus latrocinari occœperant. CLAUDIANUS (*m*) verſibus rem ita exponit:

Hunc

(*d*) Ita ſane SOCRATES *Hiſt. Ecclеſ.* Lib. V. Cap. XI. & SOZOMENUS Lib. VII. Cap. XIII.

(*e*) Lib. IV. Cap. XXXV.

(*f*) Pag. 340.

(*g*) *Hiſt. des Empereurs* Tom. V. *Not.* XXVII. *ſur Gratien*, pag. 31.

(*h*) SULPITIUS ALEXANDER apud GREGOR. TURONENSEM *Hiſt. Francor.* Lib. II. Cap. IX. pag. 60.

(*i*) Ibidem pag. 57.

(*l*) Lib. VII. Cap. XXXV.

(*m*) *De IV. Conſulatu Honorii* vers. 439. ſqq. pag. 45. ed. Barthii. Conf. BUCHERIUS *Belg. Rom.* Lib. XII. Cap. XV. pag. 387.

" Hunc tamen in primis populos lenire feroces,
„ Et Rhenum pacare jubes. Volat ille citatis
„ Vectus equis, nullaque latus ſtipante caterva,
„ Aſpera nubiferas qua Rhætia porrigit Alpes,
„ Pergit, & hoſtiles (tanta eſt fiducia) ripas
„ Incomitatus adit. Totum properare per amnem
„ Attonitos Reges humili cervice videres.
„ Ante Ducem noſtrum flavam ſparſere Sicambri
„ Cæſariem, pavidoque orantes murmure Franci
„ Procubuere ſolo. Juratur Honorius abſens,
„ Imploratque tuum ſupplex Alemannia nomen. &c.
„ Accipit ille preces varias, tardeque rogatus
„ Annuit, & magno pacem pro munere donat.
„ Nobilitant veteres Germanica fœdera Druſos,
„ Marte ſed ancipiti, ſed multis cladibus emta.
„ Quis victum meminit ſola formidine Rhenum?

§. CVIII.

Alio in loco (*n*) CLAUDIANUS eadem de re verba facere videtur, quæ ſatis oſtendunt, Alemannos tum à Stilicone non tantum pacatos, ſed & ab Honorio Imp. in fœdus receptos eſſe; quanquam plura poetice, veritatique minus conſentanea, Claudianum protuliſſe credendum. Ibi vero ita Poeta:

" Ante tubam nobis audax Germania ſervit.
„ Cedant Druſe tui, cedant Trajane labores.
„ Veſtra manus dubio quidquid diſcrimine geſſit,
„ Transcurrens egit Stilico, totidemque diebus
„ Edomuit Rhenum, quot vos potuiſtis in annis.
„ Quem ferro, alloquiis, quem vos cum milite, ſolus
„ Impiger à primo deſcendens fluminis ortu
„ Ad bifidos tractus, & juncta paludibus ora
„ Fulmineum perſtrinxit iter. Ducis impetus undas
„ Vincebat celeres, & pax, à fonte profecta,
„ Cum Rheni creſcebat aquis. Ingentia quondam
„ Nomina, crinigero flaventes vertice Reges,
„ Qui nec principibus donis, precibusque vocati
„ Paruerant, juſſi properant, ſegnique verentur
„ Offendiſſe mora; transvecti lintribus amnem,
„ Occurſant ubicumque velis. Nec fama fefellit
„ Juſtitiæ: videre pium, videre fidelem;
„ Quem veniens timuit, rediens Germanus amavit.
„ Illi terribiles, quibus otia vendere ſemper
„ Mos erat, & fœda requiem mercede pacíſci;
„ Natis obſidibus pacem tam ſupplici vultu
„ Captivoque rogant, quam ſi poſt terga revincti
„ Tarpejas preſſis ſubeant cervicibus arces. &c.
„ - - - Rhenumque minacem
„ Cornibus infractis adeo miteſcere cogis. &c.
„ Ut procul Hercyniæ per vaſta ſilentia ſilvæ
„ Venari tuto liceat, lucosque vetuſta
„ Religione truces, & robora Numinis inſtar
„ Barbarici, noſtræ feriant impune bipennes.
„ Ultro quin etiam devota mente tuentur,
„ Victorique favent. Quoties ſociare catervas
„ Oravit, jungique tuis Alemannia ſignis!

Ita

(*n*) *De Laudib. Stiliconis* Lib. I. vers. 187. ſqq. pag. 10.

Ita Claudianus ſtatum rerum, qualis ſub Honorii Imp. initia & ſeculi IV. finem ad Rhenum fuerat, depingit: qui ſi revera obtinuit, eo magis profecto tum gratulandum Alſatiæ, quod ſeculo ineunte quinto miſerrima ejusdem fata ſumus deploraturi. Quamcunque enim Stilico quietem ac felicitatem Gallis Rhenenſibus dederit, ipſe poſtea perfidus eam ita rurſus evertit, ut præter miſeriam Alſatiæ relictum ſit nihil.

§. CIX.

Initio hujus anni Rhenanus limes nudatur à Stilicone præſidiis, abducendis nimirum in ſuperiorem Italiam, quam Gothi ſub Alarici Regis ductu invaſerant. Claudianus (*o*) iterum rei teſtis eſt; ubi poſt enarratas Rhætiarum ac Britanniæ copias, in Italiam quoque deductas, ſequentia addit: An. Chr. 403.

" Agmina quin etiam flavis objecta Sicambris
„ Quæque domant Chattos, immanſuetosque Cheruſcos.
„ Huc omnes vertere minas, tutumque remotis
„ Excubiis Rhenum ſolo terrore relinquunt.

Valedixerunt itaque milites præſidiarii Galliæ Rhenenſi, & quidem valedixerunt æternum. Ridendum epiphonema, quod Claudianus ſubjungit: (*p*)

" Ullane poſteritas credet? Germania quondam
„ Illa ferox populis, quæ vix inſtantibus olim
„ Principibus tota poterat cum mole teneri,
„ Jam ſeſe placidam præbet Stiliconis habenis,
„ Ut nec præſidiis nudato limite tentet
„ Expoſitum calcare ſolum, nec transeat amnem;
„ Incuſtoditam metuens attingere ripam.

Vix enim per triennium metus ille Germanorum, quem Claudianus poetice auget, duravit. Timor ille vel nullus, vel modo ſimulatus, quo majori dein mole ac licentia nudatum perrumperent limitem. Stiliconem perfida jam tunc conſilia agitaſſe, ut Barbaris Galliæ aperiret introitum, & perturbatis inde Occidentis rebus Eucherium, filium ſuum, promoveret ad ſolium, nolim ego aſſeverare, quod à Scriptoribus illud ſilentio premitur. Vandali enim, Alani & Suevi, aliquot demum poſt annis, ad bellum ſollicitati, & à Stilicone contra Romanos invitati inſtigatique fuiſſe videntur. Alarico tamen & univerſæ Gothorum genti, eundem belli pacisque copiam denegaſſe, ut ad terrendam terendamque Rempublicam eos ſervaret, Orosius, (*q*) at ſolus, teſtatur; licet occulte cum iisdem Gothis inierit fœdus.

§. CX.

Vandali ergo & Alani, ultimo ſuperioris anni die Rhenum transgreſſi, (*r*) Germaniam Primam, adeoque & Alſatiam Inferiorem, populantur & ejus urbes evertunt. An. Chr. 407.
Stilico præcipuus, imo forte ſolus, Barbaricæ hujus in Galliam irruptionis extitit auctor; quod non modo Munimenta Rheni & limitis hujus caſtella nudaverat præſidiis, ſed & ipſe Vandalos, Alanos & Suevos, aliosque Germaniæ populos, Gallis huc usque ignotos, invitavit cis Rhenum, ut in Trans-Alpinis nimirum tentarent provinciis, quod Gothi eodem tempore in Italia tentarunt. Germania Prima, & in ea Moguntiacum metropolis, prope quam Barbarorum transitus factus, primum illorum impetum ac furorem experta eſt; (*s*) ita quidem, ut urbs capta, everſa, & multa incolarum millia, qui in Eccleſiam anxii confugerant, à duriſſimo hoſte, paganicæ adhuc religioni dedito, trucidarentur. (*t*) Ex his Moguntiaci fatis reliquorum Germaniæ Primæ locorum intelligimus fata; Vangionum præſertim, Nemetum, & Argentorati noſtræ ſpeciatim, quam Hieronymus in Germaniam translatam fuiſſe memoriæ prodidit. (*u*) Omnem enim Germaniam Primam à Vandalis, Alanis & Suevis, qui tum primi Galliam invaſerunt, fuiſſe vaſtatam, jam non dubito, quod Salvianus Barbaros non prius in Belgicam transgreſſos memorat, quam poſt Germaniam Primam everſam. Ita enim loquitur: "Primum de ſolo patrio effuſa eſt (gens Vandalica) in Germaniam „ Primam,

(*o*) *De Bello Getico* vers. 419. ſqq.
(*p*) Ibidem vers. 423. ſqq.
(*q*) Lib. VII. Cap. XXXVIII.
(*r*) Prosper Aquitanus in *Chronico*, quod extat in Canisii *Theſauro Monumentor.* Tom. I. pag. 298. Varias Scriptorum de hujus Vandalicæ irruptionis tempore ſententias vide ſupra 218. §. CLXX.
(*s*) Salvianus *de Gubernatione Dei* Lib. VII. pag. 265. edit. Rittersh.
(*t*) Teſtimonium Hieronymi vide ſupra pag. 217. §. CLXIX.
(*u*) Vid. ſupra pag. 218.

„ Primam, nomine barbaram, ditione Romanam: poſt cujus exitium primum arſit „ regio Belgarum, deinde opes Aquitanorum luxuriantium. „ Uti Salvianus hic plures omittit provincias, quas Vandalos peragraſſe & vaſtaſſe neceſſe eſt, antequam penetrarent in Aquitaniam, ita & Hieronymus loca tantum Germaniæ Primæ nobiliora tangit, à Germanis everſa. Si urbes vero primariæ ac probe munitæ tam duriter habitæ ſunt, quid non calamitatis illos afflixerit, qui oppida minora, caſtra & caſtella, inhabitarunt ac rura? Si Argentoratus exciſa, quid Brocomagus, quid Tabernæ, quid Saliſo, Tribuni, Concordia, & reliqua Alſatiæ Inferioris munimenta devenerint? Notandum tamen, Germanos in munita potiſſimum loca ſævire ſolitos eſſe, more ſingulari, quem in Alemannis obſervavimus ſæpe. Alemannos hos Vandalorum, Suevorum, Alanorum & Burgundionum veſtigia ſecutos eſſe, omnes rerum circumſtantiæ & tempora inſecuta demonſtrant, licet tranſitus illius momentum nequeat definiri. Quodſi conjecturæ locus eſt, illos tum demum in noſtram oram delatos crederem, poſtquam Vandali cum ſociis in remotiores, ſeu interiores, Galliæ regiones abierant.

§. CXI.

An. eod. 407. Lividis ſane oculis tot borealis Germaniæ gentium irruptiones Alemannos, Rheno vicinos, intuitos eſſe puto, non minus ac Francos, quos graviſſimo cum Vandalis bello implicitos fuiſſe, apud Gregorium Turonensem (x) legimus. Vix autem hoſtile quid in iſtas gentes, viribus ac numero longe majores, licet à Francis devictas, audebant moliri. Fieri tamen potuit, ut Alemanni in Sequanos tranſierint, quum memorati populi in Primam Germaniam tranſirent, adeoque idem Superiore in Alſatia perpetraverint, quod à Vandalis in Inferiore perpetratum. Quidquid ſit, Alemannos jam An. CCCCVIII. tenuiſſe Alſatiam, vel in Gallica ſaltem Rheni ripa ſubſtitiſſe, Hieronymus ſuo teſtimonio confirmat, qui eos in notiſſima illa *Epiſtola*, quam Bethlehemi, Palæſtinæ Monaſterio, initio anni CCCCIX. *ad Ageruchiam* ſcripſit, inter reliquos Barbaros, Galliam devaſtantes, recenſet. Cæterum & Burgundiones, pariter cum Vandalis ſedibus ſuis excitati, in Maximam Sequanorum tranſierunt, imo & inſignem ejus partem occuparunt, quod pluribus ſupra (y) argumentis adſtruximus, ita tamen, ut Alſatia nunquam Burgundionibus, ſed Alemannis modo, obnoxia fuerit. Quanta Gallos tum calamitas, quantaque per ſequens decennium illos clades concuſſerit, Anonymus (z) illius temporis, qui *Carmen de Providentia divina* ſcripſit, graviter ita depinxit:

“ Si totus Gallos ſeſe effudiſſet in agros
„ Oceanus, vaſtis plus ſupereſſet aquis.
„ Quod ſane deſunt pecudes, quod ſemina frugum,
„ Quodque locus non eſt vitibus aut oleis:
„ Quod fundorum ædes vis abſtulit ignis & imbris,
„ Quarum ſtare aliquas triſtius eſt vacuas.
„ Si toleranda mali labes, heu! cæde decenni
„ Vandalicis cladibus ſternimur & Geticis.
„ Non caſtella petris, non oppida montibus altis
„ Impoſita, aut urbes amnibus æquoreis,
„ Barbarici ſuperare dolos atque arma furoris
„ Evaluere, omnes ultima pertulimus.
„ Nec querar exſtinctam nullo diſcrimine plebem,
„ Mors quoque primorum ceſſet ab invidia.
„ Majores anni ne forte & nequior ætas
„ Offenſo tulerint quæ meruere Deo.
„ Quid pueri inſontes? quid commiſere puellæ?
„ Nulla quibus dederat crimina vita brevis?
„ Quare templa Dei licuit popularier igni?
„ Cur violata ſacri vaſa miniſterii?

§. CXII.

(x) *Hiſtor. Francor.* Lib. II. Cap. IX. pag. 60. ſq. ubi ita: “ Renatus Profuturus Frigeridus, cujus „ jam ſupra meminimus, cum Romam refert à Gothis captam atque ſubverſam, ait: Interea Reſpendial Rex Alamannorum, Goare ad Romanos „ transgreſſo, de Rheno agmen ſuorum convertit, „ Vandalis Francorum bello laborantibus, Godegiſilo Rege abſumto, acie viginti ferme millibus ferro „ peremtis, cunctis Vandalorum ad internecionem „ delendis, ni Alanorum vis in tempore ſubveniſſet. „ Hadrianus Valesius *Rer. Francor.* Tom. I. Lib. III. pag. 98. & Cointius *Annal. Eccleſ. Francor.* ad An. CCCCXI. pag. 43. pro voce *Alamannorum*, quorum hic Reſpendial Rex dicitur, non ſine ratione legunt *Alanorum*.

(y) Pag. 259. ſqq.

(z) In Prologo *Carm. de Provid. div.* apud Prosperum.

§. CXII.

Eodem anno CCCCVII. Honorius Imp. præter Barbaros, undique confluentes, hoſtem domeſticum nactus eſt, Conſtantinum ſcilicet, quem milites in Britanniæ Inſula crearunt Auguſtum. Hic Stiliconis quoque, Eucherium filium ſolio admovere ſtudentis, conſilio adverſus, Gallias mox novus Tyrannus invaſit, ibique Barbaros non minus, quam ipſas Honorii copias, civesque ſubjectos aggreſſus eſt bello. Zosimo (*a*) ſi credimus, Conſtantinus non tantum Barbaros cruento ſuperavit prœlio, ſed & Rhenunum limitem, ne iſti Galliam porro intrarent, munivit præſidiis; quod vero ſola Zoſimi auctoritate nititur. Ægidius Bucherius (*b*) rem ita contigiſſe putat, ut Conſtantino, in Britannia tum electo, ubi Germaniam Primam à Vandalis vaſtatam acceperant milites, jamque in Galliam transgreſſo, Barbari ſtatim occurrerint, dum in Belgicæ Secundæ adhuc hæreret provincia. Prœlium in Nerviorum dein finibus initum cenſet Bucherius, quo Germani devicti & in Aquitaniam rejecti, aut eo fuga ſaltem dilapſi fuerint. Conſtantinus victor inde cum exercitu Treviros delatus, impoſitis Rhenum firmaturus præſidiis, & Francos ac Burgundiones, Germaniam Primam inhabitantes, ſibi juncturus fœderibus, quo à Rheni partibus ſecurus in meridionali Gallia hoſtes perſequi poſſet. Secundum Bucherium ergo Alſatia noſtra Inferior, Germaniæ Primæ adſcripta, non in Conſtantini Tyranni poteſtatem pervenit, ſed in Burgundionum, qui eam occupaverant, manibus perſtitit, adeoque nec præſidia Romana recipere potuit. At ſententiæ hujus fundamentum, quod Bucherius affert, idem illud eſt, quod deſtruximus alibi, (*c*) illa nempe falſo à plerisque credita Burgundionum, per reliquum ſeculi V. decurſum, in Alſatia ſedes. Quam ſuſpecta etiam Zoſimi fides hic eſſe debeat, ipſe manifeſte prodidit, quum præſidia Rheni à Juliani Cæſaris temporibus neglecta fuiſſe dixit, adhibitam Valentiniani in eo probe muniendo curam prætergreſſus ſilentio. Alſatia, à Vandalis, Alanis, Suevis licet fuerit liberata, nunquam tamen ad legitimum Principem rediit, ſed Alemannis per omne fere ſeculum V. fuit ſubjecta. Alemannos prius, quam Burgundiones, Conſtantino fœdere junctos exiſtimarem, quod ab eis poſtea, ut & à Francis, Conſtantinum, ab Honorii exercitu in Arelatenſi urbe obſeſſum, per Edobichum Ducem auxilia impetraſſe, teſtatur Sozomenus. (*d*) An. eod. 407.

§. CXIII.

Jovinus, Gallorum nobiliſſimus, (*e*) poſt Conſtantini Tyranni necem, Moguntiaci Tyrannidem quoque invaſit, Goaris Alani, & Guntiarii, Burgundionum Præfecti, ſtudio Imperator creatus. (*f*) Olympiodorus quidem, ex quo iſta diſcimus, *Mundiacum*, *alterius Germaniæ* urbem, in qua Jovinus titulum Auguſti acceperit, nobis obtrudit. Hiſtorici tamen conſentiunt, Moguntiacum, Germaniæ Primæ vel Superioris metropolim, eſſe intelligendam. " Scilicet, inquit Bucherius, (*g*) " tam Jovinus & iſti Germani Primi ſeu Moguntiacenſes, quam Barbari, cum à Conſtan- " tini partibus ſtetiſſent, ab Honorio ejusque Ducibus ſibi metuentes, tutius novum " Imperium tentare, quam vitam infeſto victori credere, arbitrabantur." Secuta paulo poſt, auctoribus Francis, nova Trevirorum urbis everſio, quam Paolus ſecundam, Bucherius vero tertiam fuiſſe putant. Quadruplicem nempe Salvianus (*h*) urbis hujus everſionem aliquoties memorat, ſed quo tempore & anno ſingulæ contigerint, non tradit. Hinc difficile eſt earum epocham figere, ut mirum non ſit, ſi Critici hic quoque in diverſas ſententias abeant. Ceterum Jovinus, Moguntiaci proclamatus Imperator, anno ſequenti, non ad Rhenum, ſed Valentiæ ad Rhodanum, periit, & Ataulphi quidem, Regis Gothorum, inſidiis, qui ex Italia tum intraverat Galliam. (*i*) An. Chr. 412.

 Burgun-

(*a*) Lib. VI. Cap. III. ubi ita ſcribit: πρὸς ὃν (Κωνσταντῖνον) μάχης καρτερᾶς γενομένης, ἐνίκων μὲν οἱ Ῥωμαῖοι, τὸ πολὺ τῶν βαρβάρων κατασφάξαντες μέρος. Τοῖς δὲ φεύγουσιν οὐκ ἐπεξελθόντες, (ἢ γὰρ ἂν ἅπαντας πανωλεθρίᾳ διέφθειραν) ἐνέδωκαν αὐτοῖς ἀναληψαμένοις τὴν ἧτταν, καὶ βαρβάρων πλῆθος συναγαγοῦσιν, αὖθις ἀξιομάχοις γενέσθαι. Διὰ ταῦτα τοίνυν τούτοις τοῖς τόποις φύλακας ἐγκαθίστησι Κωνσταντῖνος, ὡς ἂν μὴ τὴν εἰς Γαλατίαν ἀνειμένην ἔχοιεν πάροδον. Ἐγκαθίστησι δὲ καὶ τῷ Ῥήνῳ πᾶσαν ἀσφάλειαν, ἐκ τῶν Ἰουλιανοῦ βασιλέως χρόνων ῥαθυμηθεῖσαν. " Adverſus quem (Conſtantinum) acri com- " miſſo prœlio, victoria quidem Romani potiti ſunt, " majore Barbarorum parte jugulata; ſed quod fu- " gientes inſequuti non eſſent, (omnes enim ad inter- " necionem usque cecidiſſent) facultatem eis con- " ceſſerunt, ut reſarcita clade, quam acceperant, " & collecta barbarorum multitudine, rurſus hoſti " pares evaderent. Propter has ergo cauſas præſidia- " rios in hisce locis Conſtantinus collocavit, ne iſti " liberum in Galliam aditum haberent. Rhenum " quoque præſidio munivit idoneo; quod à Juliani " principis temporibus neglectum fuerat.

(*b*) *Belg. Rom.* Lib. XIII. Cap. V. pag. 404. ſqq.

(*c*) Vid. ſupra pag. 259.

(*d*) *Hiſtor. Eccleſ.* Lib. IX. Cap. XIV.

(*e*) Orosius Lib. VII. Cap. XLII.

(*f*) Olympiodorus Photii *Bibliotheca* pag. 184. ubi: Ἰοβῖνος ἐν Μουνδιακῷ τῆς ἑτέρας Γερμανίας, κατὰ σπουδὴν Γώαρ τοῦ Ἀλανοῦ καὶ Γυντιαρίου, ὃς φύλαρχος ἐχρημάτιζε τῶν Βουργουντιόνων, τύραννος ἀνηγορεύθη.

(*g*) Lib. XIV. Cap. I. pag. 435.

(*h*) *De Gubernat. Dei* Lib. VI. pag. 211. 227. & 233.

(*i*) Olympiodorus apud Photium pag. 186.

An. Chr. 413. Burgundiones hoc anno ſedem in Alſatia & reliqua Germania Prima fixiſſe putantur, argumentis ex Proſpero Aquitano & Caſſiodoro petitis, quorum ille Burgundiones partem Galliæ, Rheno propinquam, hic vero partem, Rheno conjunctam, obtinuiſſe ſcribunt. Rem vero ſupra (*l*) diſcuſſimus, oſtendimusque, non Alſatiam, nec Germaniam Primam, ſed Helvetiam, qua Rhenum inter & Juraſſum extenditur, à Burgundionibus fuiſſe poſſeſſam; dum Alemanni noſtras, à Rauracis ad Moguntiacum usque, poſſiderent regiones.

§. CXIV.

An. Chr. 435. Burgundiones, ex Maxima Sequanorum, ubi conſederant, in Belgicam Primam irruentes, ab Aetio, Romanorum ſub Valentiniano III. Imp. Duce, profligantur. (*m*) Gundicarius tum eorum Rex fuit, qnem adverſus Romanos rebellaſſe, at mox eo redactum eſſe, ut pacem ſupplex expeteret, Cassionorus & Prosper Aquitanus in *Chronicis* tradunt. Pace nonniſi annua Gundicarius, neſcio quo fato, gaviſus eſt, ab Hunnis (*n*) ſcilicet, ipſi per Aetium forſan immiſſis, cum maxima populi ſui parte ac regia ſtirpe, ut iidem Scriptores habent, trucidatus atque deletus. Inatius (*o*) viginti millia Burgundionum cæſa memorat, additque Socrates, (*p*) Hunnos poſtea frequentibus Burgundiones, qui ſupererant, latrociniis vexaſſe ac irruptionibus, ut hi Chriſtianis ideo ſacris animum tandem adjecerint, quo felicius cæterorum Chriſtianorum auxilio Hunnos, infenſiſſimos hoſtes ſuos & paganicæ religioni deditos, debellare poſſent. Socrates qua ratione cum Orosio, (*q*) Burgundiones An. CCCCXVI. jam ad Chriſtum converſos ſcribente, conciliandus ſit, Tillemontius (*r*) paucis exponit. Tum Bucherius (*s*) eos ex Germania Prima, ubi per XXIII. annos regnaverint, in Sabaudiam Genevamque, Aetii victoris arbitrio, translatos exiſtimat, in majus iterum nomen ſub alterius ſtirpis Regibus reſurrecturos, moxque ad Ararim & Lugdunum usque propagandos. Heic etiam à Gothis vicinis Ariana imbutos eos fuiſſe hæreſi creditur, in qua centum plus annis, donec ipſorum à Francis regnum everteretur, Burgundiones perſtiterunt: Clotildis tamen, Clodovei I. uxor Burgundica, non fuit Ariana.

§. CXV.

An. Chr. 451. Attila, Rex Hunnorum fortiſſimus, ex Pannonia, ripas Danubii legens, Galliam in Sequanis primum, ubi Rhenum transiit, (*t*) dein univerſam prope devaſtat ac populatur miſerrime. Sidonius Apollinaris (*u*) quidem plures Germaniæ populos, qui Attilæ ſe junxerint, atque inter hos Francos (*x*) ac Burgundiones, recenſet; nullibi vero Alemannos, qui ab initio ſeculi ſiniſtram Rheni ripam jam occupaverant. Hos ergo, tum poſſeſſores Alſatiæ, non benigne habitos, nemo non videt: loca cis Rhenum ab ipſis occupata, nec vero plane everſa, vel utcunque reſtituta, Hunni jam penitus deſtruxerunt; id quod de Auguſta Rauracorum ſuo loco oſtendimus. Argentoratum vero, Nemetes & Vangiones, idem fatum habuiſſe, quod præter alios multos Bucherius (*y*) ſcribit, nos nondum plane admittimus, niſi firmioribus probetur argumentis, urbes has poſt Vandalicam irruptionem, qua deletæ ſunt, iterum fuiſſe reſtitutas. (*z*) Vaſtato Rheno Superiore ad Moguntiacum usque, (*a*) Hunni ad Galliam interiorem, & quidem Metim verſus, profecti ſunt. In ipſo Paſchatis feſto quum Metim pervenerint, urbem incendio tradiderunt, populum trucidarunt gladio, ipſosque Sacerdotes Domini ante ſacroſancta altaria, uti Gregorius Turonicus (*b*) loquitur, è medio ſuſtulerunt. Paulus Diaconus (*c*) everſionem hanc urbis Metenſis paulo diſtinctius enarrat, ita quidem, ut prima ejus, quod ob murorum fortitudinem inex-

(*l*) Pag. 266. §. CCL.

(*m*) Sidonius Apollinaris in *Aviti Panegyr.* vers. 234.

(*n*) Paulus Diaconus *de Epiſcopis Metenſ.* pag. 173. ait: " Attila . . . poſtquam Gundicarium, Bur-
" gundionum Regem ſibi occurrentem, protriverat,
" ad univerſas deprimendas Gallias ſuæ ſævitiæ rela-
" xavit habenas.

(*o*) In *Chron.* ad Olymp. CCCIV. qui in annum Chr. CCCCXXXVII. incidunt; ſed Prosper Aquitanus & Cassiodorus rem hanc in An. CCCCXXXVI. ponunt.

(*p*) *Hiſt. Eccleſ.* Lib. VII. Cap. XXX.

(*q*) Lib. VII. Cap. XXXII.

(*r*) *Hiſt. des Empereurs* Tom. VI. pag. 89

(*s*) Lib. XVI. pag. 487. §. VI.

(*t*) Vide ſupra pag. 178. §. C.

(*u*) *Carm.* VII. vers. 319. ſqq.

(*x*) Pars quædam Francorum adhæſit Attilæ, quæ nempe Regis eorum Clodionis, nuper defuncti, filium natu majorem ſecuta. Minor, qui fuit Merovæus, pro Aetio ſtetit, Romanorum in Gallia Duce. Hunc adhuc imberbem Romæ viderat Priſcus Rhetor: hunc adoptavit Aetius. Vid. *Excerpta* ex Prisci Rhetoris & Sophiſtæ *Hiſtoria*, Tom. I. Corp. *Hiſt. Byzant.*

(*y*) *Belg. Rom.* pag. 512. §. II.

(*z*) Conf. pag. 220. ſqq.

(*a*) Imo nec indubiis plane documentis conſtat, Attilam ad Moguntiacum usque deſcendiſſe: Legendæ Sanctorum hoc tradunt. Sic Aureum, urbis hujus Epiſcopum, cum Juſtina ſorore interfectum Serarius refert *Rer. Mogunt.* Lib. II. Cap. XVII.

(*b*) *Hiſt. Francor.* Lib. II. Cap. VI.

(*c*) *De Epiſcopis Metenſibus*, in Freheri *Corp. Francicæ Hiſt.* pag. 173.

inexpugnabilis videretur, obſidione ſoluta, Hunni ad Scarponnam, caſtrum XII. inde millibus paſſuum diſtans, receſſerint, nec prius urbem in ſuam redegerint poteſtatem, quam ipſius mœnia fatorum corruiſſent injuria. Tunc "incendiis & rapinis univerſa „ vaſtantes, (inquit) plures è civibus cum eis, qui baptiſati fuerant, parvulos inter- „ emerunt: reliquos vero, qui exitio ſupereſſe poterant, ſimul cum S. Auctore „ Epiſcopo captivos abducunt. „ Quomodo poſtea captivi hi libertati ſuæ ad Decem pagos, (*Dieuze*) quo ſe Hunni converterant, redditi ſint, idem Paulus Diaconus exponit. Aurelianum inde progreſſus Attila, mox re infecta Catalaunicos in campos rediit, impetum hoſtium Romanorum expectaturus. Aetium Francorum Rex Meroveus & Theodoricus, Viſigothorum Rex, ſuis copiis juverant; quum ab Attilæ partibus Gepidæ præſertim ſtarent & Oſtrogothi, aliæque nationes Barbaricæ. Primo pugnæ, quæ in Catalaunicis campis inita, conflictu XV. millia in univerſum cecidere. (*d*) Reſtaurato hora poſt meridiem tertia vel quarta prœlio, tanto utrimque pugnatum eſt furore, nt cum Theodorico, Rege Viſigothorum, quorum virtus potiſſimum eminuit, innumerabilis hominum multitudo, quæ ad minimum centum ſexaginta quinque millia (*e*) confecit, proſtrata ſit ac interfecta. Victoriam ideo Romanis adſcribunt, quod Hunni, quum nox pugnæ finem impoſuiſſet, amiſſa prœliandi fiducia, non redierunt in aciem, ſed Rhenum verſus, unde venerant, abſque ulla tamen feſtinatione, quæ fugæ ſimilis eſſet, regreſſi ſunt. Attila per easdem ſine dubio provincias, quas Galliam invadens primum intraverat, hoc eſt, per Germaniam Primam & Maximam Sequanorum, reverſus eſt. Ex Gallia enim Pannonias, quas reliquerat, iterum petiit, ea nempe via, quæ juxta Danubium ducta; vaſtationem ſuperiori mox illaturus Italiæ.

§. CXVI.

Poſthæc ingens Alſaticæ Hiſtoriæ hiatus exoritur, non modo ob raritatem illius ævi Scriptorum, ſed & quod Romani, ex Superioris Inferiorisque Rheni ora rejecti, Superiorem totam Alemannis, poſſeſſoribus novis, relinquere coacti, nihil in oris his memorabile geſſerunt: uti Inferiorem mox Franci ſuis quoque armis occuparunt; fine ſeculi bujus in ipſos dominaturi Alemannos. Ab eo enim tempore, quo Stilico limitaneos milites à Rbeno revocaverat, ut barbaris aperiret Imperium, nullus ex Imperatoribus reſtauravit hunc limitem, nec reſtaurare potuit, quod omnes temporum illorum circumſtantiæ oſtendunt. Aviti autem Imperatoris temporibus An. CCCCLV. Alemannos adhuc occupaſſe Alſatiam, Sidonius Apollinaris (*f*) Arvernorum Epiſcopus teſtatur, Rhenum eos Romanis ripis bibiſſe & utroque in agro, Germanico nempe Gallicoque, *vel cives, vel victores* agitaſſe, diſertis verbis profeſſus. Sive enim Alemannus in Germanica Rheni ora *Civis*, in Gallica *victor*, ſive in ntroque *Civis victorque* apud Sidonium intelligatur, utramque profecto Rheno ripam tum occupavit; quam nec ſub Valentiniano III. Aetius, nec Maximus, Valentiniani ſucceſſor, nec ipſe Avitus, nec ullus ſucceſſorum ejus inde ejecit, imo ſi temporum illorum ſtatum perpendas, ne quidem ejicere potuerat. Ulricus Obrechtus (*g*) quidem ex Sidonianis his verbis de Avito:

Ut primum ingeſti pondus ſuſcepit honoris,
Legas, qui veniam poſcant, Alemanne, furoris,

colligit, Avitum, à Maximo Imperatore Militiæ Gallicæ quum crearetur Magiſter, ſolo nominis ſui terrore, omnem tam luculentorum progreſſuum fructum intervertiſſe Alemannis. Verum hæc Alemannorum è Gallia ejectio ardui operis erat, nec niſi poſt cruentam victoriam potuerat obtineri. Furor ergo, cujus veniam popoſcerunt Alemanni, irruptionem eorum in Galliam interiorem concernit, à qua Avitum eos retinuiſſe, ex verbis his Sidonianis conjicimus. Imperatores, qui Avitum ſecuti ſunt, ne Italiam quidem quum defendere potuerint, qui Alemannos ex Gallia omni potuiſſent ejicere? quæ inter Francos, Burgundiones, Viſigothos & Alemannos, pridem fuit diviſa, cum Romulus Auguſtus, Oreſtis filius, An. CCCCLXXVI. Occidentis Imperatorum ultimus, periret.

(*d*) Jornandes *de Reb. Get.* Cap. XLI.

(*e*) Idatius in *Chron* & Isidorus Hispal. in *Hiſt. Goth.* utroque prœlio trecenta ferme hominum millia cecidiſſe referunt. Jornandes vero ſcribit: " ab utrisque partibus CLXV. millia cæſa, exceptis „ XV. millibus Gepidarom & Francorum, qui ante „ congreſſionem publicam noctu ſibi occurrentes, „ mutuis concidere vulneribus. „ Du Bos *Hiſt. Critique de la Monarchie Françoiſe Liv.* II. *Chap.* XVII. Scriptores hos ita conciliat, ut ab illis omnes plane, & prœlio, & morbo, & in obſidionibus alibique utrimque deletos, computari, à Jornande vero ſolos, qui in Campis Catalaunicis periere, intelligi cenſeat.

(*f*) In *Panegyrico*, quem Avito Aug. Socero ſuo dixit, ſive *Carm.* VII. vers 174. ſqq. Vide ſupra pag. 258. Carmen hoc ſcriptum Valentiniano VIII. & Antemio Coſſ. An. CCCCLV.

(*g*) *Prodrom. Rer. Alſat.* Cap. V. *pag.* 28. Vide quæ ſupra pag. 258. annotavi.

§. CXVII.

An. Chr. 496.

Romanorum ergo in Alſatia Imperium, ſeculi V. initio, everterunt Alemanni; Alemannorum Dominatum, ejusdem ſeculi fine, viſi ſunt evertere Franci, maximam Belgicæ partem imperio ſuo pridem complexi. Apud Francos, perinde ut apud Alemannos, ſinguli fere Pagi majores habuere ſuos Reges, vix Regulis pares; qui in veteri Trans-Rhenana atque deinceps, tranſito Rheno, in Germania Secunda, Belgicaque regnarunt, quos inter Colonienſem atque Cameracenſem Annales recenſent. Coloniæ Agrippinæ Sigebertus, Cameraci vero Ragnacharius Regiam ſuam ſedem habuerant. Felices hos Francorum progreſſus invidis Alemanni oculis aſpexiſſe videntur; à pluribus quoque annis Galliæ imperium animo agitantes. Bellum hinc inter Alemannos (*h*) & Francos, in quo aggreſſores procul dubio Alemanni; quod pugna commiſſa fuit in Germania Secunda, à Francis occupata. Prima Alemannorum in Sigebertum, Francorum Ripuariorum Coloniæ Regulum, Rheno & Alemannis viciniorem, converſa ſunt arma. Clodoveus, qui ab An. CCCCLXXXI. apud interiores Francos, verſus Sequanam regnavit, facile intellexit, Sigeberto everſo, ſuum quoque regnum Alemannis patere. Ut primum ergo Alemannorum, quibus Suevi à nonnullis (*i*) junguntur, motus acceperat, cum exercitu ad Rhenum contendit, hoſtibusque ad Tulbiacenſe oppidum, uti GREGORIUS TURONENSIS (*l*) appellat, occurrit. Tunc atrox, & ſi quod unquam, memorabile prœlium commiſſum eſt, in quo Franci, præter ſpem omnem, ſuperiores evaſerunt.

§. CXVIII.

Clodoveus in eo jam erat, ut cum Sigeberto, qui genu vulnus accepit, (*m*) in fugam converteretur, immani Francorum per Alemannos edita cæde. Nec dubitant Scriptores, (*n*) quin Clodoveus prœlio vincendus fuiſſet, niſi Chriſti, quem gentilis huc usque contempſerat, opem, Aureliani, Conſiliarii ejus, ſuaſu imploraſſet; eorum ſcilicet memor, quæ ex Clotilde uxore ſua Chriſtiana, Burgundico Regum ſtemmate orta, ſæpius audierat. Votum ergo ejus ad Chriſtum (*o*) ſecuta mox victoria ſcribitur, & tanta quidem cum felicitate, ut Alemanni, occiſo eorum Rege, (*p*) cæſi, capti, cum omni Alemannia, Francicum jugum ſubire cogerentur. "Cum hæc „ diceret, (inquit GREGORIUS) Alamanni terga vertentes, in fugam labi cœperunt. „ Cumque Regem ſuum cernerent interemptum, Chlodovechi ſe ditionibus ſubdunt, „ dicentes: Ne amplius, quæſumus, pereat populus; jam tui ſumus. At ille prohi- „ bito bello, coartatoque populo, cum pace regreſſus, narravit Reginæ, qualiter per „ invocationem nominis Chriſti victoriam meruit obtinere. „ ANONYMUS, qui *Geſta Regum Francorum* ſcripſit, & RORICO Monachus, diſtinctius aſſerunt, Alemannos Clodoveo tributarios factos eſſe, poſtquam eorum terras, quo victi confugerant, multum eſſet populatus.

§. CXIX.

(*h*) Non Alemanni modo cis Rhenum, ſed & Trans-Rhenani, conjunctis viribus, bellum Francis intuliſſe videntur, quod de Galliæ tum imperio Alemannos inter Francosque agebatur; pugna Tolbiacenſis rem omnem decidit.

(*i*) Auctor Anonymus *Geſt. Reg. Franc.* Cap. XIV. Alemannos & Suevos ſeculo V. nonnunquam diſtingui, obſervarunt jam plures. Nomen Suevorum tamen paullatim prævaluit, uti hoc tempore Alemanni adhuc prævaluiſſe videntur, qui illos forte in fœdus receperant. Conf. Du Bos *Hiſt. Crit. de la Monarch. Françoiſe* Tom. II. pag. 70. ſq.

(*l*) *Hiſt. Francor.* Lib. II. Cap. XXXVII. Idem Lib. III. Cap. VIII. *Tulbiacenſis Civitas* habet. *Tulbiacum Caſtrum* legitur in *Fragm. de Reg. Franc. Reb. pie geſtis*, apud DU CHESNE Tom. I. pag. 568. & in *Geſt. Reg. Franc.* Cap. XXXVIII. ibid. pag. 715. Verum quidem eſt, GREGORIUM TURONENSEM Tulpiaci nomen non eo in loco memorare, ubi de pugna Clodovei cum Alemannis loquitur, uti nec reliqui, quos allegavimus, Scriptores id faciunt; in tranſitu tamen illud memorat his verbis: "Habebat „ (Clodoveus in Vogladenſi prœlio) in adjutorium „ ſuum filium Sigiberti Claudi, nomine Chloderi- „ cum. Hic Sigebertus pugnans contra Alemannos „ apud Tulbiacenſe oppidum, percuſſus in genicu- „ lum claudicabat. „ Tulbiacenſe hoc prœlium idem illud eſſe, quod ſuperius deſcripſerat, quodque Clodovei ad Chriſtianismum converſioni occaſionem dedit, vix dubitare licet. Per Tulbiacum vero, ſive Tolbiacum, uti ex Tacito plerumque à junioribus ſcribitur, nos quoque vicum *Zulch*, *Zulpich*, in Ducatu Juliacenſi ſitum, intelligi poſſe arbitramur.

(*m*) GREGORIUS TURON. ibid.

(*n*) Idem Lib. II. Cap. XXX. ANONYMUS in *Geſt. Regum Francor.* Cap. XV. apud. DU CHESNE *Scriptor. Rer. Franc.* Tom. I. pag. 701. & RORICO *Geſt. Francor.* Lib. II. ibid. pag. 806.

(*o*) Tranſitum ad Chriſtiana Sacra Chlodoveco gratulatur AVITUS Viennenſis Epiſcopus peculiari *Epiſtola*, quæ ordine XLI. inter Epiſtolas à SIRMONDO editas, Tom. II. *Opp. Sirmondi* pag. 56. Edit Venet.

(*p*) Quale hujus Regis nomen fuerit, ignoratur. Sunt tamen qui illud ſe inveniſſe putant in EUGIPP. *Vita Severini* Cap. VI. §. XXVII. pag. 491. ubi Gibaldus Rex occurrit, ſub quo Alemanni Danubium hoc circa tempus tranſiiſſe, & provincias ultra fluvium illum ſitas invaſiſſe dicuntur.

§. CXIX.

Sic Alſatiam noſtram, magna cum parte Germaniæ Primæ, imo & Trans-Rhenanæ Germaniæ tractum, quem Alemanni tenuerant, quique *Alemannia* appellari tum cœperat, à Clodoveo petitam & Francico regno adjectam, plures nobis circumſtantiæ produnt. Goodfredus Henschenius (*q*) in urbis Argentoratenſis vicinia pugnam hanc pugnatam fuiſſe exiſtimat. Verba ejus ita ſe habent: “Circa partes, Argentorato vicinas, pugnam contigiſſe arbitramur; primo, quod ab altera Rheni parte ſedes Alemannorum fuerit; ſecundo ac potiſſimum, quod cum Remos Sueſſionesque feſtinans repeteret, transierit Tullum urbem & pagum Vongiſum ad fluvium Axonam, quæ loca inter Argentoratum & Remos interjacent. Recentiores Scriptores prœlium hoc aſſignant Tulpiaco, vulgo *Zulich*, oppido Ducatus Juliacenſis: ſed itinere diei à Rheno diſtat, & erat tum ſub regno Sigeberti Regis Colonienſis, qui iſtic ſecundum Gregorium Turonenſem pugnans contra Alamannos percuſſus in geniculum claudicavit: quod in alia hoſtium irruptione factum fuerit. Nec enim ad ſedem regiam rediturus Clodoveus Tullum veniſſet.„ Sed omnes, quas Henſchenius pro ſua ſententia affert, rationes, ex *Vedaſti vita*, quam Alcuinus emendavit, deprompte, facile corruunt, ſi Clodoveum poſt pugnam Tolbiacenſem noſtras in oras, ut Alemannicas terras ſubigeret, veniſſe, ac inde per Tullum ad Rhemos, ubi baptiſmum ſuſcepit, perveniſſe ſtatuatur. Non enim Clodoveus, quod ibidem traditur, baptiſmi tam cupidus fuit, ut ſtatim ex loco prœlii ad Rhemos properaverit, quum Gregorius Turonenſis ipſe populum Alemannicum, à Clodoveo coarctatum fuiſſe perſcribat, quibus verbis Bucherius (*r*) damnum Alemannicorum finium cis Rhenum intelligit; reliqua gentis trans Rhenum onerata tributo, Franciſque ſubjecta, ita tamen, ut ſuis adhuc legibus Alemannos vivere Clodoveus permiſerit. Tranſitum ejus in Alemanniam veterem inter alia teſtimonia Epiſtola (*s*) Theodorici, Regis Oſtro-Gothorum in Italia, quam ad Clodoveum hoc tempore ſcripſit, manifeſte arguit. Alemannorum enim plures ſuga ſalutem in Italia quæſiviſſe, & gentem iſtam innumerabilem partim ferro, partim ſervitio ſubjugatam eſſe, Theodoricus perſcribit. Ennodius (*t*) Alemannos intra Italiæ terminos, ſine Romanæ poſſeſſionis detrimento, à Theodorico in fidem receptos memorat. (*u*)

Quodſi autem Clodoveus Alemannos trans Rhenum ſibi ſubjecit, multo magis Rauraci, Sequani noſtri Rhenenſes, Triboci atque Nemetes, ſub Alemannorum tum degentes Imperio, Francicum Clodovei tunc imperium ſubierunt. Cl. Du Bos (*x*) Rauricos, ſive Baſiliam Civitatem Clodoveo ſubjectam fuiſſe, ex ſubſcriptionibus patrum Aurelianenſis Concilii, An. DXI. habiti, probare conatur, cui Adelphium, Epiſcopum Rauricenſem, nomen quoque ſuum adjeciſſe, plurium aliorum ſententia innixus, exiſtimat. Adelphium vero hunc *Ratiatenſem*, adeoque Pictavorum, non *Rauricenſem* extitiſſe Antiſtitem, jam ſupra (*y*) à nobis oſtenſum, ſicque Clodovei in Rauracos imperium ex Concilio hoc adſtrui nequit. Ex Epaonenſis Synodi, An. DXVII. à Sigiſmundo, Burgundiæ Rege, habitæ, Actis ſupra jam docui, Burgundici Regni prioris membrum non fuiſſe Baſiliam: Burgundica autem ſi non fuit, Francicam fuiſſe neceſſe eſt. Baſilia ergo cum Alſatia noſtra ab Alemannorum dominatione tum in Francicam tranſiit. (*z*)

§. CXX.

(*q*) In *Not. ad Vitam S. Vedaſti*, Epiſcopi Atrebatenſis quæ in *Act. Sanctor.* die VI. Februarii legitur, pag. 796.

(*r*) *Belg. Rom.* Lib. XIX. Cap. XI. pag. 579. §. III. Bucherio conſentit Du Bos *Hiſt. Critique de la Monarchie Françoiſe* Tom. II. pag. 66. & 71. ſq.

(*s*) Eſt hæc Epiſtola XLI. in Cassiodori Senatoris *Variar.* Lib. II. ubi Theodoricus his inter alia verbis utitur: “Gratulamur . . . quod Alamannicos populos, cauſis fortioribus inclinatos, victrici dextera ſubdidiſtis. . . . . Eſtote illis remiſſi, qui noſtris finibus celantur exterriti. Memorabilis triumphus eſt, Alamannum acerrimum ſic expaviſſe, uti tibi eum cogas de vitæ munere ſupplicare: ſufficiat illum Regem cum gentis ſuperbia cecidiſſe: ſufficiat innumerabilem nationem partim ferro, partim ſervitio ſubjugatam. Nam ſi cum reliquis confligis, adhuc cunctos ſuperaſſe non crederis. In talibus cauſis accipe frequenter expertum. Illa mihi feliciter bella provenerunt, quæ moderato fine peracta ſunt.„ Bojos etiam hoc tempore à Clodoveo ſubactos, Aventinus *Annal. Bojor.* Lib. III. Cap. I. exiſtimat.

(*t*) In *Panegyrico Theodorici Regis* pag. 311. conf. Valesius *Hiſt. Francor.* Lib. VI. pag. 257. Quæ Fredegarius Scholiaſt. in *Hiſt. Francor. Epitom.* Cap. XXI. habet, quod Alemanni ſe Clodoveo tum demum dederint, poſtquam per novem annos ſedibus ſuis extorres fuerant, nec ullum reperire auxilium poterant, id de iis forte Alemannis intelligendum, qui trans Danubium & Alpes migrarunt. Vid. du Chesne *Script. Rer. Franc.* Tom. I. pag. 729.

(*u*) In Rhætia quoque & Norico Alemannorum exulum partem ſedes fixiſſe, ſub Theodorici auſpiciis, ex Cassiodori *Epiſtola* L. Libri III. *Variar.* conjicit Du Bos loc. cit. Lib. IV. pag. 67. & 69.

(*x*) *Hiſtoire de la Monarchie Françoiſe* Lib. IV. pag. 73.

(*y*) Pag. 260. §. CCXLI. ſqq.

(*z*) Burgundiones in Alſatia ounquam, niſi forte in tranſitu, dominatos eſſe pag. 261. adſtruxi. Alſatiam noſtram Burgundionibus quoque aſſignat Du Bos loc. cit.

§. CXX.

Summa rerum Periodi Romanæ.

Alſaticorum hæc Annalium ſeries, ex omnibus Romani Ævi Monumentis, in unum concinnata Corpus, duplicem nobis ſtatus ejus publici imaginem, lætam nimirum atque miſerrimam offert. Læta trium priorum Æræ Dionyſianæ ſeculorum decurſu ſat conſtanter duravit, quamdiu Trans-Rhenenſe illud Vallum in Germania ſubſtitit, quod Sequanicam, Tribocicam, Nemetenſemque noſtram Oram, firmiter præcinxit, omnesque contra irruptiones defendit. Alemannis, Valli ejus accolis hoſtibusque perpetuis, circa Aureliani Imp. tempora, quidem favit fortuna, ut vallum perrumperent, unde malorum, Alſatiam inundantium, lerna; ſed nonniſi temporaria hæc irruptio fuit, Alemannis Probi Imp. virtute fortitudineque non modo trans Rhenum, ſed & trans Vallum ipſum relegatis, quod opus Hadriani Probus reſtauravit de novo. Verum & hoc Probi Vallo Diocletianeis temporibus in perpetuum everſo, ita ut à nullo Imperatorum reſtitui potuerit, Rhenus ſolus deinceps, uti Julii & Auguſti Cæſarum temporibus fuerat, limes Imperii evaſit; (*a*) contra tam perfidum, (*b*) numeroſum, avidumque hoſtem, fluminis trajiciendi peritum, lintribus ſuis ſemper paratum, non firmus ſatis cuſtos atque repagulum. Ex illis enim, quæ idoneorum Auctorum, AMMIANI MARCELLINI præſertim, duri quidem, at docti Scriptoris, fide retulimus, patuit, Alemannos quotiescunque occaſio illis nata, neglectis conditionibus pacis, publica ſuæ in Romanos perfidiæ documenta dediſſe. Tartaros, non Germanos, Sueviam & Franconiam hodiernam tum inhabitaſſe cenſeres, quibus nulla conſtantior, quam in rapinis & latrociniis, fides, ſola in armis fiducia. Audaciam Gentis Politicarum & Militarium artium, à Romanis tum neglectarum, defectus adauxit. Præſidiarius miles revocatus à Rheno, arces & caſtella non ſatis firmatæ, bellicoſam & avidam gentem ad fertilia Galliæ Rhenenſis arva occupanda invitare videbantur. Limite Rheni autem ab illis perrupto, ipſa Vogeſi Clauſtra male cuſtodita, aditum ferociſſimo hoſti non reddidere difficilem; à quibus Alſatia, primo ſtatim impetu, inde ipſa interior Gallia, omni fere ſeculo IV. miſere afflictæ fuerunt. Nec ulla in his oris tranquillitas, niſi admiſſo Alemannico jugo, ſperanda; quod Alſatia toto fere ſeculo V. pertulit, cæteros Barbaros, Rhenum transeuntes, qui præter Burgundiones & Hunnos oram noſtram attigerunt, nonniſi in tranſitu videns.

§. CXXI.

SALVIANUS, ex Germania Secunda Colonia-Agrippinenſis origine, Vir pius & doctus, apud Maſſilienſes Presbyter, Barbaricarum incurſionum harum eloquens & graviſſimus teſtis, corruptos illius ævi, Gallorum præſertim Chriſtianorum, mores diluvii hujus barbarici cauſam allegat. (*c*) OROSIUS, Presbyter Tarraconenſis, qui An. CCCCXIII. S. Auguſtinum in Africa vidit, malorum in Imperio graſſantium originem in Chriſtianam Religionem à Gentilibus quum videret devolvi, calamitates multo majores olim, dum Ethnica ſola vigeret religio, regnaſſe docuit. (*d*) D. AUGUSTINUS vero, iisdem temporibus in Africa ſcribens, humanis virtutibus nonniſi præmia humana à priſcis Romanis attributa fuiſſe, diverſamque plane Civitatis Dei à civitate hujus mundi rationem eſſe, demonſtrare ſategit. (*e*) Chriſtianorum nempe Scriptorum indignationem præſertim excitaverat, doctus illius temporis Scriptor gentilis, SYMMACHUS, Romæ Senator atque Præfectus, qui in *Relatione pro Ara Victoriæ*, quam Imperatori Valentiniano obtulit, Apologiam Gentilium ſuſcepit, infenſum Chriſtianæ Religioni animum prodens ubique, quem D. AMBROSIUS, Mediolani tum Epiſcopus, refellere ſtuduit. Quæcunque malorum iſtorum extiterit origo, Alſatia toto fere ſeculo V. Alemannica fuit, nonniſi An. CCCCXCVI. tranſitura ad Francos.

(*a*) Munimenta, quorum nonniſi unum alterumve à Juliano & Valentiniano I. trans Rhenum reſtituta fuiſſe legimus, breviſſimi temporis & in partibus, Moguntiaco vicinioribus, conſtructa fuerunt, adeoque nullo Alſatiæ noſtræ extitere Præſidio.

(*b*) Alemannicæ in Romanos perfidiæ documenta magno numero Annales noſtri prodiderunt. PROCOPIUS *de Bello Goth.* Lib. II. Cap. XXV. Francos ſui ævi infidelitatis & violati jurisjurandi accuſat, quod longe antea VOPISCUS, *de Proculo* in fine, illis vitio verterat, quum ait, ipſis familiare eſſe ridendo fidem frangere. SALVIANUS *de Gubernat. Dei* Lib. IV. teſtatur, Francos perjurium ipſum ſermonis genus putare eſſe, non criminis; eos mendaces eſſe, ſed hoſpitales. Nihil ſimile Francis exprobrat AGATHIAS, paulo junior Procopio.

(*c*) SALVIANUS in Libris VIII. *de Providentia & Gubernatione Dei*, quos apud Maſſilienſes Presbyter ſcripſit. Memorabilis locus, Lib. VI. Cap. XV. ubi Trevirorum urbem alloquens ait: *Quia te tria excidia non correxerant, quarto tu perire meruiſti.*

(*d*) In Libris VII. *Hiſtoriarum adverſus Paganos.*

(*e*) In Libris XXII. *de Civitate Dei contra Paganos*, quos An. CCCCXIII. contexere cœpit, An. CCCCXXVI. abſolvit.

LIBRI

LIBRI SECUNDI

SECTIO SEXTA.

ALSATIÆ ROMANÆ

MONUMENTA.

§. I.

Monum. Alſatiæ Romanæ paucitas.

GEographicam, Civilem & Sacram Alſatiæ Romanæ delineationem, quam dedimus, Monumenta ſequuntur, quæ poſt tot ruinas & Alſaticarum regionum everſiones, poſt tot bellorum incendia, ex tanto ſeculorum intervallo, in oris his noſtris adhucdum ſuperſunt. Enimvero in florentiſſimo Rauracorum, Sequanorum, Tribocorum, Nemetumque Rheni tractu quinquaginta leucarum, tot itineribus pervio, in quo illuſtres & populoſæ urbes & uppida, ſtationes Romanæ, caſtella, fabricæ plures, quem mercatura & negotiatorum multitudo ornavit divitiis, non potuit non Marmorum Literatorum, Cipporum, Lapidum ſepulcralium, leugarium milliariumve, Ararum, Ædicularum, Ædium, Templorum, ſtatuarum, ſignorum, vaſorum variæque ſuppellectilis, omnis metalli atque moduli, ſacræ atque profanæ, ut & Anaglyphorum, copia immenſa reperiri. Ex omnibus bis tamen non niſi mediocris numerus noſtram tulit ætatem. Scilicet & ſua ſunt funera ſaxis; rigidæ cautes ſuas quoque experiuntur ruinas. Plura adhuc extiterant illis temporibus, quibus bonæ Literæ apud nos renatæ ſunt, quæ nonniſi proximis his ſeculis incuria periere Majorum. Itaque operi quum eſſem intentus, nilulque opis vel præſidii apud ullum Alſaticarum rerum Scriptorem reperiſſem, non ſemel cogitare cœpi, qui fieri potuerit, ut in tanta Literarum luce, quæ præ tot aliis Galliæ Germaniæque regionibus, ultra ducentos & quinquaginta jam annos, colluſtrat Alſatiam, ex omni illa Virorum Celebrium, & humanas præſertim Literas docentium, copia poſteritati operam hanc nemo præſtiterit, quum in vicinia noſtra, quos imitarentur, plurimos reperiſſent.

Aliarum regionum melius conſervata.

Præclarum enim laborem hunc apud Helvetios præter TSCHUDIUM *(a)* & STUMPFIUM, GUILLIMANNUS *(b)* atque PLANTINUS: *(c)* apud Sequanos CHIFLETIUS; *(d)* apud Metenſes MEURISSIUS; *(e)* apud Spirenſes ante hos ducentos jam annos, Presbyter illius urbis BEYELLIUS, *(f)* & poſt eum CHRISTOPHORUS LEHMANNUS; *(g)* apud Moguntinos WITTICHIUS; *(h)* apud Colonienſes STEPHANUS BROELMANNUS; *(i)* apud Suevos MARTINUS olim CRUSIUS; *(k)* apud Wirtenbergenſes ſpeciatim SIMON STUDION; *(l)* apud Vindelicos CONR. PEUTINGERUS, *(m)* laudabili ſane inſtituto, ſuſceperant. Quod ſi hanc operam JAC. WIMPHELINGIUS vel THOMAS WOLPHIUS, vel BEATUS RHENANUS, JO. SAPIDUS, JACOBUS SPIEGELIUS, HIERONYMUS GEBVILERUS,

(a) In *Deſcript. Veteris Helvetiæ* Mſc.
(b) *De Rebus Helvet.*
(c) *Helvetia Antiqua & Nova.*
(d) In *Veſontione.*
(e) *Hiſtoire des Eveques de Metz.*
(f) BEYELLII *Collectanea* edidit CASPAR BARTHIUS in *Adverſarior.* Lib. LII.
(g) *Chronici Spirenſis* Lib. I.
(h) Libro apud Jo. Schœfferum Moguntiæ An. MDXX. impreſſo in fol. ſub Tit. *Collectanea Antiquitatum in urbe atque agro Moguntino repertarum.*
(i) Libri Rubrum: *Specimen Hiſt. Vet. Civitatis Ubiorum*, fol. Coloniæ Agripp. MDCVIII.

(k) In *Annalibus Suevicis* paſſim.

(l) Vide PREGITZERUM in *Suevia & Wirtenbergia Sacra* pag. 211. Studion Ludimoderator Marpacenſis monumenta hæc An. MDXXXVIII. conquiſivit, & Ludovico Wirtenbergiæ Duci indicavit, qui ea Stutgardiam juſſit transferri.

(m) Jo. Schœfferus An. MDXX. Moguntiaci quoque impreſſit *Inſcriptiones Roman. in Auguſta Vindelic. & ejus Diœceſi reperta*, fol. Eædem jam An. MDV. Auguſtæ Vind. editæ fuerant fol. per Erhardum Ratold.

aut alius quis ex Societate illa Literatorum Argentoratenſium, quam Erasmus (*n*) tantopere extollit, poſteritati præſtitiſſet; quot Marmora, Inſcriptiones, Monumenta, quæ illo adhuc ævo ſupererant, & interea temporis perierunt, noſtro ſeculiſque futuris ſervata fuiſſent? Monumentorum Metenſium, quæ tam præclara, tam illuſtria, quæque ſuperiore ſeculo adhuc extiterant, jacturam ut æquius feramus, Meurissii ſane Libro (*o*) debemus.

§. II.

Paucitatis cauſæ.

Reſiduorum apud nos Mooumentorum paucitas in barbaros, ſpeciatim in Alemannos, Romani limitis hoſtes & vaſtatores perpetuos, ut & in ipſius Provinciæ limitaneæ, irruptionibus bellicis ſemper obnoxiæ, ſitum, plerumque conjicitur. Nec ego ſane refragor. Per hos enim urbium ædificiorumque everſores, facibus Alſatiæ illatis, oppida quum converterentur in buſta, literatos Lapides, ſtatuas, ſigna, columnas, toreumata, aliaque hujus generis Monumenta publica, magno numero ſimul periiſſe neqnit dubitari. Aſt inſecuta medio ævo Literarum barbaries, quæ præſtantiſſima Romanorum opera contempſit, Gothicisque laboribus longe poſtpoſuit, deſtructionem eorundem magis promovit, illisque plus detrimenti attulit, quam incurſantium barbarorum ſævitia, & longi ævi tempeſtas. Acceſſit Chriſtianorum in Ethnicam Religionem conceptus horror, qui ad deſtruendas Numinum Ethnicorum ſtatuas multos impulerat; cœco illo ſervore rem Chriſtianam mire promoveri exiſtimantes. Sed quid barbara præteriti ævi ſecula accuſamus, quum noſtra hac ætate, cultu Literarum tam florida, non raro eveniat, ut priſcæ hujus generis reliquiæ, poſtquam omnes ſeculorum ſuperarunt injurias, hominum noſtrorum neglectu, vel incuria pereant? qui ſi ſervandis vetuſtalium reliquiis paululum curæ adhibuiſſent, anaglyphorum, ſtatuarum, vaſorum, Lapidumque literatorum ſculptorumque, priſci moris teſtium, ſaturam lancem haberemus. Multa ergo furore barbarico, multa tempeſtatum ævique ſævitia, multa inconſulto religionis zelo, ſed plurima hominum vel illiteratorum, vel certe incurioſorum, perierunt ſopore. Ita majoribus noſtris largior Monumentorum meſſis quum ſeſe obtulerit, nobis nonniſi ſpicilegium relictum eſt; quod ne tenue nimis eſſet, ad vicinos cis & trans Rhenum Vogeſumque exſpatiati ſumus, ut modicum inde Corpus Antiquitatum prodiret. Hunc in finem etiam veteris Argentouariæ, Helveti, Brocomagi, ut & Tabernarum, Caſtrorum Munimentorumque rudera à nobis erant luſtranda, evertendi murorum antiqnorum incinctus, viſitandæ ruricolarum cellæ, perreptanda montium faſtigia, convalles & ſaltus.

§. III.

Collectionis noſtræ fautores.

Ex Monumentis his pleraque, quæ amoveri potuerant, Magnatum & Procerum liberalitate, non ſine ſumptibus atque impenſis, in Antiquariam meam aulam translata ſunt. Præcipuam eorum partem Sereniſſimi Wirtenberoensium Ducis, Sereniſſ. item Principis Hæreditarii Hassa-Darmstadiensis, ut & Illuſtriſſimorum Provinciæ noſtræ Præfectorum, Burgii nempe, Cognii, Balincurtii, Mareſchallorum Franciæ, imo & Togatorum Præſidum Dnn. Feydeao de Broo, de Vanolles, atque Commiſſarii Provincialis Regii Dn. de Gavot, munificentiæ & liberalitati me debere, gratus heic publiceque profiteor. Honoriana Lex eſt muſarum, Antiquitatem colentium, conſecrata honori, (*p*) qua Magiſtratibus Imperator injungit, ut Marmora & Æra priſca diligenter conſervent. Verum non Legis hujus, pridem antiquatæ, virtute, ſed nativa & generoſa ſua in Literas propenſione, Illuſtriſſimi hi Proceres Muſis noſtris prodeſſe ſtuduerunt. Romana autem Alſatiæ Periodus quum vix quatuor prima Chriſtianorum ſecula excedat, eidem quoque temporis ſpatio includuntur, quæ produco,. Monumenta.

Monument. Alſaticor. Epocha.

Ex omnibus his nullum Trajano antiquius, nullum Juliano Imperatore poſterius reperi. Numiſmatum autem, quæ quotidie in Alſatia omnis metalli & moduli numero ſat magno effodiuntur, Imperatorum, Cæſarum & Auguſtarum, imo & Tyrannorum, ſeries ſatis ampla confici poteſt, ſi rariora illa, præſtantioribus quoque Nummophylaciis ſæpe ignota, excipias. Obvii præ aliis Conſtantinianæ ætatis Nummi, inſequentis vero

(*n*) In *Epiſtola ad Jac. Wimpheling.* An. MDXIV. ſcripta Baſileæ; quæ adjecta eſt Libro ejus de *Copia Verbor. & rerum.*

(*o*) *Hiſtoria Epiſcop. Metenſium*, An. MDCXXXIV. impreſſæ, hæc Marmora præmiſſa ſunt; quæ utique tum extiterant, quorum hodie vero vix unum alterumque ſupereſt.

(*p*) An. CCCXCVIII. Leg. XXXVII. *Cod. Theodos. de Operibus Publ.* Honor. IV. & Eutych. Coſſ.

MONUM.

vero ſeculi Imperatores, qui exceperunt Honorium, ſe haud facile offerunt; quod Alemanni, pulſis Romanis, in hac ora fuerant rerum potiti. Ceterum neſcio, quo fato contigerit, ut inferior Alſatia præ ſuperiore Antiquitatum ſit longe fertilior. Mediomatricorum Vogeſus hoc in genere multum eſt præferendus Sequanico.

§. IV.

Quodſi in Obſervationibus noſtris non omnia ad ſeculi palatum compoſita, multa conjectationibus innixa, nec ad liquidum ſatis deducta, reperturus eſt Lector, condonabit aliquid Scriptori; qui ex denſa rerum eluctaturus caligine, fugitivas cautium notas reducere, exeſos Marmorum typos & caracteres in integrum reſtituere, male exſcripta corrigere ſatagit, atque adeo tempeſtatum violentiæ & imperitorum oſcitantiæ ſimul bellum indicere cogitur. Ejusmodi generis argumenta qui verſant, illis Livii (q) ſententia faveat; *in rebus antiquis, ſi quæ ſimilia veri ſunt, accipiantur pro veris.* Deſcriptionis eorum modus.

Quum autem Gallicæ Gentis Religionem, quæ prolaturi ſumus, Monumenta præſertim reſpiciant, cultum Deorum, apud Gallos adeoque & apud veteres Alſatas noſtros receptum, ſecuturi ſumus. Apud hos autem nullum Numen frequentius colebatur Mercurio, quem Apollo, Mars, Jupiter & Minerva, excipiunt. Ordinem hunc indicat nobis ipſe Divus Cæsar, (r) debellator Gallorum, morumque gentis omnium optime gnarus. Hunc & nos ordinem eo lubentius ſequimur, quod nulla apud Alſatas frequentiora quam ſimulacra Mercurii. Id inde procul dubio ortum, quod Tribocorum, Germanicæ Gentis, in Alſatiam adventu, Mercurii cultus non parum adauctus eſt: quando Mercurius apud Germanos non minus, ac apud Gallos, præ cæteris Numinibus magni habitus, ipſo quoque Tacito (s) teſte. Hinc Mercurialis cultus in Alſatia Mediomatrico-Tribocenſi, ſive Inferiore tam multæ reliquiæ, cujus in Superiore, ſive Raurico-Sequanica nonniſi paucæ occurrunt. Omnia autem ita diſponimus, ut ſive Metallica, ſive Lapidea, ſive fictilia, ſive vitrea, Monumenta ſint, locum priorem *ſacris*, ſecundum concedamus *profanis:* in utraque tamen claſſe Literata non Literatis præponimus. Ex Antiquaria denique ſupellectile, quam Italico comparavi itinere, nonnulla, illuſtrationis cauſa, hinc inde adjeci. Explicationis ordo.

CAPUT I.

TEUTATES SIVE MERCURIUS.

§. V.

JOvis omnia plena, tritum olim apud Romanos proverbium: apud Alſatas eorumque vicinos Mercuriorum omnia plena ſunt. Quem Græci Hermen, Romani Mercurium, hunc Galli Teutatem, (t) Germani Wodanum, (u) Sueones Odinum, appellarunt. Hoc Galliæ Belgicæ nomen quum intuliſſent Germani, alterum Teutatis in Mercurii nomina.

 Celtica

(q) Lib. V.

(r) *De Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XVII. ubi: « Deum maxime Mercurium colunt, . . . poſt hunc „ Apollinem, & Martem, & Jovem, & Minervam.

(s) Tacitus in *Germania* Cap. IX. *Deorum maxime Mercurium colunt.*

(t) Teutates, Theutates, forte ab Ægyptiorum Mercurio *Thoth*, qui primo menſi Ægyptiorum nomen dedit. Plato in *Phædro*, Cicero *de Nat. Deor.* Eusebius *de Præparat. Evangel.* Apud Phœnices cultus ſub nomine *Thaaut* ſeu *Thaut.* Plato in *Philebo.*

(u) *Wodan*, nomen Mercurii, quo Germani Belgicæ habitatores & Angli utuntur. Jo. Loccenius in *Lexico Juris Sueo-Gothico* pag. 87. dicit *Odensdagh*, diem Odini, eſſe *diem Mercurii.* Apud Anglos idem Mercurii nomen adhucdum ſubſiſtit. Paulus Warnefridus, vulgo Diaconus, *de Geſtis Longobardorum* Lib. I. Cap. IX. ait: « *Wodan*, „ quem adjecta litera *Guodan* dixerunt, ipſe eſt, „ qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab univerſis Germaniæ gentibus ut Deus adoratur. „ Vid. Muratorius in *Notis ad P. Diaconum* Tom. I. *Scriptorum Rer. Ital.* pag. 411. & Hugo Grotius in *Prolegom. ad Hiſt. Gothorum & Vandalor.* pag. 22. Conſentiunt Ordericus Vitalis Lib. VII. pag. 639. & Wilhelm. Malmesbur. *de Geſtis Reg. Angl.* Lib. I. Cap. I. & Matth. Westmonaster. pag. 155. Lipsio litem hac ſuper re movit Cluverius *German. Antiq.* Lib. I. pag. 226. Othini vel Vodani uxor *Frigga*; *Freja* autem filia ejus à Sueonibus habita, Veneri Romanorum comparata, unde *Freidag* Germanis Dies Veneris. Olai Wormii *Monumenta Danica* Lib. I. Cap. IV. De Uuodano à nobis actum eſt ſupra pag. 72. §. LXXVI. in Not. Adde Haltausium in *Calendario medii ævi*, §. IV. pag. 8.

MONUM.

Celtica perſtitit. Romana dominatio Latinum ſuperaddidit Mercurii nomen, quod cæteris appellationibus paulatim prævaluit. Mercurios quinque retulit Cicero: (x) " Mercurius unus, (inquit) Cœlo patre, Die matre natus; cujus obſcœnius excitata „ natura traditur, quod aſpectu Proſerpinæ commotus ſit: alter Valentis & Phoronidis „ filius, is qui ſub terris habetur; idem Trophonius: tertius Jove natus & Maja, „ ex qua & Penelopa Pana natum ferunt. Quartus Nilo patre, quem Ægyptii nefas habent, „ nominare. Quintus, quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interfeciſſe, ob „ eamque cauſam Ægypto præfuiſſe, atque Ægyptiis leges & literas tradidiſſe; hunc „ Ægyptii Thoyth appellant, eodemque nomine anni primus menſis apud eos vocatur. „ Lactantius Grammaticus quatuor tantum admittit Mercurios. Id certum, ad Jovis & Majæ filium res geſtas cæterorum fuiſſe relatas. Mercuriorum noſtrorum Alſaticorum Imagines, quarum magna copia ſupereſt, characteribus ſuis declarant, Mediomatricos noſtros, mixtos Tribocis, ſive Alſatas Inferiores Gallo-Germanos, Teutatem atque Vodanum ſuum, qui inter eos jam promiſcuus fuerat, cum Mercurio denique Majæ, quem Romani coluerant, miſcuiſſe.

§. VI.

Mercurii ſigna. In omnibus enim noſtris Saxis atque Marmoribus juvenis, agilis atque formoſus, repræſentatur Mercurius, modo nndus, modo levi cum pallio, dependente ab humeris, at nuditatem raro tegente; petaſum alatum geſtans, niſi quod ſubinde alæ capiti ipſi, prouti pedibus quoque, imo & caduceo quandoque additæ cernuntur, ſive virgæ illi duobus circumvolutæ ſerpentibus. Græcus & Romanus Mercurius virgam infima ſui parte tenet. Noſtri Alſatici ſuperiorem ſæpe partem, ubi ſunt angues, contrectant, aut teneot inverſam, aut angues plane detorquent. Inſtructus eſt quoque marſupio; ſed illo plerumque marſupiorum genere, quod Galli lingua ſua *Bulgam* appellarunt. Festus (y) ait: *Bulgas Galli ſacculos ſcorteos vocant.* Idem apud Papiam legimus. Lucilius (z) vocem hanc repetit ſubinde:

> *Bulgam & quidquid habet mommorum ſecum habet, ipſe*
> *Cum Bulga canit, dormit, lavit, omnis in una*
> *Spes homini bulga* &c.

Animalia Mercurio ſacra, in Marmoribus noſtris hinc inde addita ei reperimus, gallum gallinaceum, caprum, canem, piſcem. Græci & Romani arietem ſæpe, nonnunquam & teſtudinem, ſubjunxerunt Mercurio. Gorlæus in *Dactyliotheca* exhibet gemmam, in qua omnia hæc Mercurii ſymbola ſimul junguntur, addito apro &, teſtudinis loco, ſcorpione. In Boissardi *Monumentis* Anaglyphum Mercurii eſt, ubi exhibetur cum Copiæ Cornu. His generatim præmiſſis ad ſingula deſcendo, ab Ara Literata Mercurii ducturus initium.

ARA REMIGIANA MERCURII.

§. VII.

Ara Mercurii. IN ruderibus veteris ad Lutharim Caſtri, cui à *S. Remigio* (a) nomen, prope Weiſſenburgum, Alſatiæ oppidum, eruta eſt noſtris temporibus Mercurialis Ara literata, Muſeo noſtro illata. Lapis integer, niſi quod literarum nonnullæ paululum exeſæ. Repetito autem examine lectionem ejus hanc reperi:

IN

(x) *Nat. Deor.* Lib. III.

(y) Pompejus Festus *de Signif. Verborum* Lib. I. pag. 56. Vocem retinent etiamnum Cambro-Britanni, quibus *Bolgan* eſt *Bulga*. *Bulgæ & Manticæ reſeratæ ſunt*, inquit Eadmerus in *Vita S. Anſelmi* Lib. II. Cap. XXVII. Vid. Goropius Becanus Lib. I. *Gallic.* pag. 15. Etienne Pasquier *Recherches de la France* Lib. VIII. Cap. II. Galli *Bouge*, Belgæ *Bolget*. Isacius Pontanus in *Itinerario Galliæ Narbon.* pag. 202.


(z) *Satyr.* VI.

(a) *S. Remy.*

Digitized by Google

TABVLA V.

ad pag 43.



Digitized by Google

MERCVRIVS. PALLAS. VESTA.

N. I.



Sulzbac.

II.



Sulzbac.

III.



Reichshov.

IV.



Badens.

V.



Woerth.


VI.



Woerth.

MONVMENTA DONONIS.

N. I.




II.



III.




MONVMENTA DONONIS.
N. I.
II.
III.
IV.
V.
VI.
VII.
DE
VS
M·PV C
M
L·RI
VIII.
IX.

MONVMENTA ROMANO-ALSATICA.



EX MVSEO SCHOEPFLINIANO.

MONUM. Tab. I. Num. III.

IN H DD
DEO. MERCVR
IO. AEDEM. AR
AM. ATTIAN
VS. MAGISS. ET
MAGISSIVS. H
IBERNVS. CA.
LEG. XXII. P. P. F.

Hoc eſt: *In Honorem Domus Divinæ Deo Mercurio Ædem Aram Attianus Magiſſius & Magiſſius Hibernus Camilla* (Tribu) *Legionis XXII. primigeniæ piæ felicis* dicaverunt. (*b*)

§. VIII.

Ex verſibus octo, quibus Lapis componitur, quintus præſertim, ſextus, ſeptimusque Eruditorum, quibus Epigraphen transmiſi, exercuerunt ingenia. Sed & circa primum Doctiſſ. Valesius, Abbas Romanus in Literis, ad me datis, annotavit, ſolitas illas ſiglas IN H DD. *In Honorem Deorum*, vel *Honorem Deorum Dearumque*, explicari debere; quod Deo Mercurio dicata ſit Ara, cui cæteri Dii Deæque rectius, quam Domus Auguſta jungantur. Conjecturæ huic tamen exempla magno numero opponimus, ubi altera formula, *In Honorem Domus Divinæ*, iisdem ſiglis expreſſa, in Epigrapharum, Deo Deæve cuidam dedicatarum, introitu reperitur. Formulam hanc autem in Ara noſtra præfero priori, quod illa apud Mediomatricos interiores uſitata & frequens, Divodurenſia inter Marmora non ſemel expanſis verbis occurrit. Ita enim eam in Mediomatricorum Trans-Vogeſianorum titulo, *Deabus Mairabus* dicato, apud Meurissium (*c*) reperio: Explicatio Inſcriptionis. IN H. D.D

IN
HONOREM
DOMVS. DIVI
NAE. DIS. MAIRABVS
VICANI. VICI. PACIS

Sed & aliud eorundem Mediomatricorum Marmor, Jovi ſacrum, (*d*) huc ſpectat; ubi ordo rerum inverſus, nomenque Jovis per ſiglas ſolitas primo loco, inde formula *In Honorem Domus Divinæ*, literis omnibus expreſſa, ſive expanſe, occurrit:

I. O. M.
IN. HONOR
DOMVS. DIVI
NAE. VICVS. HO
NORIS. PVBLICE
POSVER. HI. QVI
INFRA. SCRIPTI. SVNT &c.

 Adde

(*b*) Illuſtris Muratorius, ad quem, neſcio qua ratione, corruptum Inſcriptionis hujus exemplum pervenit, in *Theſauro Inſcript.* Tom. I. pag. 50. num. 3. eam hunc in modum recenſet:

IN H D. D
DEO MERC.VR
IO AEDNAAR
AMATTIAN
VS MAGISS ET
MGISSIVS H
BERNVS CA
LEG. XXII. PP. F

(*c*) Meurisse *Hiſtoire des Eveques de Metz* pag. 9. adde Gruter. pag. 92. num. 1.

(*d*) Meurisse loc. cit. pag. 11. & ex Boissardo Gruterus pag. 12. num. 10.

MONUM.

Adde huic aliam An. MDCCXXXIX. in eadem urbe Metenſi erutam:

I. O. M.
IN. HONOREM
DOMVS. DIVINAE
M. VALER. IVVENALIS
M. VALER. INDI. LIBERT.
V. S. L. M.

§. IX.

Aliæ Inſcriptiones.

Quodſi Lapis Jovi dedicatus, adulatoriam *Domus Divinæ* formulam non reſpuit, Mercurio dicatus eandem ſane poteſt admittere. Sed en tibi ex GUICHENONIO (*e*) exemplum, ubi formula *Domus Divinæ*, in Lapide, qui Mercurio poſitus, diſerte exprimitur:

IN. HONOREM. DOMVS. DIVINAE
DEO. MERCVRIO
PROSCOENIVM. OMNI. IMPENDIO.
SVO. CAMVLIA. ATTICA.
D. D.

In Alſaticis Monumentis Formula hæc occurrit identidem. (*f*) Frequentior ejus ſeculo III. finiente, ut & inſequente quarto, uſus; quum, ob invaleſcentes Germanorum in Galliam irruptiones, Rheni defendendi cauſa, Imperatores ſæpius in vicinia noſtra apud Trevirenſes verſarentur. Diocletianus & Maximianus Impp. Conſtantius Chlorus & Conſtantinus M. ibidem Auguſtalem Domum ſedemque firmarunt. Eugenius Tyrannus dominatus eſt Treviris. Conſtantinus Tyrannus, ſub Honorio Imp. victor Galliarum, Vandalis fuſis, ſedem Imperii Treviris denique tranſtulit Arelatem. (*g*) Unde Treviros alteram Romam appellavit AMMIANUS. Sed & aliæ hujus generis formulæ plures in ſaxis, ut: *Numinibus Majeſtatique eorum* &c. *Devotus Numini Majeſtatique ejus* &c. *Numinibus Aug. & Dom. Div.* &c. item: *Pro ſalute Auguſti* &c. apud SERTORIUM URSATUM, (*h*) REINESIUM, (*i*) CHORIERIUM, (*k*) SPONIUM, (*l*) alioſque occurrunt. Ex multis refero unum, in Norico mediterraneo, prope Clagenfurtum Carinthiæ repertum, quod *pro ſalute Auguſti Gordiani III. in honorem DD. ſoli invicto Mythræ Hilarus Aug. Lib.* poſuit. (*m*)

§. X.

ÆDES.

Ad Aram autem noſtram ut redeamus, dedicata illa fuit Mercurio non ſola, ſed cum Æde. Aræ multæ ſine Æde, nulla facile Ædes ſine Ara, heic tamen utraque ſimul in Inſcriptione memoratur. Aedicula fortaſſe fuit, (uti *Attegia* tegulitia Oberbrunnæ) in qua Aræ locum occupavit Lapis ipſe, cui inſculpta Epigraphe: niſi Baſis vices tenuiſſe malueris, cui Mercurii ſignum impoſitum. Potuit eſſe & Baſis & Ara: Ara nempe, quæ imaginem Mercurii ſuſtinuit. Obrickhemii apud Moſpachium eidem Mercurio *Ædes & ſigna* fuere dicata; (*n*) Heidelbergæ *Baſis cum ſigno*; (*o*) Panormi *Ara & Baſis*; (*p*) Mediolani *Ara & Tection*; (*q*) Lavingæ ſolum *ſignum* ex voto. (*r*) Deo Sylvano autem *Templum cum ſigno*, Vindelicorum Auguſtæ; (*s*) Marti *ſigillum marmoreum*. (*t*) Noſtra Mercurialis Ædes inter veterem Concordiam ad Lutarim, & Tribunos ad Rhenum fuit exſtructa.

§. XI.

(*e*) GUICHENON *Hiſtoire de Breſſe & de Bugey* pag. 10. ex quo SPONIUS, atque ex hoc REINESIUS pag. 1029. expreſſerunt.

(*f*) In duobus Saxis Argentouarienſibus, & in Tabernenſi Rhenano, & apud Vicinos noſtros paſſim.

(*g*) MASENIUS in *Notis ad Brouweri Antiquat. Trevir.* Tom. I. pag. 587.

(*h*) *Monument. Batav.* pag. 199.

(*i*) Claſſ. III. num. 37. ſqq.

(*k*) *Recherches ſur les Antiquités de Vienne* Lib. III. pag. 330.

(*l*) *Hiſt. de Geneve* Tom. II. pag. 313.

(*m*) PHILIPPUS à TURRE in *Diſſert. de Mithra* Cap. ult. pag. 240. dubitat, an D. D. Inſcriptionis hujus in honorem *Deorum*, an *Domus Divinæ* exponat. Quodſi *Domus Divina* Familiam Imperatoriam denotat, *Domus æterna* aliquando denotavit ſepulcrum, teſtibus apud GRUTERUM atque REINESIUM *Inſcript.* Claſſ. XIV. num. 16.

(*n*) APIANI *Inſcriptiones* pag. 464.

(*o*) Ibid. pag. 465.

(*p*) MURATOR. *Inſcript.* Tom. I. pag. 50.

(*q*) Ibidem loco cit. pag. 46.

(*r*) CRUSIUS *Annal. Suev.* Tom. I. pag. 89. & Jo. HEROLDUS *de Station. ad Danub.*

(*s*) CRUSIUS ibid. pag. 186.

(*t*) Idem ibid. Part. I. Lib. VII. pag. 186. In Etruria apud GORIUM *Inſcript.* Tom. II. pag. 56. titulus eſt, ubi craſſo errore fabrili legitur:
Signum cum baſim & adem.

MONUM.

§. XI.

MAGISSIUS.

Exſtruxerunt Ædem & Aram ſuis ſumptibus duo Magiſſii; alter *Attianus Magiſſius*, alter *Magiſſius Hibernus*. Muratorius nomina hæc exponit: *Attianus Magiſter & Marcus Giſſius Hibernus*, cui lectioni Lapidis Characteres repugnant. Doctiſſimus Vir, Gaspar Hagensuchius, Turicenſis Academiæ Profeſſor clariſſimus, Rem omnem Epigraphicam ſolidiſſime doctus, Ædis Aræque noſtræ auctorem nonniſi unum agnoſcit, *Attianum* nempe, Magiſſæ Filium, *Magiſſium Hibernum*;

ATTIANVS. MAGISSAE. F.
MAGISSIVS. HIBERNVS.

Conjectura ingenioſa & veriſimilis, nullique non probanda Erudito, ſi modo ipſum conſentiret Marmor; in quo copula ET diſtincte exprimitur, atque litera A. quæ in expoſitione hac ei præmittitur, locum non habet. Duplex ergo admittendum eſſet mendum fabrile: Litera A. in nomine MAGISSE deeſt; Conſona T. convertenda in F. In dubium quidem nemo vocaverit, ſaxa ſæpe ſua miſere deturpaviſſe fabros; illos præſertim, qui extra Italiam, & cadentis Imperii ævo artem exercuere; citra neceſſitatem tamen erroris eos nollem poſtulare. Aliam & diverſam plane viam Illuſtr. Bouhierius, Divionenſis Senatus Præſes, orbi erudito haud ita pridem ereptus, ineundam exiſtimavit. Hic in *Epiſtola*, die XIV. April. MDCCXXXIV. ad me ſcripta, Aræ noſtræ Epigraphen in hunc modum exponit: *In Honorem Divinæ Domus. Deo Mercurio Ædem Aram & Januas & Imaginem impenſa ſua Septimius Magiſſius Hibernus Canditatus Legionis XXII. Primigeniæ piæ felicis* dedicavit. Declaratio hæc Lapidis *Attianum Magiſſ.* priorem in ſiglas diſcerpit, in quibus Bouhierius *januas & imaginem impenſa ſua* quæſivit: ſententiam mutaturus profecto, ſi ipſum Lapidem in tranſitu modo inſpicere potuiſſet. Tam difficile ſæpe abſentibus eſt, de Marmore non viſo ſuam ſententiam ferre.

§. XII.

ATTIANUS. & HIBERNUS.

Magiſſiorum Gentem quod attinet, nullum, quod equidem novi, Monumentum aliud ejus facit mentionem. Noſtrum vero ex gente hac duos producit, quorum alter prænomen habet *Attiani*, cognomen alter *Hiberni*; uterque vel poſterior certe, Legioni XXII. adſcriptus. *Attiani* nomen non ignotum Marmoribus: (*u*) *Hiberni* vix ſemel, & dubio quidem in loco (*x*) occurrit. Hibernicæ nationis ſignificatus heic loci non quadrat, quod duo ſimul commemorantur *Magiſſii*, ſive fratres, ſive patrueles, ſive agnati, ex eadem profecto gente orti; unde pro *Hibernus* in Saxo ſcribendum fuiſſet *Hiberni*. Inſula hæc Melæ *Juverna*, Ptolemæo *Iverna*, Strasoni Stephanoque *Jerna*, Diodoro *Iris*; Cæsari autem, Plinio, Tacitoque vocatur *Hibernia*. Ex Inſula hac originem ſuam Magiſſii non traxiſſe videntur. Glascovius, Dilonianæ Hibernorum apud Gallos Cohortis Centurio, & ipſe Hibernus, in Literis An. MDCCXXXVI. ex Fano S. Germani ad me datis, contendit, Magiſſium noſtrum Ducem fuiſſe copiarum Hibernicarum, quas Conſtantinus M. mortuo Patre, ab oppido Britanniæ Eboraco transfretans in Galliam, ſecum adduxerat; ſententiæque hujus probationes in Commentariis ſuis ſe daturum promiſit. Scriptum tamen prodiiſſe non autumo; nec in ullo rerum Conſtantinianarum Scriptore Hibernicorum auxiliorum, multo minus Magiſſii, mentionem invenio.

Non nationis ergo, ſed familiæ, aut Liberti cujusdam nomen eſſe videtur *Hibernus*; uti apud Gruterum (*y*) *Hiberus*, & *Hibernia* Liberta apud Strumpfium, (*z*) memorantur. Quodſi *Vernus & Aprilis Cajæ Lib.* apud Gruterum (*a*) occurrunt, *Hibernus* quoque locum ſuum poteſt tueri. Ceterum florente Imperio Romano moris quum fuerit, ut & prænomine, & gentis familiæque nominibus Cives inſignirentur; ſucceſſu temporum tamen res immutata eſt, ita quidem, ut familiæ ſive proprium nomen gentilitio ſæpe præponeretur, quod Joannes Rhodius, (*b*) & Ezech. Spanhemius, (*c*) annotant; quodque in noſtro Attiano Magiſſio obſervatur; quum in *Magiſſii Hiberni* nominibus vetus ſervatus ſit ordo; niſi quod prænomen omiſſum. Priſcam nominum rationem

(*u*) Gruter. Tom. I. pag. 721.
(*x*) Ibid. pag. 432. num. 1.
(*y*) Pag. 431. num. 7. pag. 432. num. 1.
(*z*) *Chron. Helvet.* & ex eo apud Gruterum pag. 873. num. 6.
(*a*) Pag. 963. num. 11.
(*b*) *Ad Scribonium Largum* pag. 191.
(*c*) Spanhem. *de Præſt. Numiſm.* VI. pag. 503. Addatur Onuphr. Panvin. *de Nominibus Romanor.* qui liber *Faſtis* ejus ſubjectus.

MONUM.

nem, apnd Romanos uſitatam, in provinciis locum non habuiſſe novimus. Imo & Italiam paulatim titulorum invaſit luxuries; qnod celebris ille *Flavius Anicius Manlius Torquatus Severinus Boethius*, vel *Turcius Rufius Apronianus Aſterius*, vel *Marcianus Mineus Felix Capella*, vel *Macrobius Ambroſius Aurelius Theodoſius*, de quibus SIRMONDUS, (*d*) vel ut Bituricenſia & Leodienſia Diptycha: *Fl. Anaſtaſius Paulus Probus Sabinianus Pompejus Anaſtaſius Vir Inluſtris &c.* docent. Quodſi quis tamen Magiſſium Libertum ex Hibernia ortum cum Attiano, priſco Domino ſuo, ædem dedicaſſe pertendat, non equidem refragor.

§. XIII.

CA. Progredimur ad ſiglam C A. quæ nomen *Hiberni* excipit, quæque examinanda eſt propius. MURATORIUS & VALESIUS Abbas Literas has binas non ſeparant, ſed jungunt, adeoque pro colligatis, non ſingularibus, habent. Ille *Campidoctorem*, (*e*) vel *Candidatum*, (*f*) ſingularium numero; hic vero *Caſtrametatores* (*g*) vel *Caligatos*, (*h*) numero plurium interpretatur. HAGENBUCHIUS literis C & A punctum interjicit, atque *Cuſtodem*, (*i*) vel *Curatorem Armorum*, exponit; nonniſi unum Ædis ſtructorem in Lapide quærens. Illi, qui duos admittunt, ſingularem quoque numerum admittere poſſunt, ſi *Cuſtodis Armorum* munus *Hiberno* ſoli aſſignant.

Mihi, quantacunque diligentia Lapidem inſpicienti, nulla puncti, duabus his literis à quadratario interjecti, ſe offerunt veſtigia, idque aliis, eruditos oculos afferentibus, ita viſum eſt quoque; unde duas has literas nonniſi unam denotare vocem cum Muratorio Valeſioque exiſtimo. Vocibus autem *Candidatus*, *Caſtrametator*, *Caligatus* lubens ego præferrem *Campidoctorem*; niſi ſiglam referre malueris ad Tribum, cui Magiſſii potuerunt eſſe adſcripti. Tribum *Camillam* intelligo; quæ licet ex veteribus XXXV. non eſſet, vera tamen extitit Tribus, novem aliis accenſenda Tribubus, quæ poſt Auguſti tempora, quum integris extra Italiam Provinciis civitas dari cœpiſſet, à Claudio additæ videntur. Novas has Tribus ex Lapidibus adſtruxit ONUPHRIUS PANVINIUS: (*k*) *Camilla* ſpeciatim, quæ forte *Camillina*, *Camillia*, vel *Camilia* dicebatur, ſex Marmorum auctoritate firmatur. Quodſi Tribum hanc rejiciat Lector, admittat *Galeriam*, litera C ſæpius alternante pro G; ut *Cadii* pro Gadii, *Cavii* pro Gavii, *Carcilii* pro Gargilii, &c. cujus alternationis in Epigraphis exempla innumera. (*l*)

§. XIV.

LEG. XXII. In ultimo Inſcriptionis verſu Legio, in qna Magiſſii noſtri militaverunt, exprimitur, nempe LEG. XXII. Hanc in Ægypto ab Auguſto conſtitutam, Veſpaſianus in Judæam, bello Judaico, juſſit migrare. Mentio ejus apud TACITUM, (*m*) SPARTIANUM, (*n*) atque in Marmoribus paſſim; ex quibus addiſcimus, eam deinceps ad Rhenum præſertim fixiſſe tentoria. Imp. Aur. Antonino Elagab. II. & Licinio Sacerdote II. Coſſ. anno Æræ Chr. CCXIX. Saloduri degiſſe videtur, quod Opilius Reltio, Legionis XXII. miles, in vico Salod. Deæ Eponæ tum votum ſolvit. (*o*) In ſola Moguntiacenſi urbe ejusque agro XII. tituli ex Lapidibus ab HUTTICHIO (*p*) prolati, Legionem hanc produnt, quibus REINESIUS (*q*) aliam ſuperaddit; cujus accuratius exemplum, ab Amico deſcriptum, damus, quam apud Reineſium legitur:

P. SO-

(*d*) *Præfat. ad Ennodium.* Item in limine *Notarum ad Sidonium Apollinar.* Conf. MURATORII *Diſſert. de Nominibus & Agnom. Antiq.* quæ extat Tom. III. *Antiquitatum Italicar. Medii Ævi* pag. 717.

(*e*) Campidoctor, qui Tirones in Campo docet uſum armorum. Rectius quam *Campiductor*, quod STEWECHIUS vult. VEGETIUS Lib. I. Cap. XIII. & Lib. II. Cap. XXII. Conſentiunt LAMPRIDIUS in *Alexandro Sev.* Cap. LIII. (ad quem locum vide SALMASIUM) AMMIANUS Lib. XV. Cap. III. & Marmor apud GRUTER. pag. 565. num. 5.

(*f*) Erant inter milites *Candidati ſimplares* & *Candidati duplares.* VEGETIUS *de Re milit.* Lib. II. Cap. VII. Apud AMMIAN. Lib. XV. Cap. V. & CASSIODOR. *Variar.* Lib. I. Cap. IV. *Candidatus Tribuni* memoratur.

(*g*) Si modo vox eſſet Latina *Caſtrametator*, quam VITRUVIUS, VEGETIUS, aliique Scriptores ingenui, ignorant. VEGETIUS *de Re militari* Lib. II. Cap. VII. ſimpliciter *Metatores* vocat.

(*h*) *Caligati* vox locum heic habere vix poteſt: milites gregarii, viliores & obſcuriores ita dicti ſunt, unde manipulario caligarum habitu uſus eſt Cajus puerulus, ut vulgi militum ſtudia conciliaret ſibi, inde dictus Caligula.

(*i*) Militare officium *Cuſtodis Armorum* memoratur Marmoribus, ſpeciatim duobus a STEWECHIO *ad Vegetii* Lib. II. Cap. XIV. allatis, ad quæ provocat Cl. HAGENBUCHIUS.

(*k*) *Commentar. Reip. Rom.* Lib. II. pag. 259.

(*l*) Vide REINESII *Inſcript.* Claſſ. I. num. 2. pag. 4. ſqq. ſed & ſubinde G litera alternat pro C, quod idem REINESIUS obſervat.

(*m*) *Hiſtor.* Lib. II. Cap. C. niſi *duodeviceſima* pro *duo & viceſima* legendum.

(*n*) SPARTIANUS in *Did. Juliano* Cap. I. ait, Julianum poſt præturam præfuiſſe in *Germania Legioni viceſima ſecundæ primigeniæ.*

(*o*) HAFNER *Chron. Salodur.* Part. II. pag. 45. GRUTER. *Inſcript.* pag. 300.

(*p*) Jo. HUTTICHII *Collectanea Antiquitatum in urbe atque agro Moguntino.*

(*q*) REINESIUS in *Inſcript.* Claſſ. IIX. num. 18. pag. 525. ubi numerus annorum deficit. *Vianam* patriam militis, oppidum Norici, ſeu Rhætiæ potius, ſecundum PLINIUM & PTOLEMÆUM Reineſius reputat.

P. SOLIVS
P. F. VOL. SV
AVIS. VIANA
MIL. LEG. XXII.
PRIM. AN.
XXXXVIII.

In eadem Moguntiacenſium civitate repertus eſt ſeculo hoc Lapis, quo *Gentius Victor Veteranus Legionis XXII. Pr. P. F. Fortunæ Reduci Monumentum poſuit pro ſalute Imp. M. Aurelii Antonini.*

§. XV.

Legionis XXII. Vexillatio tota Herculi Saxano ad caſtellum *Schuppenburg*, Antonacum ioter & Bonnam, titulum poſuit: Aliæ Inſcriptiones.

HERCULI. SAXAN
O. SACRVM. VEX
SILLATIO LEG. XXII.
PR. QVI. SVNT. SVB
CVRA. K. APRILI. 7
M.

In eadem ripa Rheni Agri Clivenſis erutus eſt Lapis, quem Gisbertus Cuperus, (r) Menso Altingius, (s) Muratorius, (t) & Keyslerus, (u) ediderunt; ſed nullus accurate, præter Altingium, qui ipſe diligenter hunc in modum exſcripſit:

HERCVLI. (x) SAX
SANO. SACRVM
C. SVLPICIVS. MA
TVRVS. (y) LEG. XXII.
(z) PR. P. F. ET. COMMI
LITONES. LEG. EIV
SDEM. QVI. SVB
EO. SVNT.
V. S. L. M.

§. XVI.

Cognomenta denique Legioois XXII. in Ara noſtra San-Remigiana adjiciuntur his ſiglis P. P. F. quas Justus Fontaninius, Ancyranus Archiepiſcopus, in ſuis ad me Literis expoſuit: *pecunia publica fecerunt.* Verius autem Muratorius eas ad Legionis elogia retulit, niſi quod priores duas ſiglas *Pollentis* aut *Prætoriæ* non recte interpretatur, de ipſa quoque ſigla poſtrema F. dubitans, an *felicis*, an *fecerunt* interpretanda ſit. Verum omnem de prima ſigla P. dubitationem teſtimonia Hiſtori- Siglæ P. P. F.

Kkk corum

(r) In *Monumentis ad Harpocratem* pag. 566. Edit. Venet.

(s) *Notitia Batavia & Friſiæ antiquæ* pag. 32. Lapidem ipſum vidit, & omnium optime exſcripſit Altingius.

(t) *Inſcription.* Tom. I. pag. 65. num. 6.

(u) *Antiquit. Septentrionales* Cap. III. §. III. pag. 191.

(x) Cuperus habet SAXSANTO, atque cum Grævio duplex cognomen Herculis, *Saxani* nempe & *Sancti*, hic quærendum exiſtimat.

(y) Cuperus ſiglam 7 *Centurionis* vocibus *Maturus* & *Leg.* interſerit, quam Altingius & Keyslerus, ut puto, recte omittunt. Sulpitius Maturus enim Legionis XXII. erat *miles*, quæ vox ſubintelligitur. Hic autem cum Commilitonibus ſuis Herculi Saxano votum ſolverunt. Neſcio autem, cur Altingius Inſcriptionem exponens, Maturum *Legatum Legionis XXII.* conſtituat, quum hujus rei nihil ex Lapide poſſit exſculpi.

(z) Cuperus habet PREF. Muratorius PAP. Keyslerus PRP. omnes male. Siglæ hæ ita ex aliis Inſcriptionibus reſtituendæ ſunt: PR. P. F. *Primigeniæ Piæ Felicis.* Unde explicatio Keysleriana *Principibus & Commilitones* locum habere nequit.

MONUM.

corum & Marmorum tollunt; Spartianus in *Didio Juliano* (*a*) Legionem hanc diſerte *Primigeniam* vocat. Moguntiacenſia quatuor Monumenta apud Huttichium ſiglas has habent: PR. P. F. unum vero LEG. XXII. PRIM. (*b*) In Lateribus, Coloniæ Agrippinæ repertis, occurrit LEG. XXII. PRI. In quatuor (*c*) aliis titulis apud Gruterum, & in Foro-Livienſi apud Reinesium, (*d*) LEG. XXII. PRIMIG. indubitata iodicia, *Primigeniæ* cognomen Legioni huic fuiſſe tributum. (*e*) Appellatio hæc Legionem *primitivam*, *primariamve* denotat, quæ noo ab alia, ut *Geminæ*, originem ducebat. Ita Fortunam Primigeniam quoque coluerunt Romani. Legiones XXX. XXXII. XXXIV. XXXIX. eodem fuerunt exornatæ elogio. Siglarum P. F. quæ *Primigeniæ* nomen excipiunt, alia ratio eſt; has enim in nullo Lapide vel Scriptore, obi Legio XXII. memoratur, additis aliis literis declaratas reperio: unde *Piæ*, *Pollentis*, *Prætoriæ*, uti Muratorius putat, elogiis ornata eſſe potuiſſet, uti ſigla F. *Felicem*, *Fidelem*, *Fortem*, deſignare potuerat. Hubertus Goltzius (*f*) pro *Pia*, *Fideli* ſtat; pro *Felice* Muratorius.

§. XVII.

Cognomina Legionum.

Plurimæ Legiones uno, vel etiam binis, horum cognominum ornatæ fuerunt, uti XVI. XXXIV. XXXVIII. XL. *Fortis*, *Fidelis*; Legiones XXIII. XXXII. *Fortis*, *Felix*; Legio XXX. *Felix*, *Fortis*. Unde nec Fontaniniana expoſitio: *pecunia publica fecerunt*, nec Muratoriana *piæ pollentis fecerunt*, heic locum inveniunt, quod ſiglæ P. P. F. hinc inde Legioni XXII. in medio Inſcriptionum ſubjiciuntur, in quarum fine formula ſolennis V. S. L. M. *votum ſolvit libero munere*, legimus; quæ ſane non admittunt verbum illud finale *fecerunt*; licet verbum hoc ſigla F. exprimatur plerumque, imo & ſæpius omiſſum ſubaudiatur; quod in noſtro quoque Marmore factum eſſe, ex iis, quæ diſputavimus, patet, Titulusque Salodurenſis, quem mox ſubjicimus, confirmat. Sic Lapis noſter San-Remigianus tria Legionis XXII. cognomina, *Primigeniæ* nempe, *Piæ* vel *Pollentis*, *Felicis* aut *fidelis*, oobis indicat. Quodſi cætera Monumenta, quæ de hac Legione loquuntur, conſulimus, alia inſuper elogia eidem attributa occurrunt. *Antoninianæ* epithetum adſcribit ei nobiliſſimum illud Salodurenſe Marmor, *Eponæ Deæ* dicatum; quod mutilum quum ſit atque nonniſi ANTONIANAE vocabulum oculis Lectorum ſe offerat, lacunæ tamen in Lapide utrinque læſo & mutilato, coojecturam admittuot, ſyllabam NI temporum injuria periiſſe. Apud Guillimannum (*g*) ergo, Hafnerum, (*h*) Gruterum, (*i*) aliosque, qui LEG. XXII. ANTONINIANAE in libris ſuis exprimunt; recte conſignata hæc Inſcriptio eſt. Plantinus (*k*) tamen lectionem *Antonianæ* retinuit. Epigraphen hanc Salodurenſem omnium optime expreſſit Stumpfius in *Helvetiæ Chronico*; (*l*) cum cujus exemplo ego Saloduri, in itinere Helvetico verſatus, ipſum Lapidem contuli, indeque hoc deſumpſi apographum:

DEAE. EPONAE. MAX
OPILIVS. RESTIO. M .·.·.
.·.·EG. XXII. ANTONI .·.·.
ANAE. P. P. F. IMMV ·:·:
S. COS. CVRA. SA .·.·
NS. VICO. SALOD ·.·.·.
XIIL KAL. SEPTEMB.
DN. ANTONINO .·.·.·.
II. ET. SACERDO .·.·.
II. COS.
V. S. L. M. (*m*)

Conſulatus Antonini II. (*n*) & Sacerdotis II. incidit in annum Urb. Cond. DCCCCLXXII. Æræ Chriſt. CCXIX.

§. XVIII.

(*a*) Cap. I.
(*b*) Reinesii Claſſ. VIII. num. 38.
(*c*) Gruter. pag. 552. num. 1. pag. 566. num. 2. &c.
(*d*) Claſſ. III. num. 75. pag. 331.
(*e*) Gisbertus Cuperus in *Monumentis antiquis* pag. 565. Edit. Venetæ *Supplementor.* ad Grævii Gronoviique *Theſauros*.
(*f*) *Theſaur. Rei Antiquar.* pag. 155.
(*g*) *Rer. Helvet.* Lib. III. Cap. X.
(*h*) *Chron. Salodur.* Part. II. pag. 45.
(*i*) *Inſcrips.* pag. 87. num. 4. Reinesius *Inſcrips.* pag. 416. & 525. nomen quoque *Antoninianæ* adjudicat Legioni noſtræ.
(*k*) *Helvetia Antiqua & Nova* pag. 272.
(*l*) Lib. VII. Cap. XXV. Eandem Inſcriptionem exhibet Doctiſſ. Breitingerus in *Diſſert.* de *Antiquitatibus Turicenſibus*, Germanice ſcripta, pag. 32.
(*m*) Lapis duos pedes altus, unum & dimidium pedem latitudinis habet.
(*n*) Aurelius Antoninus Elagabalus Imp. intelligitur.

§. XVIII.

Neque tamen diſſimulandum eſt, Canſtadienſem Lapidem produxiſſe APIANUM, (o) & ex Apiano GRUTERUM, (p) ubi Legio XXII. *Antoniana* vocatur, quæ epitheti forma quoque GOLTZIO (q) placuit. In Sabinis Lapis eſt, (r) qui Legioni XXII. cognomen *Auguſtæ* videtur adjicere: Legionis XXII. alia epitheta.

LEG. XXII. PRIM. AVG. P. F.

Alius apud Meſſanenſes, (s) ubi *Dejotariana* appellatur:

TRIB. MILIT. LEG. XXII.
DEIOTARIANAE.

Si modo Lapidum horum exſcriptores ſatis diligentes fuerunt. Denique & appellationem *Severianæ* eidem tributam fuiſſe, evidentibus nos verbis aliud Canſtadienſe Wirtenbergici Ducatus Monumentum, Maximo & Æliano Coſſ. hoc eſt An. Urb. Cond. DCCCCLXXVI. Æræ Chriſt. CCXXIII. poſitum edocet. Saxum eſt in Aræ ſpeciem formatum, quod Stutgardiæ jam viſitur; ex quo PREGITZERUS (t) hanc Epigraphen in lucem emiſit, quam vitioſiſſimam ante ediderat CRUSIUS; (u) qui eam tamen An. MDLXXXV. ipſe, ſed non ſatis diligenter, deſcripſerat:

I N. H. D. D. I. O. M.
GENIO. LOCI. E T. FOR
T V N A E. D I S. D E A B.
Q V E. E M E R I T I V S
S E X T V S. M I L E S
L E G I O N I S. X X I I.
P R. P. F. S E V E R I A
NAE. (x) B. F. (y) COS. PRO
SE. ET. S V I S. P O S V
I T. V. S. L. L. M.
M A X I M O. E T
A E L I A N O. C O S.
I D I B V S. I A N V
A R I I S

Nobile hoc Monumentum, quod Legionis XXII. titulos quatuor, *Primigeniæ*, *Piæ*, *Felicis*, *Severianæ* conjungit, ſi cognoviſſet GISBERTUS CUPERUS, honorificum hoc nomen Legioni noſtræ non tam confidenter denegaſſet. (z)

§. XIX.

Antoninianæ elogium ab Antonino Pio, vel ab Antonino Philoſopho, vel à Caracalla, vel denique ab Elagabalo potuit in Legionem derivari. Diu ante hæc tempora M. Antonius Triumvir inter XXIV. Legiones ſuas, quæ *Antonianæ* vocantur, quasque peculiaribus Denariis celebravit, XXII. quoque nummo ſingulari expreſſit. Cognomen *Antoninianæ* etiam Legiones IV. VIII. X. habuerunt, quibus GOLTZIUS (a) XLII. addit. *Severianæ* à Septimio Severo, vel à Severo Alexandro, potuerat prognaſci. Quum autem Caracalla atque Severus Alexander frequentioribus bellis cum Germanis ad Rhenum fuerint colliſi, ipſeque Alexander haud procul Moguntiaco fuerit occiſus, Origines horum epithetorum.

Kkk 2 ad

(o) *Inſcript.* pag. 461.
(p) *Inſcript.* pag. 6. num. 4.
(q) *Theſaur.* pag. 155.
(r) GRUTER. pag. 487. num. 9.
(s) Ibidem pag. 373. num. 4.
(t) Jo. ULRICUS PREGIZERUS in *Suevia & Wirtembergia Sacra*, pag. 221.
(u) *Annal. Suevicor.* Tom. I. Part. I. Lib. I. pag. 95.
(x) CRUSIUS male exſcripſit:
LEGIONIS. XXII. PR. P. F. SEVERIANO.

(y) Siglas B. F. COS. PREGIZERUS explicat *Beneficiarius Conſulis*, ſive Cliens. In alia Inſcriptione apud eundem pag. 216. ubi de Legione *VIII.* occurrit quoque B F. COS. quod eodem modo explicat. In *Inſcript. Etruriæ* GORII Tom. II. pag. 358. *Beneficiarius Tribuni* occurrit ſine ſiglis.

(z) In *Monumentis ad Harpocratem ſuum* pag. 565. Edit. Venet.

(a) HUBERT. GOLTZIUS in *Theſauro* pag. 252. ſqq.

MONUM.

ad alterutrum horum Imperatorum, præ cæteris, cognominum iſtorum origines mallem referre. *Mauritanicæ* cognomen, Legiuni noſtræ quoque inditum, ex Titulo Mombacenſi (*b*) nonnemo concluderet, ubi legitur: *I. O. M. Saranico Conſervatori Honorius VII. Al. Leg. XXII. Pr. P. F. Maur. Germanus &c.* Legiones XI. & XXXII. elogio boc fuerunt coodecoratæ. Gruteriani Indicis Auctor, JOSEPHUS SCALIGER, (*c*) *Victricis* quoque cognomen Legioni noſtræ tributum credidit; atque huc refert Inſcriptionem (*d*) *M. Junii Curionis Equitis R.* ubi ſubjungitur:

LEG. XXII. VIC
TVR. VERISSIMI.

§. XX.

Milites Legionis XXII.

Supereſt, ut *Magiſtrorum* noſtrorum Commilitones, qui in Legione XXII. ſtipendia meruerunt, diverſis licet ſeculis vixerint, ex Marmoribus eruamus. Moguntiacenſia excutio primum, in quibus ſequentes:

C. Julius Flavianus Cornicularius Legionis XXII.
Gal. Strabo.
Aulus Baebius, C. F. Scaptia Clemes. Fæſulanus.
Hunorius.
Q. Voconius Vitulus. (*e*)
Fl. Julius Maternus, Veteranus
Fl. Sabinus Attillus, Veteranus.
Fl. Julius Reginus, miles.
Aulus Coraulus.
Herennius Victorinus.

Hæc ex HUTTICHIO, quibus ex aliis, Huttichio ignoratis, accedunt:
P. Solius Suavis; vixit annis XLVIII.
Gentius Victor, Veteranus; pro ſalute M. Aurelii Imp. Monumentum poſuit.

Salodori:

Opilius Reſtio Deæ Eponæ votum ſolvit.

Conſtadii:

Emeritius Sextus, miles; Deo Jovi, Genio loci, Fortunæ &c. itidem votum ſolvit.
Severus miles.

Schuppenbergi:

K. Aprilis; ſub cura ſua Vexillationem Legionis XXII. habuit, quæ Herculi Saxano poſuit titulum.

Bergendahliæ Clev. Duc.

C. Sulpicius Maturus, Herculi Saxano votum ſolvit.
M. Vettius Saturninus, Veteranus Civis Trajanenſis. (*f*)

Beneventi:

L. Læticius L. F. Stel. Rufus, Tribunus militum.

Lugduni:

Verecundinius Verinus, Veteranus.
Attonus Conſtans, Veteranus.
T. Aufidius, T. F. An. Balbus Tr. milit.
Urogenus Nertes, Veteranus.
Albanus Potens, Veteranus.

Meſſanæ:

L. Bæbius, L. F. Gal. Juncinus Tribunus mil. Leg. XXII. Dejotarianæ.

In Ottonis Silva:

M. Ulpius Malchus Centurio.

Romæ:

Laberius L. F. Aim. Coccejus Lepidus.
Q. Manlius, Q. F. Cam. Severus, Alba Pompeja, Veter.
P. Cœlius P. F. Balbinus Vibullius.

Brixienſis ditionis:

Biveio Triumonis F.
Meſſava Deivari F.
C. Valerius Rufus.

In

(*b*) HUTTICHII *Inſcript. Mogunt.*
(*c*) Vid. *Indicas* pag. 31. in hac Leg. XXII.
(*d*) GRUTER. pag. 548. num. 8.
(*e*) Nomen hoc occurrit in Julii Cæſaris nummo.
(*f*) SMETIUS apud CUPERUM pag. 565.

In Sabinis :
Q. Vibius Q. F. Aimilia Vetenius.
Via Præneſt.
M. Junius Curio Eq. R.
Taurini :
Peregrinus.

Concludimus denique, Legionem XXII. Stativa ſua longo ſatis tempore in Germania Superiore præſertim habuiſſe, quando maxima pars Monumentorum ejus apud Moguntinos ad noſtra usque tempora perſtitit. Sed & Coloniæ Agrippinæ plures coctitii lateres LEG. XXII. (*g*) uti ſuperius dictum eſt, eruti ſunt. Cohors hujus Legionis ad extremam usque borealem Alſatiam caſtra metata eſt, adeoque per magnam oræ Rhenenſis partem tendebat.

§. XXI.

Epocha Inſcriptionis.

Quodſi denique Ædis & Aræ noſtræ, Mercurio per Magiſſios conditæ, tempus requiras, ultra tertium ſeculum illud non videtur aſcendere. Didii Juliani ætate quidem Legio XXII. in Germania jam fuit, ÆLIO SPARTIANO, uti vidimus, teſte. At Monumenta noſtra apud Germanos quæ extant, Legionem hanc *Antoninianam Severianam*, ab Antonino Caracalla atque Severo Alexandro, appellant, qui ſeculo III. vixerunt. Caracalla bellum contra Germanos quum geſſerit An. Æræ Chr. CCXIV. Alexander autem occiſus fuerit An. Chr. CCXXXV. Ædes noſtra ante tempus hoc poni non potuit. Circa hæc ergo tempora Legionis XXII. cohortes cis & trans Rhenum, adeoque in Germania ſuperiore, & oppoſitis ei Decumatibus Agris, Romano Imperio tum ſubjectis, limitem Rhenanum cuſtodiviſſe, atque ſtativa ſua ibi plurium annorum ſpatio fixiſſe videntur. Præter Rhenum autem in Italiæ Galliæque locis hinc inde frequentem Militum, Centurionum, Tribunorum, Legionis hujus mentionem occurrere, nemo mirabitur, qui conſideraverit, eam quatuor ſeculorum ſpatio centies ſua ſtativa mutaſſe.

Ultimo denique loco id annoto, Ædem & Aram hanc San-Remigianam non *ex voto*, ſed ex ſpontaneo motu, ac peculiari in Mercurii numen veneratione & cultu, à duobus Magiſſiis exſtructas fuiſſe.

ATTEGIA WASENBURGENSIS MERCURII.

§. XXII.

Attegia Mercurii.

SAn-Remigianæ Mercurii Ædiculæ, Mercurialis ſuccedat Attegia votiva, in ipſo Vogeſi aditu olim poſita, cujus fauces ad Bythenſem Lotharingiæ Comitatum diriguntur. Rupes eſt ibi, haud procul Niderbronna vico, aquis ſalubribus celebri, cui Caſtrum fortiſſimum *Waſenburg* (*h*) medio ævo impoſitum fuit, ſuperiore adhuc ſeculo habitatum, nunc dirutum. Romanorum ætate ibi fuit ædicula, quam Satullinus quidam Mercurio conſtruxit ex voto. Rupi, ſuper quam ædicula ſtetit, inſculpta eſt Tabula, etiamnum integra, cui inciſa Inſcriptio eſt, quam DANIEL SPECKLINUS, (*i*) HELISÆUS ROESLINUS, BERNHARDUS HERTZOG, non accurate ſatis deſcribunt, quamque GRUTERUS (*k*) ex Rœslino expreſſit. Omnium optime publicavit, & ex eo exſcriptam dedit ABRAHAMUS RAU. (*l*) MATTHIAS GESNERUS (*m*) autem, de Literis Elegantioribus Vir præclare meritus, Fabriani Lexici Editores ſecutus, eam non recte prodidit. En tibi genuinam ex ipſa rupe transſcriptam:

DEO

(*g*) GRUTER. *Inſcript.* pag. 515. num. 2.

(*h*) HELISÆUS ROESLINUS in Germanica *Deſcript. Vaſagi* Cap. XI. & BERNH. HERZOG in *Chron. Alſatiæ* Lib. III. Cap. XVI. pag. 53. Nomen hoc ſcribunt plerique duplicata ſſ. *Waſſenburg*; at male ſcribunt, quum nomen à *Vaſago* monte, uti medio ævo appellabatur, derivandum.

(*i*) *Architectura* Part. II. Cap. V. pag. 88.

(*k*) *Inſcript.* pag. 54. num. 11.

(*l*) *Differt. de Ara Ubiorum* pag. 57.

(*m*) In *Theſauro Linguæ Lat.* voce: *Tegulitius*, ubi pro *Attegia* ſcribitur *Altegia*, (quæ tamen eo in Lexici loco, ubi *Attegia* vox exponitur, recte expreſſa) pro *Severinius*, *Severinus*. In ultimo Inſcriptionis verſu una ex ſiglis L. ommiſſa eſt. Imo & vox *tegulitius* non T ſed C habet in Epigraphe noſtra.

MONUM.

DEO. MERCVRIO. ATTEGI
AM. TEGVLICIAM. COMP
OSITAM. SEVERINIUS.
SATVLLINVS. C. F. EX. Vo
TO. POSVIT. L. L. M.

Severinius ergo Satullinus, Caji filius, Deo Mercurio Attegiam, ſive domunculam ex tegulicio opere, hoc eſt tegulis vel lateribus, compoſitam, ex voto poſuit lubens liberoque munere. (*n*) Votivum fuit ædificiolum, quod voto concepto completoque Satullinus exſtruxit, & quidem ædicula lateritii operis.

§. XXIII.

Opinio erronea aliorum.

Erronea Specklini, Hertzogii, Roeslini, aliorumque, hos ſequentium, opinio, qui in ruinis illis, lapides quadratos ingentes etiamnum oſtentantibus, veteris Severiniani ædificii reliquias ſupereſſe, exiſtimant. Inſcriptio ſubjecta hanc ſententiam damnat, quæ nonniſi tenue aliquod operis tegulicii, à Severinio illic loci conditam Ædiculam indicat; quum illa, quæ hodie cernimus, munitiſſimi Caſtri & ferreæ quaſi Arcis ſint rudera. Tantæ molis ædificium non *Attegiæ*, ſed Templi, Fani, aut Delubri nomen meruerat. Ut itaque Inſcriptio, vivæ rupi inciſa, quæ eadem ſemper fuit, nec ex loco ſuo potuit dimoveri, cum ædificio ſuperſtructo conveniat, ſtatuendum eſt, Satullini Ædificium nonniſi operis tegulitii, hoc eſt, ex coctis lateribus compoſitum fuiſſe; qnod tempeſtatum injuria quum facile perierit, medio deinceps ævo fortiſſima Arx eadem ſuper rupe exſtructa eſt; quæ & ipſa nunc in ruinis jacet, nihilque adeo cum Inſcriptione Romana habet commune. Ruinas has qui vel obiter conſiderat, facile perſpicit, quam diverſi generis ædificium hoc fuerit ab eo, quod Epigraphe indicat. Gothici, ut vocant, operis, non Romani, Caſtrum hoc fuit: Vogeſianis illis innumeris ſimile, quæ ſecuritatis cauſa rupibus impoſita, in ruinis nunc jacent formidanda cadavera; quorum in Alſatia noſtra circiter CC. reperiuntur. Itaque nec ſpecula Romana in his ruinis quærenda, quum Romanorum ævo ibi Ædicula fuerit.

§. XXIV.

Severinius Satullinus.

Severinia gens, ad quam Satullinus pertinuit, in Marmoribus & Commentariis Scriptorum non legitur. Alium Severinium, præter hunc noſtrum, non reperio, at fœminas hujus nominis duas, *Severiniam Afram* (*o*) nempe, atque *Severiniam Severinam.* (*p*) Nec Satullini cognomen ulla nobis produnt Monumenta. Cujus ſtatus vel ordinis Severinius noſter fuerit, non liquet. Imperitiſſimus tamen Antiquitatis omnis Rœslinus Præſidem Vogeſiani Tractus à M. Aurelio Imp. conſtitutum fuiſſe opinatur. Quodſi Severinius noſter dignitate tam illuſtri ornatus fuiſſet, eam Titulus non tranſiviſſet ſilentio, quum Lapides vel militum gregariorum muneris ſoleant facere mentionem. Militare munus ergo ei aſſignare non lubet. Incola loci illius, nulla dignitate officiove conſpicuus, extitiſſe videtur. Vogeſus enim apud Niderbronnam pervius, occaſionem dedit Romanis, ut fauces illas caſtris ſtativisque cuſtodirent: quem eundem in finem Tres-Tabernæ illæ, & Tabernæ Montanæ inſtitutæ fuerunt. Varia Romanæ habitationis monumenta, nummorum, qui quotannis ibi effodiuntur, copia, magnum illius tractus numerum incolarum indicant. Loci hujus nominis nulla in Lapidibus ſcriptísve Veterum memoria ſupereſt.

§. XXV.

(*n*) Roeslinus explicat: *Lubens Loco Munimenti*, quæ declaratio in Monumentis votivis locum non habet, ubi L. L. M. vel *libens libero munere* vel *lubentiſſime merito* exponitur. Formula hæc votivis & ſepulcralibus cippis communis eſt, quod illis, qui vel leviter Epigraphicas Antiquitates deguſtarunt, pernotum.

(*o*) Gruter. *Inſcript.* Tom. II. pag. 1087. num. 9.

(*p*) Muratorii *Inſcript.* pag. 853. num. 7. *Severiani* & *Severini* nomina occurrunt frequentius.

§. XXV.

Attegia.

Attegiæ vocabulum, quod pro Ædicula Satullinus poſuit, rarius eſt, ſingulari autem numero vix ullibi, in plurali apud Juvenalem, (*q*) occurrit, ubi Maurorum tuguria, caſas atque mapalia appellat *Attegias*, quas *Brigantum* caſtellis opponit: quam tenuia fuerint Maurorum habitacula, ſpeluncis ſimilia, Africana Romanorum bella nos docent. Attegia eſt caſula in modum Fanuli. Fanula, minora Fana, Festo ſunt Hanula.

Tegulicia.

Tegulicie (*r*) vox à nullo Scriptorum, quos novimus, adhibita eſt, nec apud Lexicographos locum reperiret, niſi Vogeſiana hæc Inſcriptio ſuppeditaret exemplum; cujus ſolius fide vocabulo Civitas Romana conceditur, eoque majus pretium Inſcriptiuni accedit.

Tempus Monumenti conditi.

Conditi denique Monumenti tempus quod attinet, ad Antonini Pii annum XIII. qui Æræ Chriſt. CLI. illud referre non dubitat Hertzooius. Roeslinus (*s*) in finem regiminis Imperatoris Aurelii Antonini illud conjicit, quem Aquas Niderbronnenſes cum conjuge Fauſtina inviſiſſe, exinde concludit, quod Imperatoris hujus nummi in illo loco eruantur. Rationem admitterem, niſi promiſcua in Urnis ſepulcralibus diverſorum Imperatorum numismata reperirentur quotidie, niſique, Imperatore novo creato, nummi, à deceſſoribus cuſi, in hominum manſiſſent commercio. De Chronologia itaque nihil nobis compertum eſt certi. Primi ſecundique ſeculorum ſculpturam Characteres non redolent, inſequentium ergo opus hæc Epigraphe eſt.

MERCURII SULZBACENSES.

§. XXVI.

Mercurii ſimulacra.

SEd jam ordo rerum requirit, ut à Monumentis minoribus, Ara nempe, Ædicula, Attegia, dedicatis Mercurio, ad illa loca progrediamur, ubi majora ei Templa atque Delubra conſecrata fuerunt. Initium à Sultzbaco ducimus, qui vicus nonniſi duabus leucis à Niderbronnenſi Mercuriali Attegia, quam Satullinus ædificavit, diſſita eſt. Nulla enim Alſatiæ Regio Munumentorum Romanorum, præſertim Mercurialium, feracior, illa, quæ Richshovium Wœrthamque oppidula, Sulzbacum & Niderbronnam vicos, comprehendit, qui quatuor leucarum noſtrarum tractus, Vogeſo contiguus eſt; cui Comitatum Dagisburgicum jungimus, qui per ipſa Vogeſi juga porrigitur. Dagisburgenſia Monumenta peculiari deinceps repræſentamus Tabella. Niderbronna & Wœrtha Aram quadrilateram habent, illis, quæ Hindeshemii Elæque extant, perſimilem, quarum poſtremam, Elenſem nempe, quod minimum injuriæ paſſa eſt, Tabula V. producimus. De Attegia ſive Æde Mercuriali prope Niderbronnam, in rupe ea, ubi hodie Waſenburgenſis Arcis rudera ſunt, à Satullino conſtituta, jam actum. Sed & in eodem vico plura toreumata, lapidibus inſculpta, numismatum Romanorum copia ingens, diverſis temporum intervallis, eruta, omnem illum Mediomatrico-Tribocenſem Tractum, Vogeſo contiguum, Romanorum ævo, incolis plenum fuiſſe, demonſtrant. Sulzbaci (*t*) ſpeciatim, qui Schœneckianæ Dynaſtiæ, ad Durckemios Nobiles ſpectantis, vicus, in parietibus Eccleſiæ colli, leviter declivi, impoſitæ, Mercurios quatuor reperi, artificis, non imperiti, manu anaglyptice ſculptos, & poſt ævi tempeſtatumque injurias, quibus per tot ſecula expoſiti erant, non nimium læſos, quorum duos Tab. IV. num. 1. 2. exhibeo. Ex multiplicibus Mercurii ſimulacris, in illo monte reſiduis, colligere licet, inſigne aliquod Mercuriale Templum in illo colle olim exſtructum fuiſſe, quod cum Dagisburgico & Dononio illo forte comparari potuerat. Nec abnuerim, ſub Celtica Periodo, qua Templa in his oris Mediomatrici ignoraverunt, in eodem illo monte Lucum religioſum, Celticis Druidum ſacris extitiſſe illuſtrem.

Tab. V. num. 1.

Tab. IV. num. 1. 2.

§. XXVII.

(*q*) *Satyr.* XIV. vers. 196. *Dirue Maurorum attegias, caſtella Brigantum.* Apud Senecam *Nat. Quæſt.* Lib. II. Cap. XLIX. attegiata fulmina pro *acervatis* legendum Gronovius conjicit. Vide Salmasium *ad Solin.* pag. 311.

(*r*) Gruterus, Rœslinum ſecutus, pro *tegulicius* tegulitius poſuit. Lexicographi, Editores nempe *Fabriani Theſauri*, atque Gesnerus, Gruterum ſecuti ſunt.

(*s*) Lib. cit. pag. 195. & 205.

(*t*) Sulzbacum hoc, ut à cæteris ejusdem nominis in Alſatia locis diſtinguatur, vulgari lingua dicitur *Langen-Sulzbach*, Sulzbacum longum, quod vicus hic olim longior fuerat.

§. XXVII.

Maiæ ſimulacrum. *Tab. IV. Num. I.*

Inter ſculptos autem Sulzbacenſium Lapides ille mihi præ cæteris rarior viſus eſt, cui juncta ad dextram figura muliebris, crumena & caduceo, uti Mercurius ipſe, inſtructa. Mammæ oberes & veſtitus fœminam indicant. Veſtitus exterior palla eſt. Imagine hâc Majam, Mercurii matrem, repræſentari conjectatus ſum facile; eorum, quæ apud Macrobium (*u*) legeram, memor. "Contendunt, (inquit) alii Majam „ Mercurii matrem menſi Majo nomen dediſſe; hinc maxime probantes, quod hoc „ menſe mercatores omnes Majæ pariter Mercurioque ſacrificant. Affirmant quidam, „ quibus Cornelius Labeo conſentit, hanc Majam, cui menſe Majo res divina cele- „ bratur, terram eſſe, hoc adeptam nomen à magnitudine; ſicut & mater magna in „ ſacris vocatur . . . . . Mercurium ideo illi in ſacris adjungi dicunt, quia vox „ naſcenti homini terræ contactu datur: ſcimus autem Mercurium vocis & ſermonis „ potentem. Auctor eſt Cornelius Labeo, hinc Majæ ædem Calendis Majis dedicatam „ ſub nomine Bonæ Deæ; & eandem eſſe Bonam Deam . . . . quod omnium nobis „ ad victum bonorum cauſa eſt: Faunam, quod omni uſui animantium favet: Opem, „ quod ipſius auxilio vita conſtet. Sunt, qui dicant, hanc Deam potentiam habere „ Junonis, ideoque ſceptrum regale in ſiniſtra manu ei additum. . . . . . Dicunt, „ obſtitiſſe voluntati patris in amorem ſuum lapſi, ut & virga myrtea ab eo verbera- „ retur . . . transfiguraſſe ſe tamen in ſerpentem pater creditur, & coiſſe cum filia. „ Horum omnium hæc proſeruntur indicia, quod virgam myrteam in templo haberi „ nefas ſit; quod ſuper caput ejus extendatur vitis, qua maxime eam pater decipere „ tentavit, ... ſerpenteſque in templo ejus nec terrentes nec timentes appareant." Ex Macrobianis his apparet, Majam non minus, ac Mercurium, filium ejus, mercatorum negotiatorumque Deam protectricemque fuiſſe. (*x*) Noſtræ autem Alſaticæ oræ, opportunæ commerciis, Mercurius præ aliis Numinibus, cum Maja quoque matre ſua, carus eſſe debuerat. (*y*)

§. XXVIII.

Mercurii ſigna.

Pleriſque ergo, quæ producimus, ſimulacris Mercurii, marſupium addi, nemo mirabitur: ille enim menſurarum, ponderum, rerum venalium & omnium uſuum Mercaturæ ad lucrum, reputatus eſt præſes. Cæsar (*z*) de Mercurio Gallorum ait: "Hujus ſunt plurima ſimulacra: hunc omnium inventorem, artium ferunt: hunc viarum „ atque itinerum ducem: hunc ad quæſtus pecuniæ mercaturaſque habere vim maxi- „ mam arbitrantur." Eundem in modum Suidas: (*a*) "Mercurium etiam quæſtus „ auctorem, mercaturæ ac mercatorum inſpectorem eſſe, dicunt; quam ob rem ipſius „ ſtatuam ſtatuunt geſtantem marſupium." Mediomatricenſis Divoduri (*b*) Inſcriptio eſt, *Mercurio Negotiatori* dedicata ex voto. Crumena, quam in anaglypho noſtro Mercurius Majaque tenent, ex illo genere eſt, quod *Bulga* (*c*) vocabatur, uti paulo ſuperius dictum. Caduceus in Lapide Mercurio & Majæ, & ſingulis quidem, additus, res obvia eſt.

Dextrum latus.

Maja ad dextram Mercurii poſita. Dextrum latus plerumque honeſtios & auſpicatius habebatur. Veteres fidei & honoris ſedem in dextra (*d*) poſuerunt. Auſpicia dextra Festo proſpera ſunt: *dexter* idem quod propitius. (*e*) Ornata fuit annulis dextra, ſequiore ævo hoc onere levata, quod læva otioſior ſit. (*f*) In Monumentis ſacris tamen potiorem Deum nunc dextram, nunc ſiniſtram, occupaſſe reperio, uti id Marmora apud Boissardum & *Admiranda Romæ* teſtantur, ubi Hercules Jovi nunc à dextris, nunc à ſiniſtris, occurrit. Apud Romanos duo quum ſimul incederent, illud erat latus honoris, quod tegebatur; unde factum, ut nunc dextra, nunc ſiniſtra potior eſſet, prouti ille, qui tegendus, iter aggreſſus eſſet: tum enim comes *tegere*, vel *cingere latus*, vel *exterior ire*; cui vero præſtaretur comitatus, *interior ire* dicebatur. (*g*)

Fallitur

(*u*) *Saturnal.* Lib. I. Cap. XII. pag. 171. Edit. Londin.

(*x*) Maja quoque obſtetricis officium parturientibus præſtat. Ipſa vox Græca *Obſtetricem* ſignificat. Feſtivum Majæ & Mercurii Dialogum nobis dedit Lucianus qui legitur *Operum* ejus Tom. I. pag. 232. Edit. Græv.

(*y*) Mercurio Maximo C. Silius Fundanus Cis-Alpinus Gallus votum perſolvit. Reinesius *Inſcript.* Claſſ. I. num. 81.

(*z*) *Bell. Gall.* Lib. VI. Cap. XVII.

(*a*) Voce: Ἑρμῆς.

(*b*) Meurisse *Hiſt. des Eveques de Metz* pag. 10.

(*c*) Gerhard. Jo. Vossius in *Etymologico.*

(*d*) Livius Lib. I. Cap. XXI.

(*e*) Statius *Silvar.* Lib. V. Carm. I. vers. 13. Silius Ital. Lib. XI. 531. Quinctilianus in *Proœmio.* Apulejus *Metamorphoſ.* Lib. II. pag. 121. Varro *de Lingua Lat.* Lib. VI. 2.

(*f*) Kirchmannus *de Annulis* Cap. IV.

(*g*) Horatius *Serm.* Lib. II. *Sat.* V. vers. 16. ſqq.

- - Ne tamen illi
Tu comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.
Ut ne tegam ſpurco Damæ latus?

Adde Ovidium *Faſt.* Lib. V. vers. 67.

NONUM.

Fallitur ergo Georgius Longus, Ambroſianæ Bibliothecæ Cuſtos olim, omnibus viribus contendere conatus, (*h*) eum apud Veteres *exteriorem* dici conſtanter, qui ſit ad dextram, adeoque ſiniſtram honoratiori ſemper conceſſam fuiſſe; quum res hæc à diverſa hominis, qui interior ſive tegendus erat, poſitione pependerit. Fecit hoc autem Longus, ut rationem indicaret, ob quam, in veteribus Pontificum Rom. ſigillis, Paulus à dextra, Petrus à ſiniſtra conſpiciatur.

§. XXIX.

Inter Mercurios Sulzbacenſes ſecundus, qui bipedalis eſt, dextra manu piſcem tenet, quem canis appetit. Piſcem hunc Bocem (*i*) eſſe vel Boopem arbitror. Uti enim apua (*k*) piſcis Veneri, citharus Apollini, mullus Dianæ, ita boca, box, boex, boax, ſive bocas ſacer erat Mercurio, quod apud Athenæum Dorion (*l*) prodidit. Canis, qui adſidet Mercurio, inter animalia, ei conſecrata, refertur. Fabula rei dedit occaſionem. Narrant Mythologi, teſte Luciano, Deos à Gigantibus oppugnatos, eorumque ſpecie perterritos, in Ægyptum aufugiſſe; quo quum perveniſſent, nec ſe ſat tutos putaſſent, variorum animalium accepiſſe formas; Jupiter hinc in arietem, Mercurius in canem, Pan in hircum, Juno in vaccam, alii in crocodilos, ibides, ſimias, mutati ſunt. Idem canis in tertio Sulzbacenſium Lapide Mercurio, bulgam dextra, caduceum inverſum ſiniſtra tenenti, aſſidens viſitur, quem, ut & quartum, nonniſi bulga caduceoque conſpicuum, quod nihil peculiare continent, non damus æri inciſos. *Animalia Mercurio conſecrata. Tab. IV. num. 2.*

MERCURIUS REICHSHOVIANUS.

§. XXX.

SUlzbaco Reichshovium oppidum, ſeſqui leucæ intervallo ab eodem diſſitum, tendimus. Extra muros ejus Mercurialis Lapis votivus, Eccleſiæ dirutæ muro inſertus olim, nunc in Aula mea viſitur, tres pedes longus, unum cum dimidio latus; eique imago Mercurii anaglyphico inſculpta eſt opere. A dextro ejus humero ſtrophium pendet: ſiniſtra manu tenet incurvatum illud marſupium, dextram capiti hirci imponit. Ad latus utrumque ſuperius fœminea protome cernitur, ad pedes vero capita duo viſuntur. Ad Mercurium omnia referre ſi velles, crederes, ſuperiorum alteram Majæ, alteram Opis eſſe imaginem, quarum illa mater ejus, hæc fuerat nutrix. Conjecturæ favet, quod inter Sulzbacenſia Mercurius cum Maja exprimitur; cui in hoc Reichshovienſi Ops Majæ potuit addi; niſi ex pellicibus aut filiabus Mercurii duas heic repræſentari, aut omnia ad ſculptoris ingenium referri, malueris. Supremæ Lapidis parti Inſcriptio hæc legitur inſculpta: *Mercurius Reichshovianus. Tab. IV. num. 3.*

DEO. MER. S. VIC
TORINA. NATALIS
EX. V. P. L. L. M.

Deo Mercurio Secunda Victorina Natalis ex voto poſuit lubens libero munere. Siglum S. hoc loco ſingularia prænominis nota eſt, ſignatque *Secundam*; quod inter prænomina habuiſſe Romanos, Reinesius (*m*) docuit. Ne autem duo hæc *Secundus* & *Sextus* confunderentur, poſterius tribus ſemper elementis prioribus SEX. à Marmorariis expreſſum reperimus. *Secundi* prænomen in Lapidibus rarum, ſed *Secundæ* rariſſimum.

L l 1 Votorum

(*b*) In Tractatu *de Annulis Signatoriis Antiquorum* Cap. IX. pag. 91.

(*i*) Aristoteli, citante Athenæo Lib. VII. Βόξ, Numenio Βῶξ, qua etiam appellatione Oppianus Lib. I. utitur. Speusippo & aliis Atticis Βωξ, à voce, ideoque Mercurio, vocis & linguæ Deo, ſacer habitus, ut exiſtimat Athenæus. Mænis ſpecies eſt, ut Rondeletius *de Piſcibus* Lib. V. Cap. XI. ſcribit, magnitudine pedali. Figuram ejus exhibet Jo. Jonstonus in *Hiſtoria Naturali* Lib. V. Tit. III. Cap. I. Art. XXIII. pag. 84. quæ conformis eſt piſci, quem Mercurius noſter manibus tenet. Multa quoque de Boce Ulysses Aldrovandus *de Piſcibus* Lib. II. Cap. XLI.

(*k*) De Apua vide Plinium Lib. XXXI. Cap. VIII. Patinam de apua fricta memorat Apicius Coelius *de Arte Coquinaria* Lib. IV. Cap. II. pag. 114. Vocatur quoque aphya; & quia ex ſpuma ortum ſuum ducere credita eſt, ſacra fuit Veneri, ob communes origines. Ulysses Aldrovandus *de Piſcib.* Lib. II. Cap. XXIX. ſqq.

(*l*) Dorion in Libro *de Piſcibus* apud Athenæum *Deipnoſophiſtar.* Lib. VIII. Idem Dorion ſcripſit Librum, qui Γεωργικός dictus, ab Athenæo quoque allegatum Lib. III. Bocam Festus in piſcium claſſe ponit.

(*m*) *Inſcript.* Claſſ. XII. num. 51. Adde Claſſ. VIII. num. 76.

Votorum ſolutorum mentio, in Alſaticis Monumentis frequens, admonet me vocum, in re votiva ſolennium, *nuncupare*, *ſuſcipere*, *ſolvere*, *ſignare*. Solennia vota ſuſcepta dicebantur, quum nuncuparentur, referrenturque in Tabulas. Sic conſcripta quum eſſent, ſignata vel obſignata (*n*) Deorum ſtatuis affigebantur. (*o*) Voti compotes refigebant Tabellas, ſolvebantque Diis, quæ ſe daturos promiſerant. Pontifices, Conſules, Cenſores, Prætores in Urbe, Præſides in provinciis, pro Imperatoribus vota nuncuparunt. Poſt nuncupationem ſignata, vel in tabulas relata, ad finem anni ſervarunt, quo perſolvebantur, & alia nova nuncupabantur; (*p*) præeunte Pontifice, Sacerdote, Prætore. Formulas legesque dedicationum habet BARNABAS BRISSONIUS. (*q*) Vota denique quum ſolverent, *libere* & *lubenti* animo ſe id facere, ſemper profeſſi ſunt; ſpontanea, non coacta munera Diis grata reputantes.

Tab. V. Lit. b.

Mercuriali Reichshoviano Lapidi literato illiteratum addo, qui dum hæc ſcribo, eodem in loco, quo præcedens, inventus mihique advectus eſt, quem Tab. V. lit. b. exhibet. Hic præ cæteris omnibus id habet ſingulare, quod omnia Mercurii ſymbola, quæ in aliis Monumentis ejus ſigillatim occurrunt, caduceus, bulga, hircus, gallos, heic conjuncta ſiſtuntur; bulga enim ſive marſupium eſt, quod Mercurius dextra ſua inter duo cornua hirci reponit. Mercurio noſtro Reichshoviano ſimilem plane Peutingeriana Domus poſſedit, uti rariſſimus CONRADI PEUTINGERI *Liber Inſcriptionum Auguſtæ Vindelicorum* (*r*) me docet.

MERCURIUS BADA-MARCHICUS.

§. XXXI.

Mercurius Bada-Marchicus. Tab. IV. num. 4.

VOgeſo noſtro Martianam ſilvam, quæ & Nigra vocatur, ab altera parte Rheni ſitam, Vogeſoque parallelam, quos inter Rhenus, tanquam in valle perpetua, defluit, ſubjungimus. Verticem ibi ſublimem, noſtro non minorem Donone, extollit, atqoe è longinquo oſtentat, Staufenbergenſis (*s*) ille ootiſſimus Mons, ad cujus radices ſitum eſt oppidum Bada-Marchionum, ſuis Thermis illuſtre. Montem præruptum conſcendi, ut oculis meis tandem decernerem, quid de anaglyptico illo Mercuriali ſimulacro (*t*) ſtatuendum; quod duas in partes diffractum, in ſummo montis apice jacet, cujus tam variæ, totoque inter ſe cœlo diverſæ, delineationes ad me miſſæ fuerunt. Mercurium deprehendi, nonnullis ex numero eorum, quos mons noſter Dononius fert, ſimilem, niſi quod Staufenbergenſis ſtaturæ majoris, ſex pedum nempe & IX. pollicum, eſt. Siniſtra caduceo innititur, hirco ad ejus pedes jacente. (*u*) Pileo quidem caret alato, ſed alæ capiti ipſi affixæ, nudus ſexuque careos. Caper quidem Baccho dicatus fuit, ut Mythologi docent; Mercurio tamen additus quandoque, ut & in Doooniis tribus deinceps videbimus, quod Mercurius in pulcherrimum hircum ſe vertiſſe creditus, ut Penelopen, in Taygeto monte armenta Patris Icarii cuſtodientem, captus amore, falleret; ex quo concubitu Pan, hircinis pedibus, barba capiteque cornuto inſtructus, prodiiſſe creditus eſt. (*w*)

DO-

(*n*) TURNEBUS *Adverſar.* Lib. I. Cap. XVII. paulo aliter. Rectius RUTGERSIUS *Varior. Lect.* Lib. V. Cap. V.

(*o*) JAC. PHIL. TOMASINUS *de Donariis Veterum* Cap. VII.

(*p*) PLINIUS Lib. X. *Epiſt.* XLIV. & XLV. Vid. Jo. MARIA CATANEUS in *Notis ad* has *Epiſt.* FIORELLIUS *de Statuis Roman.* Cap. XXIX. LAURENT. *Var. Sacr. Gentil.* Cap. V. BLONDI *Roma Triumphans* I. pag. 16.

(*q*) *De Formulis ſolennibus populi Rom.* I. pag. 115.

(*r*) Liber impreſſus eſt Moguntiaci in ædibus Joannis Schæffer An. MDXX. fol.

(*s*) Vocatur quoque à multis *Mons Mercurii*, (*Mercuriberg*) ab imagine illa Mercurii, de qua nunc agendum. Staufenbergenſem montem vide in Topographia Alſatiæ exhibitum, in Ichnographia Argentorati; ubi altiſſimos trans Rhenum montes Lectoris oculis è longinquo offert.

(*t*) A vulgo Badenſium dicitur *der gehauene Mann*, homo ſculptus.

(*u*) VELSERUS inter *Monumenta Auguſtæ Vindelicor.* pag. 367. ex Peutingerorum ædibus producit Mercurium, ad cujus pedes à ſiniſtra gallus, à dextra bos, quem, errore exſcriptoris vel ipſius Chalcographi, ex hirco in bovem immutatum fuiſſe arbitror.

(*w*) HERODOTUS in *Euterpe.* HOMERUS in *Hymnis.* CICERO *de Nat. Deor.* Lib. III. NATALIS COMES in *Mythologia* Lib. V. Cap. 6. pag. 452.

DONONIS MONTIS MONUMENTA.

§. XXXII.

Mont Dononis. *Tab. II. & III.*

IN Vogeſi medio, & in ipſo quidem Alſatiæ Lotharingiæque collimitio, verſus *Planiam* (*x*) rivum, altiſſimus mons eſt, ad Lotharingos pertinens; quem Gallici idiomatis accolæ Lotharingi, à latere occiduo Vogeſi habitantes, *Donon*; (*y*) Germani vero Alſatæ, qui ab oriente montem attingunt, *Donnen* appellant. A prioribus alio quoque nomine vocatur *la Montagne de Framont*; qua voce vel *Pharamundi* vel *Francorum montem*, Germanice *Franckenberg*, (*z*) deſignari viſum nonnullis. Unde antiqua apud Provinciales illius oræ exorta traditio, primum Francorum, cis Rhenum dominantium, Regem Pharamundum in hoc monte habitaſſe, & magnis cum theſauris ibidem fuiſſe ſepultum, quos adhuc alicubi in Monte latere, ſibi vulgus perſuadet. Nomen ergo *Framont* an à Francis, (*a*) an à Pharamundo, quæ communis traditio, an aliunde derivandum, diſquiritur. MABILLONIUS receptam apud Provinciales famam adeo non rejicit, ut Diſſertationem ſuam de *primorum Franciæ Regum ſepulturis* conſcribendi occaſionem inde deſumſerit. *Senonienſis Abbatiæ Charta* de An. MCCLXI. eandem traditionem jam prodit. HUNIBALDUS apud TRITHEMIUM dicit, Marcomirum & Pharamundum *in Monte, qui dicitur Franckenberg, more gentilitio ſepultum.* Teſtimoniis his parum fidei licet MABILLONIUS tribuat, quod Chartæ illius ex ſeculo XIII. teſtimonium in rebus ſeculi V. parum fidei mereatur, quodque Hunibaldi auctoritas apud Criticos nulla ſit: in eo tamen falſam opinionem ſuſcepit, quod montem *Franckenberg*, memoratum Trithemio, ad Vogeſum retulerit, referendum ad Cattos. Horum enim in partibus ejusdem nominis mons eſt, ſex circiter leucis diſtans Marburgo. Cattos autem ex præcipuis Francici fœderis ſociis fuiſſe, nemo hodie in dubium vocat. Præterea Virum, multifaria eruditione præditum, latere vix potuit, ante Tolbiacenſem Clodovei pugnam in Alſatia Francos nec pedem fixiſſe, nec figere potuiſſe; omni hac ſuperioris Rheni ora ab Alemannis occupata, qui hac ex parte penetrarunt in Galliam; quum Franci, Alemannorum confines ad Mœnum flumen, Inferiorem Rhenum infeſtaſſent, ut ſuum in Gallia Belgica ſtabilirent imperium, abrogarentque Romanum. Quodſi Alſatia noſtra primis Merovingorum Regibus jam ſubjecta fuiſſet, nullus ego conjecturæ receptæ repugnarem. Pharamundo autem in etymologica vocis *Framont* expoſitione nullum me locum dare nemo mirabitur, cum rationes perpenderit, quæ nobis pridem perſuaſerunt, ut hunc, Francicæ Monarchiæ qui creditur conditor, ex Franciæ Regum eliminaremus (*b*) hiſtoria: qui, ſi vel maxime Francos rexiſſet, nullum tamen pedem in Alſatia fixit, quæ toto fere ſeculo quinto ad annum usque CCCCXCVI. hoc eſt, ad Clodovei I. tempora, Alemannos dominatores experta eſt. Veriſimiliores autem illæ etymologiæ videntur, quæ vel à *ferri*, in monte illo abundantis, copia, (*Ferratus mons*) quo nomine MONTEFALCONIUS (*c*) eum appellat, vel à duobus montibus juxta ſe poſitis, & ex uno quaſi in duos diffracto, (*Fractus mons*) (*d*) vel à veteris viæ, à Romanis ſtratæ, & ad montem hunc adſcendentis, ruderibus, quæ viæ medio ævo appellabantur *Ferratæ*, (*e*) nomen iſtud derivant. Ipſum Montem Dononis *Framont* vocari nondum ſatis conſtitutum eſſe equidem video,

(*x*) A parte occidentali hujus Montis planities panditur, quam Plania (*Plaine*) flumen perluit, alluens quoque oppidum in illa ipſa parte *Raon ſur Plaine*, ita appellatum, ut diſtinguatur ab oppido altero *Raon l'Etappe*. Per hanc Vallem olim Romana militaris via verſus Rhenum ducens tranſivit, cujus veſtigia adhuc dum ſuperſunt.

(*y*) THEODORICUS RUINARTUS in *Itinere Literario per Alſatiam & Lotharingiam*, in MABILLONII *opuſculis Poſthumis*, Tom. III. pag. 443. exiſtimat vocem *Donon* corruptam eſſe ex *Deux Monts*, nomenque apud accolas exortum, quod revera mons monti impoſitus videatur, uti mox ex deſcriptione ejus apparebit. Notandum vero, præter duplicem hunc Montem, qui ſummus & monumentis ſuis celebris, alium adhuc eſſe Dononem, qui minor appellatur, & majori vicinus eſt. Minor, qui verticem paulo minus altero tollit, in Alſatia ſitus, nulla re memorabilis. Major, quem nos deſcribimus, Lotharingicus eſt, vocaturque *le Grand Donon*, Germanis *Die Hohe Donnen*. *Vita Odiliana* ſeculi VIII. Scriptor Anonymus & *Topologus Novientenſis*, qui ſeculo XIII. vixit, montem hunc cum Odiliano ſive Hohenburgenſi confuderunt, quando hunc *Altitona*, quod Germanicum *Hoben-Donnen* eſt, per errorem appellant.

(*z*) CALMET *Hiſtoire de Lorraine* Tom. I. pag. 270. Edit. poſter. MABILLON. *Diſſert. ſur les Sepultures des anciens Rois de France*, Opp. Poſth. Tom. II. pag. 44. & 47. RUINARTUS loco cit.

(*a*) Francorum montem, quod ibi priorum Regum Francorum tumuli habeantur. RUINARTUS loco cit. pag. 446. ſententiam recenſet, verum nec rejicit, nec approbat.

(*b*) Vide *Illuſtres ex Hiſtoria Francica Controverſias*, quas in lucem emiſimus anno MDCCXXXV. pag. 1. ſqq. & *Commentationes* noſtras *Hiſtoricas* pag. 367.

(*c*) *Antiquité Expliquée* Lib. V. Cap. II. pag. 416.

(*d*) Prouti mons Pilati, Lucernæ urbi imminens, *Fractus Mons* appellatur. Vide ſupra pag. 7.

(*e*) Talis Via ſtrata ad veterem Amagetobriam Sequanorum, CAESARI memoratam, duxerat, teſtante CHIFLETIO *Veſont.* Part. I. Cap. XXXV.

ſed hoc nominis villulæ vel fabricæ ferri, ad Dononis radices ſitæ, attribui certus ſum. Loco huic *infra montem* ſito, vere nomen *Framont* impoſuit vulgus: origo vocis enim indubie Latino-Gallica eſt. Dononis Montem ergo à cæteris montibus ut Lotharingi diſtinguerent, à loco, ad pedes ejus ſito, lingua ſua appellarunt: *Montagne de Framont*. Ita locus, ad radices, nomen ſuum à monte, mons viciſſim à loco appellationem accepit; quæ conjectura veriſimilis ſi Lectori placebit, reliquæ omnes *Framontis* etymologiæ ceſſabunt.

§. XXXIII.

Deſcriptio montis.

Sed ad ipſam Dononis deſcriptionem progredimur, quam nos quidem ſupra (*f*) jam paucis attigimus, ubi Vogeſi ſitus & dotes generatim delineati. Mons hic, quem ipſe conſcendi, inter cæteros Vogeſi Alſatico-Lotharingici montes ſuum caput extollens, (*g*) in duas partes dividitur, quarum altera alteri, ceu rupes rupi, impoſita. Inferior pars montis, verſus occidentem, in modum propugnaculi efformata & undique abrupta eſt. Per rupium fiſſuras & ſaxorum intervalla, non ſine labore, ad primam aſcenditur planitiem, quæ orientem verſus C. pedes lata, plus quam XL. paſſus longa, altera rupe editiore terminatur.

Ædificia.

In planitie hac veteris cujusdam ædificii cernuntur ruinæ, quod intra muros XXXVII. pedes longum, XXVIII. latum fuerat, altum vero, uti ex lapidibus, qui ſuperſunt, conjici poteſt, tredecim circiter pedes. Duæ portæ, V. pedes altæ, II. pedes latæ, una ad orientem, altera ad occidentem vergebant. Totidem erant feneſtræ, una ſcilicet ad ſeptentrionem, altera ad auſtrum, utraque alta pedes V. lata IV. Ædificium iſtud ex quadris ſectisque lapidibus confectum erat, tam ſolide compactis, ut vix potuerint disjungi, definituque adeo difficile, quonam inter ſe vinculo cohærerent. Tegulæ & carbones, in foſſa IV. pedum profunditatis, per omnem ambitum ducta, reperti, ingens olim fuiſſe ædificium, tempore flammisque vaſtatum, teſtantur. Paſſibus XXV. ab eo loco columnæ quadratæ, XXIX. circiter pedes altæ, occurrunt; ex quarum fragmentis patet, tres columnas ſibi invicem ſubſtratas, ſingulasque ſua baſi & capitello fuiſſe inſtructas. Infimæ baſi Inſcriptio inſculpta: *Jovi Opt. Max. à. C. Lucullo Lepidino dicata*, quam Ruinartus (*h*) adhuc vidit, ego fruſtra quæſivi, quæque adeo cum altera, Mercurio, Hecatæque dicata, quam ſupra quoque retulimus, periit. Poſt XXV. pedum intervallum extabat aliud Ædificium, ſimile prorſus huic, quod modo deſcriptum: inde tertium duobus reliquis ſimile, parique diſtantia. E regione ſecundi, verſus aquilonem, veſtigia ſunt putei, temporum diuturnitate oppleti. À planitie hac prima per alteram ſive ſuperiorem rupem, mediocri declivitate, ad ſummum aſcenditur culmen. Supremus hic vertex Dononis, in ovi ſpeciem efformatus, lapidibus tectus eſt. Planum ab oriente in occidentem paſſus circiter CL. ex aquilone ad auſtrum vero pedes XXV. habet in latum. In declivitate, quæ verticem cingit, & quidem verſus meridiem præſertim & aquilonem, Mercurii ſimulacra, opere anaglypho inſculpta lapidibus, magno ibi numero promiſcue jacent, quæ ex apice montis, ubi Templum Mercuriale erat, præcipitata fuerunt. Hæc inter aliæ quædam hominum veſtitorum imagines, ſimilibus lapidibus inſculptæ, occurrunt.

§. XXXIV.

Figuræ.

Tab. III. num. 3.

Spectatoris curioſi oculos denique duæ figuræ, dextro lateri verticis, qua meridiem ſpectat, & quidem ipſi ſaxo, inſculptæ invitant, quarum altera aprum, altera canem in Tabula, rupi inciſa, diſtincte exprimit. Apro, literis Romanis ſubjecta vox SVRBVR, cani vox BELLICcVS. Tabulæ totius capedo trium pedum in longum eſt, duorum pedum in latum. Faciem Dononis, cum Monumentis ſuis, generatim exhibui, qualis ſuperioris ſeculi fine extiterat; Hiacynthi Allioti, in Mediano Vogeſi Monaſterio Abbatis, qui circa An. MDCXCVI. ipſe quoque locum perluſtraverat, (*i*) Schedis

(*f*) In Conſpectu Alſatiæ §. IX. pag. 7.

(*g*) *Donon* cæteris montibus, etiam altiſſimis, tertia fere parte editior eſt; proſpicitur inde longe lateque cis & trans Rhenum.

(*h*) Mabillon *des Sepultures des Rois de France*, in *Operibus poſthumis* Tom. II. pag. 46.

(*i*) Supra Period. Celticæ §. XCIX. pag. 84. Alliotus Abbas factus MDCLXXVI. obiit MDCCV. Humbertus Bellhomme *Hiſt. Mediani Monaſt.* Part. IV. pag. 432. Ex Allioti deſcriptione Mabillonius ea deſumſit, quæ *Diſſertationi* memoratæ de hoc monte inſeruit; idemque fecit Ruinartus in *Itinere Lotharingo-Alſatico*, qui cum Hiacynthi fratre, Petro Allioto, montem ipſe An. MDCXCVI. die XVI. Sept. conſcenderat; Mabillonio interea iter continuante ad Alſatas. Hiacynthus Abbas Medianenſis ad fratrem ſuum, Medicum Ludovici XIV. de his monumentis Dononis Epiſtolam ſcripſit, cujus in Diario Eruditorum (*Journal des Sçavans.* An. MDCXCVI. Menſe Jan. pag. 25.) mentio habetur.

Schedis adjutus. Illa autem ætate non modo Monumenta, quæ ex Abbatis hujus delineatione ab ipſis lapidibus deſcripta, damus ære expreſſa, ſed & plura alia ejusdem generis in illo monte ſupererant. Ab eo tempore & Lapides Literati, & ex Imaginibus Mercurialibus, plures alio aſportati fuerunt; Templum, quod modo deſcripſi, plane deſtructum, ita ut Dononem, quem ALLIOTUS & RUINARTUS An. MDCXCVI. viderunt, in ipſo jam quæras Donone. Figuræ hæ non barbaros artifices, ſed artis ſculptoriæ ſatis bene peritos, habuerunt auctores. Nec omnes uno eodemque tempore ſculptos crediderim. Lapides, quibus figuræ inciſæ, ejusdem naturæ deprehendi, cujus ſaxa montis ipſius ſunt. Tot Mercurialium ſimulacrorum, vertici montis adjacentium, copia, Templi, Mercurio ibidem olim dedicati, indicium eſt: Templum, in prima montis planitie poſitum, Jovi & Mercurio ſacrum fuiſſe, Inſcriptiones, præterito ſeculo ibi adhuc conſpicuæ, quarum altera Jovem, altera Mercurium loquitur, nobis quoque indicare videntur. Itaque Dononem optimo jure *Mercurii*, ſive, ut Galli loquebantur, *Vodani-Montem* (k) appellares, cujus ominis locum alibi Lotharingia habet; firmaque adeo manet ſententia, quam ſupra (l) declaravi, Dononem pro religioſo magis, quam caſtrenſi loco habendum.

§. XXXV.

Sed jam ad Imaginum Mercurialium examen progredimur. Ex quatuordecim, quæ ſeculi hujus initio, partim integræ, partim fractæ (m) ibi conſpiciebantur, nonniſi novem præcipuas ſelegi; oculis offerendas Lectorum. (n) Imagines hæ diverſæ magnitudinis fuerunt. Nonnullæ altitudinem quatuor pedum excedunt; nudæ ſunt, niſi quod primus & ſeptimus palliolum, vel chlamidulam levem, humeris impoſitam, habeant: tres priores & quintus dextris ſinguli marſupium tenent. Ab eo, quod primus manu tenet, faſcia defluit. In Mercuriis illis, quorum capita ſuperſunt, petaſus cernitur alatus, ſive pinnis ornatus. Caduceum nonniſi duo tenent dextra, quatuor alii ſiniſtra; & primus quidem, quintus ac nonus erectum, ſecundus, quartus (o) & ſextus eum tenent demiſſum. Animal ad pedes quarti & octavi ſimulacri hircus vel caper eſt; alias Baccho ſacratus, uti Mercurio aries. Mercurii imago in Monte *Staufenberg*, prope oppidum Badenſe Marchionum, ad pedes ſuos quoque habet caprum; quod noſtrum hoc Dononis Monumentum illuſtrat. Similes duo Mercurii, quibus caper ſingulis additus, in Wirtenbergenſi Ducatu reperti ſunt, qui aſſervantur Stutgardiæ. (p) Animal ergo, quod primo Tabulæ II. num. 1. Mercurio additum & vetuſtate fere deletum, caper eſt. (q) Secundæ quartæque figuræ gallus additus, avis Marti, Æſculapio, ſed & Jovi interdum, Cybeli, Mercurioque, imo apud PLUTARCHUM, (r) Anubi quoque Ægyptiorum & Hermanubi, dicata.

Explicatio figurarum, Tab. II.

Tab. II. num. 1.

Æſculapio de capra res divina imprimis fiebat, quoniam capra nunquam ſine febre eſſe dicitur; ſalutis autem Deus Æſculapius eſt, cui & gallus immolabatur. Socrates moriturus apud Platonem teſtamento ſuo gallum Æſculapio reliquit. (s) Alitem hunc, propter vigilantiam, Mercurio dicatum fuiſſe haud mirum. In Agro Tigurino repertum Mercuriale ſignum, ad cujus pedes teſtudo, quæ nulli Numini minus, quam Nuntio Deorum, attribuenda videtur. Figuræ ſeptimæ addita quædam Epigraphe eſt, cujus literæ, nullo ordine poſitæ, ita poſſunt collocari:

Tab. II. num. 7.

D E. M. P. V. C.
V. S. L. M R I

(k) Vide ſupra pag. 72. Apud Salodurenſes quoque collis, ab Hermete ſive Mercurio nomen trahens, *Hermes-buhel*. Talem etiam reperi in introitu fere Vogeſi Alſatici, prope villam *Laugen-Sultzbach*, Schœneckianæ Dynaſtiæ, haud procul ab oppidulo Wœrtha.

(l) §. CCVIII. pag. 240.

(m) Potioribus ſimulacris his, Chriſtianorum forte veterum zelo, abſciſſa ſunt capita, quod primis Gentiliſmi, ex his oris per Francos profligati, temporibus factum eſſe conjicio. Quodſi altius ibi terra effoderetur, plura adhuc alia hujus generis forte reperirentur monumenta.

(n) Monumentorum Tabula II. Adde MONTEFALCONIUM *Antiquit. Explan.* Tom. II. Tabb. CLXXXVI. CLXXXVII. Lib. V. Cap. II. & JACOBUM MARTINUM in *Lib. de Religione Veterum Gallorum*, Gallice ſcripto. Tom. I. Lib. II. Cap. XVI. pag. 338. ſeqq.

(o) Figuram hanc, quæ vere Mercurialis eſt, ſed dubii ſexus, ALLIOTUS ſacrificulam Bacchi credidit; quæ duos ſerpentes, nexibus amplexos, teneat, atque alterius caput conterat.

(p) PREGIZERUS in *Suevia & Wirtenbergia Sacra*, pag. 222.

(q) Vide ſupra in Mercurio Staufenberg. pag. 450.

(r) In Libro *de Iſide & Oſiride*, ubi: " Ad hunc
" (Hermanubim nempe) inferiora, ſicuti ad illum,
" (Anubim) ſuperiora pertinent: quapropter illi
" candidum gallum, huic croceum immolant.

(s) GYRALDUS in *Hiſtoria Deorum Syntagm.* VII. pag. 254. & 542.

MONUM.

Deo Mercurio P. V. C. (nomen hominis) *votum ſolvit lubens merito.* Romani cujusdam aut, ſi mavis, Galli hominis, votum ſuum ſolventis, nomen in ſiglis P. V. C. reconditum, haud difficulter agnoſco. Quatuor literas poſtremas, ad Mercurii latus ſiniſtrum poſitas, SCHILTERUS (*t*) aliter diſpoſuit atque ita interpretatus eſt: *Miles Legionis Ripariolorum*, vel etiam *Legionis Triceſimæ*, T & R in unam literam compactas arbitratus.

§. XXXVI.

Sexus dubius. *Tab. II. num. 4.*

Nihil autem in ſimulacris noſtris Mercurialibus ſingulare magis, quam annulus ille, nunc ſimplex, nunc duplex, qui in nonnullis (*u*) verendorum loco poſitus, Fig. IV. autem cingulo appenſus eſt, ita ut Mercurii illi ſexus ſint dubii; immo, ſi mammas reſpicias, muliebri quam virili propiores videantur; ſive duplicem Mercurio ſuo ſexum, (*x*) ſive nullum, veteres noſtri Galli affinxerint: ſive ſacra ſua cum Romanis ſacris miſcentes, & in cultu Deorum verecundiores, in ſtatuis eorum verenda exprimere noluerint: eo ipſo quoque oſtenſuri, Deos ſuos humanis oon ſubjectos affectibus, puraque mente colendos. Pudoris exemplum ænea quædam patera Florentina exhibet, in qua Meleagri ſexus lamina quadrata obtegitur. (*y*) Quodſi vero alteram ſenteotiam præferas, non deſunt ſtatuarum divinarum exempla, nbi ſexus promiſcuus. Lunus & Luna apud TERTULLIANUM; (*z*) Veous barbata & maſcula apud SERVIUM (*a*) alibique. MACROBIUS (*b*) de Venere inquit: "Signum etiam ejus „ eſt Cypri barbatum corpore, ſed veſte muliebri cum ſceptro ac ſtatura virili: & „ putant, eandem marem ac fœminam eſſe. „ JULIUS FIRMICUS (*c*) *Venerem* hinc *biformem* appellat. Aliam Venerem vel Deam utriusque ſexus, ſed imberbem, apud MONTEFALCONIUM (*d*) reperis. Cur Veneris ſtatua cum barba & pectine olim à quibusdam efficta fuerit, SUIDAS (*e*) nos docuit. Sed & ipſe Mercurius quandoque barbatus, ut ex PAUSANIA & Mooumentis quibusdam (*f*) apparet. In re tam dubia nihil veriſimilius, quam majores noſtros, quum Celticis ſuis ſacris, Romana ſub Dominatiooe, paulatim valedicerent, ſeque accommodarent Romanis, id ita tamen feciſſe, ut hanc priſci ſui dogmatis de Deorum verecundia partem conſtanter retinerent.

§. XXXVII.

Imagines humanæ. *Tab. III. num. 1. 2.*

Mercurialibus Dononis ſimulacris intermixtæ ſunt tres imagines humanæ, quas Tabulæ III. n. 1. 2. inſculpi curavimus, quarum una lapidi ſola, duæ reliquæ uni quoque lapidi ſimul inciſæ cernuntur. Druidum imagines eſſe, recepta apud plures Eruditorum (*g*) opinio eſt; quæ vero dubia mihi ſemper, imo vix veriſimilis viſa. Non equidem nego, Druides, Alſatiæ Liberæ temporibus, ante Romanam dominationem, in illo monte, arboribus tum conſito, habitaſſe, ibique Celtica ſua ſacra peregiſſe in Luco. Neque porro negaverim, hæc Monumenta Dononis ex Celtica Religione continere reliquias; at illud tamen nemo facile affirmare audebit, ad Alſatiæ Periodum Celticam ea debere referri; quod Romanorum & Græcorum de Mercurio tradita omni ex parte redoleant; id quod Mercurii ſymbola, additaque Romana Inſcriptio, imo & cæteræ Templi, in inferiore Dononis parte exſtructi, teſtantur Epigraphæ, quas modo protulimus. Quodſi hæc admittas, uti profecto non facile rejici poſſunt, non video, qua ratione heic locus coocedatur Druidibus, Romana ſub Periodo ab Imperatoribus ex Gallia proſcriptis. (*h*) Sacerdotibus, publica Lege damnatis, tam ſolennia Monumenta in loco religioſo poſita fuiſſe, num veriſimile eſt? Adde quod Dononis mons, ſub Romana dominatione, ex Luco arboribus conſito, in Templa, quæ Celtarum Religio fere ignoravit, cooverſus eſt. Omnia ergo Celtico-Romanam, hoc eſt, mixtam Religionem loquuntur, in qua tamen Romana dominatrix prævaluit. Non Druides itaque, ſed Gallos primarios ex equeſtri ordine homines, in lapide hoc ſiſti, veriſimilius reputo. Veſtitus etiam tales declarat.

Prior,

(*t*) In *Schedis* ſubitariis, quas ſuper Monumenta hæc An. MDCXCVII. Germanice, ſed nonniſi obiter, ſcripſit.
(*u*) Tribus nempe Figg. I. II. & VI.
(*x*) Mercurio ſexum otrumque ab Antiquis tributum eſſe ex *Albrico* obſervat HUETIUS *Demonſtrat. Evangel.* Prop. IV. pag. 125.
(*y*) GORII *Inſcript. Flor.* Tom. I. pag. 102.
(*z*) *Apologet.* Cap. XV.
(*a*) *Ad Æneid.* Lib. II.
(*b*) *Saturnal.* Lib. III. Cap. VIII.
(*c*) Lib. III.
(*d*) *Antiquité Expliquée* Supplem. Tom. I. Tab. LXXXVIII. pag. 245.
(*e*) In voce: Ἀφροδίτη.
(*f*) Apud MARTINUM *de Relig. Gallor.* Tom. I.
(*g*) SCHILTERUS in *Schedis* alleg. MONTEFALCONIUS loco cit. & ex eo MARTINUS in Libro *de Religione Gallorum*, Tom. I. pag. 215. ſqq. ALLIOTUS in *Epiſtola Mſ.* dubius hæſit, ita enim ſcribit: "Ædificia, in monte Dononis reperta, „ vel monumenta fuerint priſcorum Ducum Francorum, „ vel habitationes Druidum.
(*h*) In Periodo Celtica §. XCVIII. pag. 84.

MONUM.

§. XXXVIII.

Prior, qui in Lapide ſuo viſitur ſolus, tunicam quadratam Gallicam geſtat & quidem ſtriatam, clavatam vel virgatam, manica breviore. VIRGILIUS (*i*) de Gallis: *Virgatis lucent ſagulis.* SIDONIUS APOLLINARIS, (*l*) ubi Sigismeri, regii juvenis, veſtitum deſcribit, ita loquitur: "Manicæ ſola brachiorum principia velantes. Viri- „ dantia ſaga, limbis marginata puniceis, peoduli ex humero gladii, balteis ſupercur- „ rentibus ſtrinxerunt clauſa bullatis latera rheoonibus. „ Vir Gallus noſter ſagum chlamydemve non habet, at tunicam gladiumque, (*m*) impoſitum tunicæ, tenet ſiniſtra, qua tenet & librum. Chirothecam, non librum eſſe putavit MONTEFALCONIUS, (*n*) delineatoris, quem Alliotus adhibuerat, exemplo deceptus; & ipſe MARTINUM (*o*) in errorem inducens. Monumentum quum cupide luſtraſſem, libri formam inveni; ea ipſa enim in parte minus læſus eſt Lapis. Eo veriſimilior autem hæc de *Libro* conjectura eſt, quod & in altero Lapide imago hominis repræſentatur cum libro, cujus dorſum oſtendit. Vas denique dextra Gallus noſter teoet, ſive vinarium ſive aquarium, ſive aliud quoddam, (crumenam enim cum MONTEFALCONIO nollem interpretari) frequente in Monumentis Mediomatricenſibus more; ubi figuræ pleræque, tunicis aut ſagis indutæ, vel ciſtulam, vel lagenam, ſcyphum, phialam, poculum, vel guttum aliquem, urnam aut ſitulam, vel caniſtrum, aut aliud quoddam vaſculum, ſæpe & malleum in manibus habentes, occurrunt; uti ex MEURISSIO (*p*) diſcimus.

Prima figura. *Num.* 1.

Gladius, Imagini additus, vel Ordinis Equeſtris (*q*) hominem Gallum, vel alium hujus Gentis, dignitate florentem, deſignat: talem forte apud Mediomatricos, qualis apud Æduos *Vergobretus*, Magiſtratus annuus, regiam vitæ necisque poteſtatem in cives exercens; (*r*) quam dignitatem, Cæſaris temporibus, Vedeliacus, Convictolitanes, aliique poſſederant: vel qualis apud Sueſſiooes ætate memoriaque Cæſaris Divitiacus, apud Rhemos Vertiſcus, apud Bellovacos Correus, apud Atrebates Comius, apud Eburones Cativulcus & Ambiorix, qui omnes in Civitatibus ſuis Magiſtratum poſſederunt. Ex Magiſtratibus enim Romanis apud Gallos eum noo fuiſſe, inde conjicio, quod Gallica, non Romana indutus eſt veſte. Adde, quod gladius io Monumento noſtro Gallicus enſis fuit, longus nimirum & absque acumine. Obſervatum id jam fuit in pugna Cannenſi. LIVIUS (*s*) inquit: "In Cannenſi pugna Galli „ & Hiſpani clipeos ejusdem pene formæ geſtabant, ſed gladii admodum diſſimiles erant. „ Gallorum gladii oblongi & non acuminati erant; Hiſpanorum acuminati erant, nam „ punctim ii magis, quam cæſim feriebant.

§. XXXIX.

Cæteræ duæ imagines, ſibi contiguæ, unique Lapidi inſculptæ, & ipſæ duos homines Gallos repræſeotant. Dexter tunica longiore clavata, manicis longis inſtructa, indutus eſt, caretque ſago: alter breviore tunica, ſuperinjectum habet ſagum, ſiniſtra librum ſuſtinens, dexteramque ex ſago exſerens, quum ſocius ejus baculum cum globulo, aut ſi mavis, malleum ſua dextera teneat. Virorum, in dignitate conſtitutorum, ſimulacra hæc eſſe, ex ſanctimonia loci conjicere licet. Sed nunc tandem ad animalia, vivo ſaxo inſculpta, (*t*) procedimus. Canem & aprum manifeſte deprehendi; MONTEFALCONIUS canem in leooem, aprum vero in animal quoddam ignotum convertit, in ſententiam hanc à RUINARTO inductus; qui lucido ſole contemplatus hoc ſaxum, in cane leonem videre ſe credidit, & ipſe ab ALLIOTO, comite ſuo, ita edoctus. (*u*) Sic enim ſcribit RUINARTUS: "Tureuma in ipſo lapide, „ ſculptam exhibens pugnam leonis adverſus aprum. Leo furibundus aperto ore quaſi „ aprum devoraturus in eum inſurgit, at ille ad ſui defeoſionem paratus, à tergo „ habens rupem, qua coarctatur, in loco paulo editiore ſedet. „ Non nuſtram hanc, ſed aliam plane diverſamque tabulam Ruinartum, quum hæc ſcripſiſſet, in oculis habuiſſe crederes. Nullibi in hac rupe figura leonis, ſed canis, qui ipſe autem nec furibundus, nec rictum dilatans, ſed tranquillus apro tranquillo opponitur. MABILLONIUM (*x*) & MONTEFALCONIUM (*y*) alienam fidem ſecutos noo mirum, neuter quum inſpexerit ſaxum, uterque Ruinarti auctoritate ſuffultus.

Reliquæ figuræ. *Num.* 2.

§. XL.

(*i*) *Æneidos* Lib. VIII. v. 660. DIODORUS SICUL. [illegible]

(*l*) *Epiſt. ad Donnitium* Lib IV. Epiſt. XX.

(*m*) MARTINUS de *Relig. Gallor.* Lib. I. Cap. XXX. pag. 215. arbitratur, enſem hunc eſſe crucem. *De ſon col* (inquit) *pend en guiſe de balle une eſpece de croix renverſée, dont le pied eſt fort long.* Sed lapidem quisque inſpiciens enſem videt aperte.

(*n*) *Antiquité Expliq.* Tom. II. pag. 417. Tab. CLXXXVIII.

(*o*) MARTIN *Religion des Gaulois* in loco alleg.

(*p*) *Hiſt. des Eveques de Metz* pag. 12.

(*q*) De Ordine Equeſtri CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XV.

(*r*) CÆSAR Lib. I. Cap. XVI.

(*s*) *Decad.* III. Lib. II.

(*t*) Tab. IV. Fig. III.

(*u*) RUINARTUS in *Itinere* alleg. pag. 445. ALLIOTUS in *Deſcriptione Domonis*, quæ M. S. penes me eſt, idem ſibi perſuaſit.

(*x*) *Diſſert. de Sepulturis Regum Meroving.* pag. 46.

(*y*) *Antiquité Expliq.* Tom. II. Tab. CLXXXVIII. Montefalconius tamen ex ipſo, quod dedit, Schemate canem, non leonem, perſpicere potuiſſet.

§. XL.

Religioſum Monumentum.

Religioſum Monumentum eſſe facile exiſtimo, non modo, quod mons totus ex omnibus fere Monumentis religioſus judicatur, quodque porcus Mercurio, imo & Majæ, matri ejus, menſe Majo cæſus eſt, ut Aristophanes indicat. (z) Gemma extat apud Gorlæum, quam ſupra memoravimus, ubi inter Mercurii ſymbola quoque aper occurrit. Sed & aper apud Germanos nonnullos ſymbolum fuit Numinis, quod vocabant *Odinum.* Hunc annuo curſu confecto, in antro laſſum requieviſſe, tradit Borealium Edda, (a) acceſſiſſeque mox aprum vel verrem, Odinoque graviter ſauciato meliorem ſanguinis exſuxiſſe partem; unde factum ei ſacrificium apri. Sed & Tacitus (b) ipſe refert, Æſtyos Matrem Deum venerari, & ſuperſtitionis inſigne formas aprorum geſtare. Aper, Odino ſacer, vocabatur *Serimner.* (c) Theologiam hanc ex Germania in Alſatiam noſtram Mediomatricam afferre ſecum potuerunt Triboci. Vodanum cum Odino eundem fuiſſe, volunt nonnulli, (d) cum Vodano autem Mercurium Græcorum Romanorumque conveniſſe, plerique exiſtimant. (e) Paulus Diaconus (f) ſcribit: " Wodan, quem adjecta litera Godan dixerunt, ipſe eſt, qui apud Romanos Mercu-„ rius dicitur, & ab univerſis Germaniæ gentibus ut Deus adoratur. „ Odinus Literas & Poeticam Septentrioni intuliſſe credebatur; non indigena, ſed peregrinus, vel Phryx vel Scytha, quod Mercurio quoque ſuo Græci tribuerunt. A Mercurialibus Monumentis ergo non alienus eſt aper, Germanorum olim Mercurio ſacer. Romanorum Suovetaurilia inter res notiſſimas ſunt, qui verrem, ſuem & ſcrofam gratas Cereri victimas eſſe ſibi perſuaſerant. In Mithriacis quoque ſacris, apud Romanos Galloſque frequentibus, quorum Monumentum in Ducatu Bipontino eſt, aper & canis repe-riuntur. Speciatim vero de Gallis memoriæ reliquit Strabo, (g) apros ab illis tanta cura fuiſſe nutritos & quaſi pro ſacris habitos, ut paſſim in Gallia per agros vagarentur, lupis perículoſiores; caroque eorum condita ſale transferretur Romam, ubi haud vili pretio vendebatur. Atque hinc factum eſt forte, ut in Gallicis nummis veteribus aper tam frequens compareat. Æneæ apri imagines in Voſagi partibus hinc inde repertæ ſunt, quarum unam apud Illuſtriſſimum Vredium, Sereniſſ. Bipontini Ducis Adminiſtrum primarium, Rei Antiquariæ amantiſſimum, vidi: alteram in Cimeliotheca mea ipſe aſſervo.

§. XLI.

Canis.

Canis, apro oppoſitus, ex Plutarchi (h) ſententia ſymbolum quoque fuit Mercurii, qui & ipſe facie canina interdum pingebatur, atque Anubis Ægyptiorum habetur à multis. Apud Ægyptios non Anubis modo, facie canina, ſed & canes ipſi in tota Cynopolitana præfectura culti fuerunt. A Caribus canes ſacrificabantur, quod & Sapæi Thraceſque fecerunt, ut canit Ovidius: (i)

Exta canum Triviæ vidi libare Sapæos,
Et quicunque tuas accolit, Hæme, nives.

Romanos in Lupercalibus canes immolaſſe, res nota eſt. Diligentiſſimus omnis Antiquitatis obſervator Plutarchus, (l) quum multa de cane & capra dixiſſet, cur nempe Romani voluerint, ut Flamen Dialis eos nec attingeret, nec voce enuntiaret, demum & illud ſubinfert: " Cœleſtium Deorum nulli prorſus conſecratus eſt canis, ſed „ Chthoniæ Hecatæ cœnæ dimiſſus in triviis piaculi locum obtinet.

Aprum ergo & canem Dononis noſtri ad Religionem pertinere concludimus, ſive id à Gallis, ſive à Germanis, ſive à Romanis denique, Alſatiam ſub Romana Periodo promiſcue inhabitantibus, ſive à mixta quadam ex his tribus Religione, derivare malueris; quum in ſingulis Gentium harum Religionibus, ſpeciatim vero in Mercurialibus Gallorum ſacris, animalia hæc locum habuerint. Rei teſtimonium perhibent ænea illa duo Mercuriorum ſigilla, & cum his variorum animalium ſimulacra, in

(z) Suem Majæ immolatam docet Gyraldus *de Sacrificiis*, pag. 542. Operum ejus.
(a) Rudbeck *Atlantica* Part. II. Cap. V.
(b) Tacitus *German.* Cap. XLV.
(c) Keysleri *Antiquitates Septentr. & Celticæ* pag. 156.
(d) Wachter *Gloſſar. Germ.* voce: *Othinus.*
(e) Vide, quæ ſupra diximus in Periodo Celt. §. LXXV. pag. 71.
(f) *De Geſtis Longobardorum* Lib. I. Cap. IX.
(g) *Geograph.* Lib. IV.
(h) *De Iſide & Oſiride.*
(i) *Faſtor.* Lib. I. vers. 389.
(l) In *Problem. de Flamine Diali.*

MONUM.

in veteri Vitoduro An. MDCCIX. eruta, (*m*) inter quæ etiam aper & canis. Imagines has Turici in Bibliotheca publica quum attentus inſpicerem, manibusque tractarem, ſubiit cogitatio: numquid mirum in Vogeſiano Dononis monte Mercurialibus ſacris canem & aprum miſceri, quum apud vicinos nobis Helvetios idem quoque factum olim fuiſſe, ſigna hæc Vitodurana demonſtrent?

§. XLII.

Hæc quidem hactenus: ſed quid de vocibus, utrique horum animalium ſubſcriptis, ſtatuendum? *Belliccus* nempe & *Surbur*. *Belliccus*, litera *C* duplicata, figuræ canis ſubjicitur, ita quidem, ut minor litera majorem excipiat; quæ ſcriptura vel duriorem vocis pronuntiandæ modum indicavit, vel quadratarii, in literis ludentis, adſcribenda ingenio. Epitheton eſt conveniens canibus, qui ignotis facile bellum indicunt. Fuit boc qnoque nomen Romanæ familiæ. In Faſtis enim C. *Bellicus* Natalis & P. Cornelius Scipio Coſſ. In Inſcriptione Wormatienſi Piſtillius & Quintus & Majanus *Bellici* F. F. V. S. S. L. L. M. (*n*) Niſi integra vocis foret ſculptura, ſyllabam priorem decidiſſe, nomineque illo ad verſum Virgilii (*o*) alluſum fuiſſe diceres: Belliccus & Surbur.

"Ipſe ruit dentesque *Sabellicus* exacuit ſus.

Ceterum Græca canum nomina magno nobis numero ſervavit Xenophon; (*p*) Latina Ovidius; (*q*) quibus canis noſtri Dononii nomen *Belliccus*, audaciam canis denotans, poteſt adjungi. Vocabulum *Surbur* autem, apro ſubſcriptum, Romanæ Civitatis baud eſſe videtur. Quodſi Celtico-Mediomatrica originatio placet, nomen ex duobus monoſyllabis *sur* & *bur* compoſitum, *suem ferum*, ſive ſilveſtrem, boc eſt, aprum ſignificare poteſt. *Sur* nimirum denotaverit ſuem, qui Germanis *ſau*, Græcis ὗς, in plerisque linguis monoſyllabica ejusdem fere ſoni vocula. *Bur*, *bar*, *ber*, ferum denotat, vocali diverſis in dialectis variante.

Schilterus (*r*) voces *Surbur* & *Belliccus*, animalibus licet ſubſcriptas, ad animalia tamen non referri debere exiſtimat; ſed ad quendam hujus oræ Magnatem, Romanis devotum; qui nominis hujus ſui memoriam in vico Alſatiæ *Surburg* reliquerit, quique bellicoſus quod eſſet, *Bellici* elogio à Romanis fuerit ornatus. In Viri hujus illuſtris memoriam monumentum rupi inſculptum fuiſſe, conjectat Schilterus; aliter judicaturus, ſi ipſum oculis ſuis inſpexiſſet monumentum. Sed & ipſa vocabuli *Surburg* etymologia, *Burgum* ſive Caſtrum ad Suram flumen denotans, tam evidens eſt, ut Schiltero aſſentiri nullo modo queamus. Id potius conjicerem, canis & apri imagines & nomina Delubri Mercurialis lateri fuiſſe inſculptas, ut memorabilis cujusdam animalium iſtorum ſacrificii, in Mercurii honorem, à principe hujus oræ Viro celebrati, perpetuaretur *Tab. III.* memoria; qui unus forte fuit ex illis, quorum imagines, ſaxis inſculptas, eadem *num. 1. 2.* Tabula III. repræſentat.

§. XLIII.

In eodem hoc monte Dononis An. MDCCXXXII. repertus eſt titulus, qui tamen Inſcriptio. mox iterum diſparuit, Mercurio Hecatæque dicatus. Mendoſus eſt plane, ſive fabri, ſive exſcriptoris, ſive culpa utriusque. En, qualem ad me miſit Doctiſſ. Senonienſis Abbas, Augustinus Calmetus:

MERCVRIO SECATE
LSVLPO CELIO
VSL CAM
TRIAFANO DACI V.

(*m*) Imagines rerum, Vitoduri repertarum, vide apud Auctores Libri: *Etat & Delices de la Suiſſe* Tom. II. pag. 42. Adde Montefalconium in *Antiquité Expliq.* Tom. II. pag. 418. Tab. CLXXXIX. ex quo Martinus *de Religione veterum Gallorum*, Tom. I. pag. 443.

(*n*) Schannat. *Hiſt. Wormat.* pag. 4.

(*o*) *Georg.* Lib. III. vers. 255.

(*p*) In Libro *de Venatione*.

(*q*) *Metamorphos.* Lib. III. vers. 206. ſqq.

(*r*) In *Schedis Mſſ.* ſupra alleg.

Monumentum, quo Mercurio & Hecatæ L. Sulpicius Celio votum ſolvit lubens. Voces Inſcriptionis pleraſque in mendo cubare, ambiget nemo. Mercurius apud Superos Inferoſque inſignia munera habuit, unde Hecatæ junctum heic reperiri non mirum. Ultimo verſu Trajanum Dacicum memorari, nonnemo ſuſpicaretur, crederetque legendum: *Trajano Dacico V. Conſule.* Hic Trajani Conſulatus incidit in annum Chr. CIII. Urb. Cond. DCCCLVI. victoria à Dacis reportata memorabilis.

Tab. II. num. 7.

Inſcriptioni huic alteram illam Votivam, eidem Mercurio, in eodem monte Donone dicatam, (Tab. II. num. 7.) nomina item *Belliccus* & *Surbur*, cani aproque ſubſcripta, ſi jungas, uno intueberis conſpectu, quicquid literatorum ſaxorum in monte Dononis hoc ſeculo ſupererat: quæ omnia ſane cum ædificiis diverſorum Templorum, quorum rudera extant, una cum tot Imaginibus ſacris, religioſiſſimum locum omni ex parte demonſtrant, ad quem magnus undique hominum confluxus; in quo immenſus votorum, Mercurio factorum, numerus debuit eſſe ſuſpenſus, quæ longa nobis abſtulit ætas.

§. XLIV.

Dagisburgenſe Templum.

Deſcendimus tandem à monte Dononis, ut vicinos ei conſcendamus Dagisburgicos, Lotharingiæ contiguos, ſed Alſatiæ incluſos. Locus ibi eſt in ſolitudine montana, habitatus olim ſub Gallia libera, ut videtur, Druidibus, quem incolæ *Vallicular* (*s*) dicunt, ubi formæ oblongioris quadratæ aream, Mercurialium fragmentis conſitam, ſive Delubri Mercurio dicati, reliquias deprebendi. Omnia autem in multiplicia fruſtula ita diffracta, ut integram inde imaginem non facile componere licuerit. Id tamen ex fragmentis facile collegi, ejuſdem ſimulacra hæc operis indoliſve fuiſſe, cujus Alſatica cætera, quæ hucuſque protulimus. Conjectura hinc, expulſis Druidibus, locum ex Luco in Templum Mercuriale fuiſſe converſum. Tertium ergo hoc Templum majus, ſive Fanum atque Delubrum Mercurii, Gallico-Romanum, in Alſatia Inferiore ejuſque finibus exſtructum reperio: cui haud immerito Staufenberga-Badenſe ſubjungimus. Excelſus ille mons, ingenti ſimulacro Mercuriali, quod noſtris ſimile, ſed longe majus eſt, etiamnum conſpicuus, nobis indicat, illos qui ex Mediomatricis noſtris in Decumates Germaniæ Agros transgreſſi ſunt, ſua quoque ſacra ſecum transtuliſſe. Mons ille Staufenſis, ſi altitudinem ſpectes, non minor ſane Dononio eſt. Apud Mediomatricos trans Vogeſum, in hodierna Lotharingia, Mercurii quoque mons eſt, dictus *Vadani Mons*, (*t*) in planitie exſurgens, Arce ſua medio ævo notiſſimus. Ab Inferiore Alſatia ſi in Sequanicam, ſive Superiorem aſcendamus, apud Veſontinos quoque montem Mercurio ſacrum reperimus. (*u*) In Helvetico Salodurenſium agro collis eſt, quem hodieque recepta vulgi appellatio Mercurii vel Hermetis collem (*x*) vocat.

Mercurialem quoque Ædem apud Nemetes ſuos Inferiores, Alſaticorum noſtrorum populares atque concives, fuiſſe, arbitratus eſt CHRISTOPHORUS LEHMANNUS. (*y*) Acconii certe cujuſdam Mercuriale ſaxum nobis prodit BEYELLIUS apud BARTHIUM, (*z*) cui inſcriptum:

DEO MERCVRIO
ACCONIVS
T. A. (*a*)

Sed & prope Reichshovium oppidum, quod leucæ onius ſpatio Niderbronna, tribus vero leucis diſtat Sulzbaco, in ipſa illa via, quæ ducit Sulzbacum, eoque in loco, ubi ædes quædam Chriſtiana in ruinis nunc jacet, Mercuriale Templum ſtetiſſe, duo nobis ſimulacra Mercurii, quæ inter ruinas illas reperi, indicare videntur.

Monumentis Mercurialibus finem impono *Mercurii Ciſſonii*, (*b*) in principe Sequanorum noſtrorum urbe, Veſontina nempe, culti, titulo, qui An. MDCLXXIX. è terra erutus eſt, SPONIO (*c*) & BAUDELOTIO (*d*) narratus:

DEO.

(*s*) *Vallette.* Vide Dagisburgenſ. Monum. Tabulam.

(*t*) *Vaudemont.* Nomen *Wodan* ad Mercurium quoque pertinere oſtenſum eſt ſupra.

(*u*) CHIFLETIUS in *Veſontione* Part. I. Cap. XX.

(*x*) Germanico Vocabulo *Hermanns-Buhl*; ubi nimirum Victor & Urſus ſocii Martyres excruciati fuiſſe creduntur.

(*y*) *Chron. Spir.* Lib. I. Cap. VIII. pag. 19.

(*z*) BARTHIUS *Adverſarior.* Lib. LII. pag. 2428.

(*a*) Apud GRUTERUM Tom. I. pag. 54. num. 5. ſimilis quædam legitur:

MERCVRIO. CONS
ACOLITVS
.....TAT.....

Grutero videtur eadem eſſe cum noſtra, quam BARTHIUS protulit. Adde MURATORIUM *Inſcript.* Tom. I. pag. 55. num. 7. qui eandem producit, ſed ultimas duas literas TA omittit.

(*b*) Periodi Celticæ §. LXXVI. pag. 72.

(*c*) *Miſcellan. Erudita Antiquitatis* pag. 92.

(*d*) *Utilité des Voyages* Tom. I. in addit.

DEO. MERCVRIO. CISSO
NIO. DVBERATIA. CASTVLA
NATIONE. SYRIA. TEMPLVM
ET PORTICVS. VETVSTATE
CONLABSVM. DENVO. DE. SVO
RESTITVIT.

Clar. DUNODIUS, (*e*) Inſcriptionem hanc recenſens, pro *Ciſſonio* ſubſtituendum eſſe putat *Chtonio*, quod *Ciſonii* & *Ciſſonii* nomina hominum ſubinde occurrant. Hæc de Mercurio atque dedicatis ei Ædiculis, Attegiis, Templis. Jam ad reliqua ejus Monumenta progredimur, quæ in noſtris his oris atque vicinis occurrunt.

§. XLV.

Tabernenſis Inſcriptio.

Tabernis Rhenenſibus, Apiani ætate, Mercuriale Saxum fuit, quod ab eo tempore diſparuit, cujus hic titulus apud APIANUM atque BEYELLIUM: (*f*)

DEO
MERCVRIO
MNSVEVS (*g*)
AR. FACI. E (*h*)
OCIATI. A (*i*)
SECVNDA
V. S. L. L. M. (*l*)

Secunda hæc, votum ſolvens, ex familia forte Q. Secundi illius fuit; cujus filius cum Magiorige in Tabernarum Alſaticarum marmore votum perſolvit. Medii verſus tam corrupti ſunt, vel tam male exſcripti, ut medicam illis manum adhibere detrectem. Aucta mihi Marmoris ipſius inſpiciendi cupido, ut genuinam ejus lectionem forte extricarem, at in eo inquirendo Tabernis labor omnis fruſtraneus fuit. In Vogeſi montibus, prope Tres-Tabernas, hodie *Elſaſs-Zabern*, tractus eſt, cui *Kænigshovio*, à villa forte regia ibi ſita olim, nomen eſt. Ibi erutus Lapis, in privati cujusdam domum ſuburbii Trium-Tabern. translatus, ubi muro inſertus viſitur, cujus hæc Epigraphe:

MERCVRIO
ET. APOLLINI
MAGIORIX. ET
QVINTVS. SECVN
DI. FIL. V. S. L. M.

(*e*) *Hiſtoire des Sequanois* Tom. I. pag. 204.

(*f*) APIANUS *Inſcript.* pag. 463. Eandem Inſcriptionem CASP. BARTHIUS *Adverſar.* Lib. LII. pag. 2428. bis protulit ex Schedis BEYELLII, Presbyteri Spirenſis, qui An. MDXXXV. Inſcriptiones Rhenenſis oræ collegit.

(*g*) Haud dubie *Manſuetus*, duabus Literis E & T. in unam redactis, quod Lapidariis non infrequens.

(*h*) BEYELLIUS, qui Collectioni ſuæ Epigraphen hanc, tanquam duas inter ſe diverſas, inſeruit, uno in loco habet ARFACIE, in altero AFRACI. F. quæ forte optima lectio.

(*i*) BEYELLIUS utroque in loco OCIATIA. quæ lectio hinc præferenda.

(*l*) Litera L. duplicata indubie, quod tritum eſt. BEYELLIUS perverſe in utroque exemplo ſuo poſuit: V. S. K. K. M. Manſuetus enim & Ociatia *Votum ſolverunt lubentes merito.*

MONUM.

Votivum iterum Monumentum, quo *Mercurio & Apollini Magiorix & Quintus Secundi filius votum ſolverunt libero munere*, vel *lubentes merito*, quæ poſterior declaratio tamen literam S. duplicatam requireret, ut in Marmore Tabernarum Rhenenſium deinceps videbimus. Duo heic conceptores votorum ad ſuprema duo Numina Gallorum ſua vota, Mercurium nempe Apollinemque, (*m*) direxerant: quos inter primatum quidem Mercurius tenuit; mox tamen in rebus Apollinis exempla producimus, ubi Apollo ponitur ante Mercurium.

§. XLVI.

Magiorix nomen Celticum.

Magiorix, appellatio Celtica Mediomatrici, ex noſtris Cis-Vogeſianis ſive Rhenenſibus orti, quos inter ſedes poſuerant Triboci, utrique Romanis ſubjecti. Magiorigis conſors fuit Quintus Secundus, Romanæ originis homo, quod obvium ſatis indicat nomen *Secundi*. Celtica vox *Magiorix* admonet me Rauraci lapidis, in quo *Viſurix* memoratur. PLANTINUS (*n*) ex SIMLERI *Mſ.* in lucem eum protulit, An. MDLXV. Auguſtæ Rauracorum repertum, qui deinceps in Monfortii Comitis manus devenit. Altitudo erat V. pedum, latitudo duorum. Saxi mutili reliqua ita produntur:

III TONIS
OM VIII. F.
OCCISSI. IN
VOCRVLLO
VISVRIX
T. MALER. P. C.

Corruptiorem WAGNERUS (*o*) exhibuit. In Lingonico quodam Marmore occurrit Bellorix. (*p*) Apud CÆSAREM *Orgetorix* Helvetius: *Eporedorix*, *Dumnorix*, Ædui: *Ambiorix* Eburonus: *Vercingetorix* Arvernus, memorantur; terminatione RIX frequentiſſima Celtis, (*q*) qua nomina Principum & Magnatum apud Gallos finita plerumque apud Cæſarem reperimus.

Aliæ Aræ Mercurio dicatæ.

Leucarum paucarum diſtantia à Pfazburgo, quod munitiſſimum oppidum Vogeſianas fauces ab occidentali montis latere claudit, uti Tres-Tabernæ eas ab orientali latere claudunt, in Lucelburgenſis Comitatus vico *Weſchem*, eruta eſt, hujus ſeculi initio, Ara dicata Mercurio: tam male habita, ut illi qui notitiam ejus mihi dederunt, vocem IMMENSO, quæ Mercurio ut epithetum addita, vix inde extricare potuerint. Lapis, injuria hominum, pridem in partes diffiſſus.

Mercuriali ſaxo Vogeſiano Trans-Vogeſinum *Herbitsheimii*, qui Sarwerdenſis Comitatus vicus eſt, repertum ſubjungo, ſingulare licet nihil contineat:

IN. H. D. D.
MERCVRIO
SEX. IVLIVS.

Apud REINESIUM Sexti Julii numero plures diverſique memorantur, omnes cognomine quodam diſtincti.


Quod reliquum eſt, de eo quoque Lector monendus, in magno hoc Mercurialium Imaginum, apud Alſatas reſiduarum, numero, nullam tamen ſtatuam ejus ex Lapide ſculptam, neque ſignum, ex ære conflatum, reperiri: omnia ſimulacra ejus nonniſi anaglyptici operis ſunt. Auguſta Rauracorum feracior fuit, quæ & ſuperiore, & noſtro hoc ſeculo Mercurialia aliquot ſigna ænea protulit, partim Baſiliæ ſervata, partim aſportata alio. Veſontio quoque ſigna Mercurialia ejuſdem generis dedit, referente CHIFLETIO. (*r*)

CAPUT

(*m*) Pag. 72. §. LXXV. ex Cæſare primatum Mercurii inter Deos docuimus.
(*n*) *Helvetia Antiqua & Nova* pag. 309.
(*o*) WAGNERUS in *Mercur. Helv.* pag. 36. Inſcriptionem ita expreſſit:

. . . . ONIS
OM VLII. F.
OCCISI. IN
VOC. RVLLO
VISVRIX
MATER. F. C.

(*p*) Vid. *Memoires de l'Acad. des Inſcriptions* Tom. IX. pag. 140.
(*q*) De qua Jo. ISACIUS PONTANUS in *Itinerar. Galliæ Narbon.* pag. 190.
(*r*) *Veſontionis* Part. I. Cap. XX.



Ex Museo Auctoris

Digitized by Google

CAPUT II.

BELENUS, APOLLO.

§. XLVII.

BElenum apud Gallos quum reperiſſent Romani, æquipararunt eum Apollini ſuo, quem inter Deos, à Gallis frequentius cultos, primum à Mercurio locum obtinuiſſe nos edocuit Cæsar, quod morbos eum depellere arbitrarentur. (*s*) Clarius rem prodit Herodianus, (*t*) *Belenum*, inquiens, *Deum vocant indigenæ*, (Galli) *magnaque cum religione colunt*, *interpretantes Apollinem.* Eundem in modum Capitolinus (*u*) ſcribit: "Deum Belenum per Aruſpices ſpopondiſſe, Maximinum eſſe vincendum. „ Unde etiam poſtea Maximini milites jactaſſe dicuntur, Apollinem contra ſe pugnaſſe. „ Conſentiunt Marmora: (*w*) Belenus idem ac Apollo.

APOLLINI
BELENO
C. AQVILEIENSIS
FELIX.

Apollinis cultus mature in Galliam à Romanis fuit translatus. Gallica enim Druidalis familia in Bajocaſſibus fuit, Beleno ſacrata, ex qua Attius Patera genus ſuum duxit; ad quem carmen direxit Ausonius, (*x*) aſſeritque Phœbicii nomen ei fuiſſe impoſitum, quod Apollinarium myſteriorum eſſet miniſter. Druidum tamen fœminarum afflatum Beleno ſuo Gallos, uti Græci Romanique Apollini ſuo Vatum furores adſcripſerant, (*z*) tribuiſſe non puto. Celticum nomen à *flavedine* (*y*) accepiſſe videtur, quod & Apollinis epithetum fuit apud Romanos. Uti autem nullum apud nos Mercurii ſub nomine Teutatis; ita nec Apollinis ſub nomine Beleni ullum apud nos ſupereſt Monumentum. Apollineas imagines duas, unam in Brocomagenſi, alteram in Niderbronnenſi, quadrilateris Aris deprehendi: poſteriorem ex authentico Tab. VI. num. 2. expreſſimus, quod minus læſa priore eſt. Huic æneum ejuſdem Apollinis ſignum, in Alſatia Inferiore pridem erutum, addimus num. 1. Ambo autem quum nonniſi ordinarios characteres contineant, nulla commentatione indigent. (*a*) *Tab. VI. num. 2.*

§. XLVIII.

At Apollinaris Ara literata apud Argentouarienſes olim extitit, à Q. Licinio Trione poſita, quæ nobilem jam Antiquarii mei partem conſtituit, Togati Alſatiæ Præſidis Illuſtr. Dn. Feydeau de Brou liberalitate An. MDCCXL. in meam Aulam translata, cujus hæc Epigraphe: Apollinis Ara.

APOLLINI. GRAN
NO MOGOVNO
ARAM
Q. LICINIVS. TRIO
D. S. D. (*b*)

Apollini Granno Mogouno Aram Q. Licinius Trio de ſuo dicat. Inſcriptio plana licet & brevis, multorum tamen Criticorum ingenia exercuit, ex quo in veteris Argentouariæ ruinis detecta & oculis Orbis Literati hoc ſeculo expoſita eſt.

(*s*) Cæsar *de Bello Gall.* Lib. VI.

(*t*) Lib. VIII. Cap. III.

(*u*) In *Maximino* Cap. XXII.

(*w*) Apud Pighium in *Herculo Prodicio*: Schedium *de Diis Germanis* Cap. VII. pag. 113. & poſt hos apud Philippum *à* Torre *in Diſſert. de Beleno.* Norici & Carni, apud quos etiam cultus, eum acceperunt à Celtis. Aquilejenſium Tutelarem Deum fuiſſe Belenum Turrianus oſtendit.

(*x*) In *Profeſſor.* Carm. VI.

(*y*) *Melen* in Aremorico-Britannica lingua etiamnum denotat *flavum.*

(*z*) Vid. Leonis Allatii *Syntagma de Engaſtrimytho* Cap. III.

(*a*) Apollinis cultus Argentorati nulla extant veſtigia. Quo inductus indicio Merianus in *Topographia Alſatiæ*, intra veteris Argentorati mœnia Apollinis poſuerit Templum, non equidem video. Confer ſupra pag. 74. §. LXXIX.

(*b*) Vide Aram hanc æri inciſam inter Monumenta Alſatica Muſei noſtri Tab. I. num. 6.

MONUM.

§. XLIX.

Mogouno.

Vox *Mogouno* præſertim crucem Criticis figit. Vir Cl. MOREAU DE MAUTOUR, Inſcriptionum Academiæ dum viveret ſocius, ſuam de hac Ara ſententiam primum in lucem emiſit, quæ Diarii Gallici (*Clef du Cabinet*) Januario menſi anni MDCCXXVII. inſerta eſt. Paulo poſt Jo. GEORGIUS AB ECKHART, Virceburgi Franconiæ tum degens, peculiarem Diatribam *de Apolline Granno Mogouno, in Alſatia nuper detecto*, typis mandavit, quæ in KUCHENBECKERI *Analectis Haſſiacis* Collect. III. recuſa eſt. JOSEPHUS BIMARDUS LA BASTIE denique, in ſua de *Diis quibusdam ignotis, præſertim Gallicis*, Commentatione, quæ MURATORII *Novo veterum Inſcriptionum Theſauro* præfixa eſt, Monumentum hoc Alſaticum attigit. Viris his doctiſſimis viſum eſt, voces *Granno* & *Mogouno* ab Aquisgrani & Moguntiæ oppidorum, aut à *Mæni* certe amnis, nominibus derivare, quod poſterius placuit Bimardo. Eckhartus ſententiam ſuam ita declarat: " Q. Licinius Trio, „ ob valetudinem Aquis Granni reſtitutam, Apollini Granno grates perſolvit. Idem „ quum etiam Moguntiaci viveret, ſimile reſtitutæ ſanitatis ex aquis, in Agro Mogun„ tiacenſi ſcaturientibus, beneficium ſe accepiſſe credidit à fonte vel Apolline, quem „ Mogounum vocat pro Moguntiacenſi. „ Ut conjecturæ huic plus lucis accederet, reconditæ eruditionis & multa etymologicarum rerum ſingularia attulit ECKHARTUS, in quibus me conſentientem non habet. Nec negandum profecto, primo intuitu Lectoribus hanc ſe conjecturam facile offerre; quando duæ celeberrimæ urbes, altera ad Rhenum, altera Rhenum inter & Moſam, Moguntiacum nempe & Aquisgranum, ſua Geniis tutelaribus nomina facile transdare potuiſſent, ſi Aquisgranenſis urbis veſtigia tam certa, ac Maguntiaci, reperiremus in Antiquitate Romana. *Granni* agnomen in pluribus aliis Monumentis, Auguſtanis Vindelicorum præſertim, tam frequenter Apollini jungitur, ut à nemine facile revocari poſſit in dubium, *Granni* nomen in Ara noſtra ad Apollinem pertinere. Sed non eadem vocis *Mogouni* conditio eſt; quam Topici cujusdam numinis peregrini nomen ut continere credamus, non una fortaſſe ratio commovere nos poteſt; animum licet eorum, qui ad Argentouarienſem Aram commentati ſunt, nulla hac de re ſubierit ſuſpicio, ſi BIMARDUM excipias.

§. L.

Teſtimonia alia.

Enimvero Rerum Britannicarum florentiſſimus Scriptor, CAMDENUS, (*c*) cui jungo GORDONUM, (*d*) qui Scoto-Britannica Monumenta ediderunt, dubios nos reddunt, an utrumque cognomen ad Apollinem ſit referendum:

Prima:

D E O
M O V N O. C A D
I N V E N T V S D O
V. S.

Secunda:

D E O. M O G O N T.
V I T A E. R E S T.

Tertia:

D E O
M O G O N T I. C A D.
E T. N. D N. A V G.
M. G. S E C V N D I N V S
B F. C O S. H A B I T A
N C I. P R I M A S. T A.
P R O. S E. E T. S V I S. P O S V I T

Topica duo Numina, vel unum ſub duobus nominibus *Moun* & *Mogon*, apud Scoto-Britannos culta fuiſſe, quæ cum Apolline nihil commune habuerunt, ex illuſtribus his monumentis docemur. Hoc ipſum vero numen Scoto-Britannicum Apollini Granno adjungere nil vetat, quum utrique Aram ſuam dicare potuerit Licinius Trio, per aliquod temporis ſpatium fortaſſis apud Britannos moratus. Conjectura hæc noſtra

(*c*) In *Britannia* pag. 433. formæ Atlant. Bleau. (*d*) *Itiner. Septentrion.* pag. 98.

MONUM.

noſtra eo veriſimilior eſt, quod Romani in Monumentis, quæ Numinibus dicaverunt, elogia eorum quidem epithetis cumulare conſueverint, ut Jovi Opt. Maximo, Herculi Conſervatori invicto comiti, Veneri Erycinæ victrici, &c. at Topica duo cognomina eidem Deo tributa, quod in Ara noſtra factum eſſe volunt, non facile reperias.

Ceterum in Epigraphe noſtra copulæ defectus occaſionem Lectoribus dedit, ut utrumque nomen, *Granno*, *Mogouno*, ad Apollinem referrent, quum verborum compages exigere videatur, ut *Apollini Granno* & *Mogouno* ſcriberetur. At vetera Marmora qui frequentius tractant, ſexcentis exemplis docent, diverſa ſæpe numina in iisdem abſque copula jungi. Oxonienſe Marmor: (*e*)

SILVANO. HERCVLI. LIBERO.
TI. JVLIVS. ALEXANDER. DO.
DIIS. SANCTIS.

Ubi Silvano & Herculi & Libero ſive Baccho, nulla interjecta nominibus copula, Monumentum dedicatur. Apud Nemauſenſes: SULIVIAE IDENNICAE MINERVAE vota ſoluta ſunt. (*f*) Epigraphicus ergo veterum ſtylus permittit, ut ab Apolline *Granno* ſeparemus *Mogounon*, atque hunc peculiarem & diſtinctum ab Apolline Deum fuiſſe cenſeamus; qua in re Doctiſſ. Bimardum video conſentientem.

§. LI.

Quodſi ſermonis Latini analogiam & indolem ſpectes, neſcio, an ea permittat, ut vocem *Mogouno* ab urbe *Mogontina*, vel à flumine *Mæno*, quod è regione hujus urbis in Rhenum devolvitur, repetamus. Romanorum temporibus, *Mogontiacum* conſtanter à Tacito (*g*) & Antonini *Itinerario* (*h*) appellatur. Mœnus nonniſi ex adverſo urbis influit Rheno, adeoque cum ea nihil habet commune. (*i*) Adde, quod nomina fluminis *Mogus*, *Mogonus*, medio demum ævo exorta ſunt. (*k*) Mœnus conſtanter vocatus eſt *Mænus*, *Menus*, *Mœnis*. Quodſi autem ab urbis fluminisque nominibus adjectiva derivare lubeat, num ullo inde modo procudetur *Mogouno*? Inſiſtis & cum Bimardo conjectas fortaſſis, voce hac in Ara noſtra ipſum Deum intelligi Mœnum, & cum Apolline jungi, prouti Deus Rhenus, (*l*) Tiberis, Danubius &c. paſſim in Monumentis occurrunt. Sed & nos regerimus, flumen hoc nonniſi medio ævo *Mogi* atque *Mogoni* nominibus appellatum à Gunthero Poeta, Ottone Friſingensi & *Annalium Metenſium* auctore anonymo: vetus omnis ætas Romanorum ignoravit hæc nomina. Ex Valesio ſuo (*m*) hæc didicit Bimardus, & tamen, quod miror, à ſua non diſceſſit ſententia, Trionem Aram iſtam Apollini & Mœno Deo dedicaſſe; hujus poſterioris memoriam ex Germania ad Scoto-Britannos tranſiviſſe arbitratus; quæ in Monumentis, *Mouno* & *Mogonti* dicatis, ibidem ſuperſit. Aſt tria diverſa hujus Dei Monumenta quum apud Scoto-Britannos, non magno à ſe invicem intervallo, occurrant, topicum hunc Britanniæ Deum vel genium cum Legione Romana, cui Q. Licinius Trio adſcriptus erat, ad Rhenum migraſſe veriſimilius eſt, quam in Britanniam tranſiviſſe à Rheno. Neque vero mirum tibi videbitur, Lector, Apollini Granno Mogounum, Britannicum Deum, adjungi, quum apud Camdenum Gruterumque obſervaveris, eundem Apollinem Grannum iisdem Cadenis, Scoto-Britanniæ populis, quoque cultum, eique duo dedicata fuiſſe Marmora, quæ in vicinia lapidum, Deo Mouno dicatorum, adhuc ſubſiſtunt; atque adeo utriusque hujus numinis cultum frequentem ibi fuiſſe demonſtrant. His rerum circumſtantiis probe perpenſis, *Mounus* ex Britannia ad Rhenum, non à Rheno ad Britannos, translatus videtur.

Etymologia vocis Mogouno.

§. LII.

(*e*) *Marmora Arundelliana* pag. 308. Edit. Humphridi Prideaux.

(*f*) Muratoris *Theſaur. Inſcript.* Tom. I. pag. 53.

(*g*) *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. XV. XXIV. XXV. XXXIII. XXXVII. LIX. LXI. Ita quoque eam appellat Hieronymus in *Epiſtola ad Ageruchiam*.

(*h*) *Itinerar.* pag. 355. & 374. Edit. Weſſeling.

(*i*) Etymologia hæc, quæ Beati Rhenani eſt, mihi præ cæteris ſemper arriſit. Ita enim ille *Rer. German.* Lib. III. pag. 327. " *Magum* videtur priſcis Gallis domum ſignificaſſe, & *Cia* fluviolus eſt. " Unde Maguncіacum, quaſi domicilium Ciæ, conjunctum. Sic habes Rotomagum, Noviomagum, Druſomagum. Nam Mœnus Germaniæ fluvius nusquam " eruditis vel *Mogus* vel *Moganus* dictus eſt. Et " à loco Confluentium olim Moguncіacum (ut dixi) " pluſculum diſtabat. Crediderim in ruinis veteris " urbis hodie habitare leproſos.

(*k*) Plures alias etymologias protulit Serarius, Scriptor eruditus, *Rer. Mogunt.* Lib. I. Cap. IV.

(*l*) Freherus apud Coloniam Agripp. vidit ſigillum æneum ad figuram Tiberini Patris cum literis: *Deus Rhenus*, teſte Christ. Adamo Ruperto *Diſſert. ad Valerium Max.* Lib. I. Cap. IV. & V. pag. 70. Adde Steph. Broelmanni *Specimen Hiſtoriæ Antiq. Colon. Agrippinæ* Tab. II.

(*m*) *Notitia Galliar.* voce *Mogontiacum* pag. 319.

§. LII.

Mogounus ſeptentrionalis Deus.

Peculiari autem cultu apud Cadenos vel Gadenos, populum ſeptentrionalis vel Scoto-Britanniæ, à PTOLEMÆO (*n*) memoratum, *Mounus*, ut Genius tutelaris illius populi, honoratus fuit; quod Inſcriptiones ipſæ, quas producimus, teſtantur. Cadeni hi, eodem Ptolemæo docente, magis ſeptentrionales erant, quam Ottadini, hodiernæ Northumbriæ incolæ. Occupaverant enim Cadeni illam Provinciam, quæ nunc *Lothiana* ſive *Laudonia* vocatur, omnium Scotiæ Provinciarum optima, cujus caput Edenburgum eſt, Metropolis Scotiæ. Haud procul ab hac urbe Romani apud Britannos Imperii limes fuerat; quem muro ingenti lapideo, inter Glotæ & Bodotriæ æſtuaria exſtructo, ſub Septimio Severo Imp. firmarunt Romani, cujus rudera etiamnum apud incolas *Gual-Sever*, Vallum Severi, appellantur. Cuſtodiendi hujus limitis cauſa Romanæ ſemper cohortes in partibus illis ſua ſtativa habuerunt, ut Caledonios Pictosque irruentes repellerent. Romani milites, apud Cadenos commorati, *Mogontis* vel *Mouni* Dei, imo & Apollinis Granni ibidem, uti mox videbimus, culti, religionem didicerunt; quos inter Q. Licinius Trio noſter, qui cultum utriusque à remotiſſimo illo Imperii Romani limite boreali ad Rhenenſem transtulit, noſtrisque in oris utrique ſimul numini Aram dicavit. Quodſi quis vero de nominum etymologiis ſollicitus, ex me quærat, unde Dei *Mouni* appellatio poſſit derivari, illi derivationem veriſimilem offero, à *Mona*, Britanniæ Inſula, petitam, in qua non difficilius reperias hujus Dei natales, quam Mogontiaci Mœnive fautores in hac urbe flumineque quæſiverunt. Monam JULII CÆSARIS potius, quæ hodieque nomen *Man* retinet, quam CORNELII TACITI intelligo; (*o*) illa enim litoribus Scotiæ vicinior fuerat; Monumenta autem, quæ modo protulimus, nobis Scotia ſuggerit.

Neque vero minus Apollinem Grannum, quam Deum Mogounum, in iisdem partibus Scoto-Britannicis cultum fuiſſe reperio. Duo id monumenta clariſſima, illis in partibus huic Deo dicata, declarant, quorum alterum à JANO GRUTERO, (*p*) alterum à GUILIELMO CAMDENO, (*q*) ut & à NAPLERO, (*r*) qui illa de *Mouno* quoque ſuggeſſerat, in lucem emiſſum. Utrumque in eadem Provincia Laudoina, ſive Lothiana reperitur: prius nempe in vico *Enderask*, quarto ab Edimburgo lapide, Apollini Granno à Q. Voluſio Sabiniano dicatum: alterum Muſſelburgi, quod ejusdem Lothianæ oppidum, à Q. Lucio Sabiniano, Procuratore Auguſti. Quodſi ergo in partibus illis, ubi cohortes Romanæ ſtativa ſua perpetua habuerunt, Mounus vel Mogon, & Apollo Grannus, honorati fuere; non mirum, Trionem illis conjunctim apud Argentouarienſes deinceps Aram dedicaſſe. Si Dianæ Arduinnæ cultus ab Arduenna ſilva, à qua Deæ inditum nomen, potuit Romam transferri; quidni Dei Mogouni cultus ex Scotia ad Alſatas transire potuerit? Translationes hæ Numinum ad Provincias diſſitas, occaſione Legionum, ab una extremitate Imperii in aliam transeuntium, non potuerunt non accidiſſe frequentes. Conjectura hæc noſtra ab Eckharti Bimardique, Virorum clariſſimorum, ſententia differt, quod ille *Mogouni* nomen à Moguntiaco, hic à Mœno flumine derivat, atque adeo ex Germania dein ad Scotos Deum hunc transiviſſe contendit. Quodſi Mogounus ille Moguntiæ tutelare numen fuiſſet, qui factum, ut in omni Agro Moguntino & urbe nullum ejus Monumentum, tria vero apud Scotos compareant?

§. LIII.

Alia conjectura.

Nec ſilentio prætereunda eſt nobis opinio Cel. Viri, Jo. CASPARI KHUNII, in Hiſt. & Eloq. Cathedra Argent. Deceſſoris ac Præceptoris mei, cujus raram doctrinam & ingenii acumen poſt fata gratus deveneror. Hic verſu ſecundo unam modo vocem NOMOGOVNO contineri, eamque pro *Noſocomo* ab operario male exſculptam arbitratus eſt; quod non modo ſigma græcum inverterit, atque in literam *M* immutaverit, ſed & in ultima ſyllaba, ubi M literam ponere debuiſſet, poſuerit V N. Ingenioſa medela, niſi opportunius remedium malo poſſet afferri. Νοσοκόμος, *morborum curator*, haud dubie ex cognomentis Apollinis eſt. Νομοκόμος, *Nomocomus*, id eſt, paſcuorum curator,

(*n*) *Geographiæ* Lib. II. Cap. III. pag. 36. Edit. Bert. ubi: Γαδηνοί. Ὠταδηνοί.

(*o*) *Mona* CÆSARIS deſignatur Lib. V. Cap. XIII. PTOLEMÆO vocatur Μονάοιδα, Monaræda; PLINIO Monapia. *Mona* TACITI auſtralior & latior eſt: memoratur *Annal.* Lib. XIV. Cap. XXIX. & in *Vita Agricolæ* Cap. XIV. Hæc jam vocatur *Anglesey*, id eſt, Anglorum Inſula.

(*p*) *Inſcriptionum* pag. 38.

(*q*) *Britanniæ* pag. 738. Edit. Lond. in 4to.

(*r*) NAPLERUS in *Commentar. ad Apocalypſin.*

curator, (*s*) quoque appellari potuiſſet, quo epitheto ſignatis græci tolleretur ioverſio: quum diverſorum Alphabetorum mixtura rariſſima ſit. At remediorum iſtorum neutro opus eſſe, ex illa noſtra, quam protulimus, conjectura pateſcit. Nomen *Mogoun* apud Britanoos ſi natum, non poteſt non Celticum, adeoque à Teutonico cenſeri diverſum. Clariſſ. HAGENBUCHIUS vocem à Teutonico *moegen* (valere) derivans, Apollinem Granoum novo hoc & ſingulari cognomine *Valentem* ſive *Potentem* appellari ingenioſe conjicit. Orthographiam vocis *Mogouno* quod attinet, legenda illa, ac ſi vocalis o abeſſet, quod in Monumentis antiquis eſt frequens. Romani enim *ou* & *u* eodem modo plerumque pronuntiarunt. (*t*) Inſcriptio vetus: *ſouom mareitum corde dilexit ſouo.* Uſentina Tribus ſubinde ſcribitur *Ouſentina*; ita reperimus: *Nouncios*, *iounen*, *joudicem*, *Louceries.* Inſcriptio Thermarum Plumbarienſium in Lotharingia habet: *Joutiſſia*, pro Jutiſſia. Ipſa Argentuaria, ubi Ara à Trione poſita fuit, in Antonini Itinerario *Argentouaria* ſcribitur. MONUM.

§. LIV.

De cognomine *Granno* deniqoe obſervationes quædam addeodæ ſunt. Græcis celebratus fuit Apollo Κάρνειος, *Carneus*; uode Carnea ſacra, noo apud Lacedæmonios ſolum, ſed tota ferme Græcia alibique per oovem dies celebrata, ut PINDARUS in *Pythiis*, CALLIMACHUS in *Hymno ad Apollinem*, (*u*) atque ATHENÆUS ex DEMETRIO SCEPTIO, perſcribunt. (*x*) PAUSANIAS (*y*) diligens eſt in nominis *Carnei* originibus inquirendis: an illud nimirum à Carno genere ex Acarnania, an à Carno, Jovis & Europes filio, an à Carno Vate, an ab arbore *Cornu*, quam Κρανίαν illi vocant, derivandum ſit. Aliam rationem epitheti, Apollini dati, allegat OVIDIUS, (*z*) quod nempe ſoror ejus appellata fuerat *Grane.* Denique Apollo *Gryneus* quoque apud STRABONEM (*a*) occurrit, ab oppido Myrineorum, ubi ingens Apollinis fanum. Apollo *Grannus* noſter ab hiſce omnino fuerat diverſus. Cirros, ſive crines implicatos Germanis, *Granos* Gothis ISIDORUS HISPALENSIS (*b*) adſcribit, quos Jo. SAVARO (*c*) atque CLAUD. SALMASIUS (*d*) capillos ſparſos, effuſos & diſcriminatos interpretantur; qui io extremitate rotuodati, granorum formam efficiant; vocemque adeo Salmaſius à Latino deducit, quum extera potius eſſe videatur, quod ex Iſidoro tamen nequit decidi. Quæcunque ſit vocis origo, Apollo præ omnibus Diis, cæſarie crinibusque inſignis, cognomen *Grani* vel *Granni* meritus eſt. ECKHARTUS vero in alia omnia diſcedit, ac nomen ex Cambrico ſive Celtico *Gro*, *Grajan*, quo *glarea*, *ſabulum*, ſignificatur, derivat. (*e*) Neque vero heic ſubſiſtit Eckhartus, ſed *Granni* cognomen à Granni Aquis, ſive Aquisgranenſi oppido, Apollinem accepiſſe putat, ut *Mogouni* titulum ab Aquis Mogouni profectum eſſe reputavit. Quum autem Monumenta ſub *Granni* vel *Granii* titulo Apollini paſſim dedicata ſuperſint, Roouæ oimirum, Muſſelburgi & Enderaci in Scotia, Brettæ in Dacia, & plura in Diœceſi præſertim Auguſtana, à JANO GRUTERO (*f*) & MARCO VELSERO (*g*) in lucem emiſſa, neſcio, cur in cognomine hoc Apollinis eruendo Aquisgranum excitaremus; omni Romanorum Hiſtoriæ & Geographiæ ignotum. HADRIANUS VALESIUS (*h*) tamen Aquas Graoi ab Apolline Granno derivat, & *Apollinis Aquas* interpretatur, ſententiamque Eckharti invertit, qui *Granni* cognomen ab Aquisgrano deducit. Quæ de Grano, fratre Neronis, (*i*) Thermarum Aquenſium inſtauratore, vulgatur traditio, frivola eſt, licet Rerum Aquisgranenſium Scriptor, PETRUS à BEECK, (*l*) eam coovellere auſus non ſit, quod Caroli M. & Friderici Barbaroſſæ Diplomatum teſtimonio nitatur. Carolini hujus Diplomatis falſitatem adſtruxit HERMANNUS CONRINOIUS. Grannus.

Nnn Quodſi

(*s*) Νομονόμος nullibi vocatur Apollo, ſed apud Naxios Ἀρνονόμος, id eſt, agnorum cuſtos, alibi Νόμιος, Nomius, ſive Paſtoralis, appellatus fuit. Vide LILIUM GREGORIUM GYRALDUM in *Hiſtoria Deorum*, Syntagm. VII. Tom. I. Opp. pag. 227. PETR. DAN. HUETIUM in *Demonſtrat. Evangel.* Propoſit. IV. pag. 179. & 234.

(*t*) CLAUD. DAUSQUIUS in *Orthographia veteri & nova* pag. 52.

(*u*) Vid. HUETIUS in *Demonſtrat. Evangel.* Propoſ. IV. pag. 179.

(*x*) *Deipnoſophiſt.* Lib. IV.

(*y*) *Deſcript. Græc.* Lib. III. Cap. XIII.

(*z*) *Faſtor.* Lib. VI. vers. 107. & 151.

(*a*) *Geograph.* Lib. XIII.

(*b*) *Originum* Lib. XIX. Cap. XXIII.

(*c*) *Not. ad Sidonii Apollinaris* Lib. I. Epiſt. II. pag. 10.

(*d*) *In Solinum* pag. 536.

(*e*) *Diſſert.* allegatæ pag. 13.

(*f*) *Inſcript.* pag. 37. ſq.

(*g*) In *Monumentis Agri Auguſt.* pag. 406. ſq.

(*h*) *Notitia Galliar.* pag. 27. voce *Aquægrani.*

(*i*) Aliorum tamen Graniorum apud LUCILIUM, CICERONEM & in Inſcriptionibus antiquis, fit mentio, unde Aquæ hæ nomen potuerunt accipere: ſed hoc nihil ad Apollinem Grannum.

(*l*) In *Aquisgrano* ſuo Cap. I. Adde NOPPIUM in *Chron. Aquenſi*, Germanice ſcripto.

MONUM.

Quodſi autem apud Scoto-Britannos Apollo Grannus cultores plures invenit, frequentem quoque ejus cultum ad Danubium, apud Vindelicos præſertim, reperio, ubi milites ſtationarii Romanorum in Rhætia litorali, quæ Vindeliciam comprehendebat, plura ei Monumenta poſuerunt; quæ exhibet HEROLDUS, (m) & poſt hunc, aliis additis, Auguſtanus ille Duumvir, VELSERUS. (n)

§. LV.

Ara.

Inſcriptio monumentum hoc *Aram* appellat. Ara eſt ſatis magna formæque quadratæ, cui ſimilem fere apud Vindelicos videmus. (o) In aliis huic ſimilibus Aris latera ſæpe ſacerdotalibus inſtrumentis ornata ſunt. Inſculpta illis patera, ſimpulum, guttus. Duobus in lapidibus, Apollini Granno in Auguſtana Diœceſi poſitis, ſignum (p) cum baſe dicatum eſt: in Lauingenſi vero ejusdem Diœceſis Ara cum ſigno argenteo. His Aris, ceu ſtylobatis ſigna, hoc eſt ſtatuæ formæ minoris impoſitæ ſunt. Noſtra Argentouarienſis Ara quum Apollini & Deo Mogouno, adeoque duobus Numinibus, ſimul conſecrata fuerit, aut nullum omnino, aut utriusque Dei ſigna ſtatuasve exhibuit. At quum nihil in Inſcriptione de ſigno, nec de Æde, Aram ſolam ſine Æde à Trione conſtitutam fuiſſe, credimus. Magiſſius enim, quem modo vidimus Aram poſuiſſe Mercurio, diſertis verbis addidit Ædem. Ædes autem nulla absque Ara, Aræ multæ absque Æde, ſub dio poſitæ. Inſignem Græcum nummum maximi moduli Gaza Regia aſſervat, qui ab Joniæ Civitatibus XII. in Treboniani Galli cuſus honorem, in quo Templum ſeparatim, extra Templum Ara, cui bos, ſacrificio deſtinatus, admovetur. (q) Aræ Jovi cœleſtibusque reliquis, adeoque & Apollini dicatæ, celſiores, Veſtæ autem, Terræ marique humiles poſitæ, obſervante VITRUVIO; (r) quod in votivis privatorum Aris non habuit locum. Multiplicis hinc generis Aræ apud Romanos: majores in templis & delubris, victimis immolandis deſtinatæ, in quibus thura hoſtiæque comburebantur: Aræ apotheoſeos, ſive conſecrationis, expiationis: Aræ nuncupativæ, votivæ, aut devotionis: Aræ ſepulcrales, honorariæ, quæ memoriæ cauſa poſitæ fuerunt, quarum pleræque nonniſi privatæ, (s) quas in ſuo quisque ſtatuebat, loco tamen non allaturæ religionem, niſi conſecratæ fuiſſent. Ara Trionis voti ſolvendi cauſa poſita non erat, quod formula ſolennis, Aris ſimilibus inſcripta, abeſt. Sed vota Diis duobus forſan nuncupavit Trio, ut eos redderet ſibi faventes, aut ſuam erga illos devotionem ſolenni Monumento publicam redderet, quod inter alios & Vibius quidam apud Dalmatas fecit. (t) Conſecratam autem fuiſſe hanc Aram vix licet dubitare, quod in medio ſuperioris ſuperficiei lapis igne mollitus, nigredineque contracta ignem ſæpius ſuper ea, in honorem Numinum, quibus dicata, accenſum fuiſſe demonſtrat.

§. LVI.

Licinius Trio.

Aræ hujus generis quum à privatis ponerentur, dedicatæ ſunt à ſacerdote adſtante, ut Lapis Romanus loquitur: (u) *Ara poſita adſtante ſacerdote* &c. Dedicator Aræ noſtræ *Q. Licinius Trio* fuit. Licinia gens Romæ inter antiquiſſimas & illuſtriſſimas floruit, licet fuerit plebeja: ex ea Craſſi, Luculli & Murenæ exorti ſunt omnes. Temporis ſucceſſu in plurimas familias diviſa fuit, quæ legi poſſunt apud Jo. GLANDORPIUM. (x) Q. Licinium Trionem noſtrum nullibi apud Hiſtoricos, nec alio in monumento memoratum reperio. Militaris ordinis vir fuiſſe videtur, non gradus ſuperioris, niſi modeſtiæ cauſa dignitatem ſuam in monumento ſuppreſſit. C. Licinius Trio ſepultus eſt in Stiria, ut lapis ejus ſepulcralis teſtatur, quem PETRUS APIANUS produxit. (y) Ex eadem cum noſtro gente familiaque hunc fuiſſe neceſſe eſt, quippe qui ſolo prænomine diſtinctus ab eo; forte Cajus hic & Quintus noſter fratres fuerunt.

Trionum

(m) *Commentariolus de Romanorum in Rhætia litorali ſtationibus* apud SCHARDIUM *Rer. Germ.* Tom. I. pag. 308. ſqq.

(n) In *Monumentis Auguſtanis*; quem CONRADUS PEUTINGERUS præceſſit, in *Inſcript. Auguſtanis*, apud Jo. Schœfferum impreſſis.

(o) Ara hæc exhibetur à VELSERO in *Monum. Auguſt. Vindel.* pag. 366. Opp.

(p) HEROLDUS in Libello allegato Inſcriptionem hanc, quæ in oppido Gienga, male explicuit de ſigno militari vel Aquila Legionaria, Bajennio nempe injunctum, ut Apollini Granno ibi ſignum poneret; ubi locus vel tabernaculum, in quo Aquila recondebatur, aſyli inſtar ab omnibus coleretur. Eandem Inſcript. habet KNIPSCHILD *de Civit. Imperial.* Lib.III. Cap. XIX. pag. 119.

(q) SPON *Recherches de l'Antiquité* Diſſert. XV. pag. 209.

(r) *Architect.* Lib. IV. Cap. V.

(s) Subinde in Ædibus privatis Religionis ergo & ſolvendo voto ſtructæ inſcriptæque fuerunt. REINESIUS in *Syntagm. Inſcript.* pag. 29.

(t) GRUTERI *Inſcript.* pag. 34. num. 3. ubi legitur: *Vibius Pius Soli invicto Aram dedico, ut ſit mihi propitius, militibus centurionibusque meis.*

(u) Patet hoc ex Ara, Mithræ ſive Soli dedicata, apud GORIUM *Inſcript. Florent.* Tom. I. pag. 112. Add. GUTHERIUS *de veteri Jure Pontif.* Lib.III. Cap.VI.

(x) *Onomaſtici Romani* pag. 522.

(y) *Inſcriptionum* pag. 390. Reperta olim in Parochiali Eccleſia villæ Stræſing apud Græcium: *D. M. C. Licini Trionis. Iſabinæ. Severinæ. Co. Licin. R.*

MONUM.

Triomon familia ad Lucretiam, Fulciniam, Liciniam, Romanorum gentes, pertinuit. Nummus eſt L. Lucretii Trionis, in quo repræſentantur ſeptem illæ ſtellæ triones cum Luna, alluſione facta ad nomen Trionis, cum Inſcriptione: *L. Lucretius Trio.* Apud Tacitum (z) frequens occurrit *Fulcinius Trio*, ſub Tiberio Imp. Conſul & accuſationibus nobilis; qui dein ſub eodem Principe accuſatus mortem ipſe ſibi conſcivit. (a) De notione & ſignificatu vocis *Trio* Varro (b) & Gellius (c) egerunt. Majoris momenti eſt ille *C. Licinius Trio Paulinus*, cujus cooptatio in Collegium aliquod Romæ ſub *Sept. Severo Aug. III. & M. Aurelio Antonino Aug. Coſſ.* hoc eſt, An. Urb. Cond. DCCCCLV, Æræ Chriſt. CCII. apud Gruterum (d) occurrit.

Plura erant Romæ Sacerdotia & Magiſtratus; in quibus ſuperſtites ſibi Collegas novos cooptabant: Fratres Arvales, Sodales, Auguſtales, Pontifices majores, Epulones, Augures. In quodnam Collegiorum horum cooptatus fuerit C. Liciuius Trio, non liquet; quem Quinti noſtri Licinii Trionis propinquum, ex eadem gente & familia natum fuiſſe, non dubitamus. Si Quintus noſter Cajo illi coætaneus fuit, Ara noſtra ſeculi III. initio præter propter poſita eſt.

§. LVII.

Ara hæc Apollinea non pars templi aut ædis fuiſſe videtur, ſed Ara ſingularia absque æde, ædicula vel attegia. Septum tamen aliquod, vel maceriam, uti Helvetenſis ille ager, quem *Matrabus* dedicavit Sextus, habuiſſe videtur. Quodſi enim ſepulcrorum circuitus ſacroſanctus & inviolabilis erat, quod Lapides ſepulcrales frequenter his ſiglis indicant: IN. FR. P. VII. IN. A. P. XX. *In fronte pedes ſeptem, in agro pedes viginti;* (e) multo magis profecto Ara cancellis quibusdam, ſive clathris, ferreis ligneisve, vel qualicunque ſepto, circumdata eſſe debuerat. Referendus huc eſt Horatii (f) locus: Septum Aræ.

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat.

Siglæ in ultimo verſu D. S. D. *De Suo* ære *Dicat*, dat vel dedicat, formulam conſuetam continent. Etlingiacenſe marmor, Neptunum ſiſtens, quod infra daturi ſumus, easdem exprimit ſiglas.

Apollinem nulli, niſi Mercurio, fuiſſe ſecundum ex Cæſare Julio tradidi ſupra. Apud Veſontinos tamen effoſſa ſunt marmora, in quibus Mercurio Apollo præponitur: Apollo Mercurio præpoſitus.

A P O L L I. E T. M E R C.
E S V C C V S. M I N E R V. S T.
B I C C V S. V L. R I.
V. S. L. M. (g)

Alius lapis ejusdem generis hoc ſeculo ibidem è terra prodiit, in S. Vincentii Bibliotheca ſervatus, & à Dunodio (h) deſcriptus:

A P O L L I N I
M E R C V R I O
N O R B A N V S
S I N I S S E R. F E.
S. I.

Monumentum hoc Sequanus quidam Norbanus Siniſſer *fecit ſuis impenſis.* Ex ſingulari horum in Apollinem cultu factum eſt, ut Apollo priore loco ab iis haberetur, cui reſtitutam valetudinem ſuam debere ſe fortaſſis crediderunt.

§. LVIII.

(z) *Annal.* Lib. II. Cap. XXVIII. Lib. III. Cap. X. & XIX. Lib. V. Cap. I. Lib. VI. Cap. XXXV.
(a) Dio Cassius Lib. LVII.
(b) *De Lingua Lat.* Lib. VI.
(c) *Noct. Atticar.* Lib. II. Cap. XXI.
(d) *Inſcript.* pag. 300. num. 1.
(e) Huc pertinet Patavina Epigraphe apud Bernardinum Scardeonium *Hiſt. Patav.* Lib I. Claſſ. IV. pag. 82. & apud Sertor. Ursatum pag. 50. num. 2. IN FR. P. XXVI. RET. P. XXVI. *In fronte pedes XXVI. retro pedes XXVI. illi Deos iratos, quos omnes . . . ſi quis violarit.*
(f) *Sermonum* Lib. I. Sat. VIII.
(g) Chifletius in *Veſont.* Cap. XXI. quam Inſcriptionem Cel. Dunodius *Hiſt. des Sequanois* Tom. I. pag. 203. ita emendat, ut pro *Eſuccus, Veſuccus*, & pro VL. RI. legat *II. Viri.*
(h) Loc. alleg. pag. 204.

§. LVIII.

Aliæ Aræ. Appendicis loco Inſcriptionem ſubjungo, quæ nuper apud Mediomatricos interiores Divoduri cum Pertinacianis Epigraphis, quas infra dabimus, è terra effoſſa eſt, Apollini ſacra:

DEO
APOLLINI
G. CENSONIVS
LILLIVS
CAL GLARIVS
V. S. L. M.

Ceterum Ara alia votiva, ejusdem cum Argentouarienſi noſtra formæ, haud procul Muſſiponte nuper detecta, cum hac Inſcriptione:

HERCVLI SAXANO ET
IMP. VESPASIANO
AVG. ET TITO IMP. ET
DOMITIANO CAESARI
M. VIBIVS MARTIALIS
7. LEG. X. GEM. ET COMMI
LITONES VEXILLI LEG.
EIVSD. QVI SVNT
SVB CVRA EIVS
V. S. L. M. (i)

Similis Ara, eidem Herculi Saxano dicata, ante hos circiter triginta annos in Lotharingia prodiit, quam Talpidius Legionis VIII. Centurio poſuit; quæ in Regia Bibliotheca jam extat Lutetiæ.

ARA BIRRII.

§. LIX.

Ara Birrii. Licinianæ Apollinis Aræ, Birrianam, ex ejusdem Argentouariæ ruinis An. MDCCXLVIII. protractam, annectimus. Lapidis, ſuperiore ævo in duas partes diſſecti, hæc Epigraphe eſt:

IN. H D D
ARAM
BIRRIVS
MARTIVS
D. S. D

Birria gens Gruterianis & Muratorianis marmoribus notiſſima eſt. *Birrium Voltionem, Birriam* item *Primam*, *Tertiam & Quartam* Patavienſis lapis apud Scardeonium, (l) Florentinus apud Gorium (m) nobis *Birrium Albanum* ſuggerit, cui *Birria Nice* conjux poſuit monumentum. *Birrium denique Abaſcantum*, *Publii Libertum*, nobis dat marmor Brixienſe. (n) Gens ergo apud Italos frequens, ex qua Birrius Martius ortus, niſi libertini generis homo fuerit, cujus pater, avus &c. à quodam Birriæ gentis ex ſervitute dimiſſus.

§. LX.

(i) Lapidis altitudo III. ped. latitudo I. ped. III. poll.

(l) *Hiſtoriæ Patav.* Lib. I. Claſſ. IV. pag. 92. & apud Gruterum pag. 106. num. 6.

(m) *Inſcript. Flor.* pag. 159. & ex eo Muratorius *Inſcript.* Tom. III. pag. 1646. num. 5.

(n) Muratorius *Inſcript.* Tom. III. pag. 5.

MONUM.

§. LX.

Aram vero ſuam non certo cuidam Deo, ſed vel Deorum Dearumque honori, I. H. D. D. vel Domui Divinæ, hoc eſt, Imperatoriæ, Birrius dicavit: utriusque enim ſenſus capaces eſſe ſiglas I. H. D. D. ex lapidibus novimus. In honorem Domus Divinæ Pontes in Nemetibus poſuit Silvanius Probus, quod infra videbimus; ejusdem honori apud Sequanos noſtros Birrius Martius Aram dicavit. Siglæ exordiales eædem ſunt, quas in Ara Mercuriali annotavimus ſupra. *Numini Domus Auguſtæ ſacrum* apud GRUTERUM (o) & REINESIUM (p) legimus. Ipſi Imperatores, de ſe locuti, *noſtrum Numen* dicebant; appellati quoque ſubinde *Diviniſſimi*. Sed & *Protector Divini lateris*, (q) aulicum munus fuit apud Romanos, eorum nempe, qui latus Imperatoris defendebant, tegebant.

CAPUT III.

ESUS SIVE MARS ET JUPITER.

§. LXI.

IN recepto apud Alſatas noſtros frequentiore Deorum cultu, Martem Mercurio Apollinique, CÆSARE duce, ſubjungimus, cui *Eſum* (r) Gallorum comparandum eſſe unanimi fere conſenſu exiſtimant Critici. (s) Deum hunc ſuum bello præeſſe Galli Romanis quum dicerent, Marti ſuo Deum aſſimilantes Romani eodem quoque nomine Gallicum illud numen inſigniverunt. Mars Græcis dictus eſt Ἄρης. Ob humanas, quæ ei immolabantur, victimas, à Lucano (t) dicitur: Mars ſive Eſus.

. . . *horrensque feris altaribus Heſus.*

Eſum humano cruore à Gallis placatum, prodit quoque LACTANTIUS. (u) In Lutetienſibus marmoribus Eſus, à Jovis latere poſitus, forma Juvenis, arborem reſcindentis, exhibetur. Voſſius ex Hebræo idiomate, quo vocabulum hoc *fortem* denotat, nomen deducit, quod tamen Celticum eſſe debuit, ſignificatio ejus licet incognita ſit. Apud Sabinos inſigne marmor, (x) pluribus Diis dicatum, viſitur, ubi figuræ, quæ Marti Romanorum ſimilis & dextro lateri Jovis appoſita, inſcriptum eſt: CAMVLVS, quum ſiniſtræ Mercurius adſtet, cui nomen ſuum inſcriptum. Accedit Gruteriana Inſcriptio, quæ docet cives aliquos Remenſes *Marti Camulo*, ob ſalutem Tiberii Claudii Cæſaris, templum conſtituiſſe. (y) Lapis hic, in oppidi Clivenſis, quod Belgicæ olim Galliæ fuit, vicinia repertus, nos dubitare non ſinit, Martem apud Gallos *Camuli* quoque nomen habuiſſe. Maximum denique pondus argumento huic addit argenteus ille nummus rariſſimus apud OCTAVIUM RUBEUM, (z) in quo Martis figura ſtans clypeumque tenens, cum Epigraphe: *Camulo invicto.* Quodcunque ex his nominibus, ſeu *Eſus*, ſeu *Camulus*, apud Gallos, quum Cæſar eos domuiſſet, prævaluerit, Martem ab eis cultum fuiſſe, extra dubium eſt: CÆSAR (a) ita: "Martem bella regere: „ huic, quum prœlio dimicare conſtituerunt, ea quæ bello ceperunt, plerumque „ devovent. Quæ ſuperaverint, animalia capta immolant: reliquas res in unum locum „ conferunt. Multis in Civitatibus harum rerum exſtructos tumulos locis conſecratis „ conſpicari licet. „ (b)

§. LXII.

Martem Monumenta ſiſtunt virum robuſtum, caſſide, haſta clypeoque armatum, Martis figura & ſigna. quandoque nudum, nonnunquam cum militari veſte, interdum barbatum, non infrequenter imberbem. In Area, quæ ſupremam ſummi Argentoratenſium Templi partem, turrimque alteram imperfectam, tegit, lapidea Dei Martis duorum pedum & totidem

pollicum

(o) *Inſcription.* pag. 75. num. 1. 2.
(p) *Inſcript.* Claſſ. I. num. 105.
(q) MURATORIUS *Inſcript.* Tom. I. pag. 95.
(r) In Codicibus Mſſ. LUCANI atque nonnullis LACTANTII, addita aſpirata, ſcribitur *Heſus*. Lectionem tamen, quæ aſpiratam omittit, præferendam, Lutetienſia Marmora, An. MDCCXI. reperta, teſtantur.
(s) ELIAS SCHEDIUS *de Diis German.* Cap. VI. GER. JO. VOSSIUS *de Idololatr.* Lib. II. Cap. XXXIII. pag. 178. LIPSIUS *ad Tacitum* aliique. Diſſentit tamen JAC. MARTINUS in Tractatu *de Religione vet. Gallor.* Lib. II. Cap. XXXVI. pag. 491.
(t) *Pharſal.* Lib. I.
(u) *De falſa Relig.* Lib. I. Cap. XXI.
(x) GRUTER. *Inſcript.* pag. 40. num. 9.
(y) GRUTER. *Inſcript.* pag. 56. num. 12.
(z) OTTAVIO ROSSI *Memorie Breſciane* pag. 92.
(a) *De Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XVII.
(b) Orti hinc fuiſſe videntur tumuli illi, quorum plures in Belgio vidi, in Itinere præſertim inter Bruxellas & Tungros.

Digitized by Google

Tab. VI. num. 3. pollicum ſtatua eſt, quam Tabula VI. exhibemus. Galeatus Mars juvenis, caſſidem criſtatam gerens, thorace militari, ſive lorica, ipſam corporis formam & umbilicum exprimente, indutus cum zona, à qua faſciæ ut in beroicis veſtimentis pendent, cum chlamyde vel pallio à tergo: dextra clypeum ovatæ figuræ, paulo curvatum, ſiniſtra vero enſem Gallicum tenet. Calceus militaris, caligæ ſpecies, (*c*) dimidium tibiæ ad ſuram usque tegit; pars ſuperior ultra genua ad medium usque cruris, nt & dimidia pars brachii, collumque ſunt nudæ, ſed & digiti pedum non comparent. Argentoratenſis hic Mars in plerisque cum Brixianis illis convenit, quos Octavius Rubeus (*d*) exhibet.

§. LXIII.

Monumenta Martis.

Statuæ & ſigna Martis præ aliis Numinibus, quum non in Gallia modo, ſed ubique fere, rariores (*e*) ſint, illuſtre hoc Monumentum, à perito elaboratum artifice, apud nos ſervatum fuiſſe, lætamur. De authentia ejus dubium vix poteſt oriri, quum perpendimus, ſtatuam hanc medii ævi, quo Turris Argentoratenſis condita, opus eſſe non poſſe, quo nempe barbara illa ſculptura, quam Gothicam vocant, omnino invaluerat. Operis diverſitas, ex cæteris Turris noſtræ ſtatuis, quæ magno numero ibi comparent, ſatis dignoſcitur. Opus ergo Romanum eſt, niſi ſeculi XVI. dixeris, quo ſculptura & architectura refloreſcere cœperunt. At omnes circumſtantiæ docent, eo ipſo tempore, quo Turris noſtra condita, ſtatuam hanc loco, ubi adhuc ſtat, poſitam fuiſſe. Quodſi traditioni illi vulgari, quæ Othmarshemii nomen derivat à Marte, quod Romanorum temporibus Otho Martis idolum cultumque illic exſtruxerit, aliquid tribuendum eſſet, Martis apud Alſatas culti alterum ſupereſſet illuſtre monumentum. Etymologia hæc autem locum habere quum nequeat, quod à S. Othmaro locus nomen acceperit, de Templi hujus deſtinatione ſub Romanis & cultu dubia adbuc & incerta res eſt. Quodſi illa Martis ſupereſſet imago, quam Seb. Munsterus, annis non multis, antequam *Cosmographiam* ſuam conſcriberet, (*f*) Othmarsbemii inventam fuiſſe ſcribit, confidentius hac ſuper re pronnntiaremus. Imago hæc noſtro demum, quo vivimus, ſeculo deſtructa fuiſſe dicitur; nulla ejus delineatione ſuperſtite. In regionibus noſtris, quæ militares & bellicæ, cohortibus Legionum, alis & turmis equitum, armorumque Fabricis plenæ, non potuerunt non Martis ſimulacra & ſigna eſſe frequentia, atque haud infrequentia Templa. Appendicis loco id adhuc annoto, Martem una cum Mercurio & Venere inter Deos à Gallis conſueviſſe referri. Belemenſis ſaltus Inſcriptio: *Diis inferis Veneri Marti & Mercurio sacrum.* (*g*)

JUPITER.

§. LXIV.

Nomen Jovis.

JUpiter, Græcis Ζεὺς dictus, non ignotus fuit veteribus Gallis, apud quos cultum ejus invaluiſſe annotat Cæsar, ita tamen, ut ratione frequentiæ cultus eum Mercurio, Apollini, Martique poſtponat. Quum autem ex ejusdem Cæſaris (*b*) relatu, Jovem *imperium cœleſtium tenere* Galli crediderint, potentiæ intuitu Jovem cæteris Diis apud eosdem Gallos prælatum fuiſſe, dubitare non licet. Celticum nomen Jovis incertum eſt. In Marmoribus Lutetienſibus, quæ Cathedralis Baſilica protulit, Jupiter Vulcanum inter Eſumque poſitus eſt, cum Epigraphe *Jovis;* quod Eſum à Jove diverſum fuiſſe ſatis demonſtrat, errorisque convincit eos, qui Celticum iſtud Jovis nomen extitiſſe conjectant. Nomen hoc, qualecunque fuerit, ſub Romanis diſparuit, Jupiterque prioris nominis locum occupavit. Monumenta quædam ejus ora Cis- & Trans-Rhenenſis nobis ſuggerit.

§. LXV.

(*c*) Militare calceamentum procul dubio eſt, adeoque caligæ ſpecies, quæ ad mediam tibiam ornatior aſſurgere conſpicitur. Alb. Rubenius *de Calceo Senatorio* Cap. I. II. pag. 179. docet, omnia calceamentorum genera, quæ digitos pedum haud includunt, quamvis etiam medium crus tegant, crepidas, ſive ſandalia appellari; adeoque caligas militum Rom. quoque inter ſandalia refert. Huc pariter refert calceos mulleos Regum Albanorum, ſive cothurnos Imperatorum, qui in lapidibus & nummis paſſim, quique tibiatim calceabantur, ut Procopius *de Ædificiis* Lib. III. aſſerit. Perones erant calcei cavi, totum pedem tegentes. Campagus, qui ſeculo III. præcipue innotuit, ſpecies quoque caligæ fuit, ſed calceamentum nobilius & Imperatorum præſertim. Vid. Capitolinus in *Maximino Jun.* Cap. III. Trebell. Pollio in *Gallien.* Cap. XVI. ad quem locum Salmasius. In diverſa heic multis in locis abeunt Balduinus *de Calceo* & Nigronius *de Caliga Veterum.*

(*d*) Ottavio Rossi *Memorie Breſciane* pag. 89. & 92.

(*e*) Martis imago in nummis tam frequens, extra nummos in anaglyphis rarior eſt; rariſſimæ autem ſigna & ſtatuæ.

(*f*) Munsterus in *Cosmograph.* Lib. III. Cap. CXVIII. pag. 534. Edit. Lat. Vide ſupra Periodum noſtram Celt. pag. 74. §. LXXX.

(*g*) Martin *Religion des Gaulois* Tom. II. *Liv.* V. *Chap.* IV. pag. 228.

(*b*) *De Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XVII.

§. LXV.

Initium facimus à Lapide quadrilatero, qui ætate noſtra Brocomagi erutus, in Aula nunc mea Antiquaria extat; cujus ex lateribus unum hanc Epigraphen ſiſtit: *Inſcriptio Brocomagenſis. Tab. I. num. 1. Lat. 2.*

I. O. M.
ET. IVNONI
REGI :.:. ELVC
INIVS. VICT
VRVS. EX. V.

Jovi optimo maximo & Junoni Reginæ Lucinius Victurus ex voto monumentum hoc poſuit. Votivus ergo hic Lapis eſt, à Lucinio Victuro, Brocomagenſi, ut videtur, cive vel incola poſitus; unde *Luciniam* gentem, nummis marmoribusque ignotam, in Mediomatrico-Tribocis noſtris floruiſſe diſcimus. Monumenta Jovi & Junoni conjunctim magno numero dicavit Antiquitas. Apud Mediomatricos interiores iſte olim Titulus extitit: (*i*)

I. O. M.
IVNONI. MAGNAE
HERCOLI
ET. GENIO. LOCI
PRO. SALVTE
SVA. ET. GENTIS. SVAE
CORN. SECVNDVS
EX. VOTO

§. LXVI.

In Lapide hoc Hercules Geninsque loci, Jovi Junonique junguntur. Canſtadienſe Wirtenbergicæ ditionis marmor Juvi & Junoni Genium loci, Deosque omnes ſubjungit: (*l*) *Jovis ſocii.*

IN. H. D. D. IOVI
ET. IVNONI. REG.
GENIO. LOCI
ET. D. D. OMNIB.
P. SEDVLIVS
IVLIANVS. MI.
LEG. VIII. AVG. Ā
TONINIANE. BF. COS.
PRO. SAL. SVA. ET. SVOR.
POSVIT.

In noſtro autem iisdem Numinibus Genii duo cum Caſtoris ac Pollucis ſimulacris juncti cernuntur, ipſa licet Inſcriptio eos reticeat. Primo nempe latere, cui quartum eſt ſimile, Caſtor in uno, in altero Pollux, uterque equum tenens, nudus, palliolo ſuper humeros tectus, haſtamque puram tenens: (*m*) tertio autem latere duo genii ſtant, uterque cum Copiæ cornu, quorum prior, pallio paululum longiore indutus, ad Aram ſacrificat. Genii plerique juvenes fere nudi occurrunt: (*n*) Genius *Genii. num. 1. lat. 1. 3.*

(*i*) MEURISSE *Hiſtoire des Eveques de Metz* pag. 1.

(*l*) PREGIZERUS in *Suevia & Wirtenbergia Sacra* pag. 216. Adde REINESIUM *Inſcript.* Claſſ. I. num. 13.

(*m*) Alias capitibus jugatis, cum ſtellis ſupra lucentibus. GIO. ANGELO CANINI *Iconografia*, edita à Picarto num. 98.

(*n*) JAC. OISELII *Theſaurus Numismatum* Tab. XLII. FRANC. ANGELONI *Hiſt. Auguſta* pag. 53. ubi noſtris ſimiles: præcipue *Genius Illyriciani Exercitus*.

MONUM.

Genius Cœlii montis apud Gorium (*o*) barbatus eſt. Caſtor Gallicus ſenex quoque & barbatus ſiſtebatur: (*p*) Caſtor autem & Pollux, cum equis frequentes. Epamanduoduri apud Sequanos interiores Epigraphen, Caſtori dicatam, Chifletius (*q*) atque Dunodius (*r*) annotant. Sequanos, equitatu valentes, Caſtorem coluiſſe quid mirum?

§. LXVII.

Juno. Ceterum & Inſcriptio votiva, Junoni poſita, occurrit apud Vangiones: (*s*)

I. O. M
ET. IVN.ONI. REGINAE
VICTORINA. PRIMITIVA
POSVIT.

Apud Nemetes: (*t*)

F. I. IVNONI
REGINAE
VECOINIVS
SLMILES ET
SVPER INI
A DECVMII
LA VSLLM.

ubi primus verſus I. O. M. excidit, & exſcriptor incurius copulam ET convertit in F. I. Lucinius ergo noſter in Jovem Junonemque devotus, addidit eis Jovis filios ſive Dioſcuros, Caſtorem atque Pollucem, Genioſque, quos omnibus locis adhærere, omnibus hominibus adeſſe, Græci Romanique crediderunt.

§. LXVIII.


Juno Regina. Junoni Lapis noſter addit cognomen *Reginæ*, quod à Latinis accepit ſoror & conjux Jovis, qui & ipſe Deorum atque hominum *Rex* appellatus eſt. Hæc ex capto Vejorum oppido in Aventinum transvecta, ſummo juvenum & virginum Romanarum ſtudio ſub Dictatore Camillo, qui ex voto Templum ei in Aventino dedicavit. Duo ſigna cupreſſea erant Junonis Reginæ. Hæc Livius, (*u*) Plutarchus. (*x*) Templum quoque Junonis Reginæ Capitolium habuiſſe, teſtis eſt Livius, quod Cn. Flaminius bello adverſus Ligures voverat. Plura alia Junonis cognomenta nobis produnt Scriptores, quæ Gyralous (*y*) collegit.

Junonis caput. *Tab. VII. num. 7.* Ne imago Junonis in Monumentis noſtris deeſſet, caput ejus æneum, tutulo ornatum, ex vicinia noſtra mihi allatum adjeci. Tutulus erat capitis ornamentum, in altitudinem exſtructum, quod vitta purpurea, crinibus innexa, fiebat. (*z*) In Paterniacenſi Pagi Vaudenſis ponte lapidem, dimenſione & forma noſtro fere ſimilem, vidi, quem nec Gruterus, (*a*) nec Hottingerus, (*b*) nec Wagnerus, (*c*) recte expreſſerunt: en verum ejus exemplum:

I. O. M.
GENIO. LOCI
FORTVNAE. REDVCI
D. APPIVS. AVGVSTVS
DEDICA.

Poſtremæ

(*o*) *Inſcription. Florent.* Tom. I. pag. 185.
(*p*) In Monumento Lutetienſi, quod in ſummo Templo An. MDCCXI. effoſſum. Vide Moreau de Mautour.
(*q*) *Veſontion.* Part. I. Cap. XXXVIII.
(*r*) *Hiſtoire des Sequanois* pag. 185.
(*s*) Schannat *Hiſtor. Wormat. Epiſcopatus.* pag. 4.
(*t*) Lehmannus *Chron. Spir.* Lib. I. Cap. VIII. Reinesius *Inſcript.* pag. 51.
(*u*) Lib. V. Cap. XXII.
(*x*) In *Vita Camilli.*
(*y*) *Hiſt. Deor. Syntagma* III. pag. 118. Franc. Swertii *Deorum Dearumque Capita* pag. 49.
(*z*) Festus *de ſignif. verborum* & Varro *de Lingua Lat.* Lib. VI. 3. Adde Tertullianum *de Pallio*, & Fulgentium *de priſco ſermone* num. 14.
(*a*) *Inſcript.* pag. 8. num. 4.
(*b*) *Hiſt. Eccleſiaſt. Helvet.* Tom. I. pag. 18.
(*c*) *Mercur. Helvet.* pag. 120.



Ex Museo Auctoris.

MONUM.

Poſtremæ Lapidis noſtri literæ EX VOTO poſitum docent. Interdum formula utuntur *Voto ſuſcepto:* tritior, *Votum ſolvit.* Subinde etiam Monumenta *ex Viſo*; (*d*) quæ explicatio & heic locum poſſet habere, ſi quid rei à receptiſſima formula nos recedere juberet. EX VOTO.

§. LXIX.

Brocomagenſi Lapidi, Jovi aliiſque numinibus ſacrato, Niderbronnenſe fragmentum Columnæ lapideæ ſuccedit, cui hæc inſcripta Epigraphe: Fragmentum columnæ.

I. O. M.
A V G V S T.
V R S V L V
T A V G.

Tab. VII. num. 8.

Urſulus, qui Lapidem hunc poſuit, ex qoa gente natus fuerit, ignoratur. In Ara prope Coloniam Agrippinam, *M. Aurelius Urſulus*, *Beneficiarius Conſulis*, eodem modo, ut noſter, *Jovi Opt. Max.* ſed & *Genio loci*, Aram votivam erexit, (*e*) & quidem Tuſco II. & Dextro Coſſ. quorum Conſulatus in An. Urb. Cond. DCCCCLXXVIII. Chr. CCXXV. ſecundum Faſtos Noriſianos, incidit; quo eodem etiam in aliis L. Turpilius Dexter & M. Mœcius Rufus comparent. In Narbonenſi Lapide *Valerius Urſulus*; alibi *Urſulus Juvanus*; (*f*) in Dacia vero *Lupula Urſulo Fratri* poſuit Monumentum: (*g*) Chriſtiana hæc nonnullis creditur, quod D. O. M. dedicatus eſt Lapis.

§. LXX.

Sed & in Monte Dononis dedicata olim Jovi Epigraphe fuit votiva, quam THEODORICUS RUINARTUS adhuc vidit, ego fruſtra quæſivi; ignarus, quid ea devenerit. (*h*) In fragmento Columnæ ibi tum legebatur: Aliæ Inſcriptiones.

I. O. M.
C. L V C V L L V S
L E P I D I N V S
V. S. L. M.

Lapidibus his literatis Trans-Rhenenſem quoque Columnam, quæ in Caſtelli monte, (*Caſtelberg*) prope Gengenbacum oppidum, hodieque ſubſiſtit, à Baibio filiiſque Jovi dicata:

I. O. M.
B A I B I V S B A B I I Q
F I L I I I S V I.

Titulus inſculptus eſt baſi quadratæ, cui columnula ſquamata inſidet, quæ & ipſa baſis fuit ſigni vel imaginis Jovis, cui Sacellum illo in loco conſecratum. Imaginis ſuperimpoſitæ teſtis eſt foramen, in ſuperiore columnæ parte, adhuc conſpicuum. *Tab. VII. num. 4.*

(*d*) REINESIUS Claſſ. I. num. 45. Imo etiam *ex biſo* pro *ex viſo*, hoc eſt, *monitus viſu* vel *ſomno*, quæ formulæ haud raræ. HENR. ERNSTIUS *ad Valer. Probum de interpretandis Rom. Literis* pag. 150.

(*e*) GRUTER. *Inſcript.* pag. 9. num. 2. Urſulus occurrit quoque pag. 173. num. 7.

(*f*) GRUTER. *Inſcript.* pag. 893. num. 11. pag. 896. num. 2.

(*g*) MURATORIUS *Inſcript.* pag. 1961. num. 8.

(*h*) RUINARTI fide Inſcriptionem hanc retulit MABILLON *Diſſert. ſur les ſepultures des Rois de France*, inter *Opera Poſthuma* Tom. II. pag. 46. Adde *Memoires de l'Acad. des Inſcriptions* Tom. II. pag. 684. MARTIN *de la Relig. des Gaulois* Tom. I. Lib. II. Cap. XVI. pag. 339. MURATORIUM *Inſcript.* Tom. I. pag. 5. num. 1.

§. LXXI.

Bæbia gens.

Bæbia gens à Romanis Scriptoribus ſubinde ſine diphthongo exprimitur *Bebia*. Quibus placuit diphthongus, vel *ae* vel *ai* forma ſunt uſi. Sculptor Lapidis noſtri prætulit, *Baibius*; uti alibi quoque legimus *Vitelliai*, *Diodatai*, (*i*) *Annai*, *Primai*: (*l*) *Aimilius*, *Caiſar*, *Paitus*, *Mainius* &c. Codices Mſſ. & marmora frequentiſſime ponunt, in quibus etiam *Aidilis* pro Ædilis, (*m*) aliaque hujus generis paſſim occurrunt. Fabius (*n*) ait: " *AE* ſyllabam, cujus ſecundam nunc E literam ponimus, varie per „ A & I efferebant: quidam ſemper, ut Græci, quidam ſingulariter tantum, cum in „ dativum vel genitivum incidiſſent, unde pictai veſtis, aquai. „ Nomen plurale BAIBII brevitatis cauſa ita ſculptor expreſſit, ut vocalem I literæ B receptiſſima forma colligaret. In poſtremo autem verſu, in voce FILII, Lapicida unius literæ pleonaſmo peccavit. Bæbia gens plebeja, apud Etruſcos, ſpeciatim apud Fæſulanos, Volaterranos & Piſtorienſes (*o*) floruit, Romæque Conſules dedit. Familias ea plures, Pamphilos nempe, Divites, Sulcas, Criſpos, Marcellinos, Maſſas, Macros, Macrinos, Buttos, aliosque, Romæ alibique habitantes, complexa eſt. Inſcriptio nec prænomen, nec cognomen Bæbii noſtri expreſſit. Inter Moguntina monumenta, à Wittichio edita, (*p*) proditur:

A. BAEBIVS. C. F. SCAP. CLEMES. (*q*)

Inter Florentina Gorii (*r*) Bæbius quoque occurrit Libertus:

A. BAEBIVS. Ɔ. L. PINDARVS. (*s*)

BAEBIVS. Q. F. TERTIVS apud Illuſtr. Scipionem Maffejum extat. (*t*) Libertus an ingenuus fuerit noſter, divinare haud licet, quod Dominorum, à quibus manumittebantur, nomina concederentur Libertis.

Ceterum in opportuno hoc Ortenaviæ & Gengenbacenſis oppidi Imperialis angulo Romanos ſua habuiſſe ſtativa, nemo mirabitur, qui intellexerit, fauces ibi eſſe vallis, quam Kinziga perluit, quæ ipſa vallis, ſatis aperta, Rhenum & Ortenaviam jungit cum Suevia. Ædi gentilium Chriſtiana ſucceſſit, quæ hodie vocatur *Capella Calvariæ*; à monte nimirum, cui impoſita; quæ duplex quoque nomen à Caſtello primum, deinde à Chriſtiano cultu, qui Jovis cultui ibidem ſucceſſerat, accepit. (*u*) Prius indicat, Caſtellum ibi olim extitiſſe, & quidem Romanum, quod nummi, ibidem qui reperti ſunt, demonſtrant. Stativa, in monte illo præſidii cauſa, & ut ſpecula ſimul eſſent, conſtituta fuerunt. Romani enim Martianam hanc ſilvam non minus cuſtodiverunt, ac Vogeſum. Martiana, quæ hodie Nigra ſilva, magnæ illius Herciniæ olim pars habita, uti ex Cæſare diſcimus. Pluribus autem in locis pervia quum ſit, fauces ejus ſtationibus hinc inde muniendæ erant, quas inter Pforzheimenſes illæ præſertim notabiles. In Etenheimenſi Marca, ubi Vallis, Monaſterienſis quæ dicitur, (*x*) introitus, mons Monaſterio imminet, in quo Caſtelli, ampli ſatis, veſtigia reperi, quæ ab accolis *Gentilium Cella* (*y*) vocantur. Nummi Romani, ibidem eruti, Romanam habitationem quum indicent, non refragaturus ſum, ſi & ævo illo faucium Nigræ ſilvæ cuſtodiam ibidem fuiſſe, conjicere quis velit.

§. LXXII.

Pforzheimenſis Inſcriptio.

Pforzhemii, quod Marchionum Badenſium oppidum eſt, Lapis extitit, in quo hic Titulus, à Jacobo Beyellio, Presbytero Spirenſi, olim exſcriptus: (*z*)

I. O. M. DOLI. GE. NOLVERAT.
PATERNVS. MIE.
GV. IN. AVG. S. L. M.

Corru-

(*i*) Gorii *Inſcript. Etrur.* Tom. II. pag. 40.
(*l*) Inter Mogunt. Monumenta.
(*m*) Gruter. *Inſcrips.* pag. 69. num. 11. pag. 329. num. 3. pag. 464. num. 2.
(*n*) *Inſtitut.* Lib. I. Cap. VII.
(*o*) Gorii *Inſcrips. Etrur.* Tom. II. pag. 121. & 171.
(*p*) Num. 19. & apud Apianum in *Inſcrips.* pag. 476.
(*q*) *Aulus Bebius Caji filius Scaptia* (*Tribu*) *Clemens.*
(*r*) Tom. I. pag. 46.
(*s*) *Aulus Bebius Caja libertus Pindarus.*
(*t*) *Selecta Antiquit. Galliæ* Epiſt. VI. pag. 29.
(*u*) *Caſtelberg* & *Calvarberg*. Caſtellum Romanum quum ibi fuiſſet, Sacellum ſimul, Jovi dicatum, fuerat ibidem.
(*x*) Vulgo *Munſterthal*, Vallis Monaſterii, Etenheimenſis nempe.
(*y*) *Heiden-Keller.*
(*z*) Barthii *Adverſar.* Lib. LII. Cap. I. pag. 2428.

MONUM.

Corruptiſſimum exemplum, ex authentico, vetuſtate corrupto, expreſſum, quod Reinesius (*a*) ex Beyellio transſcriptum ita reſtituit: *Jovi Optimo Maximo Doligeno L. Veratius Paternus miles Cohortis IV. Auguſtæ votum ſolvit lubens merito.* In reſtitutione hac nihil deſidero, niſi quod pro *miles Cohortis IV. Aug.* convenientius reſtituatur: *miles Legionis VIII. Auguſtæ.* Numerus VIII. in Literis V. IN. quærendus eſt. Legionem Octavam Argentorati & in vicinis trans Rhenum locis ſtativa habuiſſe, in ſepulcris Legionis VIII. docebimus. *Dolichenii* nomen vel à *Doliche*, Epiri & Syriæ Comagenes, vel à Dolichene, Cœleſyriæ oppido, derivandum videtur. Colophonis loco monumentis Jovis fictilem illam Pateram rotundam ſubjungo, quæ, eidem Deo dicata, pluribus cum aliis hujus generis teſtaceis vaſis, in ora Rhenenſi Germaniæ primæ erutis, Illuſtriſſimi Comitis Antonii Spielberga-Oettingensis liberalitate Antiquarıæ meæ penui acceſſit. Ex fictili gutto in pateram ſubjectam, literis I. O. M. inſignitam, liquor in Jovis effundebatur honorem. *Tab. VII. num. 9.*

Literatis his Jovis monumentis illiterata, hoc eſt, imagines & ſigna ſuccedunt. Æneum nempe Jovis ſignum Argentorati ſeculo hoc erutum, circa Forum Equinum: Jupiter Fulgerator, Ζεὺς Καταιβάτης, (*b*) conſueto fulminis ſymbolo & aquila ſtante ad latus. Sed & ex Muſeo noſtro ſigno huic adjecimus alia; æneum nempe ſignum Jovis ſedentis, Jovisque Ammonis (*c*) protomen ex marmore flaveſcente exſculptam. *Tab. VII. num. 3. num. 1. 2.*

CAPUT IV.

MINERVA, VESTA, VENUS, DEÆ MATRES.

§. LXXIII.

In Religioſi Gallorum cultus ordine Jovi ſucceſſit Minerva, uti ex Cæsare (*d*) vidimus, quam Græci Palladem vocabant. Cognomina ejus Græca atque Latina innumera ſunt; (*e*) Celticum nomen non ſatis certum. Nomen *Beliſana* à nonnullis huc trahitur. (*f*) Peculiare monumentum ejus in Alſatia non extat; in quadrilateris autem Aris illis, de quibus mox dicendi locus, non ſemel occurrit. Simulacrum ejus in Wœrthenſi, Helvetenſi, hodie Elenſi, Hindesheimenſi, & Niderbronnenſi Cippis, Aræ ſimilibus, eodem fere ſemper modo viſitur. Tecta eſt thorace, ubi ægis, ſive pellis caprina, non ſatis diſtincte expreſſa. Galeam criſtatam in capite, dextra haſtam, ſiniſtra clypeum gerit. Wœrthenſis autem, præter hæc Minervæ ſymbola, alitem quoque ſuperius adjectam ſiſtit, quæ noctua quidem, fida Palladis comes, eſſe deberet: ſed alia ales eſt. Pauſanias in Eliacis monet, caſſidi Minervæ gallum gallinaceum inſediſſe ſubinde, quia pugnax ſit animal; vel quia futurorum præſcia & vigilantiſſima avis. Quadratarius tamen noſter libertate fabrili eandem Minervæ, quam Veſtæ vicinæ, alitem, ciconiam nempe, adjungendam eſſe exiſtimavit. *Minerva. Tab. IV. num. 5. Tab. V. num. 3.*

VESTA.

§. LXXIV.

Poſt Mercurium, Apollinem, Martem, Jovem atque Minervam, quale apud Gallos numen præ cæteris cultum fuerit, non indicat Cæſar; quinque eorum primaria enumeraſſe contentus. Minervæ nos Veſtam ſubjungimus, quod eam in Alſaticis aliquot Aris eidem junctam ſive σύμβωμον reperimus; in peculiari enim oræ noſtræ monumento Veſta non extat. Ex quadrilateris ergo veteris Helveti & Wœrthæ oppidi Aris eam expreſſimus. In utroque horum Lapidum Veſta, Græcis Ἑςία, tunicam cum ſuper- *Veſta. Tab. IV. num. 6. & Tab. V. num. 4.*

(*a*) *Inſcript.* Claſſ. I. num. 16. pag. 37.

(*b*) Vid. Petri Burmanni *Diſſert. Ζεὺς Καταιβάτης* ſive *Jupiter Fulgerator ad Gisb. Cuperum.*

(*c*) Ovidio *Metamorph.* L. V. dicitur *corniger Ammon.* Lucanus Lib. IX. vers. 514. *Stat tortis cornibus Ammon.*

(*d*) Lib. VI. Cap. XVII.

(*e*) Cognomina Minervæ vide apud Lilium Gyraldum in *Hiſtoria Deorum Syntagm.* XI. pag. 337.

(*f*) Martin *de la Religion des Gaulois* Tom. II. pag. 122.

Monum.

ſuperimpoſita veſte, infra genua defluente, velatoque capite viſitur, ſuper Aram flammigeram patera, quam dextra tenet, ſacrificans. Helvetenſis baculum aut haſtam, nodatam ſuperne, non cuſpidatam, tenet ſiniſtra; Wœrthenſis, haſtæ loco, velum ſuum tenet ac torquet. Veſtales ignem Veſtæ ſervantes, uti ipſa Veſta, velatæ viſuntur. In ſuprema Palladis Wœrthenſis parte ciconia ſculpta, quæ ales Veteribus ſymbolum pietatis (*g*) habita eſt; quod plane conveniens *Veſtæ*. Veſtæ omnium rerum offerebantur primitiæ. Multiplicia plantarum & animalium blandientium genera circum eam repræſentata olim fuiſſe, Hecateus Milesius in *Genealogiis* obſervat. (*h*) In alio tamen monumento alitem Veſtæ additam non reperi: Sculptor ingenii luxuria fortaſſis adjecit, ut & noctuam Minervæ in ciconiam convertit.

Veſta interdum forma ſedentis, heic ſtantis, exhibetur, quia ſacrificat. Duas Antiqui Veſtas ſtatuerunt, alteram Saturni uxorem, alteram filiam: hanc ignis, illam terræ ſymbolum; ſed confunduntur plerumque. Ædes ejus Romæ rotunda, uti Aræ quoque, ſupra quas Veſta noſtra ſacrificat. Aræ igniferæ, quod ipſa ignem repræſentare credita, eique ignis accendebatur perpetuus, quem Veſtales alebant. Ignis ergo ſymbolum Veſtæ proprium fuit, quod veteres hac ipſa ignem exprimere voluerunt. Pateræ loco quandoque ſimpulum, vel Palladium; interdum vas igne plenum, vel Aram minorem tenet: cujus generis ſimulacra apud Alexandrum Maffejum Equitem, Laurentium Begerum & apud Jac. Sponium reperimus.

VENUS.

§. LXXV.

Venus.

MInervæ Veſtæque Venerem, in Ara Brocomagenſi conſpicuam, ſubjungo. Veneris cultus, ante Romanorum in Gallia imperium, cognitus num fuerit, ignoratur. Religionem ejus Gallis vel attulerunt primum, vel frequentiorem certe apud Gallos reddiderunt Romani. Purior & decentior hac in parte Celtica fuerat, quam Græcorum & Romanorum Theologia. Venus nonniſi ſemel, & quidem in Brocomagenſi Cippo, inter Veſtam Apollinemque poſita, comparet. Ectypum ejus Tabula noſtra V. lit. a. exhibet. Repræſentatur ibi Venus ſiniſtro tantum femore leviter tecta; capite coronam, dextra ſpeculum octangulare, ſiniſtra haſtam fractam geſtans. Cupido offert ei columbam; ſymbola Veneris; quam Gallis veteribus *Onuava* appellatam fuiſſe, nonnullis (*i*) perſuaſum.

Tab. V. lit. a.

Corona.

Initium à Corona ſumemus; quæ ſingularis plane & vix alibi viſa. Corona radiata nonnullis, turrita aliis credita eſt, quibus Venus hæc Cybele viſa; hisque puerulus adſtans vel Atys, vel Horus, vel urbis cujusdam genius, pineam nucem offerre viſus eſt Deæ. At Cybelem non exprimere ſoliti ſunt nudam; nec corona, quam gerit, ſimilis turritæ; nec pineam Dea manu dextra tenet. Cupido columbam Veneri ſacram offerens, matrem nobis manifeſte deſignat. Num autem marina, num victrix vel armata, num anadyomene, num alia quædam ſit Venus, primo intuitu non diſtincte ſatis apparet. Haſta manus ſiniſtræ armatam nobis Venerem indicat. Corona nulli coronarum, quæ in monumentis cernimus, ſimilis, ex marinis ſex conchulis coagmentata, quarum quinque ſibi ordine junctæ ſunt, ſexta ſupra comam Veneris decidit. Venerem ex concha natam credebant. Plautus (*l*) ad Venerem, deprecans pro puellis:

Te ex concha natam eſſe autumant.

Talis in marmore villæ Matthæorum viſitur, in concha nempe ſedens, quam duo Tritones ſuſtentant. Unde Venus *marina*, *epipontia*, *tritonia*, Ἀναδυομένη, quod ex mari emergere viſa. Reliqua Veneris noſtræ, de qua agimus, attributa ad marinam ſpeciatim non pertinent.

§. LXXVI.

(*g*) Pietatem cum alite hac nummi veteres paſſim repræſentant. Ita in nummis aliquibus M. & L. Antoninorum, ubi Pietas ſub matronæ habitu, dextra arulam accenſam, ſiniſtra cornu copiæ, cui duæ ciconiæ inſident, tenens, occurrit, cum Inſcript. *Pietas Caſ.* Vid. Oiselii *Theſaurum Numismatum*, pag. 404. ſeq. Anton. Agostini *Diſcorſi ſopra le Medaglie* Tab. XI. Alium hujus generis nummum exhibet Vaillant *in Nummis Famil.* Tom. I. pag. 114. & in *Tabulis* num. 70. Cur *Pietas* ſub ciconia, Ælianus *Hiſt. Animal.* III. 23. & Philo Judæus in libro *de Decalogo*, exponunt & Basilius M. in *Hexaem. Homil.* VIII. Conf. Frid. Adolf. Lampe *de Cymbalis Veterum* Lib. I. Cap. VI. pag. 36. ſq.

(*h*) Natalis Comes in *Mythologia* Lib. VIII. Cap. XIX. pag. 909.

(*i*) Martin *Religion des Gaulois* Tom. II. Lib. IV. Cap. XXI.

(*l*) *Rud.* III. 3. 42.

MONUM.

§. LXXVI.

Speculum.

Tab. VI. num. 5.

Speculum octogonum, quod dextra tenet, ſimile vix habet alibi. Specula Veneris variæ formæ fuerunt: alia rotunda ſine manubrio, quale ſpeculum Venus Bibliothecæ Baſilienſis, ex Italia allata, tenet, cujus iconem producimus. Venerem Arelatenſem Regii Verſaliarum Palatii heic non allego, quum ſpeculum à Girardonio ſculptore ſtatuæ additum ſit. Gyraldus (m) ex Numeriani Imp. numiſmate producit Venerem victricem, ſtolatam; quæ dextra victoriolam, ſiniſtra ſpeculum triangulare, oſtentat. Diverſi generis ſpecula cum manubriolis ſuggerunt Monumenta Etruriæ. (n) Venereum ſpeculum inter donaria numeratur Deorum apud Gruterum. (o) Sophocles, ab Athenæo (p) laudatus, Venerem formæ ſuæ contemplatricem in ſpeculo ſiſtit. Huc etiam referendus eſt Callimachi (q) locus, ubi de Venere, comam ſuam ad ſpeculum diſponente, eſt ſermo. Ad eam ergo pertinet quoque, quod de aliis Deabus Augustinus (r) ſcribit: "Sunt, (mulieres) quæ Junoni ac Minervæ capillos diſpo- „ nunt, longe à templo, non tantum à ſimulacro ſtantes, orantium modo: ſunt quæ „ ſpeculum teneant. „ Ornatrices ſuas Deæ, ut Dii Ornatores & Veſtitores, habuerunt. Specula tum pleraque ex metallo compoſita. Brunduſina ex ſtanno & ære Plinius (s) commendat. Siniſtro Veneris brachio cuſpidata pars haſtæ impoſita viſitur.

Haſta Veneris Victricis, (t) columba, quæ ei offertur, præcipuum Veneris Paphiæ ſymbolum fuit. In area Templi Veneris Paphiæ, in quam pluvia nunquam decidiſſe dicitur, (u) columbæ, Veneri ſacræ, alebantur. (x) Unde evidens eſt, Veneris noſtræ, in veteri Alſatiæ Brocomago cultæ, artificem in Dea hac formanda diverſarum Venerum coacervaſſe ſymbola, ut Numen ſuum venerabilius redderet.

§. LXXVII.

Veneres diverſæ.

Cicero *de Natura Deorum* (y) quatuor diverſas nobis indicat Veneres. "Venus „ prima, (inquit) Cœlo & Die nata, cujus Elide delubrum videmus: altera ſpuma „ procreata, ex qua & Mercurio Cupidinem ſecundum natum accepimus: tertia Jove „ nata & Diona, quæ nupſit Vulcano; ſed ex ea & Marte natus Anteros dicitur: „ quarta Syria Tyroque concepta, quæ Aſtarte vocatur; quam Adonidi nupſiſſe prodi- „ tum eſt. „ His diverſis Veneribus alii alias addunt. Æneum Anadyomenes ſignum, quod attuli Roma, Lectori damus æri inciſum. Signum iſtud Ausonius (z) his verſibus exponit:

Tab. VI. num. 6.

" Ut complexa manu madidos ſalis æquore crines,
„ Humidulis ſpumas ſtringit utraque comis.

Hac forma Apelles decantatam illam Venerem marinam expreſſit. (a) Venus noſtra Brocomagenſis unicum apud Mediomatrico-Tribocos noſtros, imo in tota Alſatia, ſuperſtes eſt hujus Deæ monumentum, adeoque omni modo ſingulare. Titulus in urbe Nemetum eſt, quem Lehmannus, (b) & Reinesius (c) exhibent, ubi Venus memoratur:

VIRIVS MA
VIX
VENERI. D
. . . . . N
. . . O

niſi nomen Veneris ad affectus Conjugum claſſem, quod Reineſius exiſtimat, referre malueris; ita, ut vel *Viria Veneria Virius Maximus*, vel huic *Viria Veneria*, monumentum poſuerit, cujus reſtitutionem tentare non lubet.

(m) *Hiſtor. Deorum Syntagm.* XIII. pag. 399.
(n) Gorius *Inſcript. Flor.* Tom. I. pag. 10. & pag. 334. Item Tom. II. pag. 45. & 116.
(o) *Inſcript.* pag. 5. num. 6.
(p) *Deipnoſophiſtar.* Lib. XV. pag. 687.
(q) In *Hymno* in *Lavacrum Palladis* vers. 21. ſq.
(r) *De Civit. Dei* Lib. VI. Cap. X.
(s) *Hiſt. Natur.* Lib. XXXIII. Cap. IX. & Lib. XXXIV. Cap. XVII.
(t) Spanhemius *de Uſu & præſtantia Numiſmat. Diſſert.* VI. In Theatro Pompeji Romæ Ædes fuit Veneris Victricis.
(u) Tacit. *Hiſtor.* Lib. II. Cap. III.
(x) Apulejus.
(y) Lib. III. Cap. XXIII.
(z) *Epigrammat.* CVI.
(a) Plin. *Hiſt. Nat.* Lib. XXXV. Cap. X. Athenæus Lib. XIII.
(b) *Chron. Spir.* Lib. I. Cap. VIII.
(c) *Inſcript.* Claſſ. I. num. 90.

MONUM.

DEÆ MAIRÆ SIVE MATRÆ.

§. LXXVIII.

Maires Deæ.

IN veteri Helveto, quod oppidum Ptolemæus Helkebum, Tabula Theodosiana, uti vidimus, *Helellum*, medium ævum *Elefa*, vocavit, noſtrum vero *El* vocat, (*d*) in Sacello Recollectorum Eccleſiæ, præter Aram illam quadrilateram, quam exhibuimus, muro quoque inſertus eſt literatus Lapis, ab homine quodam Romano, voti ſui compote, Deabus illis dedicatus, quæ ſub nomine *Maires*, *Maira*, *Matres*, *Matræ*, colebantur à Gallis; adeoque Celticæ Theologiæ ſuot partus, quam Romani, Galliæ potiti, noo ſegnius imbiberunt, ac Galli Romanam. Inſcriptio, ex ipſo Marmore deſumpta, hæc eſt:

MATRABVS ACRV
EX MACERIE CIRC
VM DVCTVM SEXT
VS CLEMENTIS FIL
V. S. L. L. M.

Matrabus Agrum ex macerie circumductum Sextus Clementis filius (dedit) votum ſolvens lubens libero munere. Siglæ, ultimum verſum occupantes, ſolæ diſtinctæ ſunt punctis; quæ in reliquis nullibi comparent.

§. LXXIX.

Nomen.

Vox *Matrabus*, tertio caſu enunciata eſt; aliis in Saxis legitur *Matribus*, imo & *Matris*; prouti nominandi caſum ſibi Epigrammatum Auctores finxerunt. Frequens forma eſt *Matris Auguſtis*, quæ apud Chorierium, (*e*) Jo. à Bosco, (*f*) Paradinum, (*g*) Goelnizium, (*h*) Sponiumque (*i*) occurrit. Marmora Britannica vero apud Camoenum, (*l*) Gruterum, (*m*) Seldenum, (*n*) aliaque apud Salvagnium Boessium (*o*) & Sponium, (*p*) dicata ſunt *Matribus*. Formam, quæ in Lapide noſtro occurrit, *Matrabus*, cave credas eſſe Marmorarii ſphalma, mediæ ſyllabæ literam I. coovertentis in *A*, ut de ſimili Inſcriptione judicavit Banierius, (*q*) voci barbariem ineſſe exiſtimans; mutaturus ſenteotiam, ſi hanc noſtram vidiſſet, quæ numerum exemplorum adauget. Apud eundem enim Sponium (*r*) MATRABVS *votum ſolvit Eumeos Sex. Afrani libertus*: cui accenſeri quoque poteſt ſingulariſſima illa vocis forma, quæ apud Mediomatricos ooſtros reperitur, *Mairabus*, referente Meurissio; (*s*) quæ ab origine ſua Celtica minimum receſſiſſe videtur, uti ſuperius docui. (*t*) Ita autem ſe habet:

IN
HONOREM
DOMVS. DIVI
NAE. DIS. MAIRABVS
VICANI. VICI (*u*) PACIS.

ubi

(*d*) Vide Periodi Rom. §. CXLVI. pag. 203.
(*e*) *Recherches ſur les Antiquités de Vienne* Lib. III. pag. 260.
(*f*) *Bibliotheca Floriacenſis Append.* cui Tit. *Vienna Sancta ac Senatoria Antiquitas*, pag. 13.
(*g*) *Hiſt. de Lyon.*
(*h*) *Itinerar.* pag. 446.
(*i*) *Recherches des Antiquités de Lyon*, pag. 88.
(*l*) *Deſcriptio Britanniæ.*
(*m*) *Inſcript.* pag. 90. num. 8.
(*n*) *Syntagm.* II. *de Diis Syris*, Cap. II. pag. 258.
(*o*) *Denis de Salvaing*, Seigneur de *Boiſſieu*, de *ſeptem Delphinatus Miraculis*, inter *Miſcella* ejus Part. II. pag. 89.
(*p*) *Miſcell. Erud. Antiq.* pag. 105.
(*q*) *Diſſert. ſur les Deeſſes Meres*, in *Commentar. Acad. Inſcript.* Tom. VII. pag. 41.
(*r*) Loco cit. pag. 105.
(*s*) *Hiſt. des Eveques de Metz* pag. 9.
(*t*) Pag. 80. §. XCIII.
(*u*) Divodurenſis urbis vicum, non vicum in agro, heic intelligendum eſſe, inſequens Epigraphe firmat, ubi vici *Sandaliaris* fit mentio. Banierius in *Diſſert.* allegata pag. 35. Epigraphen hanc non recte expreſſit & de vico dubitavit, ad urbemne, an ad agrum ille pertinuerit.

ubi nec hunc quadratarium erroris poſtules, ac ſi literam L pro T. ſubſtituiſſet; Romani enim *Matræ*, *Maires*, *Matræ*, *Matres*, Celticæ vocis in Latinam formatione, promiſcue in Lapidibus ſcripſerunt; prouti ad primam tertiamve Declinationem Celticum vocabulum referre viſum cuique eſt.

§. LXXX.

Gisbertus Cuperus tamen, Inſcriptionem hanc Divodurenſem inter alias allegans, (*x*) *Mairabus* in Matrabus male convertit, adeoque Gruterum, (*y*) ad quem provocat, non diligenter exſcripſit. Cum Divodurenſi marmore Lingonenſe (*z*) conſpirat, in quo *Deabus Mair.* legitur. Epigraphe noſtra ſimpliciter habet *Matrabus*, uti Vaſionenſis apud Sponium, aliæque, ubi *Matribus*. Dunelmenſis Britannica vero characterem divinitatis præmittit *Deabus Matribus*, ut & alia ejusdem Inſulæ apud Brigantes, *Deis Matribus*: Divoduro-Mediomatricenſis denique *DIS Mairabus*. Nec ſilentio transeundum, eas quandoque *Matronas* appellatas fuiſſe & *Heras*. (*a*) His ergo Deabus Sextus noſter, voti ſui compos, *Agrum ex macerie circumductum* dedit. Marmorarius ſculpſit ACRV, *G* convertens in *C*, quod duæ hæ literæ alternabant frequenter, absque mendo fabrili; ut *Cavii* pro *Gavii*, *Ocubnii* pro *Ogubnii*, cujus generis exempla plura Passeratius (*b*) collegit.

§. LXXXI.

Ager hic, prope Helvetum oppidum procul dubio ſitus, *ex macerie circumductus* eſt, ut inviolabilis eſſet, ſacer Matrabus. Maceries, maceria, Græcis Τειχίον, paries erat, hortis cingendis præſertim exſtructus, uti ex Livio, (*c*) Terentioque (*d*) apparet. Quatuor maceriarum genera enarrat Varro (*e*) his verbis: "Quartum „ fabrile ſepimentum (tria ſuperiora enim non fabrilia ſunt) eſt noviſſimum, maceria; „ hujus fere ſpecies quatuor: quod fiunt è lapide, ut in agro Thuſculano: quod è „ lateribus coctilibus, ut in agro Gallico: quod è lateribus crudis, ut in agro Sabino: „ quod ex terra & lapillis compoſitis in formis, ut in Hiſpania & agro Tarentino. „ Sponius (*f*) Inſcriptionem producit, ubi legitur: LOCUS. MACEREOLA. CLUSUS. E. pro I. permutatione frequenti: ut *Cives* pro Civis, *fecet* pro fecit, *vertutem* pro virtutem, *flameni* pro flamini. &c. (*g*) Ager cinctus maceria.

§. LXXXII.

Perottus maceriem definit murum, ſive parietem ſine calce aut alio genere ferruminis factum, quaſi ſine pinguitudine, qui & maceria dicitur, ſolis lapidibus conſtans. Tolerabile etymon, quia *maceries* pro *macie* quoque aut *maceratione* legitur. Denotat ergo vox parietem ſiccum, non ferruminatum cæmento. Similis maceriæ mentio fit in Fragmento Inſcriptionis apud Scaroeonium, (*h*) ubi hæc verba: HUIC AREÆ QUAM EGO DIFFINII ET A FRONTE MACERIAS DUXI ET TITULUM POSUI VLTRA EAM AREAM ET MACERIEM IN FRONTE IN AGRO VERSUS LATE X. RETRO USQUE AD CANABETUM HUIC AREÆ CEDET. Cæsar (*i*) de Veſontione diſſerens: *murus circumductus montem arcem efficit.* Illi, qui Marmorario noſtro præivit, forma hæc placuit: *Agrum ex macerie circumductum.* Maceria quid.

Solennior

(*x*) In *Appendice Inſcriptionum* ad *Apotheoſin Homericam* pag. 249. Edit. Venet.

(*y*) Gruterus *Inſcript.* pag. 92. num. 1. eam recte exhibet, cum nomine *Matrabus*.

(*z*) Gruter. loco cit. num. 2.

(*a*) Lugdunenſe Marmor: *Matronis & Matribus.* Menetrier *Hiſt. Conſulaire de Lyon* pag. 128. Marmor Noviomagenſe ad ripam Vahalis, *Matronis Aufaniabus.* Vid. Jo. Smith, ſive Smetius, in *Oppido Batavorum* Cap. IX. pag. 110. *Heræ Auſſæ*, apud Oihenartum. Vide ſupra in Per. Celt. pag. 81. §. XCIV.

(*b*) Jo. Passeratius *de Literarum inter ſe cognatione ac permutatione*, pag. 26.

(*c*) Lib. XXIII. Cap. IX.

(*d*) *Adelph.* V. 7. 10.

(*e*) *De Re Ruſtica* Lib. I. Cap. XIV. 4.

(*f*) *Miſcellan. Erud. Antiq.* pag. 293.

(*g*) Reinesius *Inſcript.* in Indicibus Cap. XIX.

(*h*) *Hiſtor. Patav.* Lib. I. Claſſ. IV. pag. 70.

(*i*) *De Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXXVIII. uti aratrum circumducitur apud Cicer. *Philip.* II. 102. ita murus quoque circa agrum, ædificium, montem ducitur.

Solennior marmorum ſtylus eſt, *Locus cinctus maceria*; (*l*) quandoque *clusus maceria*, ut in marmore Gudiano: (*m*) *Hujus Monomenti jus, qua maceria clusum eſt, cum taberna & cenaculo,* (*n*) *heredes non ſequetur, neque intra maceriam humari quemquam licet.*

§. LXXXIII.

Loca circumducta.

Circum Aras itaque, Ædes, Ædiculas, Sacella, Templa, Fana, Delubra, ut inviolabiles eſſent, conſtruxerunt loricas, ſepta, ambitus, quibus aditus promiſcuus prohiberetur, uti veteris Pontificii Tabulæ nos docent. Ita *voto ſuſcepto Bonæ Deæ Aſtrapton Cæſaris Vilicus Ædiculum Aram ſeptum* (*o*) *clusum vetuſtate diruta reſtituit.* Marmor hoc ex Tomasino Reinesius (*p*) protulit. Noſtra Epigraphe non niſi *Agrum Matrabus* dicatum, & macerie circumdatum memorat, nulla Ædis Aræve facta mentione.

Sextus ergo Agri ſui partem muro incluſit & Matrabus dedicavit, ſolas ibi imagines earum, ut videtur, reponens. Alii non maceria, ſed ſeptis cancellisve ſimulacra Deorum Dearumve, in aperto pnblicove poſita, cinxerunt. Sacra hæc Ethnicorum loca ne frequentarent Chriſtiani, Homiliis ſuis prohibuit S. Eligius, Galliarum ſeculo VII. apud Noviomenſes Epiſcopus, ut contemporaneus vitæ ejus Scriptor, Audoenus teſtatur. (*q*) "Nullus Chriſtianus (inquit) ad fana, vel ad petras, vel „ ad fontes, vel ad arbores, aut ad *Cellos*, vel per trivia luminaria faciat, aut vota „ reddere præſumat. „ Qudam Codices pro *Cellos* habent *Ocellos* vitioſe. Quodſi *Cellos* non placet, vel ſubſtituendum *lucellos*, pro lucis, quod Cangio, (*r*) vel *cancellos*, quod Cointio placet, plurimisque probatur. Forte nihil immutandum; *Cellus* enim locus eſt Numini ſacratus, ac ſeptus cancellis. Ex maſculino *Cellus* formatum eſt Cella.

§. LXXXIV.

Sextus Clemens.

Sextus noſter pro cellis vel cancellis maceriam conſtruxit, ut Deabus Matrabus ſuum votum perſolveret; homo uti videtur, Romanus. Nomen certe ejus originem ſapit Romanam, qui Clementis filius quum eſſet, *Sextus Clemens* ipſe appellabatur, familiæ tantum nomine notus, ignoto gentilitio. Pluribus enim Gentibus Romanis, *Arriis* nempe, *Atriis*, *Claudiis*, *Flaviis*, *Terentiis*, commune fuit *Clementis* cognomen. (*s*) Romani, Gallicis moribus paullatim aſſueti, uti Galli Romanis, utramque Religionem pedetentim miſcuerunt; atque indigena Gallorum Numina mutuo coluerunt.

Celticam ſane originationem vox ſapit, unde & apud Gallos freqnentior mentio, Lugdunenſes (*t*) præſertim, Viennenſes, (*u*) item apud Vocontios, (*x*) Vediantios & Aquæ-Sextienſes, (*y*) Narbonenſis olim Galliæ populos, quibus addendi ſunt Belgæ, ubi aliquot hujus nominis & generis, Dearum veſtigia ſuperius (*z*) annotavi. Coloniæ Celticæ Matrarum religionem ad Hiſpanos, (*a*) Italos, Pannonios, (*b*) imo & in Britannicam Inſulam, alioque transtulerunt.

§. LXXXV.

(*l*) Ita apud Gruter. pag. 964. num. 2. *Hortus cinctus maceria.* Adde pag. 1133. num. 3.

(*m*) *Inſcript.* pag. 336. num. 13. Adde pag. 332. num. 2.

(*n*) Epulæ quotannis ad defunctorum quorundam tumulos habitæ, quæ *Diſcubitiones* vocabantur. Vid. Inſcriptionem apud Sponium, *Miſcell. Art.* LXXXI. pag. 107. Meneytrier *Hiſtoire de Lyon.* pag 128. Martyribus Chriſtianorum quoque magno cum abuſu & ſcandalo celebratas, Augustinus *contra Fauſtum* Lib. X. Cap. XXI. refert.

(*o*) In alio Marmore legitur: *Cum conſepto omni circa templum.*

(*p*) *Inſcription.* Claſſ. I. num. 125. ubi occaſione mendi fabrilis in vocibus *Vilicus* pro villicus, *adiculum* pro ædiculam, de Marmoribus barbaris multa erudite.

(*q*) Audoenus, Rothomag. Archiepiſcopus factus An. DCXL. in *vita S. Eligii.* Lib. II. Cap. XV. apud Dacherium in *Spicileg.* Tom. II. pag. 76. Cointius in *Annalibus Eccleſiaſticis Francorum* Tom. III. ad An. DCLIX. pag. 487.

(*r*) In *Gloſſario Med. & Infimæ Latin.* voce: *Celli.*

(*s*) Glandorpius in *Onomaſtico Romano* ſub his nominibus.

(*t*) Sponii *Miſcellanea* loco cit.

(*u*) Chorier *Recherches des Antiquités de Vienne* Lib. II. Cap. VI. pag. 134. ſqq.

(*x*) Valione Vocontiorum, ubi repertus hic Lapis: *Matribus ad cultus Vaſſedon.* teſte Salvaonio loco cit. item Henr. Ernstio in *Obſervationibus ad Valerium Probum de Interpretandis Romanor. Literis,* ad Cap. XX. pag. 154. Add. Reinesius Claſſ. I. num. 174.

(*y*) Prope Nicæam Provinciæ, ut ex PeiresciI *Schedis* Sponius loco cit.

(*z*) Period. Celt. §. XCIV. pag. 81.

(*a*) *Matres Gerudatiæ* ad Gerundam, quæ Girona Catalauniæ. Matres *Gallaicæ* huc pertinere videntur. Prope Segobrigam quoque lapis, *Matribus* dicatus, inventus eſt. Gruterus *Inſcript.* pag. 96. num. 7. Ambrosio de Morales *Antiquedades de las Ciudad.* fol. 18.

(*b*) Banierius in *Diſſert. alleg.* pag. 42. *Aufanias* à Buda, Pannoniæ urbe, quæ Germanis *Ofen*, etymologia haud veriſimili, derivat. Reinesius *Inſcript.* pag. 188. Aufanias in *Taufanias* converſas, quas à Taufana, celebri Marſorum Dea, derivat.

§. LXXXV.

Dearum Matrum varia nomina.

Quodſi autem Deæ hæ Matres, pro diverſitate locorum, ubi colebantur, nomina quoque acceperunt diverſa; ſi *Matribus Treveris*, *Friſavis*, *Brittis*, (c) *Auſanis*, *Acernebabus*, *Hamavehis*, *Rumahabus*, *Romanehis*, *Vacallinebis*, (d) *Vediantiabus*, *Gerudatiabus*, *Gallæcis*, *Gabiabus*, *Mopatibus*, topica hæc acceſſere cognomina, (e) Matres ſane noſtras, quibus Sextus votum ſuum perſolvit, *Helvetenſes* vel *Helvetias* appellares. Matres hæ ternæ repræſentantur in monumentis, uti ternarius quoque fictus eſt Gratiarum, Parcarum, Furiarum & Gorgonum numerus. Unam tamen Deam Matrem, quæ vel pago, vel certo loco præſideret, nonnunquam etiam reperiri, Cuperus arbitratur; quam ego rem haud dubiam reddo.

Nomen *Maires*, vel potius, abjecta pluralis numeri terminatione, *Mair*, *Mear*, Brito-Aremoricis noſtris, penes quos vetus Celtica lingua, tempore licet corrupta, perſtitit, hodieque *Præpoſiti* munus ſignificat, unde Magiſtratus nomen *Maire*, (f) in oppidis Galliæ frequens; Britannis quoque, ex veteri Celto-Britannica lingua, adhucdum in uſu. *Merion* Celtis Sacerdotem, *Meriones* Sacerdotiſſam deſignat. Keyslerus (g) ex Septentrione ſive à Scythis ad Gallos vocem migraſſe exiſtimat, quod veriſimile non eſt, præſertim ſi ea, quæ de Celtica lingua diſſeruimus ſupra, (h) diligenter perpendas. In Occitanica lingua, ex veteri forte Celtica, adhucdum ſupereſt vox *Maire*, ſignificans matrem, uti à nobis jam alibi dictum. (i) Banierius (l) tamen maluit vocem hanc derivare à Græco, & *Matrabus*, pro Matribus, mendi accuſare fabrilis, vel certe barbaro Gallorum Latiniſantium ſtylo, uti ſupra jam annotatum, tribuere.

§. LXXXVI.

Mairarum cura.

Mairæ hæ vel Maires quarum rerum curam præſertim geſſerint, facile definitu; varias licet circa hoc argumentum ſententias Critici foveant. Trium fœminarum numero in marmoribus eas comparere diximus. Nata hinc Menetrierio primum fuit ſententia, illis deſignari tres Gallias, quales in Galbiani nummi poſtica parte comparent: at mutata mox ſententia, tres Parcas declaravit, quæ ſententia quoque Jacobi Martini eſt. (m) Keyslerus autem in erudita de *mulieribus fatidicis veterum Celtarum* Diſſertatione, Matres has Deas non niſi Druidas mulieres, adeoque ſacerdotes eſſe contendit; auxilium ab ipſa vocis origine petens, quod in Scytho-Scandica, ſive Gothica lingua *Meithrin* educare, *Meji* vero & *Meuar* puellam virginemque denotet; quod equidem in Gothico libro *Hervarar-Saga*, (n) ut & in *Island Saga*, (o) hoc eſt, Islandurum Narratione ſive Hiſtoria, reperio. (p)

Accedit, quod *Edda* tres ſeptentrionalium Deas, virginesque fatidicas memorat, quæ hominum ætates diſpenſant. Verum enimvero Deæ hæ ſeptentrionales Parcis magis, quam noſtris Matrabus, ſimiles deſcribuntur. Hæ ſane juvenes, lætiore aſpectu, quarum alia cornu copiæ & pomum, alia promiſcuos arborum fructus, in lapide Metenſi ſtantes, in Lugdunenſi ſedentes, in ſinu repoſitos habent, (q) Dryadum, Hamadryadum, ſive Nympharum ſilveſtrium, pratenſium vel campeſtrium, quæ Græcis λειμωνιάδες, ſpeciem quandam præ ſe tulerunt. Quamvis ergo *Matres* vocentur, nihil tamen cum illis Græcorum Romanorumque Deabus Cybele, Rhea, Ope, Lua, Tellure, Matuta, Veſta, quæ etiam *Matres* dicebantur, habent commune, quod Celticæ originis eſſent.

(c) Marmoris, Matribus *Brittis* dedicati, fragmentum Franc. Oudendorpius in *Monumentis Papenbroekianis* pag. 13. num. 12. exhibet. Adi quoque Cannegieter in *Brittenburgo* pag. 21.

(d) Reinesius à Vahali flumine, Cuperus illorum opinioni adhæret, qui à *Vabelendorf* vico derivant.

(e) Gruterus *Inſcript.* pag. 91. Sponius in *Miſcell. Eruditæ Antiquit.* pag. 855. ſqq. edit. Venet. Gisbertus Cuperus in *Inſcriptionibus*, *Apotheoſi Homeri* adjectis, pag. 248. ſqq. edit. Venet. Keyslerus in *Antiquit. Septentr.* loco alleg.

(f) Medio ævo ſummus totius Regni Magiſtratus, & Præſes poſt Regem, *Maire* appellatus, unde Latinis *Major Domus* procuſus eſt.

(g) Lib. cit. pag. 394.

(h) Periodi Celticæ pag. 88.

(i) Pag. 80.

(l) *Diſſert.* alleg. pag. 41.

(m) *Religion des Gaulois* Tom. II. Lib. IV. Cap. XXIV. pag. 156.

(n) Cap. XII.

(o) Pag. 180.

(p) Conf. Ol. Verelii *Indicem Linguæ veteris Scytho-Scandicæ*, in vocibus allegatis.

(q) Ectypa earum diverſa vide apud Menetrierium in *Hiſt. Lugdunenſi*, Præparat. pag. 7. Meurisium in *Hiſt. Epiſcopor. Metenſium* pag. 9. ut & apud Gruterum *Inſcription.* pag. 92. num. 1. cui regius apud Mediomatricos Præſes, Dionysius Lebei-Batilius, marmoris poſſeſſor, typum ejus tranſmiſit. Denique apud Cuperum in *Inſcriptionibus*, pag. 249. edit. Venet.

Neque tamen etiam noſtram trigam Dearum ad Druidas, fœminas ſacerdotes Gallorum, cum KEYSLERO reſtringeremus, utpote quæ Numinum horum miniſtræ, non Deæ ipſæ fuerunt, divini quid licet illis ineſſe Galli crediderint; niſi Matres has, antiquis jam temporibus, ex Druyadum numero inter numina, hominum opinione, poſitas fuiſſe exiſtimes. Ex omnibus ergo circumſtantiis, tenui nempe ſimplicique veſtitu, ex cornu copiæ, fructibusque, quos tenent juvenculæ, veriſimile ſit, in campeſtrium (r) agreſtiumve Numinum, quæ agris & fructibus præeſſent, claſſem referendas has Matres; quarum ditio latius ſe pedetentim extendit, ita ut pro Cæſarum aliorumque etiam invocarentur ſalute. (s) Utut autem præcipuus earum cultus in agris, urbium tamen & oppidorum incolæ eas paſſim quoque venerati ſunt, quod ipſe Lapis noſter, ad veteris Helveti ruinas repertus, oſtendit. Sextus Clemens enim noſter, qui votum exſolvit, Helvetenſis incola fuiſſe videtur.

§. LXXXVII.

Cultus Matrum antiquitas.

Antiquitatem religionis Dearum Matrum non altius, quam ad Pertinacis ac Sept. Severi Imperatorum tempora aſcendere, CHORIERIUS conjicit; fundamento non ſat idoneo nixus. GISB. CUPERUS cautius, ab hoc tempore cultum earum frequentari cœpiſſe, ait. Quanquam enim altum de illis apud veteres Scriptores ſilentium ſit; quamquam etiam *Matribus Pannoniorum & Delmatarum pro ſalute Imp. L. Sept. Severi Aug. totiusque Domus ejus vota* fuerint ſoluta, uti modo docuimus; alia tamen magno numero marmora illas quoque loquuntur, quæ omnia ad ſeculi II. finem & infra relegare, nulla nos ratio jubet. Titulus ille memorabilis, *Sulevis & Campeſtribus à L. Aurelio Quinto* dicatus, (t) qui ad Matres Deas Criticorum conſenſu pertinet, Bradua & Varo Coſſ. hoc eſt An. Chr. CLX. quo Antoninus Pius adhuc imperaverat, poſitus eſt. Dearum Matrarum ſi tam nova fuiſſet religio, qui factum, ut illa per Gallos ad Hiſpaniam, Britanniam, & ad Scotiam usque remotam, tam brevi temporis ſpatio, penetraret? Quodſi denique locus ille PLUTARCHI in *Vita Marcelli*, ubi de Deabus, quas vocant *Materas* vel *Matres*, (u) in oppido Siciliæ ſermo, de Matrabus noſtris intelligendus eſt, Chorierii ſententia eo ipſo plane confoditur.

CAPUT V.

HERCULES ARGENTORATENSES.

§. LXXXVIII.

Hercules.

SEd jam nos è diverticulo noſtro redimus ad Numina, quibus veteres Alſatæ communes Aras dicarunt. Hæc inter numina Herculem poſtremum recenſeo, quem ex XII. Cœleſtium Deorum numero (in quo omnes, quos hucusque retulimus, poſiti) excluſerunt Romani, atque inter Indigetes (x) poſuerunt. Herculem à Gallis cultum fuiſſe, CÆSAR non prodit; at Herculem quendam Ogmium eos coluiſſe, ſcribit LUCIANUS, cum noſtro, Jovis filio, nihil habentem commune. Apud Germanos autem Hercules magno in pretio habitus fuit. In Aris noſtris Alſaticis Hercules Mercurio, Minervæ & Veſtæ, plerumque σύμβωμος eſt. De illo itaque & pauca quædam heic loci obſervo.

Veteris Alſatiæ Theologiam mixtam fuiſſe, à nobis obſervatum non ſemel. Apud Superiores ſive Sequanicos Alſatas Celtico-Romana, (y) apud Mediomatrico-Tribocos autem & Mediomatrico-Nemetes, ſeu Inferiores Alſatas, Religio Celto-Germanico-Romana obtinuit; quod inter Mediomatricos, origine Gallos, Triboci primum, dein

&

(r) De Deabus his Campeſtribus & Agreſtibus vide FABRETTUM *de Aquæductibus* pag. 106. SPONIUMque in *Miſcell. Erud. Antiq.*

(s) Teſte Epigraphe Lugdunenſi, qua *Aufaniis Matronis vota ſoluta pro L. Sept. Severi Imp. totiusque Domus ejus ſalute.* MENETRIER *Hiſt. Conſulaire de Lyon*, pag. 128.

(t) Inſcriptio Romæ extat in impluvio privatæ Domus ad plateam Matthæiorum. Primus eam in lucem edidit RAPHAEL FABRETTUS de *Aquæductibus* Diſſert. II. pag. alleg. ubi præ *Sulevis* multis placet *Suevis* vel *Suevis*, ut ad populos Suevos illas Deas referrent.

(u) Ἀι καλοῦσι Ματέρας.

(x) JANUS LAURENBERGIUS in *Antiquario* pag. 227.

(y) Et apud hos repertum nobile Herculis ſignum, ſpeciatim in veteris Epamanduoduri ruderibus, quod CHIFLETIUS exhibet, *Veſontionis* Part. I. pag. 171. Ex ſeculo VII. Herculei cultus veſtigia apud Gallos ſuperſunt, hinc inde Chriſtianiſmi & Paganiſmi ſacra miſcentes. Superſtitiones illæ, quas Gallis ſuis S. Eligius objicit, Alſatas quoque noſtros reſpicere potuerunt. Vid. COINTII *Annal. Eccleſiaſt.* Tom. III. pag. 486.

Digitized by Google

HERCULES ARGENTORATENSES

N.° I.



Specklin.

II.



Turr. Argent

III.



Iſtaa.

& Nemetes advenæ habitaſſent Germani. Præcipuis ergo Alſatarum Inferiorum Numinibus Herculem accenſere haud dubito; quem apud Germanos, poſt Mercurium, præcipue cultum fuiſſe prodidit Tacitus; (z) cujus cultus Rauraci & Sequanici Alſatæ forte ignari; quod nullus Germaniæ populus in terris eorum fixerat ſedes.

§. LXXXIX.

Hercules Alſatici.

Tab. VIII.

Aventino (a) Alemannum ſuum Herculem, Boicæ gentis Conditorem, fabuloſum relinquimus. Nec excitamus heic æneum illud Herculis Germanici ſignum, quod ex Augiæ Divitis Monaſterio Maximiliani I. ætate Stabius, ejuſdem Imperatoris Hiſtoricus, (b) ad Tirolenſes tranſtuliſſe ſcribitur. Nos inter rariora & propria Antiquitatum Alſatiæ Inferioris cimelia duas Herculis æneas, ſtaturæ fere humanæ, ſtatuas, jure reputamus; quarum altera quidem ſeculo XVI. jam periit, (c) altera noſtris adhuc temporibus, ſed extra Alſatiam, extat. Prioris (num. 1.) iconem Danielis Specklini, Architecti Argentor. diligentiæ debemus: poſterioris (num. 3.) delineationem, inſignis Artificis Pariſini manu ex archetypo exacte deſumtam, (d) debemus generoſæ humanitati Illuſtriſſimi Alſatiæ Rectoris togati, Dn. de Vanolles; qui ille Literarios labores meos fulcire ſtuduit, atque hoc in negotio id eo lubentius fecit, quod Illiacenſis illa Domus, ubi Argentoratenſis hic Hercules, Argentorato Lutetiam translatus, ſtetit, ad Parentem ejus, Generalem rerum maritimarum Theſaurarium, pertinuerat, antequam in Eſtræi, Mareſchalli, manus perveniſſet. Hercules hic noſter haud ita pridem aliam in Domum, quæ Illiacum tangit, cui nomen *la Barre*, ubi etiamnum viſitur, (e) translatus eſt. Æneis duobus Herculibus accedit lapideus, qui hodieque ſummi Argentoratenſium Templi turrem exornat, (num. 2.) quem Architectus medii ævi, quum Turrim exſtrueret ſtatuamque ibidem loci reperiret, reliquis ſimulacris junioribus & Chriſtianis inſeruerat. Tres hæ Herculeæ imagines Periodi Romanæ noſtræ ſunt opus: Celtica enim vetus religio ignoravit ſimulacra. In omnibus his ſtatuis Germanicam Tribocorum, Herculis ſui ſexum occultantium, verecundiam obſervo; quam ſupra quoque in Dononianis & Dagisburgicis Mercurii imaginibus oſtendi: quum Theologia Romana in Diis maribus non occuleret ſexum, uti ex aliis, quæ apud nos extant, imo & ex cippo illo Recollectorum Monaſterii apud Ellenſes quadrilatero apparet; ubi Herculis, Romani potius, quam Germanici, ſimulacrum occurrit.

§. XC.

Hercules Argentoratenſes.

Herculeum ergo cultum in veteri Argentorato frequentem fuiſſe, neceſſe eſt, quod tres diverſæ ejus ſtatuæ, & inter eas duæ æneæ, ad noſtra usque ſecula pervenerunt; unde majorem longe Herculearum ſtatuarum numerum periiſſe, veriſimile fit. Hercules Deuſonienſis à Poſtumio, Galliæ tyranno, celebratur in Nummis: (f) ara Herculis Macuſani in Walchria Inſula (g) Germanicum, at Lotharingica ara, Herculi Saxano (h) dicata, Romanum nobis Herculem potius, quam Germanicum indicant. Lucianeus autem ille *Hercules Ogmius* (i) mere Gallicus fuit, niſi omnem illam narrationem à Luciano, feſtivi ingenii Scriptore, effictam eſſe cenſeas, (k) vel certe Herculi adſcripſiſſe, quæ tribuenda Mercurio, quem eloquentiæ Deum arbitrati ſunt Græci. Herculem tamen, poſtquam Tyrannum quendam apud Gallos occiderat, Gallicam duxiſſe uxorem, pluresque ex ea liberos ſuſcepiſſe, ſeculo IV. in Gallia creditum eſt, uti Ammianus (l) teſtatur. Herculis æque ac Neptuni, Plutonis, Dianæ & Minervæ cultum Chriſtianis ſuis Gallis interdixit ſeculi VII. Epiſcopus S. Eligius. (m)

(z) Tacitus *German.* Cap. II. "Germani fuiſſe „ apud eos & Herculem memorant, primumque „ omnium Virorum fortium ituri in prœlia canunt. „ & Cap. IX. de iisdem Germanis ait: "Deorum ma- „ xime Mercurium colunt, cui certis diebus huma- „ nis quoque hoſtiis litare fas habent: Herculem ac „ Martem conceſſis animalibus placant.

(a) Aventinus, Pſeudo-Beroſum ſecutus, *Annal. Bojor.* Lib. I.

(b) Elias Schedius *de Diis Germanis Syntagm.* III. Cap. II. pag. 474.

(c) De Speckliniano Hercule actum eſt in Periodo Celtica pag. 75. ſqq. §. LXXXI.

(d) Illa enim quæ apud Montefalconium *Antiquit. Explan. Supplem.* Tom. III. poſt pag. 59. exprimitur, haud conformis prototypo eſt. De Hercule hoc Argentoratenſi, Lutetiam tranſlato, ſupra locutus ſum.

(e) Vide ſupra pag. 77. §. LXXXVII. ſqq.

(f) Banduri *Numismata Imp. Rom.* Tom. I. pag. 284.

(g) Keysleri *Antiquitates Septentrionales* pag. 200.

(h) Montfaucon *Antiquité Expliquée, Supplem.* Tom. II. pag. 50.

(i) Lucianus in *Hercule Gallico.*

(k) *Religion des Gaulois* Lib. II. Cap. X.

(l) Lib. XV. Cap. IX.

(m) *De Rectitudine Catholicæ Converſationis.* Vide Cointium *Annal. Eccleſ.* Tom. I. pag. 696. & Tom. III. pag. 484. Tractatum hunc alii Auguſtino adſcribunt, inter cujus *Opera* quoque extat Tom. IX.

MONUM.

Hercules varii.

Cicero ſex Hercules annotat, (*n*) inter quos tamen nec Germanicus reperitur, nec Gallicus. Noſtræ Argentoratenſes tres Herculis ſtatuæ, ſive Tribocos, ſive Gallos, ſive Romanos, habuerint cultores, illius certe Herculis ornati ſunt ſymbolis, quem Jovis & Alcmenæ filium coluerunt Romani: exuvias leonis clavamque intelligo. Primus ex Herculibus noſtris, præ omnibus, qui ex Antiquitate ſuperſunt, id habet præcipui, quod tunica ſuccincta veſtitus eſt, quum omnes Græcorum Romanorumque Hercules nudi, tunica certe non tecti, occurrant.

Tam præſtans ergo Alſatiæ Gentilis monumentum ætate majorum noſtrorum periiſſe dolendum. Delineationem ejus non ſua, ſed aliorum fide dedit Specklinus, unde ſtatuam ab eo non viſam eſſe concludimus, quod ipſe ex prototypo eam delineaſſet, ſi temporibus ejus adhuc extitiſſet Argentorati. Id unum adhuc moneo, Herculea, quæ apud nos ſuperant, Monumenta, eſſe illiterata: literatum hucusque in manus meas non incidit.

NUMINA HERCULI SYMBOMA.

§. XCI.

Numina Symboma.

QUadrilateræ Aræ, Herculi aliisque Diis Deabusque communes, in Alſatia Inferiore frequentes, admonent nos, ut de Numinibus Συμβώμοις & Συννάοις nonnulla adjiciamus. Delubra, pluribus Numinibus communia, Romæ multa fuerunt; inter quæ Templum illud Capitolinum, Jovi, Junoni atque Minervæ ſacratum, (*o*) principem locum tenuerat. Pantheum, omnibus Numinibus ſacrum olim fuiſſe, nemo ignorat. Templa, duodecim ſacra numinibus, *Dodecathea* dicta ſunt. Sed & pluribus olim Diis Deabusve ſimul dedicatæ fuerunt Aræ inſignes. Vidi in Caſtellana civitate Baſin aut Aram, cui inſculptum: *Dii Synnaoi;* quam Epigraphen prodit Gruterus. (*p*) Herodotus (*q*) Aram XII. Deorum aut Athenis, aut proxime Athenas, commemorat. In Hortis Juſtinianeis extitit Lapis, quem Reinesius, (*r*) Fabrettus, (*s*) aliique retulerunt:

ΔΙΙ. ΗΛΙω. ΜΕΓΑΛω.
CΑΡΑΠΙΔΙ. ΚΑΙ. ΤΟΙC. CΥΝΝΑΟΙC.
ΘΕΟΙC. &c.

Deo Soli magno Serapidi Diisque templi ejusdem. Quid Τρίβωμος, *Triplex-Ara* Romæ, in Æſculapii templo, denotaverit, Criticorum non eadem ſententia eſt. Mercurium, Herculem & Silvanum vetus aliquod Monumentum apud Gruterum (*t*) conjungit.

Sed ad quadrilateras Alſatiæ noſtræ Inferioris Aras redimus. Cippi hi lapidei, tres quatuorve pedes alti, ſingulis lateribus Numinis cujusdam imaginem habent inſculptam, adeoque in ſingulis cippis quatuor Numina, & quidem duo ſemper Numinum paria cernuntur. Mercurius & Apollo vel Hercules latera plerumque duo; Veſta, Pallas vel Venus reliqua occupant. Sex hujus generis Cippos, ſed illiteratos, longa inveſtigatione detexi. I. In Ellenſis Recollectorum Eccleſiæ Sacrario. II. In Hindesheimenſis vici Presbyterio. III. Brocomagi, qui nunc in Antiquario meo. IV. In Dynaſtiæ Lichtenbergicæ oppidulo *Warth.* V. Niderbronnæ. VI. Saletionem inter & Munchishuſam, prope Rhenum, cujus figuræ vix poſſunt dignoſci. Ex his Ellenſis omnium optime ſervatus eſt, ideoque eundem Tab. V. oculis Lectoris exhibeo: Mercurius, Hercules, Veſta & Pallas ibi exprimuntur diſtincte. Mercurium ex Gallica, Herculem ex Germanica, Veſtam Pallademque ex Romana, religione in Lapide hoc confluxiſſe crederes. Freqnentes hæ in Alſatia Inferiore ſuperſtites Aræ indicant, tria iſta numinum paria apud Majores noſtros gentiles præ aliis culta fuiſſe.

Tab. V.

De

(*n*) *De Natura Deorum* Lib. III.

(*o*) Servius *ad Æneid.* Lib. II. quid Delubrum eſſet, docens ait: *ut eſt Capitolium* (ita enim legendum) *in quo Minerva, Jupiter, Juno, ſunt Σύνναοι.*

(*p*) *Inſcript.* pag. 89. num. 2.

(*q*) *Euterpe* Cap. VII.

(*r*) *Syntagm. Inſcriptionum Antiquar.* Claſſ. I. num. 199.

(*s*) *Inſcription.* Cap. X. pag. 746.

(*t*) *Inſcript.* pag. 1. 42. 62.

MONUM.

De Apolline & Minerva teſtis eſt Cæsar. (*u*) Diogenis cujuſdam Thraſæ Inſcriptionem votivam, ex Inſula Chio, protulit Sponius, (*x*) Græca lingua conceptam; qua ille pro ſe & uxore & filiis, filiorumque filiis, votum quatuor Numinibus Ægyptiacis, Iſidi nempe, Serapidi, Anubidi atque Harpocrati, ΘΕΟΙϹ ΣΥΝΝΑΟΙϹ ΚΑΙ ΣΥΝΒΩΜΟΙϹ, commune Templum & communem Aram habentibus, ſolvit. Aliam ſimilem, Romæ conſpicuam, protulit Fabrettus. Græcum hunc Romanumque morem imitati ſunt Galli, ſpeciatim Alſatæ noſtri Mediomatrico-Triboci.

§. XCII.

Apud Boissardum (*y*) Lapis eſt, repræſentans Anubim, cui Serapidis caput cum cornibus Jovis Hammonis à dextris, Apidis vero Tauri caput à ſiniſtris, cum Inſcriptione in ſuprema imaginis parte poſita: Alia exempla.

ΘΕΟΙ ΑΔΕΛΦΟΙ.

In infima vero parte:

ΣΥΝΘΡΟΝΟΙϹ ΤΟΙϹ

ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩΙ ΘΕΟΙϹ,

Diis Synthronis, qui *ejusdem in Ægypto ſolii participes ſunt.* Minervæ & Mercurio commune ſacrum apud Veteres ſæpe fiebat, numenque eorum conjunctum repræſentabatur haud raro, Græci Ἑρμαθήνην vocabant. De ſigno tali Cicero *ad Atticum* (*z*) ſcribit: “ Quod ad me de Hermathena ſcribis, mihi pergratum eſt ornamentum Academiæ „ proprium meæ; quod & Hermes commune omnium & Minerva ſingulare eſt ejus „ Gymnaſii. „ Mercurii & Herculis ſtatuæ vel imagines junctæ *Hermeraclæ* dicebantur; de quibus Cicero itidem ſcribit *ad Atticum:* (*a*) *Signa noſtra & Hermeraclas, quam commodiſſime poteris, velim imponas.* Herculi quoque cum Muſis Romæ fuit Ara communis, ut Plutarchus (*b*) eſt Auctor. Sed & in interiore Gallia quadrilateras hujus generis Aras uſitatas fuiſſe, illuſtria illa quatuor Marmora, in ſummo Pariſienſium Templo An. MDCCXI. eruta, teſtimonium perhibent, quæ itidem quatuor latera, Gallicis inſculpta numinibus, habent; ex quibus pleraque Celticam magis religionem redolent; quum noſtra magis ſapiant Romanam. Tertio enim ſeculo, ad quod Lapides noſtri referendi ſunt, Romanus præ Celtico Gentiliſmus invaluerat. Pariſina autem Marmora ſub Tiberio Imp. poſita ſunt, quo tempore, in Gallia Celtica præſertim, cui Lutetia adſcripta fuit, vetus illa Celtarum religio præ Romana dominabatur. In Gallia Belgica ſimilium Ararum obſervavi exempla. Apud Eburones Aræ quadrilateræ duæ extant, quarum delineationem apud Crassierium Baronem vidi Leodii; ex qua eas apud Montefalconium (*c*) expreſſas reperio. In earum una, quæ minus corrupta, quatuor diverſis faciebus Mercurius, Ceres, Hercules, Minerva ſiſtuntur; Apud Italos in Sabinis ſaxum eſt, quinque Numinibus, Jovi nempe, Camulo ſive Marti, Mercurio, Herculi & Arduinnæ, ſive Dianæ, ſacrum; ſed in eadem ſuperficie omnes ſimul ſtantes occurrunt. (*d*)

 CAP.

(*u*) *De Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XVII.

(*x*) Fabretti *Inſcript.* Cap. VI. pag. 493. num. 183. ubi & ex Hortis Juſtinianæis & aliunde producuntur nonnulla.

(*y*) Ex eo Montfaucon *Antiquité Expliquée* Tom. II. Part. II. Tab. CXXVIII.

(*z*) Lib. I. Epiſt. III.

(*a*) Lib. I. Epiſt. VIII.

(*b*) *Problem.* LIX.

(*c*) *Antiquité Expliquée* Tom. II. Tab. CXCII.

(*d*) Idem Montfaucon. Lib. cit. Tom. I. Tab. XVII.

CAPUT VI.

DEUS VOGESUS.

§. XCIII.

Vogeſus Deus.

AD Topicum vel Epichorium Alſatiæ Numen progredior, Vogeſum noſtrum, quem ſuperſtitioſa Antiquitas convertit in Deum. Ad Tabernas nimirum Montanas, in area Arcis, vetus olim ſteterat Marmor, uti ex Tillemanni Stellæ Schedis prodidit Gruterus, (e) quod ego fruſtra quæſivi. In eo legebatur:

VOSEGO
MAXSII
MINUS
V. S. L. L.

Florentis Imperii temporibus *Vogeſus*, cadentis ævo, quo Lapis noſter poſitus eſt, *Voſegus*, à Latino-Barbaris media ætate *Voſagus*, *Vaſagus*, dicebatur. Moris in Theologia Romana recepti fuit, urbibus, fluminibus, ſilvis atque montibus, divini quid tribuere: hinc Dea Roma; Dea Ardoinna, ab Arduenna ſorte ſilva; Deus Nemauſus; (f) Deus Tiberis; Deus Peninus. (g) Maximinus noſter *Voſego*, ut Deo, votum ſolvit, Dei licet nomen in Lapide non expreſſum legatur. Livius (h) Penini montis nomen à Deo Penino, in jugis illis culto, derivat, eosque confutat, qui à Pœnis, cum Annibale Alpes ibi ſuperantibus, repetunt appellationem. Conjecturæ Livianæ ego non lubens accedo, qui facilius crederem, montis numen & nomen antiquius eſſe, quam Dei, qui nihil aliud, quam ipſe mons deificatus eſt. *Pen* enim Celtica lingua vertices locorum denotavit. (i) Idem ego de *Voſego Deo* ſtatuendum eſſe arbitror, qui hominum ſuperſtitione divinitatis quid habere creditus eſt, cuique adeo Maximinus votum nuncupavit, nuncupatumque perſolvit. Montibus numen adſcripſiſſe Romanos, haud mirum eſt, quum rudes quoque lapides Roma Deos acceperit. Peſſinuntius ille lapis, cui Matris Idææ numen ineſſe crediderunt, quantis ceremoniis in Urbem fuerit advectus, Livius (k) fuſe deſcripſit. Alagabalus ille, Emiſſenorum Deus, cujus Aur. Antoninus Imp. fuerat ſacerdos, ab Herodiano (l) ſaxum ingens, rude & impolitum, nigri coloris deſcribitur; quod in modum montis vel rupis coniformis ſenſim aſſurgeret. *Alah Gabal* Deum montis ſignificare, Scaliger, Casaubonus atque Salmasius, (m) docuerunt. Huc quoque referenda Bætylia, de quibus multa docte diſſeruit, ingenio & multifaria eruditione præſtans & amiciſſimus mihi vir, Camillus Falconetus. (n)

Recepta

(e) *Inſcript.* pag. 94. num. 10.

(f) Gruterus ibid. pag. 174. num. 9.

(g) In Alpium Penninarum monte, qui hodie S. Bernardi mons vocatur, extat adhuc baſis lapidea, cum Inſcriptione: L. LVCILIVS DEO PENINO OPTIMO MAXIMO DONVM DEDIT; quam vide apud Guichenon *Hiſt. de la Maiſon de Savoye* Tom. I. *Liv.* I. *Chap.* IV. pag. 45. ex quo Sponius in *Miſcellan. Erudit. Antiq.* pag. 85. & in Aris ignotorum Deorum, *Antiq. Græcar.* Gronovii Tom. VIII. pag. 243. unde Gisbertus Cuperus in *Apotheoſi Homeri* pag. 16. repetiit. Sponius ergo, qui Guichenonium ipſe allegat, Epigraphen hanc primus non edidit; quod ei tamen Cel. Livii Editor nuperus Drakenborch in *Notis* adſcribit Tom. III. pag. 442. Errat Servius Grammaticus in *Commentar. ad Virgilii Æneid.* Lib. X. vers. 13. ubi ait: "Denique loca ipſa, quæ rupit Hannibal, Apenninæ Alpes vocantur: quamvis legatur, à Pœnina Dea, quæ ibi colitur, Alpes ipſas vocari." Ex Deo Penino enim facit Deam, & Peninum montem cum Apennino confundit. Errat etiam Cluverius *Germ. Antiq.* Lib. I. pag. 26. quum Deum ipſum dictum fuiſſe potat *Penninum* vel *Pœninum*. Ceterum Guichenonius ipſe Dei Penini ſchematiſmum deſumſit ex Vioto, Scriptore *vitæ S. Bernardi Mentonenſis* pag. 165.

(h) Lib. XXI. Cap. XXXVIII. ubi ita: "Neque hercule montibus his . . . ab tranſitu Pœnorum ullo Veragri, incolæ jugi ejus, norunt nomen inditum; ſed ab eo, quem in ſummo ſacratum vertice, Peninum montani appellant." Conf. Cluverii *Ital. Antiq.* Lib. I. Cap. XXXII. pag. 340. Diverſam à modo memorata Inſcriptionem, in qua Jovis Apenini mentio, haud ita pridem in lucem emiſit Illuſtris Marchio Maffejus, in cujus *Muſeo Veron.* pag. 74. legitur: JOVI APENINO T. VIVIVS CARMOGENES SVLPICIA EVPHROSYNE CONIVX V. S. D. D.

(i) Vide ſupra pag. 50. §. XXXII. Adde Leibnitii *Scriptor. Rer. Brunſvicenſ.* Tom. I. pag. 45. in Notis; & Scip. Maffejum in *Verona Illuſtr.* pag. 176.

(k) Lib. XXIX. Cap. X. Herodianus Lib. I.

(l) Lib. V.

(m) Salmasius *ad Heliogabalum Lampridii* Cap. I. ubi hic *Divos Lapides* narrat. In Elagabaliano nummo mons ipſe exhibetur, cum Epigraphe: *Sacerdos Dei Solis Elagabali.*

(n) *Diſſertation ſur les Bætyles* in *Commentar. Reg. Inſcript. Acad.* Tom. VI. pag. 513.

Recepta hinc fuere apud veteres gentiles ſacrificia ad ſaxa & petras, quæ totiens deinceps Conciliis vetita ſunt. S. Eligius, Noviomenſis in Gallia Epiſcopus, ſeculi VII. Scriptor, (o) inter alia, quæ contra Idololatriam protulit, hæc quoque habet: "Nullus Chriſtianus ad Fana, vel ad Petras, vel ad ſontes, vel ad arbores, vel per „ trivia luminaria faciat, aut vota reddere præſumat. „ Poſtrema verba, de redditis votis, ad noſtram Epigrapben pertinent.

Sculptum Dei Vogeſi ſimulacrum in montis noſtri jugis alicubl extitiſſe, prouti Penini in illo monte extiterat, affirmare non auſim. Nomen Maximini, qui votum ſolvit, à Lapicida duplici pleonaſmo, literarum nempe S. & I. exprimitur, quod in plurimis Monumentis fieri videmus. In Nautarum Pariſiacorum lapide, qui Imp. Tiberio dedicatus eſt, legitur: *Jovi Optumo Maxſumo.* In Nummis gentis Egnatiæ & in denario gentis Juliæ: *Maxſumus*, in aliis *Axſius*, *Alexſandrea.* In Lapidibus *Felixs*, *Cappadoxs.* (p) Sed & II. pro E haud raro occurrit. (q)

SILVANUS.

§. XCIV.

IN ſummo horridoque Vogeſi apice Dagisburgenſis Comitatus, verſus Alſatiæ Lotharingiæque confinia, à Romanis retro temporibus ad noſtra hæc usque perſtitit Silvani ſimulacrum, lapidi, quatuor & dimidium pedes alto, duosque lato, inſculptum, quem Dagisburgenſium Monumentorum Tabula exprimit. Humana & quidem ruſtica plane forma exhibetur hic Deus, ruſtica veſte, manicata, ſuccincta, ad genua tamen usque defluente, indutus, palliolumque humeris ſuperinjectum habens. Siniſtra falcem vel falculam, dextra baculum oblongum tenet, cujus ſupremam partem pinea nux tegit. Capitis crines breviores, mentum barba, non promiſſa, ſed rotundata, inſtructum. Vogeſiani hæc forma Silvani eſt, qui alibi vel nudus, vel ſemi veſtitus, pedum recurvum, aut cupreſſi pinive ramum (r) tenens, capiteque corolla ſoliacea redimito, cernitur. (s) Alſaticum regionis illius vulgus ab imagine hac ipſam quoque montis regionem *der kleine Mann*, Lotharingi, Franco-barbare *le petit Man* vocitant. Horatianum illud (t) heic applices: *Horrida dumeta Silvani.* Apex hic Vogeſi ab apice Dononis tribus leucis noſtratibus diſtat. Silvanus. Tab. XIII. Lit. E

Ceterum Silvanus noſter arborum, ſilvarum, montium, pecorumque, imo & limitum, (u) cuſtos & protector habitus eſt; Pani Græcorum in multis ſimilis, niſi quod absque cornibus, cruribusque caprinis repræſentetur; unde Latinis quoque Pan & Silvanus diverſa ſunt Numina, in eodem tamen cum Satyris, Faunis, Priapo, Dryadibus & Hamadryadibus ſodalitio nata. (w) *Sanctiſſimi* epitheton Silvano attribuunt Marmora, cui una cum Pane & Libero patre, imo & ſubinde cum Mercurio, ſacella & marmora, Sponio, quem jam allegavimus, teſte, dicata ſunt. Silvanum lacte veteres piaſſe, Horatius (x) prodit. Apud Trevirenſes Deo Silvano Templum cum ſigno, vetuſtate collapſum, Sex. Attonius Privatus reſtituit. (y) Summitas Vogeſi conveniens ſane locus fuit, in quo Silvani figeretur imago; in limitibus ſubinde poni ſolita. In his Vogeſi apicibus, Tribocos inter ac Mediomatricos interiores, limitem forte conſtituit. Imaginem hanc denique, Termini inſtar, per tot ſecula ſtantem, ex horrido dimoveri loco & ad me transferri voluerunt Illuſtriſſimi Leiningo - Dagsburgici Comites, ut in aliorum Antiquarii mei Numinum conſortio in poſterum degeret.

DIANA.

(o) Apud Audoenum in *vita S. Eligii*, in Dacherii *Spicileg.* Tom. II. pag. 97. edit. novæ.

(p) Ezech. Spanhemius *de Præſtant. & uſu Numismat.* pag. 121.

(q) Gorii *Inſcript. Florent.* Tom. I. pag. 162. Aldus Manutius in *Orthographia.*

(r) Unde Dendrophorus in antiquo marmore Gruteriano appellatur. Martianus Capella *de Nuptiis Mercurii & Philolog.* Lib. V.

(s) De la Chausse *Gemme Antiche figurate,* fol. 104. ſq. Sponius in *Miſcellan.* Sect. II. Art. VIII.

(t) Horatius *Carm.* Lib. III. 29. vers. 22.

(u) Idem *Epod.* II. vers. 22. . . . . *& te pater Silvane, tutor finium.*

(w) Plutarchus in *Parallelis.*

(x) *Epiſtolar.* Lib. II. 1. vers. 143.

(y) Brower. *Antiquit. & Annal. Trevir. Proparaſceve* pag. 51.

DIANA.

§. XCV.

Diana. NUllum Dianæ veſtigium in Gallica religione reperimus, niſi Deam illam *Ardoinnam*, cujus Monumentum Romæ eſt, (z) huc trahas, cui Quartinius quidam, civis Sabinus, at origine Remus, adeoque Gallus, cum Camulo, ſeu Marte Gallico, Jove, Mercurio & Hercule, Monumentum in Sabinis erexit; uti alio in loco alii cives Remi ſive Remenſes Camulo marmor quoque poſuerunt. (a) Ab Ardoinna hac celebris illius Arduennæ in Belgica Gallia ſilvæ, quæ Vogeſi noſtri extremitatem borealem fere attigit, nomen nonnulli derivant. Iſis eadem cum luna, hæc eadem cum Diana cenſebatur. Luna, Diana, Hecate idem habitum eſt numen, fides ſi tribuenda PHURNUTO; (b) imo ipſa Proſerpina eadem fuiſſe creditur cum noſtra Diana. *Tab. VI. mon. 8.* Multiplex hujus Deæ officium, unde characteres ejus quoque multiplices. Signum æneum, quod ex Pinacotheca noſtra proferimus, pharetratam & venationis præſidem, à Romanis ad Alſatas noſtros Mediomatricos, ubi inventa eſt, allatam repræſentat. CICERO (c) quidem tres diverſas Dianas commemorat, quas inter nulla Gallica: noſtra eſt illa Jovis & Latonæ filia, Apollinis ſoror, quæ in Monumentis veteribus frequenter, & quantum novimus, ſola occurrit.

CYBELE.

§. XCVI.

Cybele. *Tab. VI. mon. 4.* CYbelen quoque ſuam ad noſtras oras attulere Romani, cujus imaginem, in Mediomatricenſi Alſatia repertam, Tab. VI. ex Muſeo noſtro exprimimus. Dea exhibetur ſedens, dextera pateram, ſiniſtra pinum arborem, vel nucem pineam tenens. Pinum arborem, Cybelæ Deæ ſacram fuiſſe, trita res eſt. Apud Alſatas, uti in reliqua Gallia, ſub Romana dominatione, Cybeles cultus invaluit. Æneum ejus caput turritum, ſuperiore ſeculo Lutetiæ effoſſum, ejuſdemque teſtacea protome, cum turre impoſita, apud Nemauſenſes reperta, quæ in Gazophylacium meum tranſivit, aliaque cultus ejus veſtigia, quæ paſſim per Galliam diſperſa ſunt, dubitare hac de re neutiquam ſinunt.

Huc præſertim referenda eſt Taurobolica illa Ara illuſtris, Matri Deum, pro Imp. Antonini Pii, Liberorumque ejus & Lugdunenſis Coloniæ ſtatu, Bradua & Varo Coſſ. An. CLX. Æræ Chriſt. poſita Lugduni, quæ An. MDCCIV. ibidem detecta, atque à ſummæ doctrinæ & ingenii admirabilis Viro, Illuſtri BOZEO, Commentario erudito expoſita eſt. (d) Præter Lugdunenſes ab Auguſtodunenſibus quoque Æduis, qui utrique Sequanis noſtris erant vicini, Cybeles cultus ad Alſatas noſtros potuit tranſire. Teſtantur enim priſca Martyrum Acta, Deæ hujus religionem viguiſſe Auguſtoduni, quam quum ſeculo III. Symphorianus damnaſſet, ipſe ab Heraclio, Civitatis Rectore, ſacrilegii damnatus eſt. (e)

VICTORIA.

§. XCVII.

Victoria. *Tab. VI. mon 7.* ÆNeum Victoriæ alatæ, globo inſiſtentis, ſignum, quod Tabula VI. exhibeo, in Alſatia repertum, non obvium eſt alibi. Tale olim, felicis ominis cauſa, in Romanorum acie portabatur, ut in Columna Trajana videmus. Similia Victoriæ ſigna vexillis impoſita, ut & in Nummis antiquis, cernuntur. Hæc, vel boni ominis cauſa, Impera-

(z) GRUTER. *Inſcript.* pag. 40. num. 9. In alia, quæ pag. 314. num. 3. extat, legitur: DEANÆ ARDUINNÆ.

(a) In ſuburbana via Cliventi, qua Rhenus olim fluebat, adeoque in Gallico Rheni litore, marmor hoc fuit repertum & à GRUTERO exhibitum pag. 56. num. 12.

(b) *De Natura Deorum* Cap. XXXII.

(c) *Nat. Deor.* Lib. III.

(d) *Memoires de l'Acad. des Inſcript.* Tom. II. pag. 475.

(e) *Acta ſincera primorum Martyrum* à THEODORICO RUINARTO edita pag. 80. Adde GREGORIUM TURONENSEM *de Gloria Confeſſorum* Cap. LXXVII.

Imperatoribus ad bellum proficiſcentibus, vel ob primitias Imperii, offerebantur. Ammianus Marcellinus (*f*) de Valentiniano Imp. ita: "Qua ſpe Tripolitani „ fruſtrati, formidantesque extrema, adlapſo legitimo die Concilii, quod apud eos eſt „ annuum, Severum & Flaccianum creavere Legatos, *Victoriarum* aurea ſimulacra „ Valentiniano ob Imperii primitias oblaturos.

SATYRA.

§. XCVIII.

Mimallonidis ſive Satyræ æneum ſimulacrum, ob ſignorum hujus generis raritatem, ex Gazophylacio meo adjeci. Simile fere in Antiquaria ſuppellectile ſua ſervaverat olim Paulus Petavius, cujus iconem nobis dedit in rariſſimo Libello, (*g*) quo ejus cimelia exhibentur; niſi quod Petaviana illa Satyrum infantem ulnis ſuis geſtat. Placuit Petavio Satyræ huic nomen *Mamillonis* vel *Mimallonis* imponere; quod Baccharum illarum aliquam eſſe crederet, quæ *Mimallonides* vel *Mimallones* ab Ovidio, (*b*) Statioque (*i*) appellantur. Hesychius (*k*) & *Etymologicum Magnum*, itemque Suidas, habent Μιμαλλόνες, βάκχαι, βενδρέμοι. Ita quoque Scholiastes antiquus *Perſii*, (*l*) aliusque Cornuti nomine editus. Mihi vero hæc non mulier humana, Bacchive ſacerdos, ſed ex Numinum inferiorum claſſe, Nymphis aut Fatuis, talibusve aliis par eſſe videtur. Sidonius Apollinaris: (*m*) Satyra. *Tab. VI. num. 9.*

"Sed poſt cœlicolas etiam mediocria fertur
„ Cantica Semi-Deum ſuſtinuiſſe Deus.
„ Tunc Faunis Dryades Satyrisque Mimallones aptæ
„ Fuderunt lepidum, ruſtica turba, melos.

Mimallones Sidonio ſunt Satyræ, Silenæ &c. non Bacchæ, uti Savaro ad hunc locum exiſtimat. Strabo (*n*) Mimallones mediis Numinibus, inferioris conditionis, fœmineis diſerte accenſet.

CAPUT VII.

NEPTUNUS ETLINGIACENSIS.

§. XCIX.

Non Oceani modo & maris, ſed & fluviorum amniumque, nautas Neptuno ſacra vel etiam vota feciſſe, Marmor, quod heic examinandum proponimus, evincit. Rheno enim, atque in eum ſe exonerantibus rivis & fluviis, Deus hic, non minus ac Oceano, præeſſe creditus eſt. Neptunianum Monumentum non præbet Alſatia, at Trans-Rhenanus limes, proximus ripæ, ſpeciatim Alba, Badenſis Marchionatus amnis, hoc nobis ſuppeditat. Alba (*o*) ex Wirtenbergicis montibus, ubi fontes ejus quærendi ſunt, defluit, alluensque Monaſteria, (*p*) quæ ab eo nomina acceperunt, ut & Etlingam oppidum, Muhlbergam vicum, infra Knielingam denique aquas ſuas miſcet cum Rheno. In hujus Albæ Etlingæque vicinia, non longe à ruinis Caſtri Furſtenzell, An. MCCCCLXXX. erutus eſt Lapis, cui anaglyphico opere Neptunus inſculptus eſt, dextra Delphinum medium tenens, ſiniſtra tridentem, ad pedes habens monſtrum marinum. Ad latus Neptuni hæc Epigraphe, uncialibus literis expreſſa: Neptunus.

(*f*) Lib. XXVIII. Cap. VI.
(*g*) Cujus rubrum: *Antiquariæ ſupellectilis Portiuncula*, Paris. 1610. 4to.
(*b*) *Art. amandi* I. vers. 541.
(*i*) *Theb.* IV. 660.
(*k*) In *Lexico*, voce: Μιμαλλόνες.
(*l*) *Ad Satyram* I.
(*m*) In *Præfat. Panegyrici Anthemiani*
(*n*) Lib. X. pag. 468.

(*o*) Aliud quoque nominis hujus flumen Suevia habet, quod S. Blaſii Abbatiam Benedictini Ordinis alluit, atque inter Waldshutum & Laufenburgum exoneratur in Rhenum. Sed & in Helvetico Suitiæ Pago Alba eſt, quæ Eremum Deiparæ præterlabitur atque influit Silæ.

(*p*) Alba Dominorum & Alba Dominarum; Germanice *Herren-Alb* & *Frauen-Alb*, de quibus Franciscus Petrus in *Suevia Eccleſiaſtica* pag. 17. & 19.

IN. H. D. D.
D. NEPTVNO
CONTVBERNIO
NAVTARVM
CORNELIVS
ALIQVANDVS
D. S. D.

Senſus Inſcriptionis eſt: *In honorem Domus Divinæ Deo Neptuno* pro *Contubernio Nautarum Cornelius Aliquandus de ſuo dicat.* Titulum hunc cum Neptuni effigie Etlingenſes ab eo tempore, quo erutus eſt lapis, cuſtodiverunt, & aliquoties ablatum ſibi reſtitui curarunt. Viſitur hodie prope pontem ſuper Albam, ad oppidi introitum, cum Tabula ad latus, cui fata Lapidis, quæ CASPAR ille HEDIO, Etlingenſis origine, deſcripſit, Tab. IX. num. 2. inſculpta leguntur. Monumentum, cum ornamentis novis, quale hodie viſitur, Lectorum oculis offero.

§. C.

Editores Inſcriptionis.

Inſcriptionem ſolam primus, ſed non ſatis exacte, dedit JACOBUS BEYELLIUS, Spirenſis Presbyter, (*q*) inter alia Monumenta, quæ ille An. MDXXXIII. ad Rhenum vidit & Nicrum. Exceperunt hunc CASPAR HEDIO & PETRUS APIANUS, (*r*) Ingolſtadienſium Profeſſor, quorum uterque figuram cum Epigraphe, ille in *Chronico*, (*s*) hic in *Inſcriptionibus* ſuis, Ingolſtadii editis, expreſſit, in eo non fidus ſatis, quod inſcriptionem veterem pedibus Neptuni ſubjecit, quæ ad latus ejus ſiniſtrum inſculpta eſt. Ex Apiano dein ſolam Epigraphen deſumſit GRUTERUS; (*t*) omiſſa imagine, quam viciſſim ſolam, omiſſa inſcriptione primum, dein addita, Monumentis ſuis inſeruit MONTEFALCONIUS. (*u*) Idem tamen ibi error commiſſus, quem commiſit Apianus. BOISSARDUS, quem Montefalconius ſecutus eſt, archetypum, uti apparet, non vidit. MURATORIUS Titulum hunc *Novo Corpori Inſcriptionum* (*w*) inſeruit, at neſcio quo duce deceptus, Romæ eum extare pronuntiavit, quem à prima origine ſibi vindicavit Germania, brevique tempore poſſedit Alſatia, quo elapſo reſtitutus Etlingæ, uti infra docebimus. Imo, quod totius rei caput eſt, omnis hæc Neptuniana Epigraphe Muratorio plane videtur ſuſpecta, uti in nota ſubjuncta id diſerte declarat.

Dabo operam, ut Viro, tot meritis illuſtri, cui pluribus humanitatis officiis, Mutinæ quum verſarer, in me collatis, obſtrictus ſum, dubium hoc eximam; poſtquam Obſervationes nonnullas ad ipſam Epigraphen fecero. Lapis *Deo Neptuno* dicatus eſt, præmiſſa formula, ſeculo ſecundo tertioque in oris noſtris tam uſitata: *In honorem Domus Divinæ.* Dedicator fuit *Cornelius Aliquandus*, homo Gallo-Romanus, ex illis, ut videtur, deſcendens, qui in Decumates Agros, ſive limitem Trans-Rhenanum Romanum, ex Gallia tranſierant. (*x*) Aliquandum hunc rei nauticæ ſocium vel Præfectum fuiſſe, Epigraphes verba: *Contubernio Nautarum*, indicare videntur.

§. CI.

Contubernium.

Contubernium, militare vocabulum, tabernæ vel tabernaculi ejusdem ſocietatem denotavit in caſtris, qua decem milites, ex quibus unus Decanus, ſub una taberna, ſive communi papilione, ut VEGETIUS (*y*) loquitur, degebant, Contubernales hinc dicti, ex etymologia nominis *Contabernales* dicendi. Vox ad alias dein ſocietates tranſlata, Contubernium quoque nautarum, quæ amnicas ſtationes ſuas ad Rhenum habuerunt, ubi

(*q*) Apud CASPAREM BARTHIUM *Adverſarior.* Lib. LII. pag. 2429. ubi pro *Aliquandus* corrupte legitur *Alirnanus.*

(*r*) *Inſcription.* pag. 456.

(*s*) Germanice Argentorati edito, Parte IV. pag. 742.

(*t*) *Inſcriptionum* Tom. I. pag. 62. num. 4.

(*u*) *Antiquité Expliquée* Tom. I. Tab. XXXII. num. 2. Adde *Supplementorum* Tom. I. Tab. XXIV.

(*w*) Tom. I. pag. 56.

(*x*) Vide ſupra Periodi Rom. §. CCX. pag. 241.


(*y*) *De Re Militari* Lib. II. Cap. XIII.

MITHRA. NEPTVNVS.

N. I.



II.



ubi nimirum amnium oſtia erant, deſignare potuerat. In Titulo noſtro ellipſim præpoſitionis *ex* vel *pro* admitti debere, haud difficulter perſpicimus. Ceterum non univerſa Nautarum ſodalitas, ſed unus ex ſodalibus ejus, *Cornelius* nempe *Aliquandus*, pro univerſo ſodalitio, vel Contubernio ſuo, Tabulam hanc dicavit Neptuno. Lutetienſia marmora, in Cathedrali Eccleſia hoc ſeculo effoſſa, à *Nautis Pariſiacis Jovi publice* poſita fuerunt. (z) Apud Genevenſes lapis eſt, quem *Deo Silvano*, *pro ſalute ſua*, *Ratiarii* (a) dedicarunt.

Notitia Imperii Orientalis, ubi de Duce Moeſiæ ſecundæ agit, Legiones Riparienſes, (Danubii ripam intelligit) earumque Præfecturas recenſet. Has inter quoque *Præfecturæ navium amnicarum & militum ibidem deputatorum* (b) occurrunt. Romanis temporibus ad oſtia amnis, qui hodie *Ferrenbach*, ubi ille nimirum in Danubium evolvitur, *Contubernium Nautarum* fuiſſe, quod Danubius ibi expanſus, profundior, ratium & amnicarum navium patiens eſſet, multis edocet HEROLDUS; (c) Pontonibus ſpeculatoriis ac curſuriis navibus, cymbis & ratibus exædificatis, annonæ ſpecierumque transvectioni deputatam ibi ſtationem amnicam extitiſſe exiſtimans. Navalium hujusmodi ad Danubium frequentia, Contuberniorum Nauticorum quoque frequentiam peperit.

Nec facile quis negare voluerit, ſimiles nautarum ſtationes amnicas ad Rhenum quoque, & ad amnium quorundam, in Rhenum decurrentium, oſtia, Danubianarum inſtar, habuiſſe Romanos. Corn. Aliquandus noſter num ad Contubernium amnicæ ſtationis Rhenenſis, an Danubianæ pertinuerit, non liquet; veriſimilitudo tamen pro Rhenenſi ſtat, quod Alba advolvitur Rheno, quodque ratibus, cimbis transvectio ſpecierum facile per eam fieri potuerat. Contubernium ergo vel Sodalitas Albenſium Nautarum heic forte intelligenda; cujus ſocius Aliquandus, in Etlingiacenſi tractu alicubi Albam adhabitans, Neptuno hanc Tabulam dedicavit, Deum aquarum ut faventem haberet.

§. CII.

Anaglyphum, Inſcriptioni adjunctum, quod attinet, ordinarium Tridentis ſymbolum ei additum eſt, unde Τριαινοῦχος, *Tridentifer*, appellatur Neptunus, qui in Lapide noſtro dextra tenet Delphinum. HYGINUS (d) ſcribit: "Qui Neptuno ſimulacrum „ faciunt, Delphinum aut in manu, aut ſub pede ejus conſtituere videmus; quod „ Neptuno gratiſſimum eſſe arbitrantur. „ Circa Neptunum Nereides quoque ſubinde, inſidentes Delphinis. In nummo Caracalliano Colonia *Berytus* Neptunum in poſtica eodem fere modo repræſentavit, quo in Monumento noſtro viſitur; niſi quod etiam proræ pedem imponat. (e) Neptuni ſymbola.

Simili fere typo expreſſum reperimus Herculem Macuſanum illum, non qui in Poſtumi nummis, (f) ſed in lapide Wallachriæ, Zelandorum Inſulæ, in Pago Weſtcapellæ An. MDXIV. effoſſo, uti Batavicarum Antiquitatum ſcrutator docet GERARDUS NOVIOMAGUS. (g) Siſtitur ibi homo nudus, barbatus, capite velatus, velo per humeros brachiumque defluente: dextra delphinum gerit, ſiniſtra baculum, bifurcatum ſuperne: ad ſiniſtrum pedem eſt cancer marinus. Niſi Herculis Maguſani nomen imagini legeretur ſubſcriptum, omnia indicarent Neptunum, Etlingenſi noſtro fat ſimilem, niſi quod loco cancri marini, in hoc draco marinus conſpicitur. Suſpendendum ergo de Maguſano judicium, donec certiores fiamus, an non Neptuni quoque in Inſcriptione mentio fiat, quando à diverſis diverſimode edita. (h) Non uni enim Deo, ſed aliquot numinibus dedicatum eſt marmor, quod HAFVA Dea, topicum procul dubio Numen, Herculi ſubjuncta, indicat. Quid veriſimilius, quam Neptuno, præ aliis Numinibus, monumentum dedicari in loco, qui, ut Inſula Zelandorum

Qq q 2

(z) MAUTOUR *Obſervations ſur des Monumens d'Antiquité, trouvez dans l'Egliſe Cathedrale de Paris* pag. 8.

(a) SPON *Hiſtoire de Geneve* Tom. II. pag. 337. ubi:

DEO. SILVA
NO. PRO. SALV
TE. RATIARIOR.
SVPERIOR.

Ratiarii, qui rates, ſive tigna, inter ſe colligata, agunt per aquas. Naves tamen ſubinde quoque *Rates* appellantur.

(b) *Notit. Imp. Orient.* pag. 239. Edit. Pancir.

(c) *De ſtationibus Leg.* III. in *Rhætia Litorali* Cap. X.

(d) In *Poetico Aſtronomico* Lib. II. Cap. XVII. pag. 257.

(e) VAILLANT *Numm. Coloniar.* Tom. II. pag. 38.

(f) MEDIOBARBUS in *Nummis Poſtumi.*

(g) *Epiſt. de Zelandiæ ſitu ad Sebaſt. Ciriacinum*, in PETRI SCRIVERII *Batavia Illuſtrata* pag. 139. Adde BOXHORN. *Quæſt. Rom.* pag. 2.

(h) AUG. ALDENBRUCK, è Soc. Jeſu, in *Differt. de Relig. antiquorum Ubiorum*, ait: *Verba certa Auctores non referunt, ſed varia, alii aliter, ſuo pro arbitrio, ea interpretantur.* Diſſertationis hujus prima editio, Auctoris nomen non præferens, HARZHEIMIUM credita eſt habere Auctorem, quo ſub nomine eam allegavimus ſupra pag. 81. not. (e)

dorum Walachria, à mari citcumdatur? Draconem noſtrum marinum, ſi draco non placeat, qualecunque monſtrum appellabo marinum, quod frequenter additur Neptuno, uti ſratri ejus Plutoni cerberus, & aquila Jovi. Vitulum tamen marinum, quem nonnulli heic quæſiverunt, admittere nequeo. Simile fere noſtro monſtrum Peruſanis Mooumeotis exhibet quoque Illuſtris Scipio Maffejus. (*i*)

§. CIII.

Chronologia Monumenti.

Chronologiam Monumenti noſtri divinamus ex formula *in honorem Domus Divinæ*, quæ ſub Antoninis cœpit, ſub Septimio-Severiana familia invaluit, & ex quadratura characterum ſculptorum, in quibus compendia nonnulla literarum comparete incipiunt, ita ut ſpectatorum tamen & legentium oculos non offendant: Unde ante ſeculi ſecundi finem Monumentum hoc conditum. Valeriani Imp. Columna milliaria, quam daturus ſum infra, literarum qoidem ignorat compendia, at maſcula illa & quadrata, quam duo priora ſecula viderunt, deſtituitur ſculptura; de Provinciali mihi ſermo eſt, quæ citius in pejus ruere cœpit, quam Romana & Italica.

Fata.

Ceterum Neptunianam hanc Tabulam, nobile tractus ſui monumentum, Etlingiacenſes, Caſpari Hedionis, Civis ſui, commendatione, in ponte ſuper Albam, ſub turri quum poſuiſſent, Maximilianus I. Cæſar, An. MDXI. illac tranſiens, eam vidit & primum delineari, poſtea dimoveri quoque, avebique juſſit. Reſiſtente autem Etlingenſi præfecto, Cæſar ad Chriſtophorum, Marchionem Badenſem, Lucelburgenſi Ducatui ab eodem præfectum, Literas dedit An. MDXIII. Landaviæ, quibus petiit, ut Marchio in hanc Lapidis tranſlationem conſentiret. (*k*) Lapis ergo ex Briſgovia in Alſatiam tranſlatus eſt, Cæſaris ſumptibus, & quidem in oppidum Weiſſenburg, ubi ordinis Teutonici Magiſtro, Waltheao à Cronbero, bonarum Literarum amanti, eum Cæſar donavit. Baatus Rhenanus (*l*) Neptunum hunc Weiſſenburgi ſe vidiſſe nos docet. Poſt triginta ſeptem annos vero à Cronbergii ſucceſſore, antiquitatis parum curioſo, Neptunus Etlingenſibus reſtitutus eſt, anno nempe MDL. qui quadriennio poſt nova ornamenta muro, cui inſertus fuit, addi juſſerunt. Hæc ex Hedione, Beato Rhenano & ex Epiſtola Maximiliani.

Supereſt, ut ipſa Hedionis verba, quæ hodieque monumento ſubjecta leguntur, heic quoque proferamus: "Anno MCXI. ante Chriſtum natum, Ettlingiacum condi „ primum & inhabitari cœpit. Sed multum vetuſtatis inter Rhenum & Nicrum, ac „ intermediis locis, Badenæ, Durlaci & Phorcenæ quum invenias, factum eſt anno „ Redemtotis Jeſu MCCCCLXXX. quando Alba interluens diluvii inſtar inundaret, „ agrumque Ettlingiacenſem cavaret ac diſcerperet. Patriis poſtea dureſcentibus arvis, „ Andreas Hawer, Lacum ſtadii itinere ſupra opidum diſtantem, non longe à ruinis „ Caſtri Furſtenzell, jam *Burgſtall* dicti, expurgaturus, hanc Neptuni imaginem cum „ aliquot aliis capillatis, Thetim hujus uxorem, aut Nymphas aquarum Deas fortaſſe „ dixeris, reperit: Neptunus in ponte Albæ ſub turri, quæ utraque oppida ſeparat, „ erectus fuit. Poſtea quum anno MDXI. D Maximilianus Cæſar tranſiret, antiquitate „ delectatus, Weiſſenburgum avehi mandavit, ubi Nobili Viro Walthero à Cronberg, „ Ord. Teut. Magiſtro, donatus, io Horneck arcem Nympharum pater ſe condidit. „ Tandem aooo MDL. ſub piis ac Illuſtriſſ. Patriæ Principibus Philiberto & Chriſtophoro,

(*i*) *Muſei Veronenſis* pag. 3.

(*k*) Literæ breves quum ſint eas ſubjungimus:

Maximilian von Gottes Gnaden erwehlter Rœmiſcher Kayſer.

Hochgebohrner lieber Oheimb und Furſt.

Wir haben vor verſchiener Zeit den alten Stein, der in deiner Stadt Ettlingen auff der Brucken eingemauert iſt, abconterfeyen, und ahn deinen Pfleger daſelbt begehren laſſen, uns zu vergonnen, denſelben Stein auszubrechen, und zu uns zu fuhren zu geſtatten: das er aber ohn deiner Lieb zu geben nicht bewilligen wollen. Und weil wehr aber denſelben Stein um ſeiner Alters willen gern haben wolten, ſchicken wir hienut zu deiner Lieb unſern Diener Jörgen von Bamberg, und begehren an dieſelb dein Lieb mit Fleiß, du wolleſt demſelben unſerm Diener Geſchæfft-Brief ahn deinen Pfleger, auch Burgermeiſter und Rath zu Ettingen geben, und ihnen befehlen, daß ſie ihme geſtatten, beruhrten Stein auszubrechen, und zu uns zu fuhren. Daran thuſt Du uns ſonder Gefallen und unſer Meinung. Geben in unſer und des Reichs Statt Landaw am leaten Tag Februarii anno M D tredecimo, unſers Reichs im XXVIII. Jahre.

per Regem

Commiſſ. D. Imperat. V. Serent.

Inſcriptio Literarum hæc:

Dem Hochgebohrnen Chriſtoph Marckrafen zu Baden und Hochberg, Grafen zu Sponheim, unſerm lieben Oheimb und Furſten, auch Statthalter unſerer Lande Lutzelburg und Chiny.

Literas has edimus ex Joannis *Spicilegio Tabular. & Literar.* pag. 529.

(*l*) *Rerum Germar.* Lib. III. pag. 236. inquiens: " Apud Ettelingen Tabula lapidea fuit reperta, cui „ Neptunus erat inſculptus, quam nos Sebuſii vidimus, quo Maximilianus Cæſar afferri ſuo ſumptu „ juſſerat. Hodie poſſidet inſignis ille Baro Joannes „ Jacobus à Merspurga, Præfectus Cæſareus apud Hagenoiam. „ Hæc Rhenani relatio non convenit cum Hedionis Notitia, quam dabimus. P. Apianus in *Inſcriptionibus* ſuis Monumentum hoc edens pag. 456. de eo, ut in Alſatia extante, loquitur.

MONUM.

phoro, Marchionibus Badenſ. benevolentia D. Wolffgangi à Milching, Cronbergii „ ſucceſſoris, Neptunus poſtliminio reductus eſt. Itaque S. P. Q. Ettlingiacenſis anno „ LIV. memoriæ & monumenti ergo, ipſum in hunc locum repoſuerunt. Dixi. Abi. „ C. Hedio D. Civis.

§. CIV.

Alia translatio.

De notitia hac id tantum obſervo, eam nonniſi biennio poſt mortem Hedionis, qui Argentorati die XVII. Octobr. An. MDLII. jam obierat, Monumento novo fuiſſe inſculptam, cujus ultima verba, quæ de An. MDLIV. loquuntur, alterius manu addita ſunt. Hedionis hiſtoriæ ignari Lapidis hujus lectione facile poſſent induci, ut eum An. MDLIV. adhuc vixiſſe crederent. Ceterum hic ille Caſpar Hedio eſt, qui Doctor Theologiæ creatus Baſiliæ, Argentoratum venit An. MDXXIII. ibique cum Bucero, Zellio & Capitone, ſacra immutavit in templis. Poſt has migrationes firmam tandem Neptuno in habitaculo, quod novum ei nuper Etlingenſes paraverant, ſedem fuiſſe cenſeres. Verum aliud ei mox iter ſuſcipiendum fuit ad Bavaros. Georgius enim à Schwarzenbero, quum poſt Philiberti Marchionis obitum à Ducibus Bavariæ Marchionatui præficeretur Badenſi, (m) Lapidem muro exemtum Alberto Bavariæ Duci, Antiquitatis & omnium Literarum curioſo, donum transmiſit. Etlingenſes, de Neptuno ſuo ſemper ſollicíti, fruſtra eum repetierunt identidem, donec Philippus, Philiberti filius, Principatus ſui gubernacula capeſſeret; cujus precibus dimiſſus ex captivitate Neptunus, Monachioque avectus Etlingam, ubi eodem in loco, quem ante tenuerat, & in quo etiamnum viſitur, eum repoſuerunt: (n) locum hunc ab eo tempore occupavit conſtanter. Monumenti hujus fata dum recenſeo, neſcio, an Principum, tam cupide illud flagitantium, antiquitatis amorem, an Etlingenſium in Deaſtro ſuo conſervando curam, magis admirer.

§. CV.

Monumenti antiquitas.

Poſt hæc nemo jam à me facile requiret, ut tam celebre Anaglyphum à ſuſpicione νοθείας contra Muratorium vindicem; quod An. MCCCCLXXX. in media literarum barbarie inventum, non inveniſſet in oris his hominem, qui de ſimili anaglypho fingendo cogitaſſet, vel cogitare potuiſſet; nec, qui feciſſet, artificem. Hedio ſane ejus auctor non eſt, quum paulo poſt nativitatis ejus tempus fuerit inventus, atque deinceps ab eo commendatus popularibus ſuis, ab una mox provincia migraturus in aliam, ubique diligenter ſervatus.

Quodſi autem Muratorio ſcrupulus nondum omnis exemptus eſt, Monumentum dubium eſſe, concedam ad tempus. Sed quid tandem pronuntiandum de altero Neptuno, qui nuper demum, anno nimirum MDCCXLVIII. in ipſo Badenſium oppido, ad radices montis, cui Arx Principum impoſita, repertus eſt forte fortuna: quam ego paulo poſt ejus ἀνάστασιν inſpexi, (o) atque Etlingenſium Monumento reperi conformem, niſi quod in dracone marino quædam diverſitas ſit. Num & hujus Tabulæ authentia revocanda in dubium, quæ in loco non ſuſpecto, nec talium Monumentorum fabricandorum idoneo, à foſſoribus, nihil tale cogitantibus, eruta, genuinæ antiquitati nihil contrarium habet. Diſcimus hinc potius, Cornelium Aliquandum, Contubernii ſui nautici nomine, diverſis in locis ſolennia pietatis & devotionis ſuæ documenta poſuiſſe; quorum alterum ſeculo XV. alterum ſeculi XVIII. medio in dias luminis auras redierunt. Badenſe oppidum ab Etlingiacenſi tribus leucis noſtratibus diſtat. Quum autem in Obſervationibus noſtris ad Columnas Badenſes oſtenſurus ſim, Civitatem hanc Aquenſem ſeculo III. in Trans-Rhenano illo limite præ aliis illuſtrem fuiſſe, nemo mirabitur, in eadem nautas publicum quoque pietatis ſuæ ſtatuiſſe Monumentum. Etlingiacum, duabus modo leucis à Rheno remotum, ab Irenico (p) inter Rhenenſia oppida haud inconcinne refertur. In eo autem Irenicus, cum ſuppari concive ſuo Hedione, (q) amore patriæ abreptus eſt, quod originem patriæ ex equo

Qqq 3 Trojano

(m) Philibertus Marchio Bada-Badenſis, Bernhardi, cui in diviſione cum Carolo fratre ſuperior Marchionatus contigit, quique cum poſteris Badæ ſedem habuit, filius, quum in Gallica pro Carolo IX. contra Hugonottos expeditione An. MDLXIX. Moncontarienſi prœlio periiſſet, ex Mechtilde Bavara, Wilhelmi IV. filia, Philippum filium minorem ætate reliquit, cui Avunculus Albertus V. Bavarus, tot meritis clarus, Adminiſtratorem ex Bavaria tranſmiſit Schwarzenbergium, qui Neptunum dein avehi juſſit Monachium.

(n) Joannis Spicileg. Tabular. pag. 532.

(o) Quadratum fere Monumentum eſt, II. pedes V. pollices habens.

(p) Exegeſeos Germaniæ Lib. XI. pag. 385.

(q) Unde Hedio in Inſcriptione Monumenti Etlingenſis dicit, oppidum hoc An. MCXL ante Chriſtum natum jam inhabitari cœpiſſe.

Trojano arceſſit, cum Germanicas antiquitates ex Phrygia male derivari, alibi ipſe docuerit. Phorcys enim Trojanus non modo Pforzhemio, (r) ſed & villæ *Langen-Alb*, fluminique Albæ, ad quam Etlingiacum ſitum eſt, ducis ſui Aſcanii memor, nomen indidiſſe, ab Irenico, Reuchlini auctoritate, ſtatuitur.

Ex opinione hac porro defluxit, Phorcyn in vertice montis propinqui delubrum conſtituiſſe Neptuno, unde *Poſidonopolis* (s) (Neptuni Civitas) nomen oppido: cui Romana ſub dominatione *Neptingæ* appellationem, à Neptuni cultu, ſucceſſiſſe volunt. Templo autem & Caſtro proximi montis, quod Teutonice *Burgſtadel*, Chriſtianismo invaleſcente, deletis, Neptingæ nomen, ne quid nominis ex idololatrico cultu ſupereſſet, in *Erlingam* mutatum. Omnia hæc, in Irenici licet cerebro nata, invenere fautores, quæ nunc flocci penduntur; quum omnibus, quæ ex antiquitate ſuperant, Scriptoribus & documentis excuſſis, nullibi hujus loci veſtigium ſuperſit.

CAPUT VIII.

NUMINA ÆGYPTIACO-ALSATICA.

§. CVI.

Ægyptiaca ſacra.

ROmani non ea tantum Sacra, quæ à vicinis ſuis, Albanis nempe, Latinis, Sabinis, Etruſcis, ſed & quæ à reliquis Italis imo & Græcis, Ægyptiis ac Perſis acceperant, attulerunt Alſatiæ. Sacrorum Ægyptiaco-Romanorum reliquias in Iſidis, Oſiridis, Serapidis, Æluri & Cercopithœci ſimulacris, apud nos hinc inde effoſſis, reperi, quorum Numinum ſigna, Cimeliothecæ noſtræ illata, Lectoribus Tab. X. exhibeo; additis nonnullis, quæ aliunde accepi, argumentum ut copioſius fieret. Literatum Ægyptiaci Numinis monumentum in oris noſtris hucusque non reperi. Ægyptia Sacra Romam ſero intrarunt. Quum An. DCLXXXI. Urb. Cond. intraſſent, eodem quoque anno proſcripta fuerunt. Septennio poſt Iſidis atque Serapidis templum Senatus Conſulto deſtructum eſt. Verum quod de Mathematicis Aſtrologis TACITUS, (t) id de Ægyptiacis Sacris haud incongrue dixeris, Genus hominum, quod Romæ vetabitur & retinebitur ſemper. Plerorumque enim Ægypti Numinum cultus Romam tandem, indeque in Provincias Imperii translatus, non potuit non in Alſatiam quoque noſtram transferri. LUCANUS (u) ait: *Nos in Sacra tuam Romana recepimus Iſin.* LAMPRIDIUS (w) *de Commodo* refert: „Caracalla ſacra Iſidis Romam deportavit, & templa ubique magnifica „ eidem Deæ fecit. Sacra majore reverentia celebravit, quam antea celebrabantur.„ Quantus Iſidis & Serapidis cultor fuerit Julianus Imp. nummi ejus plures demonſtrant, quos inter *Iſis Faria* præſertim occurrit. (x) Iſis Athenodorea in Regione duodecima Romæ à Victore; in Regione quinta Iſis Patricia à Ruſo & Victore ponuntur; ſive ædes, ſive ſacellum, ſive ſignum aliquod Iſidis à vico hoc nomen acceperit. *Iſiacos conjectores* ex ENNIO nobis producit CICERO. (y)

(Tab. X.)

§. CVII.

Hieroglyphica.

Ægyptiorum ſapientia apud veteres paſſim, imo & apud ſacros Scriptores, (z) celebrata, ob ſingularia tamen Numinum ſymbola, monſtroſi quid habere videtur: Philoſophiam ænigmaticam diceres. Enimvero admiranda naturæ contemplati Ægyptiorum Sapientes, ſcientiæ ſuæ arcana rerum obviarum characteribus deſignaturi, Philoſophiæ illi hieroglyphicæ dederunt originem, quæ pedetentim in Theologiam converſa eſt. Primum atque præcipuum admirationis objectum fuere cœleſtia, Sol, Luna & illa præcipue ſtella, quam *Sothim* illi, nos Sirium Caniculamve vocamus; quod tempore hujus exortus exundatio Nili, unde fertilitas omnis felicitasque Ægypti, contingit. Solem apud eos Oſiris, Lunam Iſis, expreſſit. A Phyſica cœleſti ad terreſtrem progreſſi, naturæ miracula in animantibus & plantis mirati & venerati ſunt. Inſecutus eſt denique magnorum Virorum, Heroumque cultus civilis, in religioſum commutandus paulatim; unde Apotheoſis vel conſecratio hominum, quam Theologiam Heroicam

(r) CAPNIO ſive REUCHLINUS *de Verbo mirifico* Lib. I. idem ſtatuit.

(s) Hoc nomine venit etiam Jo. ANDR. QUENSTEDT *de Patriis Illuſtrium Virorum* pag. 168.

(t) *Hiſtor.* Lib. I. Cap. XXII.

(u) Lib. VIII. vers. 833.


(w) Cap. IX.

(x) MEDIOBARBUS *Theſaur. Numism.* pag. 497.

(y) *Divinat.* Lib. I. fin.

(z) *Actorum Apoſtol.* Cap. VII. vers. 22. *Eruditus fuit Moſes in omni ſapientia Ægyptiorum &c.*

NUMINA ÆGYPTIO-ALSATICA



Ex Museo Auctoris

MONUM.

Heroicam diceres, quæ apud Ægyptios tamen rarior & nonniſi ſero exorta. Magna illa Ægypti Dea Iſis, benignam omnium rerum matrem repræſentavit naturam, cujus cognitio ſacerdotibus reſervata quum eſſet, naturalis ſcientia in religionem converſa eſt; quod & de Druidibus apud Gallos obſervat Cæſar Dictator, penes quos ſapientiæ Celticæ, ut apud illos Ægyptiacæ, ſedes.

Ex occulta hac ſymbolologia ſimulacra illa Numinum Ægyptiacorum monſtroſa prodierunt; ex qua aliquid ut hauriret Pythagoras, Plato, Democritus, Eudoxus aliique Græcorum Philoſophi, & ex Hiſtoricis Herodotus, in Ægyptum profecti ſunt. Myſteriorum quidem ſuorum partem Obeliſcis illis marmoreis ſacerdotes crediderunt; quorum præcipui, ſub Auguſto & Conſtantio Romam allati, hodieque cernuntur: præcipue poſtquam hodierni Pontificis Maximi, Benedicti XIV. Reipublicæ Chriſtianæ & Literariæ tam glorioſe invigilantis, beneficio, ex illuſtrioribus unus nuper ex ſepulcro ſuo reſurrexit. Verum ipſa hæc Ægyptiacæ ſapientiæ Monumenta ignorantiæ jam noſtræ ſunt teſtes, vera nobis repræſentantes myſteria, quæ pro ſuo quiſque ingenio exponere ſatagit, nemo rem ſe divinaſſe audet aſſerere. (*a*) Præter Obeliſcos, aliis quoque Monumentis marmoreis, (*b*) baſaltinis, teſtaceis, quale noſtrum, quod Tab. X. num. 5. exhibemus, hieroglyphicos characteres ſuos impreſſerunt Ægyptii; at ſcripto ab illis conſignatum eſt nihil, quod ad arcanorum horum cognitionem nos poſſet inducere. *Tab. X. num. 5.*

§. CVIII.

Characterum varietas.

Ex Clemente Alexandrino (*c*) in tranſcurſu heic annoto, quod triplex apud Ægyptios characterum ratio fuerit. Alia Ἐπιστολογραφικὴ, ad ſcribendas Epiſtolas apta, ſive vulgaris; Ἱερατικὴ, qua illi, qui de rebus ſacris ſcribunt, utuntur; & Ἱερογλυφικὴ, ſacra ſculptura. Poſtremæ hujus ſpecies iterum ſunt duæ, Κυριολογικὴ, proprie loquens per prima elementa, & Συμβολικὴ, per ſigna. Symbolicum hoc per ænigmata ſcribendi genus omnium vetuſtiſſimum fuit, & ipſius Mercurii (*d*) inventum; cujus ſpecimen in Theologicis Sanchuniathonis.

Mercurii illius Ægyptiorum Philoſophi, quem *Thoth* vocabant, Libri & Columnæ, (*e*) doctrinis multiplicibus plenæ, à Græcis illis Philoſophis viſæ, pridem perierunt. Ad Herodotum ergo, Diodorum Siculum, Plutarchum atque Jamblichum reducimur; qui nonniſi ea, quæ Sacerdotes illis revelare voluerunt, literis conſignare ſunt quiti. Ceterum in omni hoc argumento tempus illud, quod Lagidas Ptolemæos præceſſit, ab ipſis Lagidarum temporibus diſtinguendum diligenter. In priore, nullis peregrinis ſacris admixtis, mere Ægyptiaca fuit Ægyptiorum Philoſophia; in poſteriore vero ex Græca Religione acceſſionem accepit, ut in Serapide Deo videbimus. Græci ergo ab Ægyptiis primo ad cultiorem vitam perducti, ipſi dein religione ſua Ægyptiorum religionem alterare cœperunt, uti Celtica religio à Romanis quoque corrupta; qui ſuam omnium fere reliquarum commune receptaculum eſſe voluerunt. Ante Perſici Imperii tempora peregrinos non facile admiſit Ægyptus, paucique inde ſunt profecti ad exteros, ſi Cadmum, quem tamen nonnulli putant Phœnicem, (*f*) Danaum, Cecropem, nonnulloſque excipias, qui ad cultiorem vitam barbaros tum induxerant Græcos. In illa prima Ægypti, ſibi relictæ, periodo θεῖον, quod plantis & animalibus ineſſe crediderant, cultus religioſi objectum ſibi conſtituerunt Ægyptii; à Græcorum, Romanorum cæterarumque gentium Theologia diverſi, quod, ut Plutarchus

(*a*) Ingenioſa & erudita ſunt, quæ circa argumentum hoc commentatus eſt celebris Anglus Warburthon in Libro, qui in Gallicum idioma converſus: *Eſſai ſur les Hieroglyphes des Egyptiens.* Annoto hac occaſione felicem partum Ludovici Bourguetti, Neocomenſium Profeſſoris, qui antiquiſſimum Etruſcæ Literaturæ Monumentum, Eugubinas Tabulas, magna ingenii felicitate haud ita pridem explicuit, quæ ante eum per fatum cum hieroglyphicis Monumentis habuerant. Vide *Commentarios Academiæ Etruſcæ*, quæ Romæ prodeunt ſub rubro: *Saggi di Diſſertazioni della Accademia Etruſca.* Tom. I. pag. 1.

(*b*) In Antiquaria ſupellectile mea ipſe Iſidem bipedalem marmoris Ægyptiaci albo-nigri aſſervo, quæ columnæ, hieroglyphicis literis ab imo ad ſummum ornatæ, adhæret.

(*c*) *Stromatum* Lib. V. pag. 555.

(*d*) Jamblichus *de Myſteriis Ægyptiorum* ab initio. Socrates apud Platonem in *Phædro*, Plinius Lib. VII. Cap. LVI.

(*e*) Manetho in Libro *Sotheos*, quem Ptolemæo Philadelpho dicavit, apud Syncellum inquit: "Ex ſtelis poſitis ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ & exaratis „ ſacra dialecto & hierographicis literis à Thoth, qui „ eſt Mercurius primus, ſecundus Mercurius, Agathodæmonis filius, Tati pater, libros traduxit, quos „ in templorum Ægypti adytis repoſuit. „ Colligimus hinc, duos apud Ægyptios extitiſſe Mercurios, quorum primus ſtelas exaravit, ſecundus Libros. Stelæ iſtæ in antris ſubterraneis conditæ fuerunt. Ex his ſua Sanchuniathon in linguam Phœniciam, ſua Manetho tranſtulit in Græcam. Vid. Euſebius in *Præparat. Evangel.* Lib. I.

(*f*) Pausanias Lib. IX. Vid. Jo. Marshamus in *Canone Chronico*, pag. 122.

UONUM.

Plutarchus loquitur, per imagioes ab ipſa natura effictas, hoc eſt, animalia, ſupremo illi Numini cultum præſtare maluerint, quam per fictas imagines; cui demum altera illa ex figuris Hieroglyphicis, à Mercurio Philoſopho excogitatis, conſtans & oon minus monſtroſa, ſi rem obiter aſpicias, Numinum configuratio ſucceſſit.

§. CIX.

Theologia Ægyptiorum.

Factum hinc, ut non veteris tantum Ævi Chriſtiani, ſed & Gentiliſmi, Romæ dominantis, temporibus (*g*) Ægyptii ſupinæ accuſarentur ſtultitiæ, quod oumina ſibi io hortis naſci crediderint, alliumque, cepas & abjectiſſima quæque ex animalibus pro veris Diis coluerint. Plutarchus, (*h*) prudeos & eruditiſſimus ævi Auguſtei Scriptor, excuſat Ægyptios, demonſtrareque annititur, Græcos, ut ſymbola divinitatis exprimerent, oonniſi figuras inanimes, perſæpe abſurdas, ex metallo, lapide, ligno, ebore, factas, cultu & veneratione proſecutos eſſe, quum Ægyptii in vivis ac ſpirantibus animalibus vel plantis, tanquam (*i*) clarioribus ſpeculis, potentiam & bonitatem divinam contemplandam & veoeratiooe proſequendam, ſibi propoſueriot. Varia tamen ad hæc Vossius, (*k*) Witsiusque (*l*) regerere ſtuduerunt.

Ceterum Mercuriales Libri, à Triſmegiſto (*m*) illo, quem Abrahami temporibus vixiſſe volunt, conſcripti, pridem perierunt. Poimanoer quoque, à *Franciſco Fluſſo Candalla* editus, (*n*) atque Maximiliano II. dedicatus, jam pridem omnem fidem decoxit. Clementis Alexandrini (*o*) temporibus ab Ægyptiorum ſacerdotibus Mercurio adſcripta ſunt Ἱερατικὰ βιβλία, *Sacerdotales Libri*, Philoſophiam Ægyptiacam continentes, oumero XLII. (*p*) Manetho, Vir Ægyptius, Græca diſciplina eruditus, (*q*) Hiſtoriam patriam Græce conſcripſit, atque Ptolemæo Philadelpho dedicavit, ex ſacris, ut ait ipſe, Libris ſua deſumeos. Fragmeota ex eo nobis ſervavit Syncellus, in quibus autem de Theologicis nihil. Eratosthenes Cyrenæus, qui ſub Evergete, Philadelphi filio, Ægyptiaca ſcripſit, nihil quoque habet de ſacris.

ISIS.

§. CX.

Iſis.

Tab. X. n. 2. & 5.

Apud Gallos Mercurius, apud Ægyptios Iſis Numen fuit primarium; unde ab ea nobis ducendum initium eſt. Simulacrum Iſiacum duplex, æneum alterum, alterum fictile Tab. X. expreſſi. Priore ſedet Dea, Orum puerulum gremio geſtans; cui ubera offert. Caput ejus totum velatum eſt laxiore velo ſtriato, propendente ad mammas. E fronte caput accipitris prominet: ex ſuprema autem capitis parte protenduntur cornua, inter quæ diſcus vel globus. Imago tegitur tenui ſindone; (*r*) linteus enim Deorum & Sacerdotum Ægypti erat veſtitus. Cuncta hæc ſymbolica ſunt, partim ad phaſes lunæ, partim ad ubertatem terræ referenda, qua de re ex veteribus Horapollo, (*s*) Plutarchus: (*t*) ex Junioribus autem Vossius, Natalis Comes, Gyraldus. Tanta hioc ſchematum Iſiacorum diverſitas, quæ ſine riſu ſæpe vix conſpici poſſunt. Velum noctis tenebras innuit, cui præſidet luna, unde Iſis *Noctiluca*. Globus non Iſidis modo, ſed & Oſiridis atque Harpocratis, capita ſæpe exornat, ſeu Luoæ, ſeu Solis, ſeu Orbis terraquei, ſive omnium horum ſymbolum eſſe videtur. Accipiter quid innuat, in *Hieroglyphicis* ſuis annotavit Horapollo. (*u*) De uberibus vero Macrobius: (*x*) "Iſis cuncta religiooe celebratur, quæ eſt vel terra, vel natura rerum

(*g*) Juvenal. *Satyra* XV. 1. ſeq.
Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens Ægyptus portenta colat?

(*h*) In Libro *de Iſide & Oſiride*.

(*i*) Ἐναργεστέροις ἐνόπτροις.

(*k*) *Idololatria* Lib. I. Cap. V.

(*l*) Hermannus Witsius in *Ægyptiacis* Lib. II. Cap. IV. §. XXII. pag. 89.

(*m*) Suidas in voce: Ἑρμῆς ὁ Τρισμέγιστος, dicit, vocatum *Ter-Maximum*, quod de Trinitate locutus ſit.

(*n*) An. MDLXXIV. Græce & Latine. In eundem Poimandrum deinceps ample commentatus eſt Hannibal Rosselius Cracoviæ MDLXXXV. Coloniæ Agrippinæ An. MDCXXX. recuſus.

(*o*) *Stromatum* Lib. VI. pag. 456.

(*p*) Galeni temporibus circumferebantur Libri *de Re Medica*, Mercurio adſcripti, ſed pro nugis à Galeno habiti.

(*q*) Josephus *contra Apionem*.

(*r*) Ovidius *ex Ponto* Lib. I. Epiſt. I. vers. 51. ſq.
Vidi ego linigeræ numen violaſſe fatentem Iſidis &c.

(*s*) In *Hieroglyphicis* Cap. III. & alibi paſſim.

(*t*) De *Iſide*. Adde Tollium in *Diſſert. de Siſtro*.

(*u*) Lib. I. Cap. VI. pag. 9. edit. Pauw. Ex junioribus autem Jo. Pierius Valerianus *Hieroglyphicorum* Lib. XXI. Cap. I. ſqq.

(*x*) *Saturnal.* Lib. I. Cap. XX.

MONUM.

rerum ſubjacens ſoli. Hinc eſt, quod continuatis uberibus corpus Deæ omne „ denſetur; quia vel terræ vel rerum naturæ alia nutritur univerſitas. „ Hujus numen, addit Apulejus, (y) multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multijugo, totus veneratur Orbis. Frugum, legum inventrix, imo univerſæ naturæ Dea, Iſis habita fuit.

Iſidi ſedenti addidimus ſtantem, cujus imago involuta eſt faſciis. Imagunculæ hæ Iſidis in ſepulcretis Ægyptiacis, cum ipſis cadaveribus, quæ *Mumias* vocant, frequentes occurrunt, vel ex marmore, baſalte, vel ex argilla, paratæ. Conditis corporibus interdum additæ, quandoque etiam inſertæ reperiuntur; Deorum Larium inſtar, uti creditur, (z) habitæ. Noſtræ hujus caput linteo quoque involutum eſt, cum faſcia prominente à mento, quod ſanctimoniæ ſymbolum, (a) dextra ſiniſtraque flagellum ad dæmones nocivos pellendos; (b) niſi lituum malueris eſſe aut pedum, in figuris his obvium. Faſciis, quibus involvitur imago, hieroglyphicæ magno numero impreſſæ ſunt. Iſis ſubinde loto, (c) vel flori loti inſidet, quod aperiendo & claudendo ſe flos hic ſolis motum ſequi dicitur ab ortu ad occaſum. (d) Siſtrum, quod frequenter tenet, Servio (e) tradente, indicat Nili acceſſum. Perſeæ (f) arboris florem quoque, ſilentii & veritatis typum, capiti ejus impoſuerunt, vel manibus tenentem repræſentarunt, quod fructus ejus cordis, folium linguæ, ſpeciem refert, indicante Plutarcho.

§. CXL

Monumenta Iſidis.

Sigilla hæc Ægyptiorum prophylactica vocat Beoerus; (g) atque cum Kirchero credit, inſuta fuiſſe medicatis funeribus, imo & viventium collo brachiisque ideo alligata, quod mala depellere crederentur. Addidit Kircherus, *Serapides* appellatas fuiſſe icunculas has; ſed cur non & *Oſirides* vel *Horos* quoque appellaſſent? rectius vocantur *Iſides*, quæ Deæ hujus ſymbola exprimunt.

Tabula Iſiaca.

Ceterum, quum ex veteris Ægypti Monumentis Iſiaca illa Tabula vetus, ex ære facta, aſſervata Taurini, præſtantiſſimum ſit, illi, qui Theologiæ Ægyptiacæ ſchema aliquod generale oculis ſubjicere volunt, eam diligenter examinent. Laurentius Pignorius peculiari Libro omnem repræſentavit, notisque eruditis explicuit. (h) Menſa vera fuit, in Iſiacis olim ſacris adhibita, quam ſuperioribus ſeculis ex Ægypto allatam, à fabro quodam ferrario redemit, atque ab interitu vindicavit, Bembus Cardinalis; unde *Tabula Bembina* cœpit appellari. Ex hujus autem Muſeo in Cimelarchium Vincentii, Mantuæ Ducis, translata: Mantua per Ferdinandi II. Imp. copias An. MDCXXVIII. expugnata, victoribus in prædam ceſſit, tandemque à Sabaudiæ Ducis Archiatro An. MDCLX. Auguſtam Taurinorum, in Palatium Ducis fuit allata; ubi incorruptam fere, plures per horas, eam contrectavi examinavique, & Pignoriani Libri ectypo exacte reſpondere deprehendi. (i)

(y) *Metamorph.* Lib. XI. pag. 188.

(z) Athanas. Kircherus in *Oedipo Ægyptiaco* Tom. II. Part. I. pag. 258. & 450. iterumque Tom. III. pag. 511.

(a) Faſcia mentalis noſtro ævo hinc inde apud Canoniſſas obtinet. Romaricenſes, apud quas ſimile linteolum, à mento defluens, vidi, illud vocant *Barbette.*

(b) Mich. Angelus Causeus in *Muſeo Romano,* Sect. I. pag. 27.

(c) Herba, frutex & arbor hujus nominis eſt, teſte Plinio Lib. XIV. Cap. XVI. Herba nimirum Ægypti, vel caulis in paluſtrium genere, cui recedentibus Nili aquis foliis naſcuntur & fructus, papaveri ſimilis. Incolæ eum ſiccant, ſiccatum tundunt, eoque pane utuntur; unde tam gratus Ægyptiis, Iſidique ſacratus. Lotus, ſecundum Herodotum Lib. II. Cap. XCII. lilium Ægyptiacum erat.

(d) Theophrastus Lib. IV.

(e) Servius ad *Lib. VIII. Æneid.*

(f) De Arbore Perſea Salmasius in *Hyl. Latr.* Cap. LXVIII. & Doctiſſ. Gesnerus ad *Columellam* X. 405.

(g) Laur. Begerus in *Theſauro Brandenburgico* Tom. III. pag. 309. Statuæ omnes minimæ formæ ex ære apud Romanos *ſigna*, at fictiles imagines parvæ ſpeciatim *ſigillaria* dicebantur. Arnobius *adv. Gentes* Lib. VI. pag. 197. Tertullianus *de Orat.* Cap. XII. Locus quoque hujus nominis fuit, vel vicus, Romæ, quod imagines & ſimulacra minora illius generis ibi conficiebantur. Aul. Gellius Lib. V. Cap. IV. Savot *Diſcours ſur les Medailles Antiques* Cap. VIII. pag. 30. Pro Laribus privatis ſigna hæc frequenter adhibita, qui lignei primum, (Tibullus Lib. I. Eleg. II.) dein ahenei, atque apud divites argentei. Petron. Arbiter Cap. XXIX. Gautraeus pag. 174. num. 7.

(h) Pignorius omnem virtutem, doctrinam & prudentiam civilem, in ea occultari cenſuit. Michael Meyerus, in *Arcanis Ægyptiorum & Græcorum Hieroglyphicis,* omnia Menſæ hujus ſymbola ad Chymicam Philoſophiam ingenioſe traduxit. Jo. Georg. Herwartus, in *Admirandis Ethnicæ Theologiæ Myſteriis,* quasdam harum imaginum de pyxide nautica interpretatus eſt. Olaus Rudbeckius vero in *Atlantica* ſua Part. II. Cap. II. in Menſa hac Calendarium quæſivit, quæ ſententia verior.

(i) Vid. Christoph. Wagenseilii *Commentar. de Republ. Norimberg.* pag. 85.

§. CXII.

Unde Iſis allata.

Ad Alſaticas vero Iſides ut redeamus, ex ſignis ejus, apud nos erutis, diſcimus, religionem hanc majoribus noſtris non fuiſſe ignotam. Quæreres fortaſſe, an non à Gallis meridionalibus, vel à Germanis, potius Dea hæc, quam à Romanis in Alſatiam advecta ſit. Quodſi Pariſii veteres, quorum Caput Lutetia, ab Iſide nomen accepiſſent, quod ſuperioribus ſeculis creditum, antiquiſſima ejus eſſe debuit apud Gallos religio. Occaſionem rei dedit Iſidis imago, quæ Lutetiæ ad ſeculum usque XVI. in Abbatia S. Germani ſubſtiterat, ubi templum Iſidis fuiſſe exiſtimant: quod ſimulacrum non Romanis, in Gallia imperantibus, ſed ſub Gallia libera confectum, ſibi multi perſuaſerant. (*k*) Titulos, Iſidi in Gallia dicatos, apud Grasserum, (*l*) Schedium, (*m*) aliosque videbis, qui omnes Romana ſub Periodo poſiti; indeque adeo nihil ad Celticam concludas Periodum. Non equidem diffiteor, diuturno Maſſilienſium cum Ægyptiis, per Mediterraneum mare, commercio, Gallis noſtris meridionalibus Iſidem innoteſcere potuiſſe; à Ptolemæorum præſertim temporibus, quibus Ægyptus exteris fuit aperta. In meditullio autem Galliæ Celticæ res difficilior erat.

Sed jam de Germanis diſpiciendum: Tribocos enim noſtros Iſidis religionem ex Germania in Alſatiam noſtram Inferiorem transferre potuiſſe, forſan exiſtimares. Germanos ſub figura quadam, ſimili liburnæ, Iſidem coluiſſe, auctor eſt Tacitus: (*n*) " Pars Suevorum (inquit) & Iſidi ſacrificat. Unde cauſa & origo peregrino ſacro, „ parum comperi, niſi quod ſignum ipſum, in modum liburnæ figuratum, docet „ advectam religionem. „ Jacobo Gronovio (*o*) viſum eſt, non dicere Tacitum, Germanos Iſidem, ſed navigium ejus pro numine reveritos, quum tamen ipſum Iſidis ſignum, ſive imaginem, in modum liburnæ figuratum fuiſſe, diſerte enuntiet. Velificia enim inveniſſe ferebatur, quum Harpocratem filium amiſſum quæreret nave. (*p*) Sacerdotis Germani, navigium Iſidis portantis, imaguncularn Gronovius inveniſſe ſe credidit; quæ tamen, ſi non omnino novi operis eſt, quod pluribus viſum, nullam certe ſacerdotis navigium, ſed ſervi tunicati, pondus geſtantis, effigiem ſiſtit. Puncta, ponderi impreſſa, vere indicant pondus, cujus generis Romæ magno numero vidi; imo & ſimilia plura, ſed molis minoris, inde mecum allata, Muſeo meo intuli, quæ hujusmodi punctis ſignata invenio.

Præcipuam ergo Theologiæ Ægyptiacæ partem quum abſolverit Iſis, mirum non eſt, Græcos ſuis eam Numinibus comparaturos, nunc Solem, (*q*) nunc Lunam, nunc Terram, Cybelem, Junonem, Cererem, Minervam, Venerem, Dianam, (*r*) Proſerpinam, Hecatem, Thetin &c. vel omnes has Deas ſimul, quæſiviſſe in Iſide. (*s*) Huic & Oro filio oppoſuerunt Typhonem, omnis mali principium, quem Orus denique vicerit. Eadem Iſis Oſiridis, ut Juno Jovis, habita eſt & ſoror & conjux. (*t*)

OSIRIS.

(*k*) Fabulam de origine Pariſiorum nominis ab Iſide confutat Moreau de Mautour *Differt.* cujus ſumma exhibetur in *Commentariis Acad. Reg. Inſcript.* Tom. III. pag. 297. Etymologiam derivant à Græco Παρὰ Ἶσις, prope Iſidis ſc. templum. Jacobus Brulius & continuator ejus Malingre in Libro: *Antiquités de Paris* pag. 2. opinionem hanc recenſent. Ejusdem quoque Andr. du Chesnius in Libro: *Antiquitez des Villes de la France*, pag. 10. ſed irridens, facit mentionem. Etymologiſtæ hi non obſervant, nomen *Pariſii* totius populi appellationem, non ſolius urbis fuiſſe, quæ nonniſi ſequiori ætate ad Metropolim ſolam translata, quod & apud alias Galliæ Civitates factum eſſe novimus.

(*l*) *Antiquitatum Nemauſens.* pag. 42. ſq.

(*m*) *De Diis Germanis*, pag. 155.

(*n*) *German.* Cap. IX.

(*o*) *Theſaur. Antiquitatum Græcar.* Tom. III.

(*p*) Lucianus in *Dialogo*: Πλοῖον ἢ εὐχαί. Lactantius Lib. I. Cap. II. ait: *Certus dies habetur in Faſtis, quo Iſidis navigium celebratur.* Gyraldus *de Navigiis* Cap. VIII.

(*q*) Macrobius *Saturnal.* Lib. I. Cap. XX. Huc præſertim referendus Jamblichus *de Myſteriis Ægyptiorum*, Sect. VII. Cap. II.

(*r*) Herodotus in *Euterpe* Cap. CLVI. Athenæus *Deipnoſophiſt.* Lib. V. Diodor. Siculus Lib. I.

(*s*) Apulejus in precibus ad Iſidem, *Metamorphoſ.* Lib. XI. Martianus Capella de *Nuptiis Philoſophiæ* Lib. I. Fulgentius in *Mythologicis*. Ex Chriſtianis Lactantius Lib. I. Cap. XXI. Minutius Felix in *Octavio* & Eusebius in *Præpar. Evangel.* Lib. III. Cap. III. Julius Firmicus.

(*t*) Augustinus *de Civitate Dei* Lib. XVIII. Cap. V.

MONUM.

OSIRIS.

§. CXIII.

OSiris enim ſolem ſubinde, ut Iſis lunam, deſignavit. Schema ejus ex Pinacothecæ noſtræ archetypo, quod alicubi in Provincia noſtra repertum eſt, exprimo. Oſiridis caput pileo, in apicem fere deſinente, tectum; pileus utrinque pinnis, accipitris forte vel ibidis, à ſummo ad imum deſcendentibus, ornatus eſt. Ex parte illa pilei, quæ frontem tegit, caput accipitris prominet. Corpus Oſiridis, Mumiæ adinſtar, faſciis involutum, ita tamen, ut exſertæ ſint manus, quarum dextra baculum vel ſceptrum, ſiniſtra lituum tenet. A mento ejus faſcia aut lintei lacinia, uti modo in Iſide vidimus, pendet; quæ omnia quoque ſymbolica ſunt.

Oſiris. *Tab. X. num.* 1.

HARPOCRATES.

§. CXIV.

FRequentia ſunt ſimulacra Harpocratis, quem Ægyptiacæ Theologiæ auctores Oſiridis Iſidisque filium, eundemque adeo cum Oro, quem Iſis gremio gerit, conſtituunt. Ob digitum manus dextræ, labiis admotum, communiter dicitur *ſilentii Deus*, ut indicet, de Diis non temere eſſe loquendum; (*u*) vel Deos honorandos eſſe ſilentio, vel matris ſuæ myſteria non debere revelari. De cornu illo recurvo, quod à tegumento capitis ad humerum dextrum deſcendit, conjecturæ ſunt variæ. In Muſei Petaviani Deſcriptione (*w*) occurrit Orus ſive Harpocrates, in gremio Iſidis ſedens, cujus auri dextræ ſerpens admotus, puerulo ſapientiam inſpirare videtur. Serpentem imperiti ſculptores paulatim converterunt in cornu. Serpens plerisque Gentibus habitus eſt ſapientiæ ſymbolum, hieroglyphicis Ægyptiorum monumentis frequens, apud quos alia quoque deſignaſſe videtur: unde innumeros ſerpentes Ægyptum alere retulit AMMIANUS, (*x*) eorumque ſignificatus quosdam indicat HORAPOLLO. (*y*)

Harpocrates. *num.* 3.

SERAPIS.

§. CXV.

MAgnum apud Ægyptios numen Serapis, non tamen inter priſcos eorum Deos cenſetur, quod HERODOTUS, (*z*) Ægyptiorum Religionem variis in locis deſcribens, eum nullibi prodit; Iſidis, Oſiridis, Ori &c. mentionem quum faciat. In Iſiaca Tabula nullum Serapidis indicium occurrit. Circa Ptolemæorum vero Regum tempora maximus Ægypti Deus in monumentis celebratur; quandoque appellatus *Sarapis.* In Gazophylacio meo Amuletum, ex creta & argilla conflatum, in Alſatia repertum, cui literis Græcis utrinque inſcriptum: ΜΕΓΑ ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΤΟΥ ΣΑΡΑΠΙΣ, *Magnum nomen Sarapis.* Nonnullis idem cum Oſiride habitus eſt. At CLEMENS ALEXANDRINUS (*a*) obſervat, numen illud ſub Lagidis, ſpeciatim ſub Ptolemæo Philadelpho, demum Ægypto fuiſſe invectum; qui patriis illius oræ Numinibus deinceps æquiparatus, imo denique prælatus fuit, ut auctor eſt TACITUS. (*b*) Serapis interdum barbatus, interdum imberbis, calathum ſive modium capiti impoſitum habet. Modius fœcunditatis & abundantiæ typus. Æſculapius quandoque exhibetur cum modio, (*c*) at ſerpens aliudve ſignum plerumque additum. Serapis, quem ex noſtra Antiquaria Penu producimus, imberbis eſt, caputque ejus modius operit; reliqua pars capitis involuta linteo, quod collaris inſtar collum tegit & mentum, ita ut faſcia vel lacinia lintei, ut in Iſide & Oſiride, à mento quoque dependeat. Pars corporis, ab umbilico fere usque ad genua, linteo quoque, leviter ſtriato, operta: totum ſignum antiquitus fuerat deauratum.

Serapis. *num.* 4.

ANUBIS.

(*u*) Ita PLUTARCHUS in Libro *de Iſide & Oſiride.* Conf. GISBERTI CUPERI *Harpocrates.*

(*w*) *Antiquariæ ſupellectilis Portiuncula*, Paris 1610. 4to.

(*x*) Lib. XXII.

(*y*) *Hieroglyphicorum* Lib. I. Cap. II.

(*z*) Lib. II.

(*a*) In *Protreptico, ſive Cohortatione ad Gentes, Operum* CLEMENTIS Tom. I. pag. 42. Edit. Oxon. Potteri.

(*b*) *Hiſtor.* Lib. IV. Cap. LXXXI. ubi: *Monitu Serapidis Dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit.*

(*c*) CAUSEUS in *Muſeo Romano* Sect. I. num. 9, & Sect. II. num. 17.

ANUBIS.

§. CXVI.

Anubis. *Tab. X. num. 6.*

DEus Ægypti, figuræ humanæ, ſed capite canino, qui VIRGILIO (*d*) audit: *Latrator Anubis*; ubi SERVIUS annotat: *Mercurius capite canino pingitur ideo, quia nihil eſt cane ſagacius.* Unde & *Hermanubis*, ſive *Mercurio-Anubis*, à Græcis dictus: læva manu geſtat caduceum; pro Oſiridis & Iſidis ſatellite habitus eſt. (*e*) Cultus ejus late patuit per Ægyptum, ubi & *Nomus Cynopolites* & *Canum urbs* fuit, in qua cultus Anubis. Canibus honor ut & ſacer quidam cibus conſtituebatur; referente STRABONE. (*f*) Anubis etiam Cynocephalus vocabatur à Græcis. (*g*)

CERCOPITHOECUS.

§. CXVII.

Cercopithœcus. *num. 7.*

OMnes Animalium ſuorum ſpecies inter Numina quum retulerint Ægyptii, Cercopithœcus quoque, ſimiæ genus, ab illis in Templa admiſſus eſt. Æneum minoris formæ, in Alſatia ſuperiore, prope Mülhuſium oppidum, cum Helvetiis fœderatum, ex terra erutum, meæque Pinacothecæ illatum, proferimus. MARTIALIS, (*h*) LUCIANUS (*i*) atque PRUDENTIUS, (*k*) ejus faciunt mentionem. Cercopithœcus Martiali caudatus deſcribitur, noſter vero ſine cauda. Nomen hoc Græci Ægyptii huic Numini impoſuerunt. *Effigies ſacri nitet aurea Cercopithœci*, inquit JUVENALIS. (*l*) Is. GRANGÆUS, in *Notis* ad hunc locum, Cynocephalum male cum Cercopithœco confundit: Cynocephalus enim ipſe Anubis eſt.

ÆLURUS.

§. CXVIII.

Ælurus. *num. 8.*

QUadrupedibus Deaſtris ſocium addimus Ælurum, apud Mediomatricos interiores repertum. Felis, non minus ac canis & ſimia, religionis Ægyptiacæ partem conſtituit, Græci Scriptures ei impoſuerunt nomen *Ælurus*. MARTIANUS CAPELLA (*m*) navigium Ægyptiacum ita deſcribit: " Cui nautæ ſeptem, germani tamen, ſuique „ conſimiles præſidebant, in prora felis forma depicta &c. „ Felis imago cum ſymbolis in Menſa Iſiaca bis comparet; florem loti, alioque in loco ſiſtrum, ante ſe habens. Noſtra icuncula, ex ære conflata, erectum repræſentat Ælurum, qui ſiſtrum, ſine virgis transverſis, dextro, ſitulam vero anſatam brachio ſiniſtro geſtat. In pectore aliquid, accipitris roſtro ſimile, prominet, quale ſupra quoque in Oſiride vidimus. Inferior pars Æluri involuta eſt linteo, uti de Iſide atque Oſiride obſervatum eſt. Siſtrum tenet noſter Ælurus, in Iſiacis ſacris frequens, ut ipſa Iſis ſæpius cum ſiſtro reperitur. Inſtrumentum æneum, manubriatum eſt, formæ ovalis, cum transverſalibus virgulis, quæ deſunt in hoc ſiſtro Æluri. APULEJUS (*n*) iſtud ita deſcribit: " Æreum crepi- „ taculum, cujus per anguſtam laminam, in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ „ paucæ virgulæ, criſpante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum ſonum. „ Ternarius, quandoque quaternarius, virgularum eſt numerus, quæ perforant ſiſtrum. Numeris his, ut & figura ipſa, varia naturæ arcana deſignari exiſtimant Critici; quæ MICHAEL ANGELUS CAUSEUS (*o*) exponit. In vertice ſiſtri felis eſt, partus ſuos lactans, in cujus capite flos loti; in nonnullis lunula pro loto. Fele lunam repræſentari ob animalis varietatem, fœcunditatem ac vim noctu agendi, tradit PLUTARCHUS *de Iſide*, addens,

---

(*d*) *Æneid.* Lib. VIII. vers. 698.

(*e*) DIODOR. SICUL. Lib. I.

(*f*) *Geograph.* Lib. XVII.

(*g*) AUGUSTINUS *de Civitate Dei* Lib. III. Cap. XII. Et aliud tamen ferum animal hujus nominis apud HERODOTUM Lib. IV. Cap. CXCI. memoratur.

(*h*) Lib. VII. 86.

(*i*) In *Concione Deorum.*

(*k*) In *Romano Martyre, & adverſus Symmachum.* Adde SOCRATEM *Hiſt. Tripart.* Lib. IX. Cap. XXVII.

(*l*) *Satyra* XV. 4.

(*m*) *De Nuptiis Philoſophiæ* Lib. II.

(*n*) *Metamorph.* Lib. XI.

(*o*) *Muſei Romani* Sect. III. Tab. XV. & XVII. pag. 80. ſqq.

addens, felem cum hominis vultu quandoque repræſentari. Felis loco in ſiſtris quandoque Sphinx, flos loti &c. occurrit. Quod cymbala in ſacris Cybeles, id ſiſtra in ſacris Iſidis erant, quæ à Sacerdotibus concutiebantur. Argumentum hoc omne BENEDICTUS BACCHINUS, (*p*) celebris Italus, erudite pertractat.

MACCUS.

§. CXIX.

APpendicis loco Tabulam X. claudit ſignum Hiſtrionis cujusdam, qui Oſca lingua *Maccus*, & ad illam claſſem referendus, qua bardi, fatui, ſtolidi, inducebantur; (*q*) qualis olim M. Annæus Longinus, quem ſepulcralis Titulus Romanus *Maccum* appellat. (*r*) Signum noſtrum, in Raurica veteri pridem repertum, ad Moriones illos referendum videtur, de quibus PLINIUS. (*s*) In Antiquariorum Libris hujus generis ſimulacrum non reperi, niſi apud JOANNEM PRICÆUM, qui *Commentario* ſuo *in Apuleji Apologiam*, (*t*) ex Antiquaria penu Bourdelotii, eam inſeruit, plane ſimilem noſtro. Ejusmodi Μορμολυκεῖα olim in anteludiis pomparum exhibita, nonnullis riſui excutiendo, aliis incutiendo timori: *Matticos* & *Manducos* appellarunt. (*u*) Alias perſonas ſcenicas, vel magnis malis dehiſcentes, vel aliud quid ludicri repræſentantes, PIONORIUS, (*w*) BEROERUS, (*x*) atque FICORONIUS (*y*) exhibent. Maccus. *Tab. X. num.* 9.

CAPUT IX.

MITHRA.

§. CXX.

AB orientali Vogeſi latere ad occidentale transimus, ubi in Bipontino Ducatu rupes ſe offert, cui Perſicæ religionis, à Romanis receptæ, & ad Vogeſum deinceps allatæ, Monumentum inſculptum eſt, Deo Mithræ dicatum; cujus generis anaglypbum in Vogeſianis regionibus nemo facile quæſiſſet. In Præfectura Pfeffelbacenſi, Bipontini Ducatus, è regione villæ *Schwarzerd*, quæ leucis à Liechtenbergenſi Caſtro duabus, octo autem diſtat Biponto, anaglyptici operis Tabula figurata rupi inciſa, at temporis tractu multum detrita eſt, Mithriacæ religionis memoranda teſtis, quam Tab. IX. exhibemus. Præter tabulam hanc Sacellum aliquod ſive antrum, Deo Mithræ ſacrum, rupi illi adſtructum, affixumque fuiſſe, veſtigia ibidem adhucdum inſculpta, dubitare non ſinunt. In Monumenti ergo tam illuſtris examine duas omnino partes diſtinguimus; prima formam ſacelli, altera figuras hieroglyphicas, in ſacello conſpicuas rupique inſculptas, comprehendit. Sacella, Mithriacis ſacris deſtinata, dicebantur Spelæa, quod antro ſimiliora, quam ædi. Dimenſiones ejus & formam exteriorem, interioremque, qualis olim eſſe potuerit, foramina, adhuc conſpicua, aperte ſat indicant. Interioris Ædis ſive antri, in cameræ formam conſtructi, altitudo *C E* IX. ped. III. poll. Latitudo *G F* VI. ped. IV. poll. erat, in quod nonniſi myſteriis Mithriacis initiati, veluti in ſanctiſſimum locum, admiſſi ſunt. In intima antri parte Tabula, quam memoravimus, cernebatur, rupi inciſa, cujus altitudo *I K* III. ped. VII. poll. latitudo *H I* IV. ped. IV. poll. Cavernam murus exterior περίπτερος ambivit, quem novitii forſan vel initiandi intrare potuerant, excluſis profanis. Hujus altitudo *C A* X. ped. IV. poll. latitudo *D B* XI. ped. II. poll. Ex veſtigiis ergo, rupi impreſſis, altitudinem & latitudinem cellæ evidenter perſpicimus; longitudo autem ejus ignota. Quodſi ex dimenſionum proportione res dijudicanda, longitudo fuerit altitudini æqualis, niſi ædificium omnino credas quadratum; quod non templi aut delubri, ſed cellæ potius aut cryptæ, nomen meretur, quum nonniſi minoris bominum numeri fuerit capax. Mithræ Sacellum. *Tab. IX. num.* 1.

(*p*) In Opuſculo peculiari *de Siſtris*, quod extat in *Theſauro Antiquitatum Græviano* Tom. VI. pag. 411.

(*q*) APULEJUS in *Apolog.* LIPSIUS *Epiſtol. Quæſt.* Lib. II. Epiſt. XXII.

(*r*) GORIUS in *Inſcript. Etrur.* Tom. II. pag. 177.

(*s*) Lib. IX. *Epiſt.* XVII.

(*t*) Pag. 42. editionis impreſſæ Pariſiis An. 1635. 4to.

(*u*) Mimi antiquis temporibus inter actus Comœdiæ interſeri ſolebant, poſtea, Pylade & Bathyllo inventoribus, ſeparatim in Orcheſtram prodibant. JUL. CÆS. SCALIGER *de Re poetica* Lib. I. Cap. X. SALMASIUS *ad Vopiſci Carin.* Cap. IX. Hinc totæ pedetentim Comœdiæ mimicæ factæ ſunt. CALLIACIUS *de Mimis & Pantomimis.* OCTAV. FERRARIUS *Diſſert.* poſtuma *de Pantomimis.* Adde BURMANNUM *de Vectigalibus populi Rom.* Cap. II.

(*w*) *Commentar. de Servis.*

(*x*) CHRIST. HENR. BERGERUS *de Perſonis vulgo Maſcheris.*

(*y*) *Maſchere Sceniche d'Antichi Romani*, Romæ 1736.

MONUM.

§. CXXI.

Tabula Mithræ.

Sed jam à Sacello ad Tabulam, formæ rectangularis, Mithriacam tranſimus, quæ non ut pleræque, quas novimus, ſeparata, verum ipſi rupi, ubi intima pars Sacelli, fuit inſculpta. Viſitur ibi Mithra juvenis, tauri juvenis humerum cultro vel parazonio feriens; tunica levi & ſuccincta, ad cubitum uſque manicata, indutus. Suſpenſam collo habet Perſicam candyn vel chlamydem, ſed fuſam in auras: Perſicus (z) quoque pileus, Phrygio ſimilis, caput Mithræ contegit. Ad dextrum ſiniſtrumque Tabulæ latus ſtant duo pueri, leviter quoque tunicati &, ut ipſe Mithra, pileati, niſi quod dextri pileus antrorſum reflexus eſt. Uterque puer facem tenet accenſam; ſiniſter erectam, dexter inverſam; (a) uterque capiti taurino inſiſtit. In ſuperiorum Tabulæ angulorum ſiniſtro caput ſimile taurinum, in dextro autem ſolis radiantis caput comparet. Taurum vulneratum, atque jamjam labantem, canis in infima corporis parte admordet; ſcorpius chelis ſuis tauri teſtes tangit, ſerpensque adrepit. Mithriacæ Tabulæ, quas alibi vidi, quæque à Marliano, (b) Summontio, (c) Capaccio, (d) Grutero, (e) Vignolio, (f) editæ ſunt, pleraque hæc ſymbola continent. In Lapide Antiate corvi duo additi ſunt; in Burgheſiano autem, unus modo, imo & aquila comparet. Accedit ſubinde leo, imo & quandoque cancer pro ſcorpio eſt. In omnibus reliquis taurus, cultro percuſſus, procumbit, quum noſter currens, ſed prolapſurus, exhibeatur.

§. CXXII.

Mithra ſolem deſignat.

Omnia hæc ex arcana illa & ſymbolica Perſarum, Aſſyriorum, Babyloniorumque Theologia primitus prodierunt, quæ ſub Perſico *Mithræ* (g) nomine Solem denotavit, Deum ſummum Perſarum, cujus vigorem perpetuum juvenis, (h) cultrum collo tauri impingens, uti lunæ creſcentis cornua ipſe taurus, (i) indicat; ſolis imperio cuncta ſubjacere, atque adeo ab hoc cornua lunæ demitti, demonſtrans. Erecta & demiſſa fax ſolem orientem occidentemque deſignant. Hieronymus in *Epiſtola* ſua *ad Lætam* (k) alia quoque enumerat: " Ante paucos annos (inquit,) propinquus veſter „ Gracchus, nobilitatem patriciam ſonans nomine, cum Præfecturam gereret urbanam, „ nonne ſpelæum Mithræ & omnia portentoſa ſimulacra, quibus corax, (l) gryphus, (m) „ miles, leo, Perſes, Helios, (n) Bromius, (o) Pater initiantur, ſubvertit, fregit, „ excuſſit? „ Tam variæ, tam diverſæ imagines nec caſu, nec arbitrio, ſed ad rerum naturalium cauſas ſignificandas conjunctæ fuiſſe videntur. Phyſicam potius, quam moralem aut mythicam, in ſymbolis his Theologiam inveſtigarem. (p)

Nec profecto negandum, Criticorum veterum ac juniorum pleroſque in Mithra ſolem & ejus attributa quæſiviſſe; indeque factum, ut Deus ille nonnullis Orus Ægyptiorum, aliis Belenus Celtarum, aliis denique Græcorum Romanorumque videretur Apollo, quæ diverſa diverſarum Gentium Numina nonniſi unum ſolis numen denotarunt. Papinius Statius, qui Domitiani Imp. temporibus vixit; Claudius Claudianus, Honorio Σύγχρονος; Luctatius, (q) Statii Commentator, ſeculo VI. vivens, id demonſtrant. Dubitat nimirum Statius ſatis (r) num ſolem appellare debeat, Titana, an Oſirim, an Mithram:

" -- Seu

(z) Pileus Perſicus vocatur quoque Medicus, imo & ſubinde *Tiara*. Lucianus in *Concilio Deorum*.

(a) Hieronymus Aleander in *Explicatione Tabulæ Heliacæ* figuram hominis exhibet, duas faces tenentis, cui caput ſolare. *Theſauri Græviani* Tom. V. pag. 745.

(b) *Topograph. Urbis* Lib. VII. pag. 153.

(c) *Hiſt. di Napoli* Lib. I. pag. 77.

(d) *Hiſt. Napol.* Lib. I. Cap. XIV.

(e) *Inſcription.* pag. 34.

(f) *Inſcriptiones Selectæ*, in *Diſſert. de Columna Antonini Pii*, pag. 174.

(g) Gabriel Simeoni monumentum Mithriacum exhibet, cui inſcriptum: *Deo Invicto Mithir.* In lingua Perſica *Mithri*, *Mithir*, *Mether*, *Mihr* ſignificat *Dominum*, & ut Thomas Hyde de *Relig. Perſar.* Cap. IV. arbitratur, *Amorem.* Aureliani nummus eſt: *Sol Dominus Imperii Romani.* Adde quod *Mithras* in numeros commutatus, CCCLXV. efficit dies, qui annuum ſolis curſum efficiunt.

(h) Ut Apollo, ejuſdem ſolis imago, à Græcis ſemper juvenis creditus eſt.

(i) Sunt, qui taurum ſignificare terram Iſidemve exiſtimant, quam ſol radiis, velut cultro, penetrat, ut indat ei fertilitatem. Lunam tamen eo ex fundamento præferrem, quod in nonnullis Mithriacis Monumentis ſol & luna ſimul repræſentantur, ut aſtra oppoſita. Vide Maffejum *de Gemmis antiquis* & Montfalconium in *Antiq. Expliq.* Tom. I. Tab. CCXVII.

(k) *Epiſt.* VII.

(l) *Corax*, Corvus Latinis.

(m) *Gryphus* vel Gryphes, fabuloſum animal, corpore leoni, alis vero & facie ſimile aquilis.

(n) *Helios*, ipſe ſol Græcis.

(o) *Bromius*, Bacchi quidem epithetum notum, qui ſemper juvenis, ut Mithra.

(p) Jo. Braunius *Selectorum Sacror.* Lib. IV.

(q) Luctatius Placidus, nonnullis Luctatius, aliis Placidus Lactantius. Hic Boethii quum meminerit, junior eſſe debet, quam Jo. Rhodius *Diſſert. de Acia* pag. 25. cum conſtituit: Theodoſio enim æqualem fuiſſe affirmat. Voſſius *de Poetis Latinis* Cap. XLVI. Joſephus Scaliger *ad Euſeb.* pag. 19. Alb. Fabricius in *Biblioth. Latin.* Tom. I. Lib. II. Cap. XVI. pag. 416.

(r) *Thebaid.* Lib. I.

MONUM.

"- - Seu Perſei ſub rupibus antri
" Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

Claudianus: (s)

- - *Volventem ſidera Mithram.*

Italorum hujus ſeculi decus, Philippus à Turre, Hadrienſis Epiſcopus, (t) canem, cancrum, ſerpentem & corvum in Mithriacis Tabulis indicare exiſtimat, ex ſingulis animalium, quadrupedum nempe, piſcium, ſerpentum, aviumque generibus omnia ortum ſuum & conſervationem Mithræ ſive ſoli debere. Thomas Hyde (u) vero, Britannus, ſyſtema hujus mundi figuris his myſtice à Zoroaſtre delineatum fuiſſe conjecit. Scilicet pro ſua quisque ſœcunditate ingenii myſticas has figuras explicare contendit; prouti id qooque in Gemmis illis Baſilidianorum, quæ vocantur *Abraxas*, evenire videmus, quæ cum Mithriacis ſymbolis & ænigmatibus multum habent commune. (x)

§. CXXIII.

Mithra ex petra natus.

Sed ad Bipontinum ſpelæum ut redeamus, non absque myſtica ſignificatione factum eſſe veriſimile eſt, ut non modo Tabula rupi inſculperetur, ſed & rupi affigeretur Sacellum. Mithram nimirum de petra natum Perſæ dicebant, Justino Martyre teſte. (y) Commodianus, (z) Poeta Chriſtianus, Conſtantini M. ævo vivens, ait:

Invictus de Petra natus.

Ænigmate hoc autem ignis, è ſilice excuſſus, ſignificabatur; Mithram enim & ſolis & ignis imaginem fuiſſe, obſervavi jam ſupra. Non mirum ergo, ſacra hæc ſub rupium antris & ſpecubus; initiationem eorum in locis abditis factam. (a) Myſteriorum apparatus credulam plebem non potuit non mire afficere.

Mithræ ſacerdotes.

Enimvero Mithriacis ſacris initiari nemo potuerat, niſi qui plura probationum genera & cruciatus ſuo corpore excepiſſet, fortitudiniſque in ferendis laboribus ſpecimen, & ſe perturbationum immunem eſſe, demonſtraſſet. (b) Varii ergo fuerunt initiandorum gradus probationis, quos nonnulli ad octoginta extendunt; inter quos fames, uſtio, flagellatio &c. Pertinet huc omnino locus Nicetæ Epiſcopi *ad Nazianzenum*, quem ex Mſ. Florentino Bibliothecæ Laurentianæ Latine translatum nobis dedit Philippus à Turre, (c) ex quo verba producimus: " Qui Mithræ myſteriis initiabantur, quibusdam ceu gradibus cruciatus probari " ſolebant: ita ut primum leviore pœnarum genere adficerentur, ac deinceps vehe- " mentiore. Exempli cauſa, primo initiandos fame affligebant, quinquaginta diebus, " ac ſi hæc conſtanter tolerarent, illos biduo cædi curabant, ac deinceps eodem pœnæ " genere ſingulos exercebant, viginti octo diebus: eoque pacto auctis cruciatibus, ſi, " qui initiabantur, hæc patienter ferrent, tunc demum perfectiora myſteria edocebantur. " Adde Tertullianum in *Præſcript. Hæret.* ubi de initiatione Mithriaci militis. Homines quoque Mithræ mactatos, & Lamprinius (d) & Socrates (e) tradunt. Sub Pompejo M. Religio hæc Romæ primum innotuit; (f) ſub Imperatoribus ſeculo ſecundo finiente, (g) totoque tertio ita invaluit, ut Mithræ dies natalis. faſtis publicis conſignaretur VIII. Kal. Jan. N. INVICTI. id eſt XXV. Dec. quo tempore *Agones ſolis* inſtituti, quorum auctor Aurelianus Imp. Hi multis miſſibus equorum bigis & quadrigis celebrari ſolebant. Equi ſacri fuere Soli apud Perſas. Scilicet poſt hibernum ſolſtitium ſol veteribus renaſci creditus eſt; inde *Sol novus.*

§. CXXIV.

Mithræ cultus.

Plures ſunt nummi Conſtantini M. in quorum poſtica *ſoli invicto comiti* legitur. Julianus Imp. ſuo quoque cultu profecutus eſt Mithram. Civitas Lugdunenſis *Deo invicto Mithræ* monumentum poſuit. (h) Mirum ergo non eſt, ad Mediomatricos quoque noſtros cultus hujus penetraſſe ceremonias. Sacra Mithriaca circa An. Chr. CCCLXXVIII.

(s) *De Laudib. Stiliconis* Lib. I.
(t) *Differt. de Mithra* Cap. IV. *Operum* ejus pag. 189.
(u) *De Religione Perſarum* Cap. IV. pag. 113.
(x) Vid. Jo. Macarii Liber, cui Tit. *Abraxas Proteus*, quem illuſtravit Jo. Chifletius, Tornacenſis Canonicus. Plerique figuras has inter magicas reputant atque amuletis aſſignant, quod equidem non affirmarem generatim.
(y) *Dialog. contra Tryphonem.*
(z) In libro cui tit. *Inſtructiones* &c. Inſtruct. XIII.
(a) Tertullianus *de Corona militis*, in fine. Jul. Firmicus *de Erroribus Profanarum Relig.* Cap. V.
(b) Suidas in Voce: *Mίθρ.*
(c) *Diſſertat. de Mithra* Cap. V. pag. 212.
(d) Lampridius in *Commodo* docet, Imperatorem iſtum inter reliquum cultum ſuum ſacra Mithriaca homicidio vero polluiſſe.
(e) Socratis *Hiſt. Eccleſ.* Lib. III. Cap. II.
(f) Plutarchus in *Vita Pompeji.*
(g) Sub Commodo præſertim, Lampridius in vita ejus. Vid. Gorium in *Inſcript. Florent.* Tom. I. pag. 112.
(h) Spon *Recherches de l'Antiquité* Differt. III. pag. 71. Item *Miſcellaneorum Erud. Antiquit.* pag. 655. Tom. IV. *Supplem. Antiquit. Rom.* Grævii.

MONUM.

CCCLXXVIII. ſub Graccho, Urbis Præfecto, Romæ abolita fuiſſe, quum & Victoriæ Ara, de qua inter D. Ambroſium & Symmachum pugna exarſit, convelleretur, ex Hieronymi verbis, quæ ſupra protulimus, & ex Gracchi Præfecturæ urbanæ Epocha liquet. (*i*) Simulacra hæc videntur exſculpta fuiſſe in ſpelæis Mithriacis, quod initiandi his animalium figuris ſorte induti ſunt; vel quod ſacra Mithræ quum fierent, figuræ hæ populo publice exhiberentur, vel religionis hujus participes ſimulacris his induti, ut in Lupercalium feſto Luperci, pellibus tecti, per urbem diſcurrerent. Spectacula illa ſtatis diebus fuere peracta. Ita *Leontica* XVI. Kal. April. *Coracica* VI. Id. April. ut Inſcriptiones teſtantur. (*l*) *Gryfios* quoque uno alterove anno oſtenderunt VIII. Kal. Maji. Leontica, Coracica atque Gryſiaca in memoriam mihi revocant ea, quæ Baſiliæ, operam Muſis quum darem, conſpexi. Annua ibi, Bacchanaliorum tempore, militaris ceremonia eſt, qua pueri & adoleſcentes per præcipuas urbis regiones armati, & in centurias, manipulos, cohortes diſtributi, procedunt, eorundem animalium comitati ſimulacris; leone nimirum, corvo & grypho. Ex Mithriacis ſacris reliquias, in militarem uſum converſas, eſſe crederes. Mithræ cultum, apud Perſas civilem tantum fuiſſe, ſed apud Græcos atque Romanos in idololatricum abiiſſe, conjicit HYDEUS. (*m*) Ex Mithriacis ſymbolis nonnulla in Perſepolis antiquæ ruinis adhuc ſupereſſe videntur, à CHARDINO, (*n*) BRUNIOQUE (*o*) viſa atque expreſſa iconibus. Neque tandem transeundum ſilentio eſt, ſolis cultum Romæ pridem locum habuiſſe, antequam ibi innoteſceret Mithra; cum hoc autem ſuperſtitioſiora longe ejusdem numinis introducta ſunt ſacra. Bipontinum noſtrum Mithriacæ religionis Monumentum tanto majoris pretii eſt, quod Tabulas, ſacra hæc exprimentes, multi dederunt, Cellæ autem ſive Spelæi Mitbriaci formam nullus expreſſit. Reliquias ejus quis in Vogeſo quæſiſſet? Sic Mithræ religio, in Perſide nata, ex Perſide Romam, Romaque in Galliam Belgicam, atque ſpeciatim ad Mediomatricos quoque noſtros transivit; quod ſeculo III. factum eſſe veriſimile eſt, quo Mithriacus cultus in Imperio Romano invaleſcere cœperat.

CAPUT X.

TEMPLUM OTHMARSHEMIANUM.

§. CXXV.

Templum Othmarsheimenſe.

TEmplorum Romanorum rudera in veteri Rauracorum Auguſta, in Vogeſiano monte Dononis jam vidimus, in Dagisburgenſibus Monumentis Mercurialis Sacelli reliquias videbimus, at integrum ævi Romani Templum Alſatia Sequanica ſervat hodiedum. (*p*) Othmarsheimenſe intelligo, cui ſeculo XI. Monaſterium adſtructum eſt, quod Nobiles Canoniſſæ noſtris temporibus occupant, quodque ex tanto Fanorum, Delubrorum, Aedium, Sacrariorum, Ædicularum, Sacellorum, (*q*) quæ in Alſatia olim fuerant, numero, tot incurſionibus hoſtium, tot ſeculorum injuriæ ſolum reſtitit, manſitque ſuperſtes. Tam nobile Antiquitatis Monumentum, ut diſtinctius exponerem, Orthographiam ejus ſive interſectionem, interioremve conſpectum, ut & Ichnographiam, cum menſuris & dimenſionibus, Tabula XI. Lectori proponit. *Tab. XI. num. 1. 2.*

In

(*i*) PHILIPPUS à TURRE pag. 245. ſqq.

(*l*) Apud GRUTER. pag. 303. & 1087.

(*m*) *De Relig. Perſ.* Cap. IV. pag. III.


(*n*) *Voyage du Chevalier Chardin en Perſe*, Tom. IX.

(*o*) CORNEILLE LE BRUN *Voyages* Tom. IV.

(*p*) OSEAS SCHADÆUS *Deſcript. ſummi Argentorat. Templi* Cap. II. pag. 5. Alſatiæ Inferiori Romanis temporibus quatuor illuſtria Templa aſſignat; incerta, imo ex parte falſa, veteri licet traditioni innixus: Elenſe prope Benfeldam, Ebersheimenſe illud fabuloſum, de quo ſuperius, Argentoratenſe, atque Domum Petri, prope Molshemium.

(*q*) Templum, Fanum, Delubrum, Ædes, differebant quidem primitus, ſed uſu Scriptorum commutantur plerumque. Uti ab *Ædes* ædiculæ, à *Sacrario* ſacella, ita à *Fano* fanula, orta ſunt diminutiva, quæ Feſtus *Hannula* vocat. Adi SCHURZFLEISCHIUM in *Diſſert. de Templorum Antiquitatibus*, quæ LIII. inter ejus Diſſertationes eſt.

TEMPLI OTHMARSHEMIANI ORTHOGRAPHIA.



MONUM.

In Templo hoc, ad quod nullis gradibus aſcendebatur, (r) primum occurrit Pronaus (s) ſive veſtibulum, A; quæ pars anterior, decem pedes longitudinis, totidem latitudinis habens, ita diſpoſita eſt, ut porta B occidentem (t) reſpiciat. In utroque latere latent ſcalæ, vix II. pedes latæ, per quas in ſuperioris Templi partes aſcenditur. (u) Partes Templi. Num. 2.

§. CXXVI.

Veſtibulum excipit Templum ipſum, cujus figura refert Octogonum regulare, (x) firmo atque ſolido conſtructum muro, IV. pedes craſſo, atque ex duriſſimis rubri coloris lapidibus, quadriformibus, tenaciſſimaque arenata calce junctis, compoſito. Ædificium neque pilis, neque columnis internis externiſve, (y) ſuſtentatum eſt. Circuitus exterior CXCII. pedes conficit. Singula latera XXIV. pedes adæquant, quorum laterum ſeptem totidem ſceeltris inſerviiſſe putarem. Ex his tres tantum hodie ſuperſunt, reliquis quum in portam Templi minorem, tum etiam in aditus ſacellorum, quorum tria nunc ad orientem numerantur, converſis. Octavum latus quod occidentale eſt, portæ C locum præbet. Diameter Octogoni ad LXIII. fere pedes excurrit. Octogonum.

Majori huic Octogono aliud inſertum eſt octogonum minus D, quod etiam regulare, atque ab altero X. fere pedes diſtat; quæ ipſa veſtibuli quoque dimenſio fuit. Singula hujus latera aperta ſunt, & in fornicem exſtructa; muro in angulis tam fornices laterum, quam ſpatii, inter duo octogona comprehenſi, concamerationem ſuſtentante, firmata. In duorum Octogonorum interſtitio Ara poſita fuiſſe videtur: Interior pars.

Ss s pars

(r) Templa illuſtriora ita plerumque comparata erant, ut ad illa gradibus nonnullis in porticum, veſtibulum, vel pronaum aſcenderetur, quod in Othmarshemiano locum non habuit.

(s) Im VITRUVIO Lib. III. Cap. III. & Lib. IV. Cap. IV. pars hæc Templorum dicitur, quæ Græcis πρόναος, pro-templum, item πρόδομος. Apud Græcos, Romanos, Judæos atque Chriſtianos, tres templorum partes cenſebantur: Πρόδομος veſtibulum, ſive Propylæum, Porticus, dein templi medium, Cella denique ſanctior, quam Ὀπισθόδομος & Ἄδυτον, ſive Penetrale, POLLUX Onomaſt. Lib. I. Cap. I. num. 8. appellat. Scholiaſtes vetus ad Oedipum SOPHOCLIS & PHAVORINUS in Lexico, πρόναος, veſtibulum, inde βωμὸν, Aram, ubi ſacrificabatur, denique τέμενος, ſacrarium, penetrale, adytum, ubi Dei ſimulacrum, tres templi partes conſtituerunt. Vide POTTERUM Archæologia Græca Lib. II. Cap. II. pag. 201. edit. Theſ. Gronov. Τέμενος tracto temporis ſynecdochice, uti ſacrarium, pro toto templo ſumtum eſt.

(t) In Romanorum veterum templis plerumque nonniſi unica porta, & quidem verſus occaſum. VITRUVIUS vult, ut ſignum, vel imago, Dei Deæve, in Cella collocatum, ad veſpertinam cœli regionem ſpectet, ut qui adierint, ſacrificia vel vota ad Aram facturi, orientem reſpiciant, atque adeo Deus, cui ſupplicatur, ſupplicantes & ſacrificantes contueri credatur. VITRUVIUS Lib. IV. Cap. V. Conſentit HYGINUS, Auguſti Libertus, de Limitibus conſtituendis pag. 153. edit. Goes. licet videatur contrarius. Porta templi hinc ad occidentem directa, ut eam intrantes ſimulacrum Dei, ſolemque ſimul orientem, ſibi adverſum haberent. Gentiles quod hoc fecerint, CLEMENS ALEXANDR. Strom. Lib. VII. pag. 724. teſtatur. TERTULLIANUS in Apologetico ait: „ Plerique „ veſtrum in affectatione aliquando & cœleſtia ado- „ randi ad ſolis ortum labra vibratis. „ Adde VIRGILIUM de Ænea Lib. VIII. vers. 68. & Lib. XII. vers. 172. APULEJUM de Ægyptio Vate Metamorphos. Lib. II. ubi: „ Tunc orientem obverſus & in- „ crementa ſolis Auguſti tacite imprecatus. „ Eundem morem apud Chriſtianos obtinuiſſe, Auctor Apoſtolicarum Conſtitut. Lib. II. Cap. LXI. teſtatur. „ Eccleſia, ait, ſit ad orientem converſa. „ TERTULLIANUS Apologet. Cap. XVI. „ Inde ſuſpicio, „ quod innotuerit, nos ad orientia regionem orare. „ Unde etiam ſanctuaria Chriſtianorum, ſancta ſanctorum, presbyteria, hodie Chori, (MACRI Hierolexicon pag. 148.) ad ortum erant converſa. Ad ortum æquinoctialem converti vult DURANDUS Rational. Divinor. Officior. Lib. I. fol. 2. WALAFRIDUS STRABO de Officiis ac Ritibus Eccleſiæ Cap. IV. hæc non refert ſatis exacte. Idem etiam antiquitatum Orientalium Magiſtri, ut GOARUS ad Euchologium Græcorum; imo & rerum ſeptentrionalium Scriptores obſervant, ut TROGILLUS ARNKIEL de Cimbr. Relig. Cap. XXX. Vid. CASP. CALVÖR Ritual. Eccleſiaſt. Part. II. Sect. I. Cap. IV. & Sect. IV. Cap. II. pag. 549.

(u) Similes plane ſcalas latentes, muroque inſertas, quæ à veſtibulo utrinque ad ſuperiora ducunt, in Montis-Morillonis Templo veteri Romano octoguno apud Pictavos, de quo mox dicendi locus, obſervo. MONTFAUCON Antiq. Supplem. Tom. II. Tab. LVIII.

(x) Pleraque Templa erant aut perfecte quadrata, aut formæ rectangularis, uti Nemauſenſe Templum, quod fere integrum extat: multa rotunda, ut Pantheum, ædes Minervæ Medicæ, parvaque ad Tiberim S. Stephani ædes, & inſigne illud Veſtæ Templum in Foro Romano. Ovatæ formæ deſcriptionem ædis reliquit FLAMINIUS VACCA, editus à MONTFALCONIO in Diario Italico, pag. 222. Alia formæ ſunt ex pluribus mixtæ. Noſtrum octangulare, proximumque rotundo. Septem alia ejusdem formæ reperiuntur per Galliam, quorum pleraque certa adhuc Periodi Romanæ documenta ſervarunt. Inter octogona hæc Templa I. Montis-Murillonis apud Pictavos eſt, ſpectabiliſſimum omnium: II. apud Curioſolitas prope Dinantium in Aremoricis: III. in loco Erqui, Brioceníis Diœceſis: IV. Augurandæ apud Biturigas: V. apud Lemovices in ſuburbio Felletini oppidi ejusdem Provinciæ Marchiæ. MONTFAUCON Antiq. Supplem. Tom. II. Lib. VIII. Cap. II. His ergo Othmarshemenſe noſtrum, numero octavum, accedit, quod cæteris omnibus ſane incorruptius eſt. In tranſitu annoto, Steſichori, Poetæ Lyrici, ſepulcrum olim quoque octangulare ante urbis Catanæ portam, quæ Steſichoria dicta, ſtetiſſe. Ajunt octo Columnas, octo gradus, octo angulos habuiſſe; unde Proverbium Ἀπαντα ὀκτώ, Omnia octo, quum rei alicui nihil deeſſe ſignificamus. ERASMI Adagia pag. 572. ZUINGERI Theatrum Humanæ Vitæ, Volum. II. Lib. VII. pag. 576. De Turribus octangularibus, ut Matinionenſi, Nemauſenſi, in monte urbi vicino, vulgo Tourre-Magne; de Pharo Bononienſi aliisque in Gallia, nihil heic addo. De Nemauſenſi vide DEIRON Antiquité de la Ville de Nimes, Cap. IX. & ASTRUC Memoires pour l'Hiſtoire Naturelle de la Province de Languedoc Part. III. Cap. II. pag. 440.

(y) Templa ſunt vel in antis, quas hodie vocant Pilaſtros, vel proſtyla, vel amphiproſtyla, vel periptera, vel diptera, vel hypæthra; ad nullam ex claſſibus his noſtrum poteſt referri, quod nullas ad latera habet columnas: in illuſtrioribus enim templis hic uſus modo obtinuit.

MONUM.

pars enim templi, quæ veſtibulum excepit, à Græcis fuit dicta *βωμὸς*, *Ara*, uti paulo ſupra annotavi. Interioris octogoni circuitus CXII. pedes, latera ſingula XIV. ped. diameter XXXVI. ped. & area DCCCXCVI. pedes quadratos continet. In areæ medio ſtatua Numinis, cui templum conſecratum erat, collocari ſolebat: locus hinc adytum, penetrale vel ſacrarium appellatus. (z)

§. CXXVII.

Concamerationes. *Num.* 2. Cæteras Templi noſtri partes Orthographia plenius exponit. Apparet hinc duas circa penetrale vel adytum ſtare concamerationes; inferiorem nempe *E* XIV. pedes altam, atque ſuperiorem *F*, quæ ad altitudinem XXII. pedum aſſurgit. Utrique lucem afferunt ſeptem feneſtræ, in medio laterum exterioris octogoni poſitæ, ex quibus ſuperiores inferioribus multo majores ſunt.

Altitudo templi. Sed jam penetrale ipſum, ſive interius octogonum, diſtinctius examinandum eſt. Altitudinem ejus, quæ LXIII. pedum, adeoque octogoni exterioris diametro æqualis, in tres partes dividimus. Harum infimæ *G* inferior concameratio ita annexa eſt, ut ex una in alteram plano itinere tranſire liceat, quod octogoni minoris latera aperta ſunt, & in fornicem facta. Pars media *H*, octo fornicibus inſtructa, qui ſinguli aliis inferioribus ſingulis, ſecundum Architectonicas leges, ſuperimpoſiti ſunt.

Columnæ. Quilibet fornix quatuor columnis, duabus nempe majoribus, totidemque minoribus, quas majores ſuſtentant, ſuſtentatus eſt; id quod Architecturæ Romanæ veteri parum con-

Num. 3. forme. Hujuſmodi fornicem num. III. exhibemus ſeparatim. Columnæ, quarum numerus ad XXXII. excurrit, ex uno Lapide, ſi baſin & capitulum excipias, ſculptæ, ſtylobata carent & trabeatione. Baſis membra refert, plintho, toro, vel etiam trochilo ſimilia. Capitulum rudi minerva factum; ſcapus infra ſupraque paulula contractior eſt. Diameter ima Columnæ unum pedem, media I. pedem II. poll. & ſumma XI. poll. capit. Columnarum minorum eadem fere, quæ majorum, craſſities eſt: totius autem columnæ majoris altitudo XI. pedibus II. poll. æqualis. Figuram Columnæ vide

Num. 4. num. IV. Intercolumnia (a) noſtra picnoſtyla ſunt, hoc eſt, intervallum unius & dimidiæ diametri columnæ ſervant, præter id quod orientem verſus poſitum, quodque reliquis IV. pollices latius eſt.

§. CXXVIII.

Tholus. Tertia pars interioris Octogoni, ſive tholus & camera, *K*, in hæmiſphærium definit. Hæc ſeptem feneſtellis (b) inſtructa, quæ in octogoni, ſupra exterius octogonum exſurgentis, laterum, nondum arcuatorum, medio inſertæ. Ceterum tres iſtæ Templi partes ita porro conſtitutæ ſunt, ut ſuprema plus altitudinis, quam media, hæc iterum plus altitudinis, quam infima habeat. Infima caret columnis, media duplici columnarum ſerie inſtructa eſt; tertia fornicem abſolvit. Orthographiæ non adjecimus tectum, quod, uti etiam pavimentum, poſteriore demum ævo additum eſt.

Ædificium Romanum. Omnis ergo Templi hujus ſtructura, diſtributio, arcuum & feneſtrarum diſpoſitio, totiusque operis firmitas, haud levia periti Architecti, ex Romano Alſatiæ ævo, indicia produnt. Gothica, quam vocant, Architectura, quæ Romanæ ſucceſſit, Columnis ſuis formam, quantum novimus, cylindricam dedit, ut in Templis atque Baſilicis, ſub Francica Periodo apud Gallos atque Germanos exſtructis, obſervamus plerumque. Noſtræ autem Othmarsheimenſes Columnæ, non cylindricæ, ſed, quod Romanis uſitatum, in inferiore parte inflatæ atque craſſiores ſunt omnes; uti dimenſiones earum ſupra enarratæ oſtendunt; reliqua columnæ reliquis ædificii partibus earumque arti haudquaquam reſpondent; ita ut dubitaremus, an Columnæ ejusdem cum reliquo ædificio reputandæ ætatis, & non medio demum ævo, quum cœnobium exſtrueretur atque Templum hoc repararetur, inſertæ fornicibus ſint: unde in Othographia ab ædificii

(z) Deorum imagines in medio Templo poſitæ, undique obſepiebantur cancellis, qui locus, ob cauſæ ſimilitudinem, dictus eſt Σηκὸς; temporis progreſſu templum ipſum deſignans. AMMONIUS *περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων*, *de Adfinium vocabulorum differentia* pag. 128. HESYCHIO & SUIDÆ eſt *ἐνδότατος τόπος τοῦ ναοῦ*, *interior templi locus*. Statuam Numinis verſus occaſum ſpectaſſe, in ſuperioribus annotavi.

(a) Intercolumnia apud veteres Architectos varia:

Picnoſtyla, in quibus diſtantia ſcaporum eſt	- - -	$1\frac{1}{2}$. diametri columnæ.
Syſtyla, ubi	- -	2.
Euſtyla, ubi	- -	$2\frac{1}{4}$.
Diaſtyla, ubi	- -	3.
Aræoſtyla, ubi	- -	3. diametros col. excedit.

(b) Montis-Morillonis Templum Rom. ſupra memoratum, uti ſcalam, Templo noſtro ſimilem, ita feneſtellas quoque ſimiles octo habuit. MONTFAUCON, *Supplem. Antiquit.* Tom. II. Tab. LVIII.

ædificii corpore columnas ſeparavimus. Templi noſtri ad ævum Romanum referendi, haud leve fundamentum forma ejus octangularis eſt, quæ paſſim in Gallia, ſub Romanis, obtinuit; uti ſeptem alia ſimilis ſtructuræ templa, ſuperius recenſita, oſtendunt; in quibus anaglypha, inſcriptiones, ſtatuæ, aliique Romanæ Architecturæ indubii teſtes, viſuntur. Quodſi autem in ipſa hac Romana Periodo Templi Othmarshemiani tempus definiri quis vellet, ad ſeculi IV. finem, adeoque ad tempus, Gothico ævo propinquum, exſtructionem ejus detrudere non dubito.

§. CXXIX.

Martem in Templo hoc cultum fuiſſe vetus traditio, quam debili fundamento niti docuimus. (c) Vitruvius (d) vult, Martis templa extra mœnia dedicari debere, ne *armigera inter cives diſſenſio* oriatur, utque urbs à periculo belli ſervetur. Non obſtitit tamen, quin Romæ Marti Templa non minus intra urbem ponerentur, quam extra. Oppidum olim eo in loco extitiſſe, ubi jam Othmarshemium conſidet, mihi compertum non eſt. Rudolphus Comes, Werneri Epiſcopi Argentorat. frater, quom ſeculi XI. initio, Othmarsheimenſe Monaſterium inſtituiſſet, veteri huic, quod repererat, templo Parthenonem adſtruxit. An Marti conſecratum?

CAPUT XI.

SEPULCRA ARGENTORATENSIA.

§. CXXX.

Diis Templisque ſepulcra ſubjungimus, quæ Deorum Manium dicata tutelæ; Sepulcra Romana.
omnibus gentibus religioſa, nulli religioſiora, & ſumptuoſiora Romanis, Pyramides Ægypti, Aſiæ Mauſolea, Græcorum Hypogæa, fere æquare conantibus. Inter varias ſepulcrorum ſpecies, apud Romanos uſitatas, frequentes præſertim erant Cameræ, arcuato opere, fornicibus, apſidibus, pavimentis, picturis inſtructæ, (e) ſubinde in cellas diviſæ, in quas per aliquot gradus (f) deſcendebatur: ibi unus vel plures ponebantur ſarcophagi, quibus inditæ ollæ minores. Pleræque tamen ollæ parietibus inſertæ, quæ oſſa, poſt combuſtionem reſidua, oſſilegioque facto condita continuerunt. Ollarum ſeries ſpeciem *Columbarii* exhibuit; quod nomen Cryptis his ab antiquo jam inditum. (g) In via Appia An. MDCCXXVI. detecta eſt libertorum, ſervorum, ut & libertarum Liviæ Auguſtæ Camera, à Francisco Blanchino (h) & Ant. Francisco Gorio (i) erudite deſcripta, quam non ſemel Romæ inſpexi.

Romani moris ergo quum fuerit, omnium ordinum militibus & civibus, libertis, mulieribus, pueris imo & vernis, erigere titulos, ſæpe miratus ſum, in Alſatia noſtra, quæ totis fere ſeculis quinque Romano fuit ſubjecta Imperio, ex omni illa copia tam paucos noſtra ſupereſſe ætate. Argentorati veteris tractus præ aliis multa hujus generis Monumenta producere debuerat. Poſtquam autem Chronicos libros omnes, quos Cives noſtri nuperis ſeculis exarare ſoliti ſunt, excuſſiſſem, in omni hoc poſteriorum ſeculorum decurſu, nonniſi quatuor ſepulcra Romana, notatu digna, extra urbem reperta fuiſſe intellexi; quibus aliud denique, noſtra ætate in ipſa urbe detectum, acceſſit.

(c) Periodi Celt. §. LXXX. pag. 74.
(d) Lib. II. Cap. VII.
(e) Tale Naſoniorum in Via Flaminia ſepulcrum, de quo Santes Bartolus plura nos docet in Libro: *Pitture Antiche delle Grotte di Roma è del ſepolcro de Naſoni*, Romæ 1706. fol.
(f) Petronius Arbiter: de Matrona Epheſina ſcribens, Cap. LXXI. ait: *Deſcendis in conditorium*, ad mariti cadaver.
(g) Columbarium proprie locus eſt, ubi Columbarum par habitat. Multa autem Columbaria *Periſtereona* efficiunt. Varro de *Re Ruſt.* Lib. III. Cap. VII.
(h) *Camera ed Inſcrizioni ſepulcrali de Liberti della Caſa di Auguſto, in Roma*, 1727. fol.
(i) *Monumentum ſive Columbarium Libertorum & Servorum Liviæ* &c. pag. 49. Edit. Venetæ.

§. CXXXI.

Sepulcra Argentoratenſia.

Ex paucis illis Romanorum ſepulcris primum, quantum equidem novi, An. MDLXVIII. extra portam, cui à *Turre Alba* nomen, (*k*) detectum eſt, LICINIO MAXIMO inſcriptum. Aliud extra eandem portam ſepulcrum An. MDCIII. protractum in lucem, quod ex tegulis literatis conſtructum, cujus delineationem, ab Architecto civitatis tum temporis factam, in manibus teneo, quam Tabulæ XII. num. 1. exprimit. (*Tab. XII. num. 1.*) Prope eandem denique portam An. MDCXXVII. prodiit ſepulcrum, ſarcophagis, urnis, vaſisque variis inſtructum, nulla addita Inſcriptione. Sed & ante Portam, Noſodochio Civitatis vicinam, (*l*) excitandorum munimentorum cauſa quum terra effoderetur, An. MDCLXIII. aliud teſtaceum ſepulcrum retectum eſt, quod Jo. Jac. Arharti, Civitatis Architecti, manu deſignatum BEBELIUS (*m*) edidit, quodque Tabula XII. noſtra num. 3. ſiſtit. (*num. 3.*) In utroque hoc ſepulcro jacuit cadaver, cujus caput ad ſeptentrionem reſpexit; quod & in Spirenſibus atque Wormatienſibus, de quibus deinceps agetur, obſervatum Monumentis. Noſtris temporibus An. MDCCXX. intra Argentorati hodiernæ, ſed extra veteris muros, fundamenta ædificii, prope aream Templi Prædicatorum, quum jacerentur, tertium ejusdem generis formæque ſepulcrum prodiit, quod in *Commentariis Regiæ Inſcriptionum Academiæ* deſcriptum, delineatumque dedi, (*n*) Tabulæque noſtræ XII. num. 2. exhibet. (*num. 2.*) Ex his quinque ſepulcris tria fuere teſtacea, ex lateribus tam affabre ſtructa, ut ſarcophagi vices præſtarent: cætera duo autem lapideos continuerunt ſarcophagos, qui varia quoque vaſa figulina & vitrea, diverſæ formæ, continuerunt. Sepulcra hæc commentario brevi illuſtraturus, à Liciniano initium facio.

§. CXXXII.

Licinianum Sepulcrum.

In Kœnigshovienſi extra muros Argentoratenſes diſtrictu, haud procul à S. Galli Polyandrio, quum menſe Aprili dicti jam anni MDLXVIII. novo urbis munimento prope portam *Albæ Turris* excitando, terra octo circiter pedes effoderetur, inciderunt foſſores in ſepulcretum aliquod viginti ſarcophagorum lapideorum; in quibus multa vaſcula, lagenulæ vitreæ, argillaceæ; vaſa vitrea quædam aquam continebant. Junctæ illis patinæ, pateræque & urnæ lapideæ, in quibus cadaverum combuſtorum cineres. Extra ſarcophagos aliæ quoque urnæ cinerariæ, ſed teſtaceæ, jacebant numero circiter centum. Inter Sarcophagos præſertim memorabilis fuit Licinianus; in quo duæ repertæ ſunt urnæ, impletæ cineribus, capita bina ex lapide facta, pateræ duæ ex terra rubra, duo item vitrea vaſcula, aquæ limpidæ plena, cui pauxillum olei ſupernatabat; duæ denique lampades fictiles. Sarcophago adjacebat Tabula, ex parte truncata, cui Titulus inſculptus, quem ex Codice Mſ. Bibliothecæ Illuſtriſſimi KLINGLINI, Conſiliarii Status & Prætoris Regii Argentoratenſis, profero:

L. LICINIVS. L. F.
CLAVD. MAXIM
VS. AEQVO
F. C V.

L. Licinius L. F. Claudia Tribu *Maximus Æquo* oppido ortus *fieri* vel *faciendum curavit.* OSEAS SCHADÆUS in *Chronico* ſuo *Maximo* Mſc. quod in publico Argentoratenſi Tabulario extat, Inſcriptionem hanc dedit corruptam & ex Licinii nomine concluſit, Licinium, Conſtantii Aug. (fratrem Conſtantini M. haud dubie intelligit,) ex ſorore nepotem, in prœlio Juliani, cum Alemannis ad Argentoratum habito, cæſum atque hoc in loco fuiſſe ſepultum.

Illuſtris & pervetuſta Gens *Licinia* Romæ fuit plebeja, quæ Murænas, Craſſos, Lucullos, Romanorum ditiſſimos, aliosque præclaros in Republica omnis generis viros produxit. Licinius quidam, origine Gallus, ab Auguſto Galliæ præpoſitus, avare eam adminiſtravit. (*o*) Licinius Licinianus B. F. Coſ. (Beneficiarius Conſulis) inter Moguntina; Licinius, Ojoſi filius, Helvetius, inter Vangionum Monumenta (*p*) occurrunt. Q. Licinius Trio Argentouarienſem Aram, uti vidimus, dicavit Apollini. Noſter L. Licinius, ex Maximorum familia, L. Licinii filius fuit.

§. CXXXIII.

(*k*) Vernacule *zum weiſſen Thurn.*


(*l*) Vulgo *Spithal-Thor.*

(*m*) *Antiquitatum Germaniæ primæ* pag. 91.

(*n*) *Memoires de l'Acad. Royale des Inſcriptions,* Tom. X. pag. 457.

(*o*) Dio Lib. LIV.

(*p*) Apud HUTTICHIUM A. IV. SCHANNAT *Hiſtor. Wormat.* pag. 2. Tab. I.


SEPVLCRA ROMANO-ARGENTORATENSIA.
N. I.
II.
LEG VIII AVG
LEG.VIII AG
III.

§. CXXXIII.

Schadæi ſententia refutata.

Patet hinc, quam parum veriſimilitudinis habeat conjectura Schadæi, qui ex Licinii nomine præcipitanter concluſit, Licinium, de cujus ſepulcro agimus, illum ipſum juniorem eſſe, qui avunculi Conſtantini M. juſſu occiſus eſt Cæſar. Habuit nimirum Conſtantinus M. Conſtantium & Hanniballianum fratres, ſororemque Conſtantiam, C. Valerio Liciniano Licinio, Auguſto, nuptam; quem aſperum hominem, avaritiæ & libidini deditum, Chriſtianis infenſum & nova molientem, anno ætatis LX. Imperii XV. Theſſalonicæ cum Martiniano, idem Conſtantinus M. interfici juſſit, anno Chr. CCCXXIV. ſecundum alios CCCXXV. (*q*) Licinius Junior, filius hujus, à Patre & Conſtantino M. avunculo An. CCCXVII. Cæſar factus, egregius juvenis, cum Criſpo Cæſare anno Chr. CCCXXVI. datus eſt neci. (*r*) Sola hæc Chronologia erroris convincere poteſt Schadæum. Prœlium enim Juliani ad Argentoratum nonniſi An. CCCLVII. adeoque ultra XXX. annos poſt Licinii utriusque necem fuit commiſſum; nec Ammianus, prœlium hoc fuſe & vel Tribunos in acie hac interfectos enarrans, ullius Licinii facit mentionem. Adde, quod Liciniorum horum neuter *Lucii* prænomen, neuter *Maximi* tulerit cognomen; Pater enim *Cajus*, filius appellatus eſt *Flavius*.

Licinii plures.

In magno Marmorum, quæ multifarios nobis Licinios produnt, numero, ſolum L. Licinium Maximum, qui omnia nomina cum noſtro communia habet, in Monumento Ravennatenſi apud GRUTERUM (*s*) reperio, qui *Claſſis Prætoriæ Ravennatis* appellatur *Tribunus*, & quidem *Delmata*, vel Dalmata, *natione*. Popularis hic fuiſſe videtur noſtri *Licinii*, quippe qui & ipſe Dalmata fuit: Æquum enim oppidum in Dalmatia mediterranea ſitum eſt; cujus in Antonini Itinerario mentio. In neutra harum Inſcriptionum invenire quid licet, quod ad poſiti monumenti tempus divinandum nos ducat. Poſt ſeculum tertium tamen haud conditum dicerem; quod mos exurendi cadavera, cujus olla cineraria teſtis eſt, ſeculo III. in deſuetudinem abiit. (*t*) Ita duplex illa Schadæana hypotheſis concidit omnis, qua ille & Licinii Cæſaris ſepulcrum, & cum eo pugnæ Alemannicæ Argentoratenſis locum, reperiſſe ſe credidit. Circumſtantiæ rerum, ex AMMIANO à nobis ſuperius (*u*) allatæ, prœlium non in portæ Albæ partibus commiſſum fuiſſe declarant. Hæc de Inſcriptione Liciniani ſepulcri; nunc ad reliqua progredior.

§. CXXXIV.

Vaſcula in ſepulcris reperta.

Vaſcula varia, quæ extra & intra Sarcophagos ponebantur, quod attinet, multis ea Eruditorum conjecturis occaſionem dederunt. Oſſa poſt combuſtionem vino & lacte perfundebantur, aromatibus & odoribus commiſta reponebantur. TIBULLUS (*x*) id ſatis indicat, ubi canit:

" - - in marmorea ponere ſicca domo.
„ Illic quas mittit dives Panchaia merces
„ Eoique Arabes, dives & Aſſyria.
„ Et noſtri memores lacrymæ mittantur eodem.
„ Sic ego componi verſus in oſſa velim.

Vaſcula hæc unguentaria ergo cum mortuis condita fuiſſe videntur, ut eundem cultum atque munditiem ſecum ad inferos ferrent, quem vivi habuerant; vel etiam, ut Manes, quos voraces crediderant, placarent. His nimirum mortuus ut nutrimenti quid afferret, variis lagenis & phiolis aquam, (*y*) lac, vinum, mulſum, oleum, opobalſamum, mel & unguenta immiſerunt, atque cum lucernis fictilibus (*z*) in ſepulcro repoſuerunt. (*a*) Aquam tamen, quæ in lagenis & phiolis identidem reperitur, non ab ipſo ſepulturæ tempore ſupereſſe, ſed pluviis vel inundationibus denuo acceſſiſſe, atque lagenis ſe infudiſſe, veriſimile eſt. (*b*) *Patellarii* hinc appellati Manes à PLAUTO, (*c*) quod delecta-

(*q*) SOCRAT. *Hiſt. Eccleſ.* Lib. I. EUTROP. Lib. X. EUSEB. in *Chron.* CEDRENUS in *Annalibus*.
(*r*) IDATIUS in *Faſtis*.
(*s*) *Inſcript.* pag. 1109. num. 6.
(*t*) MACROBIUS, qui Theodoſio Jun. Imperante adeoque ſeculi V. initio vixit, *Saturnal.* Lib. VII. Cap. VII. ſcribit: *Urendi corpora defunctorum uſus noſtro ſeculo nullus.*
(*u*) In Annalibus ad An. CCCLVII.
(*x*) Lib. III. Eleg. II.
(*y*) Aqua, Inferis lata, *Arferial*, vel *Arferia Aqua* dicebatur, uti ex FESTO, HESICHIO & SUIDA addiſcimus. Vide MEURSIUM *de Funere* Cap. IV.
(*z*) Lampadum fictilium uſus multiplex fuit. Saturnaliorum enim tempore fictiles quoque amicis lucernas mittere ſolebant Romani. FABRETTUS *Inſcript.* pag. 500.
(*a*) JOSEPHUS LAURENTIUS *de Funeribus Antiquorum*, Cap. VI.
(*b*) Lagenam talem vitream, majore ſui parte liquore ſalſuginoſo plenam, deſcribit SMETIUS *Antiquitat. Neomagens.* pag. 117.
(*c*) *Ciſtell.* II. 1, 46. *Dii me omnes magni minutique & patellarii.*

rentur *patellis*. Nec ratio hæc alteram excludit, quæ Deos minutos ita vocari conjicit, quod majoribus Diis non patellis ſacrificaretur, ſed pateris. VARRO apud NONIUM MARCELLUM (*d*) ſcripſit: "Oportet bonum civem legibus parere & Deos colere, in „ patellam dare μικρὸν κρέας, paululum carnis. „ Quotannis Februario menſe, qui ultimus anni olim fuit, Feralia & Parentalia ſua celebraverunt Romani, quibus mortuorum gratia epulas, quas vocabant inferias, prope ſepulcra eorum celebrarunt. Proviſum eſt enim, ut ex his etiam Manes ſuam partem acciperent. (*e*)

Lapides ſepulcrales ſæpe *Aræ* vocantur, vel quod Aris ſimiles, vel quod Ararum loco habiti, in quas libationes pro defunctis, Manium placandorum cauſa, effundebantur. Urnæ hinc ſuperius perforatæ, iisdem libationibus recipiendis, exortæ ſunt; quarum unam mecum attuli Roma, quam in Monumentorum Alſaticorum Appendice damus Capite XX.

§. CXXXV.

Sanguis. De liquoribus, quibus Manes delectarentur, locutus, nihil de ſanguine dixi; hoc tamen delectatos quoque Manes, nemo negaverit, quum captivos ſuper fortium virorum ſepulcra necari moris fuerit, uti SERVIUS (*f*) annotat: addens, poſtquam crudele hoc viſum, placuiſſe, gladiatores ante ſepulcra dimicare, qui buſtuarii appellati. Unde munera gladiatoria pro inferiis inſtituta, quorum auctores Junius & Marcus Bruti, in memoriam patris, qui in bello contra Tarquinios periit. (*g*) Unde VIRGILIUS: (*h*) "Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte Sanguinis & ſacri pateras &c. „ Sed & ſanguis de animalibus ſumebatur: (*i*) JUL. CAPITOLINUS de M. Antonino Philoſopho ait, eum Magiſtris ſuis tantum honoris detuliſſe, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac ſepulcra eorum aditu, hoſtiis, floribus ſemper honoraret. Inter vaſcula ergo ſepulcralia fuiſſe, quæ ſanguinem continuerint, haud facile abnuerim.

Sed ad Licinianum redimus Monumentum. Schadæus illud delineavit, Chronicoque ſuo Mſ. non quale fuerat, ſed quale ingenio ſuo effinxerat, audacter inſeruit: Vir quidem haud indoctus, ſed antiquitatis non ſatis peritus; quod ex titulo quoque ſarcophagi facile patet, quem ille non fideliter expreſſit. Iconiſmi, ab eo producti, quum dubia ſit fides, oculis Lectoris ſubjiciendum non duxi. (*k*) Liciniano ſepulcro tria alia diverſæ plane ſtructuræ ſuccedunt; quæ ſi non pretio operis, ſua tamen ſe raritate commendant; ſimilia enim apud ſepulcralium rerum Scriptores me reperire
Tab. XII. non memini. Tabula duodecima noſtra ſiſtit ea conjunctim.

§. CXXXVI.

Conſtructio ſepulcrorum. Tria hæc ſepulcra ex lateribus ſive plinthis, craſſis atque majoribus, in priſmatis formam, juxta ſe poſitis, conſtructa fuerunt. Primum nonniſi ſex plinthis conſtabat; quarum dimenſiones Architectus non dedit. Lateres hos majoris, quam cæteros, de quibus loquemur, dimenſionis fuiſſe, neceſſe eſt, ut hominis ſolitæ ſtaturæ, quod
Tab. XII. mon. 1. integrum ibi jacuit, in eo reponeretur cadaver. Laterum parti ſupremæ, qua ſe invicem tangunt, impoſiti erant tres imbrices, ſive tegulæ cavæ; His, ut & ſex reliquis lateribus ſingulis, ſiglæ LEG. VIII. AVG. impreſſæ ſunt, atque adeo in uno hoc ſepulcro novies, in cæteris, ubi imbrices nulli ſunt, octies repetuntur. In primo tertioque ſepulcro jacuit humanum cadaver; in ſecundo autem cineraria cineritii coloris, decem

(*d*) NONIUS pag. 544. Edit. Mercer. LUCIANUS περὶ πένθους, *de Luctu*: "Aluntur umbræ noſtris libationibus inferiisque, quæ ſepulcris inferuntur: „ STATIUS *Sylvar.* Lib. III. vers. 112.
"Semper & Aſſyrios felix bibet urna liquores.

(*e*) OVIDIUS Lib. II. *Faſtor.* vers. 565. ſq.
"Nunc animæ tenues & corpora ſancta ſepulcris
„ Errant, nunc poſito paſcitur umbra cibo.
TERTULLIANUS, Lib. *de Teſtimonio Anim.* Cap. IV. "Vocas porro ſecuros, ſi quando extra portam cum „ obſoniis & matteis tibi potius parentans ad buſta „ recedis, aut à buſtis dilutior redis, & in convivio „ eorum quaſi præſentibus & circumcumbentibus „ ſortem ſuam exprobrare non poſſis, debes adulari, „ propter quod lætius vivis.

(*f*) *Commentar. ad Lib. X. Æneid.* pag. 601. Vide HENR. KIPPINGII *Antiquit. Rom.* Lib. IV. Cap. VI. num. 11. KIRCHMANNUS *de Funeribus Rom.* Lib. IV. Cap. II.

(*g*) LIVII *Epitome* Lib. XVI. VALERIUS MAX. Lib. IX. Cap. IV.

(*h*) *Æneid.* Lib. III. vers 66. ſq.

(*i*) VIRGILIUS *Æneid.* Lib. V. vers. 96.
Cædit quinas de more bidentes &c.

(*k*) Haud procul à ſepulcri, quod memoravimus, loco, prope foſſam urbis An. MDCXXVII. d. 10. Julii, ſimile ſepulcrum, ſed illiteratum, detectum eſt, quo ſarcophagus quoque lapideus, VIII. pedes longus, duos latus, octoque pedes in terra defoſſus, prodiit; hominis combuſti continens oſſa, cum phiola vitrea, in qua terræ aliquid & aquæ reſiduum, extra ſarcophagum vero vas itidem vitreum majus cum lagenula. Schedæ quædam fugientes hoc mihi indicant Monumentum; quod ſingulare præ reliquis quum contineat nihil, illud in nota obiter tangendum eſſe exiſtimavi, ne quid in hoc genere omiſiſſe viderer.

MONUM.

decem pollicum, olla repoſita fuit. (*l*) Legionariorum noſtrorum cadavera ergo non in ſarcophago aut arca jacuerunt, ſed in domuncula vel conditorio, ex lateribus tam arcte inter ſe junctis conſtructo, ut arcæ vicem præſtaret. Sarcophagi, operculum ſi excipias, ex uno marmore ſaxove fabricabantur, eisque, cadaverum exuſtione vigente, urna minor, oſſa ex combuſtione reſidua continens, abolita autem combuſtione, corpora tota includebantur.

§. CXXXVII.

Sarcophagi lateritii.

Lateritii quoque Sarcophagi, ejusdem cum lapideis formæ, ex una maſſa confecti, hodiedum, at exiguo numero, ſuperſunt. Talem nobis libertorum Liviæ Columbarium exhibet. (*m*) De his Plinius (*n*) ſcribit: " Quin & defunctos ſeſe multi fictilibus „ doliis condi maluere: „ ubi cum Blonoo & Dalecampio (*o*) *ſolia* ego legere noluerim. Fictilibus doliis, ſive urnis teſtaceis, ex opere doliari confectis, multos condi voluiſſe indicat Plinius. Sarcophagos majores intelligi, non dubitandum eſt. Oſſuariæ enim vel cinerariæ urnæ omnes ex doliari opere fuerunt confectæ. Eodem labore ſarcophagos lateritii operis totos atque continuos, integrum recepturos cadaver, quo maxima dolia lateritia coxerunt, quæ Romæ adhuc magno numero extant. (*p*) Pertinet huc Epiſtola Liberti ad Ælium Severum: *Cum corpora eorum fictili ſarcophago commendaverim.* Jacobus Gutherius (*q*) refert, ſuis temporibus Patavii coctilem urnam prodiiſſe, ſex verſibus inſcriptam, intra quam urnæ quatuor minores, verſibus quoque ornatæ, cum alia urnula & duabus ampullis, quarum una ex auro, altera ex argento, liquidiſſimi liquoris plenæ. Sarcophagi, Argentoratenſium noſtrorum more, ex tegulis juxta ſe poſitis conſtructi, minimæ licet impenſæ, rari tamen ſunt & vix alibi occurrunt.

Inſcriptio laterum.

Lateres ſinguli marginem habuerunt recurvum; longique fuerunt unum pedem & novem cum dimidio pollices; lati unum pedem, quatuor pollices, atque nonniſi unum pollicem craſſi. Siglæ LEG. VIII. AVG. illis impreſſæ, duplicis ſunt ſenſus capaces. Subaudiri enim poteſt vel *miles*, vel *opus*. Si prius, Epitaphium eſt militis, ibidem ſepulti: ſi poſterius, lateres hos Legionis VIII. opus eſſe dicendum, quod ex ſtationis ejus figulina prodierit. Gemmarum ſculpturis Græci & Latini artifices nomina quoque ſua caſu ſecundo inſculpere ſolebant, uti: ΣΟΛΩΝΟΣ, ΑΣΠΑΣΙΟΥ, ΤΛΛΟΥ, ΛΕΥΚΙΟΥ, ΜΥΚΩΝΟΣ, ΠΑΜΦΙΛΟΥ, ΠΕΡΓΑΜΟΥ, ΣΩΣΤΡΑΤΟΥ, ΤΕΥΚΡΟΥ, ΤΑΜΥΡΟΥ, ΑΕΤΙΩΝΟΣ, ΑΠΟΛΛΟΔΟΤΟΥ, ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ &c. quæ nomina ipſam effigiem, in gemma repræſentatam, deſignare credebantur: error, quem confutare cœpit Baudelotius; (*r*) nobiliſſimo autem opere, Vir ſummæ in Re Antiquaria doctrinæ, Illuſtr. Stoschius, (*s*) Amicus noſter, Romæ olim, nunc Florentiæ degens, demonſtravit copioſe. Subinde tamen in tegulis lateritiis nomen figuli, ſive officinæ fictiliariæ Magiſtri, primo caſu exprimitur, ut in latere, Rauracorum Auguſtæ haud ita pridem eruto, A. MASONIUS. Argentorati lucerna manubriata fictilis, quam Mnſeum noſtrum tenet, inventa, quamque Tab. VII. num. 5. & 6. exhibeo, ubi legitur: CASSI. (*t*) Artificum vaſorum fictilium, qui Arretii floruerunt, nomina Gorius (*u*) collegit.

Tab. VII. n. 5. & 6.

§. CXXXVIII.

Opus doliare.

Plinthi autem noſtræ *opus doliare*, *doliale* vel *figulinum* vocabantur, quod ex eadem, qua dolia vinaria, ſunt confectæ argilla. Collis Romæ, qui hodie *Monte-Teſtaceo*, veteribus *Dolioli* (*x*) nomine veniebat, quod ex fragmentis variorum operis figulini vaſorum eo congeſtis, in eam paulatim altitudinem excreverat. Teſtaceorum omnis generis vaſorum immenſus fere numerus ex Romana antiquitate ſupereſt: urnæ, ollæ, lampades, gutti, ſimpula; in quibus vel opificis, vel fabricæ, vel poſſeſſoris fabricæ, quin

(*l*) Vid. de his Gutherius *de Jure Manium*, Libro II. Cap. XXIV. pag. 338.

(*m*) Gorius ad *Columbarium* hoc pag. 6. Tab. XVII. Apud Gruterum *Inſcript.* pag. 903. num. 12. legitur: *Oſſa L. Bacchi L. F. Fictiliarii Sarcoph. hic poſita ſunt.*

(*n*) *Hiſt. Nat.* Lib. XXXV.

(*o*) Dalecampius ſepulcra à veteribus appellata quoque fuiſſe *ſolia*, ex Floro & Suetonio aſſerit; ſed nihil hic cogit, à recepta Codicum lectione recedere.

(*p*) In veteri Foro Claudii, hodie *Tolfa*, dolium tale triginta cadorum capax eſſe ajunt.

(*q*) *De jure Manium* Lib. II. Cap. XXXII. pag. 386.

(*r*) Peculiari Diſſertatione, quæ extat in *Memoires de l'Academie des Inſcriptions*, Tom III.

(*s*) *Gemmæ antiquæ cælatæ*, fol. Amſtelod. 1724.

(*t*) Divoduri Mediomatricorum fictiliarius talis fuit *Caſatus Caratius.* Meurisse *Hiſt. de Metz* pag. 12. ubi vas aliquod majus opificii ſui Caratius tenet manu ſiniſtra. Fictiliarius Gloſſis Græco-Latinis Ὀστρακοποιὸς dicitur.

(*u*) *Inſcription. Etruriæ* Tom. II. pag. 320. ſqq.

(*x*) Nardini *Roma Vetus* Lib. VII. 9. Borrichius *Ant. Urb.* Cap. XV. num. 4. *Deſcrizione di Roma Antica* pag. 233. François Desseine *l'Ancienne Rome* Tom. II. pag. 545.

quin & ſubinde Conſulum nomen, ſub quibus opus confectum, exprimitur. Ultra centum ejusmodi lateres, inſignitos Conſulatibus, ipſe contrectavi Romæ; quorum in emendandis Conſularibus Faſtis haud exiguus uſus. Inter lateres literatos, quibus ſigilla impreſſa, quosque mecum attuli Roma, unus eſt, in quo legitur:

OPVS. DOLIARE. EX. PRAEDIS.
AVGG. NN. FIG. C. TERTIT.

Opus doliare ex prædiis Auguſtorum noſtrorum figulo C. Tertitio. In alio:

OP. DOL. EX. PR. M. AVRELI
ANTONINI. AVG. N.

Opus doliare ex prædiis Marci Aureli Antonini Auguſti noſtri. In alio denique:

EX. PR. L. AELI. AVG. PII. F. OP.
DOLIAR. ARISTIO. SVCCESS.
GALLIC. ET. VETER. COS. (y)

Sponius, cui ſimile fragmentum ſeſe obtulerat, legendum credidit, *ex Palatio Ælii Auguſti*, non *ex Prædiis L. Ælii Aug.* Hæc vero utcunque ſe habeant, Conſulatus, in fragmento notatus, incidit in annum Æræ Chriſtianæ CL. vel CLI. Apud Gorium (z) laterem cum hac Inſcriptione reperio: *Ex publica Figlina Valeriæ Nices.*

§. CXXXIX.

Legionum nomina impreſſa. Coctis hujusmodi lateribus vel plinthis Legiones nomen ſuum conſueviſſe imprimere, idque moris apud Romanos militaris fuiſſe, plurima ex Rhenenſibus, Danubianis, imo & aliis ſtationibus probant exempla. In Helvetico Turicenſium Agro (a) prodiit later, cui Leo. XI. C. P. F. nota fuit impreſſa. Apud Coloniam Agrippinam magno numero effoſſi ſunt, Legionis XXII. quæ ad ſuperiorem inferioremque Rhenum excubuit, titulo inſcripti. (b) Plures alias ex Inſcriptionibus, in Hungarico Auſtriæ limite inventis, produxit Lambecius, (c) ubi legebatur LEG. XIIII. GEM. *Legio XIV. gemina.* Sunt & aliæ, LEG. XXX. aliæ EX. GER. INF. *Exercitus Germaniæ Inferioris*; quæ fabrica totius Exercitus uſibus deſtinata. Nec omittendum, proximas duas notas excavatis quoque lateribus, cujus generis aliqui in ſepulcro noſtro primo reperiuntur, impreſſas fuiſſe. Quin & alia ſuperſunt, opificum, qui lateres in uſum Legionum confecerunt, inſignita nominibus. Ita apud Gruterum: LEG. V. C. SEVI. *Legionis Quintæ Cajus Sevus* & LEG. V. P. SATRI *Legionis Quintæ Publius Satrius.* Nomen hoc eſſe opificis, non militis ſepulti, evincit Inſcriptio, à Gisberto Cupero (d) edita: LEG. XXX. VITALIS. FECIT. Exempla hæc, ni fallor, docere poſſunt, ſiglas *Leg. VIII. Aug.* quæ in lateribus noſtrorum ſepulcrorum occurrunt, non referendas eſſe ad hominem, quem condit ſepulcrum. Heroldus de Legionariis lateribus Danubianis (e) loquens, eos à militibus confectos, terræque infoſſos fuiſſe exiſbmat, "ut in humanarum rerum variatione „ ſtationum ſuarum memoria aliqua permaneret, eaque diuturnior, quanto minus „ fictilia illa ſolent conſumi. „ Noluerim ego ſtationariorum militum lateres ad hunc modo finem reſtringere. Una ſæpe Legio plurimos per annos in eodem ſubſtitit loco, opportuno commerciis, unde varii opifices ad ſtationes illas invitati ſunt, ut ibi habitarent: ex quibus habitaculis & ſtationibus vici, oppida, urbes ad Rhenum Danubiumque temporis ſucceſſu ſunt ortæ. Inter alios uſus ad exſtruenda quoque ſepulcra lateres adhibitos, Legionis VIII. noſtræ ſynchrona Monumenta, diverſis in locis reperta, ſatis oſtendunt. Legionem VIII. ſpeciatim quod attinet, Ptolemæus (f) inſignem Inſcriptioni noſtræ lucem fœneratur. Hic enim, ubi de urbe Argentorato loquitur, addit ΛΕΓΙΩΝ Η ΣΕΒΑΣΤΗ.

§. CXL.

(y) Fabrettus *Inſcriptionum* Capite VII. plures hujus generis lateres literatos collegit.

(z) *Florent. Inſcript.* pag. 442.

(a) Jo. Bapt. Ottius in *Conjecturis ſuper Antiquit. in agro Turicenſi* An. MDCCXXIV. *effoſſas*, Germanice editis Tiguri, pag. 17.

(b) Gruteri *Inſcript.* pag. 515.

(c) *Bibliotheca Vindobon.*

(d) *Monum. Antiq.* pag. 231.

(e) *De Romanorum ſtationibus in Rhætia Literæ* apud Schardium *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. I. pag. 311.

(f) *Geograph.* Lib. II. Dio Lib. LV. pag. 564. late ſcribit: τὸ ὄγδοον Αὐγούστειον ἐν τῇ Γερμανίᾳ τῇ ἄνω ὄντι. *Octavi Auguſtei, quæ in Germania Superiori ſtat.*

MONUM.

§. CXL.

Unde elucet, Legiooem octavam temporibus Ptolemæi, hoc eſt, circa M. Aurelii Imp. tempora, apud Argentoratenſes ſua caſtra habuiſſe. Imo, quum M. Aurelius primus omnium *Auguſti* titulum cum Collega Imperii, Lucio Ælio Vero, (unde ſæpiſſime in nummis horum Principum *Concordia Auguſtorum*, *Liberalitas Auguſtorum*) communicaverit, formula *Victoriæ Auguſtorum*, quæ in baſi phialæ vitreæ, in ſepulcro ioventæ, legitur, hanc conjecturam confirmant, nec de conditi ſepulcri tempore, Antoniniano nempe ævo, dubitare nos ſinunt. Lagenulæ hujus figuram Lectorum oculis ſubjicio. Epocha ſepulcrorum.



Quodſi nummi, in Monumentis noſtris ſepulcralibus reperti, extarent, ætas eorum conjecturam noſtram magis firmaret; Arharous enim, in Deſcriptione ſepulcri ſupra adducta, nummos quoque in eo deprehenſos fuiſſe annotat.

Comburendorum cadaverum morem eo tempore nondum plane fuiſſe abolitum, ſed cadavera integra ſepeliendi uſum cum altero ſimul obtinuiſſe, tria hæc ſepulcra nos docent; errareque adeo eos neceſſe eſt, qui combuſtionem ſeculo ſecundo deſiiſſe credunt. Corporis combuſti mentio in Inſcriptione quadam Sec. III. apud Fabrettum occurrit. Urna, quæ in ſecundo Tabulæ noſtræ Monumento viſitur, & in Muſeum noſtrum translata eſt, nonniſi oſſula & pauciſſimos cineres comprehendit; quod ipſum in aliis per Italiam obſervavi innumeris. Exigua hæc cinerum portio, in urnis reſidua, ex oſſibus, in olla conditis, temporis diuturnitate in cineres cooverſa eſt; noo poſt cremationem ſtatim cum oſſibus collecta, ut multi ſibi falſo perſuadent; de ratione invenienda ſolliciti, qua cadaveris cineres à cineribus ligni diſtingui potuerint; quod Kirchmannum (*g*) aliosque feciſſe video. *Tab. XII. num. 2.*

Cinerum tamen, asbeſtini lintei ope conſervaodorum, uſum non omnino excluſerim. Huc enim referendum eſt linteum illud, Romæ An. MDCCII. in ſarcophago inventum, cujus portiunculam attuli Roma. Plinius (*h*) autem linum illud pretio & raritate margaritas æquaſſe, regumque funebres tunicas ex eo cootextas, quum ſcribat, ut corporis favillæ à reliquis cineribus ſepararentur, ſindonis asbeſtinæ in cadaverum Cineres conſervati.

(*g*) *De Funeribus Romanor.* Lib. III. Cap. VII. (*h*) Lib. XIX. Cap. I.

crematione uſus nonniſi ad ditiores reſtringendus eſt. (*i*) Lagenulæ, lacrymis propinquurum colligendis quæ creduntur (*k*) aptatæ, nullam in Antiquitate fidem inveniunt: unguenta & liquores illis potius immiſſi, quam lacrymæ, uti alibi (*l*) docui.

§. CXLI.

Lucernæ perpetuæ. *Tab. XII. num. 2.* *Tab. VII. num. 5. 6.*

In eandem claſſem referenda eſt illa de Lucernis inextinguibilibus opinio, quæ paſſim quoque invaluit. Operarii, qui ſepulcrum Argentoratenſe An. MDCCXX. quod Tab. XII. num. 2. exhibeo, detexerant, quum illud aperuiſſent, flammulam ejus extinctam, fumumque ex ſepulcro aſcendentem, adhuc ſe vidiſſe, aſſeruerunt. Hos ergo ſi audias, Lucerna noſtra, quæ non biiychnis, ſed unilychnis, non penſilis, ſed anſata, (*m*) ex earum fuerit numero, quæ dicebantur *perpetua*, hoc eſt, indeſinenter ardentes. Figuram ejus exhibet Tabula VII. num. 5. & 6. Non nova iſta, poſteriorum modo ſeculorum, traditio eſt, à LUD. VIVE, (*n*) JO. BAPT. PORTA, (*o*) LICETO, (*p*) PANCIROLLO, (*q*) KIRCHERO, (*r*) CAUSEO, (*s*) RUBEO, (*t*) SCARDEONIO, (*u*) aliisque innumeris credita; ſed & STRABO, PLUTARCHUS, (*w*) PLINIUS, PAUSANIAS, AUGUSTINUS, pluresque alii ex remota Antiquitate Scriptores, de lampadibus his perpetuis multa jam memorarunt; quæ omnia operoſe congeſſit FORTUNIUS LICETUS. Jactari hæc diceres ad inſtar eorum, quæ de Davidis ſepulcro refert JOSEPHUS, (*x*) ignem erupiſſe ex eo, quum ab Herode fuiſſet apertum. Sunt, qui illud, quod flammula viſitur, ſepulcris apertis, ſoli aeris ventilationi adſcribunt.

Fateor equidem, difficile eſſe, luctari contra tot teſtes; ſed longe difficilius eſt, indicare, quid ſit illud, quod perpetuam poſſit flammam nutrire. Non ſufficit enim allegare ellychnia, ex caryſtio lapide parata, quæ non conſumuntur ab igne, quorumque uſus veteribus innotuit. (*y*) Pro genere phoſphori & lumine ſine calore flammam hanc perennem habuit PAULUS CASATUS. (*z*) ROBERTUS PLOT (*a*) vero, poſtquam aliquot modos, continuo bituminis liquidi ſive naphthæ affluxu, lucernas, vel cum ellychnio vel abſque ellychnio, indeſinenter lucentes, parandi oſtendiſſet, concludit: niſi forte quid per Chymicam artem præparari queat, ex bituminoſis materiis, quæ ignem abſque ellychnio conſervent, aut ſponte ignem concipiant, lampadem perpetuam fieri non poſſe. Subjungit denique, lampades forte nonnullas ita fuiſſe conſtructas, ut aere admiſſo ignem conciperent. Donec itaque certiora edoceamur, cum OCTAVIO FERRARIO (*b*) omnes illas narrationes aut falſas, aut vanitatis ſuſpectas cenſemus. Inter teſtes oculatos, ad quos provocatur, oculati plerumque ſunt nulli; ceterique nimis auriti. Sed de his hactenus. Ad Legionem octavam redimus.

§. CXLII.

Cognomina Leg. VIII.

Inditum ei cognomen *Auguſta*, quod ab Auguſto privilegiorum amplificationem fortaſſis accepit. Principem hunc, mutata Reip. forma, plures ſcripſiſſe Legiones, illisque ab ordine, quo ſcriptæ fuerant, nomina *ſexta, octava* &c. indidiſſe, nos condocet DIO. (*c*) Noſtra autem nomen *octavæ* ſub Julio Cæſare jam habuit, qui ipſe mirabiles

ejus

(*i*) Vid. CIAMPINUS *de Lino incombuſtibili.* Asbeſtina hæc ſindon minus rara ſeculo noſtro, quo non tantum in Apennino & Pyrenæis montibus, ſed & in Britannia, Hungaria, Ruſſia, frequens reperitur *Alumen Plumoſum*; unde crumenæ, cingula, imo & chartæ, quas ignis non comburit, conficiuntur. De Asbeſto PANCIROLLUS *Rer. Deperd.* Tit. 35.

(*k*) Recepta paſſim ſententia, quæ & apud KIPPINGIUM *Antiquit. Roman.* Lib. IV. Cap. VI. BEGERUM in *Theſaur. Brandeburg.* Vol. III. LICETUM *de Lucernis ſepulcral.*

(*l*) *Diſſert. de Apotheoſi Imperator.* Rom. quæ extat in *Commentat. Hiſtoricis* noſtris, pag. 55.

(*m*) Similem plane lampadem noſtræ, cum nomine *Caſſi*, GORIUS profert *Inſcript. Florent.* Tom. I. pag. 222.

(*n*) *Not.* ad AUGUSTINUM de *Civitate Dei* Lib. XXI. Cap. VI. ubi memoria patrum erutum fuiſſe ſepulcrum ait, in quo arſerit lucerna, condita ibi, ut ex Inſcriptione patuit, ſupra MD. annos.

(*o*) In Libris de *Magia Naturali.*

(*p*) *Lucernæ antiquorum reconditæ*, Libro II. toto.

(*q*) *Rer. deperditar.* Part. prior. Tit. 35. pag. 124.

(*r*) *Mundi ſubterranei* Tom. III.

(*s*) De *aneis antiquorum Lucernis* Tab. IX.

(*t*) OTTAVIO ROSSI *Memorie Breſciane*, pag. 204.

(*u*) BERNARD. SCARDEONIUS *Antiquitat. Patavinar.* Lib. I. fin. GUILANDINUS de *Papyro*, membr. VI. FELLERUS de *Lucernis Antiquorum.*

(*w*) De *defectu Oraculorum.*

(*x*) *Antiquitat. Judaicar.* Lib. XVI. Cap VII.

(*y*) APOLLONIUS DYSCOLUS ALEXANDR. in libro *Hiſtoria Commentitia*, Cap. XXXV. pag. 32. ubi ad TACI librum *de Lapidibus* provocat. Apollonium hunc inter *Græcos Hiſtoriarum mirabilium Auctores* edidit JO. MEURSIUS, notisque illuſtravit.

(*z*) *Diſſert. IX. de Igne.*

(*a*) *Diſcurſus de Lampadibus antiquor. ſepulcralibus*, in *Tranſactionibus Philoſoph. Anglic.* Anni MDCLXXXIV. num. 166. & in *Actor. Lipſienſium* Supplement. Tom. I. Sect. VII. pag. 367.

(*b*) *Diſſert. de veterum Lucernis ſepulcralibus*, in *Theſaur. Græv.* Tom. XII. pag. 1010. KENELMUS DIGBÆUS *de Animæ rationalis immortalitate*, pag. 48. ſqq. lucernas perpetuas quoque in dubium vocat.

(*c*) Lib. XXXVIII.

ejus conatus, ad urbem Arvernorum Gergoviam, memorat, (*d*) in quam L. Fabius, ejusdem Legionis Centurio, ſe immiſit, ibique occiſus. Inſequentibus ſeculis eidem Legioni cognomen *Antoninianæ* acceſſit; ſeu quod ab Antonino reſtituta, ſeu quod ipſo imperante egregium aliquod virtutis ſpecimen edidit. *Gemina* quoque dicta fuit, (*e*) nomine cum pluribus aliis Legionibus, quæ identidem geminatæ ſeu duplicatæ fuerunt, communi. Porro hæc Legio, quum imperante Commodo Noviam urbem fortitudine ſua ſervaſſet, elogiis *Piæ*, *fidelis*, *conſtantis*, ornata, & ex ipſius denique Imperatoris nomine *Commoda* (*f*) fuit appellata. Ex Gallieni nummo autem eluceſcit, Legionem iſtam, ob acceleratam fortaſſe ſua virtute fortitudineque pacem, *Pacificæ* accepiſſe elogium: LEG. VIII. PAC. VI. P. VI. F. *Legio octava*, *pacifica*, *ſextum pia*, *ſextum fidelis*. Exhibet hic nummus, prout illum VAILLANTIUS & MEDIOBARBUS deſcribunt, victoriam prætervolantem, tenentemque una manu coronam, altera lauream, quanquam ob harmoniam typi cum Inſcriptione, virgulam potius oleaginam, quam lauream, crediderim, quod in nummis parvis negligenterque cuſis, quales ſunt Gallieni omnes, diſtinctu difficile. Cl. GORIUS, (*g*) Legionem octavam totam immunitate donatam fuiſſe, ex lapide penes FABRETTUM (*h*) conjecit:

D. M.
ET. MEMORIAE. AETERNAE
T. VETTI. DECIMINI. VETE
RANI. LEG. VIII. IMMVNI
CONSVLARIS. HOMINIS
OPTIMI. ET. VERECVNDISSIM.
ET. PROBISSIMI. &c.

ubi vox *immuni*, pro *immunis*, & ad Legionem VIII. & ad Vettium Deciminum poteſt referri. Immunitatis, provinciis, municipiis, coloniis, magiſtratibus, collegiis, viris bene meritis, conceſſæ, innumera proſtant exempla: immunitatis, Legionibus datæ, documenta non ſuppetunt; quibus diverſa honorum & elogiorum genera tribui ſolebant. Legionis noſtræ Auguſtæ ad inſtar *Claudiam* quoque, *Flaviam*, *Trajanam*, *Ulpiam*, *Gordianam* reperimus: quæ omnes ab Imperatoribus nomina traxere, quibus vel originem debuerunt, vel præ aliis caræ fuerunt.

Ceterum lateritia, quæ hactenus explicuimus, ſepulcra ad claſſem eorum pertinent, quæ *Obrendaria* (*i*) dicuntur, quaſi *obruendaria*, quod terra obruerentur, ſi RIGALTII conjecturæ locus eſt; neque ſupra, vel parum certe, eminerent, quod & moris hodie communis. Sarcophagus, An. MDCLXIII. repertus, tam alte defoſſus erat, ut terra altitudinis octo pedum obrueretur. Pertinet huc SENECÆ (*k*) locus, ubi ait: "Alios „ terra obruit; alios flamma conſumſit; alios lapis, oſſa redditurus, incluſit. „ Iterum: "Inſepultus jacebis, at tu combuſtus; at tu obrutus; at tu incluſus; at tu putridus; „ at tu eviſceratus & conſtrictus; at tu traditus lapidi, qui te paulatim edat & exſiccet.

Sepulcra obrendaria.

§. CXLIII.

Quodſi in obſervationibus noſtris, ad Aram Remigio-Alſaticam, multa Legionis XXII. monumenta paſſim ſupereſſe, ſupra (*l*) oſtendimus, plura Legionis VIII. in nummis, (*m*) marmoribus & cippis hinc inde, & in vicinia præſertim noſtra, celebrari fatendum eſt. Tribuni, Centuriones, militesque ejus frequentem ſui reliquerunt memoriam. Hos inter primus occurrit *L. Fabius*, *Legionis VIII. Centurio*, ſub Julio Cæſare, Gallicum bellum gerente. (*n*)

Leg. VIII. milites.

 Sub

(*d*) CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. VII. Cap. XLVII. & L.

(*e*) GRUTER. *Inſcript.* pag. 476. num. 5.

(*f*) Lapidem, qui extat Urbini, profert GRUTERUS *Inſcript.* pag. 485. num. 8. ubi in C. Veſnii Vindicis, qui Tribunus militum Legionis VIII. tum fuit, Epitaphio hæc diſerte leguntur.

(*g*) *Obſervation. ad Columbar. libertorum Liviæ*, pag. 51. edit. Venet.

(*h*) *Inſcript.* Cap. IV. pag. 251. num. 33.

(*i*) Vox *obrendarium* nonniſi in Inſcriptionibus legitur. Vid. FABRETTI *Inſcript.* pag. 15. & GRUTER. pag. 607. JAC. GUTHERIUS *de Jure Manium* Lib. II. Cap. XXIV. pag. 338. *obrendarium* ab *offerendo* derivat, quaſi *offerendarium*: FABRETTUS fictiles ſarcophagos fuiſſe putat, quales apud GRUTER. pag. 607.

(*k*) *De remed. Fortunæ.*

(*l*) Pag. 444. §. XX.

(*m*) In M. Antonii Triumviri nummis inter viginti quatuor Legiones, ſingulis nummis celebratas, extat quoque Leg. VIII. cum duobus ſignis militaribus, inter quæ Aquila.

(*n*) CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. VII. Cap. XLVII. & Cap. L.

Sub Auguſto Imp. *C. Octavius C. F. Verus à ſignis Legionis VIII.* hoc eſt ſignifer, in cippo Reatino (*o*) memoratur.

Sub Tiberio Imp. *P. Cornelius L. F. Scipio Legatus Legionis VIII.* in lapide Brixiano (*p*) legitur.

Sub Claudio Imp. *C. Gavius L. F. Stel. Silvanus Primipilaris Leg. VIII. Aug.* in lapide Taurini. (*q*)

Sub Veſpaſiano *C. Julius, C. F. Boltinia Longinus, domo Philippis-Macedonia, Veteranus Legionis VIII. Aug.* Romæ occurrit (*r*)

Sub eodem *Tullius Varro Trib. milit. Leg. VIII. Aug. Legatus Divi Veſpaſiani Leg. VIII. Geminæ* in marmore Romano, (*s*) cujus Inſcriptio quidem truncata; at nomen P. Tullii Varronis filii, marmor ponentis, indicat nobis nomen Parentis.

Titi Veſpaſiani temporibus Tribunus Legionis VIII. in Lapide Caſtulenſi Hiſpaniæ (*t*) indicatur, ſed nomen decuſſum.

Sub Antonino Pio *L. Neratius C. F. Vol. Proculus Tribunus militum Leg. VIII. Gem.* Sæpini in Samnio; (*u*) item Urbini, (*x*) *C. Ceſtius C. F. Stel. Sabinus Centurio Leg. VIII. Aug.* legitur. Sub eodem Imperatore Conſule IV. & M. Aurelio Conſule II. hoc eſt, An. Urb. DCCCXCVIII. Æræ Chr. CXLV. *M. Aurel. Cl. Pompejanus miles Leg. VIII. Antoninianæ Aug. Kal. Jan.* in Moguntiacenſis Agri marmore (*y*) comparet.

Sub Auguſtis, Antonino & Vero, qui imperare ſimul cœperunt An. CLXI. Didius Julianus, miles Leg. VIII. Antoninianæ, Canſtadii ad Nicrum, ab Apiano, (*z*) Crusio, (*a*) Grutero, (*b*) Reinesio, (*c*) Eckarto, (*d*) &, qui ex ipſo lapide Epigraphen deſcripſit, Pregizero, (*e*) memoratur.

Sub Commodo *C. Vesnius C. F. Stel. Vindex Tribunus militum* fuit *Leg. VIII. Aug.* quo militante quum liberata eſſet Novia obſidione, Legio pia, fidelis, conſtans, Commoda, cognominata eſt. &c. (*f*) Verba ſunt Inſcriptionis, Urbini poſitæ, cujus municipii Vesnius fuerat Patronus.

§. CXLIV.

Alii.

Sed & viri, multiplicibus muneribus in provinciis urbibusque conſpicui, qui in Legione VIII. aliquandiu militaverant, paſſim recenſentur in ſaxis. Hos inter eminet *L. Jul. Brocchus Valerus Baſſus, Tribunus Militum Legionis VIII. Aug.* multis dignitatibus, quas geſſerat, clarus, qui Genavenſibus *Lacuus* vicinos dedit. Lapidem, in quo Tribunus hic legitur, Curia Genevenſis aſſervat, quem Vernetio, Humaniorum Literarum illius urbis Profeſſore celeberrimo, multis amicitiæ teſtimoniis mihi cariſſimo, comitatus inſpexi, & percupidus legi: (*g*)

L. IVL. P. F. VOL. BROCCHVS VAL.
BASSVS PRAEF. FABR. BIS TRIB.
MIL. LEG. VIII. AVG. II. VIR IVR. D.
IIIVIR LOC. P. P. AVGVR. PONTIF. IIVIR.
FLAMEN IN COL. EQVESTRE VIANIS
GENAVENSIBVS LACVVS (*h*) DAT.

In

(*o*) Gruter. pag. 1031. num. 6. Signiferos ſuo tempore Draconarios nuncupatos, monet Vegetius *de Re milit.* Lib. II. Cap. VII.

(*p*) Idem pag. 397. num. 5.

(*q*) Gabr. Symeoni in libro: *Illuſtratione de gli Epitaffi & Medaglie antiche*, pag. 9. conf. Gruterus pag. 416. num. 1.

(*r*) Idem *Inſcript.* pag. 546. num. 2.

(*s*) Idem pag. 476. num. 5.

(*t*) Idem pag. 498. num. 10.

(*u*) Idem pag. 441. num. 4.

(*x*) Idem pag. 387. num. 8.

(*y*) Huttichius *Collect. Monum. Mogunt.* num. 31. Apianus in *Inſcript.* pag. 481. Gruterus pag. 108. num. 1. & pag. 1075. num. 10. Reinesii *Inſcript.* pag. 163. Eckartus *Rer. Francicarum* Lib. I. pag. 10. ſqq.

(*z*) *Inſcript.* pag. 461. ſed corrupte.

(*a*) *Annal. Suev.* Lib. IV. Part. I. pag. 83.

(*b*) *Inſcript.* pag. 4. num. 7.

(*c*) *Inſcript.* pag. 163.

(*d*) *Rer. Francicar.* Tom. I. pag. 10.

(*e*) *Suevia & Wirtembergia Sacra*, pag. 216. Inſcriptio hæc apud Betellium in Barthii *Adverſariis* Lib. LII. pag. 2428. bis legitur, tanquam diverſa.

(*f*) Gruter. pag. 485. num. 8.

(*g*) Hiſtoriæ Sabaudicæ Scriptor Guichenonius Lapidis hujus epigraphen dedit corruptam, at genuinam nuperi *Sponianæ Genevenſium Hiſtoriæ* Emendatores & Editores Tom. II. pag. 325. ubi in penultimo verſu VIANIS, ſex annis explicari poſſe ingenioſe conjicitur.

(*h*) *Lacuus* pro *lacus*, uti *domuus* pro *domus* apud Gruterum pag. 1151. num. 4.

MONUM.

In lapide autem Tarraconenſi (*i*) *M. Atilius*, *M. F. Fab. Lucilius Petus*, *Legionis VIII. Aug. Legatus.* In Nemauſenſi, *Q. Solonius Q. F. Vol. Severinus Tribunus militum* ejusdem Legionis. (*k*) In Romano, *L. Æmilius L. F. Cam. Karus*, itidem *Tribunus militum* Legionis VIII. (*l*)

Centuriones in eadem occurrunt: *P. Talpidius Clemens*, qui cum militibus ſuis Jovi & Herculi Saxano votum ara poſita ſolvit, quæ ſeculo hoc apud Lotharingos detecta. (*m*) *T. Helvius T. F. Salinator* in Tarviſino Saxo; (*n*) *L. Favonius Seccianus* in alio ſilvæ Ottonianæ; (*o*) *M. Aurelius M. F. Pap. Lucilius Poetavione* (*p*) *ex ſingularibus* (*q*) *Imp. Leg. VIII. Aug.* &c. in agri Tarraconenſis cippo legitur. (*r*)

Veterani Legionis VIII. *T. Curtiacus T. F. Lem.* Item *Aurelius Severus*, item *Cn. Numerius Cn. F. Val. Fronto Veteranus Eques* ejusdem Leg. VIII. primus in Ravennatenſi, (*s*) ſecundus in Tarraconenſi, (*t*) tertius in Veneto, (*u*) Lapidibus ſuperſtites ſunt. Apud Inſubres vero *Cantius Mocitius Veteranus Leg. VIII. Aug. VI vir Decur. ſibi & Cantio Magio Patri Veterano Legionis ejusdem* poſuit Monumentum. (*x*)

Ex Militum denique ordine, *L. Æmilius Pudens*, in oppidi Emeritæ Agro; (*y*) *C. Julius Vettius Auguſta Vindelicum*, in Saxo Romano; (*z*) *M. Julius M. F. Vol. Paternus*, *Aquis Sextiis* ortus, in Lapide Spoletano; (*a*) denique *L. Veratius Paternus miles Leg. VIII. Aug.* in Monumento Pforzhemiano (*b*) memorantur. Poſtremam enim hanc Inſcriptionem, quæ ubique corrupta & mutilata legitur, M. LEG. V. IN. AUG. S. L. M. ita reſtituendam exiſtimo: M. LEG. VIII. AUG. V. S. L. M. *Miles Legionis VIII. Auguſtæ votum ſolvit libero munere.*

§. CXLV.

Ex documentis his Præfectorum & militum Legionis VIII. conſtat, eam Antonino IV. & M. Aurelio II. Coſſ. adeoque An. Chr. CXLV. in agro Moguntinenſi habuiſſe ſtativa: eandem ſub Antonino & Vero Augg. adeoque inter annos Chr. CLXI. & CLXIX. ad Nicrum, prope Canſtadium (*c*) oppidum, ſua caſtra tetendiſſe. Ptolemæus Geographus, Antoninorum temporibus ſcribens, eandem Legionem VIII. uti vidimus, ponit Argentorati; quæ omnia non de tota Legione, ſed de cohortibus ejus intelligenda. Scilicet Legio non uno in loco conjunctim, ſed in plures ſtationes fuit diſperſa. In ſuperiore Germania pars ejus apud Argentoratum, pars apud Moguntiacum, pars denique trans Rhenum in limite Romano, ſive ad Vallum illud ſuper Nicrum, ſuas ſtationes habuerat; quod & aliis Legionibus contigit. Omnis Rhenus nonniſi Legionibus octo quum cuſtodiretur, non potuit non fieri, ut cohortes Legionum paſſim eſſent diſperſæ; indeque porro factum, ut uno eodemque tempore diverſiſſimis in locis eadem Legio tendere diceretur; quod Legioni noſtræ Octavæ haud dubie contigit, quæ Antoninorum ævo in noſtris his tractibus, cis & trans Rhenum, quum ſua ſtativa habuiſſet, pars ejus ad Argentoratum, pars alia ad Nicrum alibique, ſua caſtra tetenderat.

Stativa Leg VIII.

(*i*) Gruter. pag. 367. num. 2.

(*k*) Idem pag. 470. num. 6.

(*l*) Idem pag. 1025. num. 2.

(*m*) Montfaucon *Antiquité Expliq.* Tom. II. Supplem. pag. 50.

(*n*) Gruter. pag. 544. num. 1.

(*o*) Apianus pag. 460.

(*p*) Urbs Pannoniæ ſuperioris, memorata *Itinerario Anton.* hodie *Pettau*, in Stiria.

(*q*) Singulares equites in monumentis frequenter occurrunt; ſi non cum *Selectis* & *Abiectis* iidem, illis certe ſimiles. Ala Singularium, à Vitellio excita, in partes Veſpaſiani transgreſſa eſt. Tacitus *Hiſt.* Lib. IV. Cap. LXX. Vid. Schelius *ad Hygini Grom.* pag. 45. & 160. Reinesius ad *Inſcript.* I. 86. Gorius ad *Inſcript.* Donii, Claſſ. VI. pag. 18. Jo. Godofr. Richter in *Exegeſi Inſcript. antiq.* Lipſiæ 1739. edita.

(*r*) Gruter. pag. 129. num. 5.

(*s*) Idem pag. 1107. num. 9.

(*t*) Idem pag. 522. num. 5.

(*u*) Idem pag. 442. num. 7.

(*x*) Idem pag. 385. num. 2.

(*y*) Idem pag. 519. num. 1.

(*z*) Idem pag. 548. num. 5.

(*a*) Idem pag. 548. num. 5.

(*b*) In Beyslii *Inſcript.* apud Barthium *Adverſarior.* Lib. LII. Cap. I. Item apud Reinesium *Inſcript.* Claſſ. I. Inſcr. XVI. Majum in *Annot. ad Vitam Reuchlini* pag. 103.

(*c*) Ingenioſa & veriſimilis eſt conjectura Heroldi, qui originem nominis *Canſtat* à Legione VIII. *Antoniniana ſtativis* derivat: ſiquidem ex *Leg. Ant. Stat.* ſi abjicias *l* & *e*, quæ reſtant, nomen oppidi componunt. Apianus adjicit alium ejusdem loci lapidem, ubi *Severus Mil. Leg. XXII. Antoniniana* occurrit, claro indicio, duas has Legiones ad Nicrum excubuiſſe.

Legio hæc Octava denique univerſa Baſſiano Caracallæ Monumentum, ad Tubingam Sueviæ, ubi repertum, erexit, quod Heroldus *de ſtatu Legionum in veteri Germania*, (d) & ex eo Crusius (e) produxit, cujus hæc Epigraphe: IMP. CÆS. DIVI L. SEPT. SEVER. P. PERT. AUG. PARTH. ARAB. ADIABEN. P. M. (f) AUREL. ANTONIN. AUG. SARMAT. MAX. GERM. MAX. DAC. MAX. ARMEN. MAX. BRITAN. MAX. ARAB. MAX. ALEMAN. MAX. PARTH. MAX. P. F. PONT. MAX. TRIB. POTE. VI. COS. PROCOS. PERPET. LEG. VIII. ANT. AUG. P. F. (g) EIUS. NUM. DEVOT. PRIN. OPT. FORTISS. Q.

Sarcophagorum, Argentorati repertorum, occaſione porro annoto, Spiræ Nemetum, extra Portam Ægidianam, ſeculo noſtro ſepulcretum Romanum ſeſe obtuliſſe, in quo plurima vaſa & pateræ rubri coloris, pleraque confracta, comparuerunt. An. MDCCXLI. autem ibidem ſarcophagus ſe lapideus prodidit, (b) quem quum Spirenſes aperuiſſent, inventum eſt ſceleton candidiſſima calce circumdatum, cum vaſculis vitreis & circulo corneo nigricante, cujus circumferentia exterior floribus fortean inferendis, uti apud Gorium (i) *Deliæ ſerta date*, crinibusque ligandis perforata. Juvenile enim corpus fuiſſe, dentes omnes reſiduæ indicarunt. Caput mortuæ verſus ſeptentrionem erat directum.

Affinitatis cauſa ſubjungere heic denique libuit, quæ Ægidius Bucherius (k) de ſepulcro, Cerifiaci in Arteſia An. MDCXV. detecto, hunc memoravit in modum: " Inerant ternæ majores urnæ, ex criſtallo priſco fere cæruleo; quarum una vinum „ continebat, coloris nondum, ſed ſaporis prorſus evanidi: altera cineres & oſſium „ aduſtorum reliquias: tertia neſcio quid aliud. Inerat & lanx una teſtacea, velut „ carnibus, vetuſtate abſumptis, adhuc imbuta, cujus fundo medio inſculptum lege- „ batur: VIRTUTI. SYLVINI. Junctum erat ſalinum. (l) „ Monumentum ſepulcrale, quod cum Argentoratenſibus noſtris, quoad interiora, aliquid habet commune.

CAPUT XII.

MONUMENTA LITERATA ALSATIÆ MISCELLA.

§. CXLVI.

ARGENTOUARIÆ.

Epitaphium Argentouarienſe.

MUtilum ſepulcrale ſaxum inter veteris Argentouariæ ruinas reperi, cum hac Inſcriptione:

D. M.
EIRMI
O. M. F.

Supra Inſcriptionem inſculpta eſt juvenis protome; reliqua lapidis interierunt, quibus facile caremus.

GERSTHEMII.

Gerſtheimenſis ſervus. *Tab. I. num. 2.*

SErvi tunicati & bullati, ſiniſtra marſupium tenentis, iconiſmum ex lapide antiquo, in villa *Gerſtheim* reperto, Tab. I. num. 2. expreſſi. Imagini tabella ſubjecta eſt, cui nomen *Glabro* inſculptum. Tunica ejus manicata & brevis, atque hinc vere Gallica eſt, quam Martialis (m) poetice *Pallam Gallicam* vocat;

Dimidiasque nates Gallica Palla tegit.

Tunica

(d) Cap. VIII.

(e) *Annal. Suev.* Part. I. Lib. IV. Cap. XII. pag. 91.

(f) Hic vel lapicidæ vel deſcriptoris incuria omiſſa eſt litera F. *Filio*. Hæc enim niſi addatur, claudicat Inſcriptio. Vel, ſi mavis, litera P, quæ literam M, præcedit, mutanda in F, tumque pro *Pontificis Maximi* ſiglis priores lineæ hunc explicandæ in modum: *Imperatori Cæſari Divi Lucii Septimii Severi Pii Pertinacis Auguſti Parthici Arabici Adiabenici Filio Marco Aurelio Antonino Auguſto* &c. &c. Hæc ratio Inſcriptionis conformis eſt illi, quam in Columna Leugari Durlacenſi legimus.

(g) *Legio Octava Antoniniana Auguſta Pia Fidelis ejus numini devota.*

(b) Litzelius in *Deſcriptione Sarcophagi* hujus German. edita Spiræ 1748.

(i) *Inſcriptio* inter *Florentinas* Gorii pag. 75.

(k) *Belg. Rom.* Lib. I. Cap. II. pag. 25.

(l) Sal, mortuis additum, ſuperius oſtenſum eſt.

(m) Lib. I. *Epigram.* XCIII.

Tunica hæc manicata, usque ad nates demiſſa, ex earum genere eſt, quæ à STRABONE, (*n*) ubi de Gallorum moribus agit, appellatur *Chirodota.* Hominis, in lapide ſculpti, conditionem quum Epigraphe taceat, ex circumſtantiis de ea judicandum. *Glabro* ſervile nomen eſſe videtur, quod cum Glabrionum familiæ nomine ex Acilia gente, præter paranomaſiam, nihil habet commune. Noſter ſuum nomen accepit, non quod ipſe Glaber (*o*) eſſet; quum imago ejus contrarium doceat; nec alios quod redderet Glabros. Ipſe ſi Glaber, absque pilis fuiſſet, dativo caſu vocem Glabro enuntiatam crederes. Talis ſervus erat *Liarus Glaber*, *Antoniæ*, *Druſi* uxori, *ab Cyato,* uti vetuſta Tabula Florentina prodit. (*p*) Nec ſervus erat noſter ex illis, qui glabrabant alios, illisve depaſcebant pilos: talis enim ſervus vocabatur *Glabrator*, aut *Glabrarius*. Ita inter officia Domus Auguſtæ erat *Ornator Glabrarius.* (*q*) Nominandi caſu noſter dicitur *Glabro.*

De ſervorum nominibus immenſa propemodum tractatio eſſet, quum pene infinita & ad libitum facta. Pleraque duarum ſyllabarum, ut *Syrus*, *Geta*, *Dromo*, *Stychus*, & noſter *Glabro.* Tunica brevis manicata, absque ullo ſago, vel chlamyde, ſervilis quoque conditionis ſatis indicat hominem. Veterum Mediomatricorum, trans Vogeſum, imagines, quæ apud MEURISSIUM (*r*) occurrunt, non tunicis modo, ſed & ſagis indutæ cernuntur omnes, quod ex honoratiorum, certe ingenuorum, ordine eſſent; quod & de Mediomatrico illo dixerim, cui ſubſcriptum eſt: CARO, cujusque lapis ſimilis fere noſtri Glabionis, niſi quod alter ille ſagatus exhibeatur, ſago ſupra tunicam immiſſo. Crumena, quam noſter ſiniſtra tenet, vel bulga Gallica eſt, de qua ſupra in Mercuriis Alſaticis actum; vel illud genus marſupii, quod vocabatur *Paſceolus;* ſacculus nempe, vel *folliculus*, ex aluta paratus, qua voce PLAUTUS, (*s*) LUCILIUS, CATO (*t*) atque FESTUS (*u*) utuntur. Verum enimvero bulla, quæ à Glabronis noſtri collo dependet, hominem ex conditione ſervili eximere videtur; quando bulla aurea pueris prætextatis à collo ſolebat ſuſpendi: qui ephebi quum fierent, Laribus eam ſolebant appendere. (*x*) Quodſi tamen ASCONIUM PEDIANUM (*y*) & veterem Juvenalis SCHOLIASTEM (*z*) audias, libertinis quoque bulla, ſed ſcortea, dabatur. Ita enim hic ſcribit: *Antiquitus nobilium Pueri bullas aureas habebant; pauperum de loris, ſignum libertatis.* Sola ergo bulla Glabronem ſervorum libertorumve non eximit numero, ſed honoratiori eum modo claſſi ſervorum adſcribit. ULPIANUS tres viſus eſt ſervorum differentias poſuiſſe, quum ait: “ Etenim multum intereſt, qualis ſervus ſit, bonæ „ frugi, ordinarius, diſpenſator; an vero vulgaris, vel mediaſtinus, an qualis qualis. (*a*) „ Poſtremi hi, *quales quales* dicti, infimæ & miſerrimæ conditionis inter ſervos erant, qui nervo & compedibus vincti villarum ergaſtulis continebantur. *Vulgares* & *mediaſtini,* nulli certo miniſterio deſervientes, melioris paulo conditionis, quam præcedentes, fuerunt. Glabro noſter, ſi non libertus, honeſtiſſimum tamen ſervitutis locum tenuit. Locularius diſpenſator nempe, qui loculos tenuit, uti Arcarius (*b*) diſpenſator, qui arcæ præfectus. Arca ſtataria fuit, loculi mobiles & geſtatorii. Concludimus, Glabronis miniſterium fuiſſe, crumenam vel paſceolum geſtare ad nutum domini. Ita apud PLAUTUM (*c*) Soſicles Meſſenionem ſervum alloquitur: *Ego iſtuc cavebo: cedo dum mihi huc marſupium.*

§. CXLVII.

(*n*) Lib. IV. pag. 300.

(*o*) De Glabris his SENECA *de brevitate vitæ* Cap. XII. “ Quanta celeritate, ſigno dato, Glabri „ ad miniſteria diſcurrant. „ Variis enim & multiplicibus officiis erant deſtinati.

(*p*) Apud Cl. GORIUM, de omni re antiquaria præclare meritum, *Inſcript. Florentin.* pag. 406. ubi ſphalmate Marmorarii *Cyato* pro *Cyatho.*

(*q*) Vetus Inſcriptio:
DIOPHANTVS TI. CAESARIS ORNATOR. GLABR. SCALIGER in *Not. ad Manilium* IV. 151.

(*r*) *Hiſt. des Eveques de Metz.* pag. 9. ſqq.

(*s*) *Rudent.* V. 2. 27.

(*t*) Apud NONIUM II. 635.

(*u*) FESTUS *Phaſcola* eſſe ſcribit, quas alii vocant *Peras.* Videtur eſſe originis Græcæ à φάσκωλοι. Vid. TURNEBI *Adverſarior.* III. 2. MEURSIUS in *Exercit. Crit.* Part. I. Cap. I.

(*x*) PERSIUS *Satyra* V. vers. 32. *Bullaque ſuccinctis laribus donata pependit.* Vid. FRANC. FICORONIUS in *Diatriba de Bulla Aurea* Italice edita Romæ 1732.

(*y*) *Not. ad Ciceronem* pag. 107.

(*z*) *Ad Satyram* V. 165.

(*a*) Servorum differentiam annotat quoque CICERO in *Paradoxis.* Conf. TITUS POPMA *de Operis Servorum* pag. 14. ſq. JOSEPHUS LAURENTIUS LUCENSIS in *Polymathia* Lib. I. Diſſert. VIII.

(*b*) Meminit Arcarii SCÆVOLA Leg. XLI. ff. *de Fideicomm. Libert.*

(*c*) In *Menæchmis.* Adde quæ de Q. Labeone quodam GELLIUS Lib. XX. Cap. I. retulit. GUALTHERI DONALDSONI *Oeconomica.*

§. CXLVII.

ARGENTORATI.

Monumentum Juliani Imp.

JUliani Imperatoris Auguſti decurtatum Marmor ſuperiore ſeculo extitit Argentorati, quod MABILLONII (*d*) atque SCHILTERI (*e*) temporibus San-Stephaniani Sacrarii muro exteriori inſertum hoc ſeculo diſparuit. Illorum ergo fide Inſcriptionem producimus:

IVLIAN
AVG. PR
OVINC.

Juliano Auguſto Provincia ſcil. Germaniæ Primæ. Fragmentum hoc eſt Monumenti, quod Provinciales Germaniæ Primæ Juliano poſuerunt, poſtquam ex Cæſare factus eſſet Auguſtus. Ob victoriam quidem, ab Alemannis ad Argentoratum An. CCCLVII. reportatam, exercitus Cæſarem Julianum proclamavit *Auguſtum*; qui dignitatem tum recuſavit, teſte AMMIANO; (*f*) eamque demum An. CCCLX. exeunte, vel ineunte An. CCCLXI. ſuſcepit in Galliis; quo ipſo anno periit Conſtantius, ſolo imperante Juliano, & An. CCCLXIII. in Perſia periturus. Intra hoc triennium ergo Lapis noſter poſitus eſt, & quidem, ut videtur, poſtquam victor ex Alemannia in oras has Cis-Rhenanas rediiſſet. (*g*) Caſtellum Romanum eo loci ſtetiſſe creditur, ubi Monaſterium S. Stephani, in quo Lapis repertus. Diceres ergo Monumentum in ipſo caſtello fuiſſe erectum. Ex Julianeis Epigraphis, quarum aliquas producit GRUTERUS, (*h*) illam, quæ Seniæ apud Longobardos eſt, Lectori proponam, quippe quæ cæteris dignior memoratu eſt.

IMP. CAES.
DN. FL. CL. IVLIANO
P. F. VICTORI. AC
TRIVMPHATORI
SEMPER. AVG. P. M.
IMP. VII. CONS. III.
BONO. R. P. NATO
PATRI. PATRIAE
PROCONS.

Julianus Conſulatum III. geſſit, quum fieret Auguſtus, Conſulatu IV. autem occubuit. Similis occurrit apud MAFFEJUM (*i*) in Columna Milliaria, quæ in peninſula Sirmione reperta eſt.

§. CXLVIII.

Miles. Lepontius.

Tab. I. num. 4.

Inter profana Alſatiæ Romanæ Monumenta Lapis eſt, quem An. MDCCXXXVII. Argentorati in cella ſubterranea reperi, cujus iconiſmum Tabula prima Monumentorum exhibeo. Saxum anaglyptici operis, in quo tunicatus, chlamydatus, galeatus, caligatus, cum enſe appenſo, Miles eſt, dextra qui lanceam, ſiniſtra clypeum tenet, ad cujus latus ſiniſtrum ponitur ſignum militare, in quo gallus gallinaceus ſtat. In margine Lapidis legitur:

LE .∴ ONTIVS.

Habitus & armatura militis eo ſchemate ſiſtuntur, quo DIODORUS SICULUS (*k*) milites Gallos deſcribit. "Arma illis (Gallis) ſunt ſcuta ad ſtaturam hominis porrecta. „ . . . Quidam æneas beſtiarum imagines, tam ad defenſionem quam ornatum affabre „ factas, præferunt. Æneis præterea galeis cum magnis appendicibus ad prolixam oſtentationem

(*d*) *Annalium Benedictin.* Tom. I. pag. 493.
(*e*) *Ad Kœnigshov. Chron.* pag. 1124.
(*f*) Lib. XVI. Cap. XIII. & Lib. XX. Cap. III. X.
(*g*) Vide ſupra Annales pag. 411.
(*h*) *Inſcript.* pag. 285.
(*i*) *Muſei Veronenſis* pag. 105. num. 5.
(*k*) *Bibliotheca* Lib. V. pag. 307. & 310. Edit. Wechel.

MONUM.

tionem factis, capita muniunt. Nam vel cornua affixa, vel avium quadrupedumque „ facies in illis expreſſas habent &c. Pro enſibus ſpathas gerunt oblongas. . . Haſtas „ præ ſe ferunt, lanceas illis dictas, quarum cuſpis ferrea longitudine cubitum æquat. . . . „ Tunicas geſtant & braccas ſive caligas. „ Diceres Diodorum, quum hæc ſcriberet, militis noſtri effigiem habuiſſe præ oculis. Brevius rem expediunt LIVIUS (*l*) & STRABO. (*m*) Ille de Gallis ita perhibet: "Procera corpora, promiſſæ & rutilatæ „ comæ, vaſta ſcuta, prælongi gladii. „ Strabo autem: "Armatura Gallis pro corpo- „ rum proportione, gladius longus, ad dextrum dependens latus: ſcutum longum; „ lanceæ pro ratione, & meris, (*n*) tragulæ genus.

§. CXLIX.

Veſtitum Militis noſtri diximus tunica conſtare & ſago. Tunica laxa eſt, cujus manicæ cubitum fere attingunt, inferior ejus pars autem infra genua deſcendit, atque cincta eſt cingulo laxiore. Sagum vel chlamys, fibula humero dextro conſtricta, ſiniſtrum humerum atque brachium tegit, retroque dorſum deſcendit ad talos. Longius hoc ſagum ex illo genere videtur eſſe, quod Galli Celtica ſua lingua *Gaunacumna* (*o*) appellarunt. Caligæ pedem & tibiam omnem militis noſtri ita contegunt, ut earum extremitas ultra tunicæ fimbriam aſcendat. Veſtes militares.

Galeam quod attinet, illa à caſſide diſtinguebatur antiquitus: galea ex corio, caſſis ex ære; plerumque tamen indiſcriminatim accipiuntur. Galeis illuſtrioris animalis cujusdam, ut leonis, pardi, gryphi vel avis, facies formave dabatur, illisque demum impoſita criſta, ſimplex vel duplex, triplexve. Militis noſtri caſſis, totum caput bene muniens, noctuæ faciem exhibet, quales caſſides Palladi in nummis Græcorum impoſitas cernimus; à caſſide criſta ſimplex & longior incurvata defluit.

Clipeus militis noſtri, more Gallico, grandior & quidem rotundus eſt: in marmoribus Pariſienſibus, An. MDCCXI. detectis, viſuntur oblongi, qui frequentius *Scuta* vocantur. (*p*) *Vaſta ſcuta* Gallis adſcribit LIVIUS; (*q*) à STRABONE (*r*) tribuitur illis *θυρεὸς μακρὸς*, *Scutum longum*. Noſtri ſcutum ingens & amplum, ſed rotundum eſt, manubrio vel anſa, qua ſuſtinetur, inſtructum. Magnitudo clipei fecit, ut miles non opus haberet thorace. Ovata ſcuti forma apud Romanos magis invaluit, ut & illa concava, imbricum inſtar facta, ut ex Columna Trajana diſcimus.

§. CL.

Enſis, quem miles noſter geſtat, talis eſt, qualem LIVIUS, (*s*) DIODORUS (*t*) atque STRABO (*u*) deſcribunt, prælongus nempe, ſed non acuminatus. Idem enim LIVIUS alio loco (*x*) annotat, in pugna Cannenſi Gallos & Hiſpanos ejusdem pene formæ geſtaſſe clipeos, ſed gladios eorum fuiſſe diſſimiles; eo quod Gallorum oblongi & non acuminati. Unde Galli cæſim magis, quam punctim feriebant. Strabo, uti vidimus, obſervat, Gallis in uſu fuiſſe gladium longum, qui ad dextrum latus pendeat; militis noſtri enſis nec à dextro, nec à ſiniſtro latere, ſed inter utrumque antrorſus ita pendet, ut ab umbilico ſiniſtrum verſus pedem deſcendat. Haſtas Gallicas Diodorus & Strabo *λόγχας* appellant. Haſta (*y*) militis noſtri geniculata eſt, & quidem ferro præfixa, non amentata, uti plerumque peditum haſtæ, qui ita haſtis feriebant, ut è manibus non dimitterent, ſed ope amenti, ſive coriacei ligaminis, retraherentur emiſſæ. Pilum tale non amentatum apud Gallos in uſu fuiſſe, annotat quoque Strabo. Arma.

(*l*) *Decad.* IV. Lib. VIII, Cap. XVII.

(*m*) Lib. IV. pag. 300. ubi ita: Ὁπλισμὸς δὲ σύμμετρος τοῖς τῶν σωμάτων μεγέθεσι. Μάχαιρα μακρὰ, παρηρτημένη παρὰ τὸν δεξιὸν πλευρὸν, ϗ θυρεὸς μακρὸς, ϗ λόγχαι κατὰ λόγον, ϗ μέρις πάλτυ τι εἶδος.

(*n*) *Meris*, intelligitur inſtrumentum illud bellicum *Materis*, de quo infra.

(*o*) Apud VARRONEM *de Lingua Latina* Lib. IV. pag. 40. HONORAT BOUCHE *Hiſtoire de Provence* Tom. I. pag. 83.

(*p*) Clipei plerumque rotundi, ſcuta vero oblonga, voces tamen confunduntur plerumque.

(*q*) *Decad.* IV. Lib. VIII. Cap. XVII.

(*r*) *Geograph.* Lib. IV. pag. 300.

(*s*) *Decad.* IV. Lib. VIII. Cap. XVII.

(*t*) Vide ſupra not. (*k*)

(*u*) Loco cit.

(*x*) *Decad.* III. Lib. II.

(*y*) Haſta & lancea non differre videntur re ipſa, ſed fere nomine tantum; lancea enim Gallicæ vel Hiſpanicæ originis creditur, quum Romanum nomen ſit haſta.

Haſta altior ipſo milite eſt, adeoque ſex pedum circiter. Ita in Trajani anaglyphis, Arcui Conſtantini M. Romæ inſertis, haſtæ viſuntur. Longitudo earum ſub M. Aurelio imminuta; ſub Conſtantino & Theodoſio vix IV. pedes exceſſit. Unde anaglyphum noſtrum ad ſeculum primum referre vix dubito. Apud Gallos olim ſpecies haſtæ in uſu fuit, quam Celtica ſua lingua *Gaſum* (z) vocabant. Militis noſtri haſta an hujus generis ſit, dubium me reddit VIRGILIUS, (a) ex quo diſcimus, una manu duo gæſa geſtari potuiſſe: *Duo quisque Alpina coruſcat gæſa manu.* Tragula ſeu jaculum Gallorum, quod vocabatur *materis*, (b) apud CÆSAREM *matara*, *mataras*, (c) apud STRABONEM (d) *meris*, trahi huc nequit, quod Strabo illud à lancea aperte diſtinguit.

§. CLI.

Signum militare.

Militare denique ſignum, quod ad latus ſiniſtrum militis noſtri ſtat, gallum gallinaceum in extremitate ſuſtinet. Antiquitus aquilæ, lupi, equi, minotauri, apri, (e) ſigna erant Legionum apud Romanos, quorum ſimulacra ſingulos ordines anteibant. Poſtea in acie aquila ſola portabatur, cætera ſigna relinquebantur in caſtris. Conſulatu ſuo ſecundo Marius aquilam, reliquis abdicatis, ſervavit, quam ſummæ haſtæ impoſitam portavit Aquilifer. (f) Poſteriori ævo, ſignis in totum abdicatis, dracones uſurpatos tradit VEGETIUS. Victoriæ alatæ ſignum ſub Trajano in Romanorum acie portatum fuit, ejusdem plane, ſed majoris, formæ, quale nos ſupra Tab. VI. num. 7. ex Muſeo noſtro exhibuimus, id quod Columnæ Trajanæ toreumata docent. (g) Pertica, ſive haſta, ſuper qua gallus ſtat, ornata fuit clipeolis, totam fere haſtam tegentibus, qui Deorum & Imperatorum principumque Virorum imagines, & alia hujus generis, (h) referebant. Unde apud SUETONIUM (i) legimus, Artabanum, Parthorum Regem, aquilas & ſigna Romana, Cæſarumque adoraſſe imagines. HERODIANUS (k) autem Maximini, à militibus occiſi, mortem referens, imagines illius de ſignis militaribus quoque detractas fuiſſe annotat. Non transeundi heic ſilentio Triumviri Antonii nummi, in quibus navis & remiges, cum Inſcript. *Ant. Aug. III. Vir. R. P. C.* In poſtica vero eſt aquila legionaria, inter duo ſigna militaria, cum Epigraphe: *Chortium Prætoriarum.* (l)

§. CLII.

Nomen nationis.

In ſuperiore parte Lapidis legitur: LEPONTIUS. Vocem hanc præceſſerant aliæ, ſummitati Lapidis, juncti olim, dein abſciſſi, inſculptæ. Nomen nationis fuit, ex qua miles noſter ortus. In Rhætica enim Lepontiorum (m) natione oritur Rhenus, quem à Lepontiis per Nantuatium, Helvetiorum, Rauracorum, Tribocorum &c. fines defluere, ſcribit Cæſar Dictator. *Notitia Imperii Occident.* (n) multorum militum & Cohortium nomina exponit, qui ad Rhenum, Menapii nempe Tabernis, Pacenſes Saletione, uti vidimus, excubabant. *Lepontii* Argentorati eo tempore præſidio eſſe potuerunt, quo miles hic deceſſit atque monumento ornatus eſt. Militis ergo noſtri nec nomen, nec munus, quod in militia geſſit, cognoſcimus. Gregarium non dixerim, quod

(z) Gallicam vocis & inſtrumenti hujus bellici originem in dubium vix licet vocare. De Orthographia quæritur. *Gaſum* & *Geſum* indiſcriminatim ſcribi poſſe DAUSQUEJUS exiſtimat *Orthograph.* Part. II, in hac voce. VOSSIUS in *Etymologico* ſtat pro *Geſo.* Gallicum telum alii Hiſpanis, SILIUS ITALICUS vero *Punicor.* Lib. II. vers. 444. Afris, LIVIUS XXVI. 6. Numidis, at Lib. IX. 36. Gallis, Romam diripientibus, adſcribit. A Gallis certe viros fortes *Geſos* appellatos fuiſſe, SERVIUS *ad Virgilii* Lib. VIII. vers. 662. docet. *Alpina Gæſa* VIRGILIUS appellat: Alpes autem à Gallis occupatæ. Sed & CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. III. Cap. IV. *Gæſa* Gallis attribuit. Conf. DRAKENBORCH *ad Silii Ital.* locum alleg.

(a) Lib. VIII. *Æneid.* vers. 662.

(b) *Auctor ad Herennium* Lib. IV.

(c) *Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXVI. AUGUSTINUS in Libro *contra Judæum Dei* Cap. VI. *Mataram* appellat.

(d) Lib. IV. pag. 301.

(e) Urſus & aper in ſignis militaribus arcus triumphalis Arauſionenſis comparent, cujus iconiſmus apud JOSEPHUM DE LA PISE *Hiſtoire des Princes & de la Principauté d'Orange* pag. 26. ſqq.

(f) PLINIUS Lib. X. Cap. IV. VEGETIUS *de Re Militari* Lib. II. Cap. XIII LAZIUS *de Republ. Rom.* Lib. VII. LIPSIUS *de Re Milit.* Lib. IV. Cap. III. §. 9. HUGO *de Militia Equeſtri* Lib. II. Cap. IV. DAUSQUEII *Notæ ad Silium* pag. 248. ſeq.

(g) Tale ex Rolandina Cimeliotheca æri inciſum exhibet MICH. ANGELUS CAUSEUS in *Diſſert. de ſignis militaribus*, *Theſauri Græviani* Tom. X. pag. 1528.

(h) Clypeolis his varia inſculpebantur. Roma attuli æneum hujusmodi deauratum clypeolum, ſigniferæ olim haſtæ infixum, ubi Dea caput dextra gerens, figuræque ſedenti offerens viſitur. Sed & in exercitu Rom. prælerebantur perticæ, in quibus Imperatoris imago. Haſtiferi illi dicebantur *Imaginiferi.* VEGETIUS *de Re Milit.* Lib. II. Cap. VII.

(i) SUETONIUS *Calig.* Cap. XIV.

(k) Lib. VIII. Cap. V.

(l) *Chors* & *Cohors* promiſcue dicitur, uti infra oſtendimus Cap. XIX.

(m) In Alpibus Rhæticis erant Lepontii, inter Orobios, Inſubres, Sedunos, Salaſſos & Libicos; ubi hodie Levontina vallis. Vide STRABONEM, & PLINIUM Lib. III. Cap. XX. Lepontiorum meminit SILIUS ITAL. Lib. IV.

(n) Pag. 145. Edit. Pancirol.

MONUM.

quod caſſidis ornatus, longior chlamys & vexillum adſtans, aliud quid indicant. Neque ob vexillum militem ego noſtrum ſigniferum dixerim; qui enim ille cum omnibus ſuis armis, quæ manibus tenet, vexillum quoque geſtare potuiſſet? Adjectum modo videtur vexillum, ut intelligeretur, cujus Cohortis Centurio fuerit. Legiones enim ex X. Cohortibus compoſitæ erant, quæ ſingulæ ſua habuerunt vexilla, in quibus draco, vel aliud animal; unde ſigniferi ſubinde *Draconarii* (o) dicti ſunt. Ex militum itaque principalium numero fuit noſter *Lepontius*; & quidem, ſi non in Legione Romana Tribunus ordinarius, Auguſtalis vel Flavialis, uti à Vegetio diſtinguuntur, aut ex Ordine Centurionum; certe ex auxiliaribus Gallorum copiis fuit præfectus; quod omnis ejus habitus non Romanum, ſed peregrinum quid exprimit.

§. CLIII.

BROCOMAGI.

OPpidum hoc, Monumentorum Romanorum ferax, & hoc nobis fragmentum protulit:



Ingentis ſaxi exigua portio; cujus literæ verſus prioris ſex cum dimidio pollices; verſus poſterioris autem ſex fere pollices, longæ ſunt. Ex literis his certi quid expiſcari, Delii natatoris eſt opus. Baſilicæ titulus forte fuit.

IN ECCLESIA DOMUS PETRI PROPE MOLSHEMIUM.

§. CLIV.

IN campeſtri Avelsheimenſium Æde, quarto ab Argentorato lapide, prope Molshemium oppidum (quæ Ædes totius Alſatiæ antiquiſſima creditur, *Domus Petri*, (p) vulgo *Dom Pieter* dicta) ad dextrum latus Aræ, Sarcophagus lapideus excavatus ſtat; ſex pedes & ſex pollices longus, duos pedes & ſemipedem latus, duos pedes tresque pollices altus; ex Alſatico ſaxo confectus. Operculum ſarcophagi periit; frontiſpicium autem, opere toreumatico elaboratum, duos genios, craſſa ſatis minerva ſculptos, tabulamque utrioque anſa tenentes, ſiſtit. Genii alati & nudi ſunt, ſymbolum conjugalis amoris: cujus generis ſarcophagi plures alibi occurrunt. (q) In Tabula legitur Inſcriptio ſequens: Sarcophagus.


Uuu 2 ET

(o) VEGETIUS *de Re Milit.* Lib. II. Cap. VII.

(p) Baſilicæ hujus auctorem eſſe volunt Maternum, Petri diſcipulum, quum Alſatis Inferioribus Evangelium prædicaſſet. Jam ante hanc Maternum condidiſſe volunt Argentorati Baſilicam *D. Petri*, quæ *Senioris* jam vocatur, extra muros tum poſitam: utramque in honorem Magiſtri ſui D. Petro dicaſſe creditur Maternus.

(q) GORII *Deſcriptio Monumenti ſive Columbarii Libertor. & ſervorum Liviæ Aug.* Tab. VI. & VII.

MONUM.



Siglæ D. M. quæ operculo ſarcophagi inſculptæ fuerant, cum operculo perierunt. (*r*) Inſcriptionis enim tenor hic fuit: *Diis Manibus & memoriæ Terentiæ Auguſtulæ*, *Conjugis ſanctiſſimæ*, *Juſtus Juſtinus maritus*, *& Juſtinus Oceanus & Florida Matri pientiſſimæ* ſubaudi *fecerunt*, vel *faciundum curaverunt*.

§. CLV.

Errores aliorum.

JACOBUS WIMPHELINGIUS (*s*) & JODOCUS COCCIUS (*t*) Inſcriptionem non omnino ad authentici fidem dederunt; uterque licet ſarcophagum viderit. BROUUERUS, Vir eruditione paucis ſecundus, à Wimphelingiano typo non recedit, quamvis & ipſe Lapidem viderit. Exceptoris primi indiligentia omnes decepit; quod in Epigraphicis rebus quotidie fieri videmus. Brouuerum MURATORIUS (*u*) bona fide quoque ſecutus eſt. Præcipuum in his omnibus apographis vitium eſt, quod primam primi verſus voculam ET omittunt, quæ tamen hodieque in ſarcophago legitur, manifeſtumque Gentilitatis indicium eſt: ſepulcra enim *Diis Manibus* dicare, ethnicus Romanorum mos fuerat. Notæ initiales D. M. Epitaphiis communiter ſolent præfigi, ubi vox *ſacrum* ſubaudienda, cujus ſigla raro adjicitur. Formula *Diis Manibus*, in plerisque Epitaphiis abſolute poſita eſt, (*x*) interdum cum nomine mortui mortuæve conſtruitur: quod duobus iterum modis facere ſolebant. Vel enim, uti in hac formula: *Diis Manibus L. Hoſtili*, *Ter. Silvani* &c. *Diis Manibus Voluſiæ* &c. (*y*) nomen mortui à formula *Diis Manibus* regitur; vel ea conſtruendi ratio adhibetur, quæ in noſtra Inſcriptione occurrit, minusque frequens eſt: *Diis Manibus & Memoriæ Terentiæ* &c. Simile Epitaphium extat Lugduni: *D. M. & Memoriæ æternæ Fauſtini* &c. (*z*) Ibidem: *D. M. & Memoriæ æternæ Aufidi* &c. Non fideliter ergo à deceſſoribus meis edita eſt hæc ſepulcralis Inſcriptio, quod omnes copulam ET, primum primi verſus vocabulum, omittunt, quod ego ex ipſo ſarcophago reſtituo. Secundo hujus Epigraphes verſu fabrili errore *Conjugi* pro *Conjugis* legitur, cujusmodi exempla innumera proſtant. (*a*)

§. CLVI.

(*r*) Apud Vangiones ſarcophagi ſimiles ſunt duo, quorum operculis inſculptæ literæ D. M. SCHANNAT *Hiſt. Wormat.* pag. 4. Tab. II. Fig. II. & III.

(*s*) WIMPHELINGIUS *de Epiſcopis Argentin.* in Prologo: *Memoriæ Terentiæ Auguſtinæ Conjugi ſanctiſſimæ*, *Juſtus Juſtinus maritus ejus Ti. Oceanus & Florida matri pientiſſimæ.* Ita in prima & authentica Editione, à Jo. Grieninger An. MDVIII. facta Argentorati 4to, vivo Wimphelingio. In Moſcheroſchiana libri hujus editione legitur *Auguſtæ* pro *Auguſtinæ*; ſed neutra lectio genuina & vera, quum legendum ſit *Auguſtulæ*.

(*t*) In *Panegyrico* Academiæ Molsheim. qui dictus eſt Leopoldo Archiduci, Epiſcopo Argentinenſi, Lib. III. Cap. II. pag. 155. ut & apud BROWERUM *Annal. Trevirens.* Lib. II. pag. 144. ubi eodem modo hæc Inſcriptio, ut apud Wimphelingium, legitur.

(*u*) Qui ſarcophagi hujus titulum exhibet in *novo Theſauro* pag. 1408. num. 2.

(*x*) Ut: *D. M. Valeria Jucunda mater Valerio Achilleo filio &c. D. M. C. Fontejo Spuriano* Fontejus Dionyſius &c.

(*y*) GORII *Inſcript. Florent.* pag. 304.

(*z*) FLEETWOOD *Sylloge Inſcript.* pag. 235. & pag. 239.

(*a*) *Immuni* pro *Immunis* in *Fabrettina Epigraphe* Cap. IV. pag. 251. num. 33. *Severus Corpore* cujus pro Corporis. GORII *Inſcript. Florent.* pag. 397. *Deciniæ claræ Conjuges ſuæ*, pro Conjugis ſuæ. GORII *Columbarium Libertorum Liviæ* pag. 227. *Quintiliæ Auræ* pro Quintiliæ Auræ, ibid. num. 6.

§. CLVI.

Explicatio Inſcriptionis.

Terentia Auguſtula vocatur à marito *Conjux ſanctiſſima*; inter Moguntina monumenta Huttichii legitur: *Sequentiæ Fauſtinæ Conjugi ſanctiſſimæ & dulciſſimæ* &c. Exuberans conjugum erga uxores affectus frequentia, hæc epitheta multis in ſepulcralibus Epigrammatis peperit. (*b*) Quot laudibus CICERO & PLINIUS in Epiſtolis ſuis, ille Terentiam, hic Calpurniam ſuam, afficiunt? Obvia paſſim elogia *caſtiſſimæ*, *cariſſimæ*, *obſequentiſſimæ*, *incomparabili*, *diligentiſſimæ*, *piiſſimæ*, *rariſſimæ*, *ſingularis exempli & pudicitiæ*, leguntur. Apud SPONIUM: (*c*) *Hic ſita eſt Anymone Marii* (ſubaudi uxor) *optima & pulcherrima Lanifica, pia, pudica, frugi, caſta, domiſeda.* Apud BOISSARDUM: (*d*) *Cornelia Tyche incomparabilis erga maritum affectus ſanctitatiſque eximiæ erga liberos pietatis* &c.

Terentiæ Auguſtulæ noſtræ maritus fuit *Juſtus Juſtinus*, filius autem *Juſtus Oceanus* & filia *Florida*; nomina ſaxis veteribus frequentia. An totum ſarcophago cadaver, an combuſti cadaveris oſſa tantum illata fuerint, non novimus, quum nihil oſſium Terentiæ in eo ſuperſit. Quod ſi exuſti cadaveris oſſa ibi repoſita erant, urna minor, oſſa aſſervans, ſarcophago debuit eſſe incluſa; quem ditiores in ædicula, æde vel mauſoleo, ad hoc conſtructo, collocarunt, quæ ædicula *requietorium*, *conditorium* vocabatur, cui loculus cum urna, vel urna ſola, aut olla, aut, ſi mavis, oſſuarium, cinerarium, arca, mortuum continens, ſolebat inferri. Domui ſepulcrali alium mortuum ſi non inferri licebat, tum erat ſingularia; ſi mortuos ex familia tantum admiſit, tum familiaris vel gentilitia; ſi omnes hæredes, tum hæreditaria; quem morem ſormulæ, in Monumentis ſuperſtites, declarant. (*e*)

Compendia literarum, quæ in Inſcriptione Lapidarius adhibuit, faciunt, ut ea ad ſecula duo priora non poſſit admitti. De exuviis, in loculo hoc olim reconditis, Jodocus Coccius (*f*) ita: " Si quid conjectura heic loci habeat, crediderim, pius „ Alſatarum Majores, quod D. Petro ſuæ fidei ac ſalutis primordia deberent, olim ex „ Urbe Roma ſacras illas D. Petronillæ ſocrus exuvias in haſce oras adportaſſe. „ WIMPHELINGIUS (*g*) ait: " In eandem (Eccleſiam Domus Petri) Sarcofagus olim „ translatus eſt, in quo reliquias D. Petronellæ reconditas fuiſſe populares arbitrantur, „ perſuaſique vim aliquam permanſiſſe ex ſacrarum contactu reliquiarum, eos qui febri „ laborant in ipſum collocant, & quotquot in ipſo ſomnum cœperint, cum expergiſcantur, à morbo iſto liberari putant, cujuſcunque in illo lapide corpus reconditum „ fuerit.

TABERNIS ALSATICIS.

§. CLVII.

Epitaphium Caratiæ.

OPpidum hoc vetus, à Juliano Cæſare contra Alemannos munitum, præter Magiorigis marmor votivum, duo nobis ſepulcralia gentis *Caratiæ* offert. Unum, Eccleſiæ Collegiatæ lateri inſertum, alterum in PP. Recollectorum horto deprehendi. En tibi ectypum prioris:

(*b*) GRUTER. pag. 787. num. 8. pag. 1098. num. 1. FABRETTUS *Inſcript.* Cap. IV. pag. 247. ſqq.


(*c*) SPONIUS *Miſcellan. Sect.* IV. pag. 151. num. 35.


(*d*) Apud MONTFAUCON *Antiquit.* Tom. V. Part. I. Tab. LVII. Imo & in amicorum ſæpe laudes profuſæ. MACROBIUS *Saturnalium* Lib. II. Cap. IV. de Auguſto notat, eum, Mæcenati quum ſcriberet, joci cauſa ſubinde addidiſſe: *Vale mel gentium, Melcule, Ebur ex Etruria, Laſer Aretinum, Adamas ſupernas, Tyberinum Margaritum, Cilniorum Smaragde, Jaſpis Figulorum, Berylle Porſenæ* &c.

(*e*) MEURSIUS *de Funere* Cap. XL. ANDREAS QUENSTEDIUS, *de ſepultura Veterum*, Cap. X.

(*f*) In *Panegyrico Leopoldi Epiſcop. Argent*, Loco cit.

(*g*) In Prologo *Epiſcoporum Argent.* loco cit.





D M

MATTAI CARA

SI

Mattai pro Mattæ ſcribitur, ut *Annai* pro Annæ, *Dianai* pro Dianæ, *Timaii* pro Timæi; (*b*) uti ſupra quoque, in Columna Jovi dicata, *Baibius* pro Bæbius. Idem nomen *Matta*, & quidem *Julia Matta*, apud GRUTERUM. (*i*) Alterum nomen *Caraſia* pro Carattiæ poſitum fuiſſe videtur; S & T enim in Epigrammatibus haud raro alternant. (*k*) *Hirmius Octavius Carattia*, virile nomen, in Veronenſibus monumentis Torelli Saraynæ (*l*) occurrit. Alius Tabernenſis lapis, noſtro ſubjunctus, *Caratium* quoque, Mattæ hujus noſtræ agnatum vel parentem, Diis Manibus commendat. In lapidis ſepulcralis ſummo inſculpta viſitur ſtatera Romana, cum fulcro vel hypomochlio, in æquilibrio ſtans; ad cujus latus tria pondera, in pariete ſuſpenſa, cernuntur. Pondera hæc alteri ſtateræ parti, quæ lanci oppoſita eſt, ſolebant appendi, ut ipſa rerum pondera inde æſtimarentur. Statera hujus generis *Chorobates* appellabatur, de qua ubertim VITRUVIUS (*m*) ejusque Gloſſator LAETIUS. (*n*) Sunt, quibus ſymbolica ſtateræ hujus expoſitio placebit, conſtitutam humanæ vitæ menſuram deſignans; niſi Matta, vel maritus ejus, libripens, aut ſtaterarum artifex fuit. Mos imponendi ſepulcris inſtrumenta artis, quam defunctus profeſſus eſt, apud Græcos atque Romanos haud infrequens fuit. Rei exempla FABRETTUS (*o*) GORIUSque (*p*) producunt. In hoc *Negotiantis Materiarii* ſive lignarii Titulus ſepulcralis, variis cum inſtrumentis ad eam rem ſpectantibus, viſitur.

§. CLVIII.

Aliud monumentum.

Alter Lapis, qui in PP. Recollectorum horto ejusdem oppidi Tabernenſis extat, hunc Titulum præ ſe fert:

D. M.

(*b*) GRUTERUS *Inſcript.* pag. 1011. num. 3. FABRETTUS *Inſcript.* Cap. VI. pag. 440. num. 60. GORIUS *in Columbar. Libertor.* pag. 218. Edit. Venet.

(*i*) Ibid. pag. 526. num. 1.

(*k*) Ut Teſſii, Tettii: Meſſii, Mettii: Canuſii, Canutii: Volcaſii, Volcatii: Coſinii, Cotinii: Numitii, Numiſii; apud REINESIUM.

(*l*) *Theſauri Antiquit. Italicar.* Tom. IX. Part. VII. pag. 43.

(*m*) *Architect.* Lib. VIII. Cap. VI.

(*n*) In *Gloſſario Vitruviano* ſub voce *Chorobates.*

(*o*) *Inſcript.* Cap. VIII. pag. 587. num. 102.

(*p*) *Monumentor. Florentinor.* pag. 277.

MONUM.

D. M.
CASAE ET
CARATII
FILII. E

Caratius hic & Caraſia præcedentis lapidis ejusdem gentis fuiſſe videntur, uti modo annotavi. Apud Mediomatricos interiores Divoduri duo marmora, Caratiis poſita, ſuperſunt; alterum:

CASATO. CARATIO
FICTILIARIO. FELICI

Alterum:

TI. CL. CARATI IIIIII. AVG. (q)

Caratii ergo apud Mediomatricos exteriores noſtros & interiores vixerunt. Apud hos Sevir Auguſtalis (r) unus, alter Fictiliarius. Nemauſi quoque *Sex. Caratius Oneſimus* extitit. (s)

TABERNIS RHENENSIBUS.

§. CLIX.

IN muro cœmeterii oppidi hujus, nunc muris nudati, prope Eccleſiam parochialem, ſaxum, terminalis inſtar lapidis formatum, reperi, cum annexo ſtylobate, quod inter Antiquarii mei marmora jam extat. Longitudo ejus IV. pedum, latitudo unius cum triente; baſis autem trium pedum eſt. Hæc Epigraphe lapidis: Silvanii monumentum.

IN H DD
L. SILVANIVS
PROBVS
PONTES
D. S. D. D.

In honorem Domus Divinæ Lucius Silvanius Probus Pontes de ſuo dedicat. JACOBUS BEYELLIUS, (t) Presbyter Spirenſis, Antiquitatis curioſus, ſed non ſatis peritus, Inſcriptionem hanc, uti omnes fere, quas vidit, An. MDXXXIII. male deſcripſit, quam vel mediocriter in hoc literarum genere verſatus haud difficulter nunc legeret. Eam enim ita exhibet: *I. N. H. D. D. Silvanus Probus Pont. B. S. D. S. D. D.* BEATUS RHENANUS (u) ſaxum hoc limitem, ex nemore vicino allatum, fuiſſe ſcribit; primæque Epigraphes literæ, quæ duplex eſt, non ſatis intentus, eam præpoſtere hunc in modum exponit: *Neptuno hic dedicavit L. Silvanus Probus pontes de ſuo dedicavit.* Dedicationis verbum cur bis poſuerit Rhenanus, non equidem video. Titulus autem omnium optime in *Gruteriano Corpore* expreſſus eſt. (x) MARQUARDUS GUDIUS, (y) Beyellium ex parte ſecutus, vocem *Pontes* in ſiglas diſcerpſit, atque adeo duos ultimos verſus ita explicuit: *Pontifex & Sacerdos Dei ſolis donum dedit;* facile mutaturus ſententiam,

(q) Utrumque Titulum vide in MEURISSE *Hiſt. des Eveques de Metz* pag. 12.

(r) Seviratus Auguſtalium ſive Auguſtalitas in civitatibus, coloniis, municipiis honeſtus ordo fuit, poſt Decuriones. Duumviri Conſulibus, Decuriones Senatui, Seviri Auguſtales Equitibus comparati. Unde Lapides: *Ordo Decurionum, Auguſtalium, & Plebs univerſa.* Ad Auguſtalium Romæ exemplum in Provinciis quoque orti videntur, ut jus ſacrum obirent; unde Magiſtratus non fuerant. A Decurionibus legebantur, nec perpetui erant. Sex fuerant numero. Adi CHIMENTELLUM *de Hon. Biſellii* Cap. XL. REINESIUM *Epiſt.* XXXI. *ad Rupertum.*

(s) GRUTER. *Inſcript.* pag. 881. num. 7.

(t) In BARTHII *Adverſariis* Lib. LII. pag. 2427.

(u) *Rerum Germanicar.* Lib. III. pag. 322.

(x) *Inſcript.* pag. 163. num. 5.

(y) Vide *Notas ad Gruteri* locum cit.

Digitized by Google

MONUM.

tiam, ſi Lapidem inſpicere potuiſſet. Sed & Inſcriptionem denique noſtram Nic. Bergerius, (z) in excellenti ſuo *de Viis Militaribus Romanorum* libro, produxit, Gruterianum ſecutus exemplum. Formula: *in honorem Domus Divinæ*, tertio quartove ſeculis tam recepta fuit, ut ſacris profaniſque monumentis indiſtincte præfigeretur. Aræ San-Remigianæ præfixam ſupra jam vidimus, ubi & aliæ hujus indolis formulæ è ſaxis veteribus à nobis prolatæ ſunt. Juranam illam Petræ Pertuſæ Epigraphen paulo poſt ſumus daturi, qua *Numini Auguſtorum* viam ſuam dedicavit Paternus, uti pontes *Domui Divinæ* dedicavit Silvanius. Stravit eos haud dubie ſuper foſſas, rivos & flumina, Rhenum inter & Vogeſum, ad publicos incolarum atque cohortium uſus, quæ in ora Rhenenſi ſtativa habuerunt. In veteri illo de Inſignibus Magiſtratuum Romanorum libro, qui *Notitia Imperii* inſcribitur, (a) legimus, Menapios milites Taberois excubuiſſe, ſive habuiſſe ſtativa, ſub ſuo Præfecto: *Præfectus militum Menapiorum Tabernis* erat, *ſub Diſpoſitione Viri ſpectabilis Ducis Mogontiacenſis.* Saletione, qui locus Tabernis vicinus eſt, *Milites Pacenſes* erant, cum ſuo Præfecto. Præſidiariis his frequens debuit eſſe horum pontium uſus.

§. CLX.

Viarum & pontium cura.

Viarum ſternendarum cura in Urbe apud Cenſores, Ædiles & IV. Viros, diverſis temporibus; in Municipiis apud Quinquennales fuit. Ædiles aliquando ex mulctis, ſubinde privatis ſumptibus, (b) extra ordinem, vias munierunt. Viarum, in Coloniis & Municipiis, ab Ædilibus munitarum, proſtant exempla. Apud Gruterum (c) LUCILIUS. ÆD. VIAM. SILICE. STRAVIT. In Provinciis cura hæc fuit Præſidis vel Rectoris Provinciæ, id eſt, Proconſulis, vel Legati Cæſaris &c. teſte Macro. (d) Apud Gruterum (e) legimus: *Imp. Cæſ. C. Julius Verus* &c. *vias & pontes, tempore vetuſtatis collapſos, reſtituerunt curante Q. Decio Legato Augg. Pret. Præf. a Braccara Aug. M. P.* Apud Reinesium (f) memoratur, quod TI. CLAUDIUS. CAISAR. AUG. . . . CENSOR. VIAM. CLAUDIAM. VALER. A. CERFENNIA. OSTIA. ATE. . . . MUNIT. IDEMque PONTES. FECIT. XLIII. Apparet hinc, pontium & viarum curam fuiſſe conjunctam: in viis enim foſſæ, rivi, flumina, rupes, adeoque pontes & petræ perforatæ, occurrunt. Nummi, in munitarum viarum memoriam cuſi, non vias modo, ſed & ſimul pontes repræſentant. (g) *Silvanius Probus* noſter nec Præſes provinciæ, nec Legatus, nec Ædilis, nec Viarum Curator, fuit; muneris, ſi tale quod geſſiſſet, more in Romanis Inſcriptionibus recepto, facturus mentionem. Neque operum publicorum redemptor fuit, aut manceps, (h) ſed homo privatus, qui liberalitate ſua pontes conſtruxit; conſtructos Domui Auguſtæ dedicavit. Oreti apud Hiſpanos lapis ita loquitur: *P. Bæbius Venuſtus . . . in honorem Domus Divinæ pontem fecit.* (i) Apud Velserum (k) in Monumentis extat cippus, Septimio Severo & filiis ejus dedicatus, ubi viæ & pontes reſtituti memorantur ab Auguſta Vindel. ad M. Paſſ. XXXXI. XXXXII. &c. Haud procul Oeniponte repertus eſt cippus, Severo & filiis inſcriptus, ubi *viæ & pontes reſtituti ab Auguſta* Mill. Paſſ. CX. (l) Sed & *Cæſar Princeps Juventutis Pontem & Vias vetuſtate collap. reſtituit*, uti alia apud Bergierium (m) Inſcriptio indicat. Pontes ſuper Rhenum ab Imperatoribus ſtructi ſunt. Strabo (n) de Legatis Auguſti, quos in Gallia Belgica adhibuit, memorat: *Poſt Mediomatricos atque Tribocos Treveri Rheno adjacent, apud quos à Romanis contra Germanos noſtro tempore factus eſt pons.* Pons Agrippinenſis ſuper Rhenum à veteri Panegyrista (o) celebratur. Silvanii pontes non ad Rhenum, ſed ad interiora regionis pertinuerunt.

CAP.

(z) *Hiſtoire des Grands Chemins de l'Empire* Lib. IV. Cap. XXXVII. pag. 744.

(a) *Notitia Imperii Occident.* pag. 145.

(b) Viam à Benevento Brundiſium pecunia ſua fecit Imp. Trajanus. Gruterus *Inſcript.* pag. 151. num. 2.

(c) Pag. 70. num. 1.

(d) Lib. I. *D. de Off. Prator.*

(e) *Inſcript.* pag. 151. num. 5.

(f) Claſſ. III. num. 80.

(g) Ezech. Spanhemius *de Uſu & Præſtantia Numismatum* pag. 195.

(h) Redemptores erant, qui opera facienda, vias & pontes, certa æris ſumma faciundos, à Curatoribus conducebant; *Mancipes* quoque dicti. Ita manceps Viæ Appiæ fuit Cn. Cornelius Muſæus, apud Gruterum *Inſcript.* pag. 622. num. 2.

(i) Nonius in *Deſcript. Hiſpaniæ* Cap. LXII. Gruterus *Inſcript.* pag. 163. num. 4.

(k) Velserus Opp. pag. 409. & 410.

(l) Idem loco cit. pag. 420.


(m) *Hiſt. des Grands Chemins* Lib. IV. Cap. XXXVII.

(n) *Geograph.* Lib. IV. pag. 295. Edit. Almel.

(o) *Panegyrici veteres* pag. 240. Edit. Delph.

MONVMENTA I

III.



II.






VI.






VII.





AGISBVRGENSIA.



CAPUT XIII.

MONUMENTA DAGISBURGENSIS.

§. CLXI.

NUlla Vogeſi regio monumentorum & ruderum ævi Romani fertilior Comitatu Dagisburgico, qui Divi Leonis IX. patria eſt. Comitatus ita inſidet Vogeſo, ut non medium modo ejus occupet, ſed & utrumque, orientale nimirum & occidentale, latus ejus, à Mauri Monaſterio ad D. Quirini Fanum, ſeu octo leucarum intervallum, includat. Pervia ibi ſunt Vogeſi clauſtra, quæ hinc inde transeuntibus ſe ita aperiunt, ut Romanis temporibus per tractum illum à Tribocis & Mediomatricis exterioribus ad interiores Mediomatricos via patuerit, quæ hodieque ab incolis utriusque Provinciæ teritur; ita tamen, ut excludantur vehicula. Dagisburgenſia monumenta.

In mediis his montium clauſtris & ſaltibus *Sacelli Mercurialis* veſtigia: Mercurialium nempe imaginum, longa temporum injuria in partes diffractarum, reliquiæ plurimæ; Silvani imago, in ſummo montis cacumine poſita; Sepulcretum, ſarcophagis aliisque lapidibus variæ formæ figuræque ſepulcralibus adhuc inſtratum; Columna ſaxea ingens, ex tribus, juxta ſe poſitis, adhuc ſuperſtes; ædificiorum plurimorum, duobus ordinibus utrinque olim ſtructorum, rudera; aliaque priſci ritus Romani indicia, hinc inde diſperſa, ſe mihi obtulerunt, quum loca illa montuoſa & aſpera, continuato plurium dierum itinere, attentus luſtraſſem. Caſtrum Hugonis Comitis, ubi Leo IX. Pontifex, filius ejus, lucem aſpexit, cum Capella vicina, medii ævi monumentum, heic loci prætereo; in Dagisburgenſium Comitum Hiſtoria ſuo loco referendum.

§. CLXII.

Ex ruderibus his & Monumentis diſperſis nonniſi unicum literatum, Romanæ Antiquitatis teſtis, ſupereſt, quod cum cæteris Dagisburgo-Romanis conjunctim Tabula XIII. exhibeo; ita quidem, ut Mappula Chorographica, Tabulæ inſerta, locorum ruderumque ſitum ſimul ob oculos ponat. Fatebitur Lector, non ſine ratione me tum fuiſſe conqueſtum, in omni illo tractu, tam late extenſo, Romanis ædificiis conſito, ex Periodo Romano-Alſatica, nonniſi unum hoc literatum eſſe ſuperſtes Monumentum, in ſepulcreto præſertim, ubi frequens Epitaphiorum numerus olim eſſe debuerat. Tractus, ubi ſepulcretum eſt, à *tribus ſanctis* appellatur, *bey den drey Heiligen*, quem Mappulæ Topographicæ Litera A exhibet. Inter lapides illos, ſurſum deorſum verſos, aliquandiu deambulans, cogitavi illud: Sepulcretum. *Tab. XIII.*

- - ſua ſunt quoque funera Saxo,
Et rigidæ cautes cumulant ſibi clade ruinas.

Ceterum cuncta illa ſaxa, quæ diligenter inſpexi, quum à rudibus opificibus dolata & ſculpta ſint; ex iisdem præcipua ſelegi, quæ hac Tabula ſiſterem. Omnia diſtincte expreſſa, indolem operis, artis fere expertem, horrido locorum ſitui parem, oſtendunt. *Tab. XIII. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.*

Titulus ſepulcralis, quem in Polyandrio ſive ſepulcreto illo ſuperſtitem reperi, quemque Tabula noſtra num. 1. exhibet, his verſibus conſtat: *num. 1.*

D. M.
M. A I M I L I A N V S
S I X T A E. S I I D A T I
V X O R I S. M A T R I S
M A N S V I I T I.

MONUM.

M. Æmilianus Diis Manibus Sixtæ Sedati uxoris, matris Manſueti. (Titulum poſuit) Monumentum *Sixtæ* vel *Sextæ* poſitum eſt, quæ *uxor Sedati*, *mater Manſueti*, appellatur. In exteris lapidibus Tiberium Claudium, Q. Rabilium, L. Donnium, Ælium, atque Valerium, *Manſuetos* omnes, reperimus. (*p*) Manſuetum, Mercurio Tabernis Rhenenſibus noſtris votum ſolventem, ut & L. Æmilium Manſuetum, in Decumatibus Agris, apud Badenſes memoratum, ſuis locis (*q*) produxi. *Sedati* in marmoribus inter Licinios, Junios, Sulpicios, Asvios, Vibidios, (*r*) occurrunt. Lapidarius, in nomine *Sixtæ*, compendio ſingulari uſus, literæ T. transverſalem lineam curvatam inſeruit, unde lectio *Sixtæ* vel *Siſtæ* oritur. De ſimplici I in voce *Æmilianus*, & de duplici I, ſive II, pro Litera E, in vocibus *Sedatus* & *Manſuetus*, ſupra (*s*) jam actum. FIILIX, FIICIT, HIILVII, PIIINTISSIMI, pro *felix*, *fecit*, *Helvii*, *pientiſſimi*, apud REINESIUM (*t*) alibique paſſim exempla, eandem rem comprobant.

§. CLXIII.

Sacellum.

A ſepulcreto ad Sacellum progredimur, quod in Tractu, qui *Vallicula* (*Vallette*) dicitur, occurrit, quodque Topographicæ noſtræ Tabulæ litera B ſignat. Sacelli hujus aream dimenſus, formam quadratam reperi; cujus ſingula latera LXX. pedes componunt. Imaginum Mercurialium fragmenta, quæ magno ibi numero jacent, Vodanici ſane Sacelli indicia ſunt. Fragmentum illud præſertim quum quærerem, ubi nota eſt ſexus, eandem ſimulacrorum horum indolem, quam in Dononienſibus, reperi, nempe ſexus defectum; quem etiam reliqua, per Alſatiam à me viſa, vel plane non exprimunt, vel certe confuſe; cujus Theologiæ rationes in Dononienſibus Monumentis adduxi. Sed & in ipſo Sacelli Areæque examine id inveni ſingulare, quod murus ex cæmento & arenato conſtructus non fuerit. Maceries ſive congeries lapidum, in formam muri, ſine calce aut alio ferruminis genere, ordinata, ædem compoſuit; qualis Helvetenſis illa, Matrabus dicata, quam Capite IV. deſcripſi. (*u*) Non ſolidum ergo ædificium, nec Templum verè, nec Delubrum, nec Fanum, ſed *Sacellum* modo Mercuriale noſtrum hoc Dagisburgicum fuit. FESTUS (*x*) ait: *Sacella dicuntur loca Diis ſacrata ſine tectis.* Aliis loca ſunt conſepta, muro tantummodo clauſa. Romani ergo gentiles, uti deinceps Chriſtiani, numinibus ſuis ſacra diverſi generis domicilia, Templa nempe, Fana, Delubra, Ædes, Cellas, Sacraria, Cellulas, Sacella, Fanula, Attegias, Aras majores minoresve, pro rerum locorumque circumſtantiis, condiderunt; quorum omnium ſpecies vetus Alſatia vidit, nonnullarum veſtigia ætas noſtra adhuc contuetur. Noſtrum hoc Mercuriale Sacellum ſolitarium fuit; (*y*) nullis aliis habitationibus cinctum, adeoque ſtructum ſeorſim; quod in reliquis omnibus, quæ deteximus, quoque factum obſervo.

§. CLXIV.

Obeliſcus.

Sed jam ex Vogeſi ſinu ad occidentale ejus latus, extremitatemque Dagisburgici Comitatus, ſive ad confinia Alſatiæ Lutharingiæque, deſcendimus. Ebersvilla ibi, vicus inſignis eſt, quem Sara, in Divi Quirini montanis orta, ratium ferendarum jam capax, alluit. Haud procul ab amœno hoc & divite vico, obeliſci quædam ſpecies viſitur, lapis nimirum continuus, unum & viginti pedes longus, quem accolæ Germani (*Knockel*) *Colum* appellant. Infima pars ejus quinque pedes latitudinis, duos cum ſemipede craſſitudinis, habet. Latitudo obeliſci pedetentim diminuitur ita, ut in medio quatuor, in ſummo tres tantum pedes expleat, tandemque in apicem deſinat. Ad utrumque ejus latus duo ſimiles ejusdem formæ obeliſci ſteterunt, quorum autem ſola pars infima ſupereſt, uti in Tabulæ ſchematismo indicavimus.

Tab. XIII. Lit. C.

Obeliſcorum horum uſum ſi quæras, alium quam ſepulcralem, non equidem reperio: quod nec templi, nec alterius ullius ædificii, publici aut privati, compoſuerant partem: in omni illo ſpatio, quod columnas has circumdat, nulla ſunt murorum veſtigia. Novimus apud Gallos & apud Germanos præſertim, à quibus Inferior tum habitata Alſatia, divitum vel illuſtriorum ſepulcris columnas, obeliſcos, ſaxaque, in altum ſurgentia, frequenter ſolitos fuiſſe imponi.

§. CLXV.

(*p*) Apud GRUTER. *Inſcript.* pag. 108. 128. 269. 345. 745.

(*q*) Cap. I. & Cap. XIX. item inter Monumenta Badenſia.

(*r*) GRUTER. *Inſcript.* pag. 241. 471. 1087.

(*s*) Occaſione Vocis *Balbius* Cap. III. pag. 474. Adde *Orthographiam Noriſianam* §. II. pag. 52.

(*t*) *Inſcript.* XII. 70. XVIII. 30.

(*u*) Vid. pag. 479. §. LXXXII.

(*x*) *De Verborum ſignificatione* Lib. XVII. pag. 467. C. TREBATIUS Lib. II. *de Religionibus*, apud GELLIUM Lib. VI. Cap. XII.

(*y*) Mercurialia Templa, quæ in urbibus ædificantur, in foris publicis poni jubet VITRUVIUS Lib. II. Cap. VII. quod Mercurius Deus eſſet commercii.

MONUM.

§. CLXV.

Ægyptiorum pyramides & obeliſcos, quos Romani imitati ſunt, ut & antiquiſſimum illud agri Albani in veteri Latio monumentum ſepulcrale, quod Curiatiorum dicitur, prætereo, ubi quinque obeliſci coniformes viſuntur. Ex Gallica, & Germaniæ præſertim borealis, antiquitate lucem aliquam Dagisburgico noſtro ſum allaturus obeliſco. In Ebroicenſi apud Normannos Diœceſi An. MDCLXXXV. bini in colle lapides, terminorum inſtar poſiti, reperti ſunt, terraque effoſſa deprehenſum ſepulcrum. (z) Plures colles ſepulcrales & ſaxeas moles apud Germanos, Cimbros &c. memorat KEYSLERUS. (a) Noſtro tamen obeliſco nibil ullibi deprehendi ſimilius illo, quem, in Diœceſi Bergenſi conſpicuum, inter Monumenta Danica OLAUS WORMIUS (b) prodidit & icone expreſſit; novem ulnarum Sielandicarum altitudine, juxta baſin quinque quartarum latitudine, uniusque ſpithamæ craſſitie eum eſſe, paulatimque in apicem excurrere, anootans. Gigantem ibi ſepultum vulgi fabula eſt. In eadem Diœceſi ſex alia ſtupendæ magnitudinis ſaxa ſimilia, ordine poſita, conſpici, idem paulo ante Wormius obſervat. Saxa hæc illiterata atque rudia fuerunt; alia, literis Runicis, ſive Gothicis exarata, illis deio ſubjungit. Alii obeliſci.

§. CLXVI.

Obeliſcorum horum, ex uno ſaxo tam alte ſurgentium, alius, quam ſepulcralis uſus non facile indicatur. Saxa enim, quæ Dani Suecique veteres hinc inde poſuerant, quæque hodie extant, alia regibus eligendis, alia Mallis ſive Judiciis publicis (c) habendis, alia duellis & monomachiis (d) exercendis, deſtinata fuerunt. Nec erant ſingularia ſaxa, io altum ſurgentia, ſed vel in tantum eminebant è terra, ut electores illis inſidere, Rexque electus uni eorum imponi potuerit, vel ex grandiorum lapidum congerie in quadrangulam aut ovalem figuram diſpoſita formabantur. Alias moles ſaxeas, quas Ducatus Holſaticus, Megapolitanus, Bremenſis, Brunswico-Luneburgenſis, imo & Trenthia, Weſtphalia (e) aliæque provinciæ oſtendunt, prætereo, quod ingentes illæ quidem ſunt, ſed oon in obeliſcorum formam componuntur. Quo major ſurrexerat lapidum acervus; quo grandior unius pluriumve fulcris impoſitorum moles; qoo amplior circumfuſa ſpectabatur lapidum mioorum corona, eo majorem ſub iis recondítorum dignitatem aut gloriam geſtorum futuris ſeculis indicare voluiſſe veteres Germanos, HERMANNUS NUNNINGHIUS (f) judicat. Uſus eorum.

§. CLXVII.

Ex ſeptentrionalibus ſuis Germaniæ atque Cimbricis oris Anglo-Saxones (g) uſum & morem hunc ſecum attulerunt Britannis. Apud hos enim in Sariſburienſi, Provinciæ Viltonienſis, planitie campeſtri, in quo tractu creditur fuiſſe Sorbiodunum, (h) moles lapidea eſt, vere ſtupenda, ex ingentibus at impolitis & fere rudibus ſaxis, obeliſcorum inſtar, æquali fere intervallo in altum ſurgentibus, conſtans, qui triplici vel quadruplici ſerie in coronæ modum, eriguntur. Obeliſcorum horum nonnulli XXVIII. pedes altitudinis, VII. latitudinis, habent, referente CAMDENO; (i) illisque transverſarii hinc inde lapides ſuperincumbunt, ut penſile opus videatur; Britannis (k) Origo obeliſcorum.

 Stonehenge

(z) MONTEFALCONIUS *Antiquit.* Tom. V. Part. II. Lib. I. Cap. IX. pag. 194.

(a) *Antiquitates Septentrional.* Cap. V. §. IX. pag. 109.

(b) *Monum. Danicor.* Lib. I. Cap. IX. pag. 64.

(c) WORMIUS loco cit. Cap. X. pag. 68. Fora hæc Danis vocantur *Ting*, quæ vocula, Germanis medio ævo notiſſima, originem dedit voci *Dingboff*, quas Curias Dominicales appellarunt Latine. Fora illa in locis campeſtribus & apricis, vel etiam in ſilvis & lucis, prope aras Deorum haberi ſolebant. Urbs & arx *Orethingana* apud Selandos nomen inde trahere creditur.

(d) De Monomachiæ Legibus SAXO GRAMMAT. Lib. IV. ARNGRIMUS JONAS *Rer. Islandicar.* Lib. I. Cap. IX. quem barbarum lites decidendi morem Regnerus, cognomento *Lodbrog*, circa An. Chr. DCCCXX. abrogaſſe creditur. SAXO Lib. IX.

(e) NIC. SCHATENIUS *Hiſt. Weſtphal.* Lib. VII. pag. 487.

(f) In *Sepulcreto Weſtphalico-Mimigardico Gentili*, Sect. II. Cap. I. §. II. pag. 53.

(g) Saxones & Anglos de genere Cimbrorum fuiſſe, probat ROBERTUS SHERINGHAM in *Diſcept. de Anglorum gentis origine*, Cap. III.

(h) THO. GORE *Nomenclator Geograph. Latino-Anglicus* pag. 130.

(i) CAMDENUS *in Britannia* pag. 218. Janſonianæ vero Edit. pag. 116. ubi iconiſmum ejus exhibet, tres ſeries ponit. Repetiit eundem GEORGIUS ECCARDUS in opere poſthumo *de Origine Germanorum.* At quatuor ſeries ponit IGNATIUS JONAS (Inigo Jones) in Libro: *Antiquity of Great Britain vulgarly Called Stone-heng*, London 1655. fol. Adde WALTER CHARLETON *Chorea Gigantum.* Moles hujusmodi ſepulcrales gigantibus adſcribendas exiſtimavit Jo. PICCARDUS in *Antiquitatibus provinciarum inter Mare Germanicum, Amiſiam & Lippiam* &c.

(k) Lapides penſiles.

Stonehenge appellatum, ſub quo urnæ, oſſa, carbones, nummi, arma, aliaque veteris ſupellectilis, evidentes monumentorum ſepulcralium reperti ſunt teſtes; quos Keyslerus (*l*) producit; qui alio quoque in loco (*m*) Monumentum hoc neque Templum eſſe, neque à Romanis, aut ante hos à Britannis exſtructum fuiſſe probavit. Nos ergo tres noſtros obeliſcos Dagisburgici tractus, Germanici veteris Tribocorum ritus opus eſſe cenſemus, primario cuidam viro monumentum ſepulcrale exſtructum.

Stratum denique illud, ex ingentibus ſaxis, ſibi ſuperimpoſitis, concinnatum, quod Lit. D ſignatur, ex ædificio quoque ferreo illius ævi reliquias ſervat: incolis ab omni memoria lingua Teutonica (*die Schantz*) *propugnaculum* dicitur. Non equidem negaverim, molem hanc lapideam bellicis uſibus inſervire potuiſſe; publico tamen cuidam ædificio majori, fundamenti quoque loco, potuiſſet ſubſterni. Silvani imaginem, Tabulæ noſtræ Lit. E exhibitam, qui Dei tutelaris inſtar limitumque cuſtos, in ſummo montium apice poſitus fuerat, heic non attingo, quod de illo jam actum eſt Capite ſexto. (*n*)

CAPUT XIV.

MURUS CASTRENSIS ODILIANI MONTIS.

§. CLXVIII.

Murus Caſtrenſis. *Tab. XIV.*

INter apices Vogeſi, omneſque Galliæ & Germaniæ montes, Odilianus inferioris Alſatiæ mons, Ober-Ehnheimenſi oppido, quondam Imperiali, vicinus, non tam ob altitudinem, quam rerum, quæ ibi eminent, copiam, principatum facile obtinet. In amœna ille & fertiliſſima regione Alſatiæ ſuum caput extollit, in qua Auguſtiſſimarum, quæ Imperii Germanici ſolium poſtremis his ſeculis occuparunt & occupant, Auſtriacæ nempe ac Lotharingicæ, Domuum, incunabula quærimus. In præalto hoc monte ſator utriusque, & Alſatiæ Dux, Eticho, gentis ſuæ caſtrum in Parthenonem convertit, ibique cum uxore & filia jacet ſepultus. Sed &, quod noſtri beic præſertim argumenti eſt, ſublimem illius verticem montis immenſa quædam coronat murorum lapideorum moles, robore, craſſitie & amplitudine potiſſimum ſua mirabilis; quæ florente Romanorum Imperio, plures cohortium Romanarum ſpeculas & ſtationes circumcinxit; ad quas via militaris, à radicibus usque ad cacumen montis, quindecim fere mille pedum noſtratium ſpatio, magnis lapidibus ſtrata, ducebat; id quod veſtigia ejus, quæ paſſim ſuperant, parteſque adhuc illæſæ, demonſtrant; quarum ſpecimen Tabulæ noſtræ Litera I exhibet. Viam hanc ſtratam jam ſuperius expoſui: (*o*) de Etichone Duce, Gentium illuſtriſſimarum ſatore, in Francica diſſeremus Periodo. Heic loci vero caſtrenſis ille diſtinctius examinandus eſt murus.

§. CLXIX.

Muri ambitus.

Caſtrorum Vallorumque Romanorum reliquiæ in variis Europæ, Gallicis præcipue, regionibus cernuntur; Odilianus (*p*) autem Alſatiæ murus vallaris, ſive robur & firmitatem operis, ſive extenſionem ejus & amplitudinem ſpectes, opus immane eſt. Murus non modo per magnam planitiem, in ſummitate montis, ſe late extendit, ſed & in vallem vicinam deſcendit, ut in oppoſitum montem aſcendat, atque adeo per varios meatus, gyros & angulos, ad rupium, præcipitiorum & vallium ductum accommodatos, in ſe ipſum denique redeat; quæ omnia ichnographico ſchemate Tabula XIV. fideliter exhibet. Circuitum bunc omnem in duas partes dividimus, quarum prior A magnam illam atque continuam montis planitiem, usque ad extremitatem & præcipitium D, cingit; poſterior autem B, acceſſorius quaſi & in vallem deſcendens, ad oppoſitum montem E prorepit. Primæ longitudo media 6000. latitudo 3000. pedum eſt, adeoque ſuperficies ejus omnis circiter 14130000. pedes quadratos conficit. Ipſe autem circuitus ejus 3350. perticarum (*toiſes*) ſive 20100. pedum.

Secundæ

(*l*) Keysler *de Antiquit. Septentrional.* Sect. II. Cap. I. §. IX. pag. 109.
(*m*) Section. I. Cap. IV.
(*n*) Pag. 487. §. XCIV.
(*o*) Pag. 253. §. CCXXXI.
(*p*) Odilianum murum appello, quod Francico Germanicoque vulgari ſermone mons, ubi murus noſter, *D. Odiliæ Mons* appellatur, media ætate *Hohenburgenſis* mons dictus; quem Anonymus *vitæ Odilianæ* Scriptor, atque Topologus Novientsis, male *Altitona* vocant, quod nomen Dononio monti competit, ut ſupra obſervavi.

MONUM.

Secundæ vero partis, in vallem deſcendentis, circuitus præter propter 6000. perticarum eſt; duoque adeo valla ſimul ſumpta, 8800. perticas omni ſuo ambitu continent. Caſtrorum vallatorum, quæ ex ævo Romano apud Gallos ſuperſunt, maxima eſſe cenſentur Stellatenſia, (*Camp de l'Etoile*) circa urbem Ambianum, (*Amiens*) quæ autem nonniſi 1300. pedes longitudinis & 800. latitudinis continent, adeoque ad tria millia militum continere potuerunt. (*q*) Secundum has dimenſiones ſuperficies ejus fuit 816400. pedum quadratorum, adeoque ſuperficies areæ, quam murus Odilianus ambit, ſuperficiem Stellatenſis valli ſepties decies ſuperat; capaxque hinc 50. mille hominum fuiſſet. Pequiniacenſia aliaque caſtra, Stellatenſibus minora, recenſere quid opus? Univerſum ergo Odiliani muri ambitum circumiturus trium horarum iter plus minus impendet.

§. CLXX.

Structura.

Indolem & ſtructuram ejus, quod attinet, totus ille lapideus, ex grandibus ſaxis, ruditer dolatis, & ex ipſo monte abſciſſis, ſine arenato coagmentatus eſt. Lapis lapidi, non interpoſita calce, arcte junctus atque impoſitus. Saxa ut cohærerent, ſuperficiebus ſeſe tangentibus inciſa fuit caudarum hirundinearum figura, cui quercea ejusdem figuræ ſubſcus, ſive ſecuriculæ geminatæ tabella, octo pollices longa, duos lata, unumque in craſſitie pollicem habens, inſerta eſt; quæ duos lapides, uti in magnis trabibus bipennes, ita conjungit, ut ubi ſubſcudes adhuc ſuperſunt, ibi ſuperior lapis non recta provolvi, ſed tolli modo poſſit atque ab inferiore avelli. Subſcudum harum formam & ſitum in ichnographica Tabula litera G, ob raritatem rei, expreſſimus. (*r*) Murus nonnullis in partibus IX. imo & XI. pedes altitudinis, VI. ad VIII. pedes latitudinis, habet. Saxa, ex quibus componitur murus, pleraque tantæ ſunt molis, ut nonniſi vectium ope à ſe invicem poſſint divelli. Inter ea reperi, quæ ſex pedes longa, tres lata, atque duos pedes ſunt alta. Vidi, ubi duo lapides, quatuor pedum ſinguli, totius muri latitudinem VIII. pedum fecerunt. Specimen aliquod muri Tabulæ noſtræ Litera H exhibet. Structura hæc convenit cum muro illo caſtrenſi, qui ad Gergoviam, Arvernorum oppidum, (*s*) ex grandibus ſaxis, ſex pedum, exſtructus apud CÆSAREM (*t*) deſcribitur. Murum autem hunc Julii Cæſaris ex ſolis lapidibus absque calce concinnatum fuiſſe, ex alio muro, ad Alexiam erecto, colligimus, quem CÆSAR (*u*) non murum, ſed *maceriam*, in altitudinem ſex pedum perductam, appèllat. Alſaticum murum ad Aleſiani hujus Gallorum muri formam constructum crederes. Gallos, ante Julii Cæſaris bellum, caſtra non muniviſſe, ſupra ex ipſo quoque Cæſare prodidi; Romani è contra, ante bellum hoc Gallicum, ſimili muro caſtra forte nunquam muniverant.

Ad Vallum, ſummitati montis impoſitum, via illa militaris Romana, magnis lapidibus dolatis ſtrata, quam ſuo loco expoſui, (*x*) dirigebatur, & quidem ad illam planitiei partem, quam Litera C indicat; ubi olim Hohenburgo-Odilianus Partheno, hodie Præmonſtratenſis ordinis Cœnobium eſt. Omnes ergo, qui alibi ex Romana Antiquitate cernuntur, muri caſtrenſes, firmitate & extenſione, Odiliano noſtro cedunt. Sed & Hadrianeum illud, Antoninianum, & firmiſſimum omnium Severianum, (*y*) Britannica valla; Danubianum opus Probi vallare; (*z*) quin & Danicum illud, quod ab Oceani Britannici ſinu, per Cimbricum Iſthmum, in mare Balthicum deductum, (*a*) quæ omnia, limitis tuendi cauſa, à mari ad mare, à flumine ad flumen ſe extenderant, (*b*) operis firmitate à muro noſtro caſtrenſi ſuperata ſunt.

(*q*) Cl. FONTENU in *Diſſert. de Caſtris Romanorum in Gallia reſidms.* Adi *Commentarios Acad. Reg. Inſcript.* Tom. X. pag. 410. & 415.

(*r*) Vide LAETII *Gloſſarium ad Vitruvium*, in voce *ſubſcus*, ubi formam, noſtris quoque ſubſcudibus ſimilem, exhibet. Ligamina hæc Gallis vocantur *Queue d'aronde.*

(*s*) Gergoviam oppidum CÆSAR Lib. VII. Cap. IX. in Bojis, Cap. XXXIV. in Arvernis reponit.

(*t*) CÆSAR, Lib. cit. Cap. XLVI.

(*u*) Ibidem Cap. LXIX.

(*x*) Via hæc cœperat prope vicum F, qui hodie *Ottenrott*. Partem inferiorem ejus incolæ, lapidibus in uſus ſuos converſis, abſtulerunt; unde hodie nonniſi ab eo loco, ubi Capella D. Gorgonii, via ſtrata viſitur. Deſcriptionem ejus ſupra pag. 213. §. CCXXXI. exhiboi; cui id tantum jam addo, curatiorem viæ hujus ſtratæ menſuram, ab eo tempore à me initam, me docuiſſe, eam 14800. Pariſinos pedes eſſe complexam, ſi à villa *Ottenrott* ad montis cacumen usque computes. Ex ſumma hac autem 4570. pedes veteris illius viæ ſuperſunt.

(*y*) ANTONINUS & CASSIODORUS vallum; BEDA murum; vulgus *Gualſever*, *Murſever*, *The Pictwall*, murum Picticum, *The Keeperwall*, cuſtodiæ murum; Scoti *Sotirwaith*, vocant.

(*z*) DOBOBELINI *Antiquit. Nordgov.* Sect. IV. §. III.

(*a*) SAXO GRAMMAT. Lib. XIII. Danorum opus appellat; hodieque incolis dicitur *Dannewerck*. ALB. CRANTZIUS *Daniæ* Lib. V. Cap. XXXVIII. CASPAR DANCKWERTH *Beſchreibung Schleſswich und Holſtein.* pag. 3. CHRISTIAN. CILICIUS *de Bello Dithmarſico* Lib. I. PONTANUS *Rer. Danicar.* Lib. VI.

(*b*) Romani hujusmodi valla vocabant Barbarica, quod contra Barbaros facta. Adi pag. noſtram 245.

§. CLXXI.

Non Francicum opus.

Murum hunc ego & Romanum & caſtrenſem appello, quod recte num factum ſit, jam propius examinandum. Sub quacunque temporum Periodo, ſeu Celtica, ſeu Romana, fuerit exſtructus, exſtrueodi ejus finis & uſus aut religioſus, aut civilis, aut militaris eſſe debuerat. Francicis temporibus murum eſſe antiquiorem, Odiliani Monaſterii Chartæ vetuſtæ Hiſtoricique, à quibus murus hic vocitatur *Paganicus*, quod nomen hodieque uſitatum eſt accolis, (*c*) luculenter evincunt. Ipſe Leo IX. Pontifex Romanus, ex Dagisburgicis Alſatiæ montibus, Odiliano vicinis, exortus, io Privilegio, quod Cœnobio Hoheoburgenſi An. ML. (*d*) conceſſit, murum hunc *ſepta gentilis muri* appellat. Eadem verba in Conradi Epiſcopi Argentor. Charta anni MCXC. occurrunt. (*e*) Hi teſtes antiqui originem muri ex Chriſtiana, hoc eſt, Francica, Alſatiæ Epocha ad Paganiſmum relegant. Sic concidit conjectura, quæ Etichooem, ſeculo VII. Alſatiæ Ducem, muri hujus auctorem producit, eum in finem ab eo exſtructi, ut caſtrum in eo monte conditum, vel Cœnobium, in quod caſtrum deinceps converſum eſt, firmiter fortiterque muniret.

Nec Celticum.

Ad Periodos ergo, Francica antiqoiores, regrediendum, & primo quidem diſpiciendum de Celtis. Potuiſſet enim in illo vertice montis, Galliæ liberæ temporibus, oppidum aliquod Mediomatricenſe muro præcingi: prouti Aleſia apud Mandubios, Gergovia apud Arvernos, arduis in montibus ſteterant. Verum enimvero oppidi, in illo montis apice poſiti, nulla plane, io omni illo circuitu, reſtant veſtigia, quorum aliqua ſaltem ad noſtram usque ætatem reſidua eſſe debuiſſent, uti Aleſiæ atque Gergoviæ in Burgundiæ Ducatu & apud Arvernos adhucdum reſtant. Accedit altitudo montis, Gergoviano Aleſianoque montibus longe excelſior, quæ incolas majore numero, ob victus eo portandi difficultatem & aquarum inopiam, non facile admiſit. Nec veterum Scriptorum aliqois ullam nobis de oppido quodam illius tractus memoriam reliquit. Quodſi temporibus Celticis Druidalem Lucum in illo monte fuiſſe conjectes, oon ego repugno; ſed ad Lucum cingendum tam immani muro opus noo fuerat. In Dononio & Dagisburgico Vogeſi mootibus, oonniſi trium milliarium intervallo inter ſe diſtantibus, Celticorum ſacrorum veſtigia ſuperant; at nec ibi ullum muri, loca iſta religioſa cingentis, veſtigium. Idem ratiocinium ad Romana ſi applices tempora, nec ſub his oppidum ibi extitiſſe: nec Templum, ſi quod ibi fuit, tam vaſto murorum incinctu indiguiſſe, fateberis.

§. CLXXII.

Sed militare Romanum.

Res omnis itaque ad oilitarem uſum, munitiooem oempe caſtrenſem, propugnaculumve, reducitur. Sed & hanc deſtinationem ſi ſpectes, tempus omne Celticum prorſus excluditur, eo quod Galli caſtra ſua non ſolerent munire. Vercingetorigem Arvernum, ſeptimo belli Gallici Cæſareani anno, multis cladibus acceptis, caſtra ſua munire cœpiſſe, ipſe annotat CÆSAR. (*f*) Rejicienda binc omnis conjectura SPECKLINI, (*g*) qui fabuloſa Trevirenſiom in Alſatos dominatione, ſupra (*h*) à nobis confutata, innixus, murum à Trevirenſibus, hujus oræ dominis, conditum fuiſſe exiſtimavit. Reliquum eſt, ut vaſtum hoc opus ad Romanam referamus Periodum. Ad hanc ſane opinionem nos ducit ſumptuoſa illa militaris via, cujus munitio nunciat opus Romanum. In nulla quidem montis hujus murique parte literatum aliquod Romanæ vetuſtatis Monumentum occurrit. At horum defectum Romana Numiſmata, ex omni metallo moduloque, in montis planitie ſæpe eruta, ſuppleot; quorum plurima manibus ipſe non ſemel tractavi: ex primis ſeculis quædam, at ex ævo Conſtantiniano longe plura. Valentiniani I. atque II. ut & Gratiani Julianique Impp. bella, ad Rhenum geſta, fecerunt, ut numiſmata eorum frequentiora ibidem comparerent. Speciatim fibula aurea mihi nuper oblata, cui aureus Valentiniani II. inſertus eſt denarius; in cujus parte poſtica Valentinianus I. ſedens Valeotiniano II. filio globum Imperii tradit. Quodſi autem muri noſtri origo ad Romanos referenda, quem alium in uſum tam formidabile opus exſtructuri fuiſſent, quam in uſum militarem? Vallum ergo, propugnaculumve caſtrenſe, hoſtibus arcendis exſtructum fuiſſe, nobis dicendom eſt. Multiplices illi anguli, in hoc muro coiſpicui, nunc introrſum, nunc extrorſus tendentes, coojecturam hanc firmant.

Caſtrorum

(*c*) Communiter *Heyden-Mauer* vocitatur.
(*d*) *Gallia Chriſtiana* Tom. V. pag. 472. inter Inſtrumenta.
(*e*) Ibidem pag. 491.
(*f*) CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. VII. Cap. XXX.
(*g*) *Architectura* Part. II. Cap. V. pag. 87. b.
(*h*) Pag. 100. §. CXXII. ſqq.

§. CLXXIII.

Caſtra varia.

Caſtrorum Romanorum genera plura fuerunt; uti ex Vegetio (*i*) diſcimus. Tumultuaria, ſubita vel tranſitoria, pro una modo nocte fuerunt; hacque ratione primis, ſecundis &c. caſtris ad locum aliquem perveniebant. Alia temporaria, æſtiva nempe vel hiberna, alia denique ſtativa, fixa atque perpetua. Hæc plerumque vel cæmentitio muro, vel quadratis lapidibus, (*k*) aut ingentibus ſaxis muniebantur, uti Odiliana, de quibus agimus, quæ absque omni dubio ſtativa fuerunt.

Forma caſtrorum ſtativor.

Formam autem ſtativorum quod attinet, pro neceſſitate loci erant vel perfecte quadrata, vel quadrata oblonga, vel rotunda, ſemirotunda, lunata. Hyginus (*l*) tertiata vult eſſe caſtra, hoc eſt, tertia parte longiora quam latiora. Longius latus caſtrorum in tres partes, tanquam in totidem acies conſideotes, brevius vero in duas modo, in dextrum nempe ſiniſtrumque cornu, dividebatur: ſtrigarum autem viarumque directiones cæteraque pulcro & apto ordine diſponebantur. (*m*) Africanus caſtra rotunda quadratis poſtpoſuit, formamque hanc, ut optimam, Leo Imperator commendat. (*n*) In Columna Trajana tamen caſtra plerumque rotunda vel ovata occurrunt. Quinimo Julianus Imp. uſus caſtris rotundis. *In orbiculatam figuram metatis tutius quievimus caſtris*, inquit Ammianus. (*o*) Ejusdem generis caſtra ergo, in Alſatica ora cum Alemannis belligerans, Julianus poſuerat.

Foſſa.

Caſtrorum foſſam Vegetius (*p*) novem, undecim, tredecim, vel ubi vis hoſtium metuitur, ſeptemdecim pedibus, impari ſemper numero, aperiendam exiſtimat. De reliquis addit, (*q*) tuto ſemper loco, ubi & lignorum & pabuli & aquæ ſuppetat copia, caſtra eſſe ponenda, in quibus ſi commorandum diutius, ſalubritatem aeris quoque commendat. Diſpoſitio hæc in regularibus caſtris habuit locum, in Odilianis noſtris, quæ plane irregularia, non facile obſervari potuerat; uti etiam ob præcipitia & rupes foſſa opus non erat. De altitudine latitudineque muri vallaris Hyginus, (*r*) ſeculi II. Scriptor, hæc tradit: "Vallum loco ſuſpectiori exſtrui debet ceſpite aut lapide, ſaxo, ſive cæmento; ſufficient latitudini octo, altitudini pedes ſex." Labente re Romana hanc quoque partem operis deſidia imminuit. Vegetius (*s*) enim, ſeculo IV. nonniſi tribus pedibus, ſupra terram, murum inſtrui jubet. At Cæsar (*t*) denum aut duodenum pedum plerumque. Idem, Aleſiam obſidens, caſtra ſua, tantis operibus munita, quibus vim totius Galliæ, & illum poſtremum libertatis bellicoſiſſimæ gentis impetum ſuſtinuit, duodenum pedum vallo vallaverat. Turribus, quæ vallis ordinariis inædificabantur, murus noſter inſtructus non fuit, qui, ob rupium præcipitia & angulorum excurrentium multitudinem, illis facile caruit.

§. CLXXIV.

Objectio.

Caſtrenſem Odiliani muri originem & uſum hactenus ſatis adſtruxiſſe me puto, quod nec religioſus, pro Templis, nec civilis, pro urbe ibi condita, apud Celtas atque Romanos uſus ejus eſſe potuerat. Sed nunc ipſe aſciam cruribus meis illidam: facile enim prævideo, multos, rerum præſertim bellicarum peritos, uſui caſtrenſi, quem adſtruo, fore contrarios, objecturosque mihi, immenſum illum muri circuitum, nonniſi à multis millibus præſidiariorum militum potuiſſe defendi: ſola enim ſuperior area, quam litera A ſignat, 3350. perticas continet. Munimento, quod tam late ſe extendit, defendendo plures Legiones requirebantur. Jam vero ſuperiori huic

(*i*) De *Caſtrametatione* Lib. I. & III.

(*k*) Caſtra Trajani, quæ in Columna ejus viſuntur, ex quadratis lapidibus ſolide & affabre conſtructa reperimus. Vide *Columnam Trajanam*, a Petro Sante Bartolo editam, Tab. VII. X. ſqq.

(*l*) *De Caſtrametatione.* Adde Franc. Patricium *de Re Militari Romanor.* Part. IX. in *Theſauro Antiquit. Rom. Græviano* Tom. X. pag. 901. Menſuras jugerationis vide in Jo. Lauremberge libello, cujus rubrum *Gromatica*, Capp. V. & VI.

(*m*) Polybius de caſtris Lib. VI. *Hiſtoriar.* ubi de ſtrigis; uti & apud Hyginum de hemiſtrigiis, pedaturis, prætenturis, gruma vel groma, & reliqua diſtributione caſtrorum, multa occurrunt; ad quæ docte commentatus eſt Rabodus Herm. Schelius de *Caſtrametandi more Julii Cæſaris.* Petr. Ramus Parte II. Libri *de Militia C. Julii Cæſaris.*

(*n*) *Conſtitut.* IX.

(*o*) Lib. XXIV. fin.

(*p*) Lib. III.

(*q*) Lib. I. Cap. XXII.

(*r*) *De Caſtrametatione* verſus finem Libri.

(*s*) *Inſtitutionum Rei Militaris ad Valentinianum Aug.* Lib. I. Cap. XXIV.

(*t*) *Bello Gall.* Lib. II. Cap. V. item Lib. VI. & Lib. III. *de Bello Civ.* & alibi.

huic areæ & altera major ſuccedit, quæ pet proximam nempe vallem in vicinum montem E excurrit; quamque litera B denotat. Romanos autem, qui nonniſi octo Legiones præſidiarias per omnem Rheni Gallicam oram diſpoſuerunt, (*u*) in ſolo hoc munimento, caſtriſve ſtativis, integram Legionem pluresve collocaſſe, haud veriſimile eſt.

Reſponſio.

Solidæ objectioni ut occurram, obſervo: I. Murum omnem non uno eodemque tempore confectum, ſed per intervalla auctum fuiſſe. II. Montem Odilianum non præſidiis tantum recipiendis munitum, ſed & ſpeculas ibi conſtitutas, ex quibus hoſtium conatus obſervarentur trans Rhenum. (*x*) Duo autem in monte hoc loca ſpeculis ponendis aptiſſima fuerunt; ille nimirum, ubi Monaſterium hodie poſitum, quem litera C ſignavi, alterque, quem litera D notat, vulgo *Wachtelſtein* (*y*) dictus. Ex duabus his rupibus planis, ſuper præcipitia poſitis, ad ſuperiora & inferiora Rheni late patuit proſpectus. In utroque loco cohortis ſpeculatoriæ præſidium eſſe potuerat; duasque adeo has cohortes murus, per duo veluti brachia, conjunxit, ut liber inter eas eſſet itus & reditus. Magnam illam montis planitiem murus omnem amplectitur. Seculo IV. Alemanni ſedes ſuas quum fixiſſent ad Rhenum, perpetuisque irruptionibus infeſtaſſent Alſatiam mons, Odiliano vicinus, militari quoque præſidio cœpit muniri: cui liberum cum Odilianis ut commercium eſſet, murus B per vallem ad alterum montem erat ducendus.

§. CLXXV.

Munimenti Epochæ variæ.

Univerſi ergo muri Odiliani incrementa ut intelligantur diſtinctius, triplex ejus conſtituenda eſt Epocha. Stativa omnium prima in planitie, ubi hodie Monaſterium eſt, poſita fuiſſe, ſeculoque primo adſcribi debere, veriſimile exiſtimo; quod non motibus Germanorum modo obſervandis, contra quos Trans-Rhenanum vallum ſub Hadriano demum firmatum, ſed & Mediomatricis, Cis- & Trans- Vogeſianis, ut & Tribocis noſtris, in obſequio continendis, inſervire potuerant: cui duplici obtinendæ fini opportunior Odiliano monte locus non erat. Hoc temporis intervallo via quoque ſtrata fuiſſe videtur. Poſtquam autem Hadrianus vallum illud Rhenum inter Danubiumque muniviſſet, eadem ſtativa accolis tantum utriusque lateris Vogeſi comprimendis inſervierunt: hæc epocha ſecunda. Trans-Rhenenſi denique vallo, verſus ſeculi IV. initia, per Alemannos everſo, ab illo tempore Rheni accolæ fuerunt Alemanni; eorumque adeo incurſionibus Alſatia indeſinenter expoſita, præſidiariorum in caſtris his numerus multum erat augendus; unde mons quoque vicinus occupatus, murique ambitus duplo factus eſt auctior, ipſis forte Alſatiæ incolis opportunus; quibus contra hoſtes ingruentes receptaculo eſſe potuerat, magni hominum numeri recipiendi quum capaciſſimus eſſet. Proculcata enim tum toties ab Alemannis Alſatia, malorum ſuorum, ut in Annalibus oſtendimus, non viderat finem. Tertia hæc muri Odiliani montis epocha eſt.

Objectio nova.

Sed oggerentem mihi porro videor audire nonneminem; muri noſtri, quas conſtitui, epochas laborare defectu, quod Lucanus antiquiorem his epocham indicare videatur, Julianam nempe; ubi caſtra Romana per Galliam diſperſa, (è quibus, bello civili exorto, milites ſuos devocaverat Cæſar) enarrans, non Batavos modo, Treviros, Leucos, Rhemos, Sequanos, Vangiones, ſed & Vogeſi caſtra diſerte recenſet; ita quidem, ut ipſa hæc, de quibus nobis ſermo eſt, in oculis habuiſſe videatur. Nec equidem refragor, Cæſarem, Arioviſto trans Rhenum rejecto, in Odiliano hoc monte, ob ejus opportunitatem, poſuiſſe ſtativa; murum tamen & viam Cæſareana opera non cenſeo, quod longioris temporis iſta conſtructio erat; ad Auguſti imperium opportunius referenda, quum ille Gallicæ Rhenenſis oræ rebus diligenter provideque proſpexiſſet. Lucanus ita canit: (*z*)

« - - - Sparſas per Gallica rura cohortes
„ Evocat, & Romam motis petit undique ſignis.
„ Deſeruere cavo tentoria fixa Lemanno,
„ Caſtraque, quæ Vogeſi curvam ſuper ardua rupem,
„ Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

Poeta

(*u*) Adi Periodi Rom. Cap. II. §. XXVII. pag. 292. Decem Legionibus Galliam Cæſar devicit teſte Sexto Rufo: octo Legionibus Tiberius eam continuit; uti Tacitus *Annal.* Lib. IV. Veſpaſiani temporibus nonniſi quatuor Legiones Galliæ fuerunt præſidio, ut in Oratione ad Judæos teſtatur Agrippa. Josephus *de Bello Jud.*

(*x*) Speculæ hujusmodi paſſim ad Rhenum vel in turribus, uti apud Vangiones ſupra portam Paſonum in altiſſima turri legebantur voces: SPECVLA VANGIONVM; Schannat *Hiſtor. Wormat.* pag. 4. vel in montibus, uti apud noſtros Tribocos.

(*y*) Ex nomine hoc Germanico multis nata eſt conjectura, cuſtodiam in illa rupe fuiſſe, & *Wachtelſtein* dici pro *Wachtſtein*; cuſtodiæ rupes.

(*z*) *Pharſal.* Lib. I. vers. 394 ſqq.

MONUM.

Poeta in populis ad Rhenum recenſendis præſertim diligens eſt. Unde paulo poſt etiam Chaucos, inter duo oſtia Rheni, Helium & Flevum, habitantes, (*a*) affert: (*b*)

" Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
„ Oppoſiti, petitis Romam, Rhenique feroces
„ Deſeritis ripas, & apertum gentibus orbem.

Sed &, Poetico more, ordinem geographicum negligens, Helvetios, (*c*) quos priore loco ponere debuiſſet, demum ſubjungit:

" Tunc inter Rhenum populos Alpemque jacentes,
„ Finibus Arctois, patriaque à ſede revulſos
„ Pone ſequi &c.

§. CLXXVI.

Lucanus explicatur.

Omnia hæc Lucani verba, verſumque ſpeciatim illum, ubi caſtra Vogeſi *ardua* & *curvam ſuper rupem* poſita vocat, quum prope perpendo, dubitare vix poſſum, quin in Vogeſino hoc Mediomatricorum Alſatiæ monte, Julii Cæſaris, Galliæ domitoris, temporibus, jam extiterint caſtra, quæ ipſa verſibus ſuis Lucanus deſignat; Juliana autem hæc caſtra nec tam fortiter munita, nec tam late extenſa, fuiſſe credendum. Vogeſum apud Lingones initium ſumere, in Alſatiæ annotavi Conſpectu. Duplicem autem finem caſtra hæc habuiſſe, Poeta indigitat. Non illum modo, ut Germanos à tranſitu Rheni arcerent, ſed & ut Lingones, bellicoſam numeroſamque Galliæ gentem, quæ Vogeſum attingebat, in fide continerent. (*d*) Nec opportuniore in his partibus loco Cæſar, Cæſariſque ſucceſſores, caſtra contra Germanos metari potuerant. In urbibus enim milites ponere, cum militari Romanorum diſciplina pugnabat: quos in caſtris ſtativis extra urbes tenere ſolebant, donec Conſtantinus M. Imperii Romani ruinæ promotor, urbibus eos incluſit. Anonymus *Odiliana vita* Scriptor, ſeculo X. vel XI. vivens, (*e*) ut & Novientensis Topoloous, (*f*) ſeculi XIII. Auctor, Regem quendam Marcellianum, ante Etichonis tempora, caſtrum in Odiliano monte firmum, bellorum ingruentium cauſa, exſtruxiſſe tradunt. Marcellianum illum, ex ſeculo V. Occidentis Patricium, intelligi, Mabillonius (*g*) conjicit, qui Dalmatiam, Illyrici occidentalis Provinciam, occupaſſe, regiaque poteſtate An. CCCCLXVIII. tenuiſſe, apud Procopium dicitur; in Baſilici Ducis, cui ſe junxerat, confoſſus exercitu. Sed quid homini huic, in Illyrico contra Valentinianum III. tyrannidem arripienti, cum Alſatia noſtra fuit commune? In Alemannorum manibus tum erat Alſatia; apud quos Regulus hujus nominis eſſe potuiſſet; ſed nihil hac de re priſci Annales. Scriptoribus mediæ ætatis, ubi de antiquioribus ſeculis loquuntur, vix fides tribuenda.

CAPUT XV.

LACONICA, HYPOCAUSTA, THERMÆ.

§. CLXXVII.

Balnea Romanorum.

ROmani cum Imperio ſuo delinimenta quoque voluptatum attulerunt Alſatiæ. Thermæ ad tuendam quidem ſanitatem & ad juventutis diſciplinam primitus inſtitutæ ſunt, ut corpus exercitaretur, variiſque exercitationibus laſſatum, reficeretur, quod munditiem ejus promovebat & robur. Sed & ſuum mox ibidem locum occupavit voluptas. Roma ſtatis horis tam frequens ad thermas, quam ſolennibus feſtis feſtinavit ad Templa. Quotidie lavabant, ante cœnam hora, ut Martialis (*h*) ait, octava. Hinc publicæ ſine numero thermæ, quarum ſupra octingentas P. Victor

Yyy

agnovit;

(*a*) Plinius *Hiſtor. Nat.* Lib. IV. Cap. XV.

(*b*) Lucanus Lib I. vers. 463. ſqq.

(*c*) Lib. I. vers. 481. ſqq.

(*d*) Frontinus in *Strategematibus* Lib. I. ait: Lingones LXX. millia hominum armatorum Domitiano Imperatori dediſſe.

(*e*) Mabillonii *Acta ſanctor.* Tom. IV. pag. 443.

(*f*) *Hiſt. Novientenſis* ſive Ebersheimenſis Alſatiæ *Monaſterii* apud Martene *Theſaur. Anecdotor.* Tom. III. pag. 1129.

(*g*) Loc. cit. in nota *A*, eumque ſequitur Ludovicus Laguille *Hiſtoire d'Alſace* Lib. VII. pag. 81.

(*h*) Martialis Lib. IV. *Epigramm.* VII. *Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris.* Palæſtræ in thermis, ubi facta exercitatione lavabant. Romani ſingulos dies æſtatis & hyemis in XII. horas diviſerunt. Columella *Præfat.* I. 16. luxuriam Romanis exprobrans, ait: *Quotidianam cruditat m laconicis excoquimus.* Unde tritum illud: *Balnea, Vina, Venus, corrumpunt corpora noſtra.* In luctu publico hinc claudebantur, uti ex Piſano Cenotaphio, aliiſque monumentis apparet.

MONUM.

agnovit; ſuum enim balneum inſuper domi fere ſuæ, privatos ad uſus, mediocriter dives quisque habebat. Publica lavacra, in thermis præſertim, quas Imperatores (*i*) exſtruxerant, populo quum darentur gratuita, (*k*) ædificia illa magnitudine denique ſua oppidis, quam balneis, ſimiliora videbantur. (*l*)

Area ampla, plerumque quadrata, triplici fere ambitu fuit diſtincta, in quorum primo diverſa omnis generis exercitiorum gymnaſia; in ſecundo platanones & xyſta, ad exercitationes ſub dio; in intimo ipſa erat thermarum fabrica, ubi atrium, xyſti, ſpatioſæ porticus. In hac jam parte exquiſitiſſimus omnium rerum apparatus, theatridia, apodyteria, caldaria, tepidaria, frigidaria, natationes, baptiſteria, exedræ, diætæ, ephebæa, muſea, bibliothecæ, corycæa, ſphæriſteria, coniſteria, elæotheſia, uti etiam heliocamini, (*m*) laconica vel hypocauſta, (*n*) de quibus nobis heic præcipue ſermo eſt: (*o*) quæ illi nempe intrabant, qui vel minus ad exercitia validi, vel quibus ſudor, ab exercitiis excitatus, non ſufficiebat, vel qui ſolo ſudore emiſſo erant contenti.

§. CLXXVIII.

Laconica.

Laconici nomen à Laconibus derivatur, quos moris auctores PLUTARCHUS (*p*) allegat. Hi non ad delicias, ſed ſevero corporis uſu, ad robur conciliandum, ſudatoriis uſi ſunt. Laconicum Romanis erat cella calidaria ſive camera, in qua ſicco calore provocarunt ſudorem. Sudationes, (*q*) ſudatoria, (*r*) vaporaria imo & aſſa ſudatio, ſive balnea aſſa, vel ſimpliciter *aſſa* (*s*) dicebantur, quod ſolo calore, non adhibita corpori aqua, in illis excitatus eſt ſudor: uſu apud Lacones frequenti. (*t*) Hypocauſis, vel hypocauſtum, ejusdem cum laconico fuit ſtructuræ; ſiccus enim ille in ſudatorio calor ab igne, in camera ſubjecta ſuccenſo, (*u*) provenit, qui non modo ſudatorii pavimentum, ſed & ipſos ejus calefecit parietes. Iisdem Græcis, præter ὑπόκαυσιν, πυριατήριον quoque dictum ſubinde. Locus apud Bajas, ubi, CELSO teſte, calidus vapor, inter Myrteta eructans, excitabat ſudorem, non erat ſudatio ſicca, ſed ab humido vapore & calido provocata, adeoque à laconicis diverſa.

Quæ

(*i*) Imperatorias inter thermas Antoninianæ Caracallæ, Alexandrinæ Severi & Diocletianeæ, cæteris omnibus magnificentiores fuerunt. BOISSARDUS *Topograph. Urbis Romæ* Tom. I.

(*k*) In meritoriis balneis pretium pro lotione ſolvendum erat.

(*l*) AMMIANUS lavacra in modum Provinciarum exſtructa dixit.

(*m*) Heliocaminus inter partes Plinianæ domus Lib. II. *Epiſt.* XVII. occurrit. Locus concameratus, totus ſoli expoſitus, ac hiberno tempore calorem ex illo recipiens, adeoque fornax ſolaris; Latinis *Solarium.* ULPIANUS in *Leg.* XVII. *de ſervitutibus Urbanorum prædior.* Vid. Jo. AUG. ERNESTI *Proluſiones*, Prolus. I. *Vaporarium ſolare.* Inter quotidiana præſidia valetudinis habebatur, ſedere vel jacere in ſole. Idem ſane PLINIUS Lib. III. *Epiſt.* V. & Lib. VI. *Epiſt.* XVI. vitæ rationem Plinii, avunculi ſui, exponens, diſerte annotat, eum frequenter *uſum eſſe ſole*, dein frigida lotum, poſtea guſtaſſe dormiſſeque minimum &c. *Inſolatio* apud PLINIUM ſeniorem Lib. XXI. *Nat. Hiſt.* Cap. XIV. nonnullis *inſolatus* vocatur. Alii uncti, alii ſine unctione, alii ſtantes, deambulantes aut currentes, alii deſidentes aut decumbentes in ſolo, vel in ſtrato, vel ſuper corio, vel in arena, vel in ſale, (BACCIUS *de Thermis* Lib. II. Cap. XIX. pag. 106. Edit. Venet.) ſole utebantur. PLINIUS Junior Lib. IX. *Epiſt.* 36. de ſe ipſe ſcribit: *Ambulo, ungor, exerceor, lavor.* Auguſtus Imp. ungebatur ſudabatque ad flammam, deinde perfundebatur aqua egelida, vel ſole multo calefacta. SUETONIUS in *vita Auguſti*. Cap. 82. CELSI hæc quoque certis in caſibus præſcriptio fuit, Lib. IV. Cap. XXIV. ubi: "Antequam „ cibum capiat, ſine balneo, loco calido leniter „ perfricari, ſudare, perfundi aqua egelida, deinde „ cibum ſumere. „ SENECA *Epiſt.* LXXIII. pro inſolatione exercitationem adhibuit, poſt quam deſcendit in frigidam. Laconicorum amicus Seneca non fuiſſe videtur: ſcribit enim alio in loco, *Epiſt.* LI. "Quid „ mihi cum ſudatoriis, in quæ ſiccus vapor corpora „ exhauſurus includitur. „ PLUTARCHUS *de ſanitate tuenda*, omnia hæc balnearum genera plus oſtentationis, quam utilitatis, habuiſſe exiſtimat.

(*n*) De omnibus his diligentiſſime ANDREAS BACCIUS *de Thermis*; Jo. BAPT. CASALIUS *de Thermis*, in *Theſauro Gronov.* Tom. IX. pag. 635. GOILIELMUS DE CHOUL, quem nonnulli Braſſicanum appellant, *des Bains Antiques & Exercitations.* BLONDUS *in Roma Inſtaurata.* Præ cæteris ONUPHR. PANVINIUS *de Ludis Circenſibus*, cum Commentatore ſuo Jo. ARGOLO Lib. II. Cap. I. in *Theſauro Antiq. Gronoviano* Tom. IX.

(*o*) GALENUS *Methodi* ſuæ Lib. X. ubi de frigidario, tepidario, calidario loquitur, à laconico incipit. Sudatio enim à Romanis tuendæ valetudinis inſigne habebatur præſidium. Hinc varios ejus provocandæ modos excogitarunt. Vide BACCIUM *de Thermis* Lib. II. Cap. XVII. Conf. ARGOLUS in *Not. ad Panvinium de Ludis Circenſibus.* Lib. II. Cap. I. pag. 307.

(*p*) In *Alcibiadis* Lacedæmonii *vita.* Unde MARTIALIS ad *Oppianum*:

" Ritus ſi placeant tibi Laconum
„ Contentus potes arido vapore
„ Cruda virgine Martiaque mergi.

(*q*) VITRUVIO Lib. V. 11. *Concamerata ſudatio.* Ut cœnatio locus, ubi cœnatur. Noſtra laconica vero concamerata non erant.

(*r*) SENECA loco cit.


(*s*) Utraque vox apud CICERONEM *ad Q. Fratr.* Lib. III. *Epiſt.* I. Gallis *Bains ſecs*, Balneæ ſiccæ, dicuntur. GALENUS *de ſanitate tuenda* Lib. III. Cap. III. ξηρὸν βαλανεῖον, ſiccum balneum. Vide NIZOLIUM in *Theſauro Ciceroniano* in voce: *Aſſa.* CELSUS Lib. II. Cap. XVII. ait: "Sudor duobus modis eli„ citur, aut ſicco calore, aut balneo. Siccus calor „ eſt & arenæ calidæ, & laconici & clibani.

(*t*) DIO Lib. LIII.

(*u*) Ὑπόκαυσις, locus, cui ignis ſuccenſus eſt ſubtus. MERCURIALIS *de Arte Gymnaſtica* Lib. I. Cap. X. gravis illos accuſat erroris, qui laconicum & hypocauſtum idem eſſe crediderunt. Hoc autem pars prioris quum fuerit, ſynecdochice pro toto potuit ſumi.

LACONICA F


N. I



III.


Lichtenberg_Bipont. Lacon. Ichnogr.

II.



:T BALNEA.


V.





Bipont:




IV.







Lac. Orthogr.



Buxovill. Lacon. Orthogr.

Digitized by Google

Quæ extra Romam apud Italos atque Provinciales thermæ balneæque occurrunt, Romanas nonniſi ex parte imitabantur. Apud Rauracos & Sequanos Alſaticos nulla thermarum veſtigia; at apud Mediomatrico-Tribocos, ſive Alſatos inferiores, imo & in Mediomatricis Trans-Vogeſianis, viciniſque eorum Trevirenſibus, noſtro & ſuperiore ævo, laconicorum veſtigia ſe manifeſtarunt; quorum notitia, ob ſtructuram eorum ſingularem, eo minus ſubtrahenda eſt poſteris, quod qui ante me hujus generis rudera ſcriptis prodiderunt, ea non diſtincte ſatis poſuerunt ob oculos. (*x*)

§. CLXXIX.

Ab Alſatiæ Laconico ducemus initium. Buxovillæ, quæ Dynaſtiæ Lichtenbergenſis, Alſatiæ Inferioris, haud procul à radicibus Vogeſi, oppidum princeps eſt, exſtruendæ domus fundamenta An. MDCCXXXIX. quum fierent, lateritia quædam ſubſtructio emerſit in lucem, quæ vel in ſoli æqualis planitie olim poſita, vel infima ſui parte modo ſub terra latuerat. Locum à Romanis jam habitatum fuiſſe, ex indicio hoc liquet, quamvis nomen ejus ignotum. Ædificium formæ quadratæ, cujus latera ſingula ſedecim pedum, in duas fuit cellas diviſum, quarum inferior ignem ſuccenſum continuit, ſuperior calorem inde ortum excepit. Inferiorem hinc cellam appello *fornacem*, ad cujus oſtium arcuatum fornacula quædam, ſive præfurnium occurrit, in quo ignem fornacator (*y*) accendit, qui per omnem reliquam cellam ſuum calorem diffudit. Fornacis hujus area erat quadrata, decem pilis, quæ ex lateribus (*z*) componebantur, inſtructa. Singulæ pilæ vix unius pedis craſſitiem habent. Retro has duæ aliæ ſimiles pilæ extiterunt, quæ ſex inter ſe pedes, ab area vero quadrata quatuor pedes, diſtabant. Pilæ pedum duorum ſunt, ut in ſuo quoque ahenorum & caldariorum hypocauſto requirit VITRUVIUS. (*a*) Unde totius cellæ inferioris altitudo erat pedum duorum.

Buxovillanum. *Tab. XV. num. 6. 7.*

Parietes omnes fictilibus tubis ita fuere compoſiti, ut inter ſingulos ordines ſemipedis diſtantia eſſet: tubi infimi non attigere pavimentum, adeoque & fumus & cum eo igneus calor cavitati eorum facile ſe immittere potuerunt. Inferior bæc cella verum hypocauſtum fuit vel fornax, unde totum laconicum ſynecdochice apud plures nomen hypocauſti accepit. Cella ſuperior vero ſudatorium ipſum conſtituit, per cujus parietes ordines illi tuborum fictilium ab inferiore cella aſcenderunt ad tectum. Quodſi ex dimenſionibus portæ, quæ trium cum dimidio pedum, cætera æſtimes, conclavis hujus, ſive ipſius ſudationis, altitudo ſeptem plus minus pedum ſtatuenda.

Ignis, inter pilas poſitus, (*b*) ligno per os fornacis, ſive præfurnium, injecto, excitatus & auctus, non modo calefecit pavimentum ſuperius, ſed & vapor ejus per alveolos, longo ſibi invicem ordine, ad ſummitatem parietum uſque, impoſitos, ita aſcendit, ut ſuperiori conclavi tantus caloris gradus conciliari potuerit, quantum tempus uſuſque exegerat. Buxovillanæ Sudationis hæc fuit ſtructura, jam ad Bipontinam, quæ diverſæ paulo indolis, transeundum.

§. CLXXX.

In oppidi Biponti vicinia ager eſt, quem *Agrum nigrum* (*c*) appellant, ubi ædificii, argillaceis quoque tubis inſtructi, ruinæ An. MDCCXXIX. detectæ ſunt. Ichnograpbiam, Sereniſſimi Ducis CHRISTIANI III. juſſu ad me miſſam, in Tabula exhibeo. Ædificii forma rectangularis; latus longius XXV. pedum, brevius XXII. cum dimidio. Craſſities muri duorum ubique fuit & dimidii pedum. In cella inferiore quatuor ſeries pilarum, ex lateribus ſtructarum, quarum ſingulæ unum pedem craſſitiei, duoſque pedes altitudinis, habebant; adeoque cella inferior, uti Buxovillana & Piſana, à Robortello deſcripta, altitudinis erat pedum duorum. Superius vero conclave ſex circiter pedes altum fuiſſe veriſimile eſt. Ut autem Bipontini hujus Laconici à Buxovillano diverſitas melius intelligatur, obſervandum, alveos illos fictiles,

Bipontinum. *Tab. XV. num. 5.*

(*x*) BROWERO atque MASENIO in Trevirenſium agro nonnullæ hujus generis ſubſtructiones occurrerant, quas illi obſcure, imo etiam, quod facile ſenſi, non ſatis deſcripſerunt ex vero. Vide BROWERI *Antiquitates Annaleſque Trevirenſes* in Proparaſceve Cap. XIX. pag. 46. & MASENIUM in *Notis* pag. 94.

(*y*) Fornacatoris effigies ſculpta in Trevirenſi laconico apud MASENIUM in *Notis ad Broweri Antiquit. Trevir. Proparaſceven* pag. 95. occurrit. Os hypocauſti, ſive fornacis, dicebatur præfurnium, quo ligna in fornacem induntur. CATO *de Re Ruſtica*, Cap. XXXVIII.

(*z*) Pilarum ſtructura aut lapidea, aut cæmentitia, aut lateritia.

(*a*) *Architectura* Lib. V. Cap. X.

(*b*) ROBORTELLUS in *Laconico Piſano* apud RHODIUM in *Not. ad Scribonium Largum* pag. 113. obſervat, in ſudatorio Piſano pavimentum inferius ad hypocauſin mediam inclinatum fuiſſe.

(*c*) Vulgariter *Schwarzenacker*.

MONUM.

uni parietum, & quidem ſiniſtro, inſertos, non utrimque modo apertos fuiſſe perviosque æqualiter, ut, ceu totidem emiſſaria fumi, ſive camini, igneum calorem exciperent, quod in Buxovillano compertum; ſed & ſingulorum tuborum duo latera arctiora ita erant perforata, ut foramen directe apponeretur foramini, adeoque per aperturas has laterales cæteris omnibus tubis, à dextra ſiniſtraque poſitis, igneus vapor, ex hypocauſto aſcendens, ab omnibus partibus toti illi tuborum ordini, atque deinceps univerſo illi parieti lateritio cavo, æqualiter communicaretur.

num. 5.

§. CLXXXI.

Differentia eorum.

Alſaticum ergo & Bipontinum Laconicum his inter ſe rebus diſcrepabant præcipue. I. In Buxovillano omnes quatuor parietes tubis cavis erant inſtructi; in Bipontino nonniſi paries unus. II. Ex altera vero parte in Bipontino hoc omnes tuborum, ſibi invicem impoſitorum, ordines, absque ullo interſtitio, tam arcte inter ſe juncti fuerunt, ut continuum aliquod conſtituerint corpus, omnemque parietem illum reddiderint cavum: qui tantum caloris gradum ex ſuppoſito igne concepit, ut paries hic ſolus tantundem fere caloris in conclave diffuderit, quantum Buxovillani laconici parietes ſimul omnes diffuderant. Fervidus enim vapor, ex hypocauſto aſcendens, omnesque illos tubos ſurſum, dextrorſum, & ſiniſtrorſum pererrans, nonniſi poſt multiplices gyros debilitatus & languidus in liberam denique auram evaſit. In poſitione tuborum duplex ab Architectis obſervata eſt ratio. Vel enim infimo pavimento eos ita impoſuerunt, ut in cavitatem ſuam non admitterent vaporem; vel inter pavimentum & tubos interjecta diſtantia, ut vapor in tubos ſe immittere potuerit. Hoc caſu natus eſt calor intenſior; at ubi vapor excluſus nonniſi exterius tetigit tubos, aeremque adeo calefecit incluſum, moderatior inde puriorque calor non potuit non naſci; qui in Laconicis illis debilitatus eſt magis, ubi tuborum, ſibi invicem impoſitorum, ordines ſe non tetigerant. Dubius aliquandiu hæſitaveram, qua ratione duo, quæ deſcripſi, Lichtenbergenſia Laconica calefieri potuerint, igne nimirum, in cella inferiore ſuccenſo, an aqua fervente, ex clibano vicino per alveum in eandem cellam immiſſa. Non absque ſolidis rationibus hoc mihi dubium moverat florentiſſimi ingenii Vir Juvenis, & in hac jam ætate excellentis doctrinæ, Jo. JEREMIAS BRACKENHOFFER, in Academia noſtra Profeſſor Mathematum; qui in Architectonicis & Geographicis Alſatiæ rebus ornandis ſtrenuus mihi adeſt adjutor. Totius ergo rei curatius quum inſtituiſſem examen, in locum SENECÆ incidi, qui conjecturæ veritatem magis firmavit. En verba, (*d*) quæ balineas quasdam, absque igne calfactas, diſerte & verbis evidentibus comprobant: "Idem (inquit) ſub terra Empedocles exiſtimat fieri; quem non falli „ credent ii, quibus balnearia ſine igne calefiunt. Spiritus in illa fervens loco æſtuanti „ infunditur: hic per tubos lapſus, non aliter, quam igne ſubdito, parietes & vaſa „ balnei calefacit." Ex altera parte PROCULI Juriſconſulti *Epiſtola* (*e*) pro igne, tubos cavos incaleſcente, apertiſſime pugnat. Ita enim Proculus: "Quidam Hiberus „ nomine, qui habet poſt horrea mea inſulam, balnearia fecit ſecundum parietem „ communem; non licet autem tubulos habere admotos ad parietem communem, „ ſicuti ne parietem quidem ſuum per parietem communem. De tubulis eo amplius „ hoc juris eſt, quod per eos flamma torretur paries: qua de re volo cum Hibero „ loquaris, ne rem illicitam faciat.

§. CLXXXII.

Lichtenbergenſe Balneum.

Laconica ergo alia à ſuppoſito igne, alia ab aqua fervida, in hypocauſtum immiſſa, calorem ſuum accepiſſe quum intelligerem, utriusque documenta in Vogeſianis noſtris me deprehendere lætatus ſum. In Lichtenbergica enim Bipontini Ducatus Præfectura ejusque valle orientali, nuperis quoque temporibus multiplicia emerſere ædificii rudera, cujus delineatio, mihi transmiſſa, me docuit, balneum hoc Romanum quatuor cellas, apodyterium nempe, caldarium, tepidarium atque frigidarium habuiſſe, quæ poſtrema ſimul cella unguentaria eſſe potuerat. Caldarii atque tepidarii ſtructura ita fuit comparata, ut parietes eorum ex argillaceis quoque tubis conſiſterent, in quos calor ex ſuppoſita fornace aſcendit; unde fieri potuerat, ut prior harum cellarum laconicum caldarium, poſterior laconicum tepidarium, utrumque rectangularis formæ, conſtitueret. Harum cæterarumque cellarum dimenſiones Ichnographia, reliquas autem partes Orthographia, diſtinctius exhibent. Quatuor autem

Tab. XV. num. 1. & 2.

(*d*) *Nat. Quæſt.* Lib. III. Cap. XXIV.

(*e*) Lib. II. *Epiſtolar.* Extat Epiſtola Leg. XIII. Tit. *de Servitutibus prædior. urbanor.*

MONUM.

autem hæc conclavia eo ordine poſita fuerunt, ut poſterius præcedente ſemper demiſſius eſſet. Ante omnia inſpiciendus eſt locus, ubi ignis, laconicorum omnium anima, fuerat accenſus, *A*. Hic non in hypocauſto, ſed in extrema ædificii parte, accendebatur in foco, in quo, ad aquas calfaciendas, poſitum fuit ahenum. Foci teſtes erant cineres, non exigua copia ibi adhuc reſidui, quum ruinæ iſtæ examinarentur. Ex foco canalis unius pedis novemque pollicum, lapidi inciſus, proceſſit, quo aqua fervens in laconicum *B* derivabatur vicinum. Nobiliſſima hæc balnei totius pars fuerat, ad quam aqua fervida, ex aheno procedens, primum acceſſit.

§. CLXXXIII.

Laconicum iſtud, uti priora, quæ vidimus, in duas partes dividebatur. Pavimentum inferius ex argilla compactum, cui lapides inſtrati; lapidibus lateres magni impoſiti fuerunt. Quatuor pilarum, ex lateribus conſtructarum, ordines in pavimento ſteterunt: tribus hypocauſti parietibus tubi lateritii, ab imo ad ſummum aſcendentes, inſerti; tubi, inquam, oblongæ & inflexæ figuræ, at non ejuſdem magnitudinis: pars ſex, pars octo pollices latitudinis, ſeptem autem pollices, cum quarta parte, longitudinis habet. Craſſities unius cum quadrante pollicis eſt. Tubi in medio laterum, & quidem alii in arctiore, alii in latiore parte, perforati ſunt omnes, ita ut alter juxta alterum transverſi, foraminibus ſibi invicem reſpondentibus, collocari potuerint.

Caldarium. — *num.* 3.

Pilis cellæ inferioris impoſitum fuit ſuperioris cellæ, quæ ipſum ſudatorium compoſuerat, pavimentum; quod quinque ſeriebus laterum craſſiorum conſtabat. Primo huic laconico majori alterum minus & ipſum rectangulare ſucceſſit, litera *C* ſignatum; quod *Tepidarium* eam ob cauſam appello, quoniam aqua calida, ex priore majoreque laconico in minus hoc & paulo demiſſius defluens, non potuit non aliquot caloris gradus amittere, adeoque tepida fieri. Inter duo hæc laconica triplex tuborum fictilium interpoſita ſeries *F* conſtituit vinculum; quæ eodem modo, quo in ipſis parietibus tubi, fuit ordinata.

num. 1.

§. CLXXXIV.

Tepidarium.

Tepidarii hujus à Caldario diverſitas in eo conſtitit, quod quatuor tepidarii latera fictilibus alveis inſtructa fuerunt, quum tribus modo caldarii parietibus alvei fuiſſent inſerti: quartus enim, ob aquas, ex aheno ab illa parte profluentes, tubis locum non dedit. Aqua ergo, ex caldarii hypocauſto vel in tepidarium vel in ejus tubos deſcendens, eos nonniſi mediocriter calefecit, unde etiam tepidus modo calor potuit oriri. Conclave hoc duobus hominum generibus neceſſarium fuit; illis nimirum, qui aeris aquæve, vel utriusque tepore, voluptatis ſive valetudinis cauſa, frui volebant, tum illis etiam, qui aut frigida, aut calida lavaturi caverunt, ne ſubito corpus duo experiretur extrema. Medius hic aer, media quoque forte lavatio fuit, ubi tamdiu morabantur, quousque ad alterutrum extremorum duorum citra noxam procedere liceret. Plinius (*f*) hinc *cellam mediam* vocat, frigidariæque connectit, uti Vitruvius (*g*) conjunxit caldario. Laconicum itaque caldarium & tepidarium eſſe potuit, prouti major minorve in eo gradus caloris, ſive ab igne ſuccenſo, ſive ab aqua calida immiſſa, extiterat. Sic erroris arguendi, quibus laconicum atque tepidarium ſynonima ſunt: ut illi quoque peccant, qui laconicum cum caldario confundere tentant; Laconicum enim, uti vidimus, teporis non minus atque caloris fuerat capax.

§. CLXXXV.

Frigidarium.

Tepidarium minor demiſſiorque rurſus excipit Cella Frigidaria, quam litera *D* ſigno, & cum Plinio, (*h*) qui ſimilem in Laurentino ſuo habuit, *Unctorium* appello: Græcis *Elæothesium*, (*i*) hoc eſt, repoſitorium olei, ſive unguentorum, quibus lavaturi & loti perfundebantur, fricabantur. (*k*) Sola hæc ex omnibus fuit cella concamerata. Urnam muro inſertam repererunt, qui thermarum iſtarum ruinas intuiti ſunt propius. Ad cellam hanc ex tepidario dirigebatur fiſtula plumbea, epiſtomio, obturaculove inſtructa; cujus ope aqua tepida egerebatur è balneo.

 Ultimo

(*f*) Plinius Lib. V. *Epiſt.* VI.

(*g*) Vitruvius Lib. V. Cap. X. ubi: *Laconicum ſudationesque ſunt conjungendæ tepidario.*

(*h*) Lib. II. *Epiſt.* XVII. ubi nonnulla quidem Exempla *Unctuarium* habent, ſed optimi Codices *Unctorium*, uti ſudatorium, dormitorium, diverſorium &c. Qui balineas intrabant & exibant, ungebantur. Ceterum Plinii locus corruptus, neceſſario ita legendus eſt: *Adjacet unctorio hypocauſtum.*

(*i*) Vitruvius Lib. V. Cap. XI. Adi Laur. Lucensis *Polymathiam* Lib. IV. Synops. IX. pag. 326.

(*k*) Cicero *ad Atticum* Lib. VIII. Varro *de Re Ruſtica* Cap. LV. Apuleji *Metamorph.* Lib. IV.

MONUM.

Apodyterium. Ultimo denique loco ponimus Conclave, quod & primo poni potuiſſet, *Apodyterium E* oempe, ſive depoſitorium, ubi veſtes deponebant loturi, lotique reſumebant; unde principium & finis lavantium fuit. Cameræ huic iſtud muneris aſſigno, quod oullum ibi hypocauſtum; nullæ pilæ, nulli tubi teſtacei canalesve occurrunt. Pars hæc balinei in PLINII (*l*) Tuſculano quoque occurrit. Vocat *Apodyterium laxum & hilare*, ibi enim liberi lætique ante & poſt lotionem verſabantur: ſpatioſum ergo atque amœnum eſſe debuerat. Frigidarium ſimul eſſe poterat illis, qui ex ſudatorio & tepidario ſicco prodierant.

A cella iſta in caldarium transitus proximus fuit. Plinius in Tuſculano ſuo frigidarium apodyterio ſubjunxit. Cicero Aſſa, ſive laconicum ſuum, apodyterio junctum habuerat; Quinto Fratri (*m*) enim perſcribit, ſe in balneariis ſuis aſſa ex uno apodyterii angulo promoviſſe in alterum. Vox *caldarium* vel abſolute ponitur, vel adjecta intelligitur voci *conclave;* (*n*) locumque adeo denotat, ubi *calda* ſive calida lavatio eſt. Subauditur quandoque *cella*, quæ *caldaria* dicitur. Priore forma uſus eſt VITRUVIUS, (*o*) poſteriore PLINIUS: (*p*) idem de tepidario frigidarioque dicendum.

§. CLXXXVI.

Labrum. In cellis his Baptiſteria vel Labra erant, uti ex eodem Plinio diſcimus, lignea, lapidea, marmorea, ænea, argentea &c. CICERO (*q*) ad Terentiam ſuam ſcribit: *Labrum ſi non eſt in balneo, fac ut ſit.* Sellæ, in quibus ſedentes abluebantur, dictæ ſunt *ſolia*, (*r*) *cathedræ*, inter quas apud CLEMENTEM ALEX. (*s*) aureæ memorantur. Laconica inſtituto ſuo balnea ſicca fuerunt. SAMUEL PITISCUS (*t*) caldarium & laconicum inter ſe ooo diſcrepaſſe exiſtimat; adeoque ex ejus ſententia caldarium ſicca modo ſudatio fuit. Quodſi hæc ita ſe habeant, oon equidem intelligo, cur idem ille Pitiſcus (*u*) eos confutet, qui laconicum cum tepidario idem eſſe crediderunt; cur enim tepor non æqoe ac calor in lacooico locum habuerit? Laconica à caldariis proprie diſtincta fuerunt, quod io illis abſque aqua calida provocatus eſt ſudor. Qui ergo ſudare & lavare ſimul voluerant, calidaria intrabant, ubi calida aqua lavabantur: ſudaturi autem abſque lotione intrabant laconicum. Nihil tamen obſtare video, quo minus laconicorum horum uni alterive vel utrique baptiſteria inferri potuerint, ut calida aqua in calido quoque loco uterentur lotores. In ædificio baloeari Lichtenbergico, quatuor cameris conſtante, cur nonniſi ſiccas ſudationes ſive laconica quæras? Aheoum, in laconici majoris vicinia poſitum, & inferiori ejus cellæ fervidam aquam, non modo ad calefacieodam cellam ſuperiorem, ſed & labris, in cella hac conſtitutis, abunde potuit transmittere.

Omnem ergo ædificii hujus œconomiam ſi ſpectes, illud & laconicum, & thermas balneumve appelles, in quo non ſicca tantum ſudatio, ſed & varia lavatio fieri conſueverit; unde Lichtenbergenſis ædificii præ altero Bipootioo atque Buxovillano prærogativa elucet.

§. CLXXXVII.

Pavimenta. Supereſt, ut nonnulla adhuc circa laconicorum pavimenta & tubos, pavimentis impoſitos, annotemus. Laconici Lichtenbergenſis pavimentum inferius ita fuit conſtructum, ut VITRUVIUS (*x*) illud in ſuſpenſuris & hypocauſtis ſuis, quibus tria ahena ſuperimpoſita erant, requirit. Ita enim: "Suſpenſuræ caldariorum ita ſunt „ faciendæ, ut primum ſesquipedalibus tegulis ſolum ſternatur inclinatum ad hypo- „ cauſim, uti pila cum mittatur, oon poſſit intro reſiſtere, ſed rurſus redeat ad „ præfurnium; ipſa per ſe ita flamma facilius pervagabitur ſub ſuſpenſione: ſupraque „ laterculis beſſalibus pilæ ſtruantur ita diſpoſitæ, uti bipedales tegulæ poſſint ſupra „ eſſe collocatæ. Altitudinem autem pilæ habeant pedum duorum, eæque ſtruantur argilla

(*l*) Lib. V. *Epiſt.* VI. "Apodyterium balinei laxum & hilare excipit, cella frigidaria." Adi GRAPALDUM *de Partibus Domus* Lib. I. Cap. X. STUCKII *Antiquitates Convivales* Lib. XI. 25. EZECH. SPANHEMIUM in *Juliani Imp. Orat.* I.

(*m*) Lib. III. *Epiſt.* I.

(*n*) Subaudiebatur etiam *vas* vel *ahenum*, in quo aqua calefiebat. Ita VITRUVIUS Lib. V. Cap. X. "Ahena ſuper hypocauſtum tria ſunt componenda, „ unum caldarium, alterum tepidarium, tertium „ frigidarium.

(*o*) Lib. V. Cap. X. ubi caldaria virilia, muliebria.

(*p*) Lib. II. *Epiſt.* XVII. & Lib. V. *Epiſt.* VI.

(*q*) *Familiar.* Lib. XIV. *Epiſt.* XX.

(*r*) FESTUS: *Alvei quoque lavandi gratia inſtituti quo ſinguli deſcendunt, ſolia dicuntur.* Argentea ſolia apud PLINIUM Lib. XXXIII. Cap. XII.

(*s*) *Pædag.* Lib. III. 5.

(*t*) *Lexic. Antiquit. Rom.* in voce: *Caldarium.*

(*u*) In voce: *Laconicum.*

(*x*) Lib. V. Cap. X.

MONUM.

argilla cum capillo ſubacta, ſupraque collocentur tegulæ bipedales, quæ ſuſtineant „ pavimentum. Concamerationes vero, ſi ex ſtructura factæ fuerint, erunt utiliores. „ Sin autem contignationes fuerint, figlinum opus ſubjiciatur. „ Quamvis Vitruvius de hypocauſtis, aquæ calfaciendæ aptatis, loquatur; novam laconica hæc conſtruendi methodum ignorans; eandem tamen pavimenti commendavit ſtructuram, quam in Lichtenbergenſi videmus; ut illud nempe ab utraque extremitate, medium verſus, paululum inclinaretur. Quæ de pilis vel columellis hypocauſti Vitruvius annotat, id in noſtris quoque obſervatum; niſi quod nulla in his concameratio eſt.

Pavimentorum in laconicis noſtris ratio ſimplex. Nihil in illis teſſelati aut muſivi operis, hoc eſt, nulla lithoſtrata, quæ in thermis Romanis tam frequentia fuerunt. (*y*) Lateres craſſi, ſeſquipedales plus minus, pilis impoſiti fuerunt, quibus tectorium cum arenata calce, fuit inductum. Pavimenti in Laconico Piſano indolem ita Robortellus deſcribit: " Trulliſſabatur teſta calci miſta, ſicuti & hac noſtra ætate fit „ in ædium pavimentis. Eam vero compactam eſſe oportebat ita, ut in tantam craſſi- „ tiem excreſceret pavimentum, quanta eſſet opus; tectorio ſeu albario opere ex mar- „ more ita exciſo, ut ejus altitudo tenuis eſſet unius ferme digiti, quales laminæ „ plumbeæ aut ferreæ viſuntur. Si enim major tectorii illius operis altitudo fuiſſet, „ pervadere ad ſummum vis caloris non potuiſſet. Jam vero cum tanta eſſet pavimenti „ altitudo & tectorii operis, mira quadam proportione tantus conficiebatur calor, ut „ ſuperſtantium pedes oblectaret, & cum eſſet marmore ad unguem exciſo politum, „ facile ſtratos etiam ac jacentes homines recipiebat.

§. CLXXXVIII.

Tubos autem, de quibus nobis toties ſermo, quod attinet, alvei hi vel canales Tubi.
ex opere tegulitio cocti, varia diverſaque forma hinc inde occurrunt. Ex veteri Rauracorum Auguſta; ex noſtra Mediomatrico-Tribocenſi Alſatia; ex Bipontinis & Trevirenſium partibus; ex Weſtraſia denique, atque ex Hundesruchi Pago, in Antiquarium meum, amicorum opera, illati ſunt plures: unde præcipuorum figuram Lectoribus in Thermarum Tabula obtuli; quod ab eorum conſtructione tota ſudatorii conſtruendi Tab. XV.
ratio pendebat. Dimenſiones eorum mire variant; Lichtenbergici tubi, formæ quoque num. 3. 4.
ratione, à cæteris, uti diximus, diſcrepant. Longitudo eorum ſemipedalis, beſſalis, unius pedis, imo & ſeſquipedalis: latitudo quatuor, ſex, ſeptem, novem, decemque ad ſummum, pollicum eſt; habita enim ſemper latitudinis ad longitudinem ratio fuit. Craſſities in plerisque digitalis vel unius plus minus pollicis eſt. Hæc de infima & media laconicorum noſtrorum parte: ſummam vero ſi ſpectes, nullum ſe nobis offert indicium, ex quo judicare liceat, teſtudinatam fornicatamve fuiſſe. Piſanum laconicum (*z*) octogonum quum fuerit, adeoque fere rotundum, in utraque cella concameratio facilius adhibita eſt. Romanorum Auguſtei ævi ædificiorum fere omnium ſummitas in hemiſphærium fuit curvata, in cujus medio clypeum æneum, catenis pendentem, Vitruvius (*a*) requirit. In noſtris autem omnibus nec inferior, nec ſuperior cella, fuit concamerata.

§. CLXXXIX.

Diverſa hæc laconica, variaque eorundem conſtruendorum ratio, plura veterum Loca
Scriptorum loca hinc inde illuſtrant, atque ſimul nobis oſtendunt, non balneorum Auctorum
tantum ſive ſudationum in uſum bypocauſta hæc fuiſſe adhibita, ſed & ad diætas, ad illuſtrata.
triclinia, cœnationes vel cænacula, aliaque conclavia calefacienda, adhiberi ſueviſſe. Lucem ſane fœneratur hinc Papinius Statius, Claudii Hetruſci balineum deſcribens, ubi inter alia hæc effert: (*b*)

" Quid

(*y*) Donati *Roma Vetus & Nova*, Lib. III. Cap. XVIII. pag. 258. Edit. Batav.

(*z*) Piſanum laconicum altum fuit pedes Rom. XXXI. cum dimidio, latum pedes XXXIV. cum dimidio, uti ex Nobilio in *Cenotaphiis Piſanis* addiſcimus.

(*a*) Vitruvius Lib. V. Cap. X. ad quem locum annotat Philander, teſtudinem ex duobus arcubus, in crucem ſe in centro ſecantibus, conſtare: hemiſphærium plane ſphæricum atque orbiculatum eſſe. Sed & alter Vitruvii Commentator, Barbarus, laconici ſupremam partem curvatam ſive apſidatam exhibet. A rotunditate hac Suetonium in *Veſpaſiano* & Plinium in *Epiſt.* ad Gallum, de villa ſua Laurentina, ſudatorium ſphæriſterii nomine indicaſſe, Philander ad eundem Vitruvianum locum obſervat. Clypeum æneum autem in thermis & balneis pulſari conſueviſſe, Hieronymus Magius exiſtimat, in Libro *de Tintinabulis* Cap. I. pag. 6.

(*b*) *Sylvarum* Lib. I. Carm. V. verſ. 57.

" Quid nunc ſtrata ſolo referam tabulata, crepantes
„ Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat
„ Ædibus, & tenuem volvunt hypocauſta vaporem.

Domitius, expoſitor Statii, ut & Cælius Rhodiginus, (*c*) miſere locum hunc torquent, quem laconica noſtra planiſſimum reddunt. Simile hypocauſtum in oculis habuit Ausonius, (*d*) ubi ſcribit:

" Quid quæ ſulphurea ſubſtructa crepidine fumant
„ Baloea, ferventi cum Mulciber hauſtus operto
„ Volvit anhelatas tectoria per cava flammas,
„ Incluſum glomerans æſtu exſpirante vaporem? (*e*)

Apud Senecam (*f*) legimus: " cujus cœnationes ſubditus & parietibus circumfuſus „ calor temperavit. „ Plinius (*g*) in Laurentini ſui deſcriptione: " Applicitum eſt „ cubiculo hypocauſtum perexiguum, quod anguſta feneſtra ſuppoſitum calorem, ut „ ratio exigit, aut effundit, aut retinet. „ Ambrosius (*h*) hypocauſta quoque, ad conclavium ordinariorum habitationem aptata, indicat, ubi ſcribit: " De hyeme „ forſitan quereris, quia nulla tibi hypocauſta, anhelantibus ignibus, vaporentur. Sed „ habes ſolis calorem, qui tibi orbem terrarum temperet, & hiberno te defendat à „ frigore. „ Quas Auſonius ſupra *flammas anhelatas* vocavit, has Ambroſius *anhelantes* ignes appellat.

§. CXC.

Alia. Ex his Scriptorum diverſorum locis, præſertim ex Plinio, patet, ignem in hypocauſto accenſum non ſolum in ipſo hypocauſto, ſed & in conclavi ſuperiore, ejusque parietibus, vario modo temperari potuiſſe, prouti nempe uſus, cui conclave deſtinabatur, illud exegerat. Ita apud Plutarchum (*i*) legimus: *Cavas & balnea & diætam laconicam quærere*: ubi per *diætam*, quæ heic triclinium, ſive cœnaculum denotat, Meursius *victum* intelligit. Miſopogoni Imperatoris Juliani (*k*) ex his quoque lumen accedit. Hic enim, quum in cara ſibi Pariſiorum Lutetia, cujus clementiam aeris ob Oceani viciniam laudat, hyeme degeret, quæ præter conſuetudinem tum duriſſima fuerat, ignem tamen ſub cubiculi ſui camino, ſive in hypocauſto, (*l*) noluit accendi, tum ut aeri illi tolerando ſe aſſuefaceret, tum etiam præſertim, quod verebatur, ne humorem in parietibus commoveret. Ignis ſub camino accenſus, hypocauſtum, quale deſcribimus, vel cubiculum cum hypocauſto, in laconici modum conſtructum, indicat ſatis aperte. Sed & ſimul indicat Julianus, in Gallia, ſpeciatim Lutetiæ, pleraque domicilia ſub caminis calefieri. Quicquid ſit de loco Ciceronis, res ipſa de conclavibus multiformibus, tuborum ope calefactis, indubia eſt. Ita ſane in Auguſtæ Rauracorum ſolo, ſuperioribus annis eruderando, tubi tales cavi, ſed rarioribus ordinibus muro inſerti, ſe obtulerunt, quibus effectum, ut conclave nonniſi mediocris caloris capax eſſe potuerit. Rariores frequentioresque tuborum ordines eum in finem inſtituti ſunt, ut conclavi minor majorve caloris gradus daretur. Donatus, (*m*) laconica quædam Romana deſcribens, varia diverſæ contignationis hypocauſta modicasque illis cellulas, varios in uſus inſtructas, attribuit.

Tempus, quo novæ hujus ſtructuræ laconica Romæ innoteſcere cœperint, indicat Seneca, (*n*) inter voluptuaria ævi ſui inventa tubos noſtros, parietibus balneorum impreſſos, per quos circumfunderetur calor, recenſens: " Quædam, „ noſtra

(*c*) *Antiquar. Lectionum* Lib. XVI. Cap. XLVI. pag. 848. Edit. Aldinæ.

(*d*) In *Moſella* vers. 337.

(*e*) Turnebus *Adverſarior.* Lib. XXII. Cap. XXI. ad locum hunc Auſonii ita ſcribit: " Sudationes illas „ ſic veteres ædificabant, ut per tectoria earum tubi „ eſſent cavi undiquaque, per quos ex hypocauſto „ erraret flamma & omnia latera percalfaceret.

(*f*) *De Providentia* Cap. IV.

(*g*) Lib. II. *Epiſt.* XVII.

(*h*) *Hexaemer.* Lib. VI. Cap. VIII.

(*i*) In *Agide & Cleomene*: Δαῖτας καὶ λοῦτρα, καὶ δίαιτας λακωνικὰς ζητεῖν.

(*k*) Juliani *Operum* pag. 341. Edit. Spanhem. ubi ipſe Julianus hæc ſcribit: Ὡς ἂν ἐν τούτοις ἀγροικότερος ἢ τῦ συνήθους, οὐδ' ἐκεῖνο γὰρ τὸ δωμάτιον ἐθερμαίνετο, ἐνῷ ἐκάθευδον, ὅπερ ἐκεῖθι τρόπον ὑπὸ ταῖς καμίνοις τὰ πολλὰ τῶν οἰκημάτων ἐκεῖ θερμαίνεσθαι, καὶ ταῦτα ἔχων ἐπιτηδείως πρὸς τὸ παραδέξασθαι τὴν ἐκ τῦ πυρὸς ἀλέαν. " Cum „ igitur in his rebus durior & agreſtior eſſem, quam „ unquam antea, nequaquam cubiculum, in quo „ requieſcebam, calefieri patiebar, quo modo illic „ pleraque domicilia ſub caminis calfiunt, cum tamen ad ignis calorem excipiendum eſſet opportunum.

(*l*) In Cyrilli Philoxeni, aliorumque *Gloſſis* veteribus: Κάμινος, caminus, furnus, furnax. Edit. Labbean. pag. 97.

(*m*) *Roma Veteris & Nova* Lib. III. Cap. XVIII. pag. 258. ubi ita: " Convexæ ibi fornaculæ, unde „ per fictiles canaliculos, invicem conſertos, igneus „ vapor in varia etiam diverſæ contignationis hypocauſta expirabat: modicæ ibidem cellulæ, ad ſtaturam hominis paulo amplius dimenſæ.

(*n*) *Epiſt.* XC.

noſtra demum (inquit) prodiſſe memoria ſcimus: ut ſpeculariorum uſum, perlucente „ teſta, clarum transmittentium lumen: ut ſuſpenſuras balneorum, & impreſſos parie- „ tibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima ſimul & ſumma foveret „ æqualiter.

§. CXCI.

Specularia.

En laconica, prouti ingenioſa Neroniani ſeculi, deliciis novis inveniendis, induſtria eadem adauxit. Perſpicimus hinc, laconicis veteribus tria tum, ad delicias comparata, acceſſiſſe: I. Speculariorum uſum, clarum transmittentium lumen: II. Suſpenſuras balneorum: III. Tubos parietibus impreſſos. Specularia laconicum ævi Neroniani reddiderunt clarum, quum laconica antea fuiſſent obſcura. (o) Specularia hæc feneſtris inſerta, ex lapide ſpeculari ſive pellucido fiebant, qui olim in Hiſpania, Cypro, Cappadocia, Africa creber, noſtro ævo fere ignotus, quo vitrei orbes & quadri in uſu communi.

Penſiles Balneæ.

Sed & antea ſimpliciter balneas ſolo inſtruebant, quæ Senecæ ætate, ſubjecto igne, ſuſpenſæ; unde alvei fictiles, parietibus infixi, calorem reciperent. Penſiles tamen balneas paulo antiquioris ævi fuiſſe, ex Plinio (p) diſcimus, qui inventorem earum indicans ſcribit: *Sergius Orata primus invenit penſiles balneas.* Alibi (q) de Aſclepiade medico: *Tum primum*, inquit, *penſilium balnearum uſu ad infinitum blandiente.* &c. Quum autem Aſclepiades ille Cneji Pompeji temporibus vixerit, ſuſpenſuram balneorum Neronianum ævum præceſſiſſe, vel aliam ſuſpenſuram, quam de qua Seneca loquitur, à Plinio intelligi, ſtatuendum eſt. Fieri tamen facile potuerat, ut Seneca tria hæc inventa novitia, quibus veterum laconicorum ſtructura emendabatur, laxiore paululum ſenſu in ſuum ævum conjunxerit.

§. CXCII.

Foculus.

Alias frequens apud Romanos uſus, foculum cum ignitis carbonibus inferre conclavi. Suetonius in *Tiberio:* (r) " Cinis è favilla & carbonibus, ad calfa- „ ciendum triclinium illatis, exſtinctus exarſit repente. „ Talem quoque focum cum ignitis carbonibus cubiculo ſuo, quum An. CCCLX. Lutetiæ Pariſiorum verſaretur, inferri juſſit Julianus Imperator, uti ipſe in *Miſopogone* ſuo teſtatur. Caminos, ævo noſtro uſitatos, apud Romanos jam in uſu fuiſſe, dictu difficile. Nullam eorum certe apud Vitruvium, aliisque in Veterum ſcriptis, memoriam reperio: in nullis ædificiorum priſcorum ruderibus apud Italos, Gallosque caminum reperi. *Camini* vox, apud Veteres recepta, varios ſignificatus, ab bodierno diverſos, habuerat. Num hodiernus quoque eis debeat adjungi, ulteriorem ſane disquiſitionem meretur, quæ hujus loci non eſt. Sidonius Apollinaris (s) tamen de noſtris caminis loqui videtur, ubi ſcribit: " A Cripto porticu in byemale triclinium venitur, quod arcuatili camino ſæpe ignis „ animatus pulla fuligine infecit. „ Lipsius (t) nihilominus ad laconica noſtra, hypocauſtis & tubis inſtructa, refert; ut & verſus illos, quos in Pontii Leontii Burgo apud eundem Sidonium (u) legimus.

§. CXCIII.

Balnea extera.

In Britanniæ minoris, quæ veteribus Aremorica fuit, regione, ubi olim Curioſolitæ (x) habitabant, rudera quoque conclavis, fictilibus tubis inſtructi, An. MDCCIX. reperta fuiſſe, *Academiæ Inſcriptionum Commentarii* (y) me docent. Unde colligo, uon Rauracos modo atque interiores Mediomatricos, ſed & exteriores noſtros, cum Tribocis inter eos habitantibus, ut & Treviros, Aremoricos atque Pariſios, adeoque Celticæ Belgicæque incolas, ejusmodi hypocauſta, varios in uſus, adhibuiſſe frequenter; nec mirum, quod populi hi cæteris Gallicis ſeptentrionaliores fuerunt. Sed & uſus bypocauſtorum in Inſulam Britannicam transiit, in cujus oppido *Wroxeter*, quod *Uriconium* olim, in Comitatu *Shropshire*, ſeculo hoc laconicum ſimile repertum eſſe Benjamin Mottius (z) prodidit, qui & totius ædificii ſchematismum exbibuit; unde magnam

 ejus

(o) Antiquioribus Romanis balnea erant tenebroſa. Martialis Lib. I. *Epigr.* LX. *tenebroſaque balnea Grylli.* Adde Senecam *Epiſt.* LXXXVI. Cæſarum autem ævo contemptui erant, quum eorum ævo adderentur feneſtræ.

(p) Lib. IX. Cap. LIV.

(q) Lib. XXVI. Cap. III.

(r) Cap. LXXIV.

(s) Lib. II. Epiſt. II. pag. 102. Edit. Savar.

(t) Centuria III. *ad Belgas Epiſt.* LXXVI.

(u) *Carm.* XXII. vers. 188. ſqq.

(x) Horum nominis reliquiæ adhuc ſoperſunt in villa quadam apud Dinantium, quæ dicitur *Corſeult.*

(y) *Memoires de l'Acad. des Inſcript.* Tom. I. Hiſt. pag. 297. ubi lateritii quidam canales in conclavi illo reperti, ſesquipedem alti, ſemipedem lati, fuiſſe dicuntur; quæ ipſa majorum quoque tuborum, quos in muſeo aſſervo, menſura eſt.

(z) *Acta Societatis Anglicanæ* à Benj. Motte continuata, idiomate Anglico Vol. II. Part. IV. Cap. I. pag. 67. ab anno MDCC. ad MDCCXX.

MONUM.

ejus cum Bipontino conformitatem perſpicio, niſi quod omnia Britannici laconici quatuor latera tubis cavis erant inſtructa. Julianus Imp. Lutetienſe cubiculum ſuum deſcribens, non iodicat obſcure, hypocauſta illa, vel caminos Gallici præſertim, atque hinc apud Italos, uſus fuiſſe minus frequentis; adeoque oon absque fundamento conjicere licet: poſteriorem hanc hypocauſtorum ſtructuram à Gallis tranſiiſſe ad Italos, quorum illa, præ laconicis veteribus, fuit prærogativa inſignis, quod oon modo ſudationibus, vel balneis ſiccis, ſed etiam varii uſus generisque formandis conclavibus inſervire potuerint.

Differentia Balnearum.

Enimvero Vogeſiana, quæ hucusque diſcuſſimus, ædificia quum probe conſidero, Lichtenbergenſe quidem thermis atque lacooicis accenſendom eſſe, dubitare non poſſum, Bipontinum autem atque Buxovillanum alios quoque in uſus adhiberi potuerant; id quod vel inde ſortaſſis concludere licebit, quod unos modo Bipontini laconici paries fuerit tubis inſtructus, qui pavimento impoſiti fumum igneum excluſerant; Buxovillanum autem quatuor quidem parietibus tubos inſertos habuerit, ſed ita diſpoſitos, ut inter ſingulos eorum ordines interſtitium eſſet.

§. CXCIV.

Stubæ Germanorum.

Ex his diætarum, cænaculorum, (*a*) cubiculorum, tricliniorum, bicliniorum (*b*) aliorumque conclavium hypocauſtis, cameræ denique illæ, *ſtubas* quas vocant Germani, exortæ ſunt; quæ Latino ſermone haud recte *hypocauſta* appellantur, quod ignis non ſub conclavi, ſed in ipſo conclavi, in foco clauſo tectoque ardet, ac conclave calefacit, ita tamen, ut pavimentum noo calefiat. Nec recte ab aliis *vaporaria* dicuntur, quia extra parietem vapor aſcendit, nihiique adeo ad calfacienda conclavia confert; quod in ooſtris conclavibus, (*Stuben*) in quibus focus tectus aerem calefacit, evenire quotidiana oos experientia docet.

Ex comparatione tamen cœnaculorum noſtrorum cum illis, in quibus hypocauſta Romani poſuerunt, nemini ooo facile patebit, Romana calorem longe ſuaviorem atque gratiorem, quam ooſtra, per conclave diffudiſſe; uode Lipſio (*c*) valde probata, qui de ſe profitetur: “ Illa ratio mihi percommoda videtur, ac ſupra Germanorum „ ſtubas; imo ſi copioſior ſim, imiter ſovendo corpuſculo & uſurpem: ſtudiis ſtudio„ ſisque ſit aptum. „ A *tubis* his, qui fornacis, furni aut camini inſtar, in cubiculis, diætis, tricliniis, adhibebantur, Germanicum *Stube* LIPSIUS (*d*) derivavit; non majore cum ſucceſſu, quam alii ab Hebraico Græcove (*e*) derivant, aut qoam Athenæi (*f*) Interpres apud Sybaritas Gallorum *Poelles* reperiſſe ſe credidit. Modus calfaciendi per tubos priſcis Germanis omnino fuit ignota. (*g*)

Ceterum omnis hæc de thermis & laconicis Vogeſianis doctrina, noo thermas natura calidas, ſed igne calfactas, ſive artificiales coocernit. De Thermis oaturalibus Vogeſi, inter quas Plumbarienſes, Romanis jam frequeotatæ, ſupra (*h*) diſſerui; in quibus diverſus lavandi ſudandique modus, hodie uſitatus, ævo Romano jam in uſu eſſe potuerat. In his quoque thermis, præter balneas conſuetas, ſunt ſudatoria ſicca, provocantia ſudorem. Diverſitas autem à Lichtenbergico in eo conſiſtit, quod laconica Plumbarienſia aquis natura calidis fervent, Lichtenbergicum aqua igne calfacta incaluit.

CAPUT

(*a*) Cœnaculum neceſſario in parte ſuperiore domus eſſe debuit, ſi hypocauſtum habuerat, quod oon niſi in cœnaculis hibernis. Apud SUETONIUM in *Auguſto* Cap. XLV. dicitur, huoc ex amicorum fere libertorumque cœnaculis ſpectaſſe Circenſes. Vir Clariſſ. Jo. AUG. EANESTI in *Clave Ciceroniana* ſua, multam ob doctrinam commendabili, vocem *Cœnaculum* de ludis atque ſpectaculis iutelligi debere, putat. A genuina tamen & ſimplici vocis ſignificatione ego nollem recedere; quando indubia res eſt, è monte Palatino, & quidem ex ipſo Palatio, ut & ex domibus, in illo monte poſitis, Auguſtum deſpicere potuiſſe in Circum maximum, ibique Circenſes ludos ſpectaſſe. An cœnaculum in alto, cœnatio autem in plano fuerint, diſcutere nolo.

(*b*) Biclinium pro cœnaculo & pro lecto, in quo bini diſcumberent, apud Veteres ſumebatur. Jo. ALSTORPHIUS *de Lectis & Lecticis Veterum* Cap. XV. pag. 90.

(*c*) *Epiſtolar. ad Belgas* Cent. III. Epiſt. LXXVI.

(*d*) Cel. WACHTERUS, de omni Archæologia Germanica meritiſſimus Vir, in *Gloſſario Germanico* voce. *Stube*, pag. 1635.

(*e*) Vox Germanica, Anglo-Saxonibus, Suecis, Gallis, Hiſpanis, Italis nota, balneum & caldarium denotat. In veteri Anglo-Saxonica *Evangelii Johannis* verſione Cap. X. 40. *Stowe* pro habitatione. In veteri Celtica lingua vox *Stoufa* denotat claudere, locum clauſum. Mirabitur Lector FRENZELIUM ab Hebraico *Schebbeth*, SALMASIUM à Græco τύφω, vocem derivaſſe. Vide WACHTERUM loc. alleg.

(*f*) Lib. XII. Adi LIPSIUM *Centur*. III. ad *Belgas Epiſt*. LXXVI.

(*g*) TACITUS *German*. Cap. XVII. “ Totos „ dies juxta focum atque ignem agunt.

(*h*) In Alſatiæ Conſpectu §. XXI. pag. 84.

CAPUT XVI.

COLUMNÆ MILLIARES.

I.

EPAMANDUODURENSIS.

§. CXCV.

AVentico-Rauracenſis via, per Juraſſum Portamque ejus Pertuſam directa, in viam denique Sequanicam incidit, quæ Veſontione per Epamanduodurum & Largam ducebat ad Rhenum. Veſontinæ hujus viæ, ſi non auctor, reſtaurator certe fuit, Imperator Trajanus; cujus rei veteres Veſontini nobis teſtem reliquerunt venerabilem ſtelam, ſeu Columnam milliariam, quam inter Monumenta Alſatica Tabula I. exhibemus, æri inciſam, quæ ſua ſe præſtantia & raritate commendat. Columna teres eſt, albicantis coloris, lapide oblongo, rotundo, perpetuo: hoc eſt, uno ſcapo ſtylove conſtans, altitudinis VI. pedum, (*i*) diametri ſeſquipedis, qui à ſummo ad imum imminuitur paululum: ſtylobates columnæ adhæret. In Lapidibus milliaribus forma hæc quidem rotunda frequentior eſt, reperiuntur tamen inter eos & quadrilateri cippi; qui pro opificis ingenio & ipſi variaverant. Columna Milliaria Epamanduoduenſis. *Tab. I. mon.* ſ.

Inſtituti apud Romanos C. Gracchus fuit auctor. (*l*) Primis temporibus nec numerus milliarium, nec nomen auctoris viæ, inſculpebantur lapidi. Poſtquam autem uſus uterque invaluit, & nota numeralis & nomen Imperatoris ſcapo columnæ inſculpebantur communiter. Lapides hi, præter ornatum, quem viæ conciliarunt, iter facientibus opportuni fuerunt, iſtumque in uſum confecti ac poſiti ſunt. Rutilius: (*m*) Columm. milliarium origo.

“ Intervalla viæ feſſis præſtare videtur,
„ Qui notat inſcriptus millia crebra lapis,

Quintilianus (*n*) item: “ Non aliter quam facientibus iter multum detrahunt fati- „ gationis notata inſcriptis lapidibus ſpatia. „ Sidonius Apollinaris: (*o*) “ Antiquus „ tibi nec teratur agger, cujus per ſpatium ſatis vetuſtis Nomen Cæſareum viret columnis. „ Columnæ hæ frequentiori appellatione *Lapides* (*p*) ſimpliciter, *Cippi*, *Columnæ milliares*, *milliariæ*, Græcis vero Σημεῖα & ςήλαι dicuntur, quæ *κατὰ μίλιον*, ut Plutarchus ait, hoc eſt, *ſecundum* vel *per milliaria* diſpoſitæ.

§. CXCVI.

An. MDCCXVIII. menſe Auguſto, in Comitatus Montisbelgardenſis villa *Mandeure*, quæ Epamanduodurum (*q*) apud Sequanos veteres fuit, haud procul à ripa fluvii Dubis, quum emiſſarium aquæ, molendini cauſa, reſtauraretur, columna hæc ex ſepulcro reſurrexit illæſa. In Montisbelgardenſem Principis arcem translata ultraque XX. annos ibi ſervata, Sereniſſimi Wirtenbergensium Ducis juſſu, Argentoratum denique, in Aulam meam Antiquariam, tranſiit; quod Principis benigniſſimi munus publice & grata mente heic celebro. Epigraphe literis digitalibus, ævi illius majeſtatem loquentibus, inſculpta, hæc eſt: Inſcriptio.

IMP.

(*i*) Columnæ milliares vix reperiantur, quæ octo pedes excedant; nonnullæ ob formam minorem nonniſi Columellarum nomen merentur, uti infra in Badenſibus nonnullis videbimus.

(*l*) Plutarchus in *Vita C. Gracchi* Cap. IX.

(*m*) *Itinerar.* II. 7.

(*n*) *Inſtitut. Orat.* Lib. IX. Cap. IV.

(*o*) *Propempticon ad Libellum Carm.* XXIV.

(*p*) Livius Lib. V. Cap. IV. *Deinde prælio ad octavum lapidem Gabina via vincuntur.* Martialis Lib. IX. *Epigr.* LXV. vocat *octavum marmor*, quod Cippi hi interdum marmorei fuerunt apud Italos, vel ſynecdochice *Marmor* pro *Lapide*; quod Antiquariis frequens. Interdum numerale ſolum exprimitur. Tacitus *Hiſt.* Lib. II. Cap. XXIV. *Ad duodecimum à Cremona.*

(*q*) Oppidum hoc ævi Romani ſub Merovingis priſtinum ſtatum utcunque ſervavit; ut *Charta*, quam anno VI. Childerici Regis Boronus Monaſterio Honaugienſi dedit, teſtatur, ubi legitur: *Actum Mandouro Caſtro publice.* Mabillon *Annal. Benedict.* Tom. II. pag. 696. Caſtrum autem illo tempore denotavit locum muris clauſum, ſive oppidum mediocre. Hodie vicus eſt, ubi tamen veteris oppidi reliquiæ frequentes occurrunt. Chifletius in *Veſont.* Part. I. pag. 152. Ex Charta Boroni migratio nominis diſcitur. Locus ſub Romanis *Epamanduodurum*, ſub Francis *Mandouro*, recenti ævo *Mandeure*, appellatus.

MONUM.

IMP. NERVAE
TRAIANO
CAES. AVG. GER.
DIVI. NERVAE. F.
P. M. TR. P. P. P. CoS. II.
VESANT. M. P. XXXXIIX.

Imperatori Nervæ Trajano, Cæſari Auguſto, Germanico, Divi Nervæ filio, Pontifici Maximo, Tribunitia Poteſtate, Patri Patriæ, Conſuli ſecundum, Veſantio milliarum poſuit quadrageſimum octavum. Quodſi formulam conſuetam *Mille Paſſus* heic adhibere malueris, non equidem repugno; hoc caſu ſubintelliges *Milliarium poſitum*, quæ verba per ellipſin conſuetam, ante vocem *Veſant.* omiſſa. Inter titulos Trajani memoratur Conſulatus ejus ſecundus. Trajanus anno Urb. Cond. DCCCLI. Æræ Chriſt. An. XCVIII. Conſul iterum factus eſt, cum Nerva Imperatore, qui quartum eodem anno Conſulatum iniverat. In hoc ipſo Conſulatu obiit Nerva VI. Cal. Februarii, adeoque Trajanus, ſecundi Conſulatus ſui initio, admotus eſt ſolio, annusque Imperii primus cum Conſulatu ejus ſecundo concurrit. Inter ſecundum hunc tertiumque Conſulatum Trajani interceſſit annus. Nam An. DCCCLIII. Urb. Cond. centeſimo autem Æræ Chriſt. tertium cum Cornelio Frontone Conſulatum geſſit Trajanus. Lapis ergo milliaris noſter primo Imperii ejus Auguſtei anno poſitus eſt; unde *Tribunitiæ Poteſtati* nullus additur, quod & hic fuerat primus, qui in Æræ Chriſt. An. XCVIII. coincidit: ſive ſtrata primum tum fuerit via illa Veſontino-Alſatica, ſive in novi Principis gratiam poſitus lapis, quod frequenter contigiſſe novimus. Eodem modo ſucceſſori Trajani Hadriano Aventicum urbs milliarium poſuit, uti ad Inſcriptionem Petræ Pertuſæ docuimus.

§. CXCVII.

Aliæ columnæ.

Præter viam hanc Sequanicam, Helveticarum aliquot inſtaurator vel reſtaurator quoque fuit noſter Trajanus. Non enim in ſuburbano tantum Thermarum Badenſium, apud Helvetios, agro, ſed & in vico Gallico *Verſoy*, Genevam verſus, ſimiles extiterunt Columnæ milliares, ſub eodem Conſulatu ſecundo Trajani poſitæ. Prior, quam Ægidius Tſchudius, Helvetiorum nomine Præfectus Badenſis, An. MDXXXIV. ante arcis pontem collocaverat, deinceps translata eſt Tigurum; ubi jam in Bibliotheca civica viſitur, his verbis notata: (*r*)

IMP. CAESARI.
DIVI. NERVAE. F.
NERVAE. TRAIA
NO. AVG. GERM.
PONT. MAX. TRIB.
POT. COS II. P. P. DES.
III. M. P. LXXXV.

Itineris hujus, quod Bada Helvetica dirigebatur Aroviam, verſus fauces Juraſſi, veſtigia adhuc ſupereſſe, prodidit Guillimannus; in eo tamen erroneus, quod Columnam hanc indicare exiſtimat, Trajanum, iter LXXXV. millium Paſſ. aperuiſſe, quum Inſcriptio milliare modo octogeſimum quintum deſignet, ab illo nempe loco diſtans, ubi initium viæ. Alterius autem Columnæ, quæ translata eſt Genevam, Inſcriptio ita ſe habet: (*ſ*)

IMP.

(*r*) STUMPFIUS *Chron.* Lib. IV. Cap. XXI. GUILLIMANN. *Rer. Helvet.* Lib. II. Cap. II pag. 159. PLANTINUS *Helvet.* pag. 282. In *Commentariis Regia Inſcript. Academiæ* Tom. XIV. pag. 151. Cel. FRERETUS, hanc Columnam recenſens, typographico forſan errore Mill. Paſſ. LXXV. poſuit, unumque adeo denarium omiſit.

(*ſ*) SPON *Hiſtoire de Geneve* Tom. II. pag. 329. num. 30.

MONUM.

I M P. C A E S. N E R V.
V L P. T R A I A N. A V G.
G E R M. P O N T. M A X.
T R I B V N. P O T. C O S. I I.
M. P. V I I I. (*t*)

Cognomen Germanici in tribus his Cippis Trajano adſcribitur, quod bello quum præeſſet Germanico, Agrippinæ Coloniæ, à Nerva Imperator declaratus eſt; primumque adeo omnium ejus elogiorum fuit *Germanici* titulus. Sub tertio demum Conſulatu An. Urb. Cond. DCCCLIII. Æræ Chriſt. C. ad Dacicum profectus eſt bellum, unde *Dacici* nomen; quum An. CIII. poſt bellum Dacicum primum, Romæ triumphaſſet: (ſecunda enim vice de iisdem Dacis triumphavit An. CVII.) Parthis denique An. CXV. devictis, meruit quoque *Parthici* encomium; quod poſtremum omnium accepit An. CXVII. in Cilicia mortuus.

§. CXCVIII.

Diſtantia dubia.

Trajani circa vias muniendas cura celebrata eſt nummis. Obvius ille, in cujus poſtica legitur: *Via Trajana*, ubi intelligitur via Appia, & quidem illa ejus pars, quæ à Capua Brundiſium usque ducebat. Hanc, teſte Dione, Trajanus ſiccatis paludibus, excîſis collibus, aggeratis vallibus, pontibusque exſtructis, permeabilem fecit, & de ſuo nomine appellavit *Trajanam*. Factum hoc ſub ejus Conſulatu V. anno Æræ Chr. CIX. undecim circiter annis, poſt Sequanicam Helveticamque vias munitas. In Sequanica ſtetit lapis noſter. Via autem Veſontione ad Alſatas verſus Rhenum, id eſt, ab interioribus Sequanis, ad exteriores Rhenenſes ducebat. Caput ergo & viæ principium fuit Veſontio, Sequanicæ Civitatis Metropolis. Inſcriptio ab hac urbe ad locum usque, ubi ſteterat, & ubi reperta, Epamanduodurum nempe, Mill. Paſſ. XXXXIIX. computat. Theodoſiana Tabula Veſontionis diſtantiam ab Epamanduoduro non exprimit. *Itinerarium* ANTONINI autem iter illud ita ordinavit: (*u*)

Viſontione
Velatuduro . . Mill. Paſſ. XXII.
Epamantadurum. Mill. Paſſ. XII.

Unde ſumma Mill. Paſſ. XXXIV. exſorgit. Idem Itinerariom alibi, (*x*) Velatuduro omiſſo, Veſontione Epamanduodurum ponit Mill. Paſſ. XXXI. unde trium milliarium diverſitas diſtantiæ, inter duo hæc oppida in eodem Itinerario, Librariorum oſcitantia fortaſſis, aut alio caſu, exoritur. Quamcunque autem ex his menſuris eligas, neutra cum Columna noſtra milliari concordat. Diſcordia hæc autem nonniſi apparens eſt, indeque exorta, quod in Lapide milliaria Romana, in Itinerariis vero leugæ Gallicæ, ſub milliarium nomine, exprimontur. His ita conſtitutis, uti vere conſtitui debent, Itinerarium à Columna noſtra non differt, quod XXXIV. leugæ veteres Gallicæ cum milliariis XXXXIIX. Romanis fere concordant, uti ſupra (*y*) jam docui, atque infra porro, ubi de menſurarum itinerariarum ratione agetur, oſtenſurus ſum. (*z*)

§. CXCIX.

Veſontionis nomina.

Veſontionis urbis nomen, ejusque orthographiam quod attinet, Columna noſtra eam alia forma, quam JUL. CÆSAR & PTOLEMÆUS, exprimit, vocatque *Veſantionem*; eodem modo, quo AMMIANUS MARCELLINUS (*a*) Beſantionem appellat. Literas *B* & *V* à Romanis promiſcue ſcriptas fuiſſe, paucis ignotum. JULIANUS, Ammiano coævus, in *Epiſtolis* ſuis (*b*) eam *Βικεντίωνα*, *Bicentionem* ſive *Vicentionem*, ſcribit. Hodierna pronuntiatio vulgaris *Beſançon* Lapidis noſtri ſcripturæ quam maxime appropinquat. Nummos à BOTAROTIO, GOLTZIOque productos, quibus *Veſont one* & *Viſontium* inſculpta leguntur, prætereo. In aliarum urbium nominibus vocales promiſcue commutantur haud raro. Maſſiliam, Romanis Scriptoribus celebratam, nummi Græci, quos lingua hac, quæ in Græca illa Colonia fuit vulgaris, magno numero videmus, ΜΑΣΣΑΛΗΤΩΝ *Maſſaleton* exprimunt.

Zzz 3 II.

(*t*) Octo hæc millia Paſſ. diſtantiam à Geneva denotant.
(*u*) *Itinerarium* pag. 346.
(*x*) Idem pag. 386.
(*y*) Pag. 199. §. CXXXVII.
(*z*) Cap. XVII.
(*a*) *Hiſt.* Lib. XX. Cap. X.
(*b*) *Epiſtola* XXXVIII.

MONUM.

II.

BROCOMAGENSIS.

§. CC.

Brocomagenſis columna.

EPamanduodurenſi Columnæ milliariæ ſociam damus Brocomagenſem, vere Alſaticam, (*c*) eique in plerisque conformem, Brocomagi, (*d*) qui vicus hodie, ſuperiore ſeculo oppidulum, Romanis autem temporibus oppidum inſigne fuit, in ædium ruſticarum cella vinaria An. MDCCXXXV. effoſſam; quæ cum aliis Brocomagenſibus anaglyphis, Sereniſſimi Principis Hæreditarii Landgraviatus Hasso-Darmstadiensis juſſu, ad Curiam meam translata eſt. Brocomagum ego ſæpius & lubens quidem inviſi; celebritatis ejus Romanorum ævo, haud immemor, Pliniique recordatus ſententiæ, quam Maximo ſuo perſcribit: (*e*) " Reverere gloriam veterem „ & hanc ipſam ſenectutem, quæ in homine venerabilis, in urbibus ſacra. „ De Brocomago diceres, quod de Populonio Etruſcorum urbe, quondam opulenta, ſuo ævo diruta, Claudius Rutilius Numantianus ſcripſit:

" Agnoſci neqoeunt ævi Monumenta prioris,
„ Grandia conſumſit mœnia tempus edax.

Tab. I. num. 7.

Columna, de qua agimus, rotunda & teres eſt, ex rubro lapide ſculpta, integra adhuc & illæſa, eaque ſex pedes altitudinis, unumque in diametro habet; ſtylobates columnæ adhæret. Inſcriptionem, Columnæ inſculptam, graphice repræſentat Tabula I.

IMP. CAES. PVB
LIO. LICINIO
VALERIANO. PIO
FELICI. INVICTO
AVGVSTO. CIV.
TRIBOCORVM.

Imperatori Cæſari Publio Licinio Valeriano pio felici invicto Auguſto Civitas Tribocorum poſuit. Milliaris eſt Cippus, notis licet numeralibus careat. Intra Brocomagenſis enim civitatis pomœria poſitus, caput ille eſſe potuit viarum, quæ ab oppido ad varias oræ hujus plagas ducebant; atque adeo ab eo menſuræ milliariæ cæterique lapides viales, quibus nota inſculpta, ſuum capere potuerunt initium; uti in Aurelia civitate Aquenſi id factum fuiſſe, Capite ſequenti videbimus.

§. CCI.

Imperatoris nomen.

A Punici belli temporibus milliares Cippos ponere Romani jam ſueverant, uti Polybius (*f*) docet; verumtamen ita, ut unius cujusque milliarii terminus ſignaretur lapide, nullis titulis ſignato, ut ex ſuperſtitibus Cippis clariſſime liquet: (*g*) quod ſub Republica libera obſervatum conſtanter. Sub Imperatoribus autem adulatio cœpit. Cippis his enim, veluti ſacris Monumentis, nomina Auguſtorum, adulatoriis cum titulis, inſculpta fuerunt; ita quidem, ut novo Imperatori nova ſæpe Columna milliaris, nomine ejus ſignata, poneretur: (*h*) prioris Imperatoris Columna vel ſepulta, vel remota, vel penitus abolita; quod ex Steinbacenſibus & Nœttingenſibus Columnis, mox producendis, addiſcimus. Patebit ex illis, brevi temporis intervallo, tribus ſub Imperatoribus, qui ſibi invicem, ſeculo III. ineunte, ſucceſſerant, tres diverſos Cippos milliares, eodem in loco poſitos fuiſſe, qui ſeculo XVI. & noſtro ex ſepulcris ſuis reſurrexerunt; ſed omnes leugis ſignati.

Quodſi

(*c*) De qua Obſervationes quasdam noſtras reperis in *Commentariis Acad. Reg. Inſcription.* Tom. XV. pag. 456. ſqq.

(*d*) *Bruempt* vulgo, imo & *Brumat* quandoque. Vide, quæ de hoc loco pag. 231. §. CCXCII. diſſerui.

(*e*) Plinius Lib. VIII. *Epiſt.* XXIV.

(*f*) *Hiſtor.* Lib. III. Cap. VIII.

(*g*) Maffejus in *Antiquitat. Galliæ Selectis* Epiſt. VII. pag. 33. ſq.

(*h*) Sidonius Apollinaris in *Propemptico ad Libellum Carm.* XXIV. pag. 204. Edit. Savar. ait: *Vetuſtis Nomen Cæſareum viret columnis.*

Quodſi ex Columnæ noſtræ Brocomagenſis ſororibus una ſupereſſet, ex illa, milliaris, an leugaris, hæc fuerit Columna, diſceremus: (*i*) Leucæ enim originis Gallicæ, non Germanicæ, quum ſint, nonniſi à populis cis Rhenum ad Trans-Rhenanos pervenire potuerunt. Id tamen ex ea porro colligimus, in omni Tribocorum Civitate, ſive Inferiore Alſatia, milliarias hujus generis vel leugares Columnas fuiſſe diſpoſitas, quas temporum injuria omnes abſtulit. Columnæ itinerariæ per omnem Galliam, ſi Narbonenſem excipias, raræ ſunt; apud Alſatas unica hæc supereſt: ſecutura forſitan ſecula manifeſtabunt & alias, quæ noſtræ huic lucem affundent. Ceterum non in oris tantum noſtris, ſed & apud Pannonios, vias ſub Imp. Valeriano reſtitutas fuiſſe, ex columna Vindobonæ reperta diſcimus, quam edidit Gruterus. (*l*)

§. CCII.

Explicatio Inſcriptionis. Sed jam ad ipſam Lapidis Inſcriptionem progredimur. Indicat hæc, Civitatem Tribocorum, hoc eſt, univerſam gentis Tribocorum Rempublicam, ſive Communitatem, Cippum hunc poni juſſiſſe, eumque Valeriani Imperatoris conſecraſſe honori. Alia Valeriani Imp. Monumenta nominibus, in lapide noſtro expreſſis, *Aurelii* & *Valerii* nomina ſuperaddunt: *Imp. Cæſar P. Aurelius Licinius Valerius Valerianus.* Sed & honorum tituli omnes, Pontificatus nempe Maximus, Tribunitia poteſtas, Conſulatus & Cenſura, brevitatis cauſa, in noſtro omiſſi ſunt Cippo. Tribunitia autem Poteſtate Conſulatuque omiſſo, nullum Chronologiæ ſpecialius definiendæ characterem Cippus quum exprimat, ad tempora Valeriani generatim reducimur; poſitusque adeo itinerarius hic lapis eſt inter annum Æræ Chriſt. CCLIII. & CCLIX. quo ſexennali intervallo Valerianus imperavit.

Civitas Tribocorum. Viam ergo cum vialibus cippis munivit Civitas Tribocorum. *Civitas* multitudinem Civium denotat, ſive populum, in unam ſocietatem coalitum; quo ſenſu Civitas ſine urbe eſſe poteſt, vel plures urbes aut oppida in ſuo ambitu continere. Frequens hic & ordinarius apud Julium Cæſarem, Tacitum, Pliniumque vocis ſenſus eſt. Ita *Civitas Helvetiæ* (*m*) in quatuor pagos diviſa; *Civitas Allobrogum*, (*n*) *Pariſiorum & Senonum Civitas*, (*o*) *Civitates Germaniæ*, (*p*) *Civitas Brigantum*, (*q*) *Civitas Hermondurorum*, (*r*) *Civitas Ubiorum*, (*s*) *Tungri Civitas Galliæ*, (*t*) *Oppidum Civitatis Vediantiorum*, *Cemelion.* (*u*) Alio modo *Civitas* pro urbe vel oppido, totius Civitatis Gentisve cujusdam partem conſtituente, accipitur. In Brocomagenſi Columna *Civitas Tribocorum* intelligi poteſt ſenſu utroque. Univerſus enim Tribocorum Populus Civitasque Columnarum ponendarum auctor eſſe potuerat; ſed & Brocomagus ſpeciatim Civitatis Tribocorum nomine inſigniri quita eſt, adeoque ab ea, ceu capite gentis, Columnarum potuit duci initium. Et quidem via militaris hujusmodi ſtelis ornata, quam Strabo (*x*) κατεστηλωμένην appellat, Brocomago vel Argentoratum, vel per Tres-Tabernas ad Vogeſum Mediomatricosque interiores, vel ad Nemetes, ducebat. Brocomagum ex præcipuis Tribocorum oppidis extitiſſe ſupra oſtendimus. Quodſi Brocomagenſium Civitas totius Tribocorum Civitatis primaria fuiſſet, eminenti ſenſu Civitatem Tribocorum eam appellari nemo miraretur. Ita enim Aventicum Colonia Helvetiorum, Rauricum Colonia Rauracorum vocabantur, quod vel ſola vel præcipua Romanorum in utraque illa gente Colonia urbs utraque fuit. At præter Brocomagum Argentoratus quoque & Helvetus, imo & alia minora, in Tribocis quum floruerint oppida, animum inducere nequeo, ut Brocomago ſoli *Civitatis Tribocorum* elogium attributum exiſtimem. Brocomagenſium Civitas recte appellabatur; Tribocorum vero Civitas ſine cæterarum ejusdem gentis injuria vocari non potuit; ſi caput gentis non fuit. Argentoratus, quam Legio VIII. ſeculo ſecundo cuſtodivit, quæque ſeculo IV. Comitem peculiarem & armorum omnium Fabricas habuit, an non prærogativis his præ cæteris Tribocorum urbibus eminuit; atque adeo Civitatis Tribocorum nomen meliori jure ei competiiſſet? Inferimus hinc, Columnam Brocomagenſem *Civitate Tribocorum*, omnem gentis totius intelligere populum. Columnam hanc *milliariam* appello, quæ *leugaris* eſſe quoque potuerat, uti Badenſes trans Rhenum, de quibus à nobis inſtituetur jam ſermo.

CAPUT

(*i*) Niſi exiſtimes, conſuetudinem abolitam, qua notæ numerales ante Tiberium Imp. vix lapidibus inſculptæ fuerunt, à Tribocis revocatam in uſum.
(*l*) *Inſcription.* pag. 158. num. 8.
(*m*) Cæsar *de Bello Gall.* Lib. I. Cap. XII.
(*n*) Idem Lib. VII. Cap. LXIV.
(*o*) Idem Lib. VI. Cap. III.
(*p*) Idem Lib. VI. Cap. XXIII.
(*q*) Tacitus *Agricola* Cap. XVII.
(*r*) Idem *Germania* Cap. XLI.
(*s*) Idem *Annal.* Lib. I. Cap. XXXVII.
(*t*) Plin. *Hiſtor. Nat.* Lib. XXXI. Cap. II.
(*u*) Idem Lib. III. Cap. V.
(*x*) Lib. VII. pag. 590.

CAPUT XVII.

COLUMNÆ LEUGARES.

§. CCIII.

Columnæ leugares Badenſes.

A Columnis Milliaribus ad Leugares tranſimus; à Sequanis & Tribocis noſtris ad Decumates Romanorum agros progreſſuri trans Rhenum. Leucarum origo Gallis debetur, qui eas in Rhenenſem Germaniæ oram, Romano Imperio per tria ſecula ſubjectam, attulerunt; quum apud Germanos olim obtinuerint *Raſtæ.* (*y*) In Tabula Theodoſiana ad Lugdunum Seguſianorum legitur: *Lugduno Caput Galliarum. Usque hic Legas.* Romanorum Provincia enim ibi incepit; in qua nonniſi milliaribus Romanis locus erat. Reliquæ autem tres Galliæ, Celtica, Aquitanica, (*z*) Belgica, (*a*) Columnis leugaribus, in viis publicis paſſim fuerant inſtructæ, uti ex Cippis quibusdam reſiduis diſcimus. Ex omni illo Leugarium numero tam paucos ſupereſſe in Gallia, non ſemel miratus ſum, quum Marchionatus Badenſis, ab altera parte Rheni, nobis ſuggerat quinque, quas Tabula XVI. exhibet; quarum ſecunda truncata eſt ea ipſa parte, cui Leugæ inſculptæ fuerunt.

Tab. XVI.

Ex Columnis his An. MDLXXXVI. tres erutæ ſunt circa Steinbacum, (*b*) Badenſis ditionis oppidulum, in via publica, Badam inter, Principatus caput, & Buhlam. Reliquæ duæ nuperis demum annis MDCCXLVII. & MDCCXLVIII. Nœttingæ, quæ Marchionum Bada-Durlacenſium villa eſt, redierunt in lucem: & quidem Alexandrina num. 5. prior; Caracalliana num. 2. poſterior. Prior, ſuperiore parte mutila, An. MDXXXIII. privatæ domus foribus Nœttingæ inſerta jam ſteterat, ubi Beyellius eam vidit: poſterior, cujus infima pars periit, poſtrema ex ſepulcro ſurrexit. Ex Steinbacenſibus tribus duæ Durlacum translatæ, ubi in Sereniſſimi Marchionis horto, Arci Carolinæ vicino, aſſervantur; quibus Nœttingenſes duæ nuper quoque ſunt junctæ. Steinbacenſis autem tertia ad Collegium Jeſuitarum Badenſium pervenit, in cujus horto jam ſedet. (*c*) Quinque hi Cippi leugares, brevi XII. annorum intervallo poſiti, publicam viam ornarunt, quæ à Rheno ad Civitatem Aquenſem, indeque ducebat ad Nicrum; qui Valli Romani, limitem Rhenenſem præcingentis, terminus erat: ſingulæ diſtantiam loci, ubi erutæ, à Civitate Aquenſi, tanquam à viæ centro, per leugas deſignant. Ceterum omnes hæ Columnæ Imperatoribus, ex familia Septimio-Severiana prognatis, dedicatæ fuerunt. Steinbacenſis num. 1. & Nœttingenſis num. 2. Baſſianum Caracallam: Steinbacenſis num. 3. Elagabalum; Steinbacenſis num. 4. & Nœttingenſis num. 5. Severum Alexandrum, concernunt.

I.

(*y*) De Raſtis infra diſſeritur pag. 573.

(*z*) *In Itinerario Hieroſolymitano*, quod à Burdigala procedit, ſtationes ab hac urbe Toloſam usque diſtinctæ ſunt leugis.


(*a*) In *Itinerario* ANTONINI itinera Belgica paſſim diſtincta ſunt *Legis*, quod ex notis, *Noveſio*, *Geldubæ* pag. 255. adjectis, evidens eſt. De Celtica vero teſtantur Columnæ apud Sueſſiones repertæ, de quibus infra.

(*b*) CRUSIUS *Annal. Suev.* Tom. II. Lib. XII. Part. III. Cap. XXXII. pag. 800. hac de re ita ſcribit: "Hoc MDLXXXVI. anno in Marchionatu Badenſi, inter Sintzheim & Steinbach, forte ex terra effoſſe ſunt duæ Columnæ, quarum Inſcriptiones à Cl. Viro Car. Chriſtophoro Beiero, Phorcenſis Scholæ Rectore, accepi An. MDXC" Nonniſi duarum quidem Columnarum, quæ jam Durlaci ſunt, mentionem facit Cruſius; illam, quæ apud Jeſuitas Badenſes extat, ignorans; quam ibidem loci fuiſſe neceſſe eſt, quod eundem numerum habet leucarum, eodem, uti videtur, tempore effoſſa, quo reliquæ. Steinbacum idem oppidulum eſt, quod An. MCCLVIII. ſub Marchione Rudolpho, jure mercatus Imp. Richardus donavit.

(*c*) Apud Badenſes, teſte DYHLINO in Diſcurſu *de Thermis Marchio-Badenſibus* pag. 9. traditio eſt, hanc Jeſuitarum Columnam ex vicino monte *Stauffenberg*, ad orientem ſito, in oppidum tranſiiſſe. Apud Durlacenſes ſimiliter fertur, duas Steinbacenſes Columnas ex proximo monte, quem *Turris Montem* (*Thurn-berg*) appellant, translatas Durlacum. At Leugæ IV. ſingulis tribus inſculptæ probant, eas à priſcis Aquenſibus poſitas fuiſſe in plano, & quidem eodem in loco, unde erutæ atque dimotæ, in oppida, ubi jam viſuntur, pervenerunt.

COLVMNAE LEVGARES BADENSES.

N. I.




Steinbac.

V.




Noetting.

II.



Noetting.

III.




Steinbac.


IV.




Steinbac.




ODILIANI
MONTIS
MONVMENTA
A
A
A
A
A
B
C
Menelstein
Fons S. Odiliae
Monaster. Inferius
S. Iacobi
Castrum Landsberg
S. Nabor
A. Murus prior. B. Murus posterior.
C. Monasterium Hohenburg S. Odiliae
F. Mons, ubi Castrum Lucelburg


G




Castr. Drey Stein
H
Castrum Hagel Schloss
B
B
B
E
Capella S. Gorgonii
Castrum Landsberg
Ottenrodt
G. Ichnographia Muri.
H. Orthographia Muri.
I. Viæ Romanæ Fragmentum.
I
H

Digitized by Google

I.

COLUMNA CARACALLIANA STEINBACI.

§. CCIV.

TEmpore prior & Civitati Aquenſium propinquior fuit Steinbacenſis Caracalliana Jeſuitarum Badenſium, quam manibus ipſe meis contrectavi, talemque in ea deprehendi Epigraphen : Steinbacenſis columna I. *Num.* 1.

IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTO
NINO. PIO. FELICE. AVG. PAR
THICO. MAX. BRITANNICO. MAX
PONTIFICE. MAX. P. P. CoS. IIII
PROCOS. CIVITAS. AQVENS
AB. AQVIS. LEVG
IIII.

Columnella hæc lapidea cylindricæ formæ, IV. pedes cum dimidio longa, diametrum unius pedis & quinque pollicum habet. Characterum longitudo duorum pollicum eſt. Inſcripta *M. Aurelio Antonnio Pio* &c. non illi Philoſopho, digniſſimo Cæſarum, cui etiam *Parthici* tributum cognomen: nec Patri ejus, à quo adoptatus, Antonino Pio, qui *Aureli* nomine uſus eſt nunquam; ſed Baſſiano illi, qui carum & venerabile omnibus *Aurelii Antonini* nomen, ex conſilio Patris, accepit. *Pii* cognomen Familiæ Septimii Severi hæreditarium fuit, atque ab hoc Imp. jam uſitatum; vel quod mater ejus Fulvia Pia, & avus Fulvius Pius; vel quod in Antoninorum familiam transivit, cui nomen hoc quoque proprium fuit. Septimium Severum publica Monumenta (*d*) M. Aurelii filium, Antonini nepotem, conſtituunt. In Literis ad Senatum Severus Commodi fratrem ſe dixit. (*e*) Baſſianus, qui Septimio Severo Patri, Eboraci apud Britannos An. Chr. CCXII. mortuo, ſucceſſit, jam An. CCI. *Parthici maxmi*, An. CCX. *Britannici*, nomen cum Patre fratreque Geta accepit, quod bellis iſtis interfuiſſet cum Patre. Hoc autem mortuo, profectus ad bellum Germanicum An. CCXIII. *Germanici* elogium cæteris addidit, anno CCXVII. Carris denique in Meſopotamia occiſus. Plenior ergo Baſſiani Titulus hic fuit : *M. Aurelius Antoninus Pius*, *Felix*, *Auguſtus*, *Parthicus maximus*, *Britannicus maximus*, *Germanicus maximus*, *Pontifex maximus*, *Trib. Poteſt. Imperator*, *Conſul*, *Pater Patriæ*, *Proconſul.* Pleniſſimus Caracallæ titulus repertus olim fuit Tubingæ, quem HEROLDUS (*f*) & ex eo CRUSIUS (*g*) dederunt hoc modo : *Imp. Caſ. Divi L. Sept. Sever. P. Pert. Aug. Parth. Arab. Adiaben. P. M.* (filio) *Aurel. Antonin. Aug. Sarmat. Max. Germ. Max. Dac. Max. Armen. Max. Britan. Max. Arab. Max. Aleman. Max. Parth. Max. P. F. Pont. Max. Trib. Pote. VI. Cos. Procos. Perpet. Leg. VIII. Ant. Aug. P. F. ejus' num. devot. Prin. opt. fortiſſ. q.*

§. CCV.

Columellam noſtram, ſub Conſulatu IV. Baſſiani poſitam, verſus quartus Epigraphes indicat. Conſul tertium fuit An. Chr. CCVIII. à quo tempore Conſulatum gerere ceſſavit, ad annum usque CCXIII. quo geſſit Conſulatum IV. poſtquam præcedente anno, Conſul deſignatus, fratrem Getam occidiſſet. Ipſo geſti Conſulatus hujus anno urbanam vitam peroſus Caracalla, ſtimulante facinorum conſcientia, ſtatuit Roma ſecedere. Diſcedens ad Danubii ripas profectus eſt, & Imperii Romani partes, ſeptentrionem Conſulatus Baſſiani.

 verſus

(*d*) GRUTER. *Inſcript.* pag. 263. num. 8.
(*e*) DIO Lib. LXXV. pag. 853. Edit. Wech. ubi *Marci filium*, *Commodi fratrem*, ſe dicit.
(*f*) *De Station. Danub.* Cap. VIII.
(*g*) *Annal. Suev.* Part. I. Lib. IV. Cap. XII. pag. 91.

MONUM.

verſus ſitas, ordinavit, uti ex HERODIANO (*h*) addiſcimus, quæ profectio ejus celebrata eſt nummis. Occaſione hac Germanos ſibi adjungere ſtuduit, amicitiamque eorum ſibi conciliavit Baſſianus, ita quidem, ut ex illis, ſocios bellorum, & validiſſimum ac pulcherrimum quemque corporis cuſtodes, ſibi adſciverit, eodem Herodiano referente. Unde additum ei *Germanici* nomen, frequens in nummis; in quorum poſtica quoque ſubinde *Victoria Germanica* legitur, addito typo Victoriæ, cum trophæo gradientis. AURELIUS VICTOR (*i*) ſcribit: " *Alemannos*, gentem populoſam, ex equo mirifice „ pugnantem, prope Mœnum amnem devicit. „ Ita *Germanici* elogio Baſſianus non uſus eſt ante An. CCXIII. quem ipſum annum quoque Conſulatus ejus quartus ſignavit, uti modo oſtendi.

§. CCVI.

Epocha columnæ.

Ad Chronologiam Columnæ noſtræ leugaris ordinandam hæc manu nos ducunt. Quum enim *Germanici* elogium in ea non extet, Conſulatus IV. autem diſerte exprimatur, inferimus, Columnam non in poſtremis Conſulatus hujus annis, ſed antequam *Germanici* nomine uteretur, erectam. Qui enim veriſimile, Aquenſes elogium, præ omnibus Imperatori gratum, omiſſuros, qui ipſi in Germanico Decumatium Agrorum, Romanis ſubjectorum, ſolo habitaverant? Hæc nos conſideratio inducit, ut annum Chr. CCXIII. Columnæ noſtræ aſſignemus. Baſſianus enim, anno Conſulatus quarti finito, ejusdem memoriam tamen, per reliquos quatuor vitæ ſuæ annos continuavit; propterea quod ad quintum non transivit Conſulatum; qui uſus apud cæteros quoque Imperatores obtinuit, ut Conſulatus ſemel geſti nota non deponeretur, niſi poſt novum acceptum. *Tribunitia Poteſtas* Caracallæ in Inſcriptione plane omiſſa eſt, quæ noſtram, de Columnæ poſitæ anno, conjecturam firmaſſet: de primo licet Poteſtatis hujus, Baſſiano conceſſæ, anno non omnis res liquida ſit, uti paulo poſt, ad aliam Baſſiani Epigraphen Badenſem docebimus.

Caracallæ Proconſulatus.

Pro-Conſulatum deniqne Caracallæ, in Inſcriptione memoratum, etiam paucis attingimus. Diverſus plane fuit ab eo, qui Republica libera obtinuit. Imperatores dicebantur *Pro-Conſules*, ut nomine hoc Imperium in Pro-Conſulares Provincias omnes, atque adeo in ipſos quoque Pro-Conſules, qui Provinciis Senatus & Populi præerant, ſe habere oſtenderent; ſi ſtylo hodierno loquendum, *Pro-Conſul Generalis*. Imperium Proconſulare perpetuum Auguſto tributum, DIO COCCEJANUS (*k*) tradit; cauſam addens, ut major ei in Provinciis, quam Præfectis earum ſemper eſſet poteſtas, quam redux in urbem quoque ſervaret. Addir, ab Auguſti ſucceſſoribus eundem morem ſervatum. Idem Proconſulare imperium datum fuit abſenti Germanico; (*l*) datum Neroni, ut imperium extra urbem haberet. (*m*) Ante Trajani, Hadrianique tempora tamen inter titulos Imperatorum in monumentis *Proconſul* locum vix habet, quod omnium eſſet poſtremus; adeoque cum altero illo *Princeps Senatus* facile omiſſus. (*n*) Severiani autem ævi Imperatores, ſub quibus luxuries illa titulorum invaluit, non omittendum eſſe putaverunt. (*o*) Proconſulatum Caracallæ perpetuum, vetus Inſcriptio prodit. (*p*) Quod vero *Imperatoris* titulus, quo Imperii Rom. moderatores gaudebant, ex imperio Proconſulari, illis conceſſo, profluxerit, uti operoſe adſtruere conatur PAGIUS, (*q*) veriſimile non eſt; quod inde ſequeretur, Auguſtos nomine *Imperatoris* & *Proconſulis* ſine pleonasmo ſimul uti non potuiſſe; utroque autem uſos reperimus. In Epigraphes columnæ Steinbacenſis initio Caracalla appellatur *Imperator*, in fine *Proconſul*. Pagius ad majorem ejusdem poteſtatis expreſſionem hoc factum eſſe exiſtimat. Ita enim ratiocinatur: (*r*) " Propter quid tam Nero Cæſar, quam „ Imperii Collegæ, Imperatores appellati ſunt, quam propter imperium Proconſulare; „ cum nullus Imperator vocatus fuerit, qui illud non obtinuerit? Quare ſicut ſtante „ Republica Proconſules, Imperatores vocabantur, poſt victoriam ac triumphum; ſic „ & ea everſa Auguſti & Imperii Collegæ Imperatores appellati ſunt, ob imperium „ Proconſulare; cum hoc diſcrimine, quod in his *Imperatoris* vox nomini præpoſita, „ in illis nomini ſubjuncta fuerit.

De

(*h*) Lib. IV.

(*i*) In *Vita Caracallæ.* Adde SPARTIANUM in *Vita* ejus Cap. X.

(*k*) Lib. LIII. pag. 518.

(*l*) TACITUS *Annal.* Lib. I. Cap. XIV.

(*m*) Idem *Annal.* Lib. XII. Cap. XLI.

(*n*) De Trajano & Hadriano, titulo Proconſulari ornatis, in *Theſauro Gruteriano* extant teſtimonia, ut pag. 198. num. 1. pag. 245. num. 9. pag. 252. num. 9.

(*o*) SPANHEMIUS *de Uſu & Præſtantia Numiſm.* Diſſert. XII. pag. 463. & 470.

(*p*) Inſcriptio Tubingenſis, ab HEROLDO producta, quam pag. præced. §. CCIV. protulimus, ubi Caracalla vocatur: *Proconſul perpetuus.*

(*q*) *Critica in Annal. Baronii*, Tom. I. pag. 142. Item in *Diſſert. Hypatica* pag. 20. ſq. SALMASIUS in *Not. ad Capitolinum in Marco* Cap. VI. Pagii ſententia pluribus Eruditis diſplicuit, quod ipſe fatetur.

(*r*) *Crit. Baron.* loc. cit. num. 5.

De Severi Alexandri initiis ita loquitur Lampridius: (*s*) “ Alexander, urbe Arcena genitus, Varii filius, Variæ nepos, & conſobrinus ipſius Helingabali, accepit imperium; quum ante Cæſar à Senatu eſſet appellatus, mortuo ſcilicet Macrino; Auguſtumque nomen idem recepit: addito eo, ut & Patris Patriæ nomen, & jus *Proconſulare*, & Tribunitiam Poteſtatem, & jus quintæ relationis, (*t*) deferente Senatu, uno die aſſumeret. „ Ipſe Imp. Alexander (*u*) ad Senatum dixit: “ Gratias vobis ago, Patres Conſcripti, non nunc primum, ſed & de Cæſareo nomine, & de vita ſervata, & Auguſti nomine addito, & de Pontificatu maximo, & de Tribunitia poteſtate, & Proconſulari Imperio: quæ omnia novo exemplo, uno die in me contuliſtis. „ Hæc de Proconſulatu Caracallæ cæterorumque Imperatorum; de Pontificatu ejus maximo nihil habeo, quod annotem. (*x*)

§. CCVII.

Civitas Aquenſis.

Nomen & titulos Imperatoris, ſub quo poſita, cui dedicata fuit Columna, excipit nomen oppidi, quod poſuit eam & dedicavit. Auctor Monumenti eſt *Civitas Aquenſis*, quæ illo anno CCXIII. *Aureliæ* elogio nondum fuit ornata: uti Baſſianus eodem anno nondum uſus erat *Germanici* titulo. Aquenſes, qui Columnas has poſuerunt leugares, tractum viæ, à Rheno ad Nicrum, per Civitatem ſuam tendentis, muniviſſe videntur; quod minimum ad XVII. leugas factum eſſe, Columnæ Noettingenſes demonſtrant. Steinbacenſis noſtra, de qua agimus, quatuor notat leugas; quæ ipſa ab Aquis diſtantia loci, ubi Columna reperta, indicat, Cippum ibidem primitus erectum fuiſſe. De Civitate Aquenſi & leugis, in Columna adhibitis, infra diſtinctim agemus. Stylum Inſcriptionis quod attinet, obſervo, nomen Imperatoris, cui dedicata, ſexto caſu exprimi, *Aurelio Antonino Pio Felice*, *Pontifice Maximo* &c. quum in forore ejus, Noettingenſi-Caracalliana, ut & in reliquis Badenſibus, imo & in Sequanica noſtra Trajani, ac Tribocica Valeriani, tertius caſus adhibeatur. Sueſſiones ſexto quoque caſu Columnas ſuas leugares dedicarunt Caracallæ, quarum ſeptimam exhibebimus infra.

Appendicis loco annoto, eundem Caracallam cum patre ſuo Sept. Severo jam reſtauraſſe vias in Rhætia. Quid mirum, ſi filius, quum imperaret ſolus, trans Danubium continuavit opus, atque per omnem limitem Romanum perduxit ad Rhenum? Vias in Africa, ab eodem Caracalla reſtauratas, aperit nobis Tunetanus lapis, An. MDCCXXXI. erutus, & ab Illuſtri Maffejo (*y*) prolatus in lucem:

IMP. CAESAR
M. AVRELIVS
ANTONINVS
PIVS. FELIX. AVG
PARTHICVS. MAX
BRITANNICVS. MAX
GERMANICVS MAX
TRIB. POT. XVIIII
COS. IIII. P. P
RESTITVIT
XLIX

(*s*) Cap. I. Edit. Hack. Tom. I. pag. 180.

(*t*) Imperator ſi Conſul non eſſet, relationis jus, niſi à Conſulibus datum, non habuit. Auguſto hoc fuiſſe conceſſum, memoriæ prodidit Dio Lib. LIII. pag. 518. Ampliato deinceps Principum honore, inventa ſunt, ad ſimilitudinem Decreti hujus, jura ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ relationis, hoc eſt, ut quoque Senatu poſſent de duabus, tribus, quatuor, quinque rebus, quas vellent cunque, etiam non Conſules, facere relationem. Casaub. in *Sueton. Jul.* Cap. XX. Lipsius in *Tacit. Annal.* Lib. XV. num. 24. Bulengerus de *Imp. Rom.* I. 25. Ferrarius *Elect.* I. 10.

(*u*) Cap. VIII.

(*x*) De Pontificatu Max. Impp. Romanor. docte commentatus eſt Vir, dum viveret, amiciſſimus nobis, Divionenſis Parlamenti Præſes, Bouhierius, in *Diſſert.* Gallice edita An. MDCCXLII. Ante eum de eodem argumento Antonius Van Dale *Diſſert.* II. *ad Antiquitates ex Marmoribus* &c. & Andr. Bosius *de Pontificatu Maximo*.

(*y*) *Selecta Antiquit. Galliæ* Epiſt. VII. pag. 32.

MONUM.

II.

COLUMNA CARACALLIANA NOETTINGÆ.

§. CCVIII.

Nœttingenſis Columna.

STeinbacenſi Columnæ, quam huc uſque examinavimus, Nœttingenſem ſubjungo, quæ ſub eodem Baſſiano, eodem tempore, eadem in via, ab iiſdem Aquenſibus, ſed alio in loco, XVII. leucis à Civitate Aquenſium diſtante, fuerat erecta. Columnæ Severi Alexandri Caracalliana hæc ut imponeretur, quod medio ævo fecerunt, inferiore ſui parte truncata eſt; unde longitudo ejus hodie nonniſi III. pedum & V. pollicum, diameter vero unius pedis & quatuor pollicum eſt. In ea hæc legimus:

Num. 2.

IMP. CAESARI
AVRELIO
ANTONINO
PIO. FELICI. AVG
PARTHICO. MAX
IMO. BRITANNI
MAXIMO. PONT
IFICI MAXIMO

Reliqua quæ deſunt ex cæteris ſupplemus Columnis: ex Steinbacenſi nempe, ſorore ejus, reliqua tituli; P. P. COS. IIII. PROCOS ex Nœttingenſi autem notas leugarum:

CIVITAS. AQVENS
AB. AQVIS. LEVG. XVII

niſi quod Civitatem Aquenſem, absque cognomine *Aurelia*, ſimpliciter ſcripſi, quia in Steinbacenſi Caracalliana, eodem tempore poſita, hoc epithetum quoque omiſſum, Aquenſibus non niſi poſt Columnam jam erectam conceſſum, qua de re infra. Columnæ milliariæ ſortem Imperatorum, ſub quibus poſitæ, ſæpe expertæ fuerunt. Veronæ, Maxentiana quum eſſet, Cippus milliaris erectus, ejusque inſcriptus eſt nomine. Criſpo Cæſare, poſt Alemannos devictos, illac iter agente, Veronenſes Columellam inverterunt, illaque ejus parte, ubi Maxentii nomen, in terram detruſa, alteri extremitati nomina Criſpi & Conſtantini indiderunt. Eadem contumelia in aliis quoque Cippis illata Maxentio. (1)

III.

COLUMNA ELAGABALIANA STEINBACI.

§. CCIX.

Elagabali columna.

LApideus hic formæ cylindricæ Cippus, quatuor pedes totidemque pollices longus, diametrum unius pedis & trium pollicum habens, una cum Alexandrino ex tumulo quoque ſuo prope Steinbacum An. MDLXXXVI. reſurrexit, & Durlacum translatus eſt; ubi cum fratre, in Principis horto nunc ſtat erectus. Cippi utriusque Epigraphen Piſtorius atque Comalius, in Aula Marchica tum verſati, transmiſerunt Grutero.

Deſcriptio erronea.

Ex horum ſchedis bona fide eas expreſſit GRUTERUS, (a) & quidem Elagabalianam noſtram modo ſequenti:

IMP.

(1) SCIP. MAFFEJI *Muſæum Veronenſe* pag. 104. Adde GUALTERII *Siculas* pag. 55.

(a) *Inſcript.* Tom. II. pag. 1078. num. 7.

IMP. CAES. DIVI
SEVERI. NEPOTI. DI
VI. ANTONINI. MAG
FIL. M. AVREL. ANTO
NINO. PIO. FELICI
AVG. . . . . III. COS
III. P. P. P. F. COS. C. A
AQ. AB. AQ. LEVG
IIII

Piſtorius, (*b*) vir Eruditus, in apographo ſuo haud dubie priorem partem literarum, verſu quarto & quinto deficientium, ex aliis monumentis reſtituit, mirumque, eum reliqua, quod eadem opera facere potuerat, ex ingenio non reſtituiſſe. Ab hoc Inſcriptionis typo in pauciſſimis differt apographum, quod Bejerus, Phorcenſis Scholæ Rector, Martino Crusio transmiſit An. MDXC. quodque in *Annalibus Suevicis* (*c*) ejusdem fide edidit Cruſius; uti ſupra memoravi.

§. CCX.

Poſt hos denique Cippum eundem, quem Patinus præteriit, ex ipſo Lapide edidit Jo. Henricus Majus, Gymnaſii Durlacenſis Profeſſor, in *Vita Reuchlini*, (*d*) quam An. MDCLXXXVII. in lucem emiſit, ubi à Carolo Patino, alterius Lapidis editore, (*e*) ſeductus, corruptiorem, quam Gruterus, expreſſit: Alia corruptio.

IMP. CAES. DIVI
SEVERI. NEPOTI. DI
VI. ANTONINI. MAG
FIL. M. A. . . . .
- - - - - - -
. . . . III. COS
III. P. P. P. P. .-. COS. GA
AO. AB. AO. —— EVG
IIII

Exemplum hoc quidem Gruteriano præferendum, quod lacunas, prouti in Lapide ſunt, dedit; in verſu ſeptimo tamen, circa literas PROCOS. cum Grutero, at diverſa ratione, erravit. Siglas autem, quæ inſequuntur, ita corrupit, ut omnem dignitatem & pretium Lapis amittat, quem ex Leugari Legionarium, conſtituit; à Legione quarta, ejusque Ducibus erectum exiſtimans, quorum nomina in penultimo verſu indicari credidit, etiam duce Patino; de quo ad Monumentum Alexandrinum differimus. Neque id porro transeundum ſilentio eſt; ab omnibus Lapidis exſcriptoribus, in Conſulatus numero erratum, qui unanimi conſenſu Conſulatum tertium poſuerunt pro quarto.

§. CCXI.

In itinere Literario An. MDCCXLV. quum verſarer Durlaci, rem omnem examinavi; examinata hunc Inſcriptionis tenorem ex Columna produxi: Emendatior.

 IMP.

(*b*) Joannes Pistorius, Nidda-Haſſus origine, Marchionis Bada-Durlacenſis, Erneſti Friderici, Conſiliarius, cujus cura Gymnaſium Durlacenſe inſtitutum eſt An. MDLXXXIII. quique ad Jacobum, Marchionem Hachbergenſem dein transiens, eundem impulit, ut ad Romana Sacra transiret, quæ ille ipſe, Paſtoris Proteſtantium filius, ante fuerat amplexus. Obiit An. MDCVIII. Scriptorum Polonicorum & Germanicorum Editor.

(*c*) Tom. II. Lib. XII. Part. III. Cap. XXXII. pag. 801.

(*d*) Pag. 105.

(*e*) Patinus in *Relationibus* ſuis *Hiſtoricis*, Gallica lingua ſcriptis, pag. 140. Elagabalianam Columnam, quam Alexandrinæ ſociam ſuis oculis vidit, exſcriptam non dedit, cauſſatus, priorem illam ejusdem fere cum poſteriore tenoris eſſe; quum tamen diverſorum Imperatorum ſint, atque nonniſi priores verſus inter ſe habeant communes, quod Alexander æque ac Elagabalus filium ſe Baſſiani, nepotemque Septimii dixerit.

MONUM.

Num. 3.

IMP. CAES. DIVI
SEVERI. NEPOTI DI
VI. ANTONINI MAG
FIL. M. A. . . . .
. . . .
. . . . III. COS
IIII. P. P. PROCoS. C. A
AQ. AB. AQ. LEVG
IIII

Unde, additis, aliorum Monumentorum fide, ſupplementis, hic Inſcriptionis ſenſus exoritur: *Imperatori Cæſari Divi Severi nepoti, Divi Antonini Magni filio, Marco* Aurelio Antonino pio felici Auguſto, Pontifici maximo, Tribunitia poteſtate quartum, *Conſuli quartum, Patri Patriæ, Proconſuli, Civitas Aurelia Aquenſis. Ab Aquis Leugæ IIII.* Scilicet Antonini Magni Caracallæ filius, adeoque Septimii Severi nepos, dicebatur Elagabalus. Occiſo quidem Caracallæ datus eſt ſucceſſor Macrinus, qui filium ſuum Diadumenianum Cæſarem creavit, ſed poſt XIV. menſium intervallum pater filiusque An. Urb. Cond. DCCCCLXXI. Æræ Chriſt. CCXVIII. occiſi ſunt, & Elagabalus ex Dei Syrorum, Elagabali, ſacerdote ad imperium promotus eſt; quem Caracallæ filium, ex Julia Sœmiade, filia Juliæ Mæſæ, natum eſſe, Julia Mæſa (ſoror Juliæ Domnæ, quæ uxor fuit Septimii Severi) militibus, pecunia corruptis, perſuaſit, ut eo facilius viam ad imperium Elagabalo pararet.

§. CCXII.

Lacunæ origo.

Inſcriptionis hujus initium & finis ita comparatus eſt, ut in ſupplemento lacunæ, ubi nimirum deficit nomen, & Elagabali & Severi Alexandri nomina poſſent locum habere; uterque enim *Divi Severi nepos, Divi Antonini Magni filius* ſcribebatur. Elagabalus, uti modo dictum, pro filio Caracallæ voluit haberi: Severus Alexander, utut adoptatus ab Elagabalo, eum tamen noluit patrem appellare, omnium Imperatorum turpiſſimi filium ſe dici, indignum eſſe exiſtimans. Verum enimvero Conſulatus IIII. rem omnem decidit. Severus Alexander enim non ultra tertium, Elagabalus vero ad quartum usque Conſulatum aſcendit. M. Aurelii Antonini nomen Romano Imperio tam carum & venerabile fuit, ut ſeculi ſequentis Imperatores, populorum gratiam aucupaturi, hoc nomine ſe condecorarint. (*f*) Baſſianus quidem nominis iſtius cauſa aliquandiu amatus eſt. Elagabalus vero, arroganter illud arripiens, in Epiſtola ad Senatum ſcriptoque ad populum ſe *Imperatorem, Cæſarem, filiumque Antonini, nepotem Severi, pium, felicem, Auguſtum, Proconſulem & Tribunitiæ poteſtatis* appellavit; cuncta iſta nomina occupans, (*g*) antequam ea ipſi decreviſſet Senatus.

Numquid ergo mirum, monſtro (*h*) hominis occiſo, Senatum juſſiſſe, ut nomen *Antonini*, quod ille tam turpiter proſtituit, ex monumentis Elagabalianis tolleretur? Decretum Senatus Lampridius (*i*) indicat: " Nihil Antoninorum (inquit) „ peſtis illa oſtendit, & hoc nomen ex Annalibus Senatus auctoritate eraſum eſt. „ Quodſi hoc autem in Annalibus factum, multo magis in publicis Monumentis lapideis. Similem Elagabali lapidem Gruterus (*k*) produxit, ubi *M. Aurelii Antonini* nomen quoque

(*f*) Severus Alexander autem, quum Senatus ei nomen Antonini deferret, modeſtiſſime recuſavit, dictitans, ſe non poſſe tanto nomini ſatisfacere; timere ſe iſtud venerabile nomen, imo numen potius. Hæc cum aliis ejus erga Antoninorum memoriam obſervantiæ argumentis legere eſt apud Lampridium in *Vita* ejus Cap. VII. ſqq.

(*g*) Dio Cassius Lib. LXXIX. pag. 907. Edit. Hanov.

(*h*) Severus Alexander Elagabalum, in ſua ad Senatum Oratione, *omnium non ſolum bipedum, ſed etiam quadrupedum, ſpurciſſimum* appellat. Lampridius in *Severo Alex.* Cap. IX.

(*i*) Ibidem Cap. I.

(*k*) Pag. 2. num. 12.

Digitized by Google

MONUM.

quoque fuit eraſum. Deletiones hujus generis, vel expunctiones, ſub Imperatoribus Romanis erant frequentes. Nomen Getæ fratris ex Monumentis tolli mandavit Caracalla; (*l*) quod in Lapide Romano, apud eundem GRUTERUM, (*m*) & in duobus Septimii Severi Arcubus, Romæ ad pedem Montis Capitolini & in Foro Boario poſitis, adhuc conſpicuum. Ita ſane SUARESIUS, (*n*) NAROINUS, (*o*) VAILLANTIUS, (*p*) MORELLIUS, (*q*) aliique Eruditi explicuerunt. Illuſtriſſimus FONTANINIUS, (*r*) eraſionem admiſit, ſed ad ſocerum Caracallæ, L. Fulvium Plautianum, eam pertinere arbitratus eſt; cujus occiſi, ut & Plautillæ filiæ, in Liparim relegatæ, nomina in fronte Lapidis Colotiani Romæ deleta repererat. (*s*) Neronis, Commodi, Domitiani, Sejani, Stilichonis, aliorumque nominum eraſorum veſtigia videre qui cupit, GRUTERUM (*t*) atque FONTANINIUM (*u*) adeat. De Domitiano SOETONIUS (*x*) & MACROBIUS (*y*) teſtantur, nomen ejus cum titulis ex omni ære & ſaxo deletum: idemque de Commodo memorat LAMPRIDIUS. (*z*)

§. CCXIII.

Lapidis Genev. litura.

Sed, ut ad Elagabaliani noſtri Lapidis lituram redeamus, conjectura noſtra ex veriſimili vera evadit, quum in columnam illam milliariam conjicimus oculos, quæ ſub eodem Elagabalo in Genevenſium tractu poſita fuit; ubi ſimilem plane verborum, quæ nomen *Marci Aurelii Antonini* componebant, lituram hac forma reperio:

IMP. CAES
DIVI MAGN. ANTONI
NI PII F. D. . . . . ER NE
POS. . . . .
. . . .
TRIB. . . . .
MIL. P

Num quis forte fortuna factum exiſtimaverit, ut in Lapidibus tam diſſitis, ſed ejusdem naturæ, eadem lacuna occurreret, & quidem ita corrupta, ut nec oculatiſſimi Antiquarii ablatorum characterum veſtigia eruere potuerint? Lapidem Genevæ inſpexi, cum in florentiſſimo illo Europæ emporio, muſis commerciisque laudabili, An. MDCCXLIV. peregrinarer. Sed oculatiorem me longe teſtem produco, Clariſſ. ABAUZITIUM, Antiquitatis Romanæ indagatorem ſagacem, in quo neſcio, an doctrinam magis, an modeſtiam, Viris Literatis tam dignam, collaudem. Hic, Inſcriptiones, Hiſtoriæ Genevenſi Sponianæ additas, paſſim emendans & augens, hanc quoque ex ipſo Lapide, ea qua protulimus, forma expreſſit, (*a*) Sponiumque erroris accuſat, qui monumentum hoc, ad Elagabalum pertinens, ad Marcum Aurelium Philoſophum retulit. Illi ergo, qui Elagabalum in nulla veteri Inſcriptione Antonini filium, Severique nepotem appellari tradiderunt, quod MASSONUM ſtatuiſſe intelligo, manifeſti ſunt erroris damnandi. Nomen hoc in Cippo noſtro, quum Lapicida eraderet, primam quoque ex numeralibus *Tribunitiæ Poteſtatis* notis ſuſtulit, unde ternarius modo numerus ſupereſt, quum Conſulatus IIII. ſat diſtincte expreſſus, nonniſi cum quarta & quinta Tribunitia Elagabali Poteſtate concurrat. Quartus Conſulatus Columnæ noſtræ Chronologiam figit; quam Æræ Dionyſ. An. CCXXII. ab Aquenſibus poſitam ex Conſulatu iſto concludimus; annus Elagabalo qui fuit fatalis.

§. CCXIV.

Siglarum explicatio.

Præcipuum Commentatoribus Lapidis noſtri tædium pepererunt literæ ſingulariæ, quæ Elagabali Imperatoris titulos excipiunt, C. A. AQ. Lucem eis quidem prætulerat Caracalliana Steinbacenſis, in qua *Civitas Aquenſis* absque ſiglis exprimitur, ſed in Elagabaliana noſtra inter C. & AQ. interjicitur A. quæ ipſa ſigla circulos Criticorum mire turbavit.

(*l*) DIO in *Vita Getæ* hoc annotat, additque ſub capitis pœna vetuiſſe Caracallam, ne nomen Getæ ſcriberetur teſtamentis, aut in comœdiis pronuntiaretur.
(*m*) Pag. 11. num. 5. pag. 46. num. 9.
(*n*) JOSEPH. MARIA SUARESIUS in *Explicatione Arcus Sept. Severi* pag. 2. aliique ab eo allegati Viri haud incelebres.
(*o*) *Romæ Veter.* Lib. V. Cap. VI.
(*p*) *Numismi Imperatorum* Tom. II.
(*q*) *Specim. Rei Nummar.* pag. 184.
(*r*) *Antiquit. Hortæ* pag. 45.
(*s*) Apud GRUTERUM pag. 270. num. 6. Vide quæ hac de re ſcripſi in *Diatriba de Apotheoſi Imperator. Rom.* Cap. II. *Commentationum Hiſtoricar.* pag. 30.
(*t*) *Inſcript.* pagg. 9. 12. 68. 85. 165.
(*u*) *Antiquit. Hortæ.* Lib. I. Cap. III.
(*x*) *Vita Domit.* Cap. XXIII.
(*y*) *Saturnal.* Lib. I. Cap. XII.
(*z*) In *Commodi Vita.* Cap. XVII.
(*a*) *Hiſt. de Geneve* Tom. II. pag. 330.

turbavit. Fuerunt qui, puncto quod intermittitur deleto, ſiglas illas conjungerent, atque exinde CASTRVM AQVENSE procuderent. Patinianam autem conjecturam ſatis nequeo mirari, qui eaſdem ſiglas, in Alexandrina ſequenti, hodieque haud difficiles lectu, ita corrupit, ut eas in GA. AO. AB. AO. detorqueret, præcipuorum Legionis hujus præfectorum nomina notis his deſignari conjectans. (*b*) Literis hæc ad Fridericum, Badenſium Marchionem, An. MDCLXXI. Argentorato perſcripſit: ille qui, paulo ante Durlaci has columnas examinans, alia omnia, conjecturæ ſuæ prorſus contraria, in utroque Lapide deprebendere potuiſſet: in Elagabaliano noſtro præſertim, in quo literæ LEVG. IIII. diſtinctim inſculptæ, *Legionem* quartam quærere prohibent. Patinum ergo Elagabalianæ Columnæ deſcriptionem omiſiſſe ſuſpicor, ne, utramque conjungens, ipſe omnem ſuam de Legionis Præfectis, in Lapide quærendis, conjecturam everteret. Sedecim poſt annis J. Henr. Majus in *Vita Reuchliniana*, uti dictum, expoſitionem ſecutus Patini, utrumque Cippum deſcripſit; in Elagabaliano autem noſtro non *Leug.* ſed *Eug.* legens, commiſſum à deceſſore ſuo, non correxit errorem. Patinum denique, Majum, alioſque Eruditos reduxit in viam Lapidis Nœttingenſis anaſtaſis nupera, uti mox clarius patebit.

IV.

COLUMNA ALEXANDRINA STEINBACI.

§. CCXV.

Severi Alexandri columna.

CAracallianis duabus & Elagabalianæ Columnis, binas denique Severi Alexandri, Steinbacenſem nimirum, Nœttingenſemque ſubjungimus; quæ pariter extant Durlaci. Corruptum Steinbacenſis exemplum Crusius (*c*) dedit, quam pulcre deſcriptam Piſtorius Comaliusque transmiſerunt Grutero. (*d*) Hanc ſequi quum potuiſſet debuiſſetque Patinus, oculis eam ipſe manibusque pertractans, maluit tamen ſequi pejorem, (*e*) in errorem ſecum abripiens teſtem, non ſatis quoque oculatum, quem modo produximus, Majum, (*f*) in prototypo, quod ante oculos habuit, facile veriora viſurum. Ita nempe comparatum eſt, ut aliena plerumque fide homines decipi malint, quam propria regi. Genuinus ejus typus hic eſt:

Num. 4.

IMP. CAES. DIVI
SEVERI. PII. NEPOTI. DIVI
ANTONINI. MAG. PII. FILIO
M. AVR. SEVERO. ALEXANDRO
PIO. FELICI. AVG. PONTIFICI
MAXIMO TRIBVNITIAE
POTESTAS. (ſic) COS. PATRI. PATRIE
C. A. AQ. AB. AQ.
L. IIII.

Priorum

(*b*) *Relations Hiſtoriques de Voyages* Epiſtola III. pag. 140. Quæ Patinus porro ſubjungit, de Turri edita in monte vicino, unde *Durlaci* nomen oppidi putat exortum; quæ itidem de vicino vico *Grazinga*, ad montis radices poſito, quem Colonia Græcorum cum Parthis & Arabibus, ex Oriente à Sept. Severo ſecum adductorum, nomen acce- piſſe arbitratur, Henr. Majum alioſque nactus ſequaces, ea heic loci diſcutere non vacat. Id certum, nec *Durlaci*, nec *Grazinga* nomina in ullo Geographorum aut Hiſtoricorum veterum occurrere. Utrumque nonniſi mediæ ætatis partus eſt.

(*c*) *Annal. Suev.* loco cit. pag. 801.

(*d*) *Inſcript.* Tom. II. pag. 1078. num. 8.

(*e*) *Relations Hiſtoriques & curieuſes* &c. loco cit. ubi lupam cum gemellis ex ingenio ſuo Columnæ imponit, quod in nulla Columna milliaria, multo minus in leugari, factum.

(*f*) In *Vita Reuchlini* pag. 104.

MONUM.

Priorum ſeptem verſuum omnia ſunt plana. Poſtremorum ſiglæ cum Elagabalianis conveniunt; niſi quod ſigla L. in Elagabaliana plenius exprimatur per *Leug.* Columna, locum, quatuor leugis à civitate Aurelia Aquenſi diſtantem, indicans, ſub Elagabali ſucceſſore. M. Aurelio Severo Alexandro, erecta eſt. Patinus, præterquam quod Columnæ lupam affinxit, pro *Poteſtas* poſuit *Poteſtatis.* Sed nec vocem *Patrie* eo modo exhibuit, quo ſculptor eam corrupte expreſſit. In penultimo verſu duas ſiglas C. A. conjungit in unam atque C. convertit in G, conſonam Q. denique in vocalem O. duobus in locis immutat, ut barbara Legionis quartæ, quam effinxit, Præfectorum nomina ſibi procuderet, cum in altera, quam neglexit, Columna vocem *Leug.* IIII. diſtincte animadvertere potuiſſet, quæ Legionem IIII. expungit. A Viro, antiquitatis perito, conſormius archetypo nemo non expectaſſet exemplum, quam quod dedit Patinus, Columnam milliarem in militarem convertens. Similem Columnam leugarem olim dederat Sponius, (*g*) ſimplici litera L. ſignatam, quam non *leugam* ſed *lapidem* interpretatus eſt.

§. CCXVI.

Alexander, Elagabali conſobrinus, ab eodem adoptatus, ut in Imperio ſuccederet, Imperator factus, noluit appellari filius ejus, uti paulo ante oſtendi. In Monumentis ergo filium *Antonini*, Caracallæ nempe, nepotemque Septimii Severi ſe dixit, quod ipſe quoque Elagabalus fecerat. Hinc factum, ut duo Steinbacenſes Cippi, ſub diverſis licet Auguſtis, Elagabalo nempe & Severo Alexandro, erecti, communem tamen primis verſibus avum & patrem utrique aſſignent. Res dijudicanda ex moribus ævi, quo Imperatores nomina ſibi ſumebant pro lubitu; quo adoptiones non modo frequentes, ſed fœminarum quoque habita ratio, ut per eas earumque affinitates liberi in aliam plane gentem tranſirent. Mulierum imperium adde, quod tum maxime invaluerat Romæ, poſtquam Septimius Severus *Juliam* illam, Syriaci ſanguinis Principem, quæ *Auguſta* dein & *Domna* appellata, duxiſſet uxorem; ex qua Baſſianum Caracallam & Getam ſuſcepit. Julia Domna ſororem habuit Juliam Mæſam, quæ, per Soæmiadem & Mammæam filias, avia facta eſt Elagabali & Severi Alexandri, qui mulierum iſtarum artibus Imperio admoti ſunt, ita ut Elagabalo Severus Alexander conſobrinus ſuccederet. En ſchema: Alexandri nomen & genus.

Julia Domna, - - Sorores - Julia Mæſa.
Ux. Sept. Severi Imp.

Baſſianus Caracalla Imp.

Julia Soæmias,
Ux. Baſſiani.

Elagabalus Imp.
quem Caracallæ filium
fuiſſe Julia Mæſa,
avia ejus, perſuaſit
militibus.

Julia Mammæa,
Ux. Vari.

Severus Alexander
Imp.

Severi Alexandri pater fuit Varus vel Varius Marcellus, at Elagabalus adoptavit Alexandrum conſobrinum ſuum, (qui jam ante à Senatu *Cæſar* appellatus fuerat, (*h*) poſt cædem Macrini) quod factum VII. Id. Junii An. Urb. Cond. DCCCCLXXIV. Æræ Dionyſ. CCXXI. Alexander, vir optimus, maluit patrem Baſſianum agnoſcere, malis quidem moribus etiam contaminatum, at Elagabalo multis modis meliorem. Potiori quoque jure vocare ſe potuit Baſſiani filium, & Septimii Severi nepotem, (quod Severus aviæ ejus Mæſæ ſororem, Domnam, habuerat uxorem) quam ipſe Septimius Severus in Panormitana quadam Inſcriptione vocatur *Antonini filius*, *Commodi frater*, *Antonini Pii nepos*, *Hadriani pronepos*, *Trajani abnepos*, *Nervæ atnepos*: (*i*) ille, inquam, Severus, qui Lepti, oppido Tripolitano, oriundus, Imperatores hos ſibi conſanguineos vindicat, quorum nullum vel gradu centeſimo attigiſſe certum eſt.

§. CCXVII.

Sed ad Columnam noſtram ab excurſu redeamus. In ea Tribunitiæ Poteſtati & Conſulatui non adjecti ſunt numeri: utrobique ergo primus ſubintelligendus eſt annus. Severus Alexander primum Conſulatum cum Elagabalo inivit An. Urb. Cond. DCCCCLXXV. Æræ Chriſt. CCXXII. quo ipſo anno, circa Septembrem exeuntem, Epocha columnæ.

(*g*) *Miſcellaneor.* Sect. V. pag. 186.
(*h*) Lampridius in *vita Elagabali* Cap. XIII. & in *Severo Alexandro* Cap. I.
(*i*) Gruter. *Inſcript.* Tom. I. pag. 271. Fleetwood *Sylog. Inſcript. Antiquarum* pag. 106.

MONUM.

Elagabalus occiſus eſt, ſtatimque Tribunitia Poteſtas, cum Pontificatu maximo, Auguſti & Patris Patriæ titulo, à Senatu oblata eſt Severo Alexandro, adeoque Conſulatus primi annus finiens, cum Tribunitiæ Poteſtatis anno primo ineunte convenit, & cum tribus menſibus poſtremis anni CCXXII. ſimul progreſſus eſt. Inſequentibus tribus annis Conſulatum Alexander non geſſit: Tribunitia Poteſtas vero ſingulis annis continuata in Monumentis ſignatur. Itaque ab Octobri CCXXII. ad Octobrem usque CCXXIII. Tribunitiæ Poteſtatis annus I. cum Conſulatus anno I. currebat, hoc licet anno Conſul non eſſet, quod Conſulatus finiti annus computari ſolebat usque ad initium novi. Nomen, quod Elagabalus ſibi præter meritum arrogaverat, in Romanis Monumentis deletum, in Cippo etiam ſuo leugari induxerunt Aquenſes; Principique ſucceſſori, Severo Alexandro, novam erexerunt Columnam, ut abolita deceſſoris, tot ſceleribus infamis, memoria, animum Alexandro declararent devotum. His circumſtantiis rerum Columna noſtra poſita fuiſſe videtur anno Chr. CCXXIII. Elagabalus enim nonniſi circa Septembrem exeuntem An. CCXXII. occiſus eſt. Marmorarii ſphalma, *Tribunitiæ Poteſtas* pro *Poteſtatis*, non attingo, quum menda fabrilia, hoc longe graviora, res obvia ſint. Idem, eodem in verſu, *Patrie* vocem ſine diphthongo expreſſit. Artifex Provincialis Latinæ linguæ vel ignarus, vel modo barbare gnarus, ſimiles, imo & majores, errores quam facile commiſit. Alexandrinæ hujus noſtræ Inſcriptionis ſoror Nœttingenſis, eodem tempore poſita, alia nobis menda aperiet.

V.

COLUMNA ALEXANDRINA NOETTINGÆ.

§. CCXVIII.

Alexandrina columna.

Leugarium Columnarum, quas producimus, poſtrema, præferenda eſt omnibus. Severo-Alexandrina nempe, ab iisdem Aquenſibus eodem in loco, ubi hodie *Nœttinga* vicus, poſita; quæ cum Caracalliana mutila, haud ita pridem, reducta in lucem. Compendia literarum, quibus uſus eſt ſculptor, typum inſcriptionis deformant, uti exemplum ejus æri inciſum, oſtendit. Nos, reſectis compendiis, planam & evolutam Lectori proponimus:

mon. 5.

NEPOTI. DIVI. ANTONINI PII
MAG. FILIO. M. AVR. SEVERO
ALEXANDRO. PIO. FEL. AVG
PONTIFICI. MAX. TRIBVNICIE. POTES
COS. PATRI. PATRIE. CIV. AVR. AQ
AB. AQVIS. LEVG
XVII

Cippus ita loquitur: *Nepoti, Divi Antonini Pii Magni filio, Marco Aurelio Severo Alexandro, pio, felici, Auguſto, Pontifici maximo, Tribunicia Poteſtatis, Conſuli, Patri Patriæ, Civitas Aurelia Aquenſis* (columnam poſuit) *ab Aquis Leugæ XVII.* Epigraphes hujus verſus priores à Lapide avulſos fuiſſe, Antiquitatum periti facile animadvertunt; defectus ergo ex Steinbaco-Alexandrea ſupplendus eſt:

IMP. CAESARI
DIVI. SEVERI. PII

Lapis hic poſt meum iter Badenſe detectus quum ſit, aliena mihi ſtandum eſt fide, ſed erudita. Ampliſſimus SAHLERUS, Sereniſſimi Marchionis Bada-Durlacenſis Conſiliarius Intimus, ſui Principis juſſu, eam mihi operam præſtitit amicus, quam circa Steinbacenſes Piſtorius Grutero præſtiterat. De typi veritate ergo Lectores meos jubeo eſſe ſecuros.

§. CCXIX.

§. CCXIX.

Deſcriptores alii.

JACOBUS BEYELLIUS, Presbyter Spirenſis, priſcorum Monumentorum rimator, An. MDXXXIII. Epigraphen hanc jam viderat, eamque cum aliis, quas in Nicri & Rheni partibus vicinis reperit, Libello cuidam, manu à ſe exarato, inſeruit. Schedas has CASPAR BARTHIUS, ſuperiore ſeculo *Adverſariis* ſuis inſeruit; (*k*) ex quibus eam deſumſit REINESIUS; (*l*) quem HENNINIUS, (*m*) FRERETUS, (*n*) STEGERUS, (*o*) aliique paſſim ſecuti ſuot Viri Eruditi. Poſt Beyellii tempora Lapis, neſcio quo fato, Nœttingæ terra obrutus jacuit; nonniſi ante aliquot annos in dias luminis auras rediturus. Non ſemel factum eſſe comperimus, ut Inſcriptiones antiquæ, Majoribus noſtris viſæ, diſparuerint, quæ ætate noſtra reſurgunt. (*p*) Nœttingenſis noſter Cippus ab iisdem Aquenſibus, eidem Imperatori, eodem tempore, poſitus quum fuerit, quo Steinbacenſis, quem modo examinavimus, mirum non eſt, eosdem in utroque titulos Alexandri occurrere. Fabrilis imperitia, quæ in Steinbacenſis vocibus *Poteſtas* & *Patrie* ſe prodidit, heic iterum ex parte ſe manifeſtat. Non enim modo in *Patrie*, ſed & in *Tribunicie* vocum orthographia peccatum; dipbthongus in utraque neglecta eſt. C autem & T, quæ in *Tribunicie* vocabulo in duobus his lapidibus alternant, in aliis quoque Monumentis alternantes reperiuntur frequenter. Scriptio hæc, easdem literas in ipſa quoque vocum pronuntiatione apud Romanos non diſcrepaſſe, demonſtrat. Unde *Vintius* pro *Vincius*, *Varaccio* pro *Varactia*, & viciſſim *Sulpicius*, *Ædilicius*, *Tribunicius* pro Sulpitius, Æditius, Tribunitius, qua de re plura apud DAUSQUEJUM, (*q*) CELLARIUM. (*r*) Reliqua Epigraphes hujus commentatione non egent.

§. CCXX.

Errores aliorum.

Ad ſiglas ergo CIV. AVR. AQ. feſtinamus, quarum media plures nobis obſervationes ſuppeditabit. Epigramma hoc deſcribens BEYELLIUS, duabus in rebus (*s*) hallucinatus eſt. Primum in exprimenda principe ſigla AVR. quam verſu quinto convertit in ARG. trium literarum, inter ſe complicatarum, nota deceptus, quam ipſam tamen verſu ſecundo bene deſcripſerat. Accedit, quod integram vocem AQVIS in verſu ſequenti, inter AB & LEVG. diſtincte expreſſam, omiſit; unde tota Lapidis Grammatica ratio everſa, ſenſus omnis turbatus; quod Criticis non potuit non figere crucem. Acceſſit tertius, cæteris fere gravior, ſed topographicus error; quod locum, ubi ſteterat Columna, *Mettingam* appellavit Beyellius: oppidum enim hujus nominis, dextræ Nicri adjacens ripæ, Eslingæque vicinum, plusquam duplo majore intervallo ab Aquenſi Civitate, à qua Lapis hic, ut & reliqui, leugarum principium deſumit, diſſitum eſt. Critici ergo tot Beyellianis erroribus ludificati, non potuerunt non varias in conjecturas dilabi, quæ detectis erroribus jam concidunt omnes. Tenebris his involutus ſagax & ingenioſus Reineſius, ex illis emerſurum ſe credidit, ſi notam ARG. *Argentoratum* vel *Argentuariam* interpretaretur, declararetque Lapidem non eſſe vialem, quo oſtenderetur, quantum itineris confectum, ſed quo indicaretur diſtantia, quæ inter Argentoratum vel Argentuariam & Civitatem Aquenſem intercederet. (*t*)

HENRICUS CHRIST. HENNINIUS, in ſuis *ad Bergierium Notis*, (*u*) correcturus Reineſium, Columnamque Itinerariam reputans, poſtremas Inſcriptionis notas ita exponit: *Civitas Argenteæ Aquæ ab Aquis Leucæ XVII.* vocabulum *Aquis* ex Steinbacenſibus Cippis inſerendum arbitratus. *Argenteas* autem expoſitionis ſuæ *Aquas* quod attinet, rationem ille hanc reddit: " Argenteus amnis, *die Argens*, (*x*) qui per ſuperius Ehenheimium fluit, Argentinæ, Argentuariæ, Argentorato, nomen dediſſe videtur: aut etiam tot amnium limpidiſſimorum *Illæ*, *Poruſſæ*, aliorumque ibi confluentes, illimes & nitidis argentei undis. " Exiſtimavit ergo Henninius, Argentoratum noſtram

nomen

(*k*) BARTHII *Adverſarior.* Lib. LII. Cap. I. pag. 2429.

(*l*) *Inſcription.* Claſſ. II. num. 14. pag. 254.

(*m*) In *Notis ad Bergerium de Viis militaribus Romanorum* Lib. I. in *Theſauri Antiquitatum Rom. Græviani* Tom. X. pag. 660.

(*n*) In *Commentariis Academiæ Regiæ Inſcriptionum* Tom. XIV. pag. 158.

(*o*) ADRIANUS STEGERUS *de Viis militaribus Romanorum in veteri Germania* §. XVIII. pag. 74.

(*p*) HAGENBUCHIUS *de Diptycho Boethii* pag. 205.

(*q*) *Orthographia* Sect. IV. pag. 42.

(*r*) *Orthographiæ Latinæ* pag. 19.

(*s*) Alium errorem Beyellii omitto, quod in *Patri Patriæ* primam vocem omiſit. Facile hanc autem quum reſtituat quilibet, nonniſi obiter monere id volui.

(*t*) REINESIUS loco cit. ſcribit: " Extrema Inſcriptionis verba duas Germaniæ ſuperioris nobiles Civitates Argentuariam vel Argentinam & Aquas, quas hodie Badenas vocamus, earumque inter ſe diſtantiam, nimirum leugarum XVII. indicant.

(*u*) *Theſauri Græv.* Tom. X. pag. 660.

(*x*) Eſt rivus *Ergers*; qui ſeſqui leucæ diſtantia ſupra Argentoratum Ello, prope Graveſtadium, miſcetur.

MONUM.

nomen olim *Argenteæ Aquæ*, ob limpidorum amnium, qui ibi fiat, confluxum habuiſſe; vocis etymologiam diſcuſſimus alibi. (y) Henninium cum Reineſio ea in re conſentientem reperio, quod uterque ſiglas has ad Argentoratum referat; modo licet diverſo. Reineſius ARG. legit, Henninius vero pro falſa hac ſigla, à Reineſio efficta, ſubſtituit illas, quæ in Steinbacenſibus duabus occurrunt, C. A. AQ. AB. AQ. L. atque adeo Nœttingenſem eodem cum illis modo explicandam exiſtimat: *Civitas Argentearum Aquarum ab Aquis Leug.* &c.

§. CCXXI.

Adrianus Stegerus (z) reprehendit Henninium, quod non definiverit, quænam illa ſit *Civitas Argentea Aquæ*, cum ex verbis ejus ſatis evidens ſit, vocibus his *Argentoratum* ab eo intelligi. Poſt hæc ſubjungit Ampl. Stegerus: "At paulo difficilioris eſt „ indaginis, an principem iſtam Marchionatus Badenſis urbem, quam prope lapides „ iſti duo ſunt effoſſi, Romani jam noverint, & Aquarum nomine frequentaſſe repe- „ riantur. Tale quidquam profecto ex priſcis monumentis eruere nobis nunquam „ licuit." (a) Verum enimvero, an non Steinbacenſes duæ & Nœttingenſis noſtra, imo & Badenſis, quæ in Eccleſia Collegiata extat, quamque paulo poſt dabimus, Inſcriptiones, unanimi conſenſu probant, Aquas has ſub Baſſiano, ſub Elagabalo & Severo Alexandro, jam innotuiſſe, quod in illis *Reſpublica* & *Civitas Aquenſis* appelletur; atque diſtantia hujus oppidi à locis illis, ubi Columnæ repertæ, exacte conveniat cum numero leugarum, qui Columnis inſculptus eſt?

Clariſſimus Freretus, Vir multiplici eruditione conſpicuus, nuper vivis ereptus, Lapidis noſtri ſiglas, à Beyellio expreſſas, preſſe ſecutus, (b) ita expoſuit: *Civitas Argentoratum Aquis abeſt Leug. XVII.* Sed expoſitioni huic eadem ratio, quæ Reineſianæ Henninianæque adverſatur, reſiſtit. Quem enim in finem Nœttingæ, quæ XVII. Leugis retro Badam eſt, Lapis poneretur, qui diſtantiam inter Badam & Argentoratum indicaret. Quodſi Nœttingæ *Mettingam* ſubſtituas, quam Lapidis patriam, Beyelliana fide, omnes crediderunt huc usque, res difficilior evadit, eo quod Mettinga duplo majore intervallo à Badenſibus Aquis, quam Nœttinga, remota eſt; oppidum enim illud jacet ad Nicrum verſus Eslingam. Id miror, Freretum poſtquam literas ſingularias C. A. AQ. in Steinbacenſibus Cippis *Civitas Auguſta Aquenſis* explicuiſſet, in Nœttingenſi noſtra non ſubodoraſſe mendum, atque ARG. eadem conjectura non immutaſſe in AVG. tertius nempe cippus ut conciliaretur cum reliquis. Henninius ſane, *Argenteis* ſuis *Aquis*, ſive Argentorato, inſiſtens, easdem Steinbacenſibus quoque Columnis affinxit. Ex diverſis de monumento iſto Criticorum ſententiis, id Argentorato accrevit, ut memoria ejus in his ſeculi III. ineuntis Lapidibus celebrari crederetur: plerique enim Argentoratum in his Cippis vel omnibus, vel in uno ſaltem eorum, quæſiverunt.

§. CCXXII.

Aurelia Civitas.

Sententiæ, tot Eruditis probatæ, refragatus ſum ſemper; hanc interpretationem ſiglarum ſolito Lapidum milliarium ſtylo non eſſe conformem arbitratus; in quibus nonniſi oppidum illud, unde via & leugæ procedunt, nominari conſuevit; firmiterque aſſerui, vel in Columna Lapicidæ irrepſiſſe errorem, vel Lapidis exſcriptorem in deſcribendo erraſſe; atque adeo pro ARG. in Lapide vel AVG. vel ANT. vel AVR. reperiri debere. Civitatis Aquenſis epithetum in hac nota conſtanter quæſivi, eamque vel *Auguſtam*, vel *Antoninianam*, vel *Aureliam*, cognominatam fuiſſe, contra Freretum & Hagenbuchium, amiciſſimos mihi Viros, firmiter defendi. Singulare erat exteros pro Argentorato, me Argentoratenſem contra Argentoratum, prœliantes conſpicere. Deus ex machina tandem. Nœttingenſis Lapis, fine anni MDCCXLVII. ex ſepulcro reſurgens, totam litem diremit; qua Argentoratus cecidit cauſa; cujus nomen nullo in Lapide huc usque repertum, bona ſemper fide aſſerui. Cippi ejus viales vel omnes perierunt, vel alicubi latent.

Marmorario hinc ſuo veteri multum debet Aquenſium Civitas, quod ille tam honorificum *Aureliæ* cognomen, quo illa olim reſplenduit, non ſimplici nota A. ut in reliquis, ſed liberaliore AVR. in hoc cippo expreſſerit. Ita enim priſca florentis olim Civitatis gloria, temporum progreſſu oblivioni mandata, poſt XV. ſeculorum decurſum, cum

(y) Supra pag. 209. §. CLV.

(z) *De Viis militaribus Romanorum in veteri Germania* §. XVIII. pag. 74.

(a) Stegerus loco cit. pag. 75.

(b) *Memoires de l'Academie des Belles Lettres* Tom. XIV. pag. 158. partis prioris.



MONUM.

cum leugari hoc Lapide Nœttingenſi, Severi Alexandri temporibus fabricato, revixit. Imo & Criticis gratam operam præſtitit Lapicida, quod inter illos, mutus licet, pronuntiarit ſententiam. De Cippi hujus Alexandrini Chronologia ſive anno, quo fuit erectus, nulla controverſia eſt; quod alter ille Steinbaco-Alexandreus ejusdem eſt coætaneus frater: hujus vero epocham, ex Tribunitiæ poteſtatis & Conſulatus anno primo, expoſuimus ſupra, annum eſſe Æræ Chriſt. CCXXIII.

§. CCXXIII.

Nœttinga.

Patriam Lapidis noſtri quod attinet, eam ſupra jam indicavi *Nœttingam*, quam Beyellius, & ex eo Reineſius, in *Mettingam* verterunt. Nœttinga, vicus Bada-Durlacenſis eſt, ad Pfinzium amnem, leucis Francicis hodiernis octo cum dimidia à Civitate Aurelia Aquenſi diſtans, quæ leugas Gallicas veteres XVII. exacte conficiunt; atque adeo ſua locis intervalla jam conſtant. Civitas Aquenſis caput conſtituitur viæ, quæ ab una parte, auſtrali nimirum, ad ſuperiora Rheni, ab altera, ſive boreali, ad Nicrum Danubiumque ducebat, quæque adeo Nicrum, imo & Danubium, conjunxit cum Rheno. Prior via per Steinbacum, in cujus vicinia tres Cippi ſocii, leugis IIII. inſigniti, (c) & per Bühlam ad Auguſtam Rauracorum dirigebatur. Ea hodieque iter faciunt Badenſes, eademque ad Argentoratum olim eos proceſſiſſe, veriſimile eſt. Via hæc verſus meridiem directa. Altera, quæ tendebat ad boream, per Ettlingam oppidum & Nœttingam, adeoque per Craichgoviæ Pagum, vertebatur ad Nicrum: primum parallela Rheno, donec ab eo verſus ortum deflecteret, inque viam illam incideret, quæ à Danubio, per Pforzhemium, Nigræ Silvæ portam, procedit. Ad normam veritatis ergo compoſita non eſt Stegeriana (d) ſententia, quæ Nœttingenſes & Steinbacenſes Cippos intervalla viæ, ab Aquis ad Argentoratum vel Argentuariam tendentis, diſtinxiſſe tradit, quod naturæ rerum repugnat. Civitas Aquenſis enim inter Steinbacum & Nœttingam media fuit, ab eaque, tanquam à centro, duæ viæ exierunt. Una per Steinbacum ad Argentoratum, ubi recte Stegerus: altera ab Aquis ad oppoſitam Argentorato plagam, per Nœttingam, dirigebatur ad Nicrum. Nœttingenſem ergo Lapidem, leugis inſignitum, cum inſpexerit BEYELLIUS, (e) mirum eſt, limitem ab eo haberi potuiſſe, quem vialem Lapidem poſtremi verſus tam clare oſtendunt; error tamen ejus tolerabilior eſt errore Patini, qui nec leugarem, nec terminalem, ſed honorarium conſtituit. Reineſius Columnam non vidit, rubrum Beyellii tamen hunc immutavit in modum: *Mettingæ circum fores domus privatæ inſcriptum in gyro.* Aliam plane verba hæc, quam Columnæ vialis, imaginem Lectoribus offerunt.

§. CXXIV.

Uſus Columnæ poſterior.

Itinerarius Columnarum harum uſus deſierat quidem ſub Alemannis & Francis, ſatisque compertum eſt, ad alios plane uſus, cum Caracalliana ſocia, eam fuiſſe adhibitam. Hæc enim Alexandreæ noſtræ fuit impoſita, ut unam continuam cum altera efficeret. Teſtatur hoc foramen utrique inciſum, quæ foramina juncta ſibi exacte reſpondent. Junctura ut commode fieret, utriusque extremitates decuſſæ: Caracallianæ poſtremi Epigraphes verſus; Alexandreæ vero primi ablati ſunt, uti ſupra oſtendimus. Coagmentatæ hæ columnæ & in unam X. circiter pedum redactæ ſunt, ædificio cuidam ſuſtinendo idoneam, vel ut imago quædam in cavitate illa reponeretur; quam non fortuito factam eſſe, ipſa Lapidum inſpectio docet. Poſtea temporis, neſcio quo caſu, Columnæ hæ duæ, in unam junctæ, denuo ſeparatæ fuerunt, forte quum ædificium ipſum, cujus pars erant, disjiceretur: unde Beyellius An. MDXXXIII. nonniſi Alexandrinam vidit; de Caracalliana enim nulla apud eum, nec apud alium, mentio eſt.

Columnæ cur multiplicatæ.

Requiret à me fortaſſis Lector, quæ Columnarum leugarium, una eademque in ſtatione multiplicatarum, fuerit cauſa: tres enim eodem in loco prope Steinbacum, ſimilibus IIII. leugarum notis inſignitas, producimus; totidemque Nœttingenſes extiterunt haud dubie; quarum una mutilata, tertia latet adhuc, vel periit. Rationes rei ſuppetunt plures. Prima ab ipſis viis itineribusque petenda, quæ ſubinde reſtauratoribus quum habuerint opus, viæ reſtitutæ & reſtitutoris memoria novis milliaribus & leugaribus Cippis commendata eſt poſteris: illisque tum inſculptum: *refecit*, *reſtituit*. (f) Reſtitutio viam potius, quam Columnam reſpexit; quæ poſita ad latus, non facile

vim

(c) Diſtantia hæc, in Cippo notata, convenit cum Steinbaci diſtantia ab Aquis, quæ duarum leucarum Francicarum eſt, ex quibus quatuor Gallicæ veteres naſcuntur.

(d) *De Viis militaribus Germaniæ* pag. 74. ſq.

(e) Lapidis Inſcriptioni præfixit: *Hæ literæ ſunt ſculptæ in modum gyri in limite quodam.*

(f) GRUTERUS *Inſcript.* pag. 154. ſq.

vim patitur; itinera vero plauſtris ungulisque animalium conterebantur quotidie. Reſtitutionis hujusmodi, ab ipſo Caracalla factæ, exemplum apud Tunetanos ſupereſſe memoravi. Antiquiore ævo, in Via Appia reſtauranda, Veſpaſianus, Nerva atque Hadrianus laborarunt; quod Columnæ teſtantur; (*g*) quarum duæ priores altera alteri, binæque demum communi ſtylobatæ fuerunt impoſitæ; cui denique titulus Hadriani inſculptus, ita ut tria in uno Monumento conjuncta reperias. Noſtræ vero Aquenſes Columnæ non hanc ob cauſam, in via militari Aquenſi, triplicatæ fuerunt. Quis enim intra XII. annorum ſpatium, quo tres noſtræ omnes conſtitutæ, viam Aquenſem ter reſtauratam fuiſſe crederet? Tam breve intervallum nec viam, nec Columnas attrivit. Documenta hæc potius peculiaris Aquenſium in Severianam Domum obſequii & cultus eſſe arbitror, eam ipſam fortaſſis ob cauſam, quod Sept. Severus, & filius Baſſianus ſpeciatim, Rempublicam Aquenſem beneficiis privilegiisque ornarunt. Acceſſit Senatus Conſultum de abolenda Elagabali in publicis Monumentis memoria, quod novis Columnis, novo Principi ponendis, Aquenſium Civitati dedit occaſionem.

§. CCXXV.

Columnæ leugares aliæ.

Neque vero hæc Columnarum leugarium multiplicatio apud noſtros modo Aquenſes obtinuit. In Septimio-Severiana Familia ſimile exemplum, hoc quoque ſeculo, apud Gallos noſtros occurrit, quod Sueſſionum cultum, vel adulationem, in Caracallam manifeſtat. Apud hos enim An. MDCCIX. innotuit Columna leugaris, ſub Septimio Severo & filio ejus Baſſiano poſita, in qua ſequens Epigraphe: (*h*)

I M P. C A E S L
S E P T I M I O S E
V E R O P I O P E R
T I N A C E A V G A R A
B I C O A D I A B E N I
P A R T H I C O M A X
P P ∴ III E T I M P C A E S
M A V R E L I O A N T O N I
N O P I O . . . . . C E
. . . .
C . . . . C V R A N T E L P
P O S T V M O L E G A V G G
P P A B A V G S V E S S L E V G
V I I

Mortuo Septimio Severo, in eadem mox via, locoque eodem, alia præcedenti ſubſtituta, qua Baſſianus, patris ſucceſſor, proditur ſolus: (*i*)

I M P C A E S
M A V R E L I O A N
T O N I N O P I O
A V G B R I T A N N I
C O M A X T R I B
P O T XIIII. I M P II
C O S III P P P R O
C O S A B A V G
S V E S S L E V G
V I I.

Septimii

(*g*) FABRETTI *Inſcript.* Cap. V. pag. 414. hodie viſitur in Capitolio Romano. GRUTERUS *Inſcript.* pag. 154. ſq.

(*h*) MARTENE *Voyage Literaire de France*, Tom. III. pag. 18. & MONTFAUCON *Supplem. de l'Antiquité Expliquée* Tom. IV. pag. 120. ſed accuratius longe in *Commentariis Regiæ Inſcriptionum Academiæ* Tom. III. pag. 250.

(*i*) *Memoires de l'Academie des Inſcriptions*, Tom. III. pag. 253.

Septimii Severi Conſulatus III. coovenit cum *Æræ* Chriſt. An. CCII. in quem Conſulatus I. Caracallæ, filii cum patre, coincidit. Hoc anno itaque poſita eſt Sueſſionum Columna. Caracallæ autem Tribunitia Pot. XIIII. & Conſulatus III. in finem anni CCXI. initiumque anni CCXII. incidunt. Unde altera hæc Columna decem annis Severiana poſterior eſt. In Narbonenſi Gallia, ex ævo antiquiore, Claudianam Columnam Tiberianæ junctam vidit SCIPIO MAFFEJOS. (*k*) Imperatores vialium Cipporum dedicationes inter præclara munera reputaſſe, ex Arcadii & Honorii Impp. teſtimonio diſcimus; qui in *Codicis Theodoſiani* (*l*) Conſtitutione quadam ita loquuntur: " Abſit, „ ut nos inſtructionem viæ publicæ & pontium ſtratarumque operam, titulis magnorum „ Principum dedicatam, inter ſordida munera numeremus.

Lapides hujus generis diſperſos ſi colligamos in ſummam, in omni Gallia Comata, quæ extra Romanam provinciam fuit, ex magno illo, qui vias olim ornaverat, oumero, nonniſi ſedecim Columnæ ſuperſtites, ad tempora uſque noſtra, notæ fuerunt; quibus Epamanduodurenſem noſtram milliariam, ut & Brocomagenſem, ac Aorelio-Aquenſes quinque leugares, trans Rhenum, ſi addas, ſumma inde Columnarum XXIII. quarum IX. milliares, XIIII. leugares, exoritur. Leugarium Gallia novem, Marchionatus Badenſis ſolus quinque, unam oempe oppidum Badenſe, quatuor reliquas tenet Durlacum. Jn alia, præter hanc, Germaniæ parte cippum leugarem inventum unquam fuiſſe, oulli Literatorum Commentarii oos edocent. Columnis, ubi Leugæ, cum numeris ſuis expreſſæ, leguntur, annumeravi Noettingenſem truncatam, utut extremitas, qua leugæ continebantur, decuſſa ſit.

§. CCXXVI.

Aureliæ Aquenſis viæ reſtauratio.

Aurelia-Aquenſis via, de cojus cippis huc uſque diſſeruimus, commonem cum ipſa civitate Aquenſi reſtauratorem habuiſſe videtur, Baſſianum Aurelium Antoninum, Viarum Thermarumque fautorem inſignem, cui omnium Thermarum maximas & ſumptuoſiſſimas, *Antoniniamas* illas, debuit Roma; quique cum Patre ſuo Severo. in Norico & Vindelicia, quæ trans Rhenanum limitem Romanum, ubi via Aquenſis, prope Danubium tangebat, vias reſtauravit & pontes: cujus rei Marmora illa vialia, per Vindeliciam præſertim, ſive Rhætiam Danubianam, adhuc reſidua, ſunt teſtes. Severo Patri ejus dedicata paſſimque diſpoſita fuerunt: Boicarum & Vindelicarum rerum graviſſimus Scriptor, MARCUS VELSERUS, ea in lucem emiſit. (*m*)

Ex horum Epigraphis addiſcimus, circa An. Chr. CCII. Severum & Antoninum filium, quum Conſulatum hic primum iniviſſet, vias & pontes per Rhætiam reſtituiſſe: in qood tempus etiam reſtaurata Sueſſionum via incidit, ut ex leugaribus illis Columnis, à me prolatis, elucet. Reſtituerunt autem, quoniam à prioribus Imperatoribus terreis aggeribus glareaque injecta, jam inſtitutæ fuerunt. Malui ergo Aoreliom Antoninom Caracallam viæ hujus Badenſis reſtauratorem, quam inſtaoratorem, pronuntiare, credereque, ab hac reſtauratione viam nomen accepiſſe *Aureliæ*. Civitatis Aquenſis, & viæ, ad eam ducentis, eundem auctorem cenſere, haud incongruum eſt. Via, cujus oonniſi reſtaurator fuit Trajanus, ab eo tamen *Viæ Trajanæ* nomen accepit. Quodſi *Antonina* vel *Antoniniana via* prætuleris nomen *Viæ Aureliæ*, non equidem refragor; imo poſterius ego priori præferrem. Aureliam Conſularem viam (*n*) quoque vetus Italia, ante Imperatorum tempora, habuit. Noſtra autem hæc via Imperatoria Aquenſis, ſola & unica militaris fuit, quam in omni veteri Germania Magna, vera & propria, muniverunt Romani; quæ limitem eorum trans Rhenanum omnem permeavit: reliquæ omnes, quas Ampliſſ. STEGERUS in libro hujus argumenti (*o*) producit,

(*k*) *Antiquit. Galliæ* Epiſt. VII.

(*l*) *Cod. Theodoſ.* Lib. XV. Tit. III. Leg. VI.

(*m*) *Rer. Aug. Vindel.* Lib. VI. pag. 205. & in *Monum. Agri Auguſt. Opp. Velſer.* pag. 409. ſq.

IMP. CAESAR. LVCIVS. SEPTIM
IVS. SEVERVS. PIVS. PERTIN
AX. AVG. ARABICVS. ADIAB
PARTHICVS. MAXIMVS
PONTIF. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XII. COS. II. P. P
PROCOS. ET. IMP. CAESAR
MARCVS. AVREL. ANTON
INVS. PIVS. AVG. TRIB
POT. IIII. PROCOS. ET. IMP
P. SEPTIM. GETA. ANTON
VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P. XXXXI.

(*n*) Aurelia Italiæ via ſtrata fuit à C. Aurelio Cotta, unde denominata; quæ à porta Aurelia Romæ, per maritima Thuſciæ, Piſas verſus tendebat. Hæc via Conſularis ab inſtauratore deinceps dicta fuit *Trajana*, ut FABRICIUS in *Deſcriptione Veteris Urbis Romæ* Cap. V. vult, quod tamen ONUPHRIO PANVINIO diſplicet. Conferatur RAYMUNDI MARLIANI *Topographia Urbis Romæ* Lib. V. pag. 28. LUCII FAUNI *de Antiquitatibus Urbis Romæ* Lib. I. Cap. XX. præcipue CAROLUS SIGONIUS *de Antiquo Jure Italiæ*, Cap. ult.

(*o*) *De Viis militaribus Romanorum in veteri Germania*, 1738. Lipſiæ, 4to.

ROMUM.

producit, Rhætiam potius & Vindeliciam antiquam, Noricum item Belgiumque reſpiciunt; quæ nonniſi mediæ novæque Germaniæ partes conſtituunt, excluſas à veteri Via hæc denique, Trans-Rhenano limite ab Alemannis everſo, neglecta ævique injuria ita diruta fuit, ut noſtra hac ætate ne veſtigium quidem ejus ſuperſit.

Reliquum eſt, ut de poſtremis Columnarum noſtrarum verſibus, in quibus *Civitas Aquenſis* & *Leuga* ſignantur, diſſeramus diſtinctim. Ab *Oppido* faciemus initium, inde progreſſuri ad *Leugas*.

CIVITAS AURELIA AQUENSIS.

§. CCXXVII.

Civitas Aurelia Aquenſis.

BRocomagenſem noſtram Columnam, ſive milliariam, ſive leugariam, Valeriano Imp. Civitas Tribocorum dedicavit. Leugares noſtras viæ Aureliæ Baſſiano, Elagabalo & Severo Alexandro *Civitas Aurelia Aquenſis* inſcripſit. Quodſi in Valerianea & univerſa Tribocorum gentis communitas, & ſpeciatim oppidum Brocomagus, intelligi potuit, in leugaribus his Civitas Aurelia Aquenſis non plurium oppidorum, vicorumque nniverſitatem, ſed oppidi Aqnenſis cives & incolas ſignificat. Oppida Germanis veteribus, vicatim habitare ſolitis, ignota fuerunt: unde nonniſi ſub Romana dominatione Aquæ hæ oppidi formam induere cœperunt; quod, ſub Severiana denique Imperatorum ſeculi III. familia, non minorem celebritatem thermis ſuis acquiſivit, quam Badenſe illud Thermarum Helveticarum oppidum; cujus memoria apud TACITUM (*p*) extat, ubi A. Cæcinæ ſtragem, Helvetiis illatam, atque municipium iſtud An. Chr. LXIX. à Vitellianis militibus direptum, enarrat. Celebritatis autem ſuæ veteris notitiam Civitas Aquenſis Marchica non ſcriptis vel annalibus veterum, ſed propriis ſuis debet Monumentis, vialibus nempe cippis, quos Civitas ipſa erexit; ignara tum, fore, ut honorificum Civitatis ſuæ nomen, omni Romano Imperio notum, à ſeculi IV. temporibus, quibus Alemanni invaluerant, ſepeliendum, Columnæ, poſt MCCCC. annorum intervallum reſurrecturæ, ex tanto intervallo poſteris prædicarent. Nonniſi poſt nnperam enim Columnæ Alexandreæ anaſtaſin didicimus, oppidum Aquenſe Marchionum ab Imperatoribus magni habitum, *Aureliæ*que elogio, ex ipſius Imperatoris nominibus petito, honoratum fuiſſe. Badenſe hoc oppidum, lingua vulgari *Baden*, quod Germanicum nomen Romano ſucceſſit, ad Silvæ Martianæ pedes ſitum, Sereniſſimæ Badenſium genti, totique Marchionatui, ſuum nomen impreſſit.

§. CCXXVIII.

Antiquitas loci.

Hiſtoria & Geographia vetus utut locum ignorent, lapides illum tamen loquuntur; non modo leugares, quos protuli, ſed & alius Caracallianus, Sept. Severo vivente, poſitus filio; in Eccleſia Collegiata Badenſi hodieque conſpicuus; Lapis, inquam, quadratus, cæteris omnibus, habita temporis ratione, antiquior. Hujus Inſcriptio, comparata cum reliquis, nos facile inducit, ut originem cognomenti *Aureliæ* ad Caracallam referamus, non vero ipſa incunabula oppidi, quod antequam Caracalla ſolus imperaret, vel diceretur Auguſtus, jam Reſpublica fuerat. PHILIPPUS BEROALDUS ergo in literis, ad Jacobum Marchionem Badenſem ſcriptis, (*q*) Aquenſes origines non recte ad Caracallam retulerat. Antiquiores Thermas has cenſuit JOANNES LANGIUS; (*r*) Antonini nomine in monumentis deceptus; Antoninum Philoſophum eas Proconſulatu ſuo An. CXXVI. celebres jam reddidiſſe exiſtimans. BERNARDUS DYHLINUS (*s*) ad Antoninum Pium usque aſcendit, aſſertique fundamentum in leugari illo Collegii Jeſuitarum Badenſium Cippo quærit, quem de Imperatore hoc, Hadriani ſucceſſore, loqui exiſtimat, quum de Baſſiano loquatur; adeoque alteri illi, quæ in Eccleſia Collegiata Badenſi eſt, male opponitur; utraque deſignante Baſſianum. Cum autem ſub Sept. Severo Imp. filius ejus Baſſianus deſtinaretur Imperio, quæ deſtinatio, uti vidimus, facta An. CXCVII. ejusque rei Lapis Aquenſis, de quo loquor, teſtimonium perhibeat, (*Imperatori deſtinato Reſpublica Aquenſis*) concludimus, Aquas has

anno

(*p*) *Hiſtor.* Lib. I. Cap. LXVII. ubi de Thermis Badenſibus Helveticis ita: "Direptus, longa pace „ in modum municipii extructus, locus, amœno „ ſalubrium aquarum uſu frequens.

(*q*) Vid. KUPPERUS *de Thermis Badenſibus*, pag. 65.

(*r*) *Epiſtolar. Medicinal.* Lib. II. Epiſt. XLIX. pag. 791.

(*s*) In *Diſcurſu de Thermis Marchio-Badenſibus*, pag. 8.

MONUM.

anno illo CXCVII. jam fuiſſe Rempublicam, *Aurelia* tamen nomine tum nondum gaviſam; gaviſuram demum ſub filio & ſucceſſore Severi Caracalla; ſub quo celebritas loci fuit aucta, ſub Elagabalo & Alexandro continuata, ut ex dictis apparet. Civitas, cujus fama ſeculo II. finiente increbuit, primo jam exiſtere potuit. Romani, circa thermas præſertim delicioſi, primis dominationis ſuæ in Trans-Rhenano limite temporibus, civitati Aqueoſi originem dediſſe videntur. RICHARDUS BARTHOLINUS, (*t*) qui ſub Maximiliano I. vixit, de civitate hac ſcribens, *Antonina* eam *munera* vocat:

" Tu quoque Dux Badæ, non inferiora ſecutus
„ Auſpicia, ad Martem properas, qua cana vetuſtas
„ Antonina tuis oſtendit munera terris.

Quem Antoninum Poeta intellexerit, ex verbis ooo patet.

§. CCXXIX.

Caracalla in Germania commoratus.

Thermas has adiit Caracalla, quum in his Germaniæ partibus An. CCXIII. commoratus fuiſſet; ſedecim annis, poſtquam ei *deſtinato Imperatori* monumentum dedicaſſent Aquenſes. Illo nimirum anno in Germaniam profectus eſt, ut Germanos, Danubium transgreſſos, Rhætiam Vindeliciamque vaſtantes, repelleret. Tum ille, tranſito Danubio, vicinos Germanos ſibi conciliavit, auxilia ſtipatoreſque corporis, fortiſſimo & pulcherrimo quoque ex eis delecto, ſibi adjunxit: ſæpe Romana chlamyde depoſita, cultu Germanico uſus eſt; capillis flavis, Germanico ritu tonſis, capiti appoſitis. Hioc factum, ut Barbari (ſic Herodianus Germanos & Suevos Romanorum more vocat) illum ſupra modum diligerent. Corpus tum exercebat aurigationibus, beſtiarumque omnis generis venatione; quæ diuturnior ejus ad Danubium mora Thermarum Badenſium inſtaurationi & viæ, ad eas usque ſternendæ, occaſionem ſuppeditavit. Enimvero non potuit non Caracalla Germanici hujus belli occaſione frequenter in Decumatibus agris verſari, qui publico Imperii ſtylo *Trans-Rhenanus limes* vocati. Tum etiam adulatoria illa, titulis & elogiis plena Inſcriptio, circa Tubingam reperta, quam CRUSIUS refert, nosque ſupra retulimus, (*u*) veriſimiliter poſita eſt.

§. CCXXX.

Cognominis *Aureliæ* origo.

Hoc tempore *Aurelia* cognomen civitati Aquenſi à Caracalla, ex ſuo nomine, conceſſum inditumque arbitramur. Aquenſium cultus in Caracallam Cæſarem inducere illum potuit, ut, Auguſtus cum fieret, tam devotæ ſibi civitati unum ex nominibus ſuis communicandum exiſtimaret: hocque vel ſub ipſo Imperii ſui initio, Æræ Chriſti CCXI. (*x*) vel eo anno, quo in Germaniam profectus eſt, ſub quarto nempe Conſulatu, contigit, qui annus Dionyſianus CCXIII. In Steinbacenſi autem columna Caracalliana, Conſulatu IIII. Baſſiani, ſive An. CCXIII. erecta, quo ipſo Caracalla in limite Trans-Rhenano verſatus eſt, *Aureliæ* elogium quum nondum compareat, nonniſi poſt Columnam hanc poſitam, anno ſcilicet ejusdem Conſulatus IV. finiente, Badenſibus id conceſſum fuiſſe videtur, ante Caracallæ ex Germania diſceſſum; eo forte tempore, quo ipſe *Germanici* nomen aſſumſit. Anno enim ſequenti CCXIV. Macedoniam luſtravit & Aſiam; quibus in Provinciis, tam longe remotis, minus ille de Aquenſium privilegiis cogitaſſe cenſendus eſt, quam quum verſaretur ad Rhenum. Eo veriſimilius autem Caracalla privilegii hujus, Aquenſibus conceſſi, conſtituitur auctor, quod Elagabaliani & Alexandrini noſtri cippi *Aureliæ* epithetum jam omnes annuntiant; quodque Caracalla, præ aliis Imperatoribus, curam geſſit thermarum, publicarumque viarum; uti SPARTIANUS in *Vita Severi* (*y*) & *Caracallæ* (*z*) teſtatur. Thermæ *Antoninianæ* omnium Romanarum nobiliſſimæ fuerunt, in regione decima, inter Aventinum & Cœlium; ubi ſtupenda earum rudera videmus. Has autem anno Imperii quarto exſtructas, EUSEBIUS & CASSIODORUS in *Chronicis* ſcribunt.

(*t*) *Auſtriados* Lib. IV. vers. 106.

(*u*) Pag. 553. §. CCIV.

(*x*) Septimius Severus Eboraci apud Britannos obiit prid. Non. Febr. An. Urb. Cond. DCCCCLXIV. Æræ Chriſt. CCXI.

(*y*) Scribit Capite XXI. SPARTIANUS: " Vixit „ diu in odio populi Antoninus, quamvis & veſti„ menta populo dederit, (unde Caracallus eſt dictus) „ & thermas magnificentiſſimas fecerit.

(*z*) In *Vita Caracallæ* Cap. IX. " Opera Romæ „ reliquit (Antoninus) thermas nominis ſui eximias &c. „ Adde AURELIUM VICTOREM, & OLYMPIODORUM, qui de thermis illis ait: " Habebant in „ uſum lavantium ſellas mille ſexcentas, è polito „ marmore factas.

Viæ autem, apud Africanos ab eodem Caracalla munitæ, memoriam columna, apud Tunetanos noſtro ævo detecta, quam Maffejus nobis dedit, (*a*) demonſtrat. Præter noſtram Aureliam civitatem, ejusdem quoque nominis alias in Marmoribus & Nummis reperio. In Norico marmore *Aurelia Antonina Ovilabis*; (*b*) in nummis vero *Aurelia Singara* & *Aurelia Carrhena* (*c*) Meſopotamiæ, occurrunt; quæ M. Aurelium Philoſophum, non Caracallam, Elagabalumve reſpiciunt. Caracalla quidem Colonias etiam *Antiochiam* ad Orontem in Syria, *Edeſſam* in Meſopotamia, *Emiſam* in Phœnice, (*d*) conſtituit; at civitas noſtra Aquenſis nunquam jure Coloniæ uſa eſt, ſed ſpeciali beneficio Imperatoris *Aureliæ* nomen obtinuit.

§. CCXXXI.

Silentium Geographorum.

Quodſi fortaſſe quærat nonnemo, qui factum, ut veteres, qui ſuperſunt, Geographi, illi præſertim, qui poſt ſeculum III. Geographica ſcripta concinnarunt, Aquenſem hanc civitatem ſiluerint; nihil enim de ea *Itinerarium*; nihil *Tabula Theodoſiana*; nihil *Ravennas Anonymus*, quem circa ſeculum VII. vixiſſe, Placidus Porcheronius, editor ejus, credidit; reſponſio in promptu: Itinerarium & Tabula Germaniam Trans-Rhenanam non tangunt, quod ex ea ſeculi IV. fine, quum Libellus Itinerarius & Tabula exararentur, Romani jam fuerant ejecti. Ravennas Geographus autem, quem non *Anonymum*, ſed *Guidonem* eſſe, non ſeculo VII. ſed IX. vixiſſe, Diſſertationis Chorographicæ *de Italia medii ævi* Anonymus Mediolanenſis Auctor (*e*) probavit, non imperfectus modo & corruptus eſt Scriptor, ſed & à tempore, quo Aurelia Aquenſis civitas gloriam ſuam amiſerat, nimis longe remotus. (*f*) Gloria hæc vero quum nonniſi ſeculo III. duraverit, eo quod Trans-Rhenanus limes, ſeculo ſequenti everſus, Alemannicum jugum ſubiit, ſeculo V. finiente Francicum ſubiturus; mirum non eſt, Scriptores quosvis ſeculo III. antiquiores poſterioresque Aquenſem hanc civitatem ſilere. Reliquas Imperii Romani thermas diligenter ubique annotat Tabula Theodoſiana, ut & aquas medicatas, quibus numerum Deorum auctum Plinius (*g*) teſtatur. Aquæ Quintiæ, Sextiæ, Auguſtæ, Vaconiæ, Quernæ, Celenæ, Tarbellicæ, Convenarum &c. per Galliam, Hiſpaniamque inclytæ fuerunt. Locus, ſolo *Aquarum* nomine inſignitus, in *Itinerario*, haud procul Cæſarea Africæ, extat; item *Aquæ* Mœſiæ ſuperioris, prope Egetam, & *Aquæ* ſuperioris Pannoniæ, quæ hodie *Bada* Auſtriaca. (*h*) Aurelis, de quibus agimus, Aquis viciniores erant Aquæ Mattiacæ, & cis Rhenum Granenſes, quarum illas interpretantur *Wisbaden*. Granenſium autem utut nulla, apud veteres Scriptores, nec in Lapidibus, memoria, quippe quæ ævo Carolino demum invaleſcere cœperunt, antiquiores tamen cenſendæ videntur. Vetus vocabulum Germanicum *Ab* ſalubres hujus generis aquas multas deſignat, ut & ſynonymum *Baden*, quod ab Alemannis accepit: (*i*) niſi, ejectis Romanis, vetus Germanicum nomen Badenſibus reſtitutum credere malueris: thermas enim has, ſub Marcomannis, antiquiſſimis incolis, nomen jam ſuum habuiſſe neceſſe eſt.

§. CCXXXII.

Badæ aliæ.

Badas, thermis inſignes, atque inde nomen ſuum Germanicum tenentes, præter Marchicam noſtram, cognoſcimus duas, nempe Helveticam, Badamque Auſtriacam: Helveticam, quæ *Caſtellum Aquarum* Tacito, cujus nomen Romanum Alemanni, rerum per orientalem Helvetiæ partem potiti, in Germanicum *Baden* verterunt. Bada hæc Helvetica nobiliſſimi deinceps Comitatus, in Ergovia ſiti, caput fuit, medio ævo, eique *Comitatus Badenſis* nomen communicavit; prouti Aquæ noſtræ Badenſes Marchionatui ejusdem nominis appellationem dederunt. Bada Auſtriaca, ſex leucis Vindobona diſtans, Norici veteris pars fuit, non ignorata *Antoniniano Itinerario*, quod in itinere à Vindobona ejus facit mentionem. (*k*) Tria hæc Badenſia oppida balnearum ſuarum celebritatem ad noſtra usque tempora retinuerunt.

Civitatis

(*a*) Vide Capitis hujus §. CCVII. pag. 555.
(*b*) Gruter. *Inſcript.* pag. 345. num. 8.
(*c*) Vaillant *Numm. Coloniar.* Tom. I. pag. 251.
(*d*) Vaillant Lib. cit. Tom. 2. pag. 33.
(*e*) *Scriptor. Rer. Italicar.* Muratorii Tom. X. Sect. II. pag. 9.
(*f*) Plures quidem *Aquas*, imo & *Badas*, recenſet Geographus Ravennas Lib. III. & V. Macedonicam nempe & Africanam, ſed Badæ hæ ex aliis linguis ſua nomina derivant, aliamque adeo vocis ſignificationem agnoſcunt.
(*g*) *Hiſtor. Natur.* Lib. XXXI.
(*h*) *Itinerar. Anton.* pag. 31. 218. 261.
(*i*) Romanorum nomen *Aquæ* antiquius eſſe videtur Germanico, quia diſcedentibus Marcomannis Romano-Galli incolæ Decumates agros occuparunt. Alemannni, Romana dominatione everſa, ibidem rerum potiti, Germanicum nomen *Baden* introduxerunt.
(*k*) *Itinerar. Anton.* pag. 261. *Notitia Imperii Occident.* pag. 106. mentionem quoque facit Badæ Mauritaniæ, & pag. 164. Badenſis Comitis Alaæ, qui in illa urbe procul dubio ſedebat.

MONUM.

Civitatis cujuſdam Aquenſis monetales notæ in nummis ſeculi IV. paſſim occurrunt, quas Franc. Mediobarbus (*l*) collegit, quasque ad Granenſes Aquas pertinere haud recte exiſtimat. Notæ ſunt in hunc modum expreſſæ, & ab Harduino expoſitæ: Aquæ in nummis.

A Q P S. *Aquenſes Patrono ſuo.*
A Q O B. *Aquenſes obtulere.*
A Q. *Aquenſes.*
A Q P. *Aquenſium primum tributum honorarium.*
A Q S. *Secundum.*
A Q T. vel A Q r. *Tertium.*
S M A Q. Societas Mercatorum Aquenſium.
S M A P. Societas Mercatorum Aquenſium primum.
S M A Q S. Societas Mercatorum Aquenſium ſecundum.

Multas dubitandi cauſas quum habeam, Romanos Officinas monetarias in limite illo Trans-Rhenano conſtituiſſe, hanc ignotorum Aquenſium notam, ſi modo Aquenſes denotat, ad alias quavis, quam ad noſtras Aquas Aurelias, pertinere crediderim. Ceterum Aquenſis civitas in ipſo Ortenaviæ limite ſita eſt. In *Notitia Imperii Occidentalis* (*m*) inter copias *Briſigavi ſeniores & juniores* memorantur. An tum quoque jam innotuerint Ortenavi, ex nullo veterum teſtimonio liquet. Medio ævo tractus ille *Pagus Auciacenſis* appellabatur.

§. CCXXXIII.

Aquenſis noſtræ Civitatis origines mire illuſtrat Collegiatæ Badenſium Eccleſiæ Tabula vetus Literata, quam brevi commentario illuſtraturus ſum, ne in argumento hoc tractando neglexiſſe quid videar. Caracalliana Epigraphe eſt antiquior omnibus, quas huc usque protulimus. Hæc ad introitum Templi, ſub turri à ſiniſtris, lapidi quadrato inciſa, ita ſe habet: Tabula Badenſis.

M. AVRELIO
ANTONINO
CAES. IMP. DE
STINATO. IMP
L. SEPTIMI SE
VERI. PERTIN
ACIS. AVG. FILI
O RESP. AQV

Marmor deſcriptum à pluribus, quos inter priores ſunt Jacobus Bevellius, (*n*) Petrus Apianus, (*o*) Crusius, (*p*) Kufferus, (*q*) Dyhlinus. (*r*) Gruterus, (*s*) neſcio quo errore, Lapidem hunc Coloniæ Agrippinæ adſcribit, qui à civitate Aquenſi, ubi eum nuper contemplatus ſum, nunquam deceſſit. Error à Petro Apiano provenit, qui poſteriore Epigraphes hujus exemplo, quod dedit, (*t*) *Coloniam* præfixit; addens tamen in *Portica Templi Aquarum* eam reperiri; Marchicas illas Aquas deſignans, quas indicaverat exemplo priore, (*u*) ubi nulla Coloniæ mentio. Ex altera parte rerum Helveticarum Scriptores nonnulli, Plantinus, (*x*) Scheuchzerus, (*y*) aliique horum fide inducti, Badenſibus Helvetiæ thermis Monumentum hoc tribuunt. Condidit illud *M. Aurelio Antonino Cæſari*, *Imperatori deſtinato*, *Imperatoris L. Septimii Severi Pertinacis*, *Auguſti*, *Filio*, *Reſpublica Aquenſis*, quæ in cæteris lapidibus

Cccc 2 Civitas

(*l*) *Theſaur. Numismat.* pag. 587. edit. poſter.
(*m*) Pag. 34.
(*n*) In Barthii *Adverſar.* Lib. LII. pag. 2428.
(*o*) *Inſcription.* pag. 455. & 487. eam bis edidit.
(*p*) *Annal. Suev.* Part. I. Lib. IV. pag. 91. qui eam ex Heroldi libro *de Legionum ſtationibus in vet. Rhætia* Cap. VI. deſumpſit.
(*q*) Lib. *de Thermis Badenſibus* Cap. III. pag. 66.
(*r*) *Diſcurſus Curioſo-Phyſici de Thermis Marchio-Badenſibus* pag. 8. ubi erronee pro *Imp.* linea quarta poſita ſigla *M.*
(*s*) *Inſcript.* pag. 267. num. 8.
(*t*) *Inſcript.* pag. 487.
(*u*) Ibid. pag. 455.
(*x*) *Helvet. Antiqua & nova* pag. 283.
(*y*) In *Disquiſitione de Thermis Badenſibus Helvet.* Germanice ſcripta, pag. 12.

MONUM.

Civitas Aquenſis, & Civitas Aurelia Aquenſis appellatur. Plantinus pro deſtinato, *deſignato*, edidit. Cum Lapide noſtro Nummi conſentiunt. Sunt Denarii argentei Caracallæ, in quorum antica parte caput ejus, cum Epigraphe: *M. Aur. Antoninus Caſ. Pontif.* &c. In poſtica autem vaſa Pontificalia, verbis ſuperinſcriptis: *Deſtinato Imperatori.* (z)

§. CCXXXIV.

Carinthiacum marmor.

Sed & in Carinthiaco Marmore Lentienſium Respublica eodem epitheto Antoninum noſtrum exornavit; quod Marmor ex Wolfgango Lazio produxit Gruterus. (a) Apud Brigantes Britanniæ Lapis eſt: (b)

IMP. SEVERVS.
AVG. ET ANTONINVS
CAES. DESTINATVS
RESTITVERVNT CV
RANTE VIRIO LVPO LEG
EORVM PR. PR

Annum, quo Baſſianus filius à Patre Septimio Severo deſtinatus Imperio, ut ex hiſtoria eruamus, conſulendus nobis præſertim Vitæ Severianæ Scriptor, Ælius Spartianus, isque ipſe cum Monumentis comparandus. Narrat hic, (c) Severum, devicto Peſcennio Nigro, pluribus circa Arabiam geſtis, Parthis & Adiabenis in ditionem redactis, unde *Arabicus*, *Adiabenicus*, *Parthicus*, dictus eſt, ex Oriente redeuntem & contra Clodium Albinum, qui in Gallia rebellaverat, hoſtisque ab eo judicatus eſt, proficiſcentem, in itinere filium ſuum majorem, L. Septimium Baſſianum, *appoſito Aurelii Antonini nomine*, *Cæſarem* appellaſſe. Rei geſtæ tempus in Cn. Domitii Dextri & L. Valerii Meſſallæ Priſci Conſulatum, hoc eſt, in annum Urb. Cond. DCCCCXLIX. Æræ Chriſt. CXCVI. (d) incidit. Idem Spartianus (e) annotat, Severum paulo poſt contra Parthos rurſus profectum, pulſo Rege perveniſſe Cteſiphontem. Bello huic quum interfuiſſet Baſſianus Antoninus, nuper Cæſar appellatus, nunc etiam *particeps Imperii* à militibus dictus eſt. Ita enim Spartianus: " Ob hoc filium ejus „ Baſſianum, qui Cæſar appellatus jam fuerat, annum XIII. agentem, participem „ Imperii dixerunt milites. „ Factum hoc Norisius (f) ponit An. CXCVI. quod in An. CXCVII. reponendum; quo Clodius Albinus in Galliis victus & occiſus.

§. CCXXXV.

Chronologia Caracalliana.

Hæc eſt illa ipſa dignitas *Imperatoris deſtinati*, in Monumento noſtro Aquenſi nummisque celebrata. En tibi Caracallianam Chronologiam:

An. Chr. CXCVI. Baſſianus à Sept. Severo *Aurelius Antoninus Cæſar* creatur.

An. Chr. CXCVII. *Imperator deſtinatus* à Patre appellatur.

An. Chr. CXCVIII. Baſſianus Antoninus à Patre *Tribunitiam Poteſtatem* & *Auguſti* (g) titulum accipit, ante menſem Aprilem. Unde in Nummis: *Imp. Caſ. M. Aur. Ant. Aug. Tr. P.* Ab hoc tempore *Tribunitiæ Poteſtatis* anni (h) ſine interruptione progrediuntur.

An. Chr. CXCIX. Proconſulatus acceſſit.

An. Chr. CC. Baſſianus Antoninus quoque dicitur *Pius*.

An.

(z) Mediobarbus in *Theſauro* pag. 284.
(a) *Inſcript.* pag. 267.
(b) Camdeni *Britannia* pag. 577. Edit. Atlant.
(c) *Vita Severi* Cap. X.
(d) Spartianus Cap. XIV. ait: " Cæſarem „ deinde Baſſianum filium ſuum Antoninum à Senatu „ appellari juſſit, decretis Imperatoriis inſignibus.
(e) Cap. XVI.
(f) *De Votis decennalibus* Cap. IV. pag. 477. *Theſauri Antiquit.* Henrici de Salenger Tom. I.
(g) Milites Baſſianum Antoninum fecerunt *Auguſtum*, ut ſcribit Spartianus Cap. XVIII. inſcio Severo, qui pedibus æger in tribunal ferri ſe juſſit, adeſſeque omnes Tribunos, Centuriones, Duces, & Cohortes; quibus auctoribus id acciderat; ſiſti deinde filium, qui Auguſti nomen acceperat: quumque animadverti in omnes auctores facti, præter filium, juberet, rogareturque omnibus ante Tribunal proſtratis, caput manu contingens ait: tandem ſentitis caput imperare, non pedes. Hæc Spartianus.

(h) Licet in Nummis & Inſcriptionibus Caracallæ Tribunitia poteſtas ab An. CXCVIII. inchoetur, ſuperſunt tamen inſcriptiones, in quibus ea a præcedente An. CXCVII. exordium ſumere videtur, hocque modo *Baſſiani Imperatoris deſtinati* Epocha & *Tribunitiæ Poteſtatis* annus primus in eundem annum Æræ Chr. CXCII. inciderent. Contrarietas hæc apparens, poſitis duobus Baſſiani Tribunitiæ Poteſtatis principiis, evaneſcit. Erudite hæc diſcuſſit Pagius in *Critica Baronii* Tom. I. pag. 188. ſq. ubi diſcordiam hanc Inſcriptionum in marmoribus & nummis conciliat, nodumque diſſolvit, quem Noriſius inexplicabilem credidit.



MONUM.

An. Chr. CCI. Baſſ. Antoninus togam virilem accipit à Patre, natus quatuordecim annorum.

An. Chr. CCII. Conſul factus, quem Conſulatum I. com Patre inivit Antiochiæ.

An. Chr. CCIV. Antoninus *Felix* dicitur. Ad aonum ergo CXCVII. & marmor noſtrum Aquenſe & alterum, quod protulimus, Lentienſe refereodum.

§. CCXXXVI.

Apiani error.

PETRUS APIANUS, (*i*) ex LEONARDO ARETINO, inter Badenſia Saxa Alexandreum quoque commemorat; quod in *Epiſtolis* ejus (*k*) reperiri ſcribit, verba Ioſcriptionis hæc prudens: *Imp. C. M. Aurelius Severus Alex. Aug. Pont. Max. Tr. P. Coſ. Pater Patriæ.* Hanc in Eccleſiæ Parochialis turri qoum reperiri ſcribat Apianus, & Aretini fide ſe niti aſſerat, duplicem errorem committit. Inſcriptio enim hæc, Severo Alexandro dicata, noo extat in illa Eccleſia, nec ulla in Epiſtola id ſcribit Aretinus, qui ounquam ad Regionem hanc Badenſem devenit. Mentionem quidem facit, in Epiſtola memorata, Inſcriptionis Conſtantienſis illius, quam vidit, & in qua veteris Vitoduri fit mentio, at nihil prorſus de noſtra Badenſi. Plura mihi Epiſtolarum Aretini Exempla ad manus ſunt; unum eorum pervetus, absque anni locique typographica nota, literis Gothicis, quas vocant, impreſſum: alterum apud Venetos An. MCCCCXCV. typis excuſum, forma majore; in neutro locus eſt, de Epigraphe hac loquens. Apianus ergo, hæc quum ſcriberet, memoria lapſus videtur. Induxit tamen in errorem ADOLPHUM OCCONEM; cujus fide, in *Annalibus Suevicis* eadem tradidit CRUSIUS. (*l*) Nicolaum quendam de Thermis Helvetiorum Badenſibus, POGGIUS FLORENTINUS edocuit plura, in longa quadam Epiſtola, quæ in *Operibus* ejus legitur, (*m*) atque Epiſtolam, ab eodem Poggio ad Leonardum Aretinum ex urbe Conſtantia ſcriptam, præcedit; at in ea de Inſcriptiooe hujus generis nihil.

LEUGAE.

§. CCXXXVII.

Leugæ Gallicæ.

AD poſtremam Commentationis noſtræ de Columnis leugaribus partem devolvimur. *Leuga*, *Leuca*, (*n*) apud BEDAM (*o*) *Leuua*, in ÆLFRICI Gloſſis *Leope*, erat milliarium Celticum, ſive ſpatium, quo Galli terras atque itinera metiebantur. Apud Ægyptios *Schœnus*, apud Perſas *Paraſanga*, apud Græcos *Stadium*, apud Romanus *Milliarium*, vel *mille paſſus*, apud Germanos *Raſta*. HIERONYMUS: (*p*) "Una quæque „ gens certa viarum ſpatia ſuis appellat nominibus, cum Latini mille paſſus vocent, & „ Galli leucas, & Perſæ paraſangas, & raſtas univerſa Germania. „ Vocis *Leuca* origo noo Græca, oec Latina, nec Germanica, ſed Celtica eſt. CAMBDENUS (*q*) inquit: " Dum lapides ad viarum iotervalla ſingulis MD. paſſibus in Gallia olim erigerentur, „ atque leuca Gallica, ut habet Jornandes, tot paſſus contineat, & *Leach* lapidem „ Britannice ſignificet, dixerint eruditi Galli, ſi leuca non inde nomen invenerit. „ Britanni & Galli veteres communi religione, moribus & lingua Celtica uſi, communem quoque viarum menſuram *Leugas* habuerunt. Gallia devicta, Romani in provincia modo ſua, ſeu Gallia Narbonenſi, introduxerunt milliaria; in reliqua omni Comata ſervatæ ſunt leugæ. Teſtatur hoc AMMIANUS, (*r*) de Rhodani Ararisqoe confluentibus loquens: "Qui locus exordium eſt Galliarum: exinde non millenis paſſibus, ſed leucis „ itinera metiuntur. „ Tabula Theodoſiana ad Lugdunum Seguſianorum pariter annotat: *Lugduno Caput Galliarum: usque hic Legas.* Sed & *Itinerarium* ANTONINI conſentiens eſt.

(*i*) *Inſcript.* pag. 455.

(*k*) Lib. IV. Epiſt. III.

(*l*) Part. I. Lib. IV. pag. 97.

(*m*) Pag. 113.

(*n*) Apud veteres Romanos C & G promiſcue ſcribebantur; Sancus pro Sangus; Gajus pro Cajus. Vid. SCHURZFLEISCHII *Orthographia Romana*, pag. 23. A VOSSIO tamen, *de vitiis ſermonis* Lib. III. Cap. XIX. *Leuca*, à BARTHIO *ad Rutilii Itinerarium* II. 8. *Leuua*, quæ Bedæ ſcriptura eſt, præfertur. In Lapidibus noſtris Badenſibus *Leuga*.

(*o*) *De Numeror. diviſione.* A leuca eſt Banleuca, *Banlieue.*

(*p*) *Commentar. ad Joelem* Cap. III. Conf. *Vetus Agri menſor*, in *Collectione* RIGALTII pag. 332. Vox *Raſta* in *Nov. Teſt.* Mœſo-Gothico Matth. V. 41. quoque occurrit. Runicis Poetis *Raſt* itinerarium diſtantiam denotat. Vid. HORSTIUS *de Menſuris*. *Raſt* priſcis & junioribus Germanis generatim ſignificat *requiem*.

(*q*) *Britannia* Cap. I. pag. 15. annotat, vocem *Leug* in Celtico idiomate *lapidem* denotare, unde leuga I. II. III. &c. uti apud Romanos lapis primus, ſecundus &c. DAVIES, in *Dictionario Cambro-Britannico*, voci Celticæ *Lechen* lapidis ſignificationem aſſignat; indeque nonnulli originem vocabuli *laquai* derivant, quod leugarum vel hemerodromum ſervum ſignificare exiſtimant. Hinc KILIANUS, in *Etymologico Teutonicæ linguæ* pag. 269. *Lackeyen*, *currere* exponit.

(*r*) Lib. XV. Cap. XI.

MONUM.

§. CCXXXVIII.

In Alſatia uſitatæ.

In Gallia itaque Celtica ſeu Lugdunenſi, ut & in Belgica, ad quas Alſatia noſtra referebatur,. Romani vel non aboluerunt leugas, vel certe milliaria ſua Romana ita ad eas accommodarunt, ut notis uſitatis M. P. in Lapidibus & Itinerariis Leugas ipſis exprimerent. De leugis, ſpeciatim in Alſatia uſitatis, gravis iterum teſtis eſt AMMIANUS, (s) qui Trium-Tabernarum ab Argentorato enarrans diſtantiam, leugas XIV. computat, easque deinceps in milliaria Romana XXI. reſolvit. ANTONINI *Itinerarium* hæc aperte confirmat; quod præcipuis Alſatiæ, locisque vicinis, ut Rauracis, Arialbinno, Uruncis, Monti Briſiaco, Helveto, Argentorato, (t) ſiglam LEG. adjicit, quæ *Legam* ſive *Leugam*, non Legionem, ut Hiſpanus Itinerarii editor, SURITA, exiſtimavit, (u) deſignat. Iter illud Durocortoro ad Treviros, Trevirisque Coloniam, paſſim quoque leugas habet adſcriptas; luculentum de Galliæ Belgicæ uſu, ad quam Inferior Alſatia pertinuit, evidensque teſtimonium. Non Celticæ ergo tantum, ſed & Romanæ Alſatiæ temporibus leugarum uſus obtinuit; ita ut vialibus Alſatiæ cippis, quemadmodum Sueſſionicis, nota leugarum inſculpta fuiſſe videatur; vel ſi nota M. P. in illis cerneretur, Gallicæ tamen leugæ, aut ſi mavis, Gallica milliaria, intelligerentur. Ex ipſo Itinerario res firmatur exemplis. Ponuntur ibi (x) Argentorato Tabernas (Alſaticas) M. P. XIIII. Milliaria hæc Gallica autem, ſive Leugæ conficiunt XXI. mille paſſus Romanos, ſive ſeptem milliaria Francica; quæ vera Argentoratum inter & Tabernas Alſaticas diſtantia eſt. Uberioribus rem exemplis demonſtravit BERGIERIUS. (y)

§. CCXXXIX.

Raſtæ Germanorum.

Leugas vero ſuas uti Gallia habuit, ita Germania *Raſtas*, quæ in Trans-Rhenana quoque vicina haud dubie locum habuerunt, usque ad Marcomannorum ex regionibus iſtis, Danubium inter Nicrumque, diſceſſum & migrationem in Bohemiam. Tum vero leviſſimus quisque Gallorum, ex oris his noſtris, in vacuas regiones certatim tranſierant; patrios mores, cultum & linguam ſuam Celticam ſecum ad Germanos ferentes; unde in Decumatibus agris valloque Romano,. adeoque & apud Aquenſes noſtros, Raſtis abolitis, Leugas invaluiſſe nemini mirum videbitur. Hæc de origine & migratione leugarum; nunc de illarum menſura.

Menſuram Leugarum diſtinctam JORNANDES (z) nobis indicat: "Leuga Gallica „ (inquit) mille & quingentorum paſſuum quantitate metitur. „ Vetus auctor GROMATICUS (a) conſentit: "Stadium habet paſſus CXXV. octo ſtadia milliarium „ reddunt, mille paſſus habentem: milliarius & dimidius apud Gallos leuvam facit, „ habentem paſſus mille quingentos. Duæ leuvæ, ſive milliarii tres, apud Germanos „ raſtam efficiunt. „ Comprobat rem quoque, apud Gallos diu qui vixerat, AMMIANUS, (b) ſcribens: "A loco, unde Romana promota ſunt ſigna, ad usque vallum „ barbaricum, quarta leuca ſignabatur & decima, id eſt, unum & viginti millia paſſuum.

§. CCXL.

Mutatio Leugarum.

Vetus hæc Gallica leuca tractu temporis mutationem ſubivit, ita ut veteri longe major evaſerit nova; hacque in re ita variatum, ut noſtris quoque temporibus leuga certæ nondum adſtringatur menſuræ, ſed in diverſis meridionalis & ſeptentrionalis Franciæ partibus diverſæ quoque magnitudinis ſit. (c) Scilicet raſtæ veteris menſuram Franci ex Germania in Galliam attulerunt, retinueruntque, nomine licet leucæ aſſumto: unde factum, ut leuca Francica, quæ hodieque obtinet, leucas Gallicas veteres duas magnitudine ſuperaret. Idem fere apud Germanos evenit. Raſtæ veteri ſimplici raſta duplex, borealibus Scandinaviæ populis uſitata, ſucceſſit; ita tamen, ut, neſcio quo fato, milliarii, à Romanis in Galliam introducti, nomen in Germaniam quoque

(s) Lib. XVI. Cap. XII.

(t) Annoto hac occaſione, ex computo triangulorum, quæ & generali & peculiaribus Tabulis Cl. CASSINIUS haud ita pridem edidit, apparere, omnes Geographicas mappas, Alſatiam exhibentes, in diſtantia, Baſiliam inter & Argentoratum, ſesqui leucæ Francicæ laborare defectu.

(u) SPONIUS quoque in *Miſcell. Eruditæ Antiquit.* Sect. V. pag. 186. alibique, ubi in Lapide LEG. nvenit, *Legionem*, vel ubi ſiglam L. ſolam. interpiretatus eſt Lapidem.

(x) In *Itinere de Pannoniis*, pag. 239. ſq.

(y) *Hiſt. des Grands Chemins*, Lib. III. Cap. XXXVII.

(z) *Rer. Geticar.* Cap. XXXVI.

(a) *De Menſuris*, inter RIGALTI & GOESII *Scriptores rei agrariæ*, pag. 320.

(b) Lib. XVI. Cap. XXIII.

(c) DANVILLE *Eclairciſſements Geographiques ſur l'ancienne Gaule*, pag. 160.

quoque tranſiret; menſura licet raſtæ borealis à Romano Gallicoque milliario fuerit plane diverſa; ita ut una raſta ſex milliaria continuerit Romana. Ab eo tempore ſeptentrionalium populorum raſta duplicata apud Germanos milliarii (*meil*) nomine venit. Sub Merovingis, imo & ſub primis Carolingorum Regibus, uſitatæ adhuc veteres Gallicæ leugæ, quarum duæ unam raſtam compoſuerant, teſte Charta Ludovici Pii, An. DCCCXIV. data, (*d*) ubi ſcribit: " Inter campum & ſylvam leugæ duæ, „ id eſt, raſta una. „ Francica ſive hodierna leuga, veteri Germanicæ raſtæ æqualis, adulto demum ævo Carolino invaluit. Quodſi eas non uno eodemque tempore, ſed paulatim & diverſis in locis citius ſeriusve invaluiſſe cenſeas, haudquaquam errabis. Omnis hæc de Leugis & Milliaribus priſcis doctrina, atque à novis diverſitas, ut fiat diſtinctior, menſuras earum propoſiturus ſum Tabulis.

§. CCXLI.

MENSURÆ ROMANORUM PORRECTÆ.

Menſuræ Romanorum.

PEs Romanus antiquus minor eſt hodierno pede Pariſino, ſiquidem ſecundum obſervationes Cl. Geographi DANVILLII (*e*) ad eundem proportionem habet, ut 1306: 1440. & ad pedem Græcum, ut 1306: 1360. quo pacto 600. pedes Græci efficiunt ped. Rom. $624\frac{118}{131}$. vel 625. Quilibet pes dividitur in 16. digitos, vel etiam 12. uncias ſeu pollices. Palmus duplex eſt, major & minor. Palmus major, qui Græcis *σπιθαμὴ* proprie dicitur, eſt ſpatium inter expaſſos ſummum pollicem & extremum minimum digitum comprehenſum, continet 9. pollices ſeu 12. digitos, vel dodrantem pedis efficit. Palmus minor, à Græcis *παλαιστὴ* vocatus, eſt tertia pars palmi majoris, habet ergo 3. pollices vel 4. digitos. Palmopes eſt menſura, conſtans ex pede & palmo minore, ſive 20. digitis. Cubitus idem eſt ac ſeſquipes ſeu 24. digiti, quandoque ulna vocatur, quæ circiter 24. digitos comprehendit. Paſſus Geometricus ſeu greſſus duplex habet 5. pedes porrectos. Stadium, à Cenſorino ſtadium Italicum dictum, quod ad menſuras Græcorum proprie pertinet, longitudine 600. ſui generis pedes habuit, vel 625. ped. Rom. Milliare, Milliarium, Mille paſſus, *μίλιον Ἰταλικόν*, apud Romanos idem denotant, fuit 8. ſtadiorum ſeu 5000. ped. Rom. Continet inde Milliare vetus Romanum $755\frac{1}{2}$. hexapodas, (*Toiſes*) quales Milliare Francicum (*Lieue de France*) 2500. & Milliare Italicum hodiernum, (*f*) quod quinta parte Milliari iſto Romano majus eſt, $944\frac{1}{4}$. habet. Leuga Gallica (*g*) tertia parte longior eſt, quam Milliare Romanum: comprehendit igitur 12. ſtadia, ſive 1500. paſſus, vel 1133. hexap. $1\frac{1}{2}$. ped. Ex comparatione harum menſurarum ſequentes tabulæ conſtructæ ſunt

Leugæ Gallicæ 1133.° $1\frac{1}{2}$.	*Milliaria Francica hodierna*, 2500.°	*Milliaria Rom.* $755\frac{1}{2}$.°	*Milliaria Francica hodierna*, 2500.°
1.	0. 45. vel $\frac{45}{100}$.	1.	0. 30.
2.	0. 90.	2.	0. 60.
3.	1. 36. vel $1\frac{36}{100}$.	3.	0. 90.
4.	1. 81.	4.	1. 21.
5.	2. 26.	5.	1. 51.
6.	2. 72.	6.	1. 81.
7.	3. 17.	7.	2. 11.
8.	3. 63.	8.	2. 41.
9.	4. 08.	9.	2. 72.
10.	4. 53.	10.	3. 02.
11.	4. 99.	11.	3. 32.
12.	5. 44.	12.	3. 62.
20.	9. 07.	20.	6. 04.
50.	22. 66.	50.	15. 10.
100.	45. 33.	100.	30. 20.

Quum

(*d*) LUNIG *Reichs-Archiv*, Part. Special. Contin. II. *Abtheil.* VI. pag. 569.

(*e*) *Eclairciſſement Geographiques ſur l'ancienne Gaule*, pag. 33. & 164.

(*f*) Illuſtris Marchio MAFFEJUS, id demonſtravit *Verona Illuſtrata* Lib. VI. pag. 132. & in *Selectis Galliæ Antiquitatibus* Epiſt. VII. pag. 36. ſq. Probat hoc, inter alia, ex Veronenſis Agri vico, qui in hunc uſque diem a quinto Lapide vel Milliario, nuncupatur *Quinto*; qui nonniſi quatuor milliaribus Italicis hodiernis diſtat Verona. In Florentina ditione locus *Vigeſimo* eſt, qui hodie nonniſi XVI. milliaribus Florentia diſtat. Quod hodiernis Italicis milliaribus evenit, id noſtris quoque Francicis leucis, quæ veteribus Gallicis ſunt pluſquam duplo majores.

(*g*) In uno latitudinis gradu L. Leugas Gallicas veteres obſervavit Regiæ Scientiarum Acad. Socius Dn. DE L'ISLE, ſed nonniſi XXV. Francicas hodiernas. Vid. *Memoires de l'Acad. des Inſcriptions* Tom. III. pag. 251. ſq.

MONUM.

Quum in Tabula priore 11. Leugis Gallicis reſpondent $4\frac{99}{100}$ vel 5. Mill. Francica, ſequitur unum Mill. Francicum hodiernum efficere $2\frac{1}{5}$. Leug. Gallic; 5. Mill. Francica 11. Leugas, & ſic porro. EISENSCHMIDIUS (*b*) aliam proportionem inter veterem pedem Romanum & hodiernum Pariſinum, quam DANVILLIUS exhibet; nimirum ut $1324\frac{1}{2}$: 1440. Hoc modo Milliare Romanum contineret 766 1/[illegible]. hexapodas, & Leuga Gallica $1149\frac{1}{2}$. Haſtenus de Leugaribus, Aquenſium Columnis & Leugis.

CAPUT XVIII.

MONUMENTA MISCELLA ALSATIÆ VICINA.

EPAMANDUODURI.

§. CCXLII.

Inſcriptio Epamanduodurenſis.

IN veteris Epamanduoduri ruinis, ubi Columna, quæ in Aulam meam Antiquariam translata, ſteterat, ſeculo XVI. jam ſe obtulit Tabula, cujus Fragmentum, initia modo verſuum continens, in illuſtri Fæſchiano Muſeo Baſiliæ inſpexi; altera pars ſervari dicitur Veſontione. Integram decurtati hujus Marmoris Tabulam FRIDERICUS WURTENBERGICUS DUX, inter alia antiquitatis cimelia, Montisbelicardi poſſederat; quod HENRICUS SCHICKHARTUS, Principis hujus Architectus & Itineris Italici, An. MDXCIX. ſuſcepti, comes, in Itinerario, Montis Biliardæ An. MDCII. Germanice edito, indicavit. Exſcripta ibi reperitur tota Epigraphe, ut & apud GRUTERUM, (*i*) qui ex ANTONIO LE POIS, erudito Lotharingo, eam tranſcripſit. GRUTERIANUM exemplum, in paucis à Schickhartiano recedens, exprimimus:

FLAVIVS CATVLLVS
TESTAMENTO. AD. MARMORAN
DVM. BALINEVM. LEGAVIT. R. P
X. LXXV. QVOD. DI. . . ALLVS. HERES. P. C
. . . . IBVTIS. LEGAT. SS
IMATIONEM

Quo fato contigerit, ut ab eo tempore Tabula in duas partes diffringeretur, minorque Baſiliam (*k*) transferretur, nobis plane ignotum eſt. Ex Tabulæ hujus relatu, *Flavius Catullus teſtamento ad marmorandum balineum legavit Reipublicæ* (Epamanduodurenſi) *Denariorum ſeptuaginta quinque, quod Diis Catullus heres poni curavit*, (aut ſi mavis *pecunia conſtituta*) . . . . *diſtributis legatis ſecundum æſtimationem* &c. In quarto verſu pro ALLVS legendum forte VLLVS; Heres enim videtur fuiſſe agnatus quidam ejusdem familiæ. Alia Monumenta Catullos nobis in *Julia* & *Valeria* gente produnt; ex qua poſteriore quoque natus Pöeta Veronenſis Catullus. Noſter vero ex *Flavia* fuit oriundus.

§. CCXLIII.

Explicatio Inſcriptionis.

Catullus pecuniam legavit *ad marmorandum Balineum*, ſcilicet oppidi Epamanduodurenſis. Apud Græcos atque Romanos duo erant marmorationis genera. Vel enim ſimpliciter tectorio, albariove opere (*l*) gratiæ decorisque cauſa illiniebant, & perpoliebant parietes, vel eos incruſtabant teſſellis, calculisve marmoreis. (*m*) Natum hinc marmoratum ſimplex ex marmore tuſo & calce, atque alterum illud opus teſſellatum, lapillis & cruſtis diverſi plerumque coloris, in triangularem, quadratam, aliamve

(*b*) *De Pond. & Menſ.* Cap. I. Sect. III. p. m. 102. & ſq.

(*i*) *Inſcript.* pag. 181. num. 4. ubi nomen, ANTONII LE BOIS, ſcribendum *le Pois*, Latine vocant *Piſonem*. Hic floruit circa An. MDLXXIX. Ducis Lotharingiæ Archiater, in re Numismatica celebris, de qua libellum Gallica lingua rariſſimum edidit.

(*k*) In Fæſchiani Muſei Fragmento hæc modo verba ſuperſunt:

FLA
TESTAM
DVM. BAL.
QVOD.

(*l*) Opus albarium apud GRUTERUM pag. 172. num. 2. Huc pertinent ſepulcra illa dealbata *Matthæi* Cap. XXIII. vers. 27.

(*m*) VITRUVIUS Lib. VII. Cap. III. PLINIUS Lib. XXXVI. Cap. XXIII.



aliamve figuram formatis, variegatum. Teſſellatum à muſivo magnitudine emblematum vel teſſellarum artificioque ſtructuræ differebat, unde *Muſivum* atque *Lithoſtrotum*, (*n*) dicebatur; quod ex parvulis marmoreis lapideisve cruſtis compoſitum fuit. Sub Sylla Dictatore muſivum opus apud Romanos demum cœptaviſſe, Plinius tradit. Lithoſtrotum illud celebre Præneſtino (*o*) Fortunæ Primigeniæ Delubro Sylla juſſit inferri, quod ludos & ceremonias Ægyptiorum repræſentat; cujus reliquias non ſine admiratione inſpexi. Exornabantur illis muri, parietes, fornices, apſides, cameræ, tholi, trulli, teſtudines templorum, porticuum, palatiorum, cubiculorum &c. Severus Alexander novum genus marmorandi invenit, teſte Ælio Lampridio, (*p*) qui ait: " Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus, hoc eſt, Porphy- „ retico & Lacedæmonio, (ſive rubro & viridi) primus inſtituit; palatio exornato „ hoc genere marmorandi. „ Inſcriptio noſtra ſimpliciorem illum & obvium, balineisque aptiorem, marmorandi modum indicare videtur. Sic apud Gruterum (*q*) *Sex. Duſſius Rufinus æduculam marmoravit.*

§. CCXLIV.

Catullus noſter legavit R. P. hoc eſt, *rei publicæ* vel *rei perficiendæ*, Denarios LXXV. Schickhartianum apographum ſiglas invertit, habetque P. R. quod *Ponderis Romani* Denarios vel Denaria LXXV. ſignificare poteſt. Denarii nota X. in Conſularibus Nummis tam obvia, ſuum quoque heic invenit locum. Septuaginta quinque denariorum ſumma exigua eſt. Denarius quatuor ſeſtertios nummos continet. Denarii LXXV. ergo CCC. ſeſtertios componunt. Mille autem ſeſtertii nonniſi unum ſeſtertium pondus, hoc eſt, duas & dimidiam libras Romanas, (*r*) ſeu XXV. ſcutatos (*s*) Romanos hodiernos Philippicosve, quos vocant *Thaleros*, conficiunt; adeoque CCC. ſeſtertii æquiparantur ſeptem ſcutatis cum dimidio; quæ ſumma ad Balineum marmorandum tenuis nimis poſſet videri. Alteram è contrario ſi admittas, per denaria computandi rationem, ſumma peccat exceſſu. Eodem enim modo, quo nummus denarius argenteus in ære decem aſſes valebat, pondus denarium (*t*) in argento ſignato valebat X. libras argenti, & ex conſequenti, mille denarios nummos. Catullus itaque ſi denaria LXXV. legavit, ſeptuagies quinquies mille denarii ordinarii, apud Romanos uſitati, inde exſurgunt; ſingulisque denariis in IV. ſeſtertios diviſis, oriuntur trecenties mille ſeſtertii, ſive trecenta ſeſtertia pondera, quæ 5700. Philippicos ſcutatos conficiunt. Inducit me hujus ſummæ exceſſus, ut notam X Inſcriptionis noſtræ non de denariis pondo, ſed de nummis denariis, qui drachmis Græcorum (*u*) fere æquales, intelligendam exiſtimem. Schickhartus tamen, calculos ſecutus Agricolæ, ad decem mille, ſeptingentos & quatuordecim thaleros, donum hoc Catulli aſſurgere exiſtimat.

Denarii LXXV.

(*n*) Plinius Lib. cit. Cap. XXV.

(*o*) Latii veteris oppidum, declivitati montis inædificatum, hodie *Paleſtrina*; de quo lithoſtroto Plinius loco cit.

(*p*) *Vita* ejus Cap. XXV.

(*q*) *Inſcript.* pag. 129. num. 1.

(*r*) Centum ergo denarii in unam Libram Romanam computati ſunt, quæ Libra nonniſi XII. unciarum, ſeu XXIV. ſemi-unciarum eſt.

(*s*) Scutatus Romanus (*Scudo*) 10. Julios ſive Paulos (*Paoli*) conficit; noſtro fere Francico ſcutato ſex librarum æqualis; unde legati Catulliani ſummæ valoris hodierni, apud Gallos recepti, deducitur. Sequitur quoque hinc, decem denarios veteres Romanos ſcutato noſtro Francico majori eſſe æquiparandos.

(*t*) In Leg. LXXXVIII. §. X. ff. *de Legatis* II. dicitur: " Sciat debere me Demetrio Patruo meo de- „ naria tria, & depoſita apud me à Seleuco patruo „ meo denaria tria, „ pro tribus millibus denarium. In veteri Lapide: *Denaria quinque.* Credunt tamen nonnulli denaria numiſmata, non pondera intelligi debere, freti auctoritate Plauti in *Rudente* Act. V. Sc. II. vers. 27. dicentis: *Præterea centum denaria Philippea in puſcrolo ſeorſus.* Budæus *de Aſſe* fol. XXX. & LXXVII. Edit. Paris. Gronovius *de Seſtertiis* Lib. I. Cap. IV. pag. 20.

(*u*) Did. Covarruvias in *veterum numiſmatum collat.* pag. 585. apud Remesum Budelium in *Collect. Scriptorum de Monetis & Re nummaria.* Libram Rom. in uncias duodecim, unciam in octo drachmas, drachmam in tria ſcrupula, vel, ut alii, ſcriptula, Græcis grammata, ſcrupulum vero in binos obolos dividi, tironibus notum. Conſulendus Anton. Augustinus *Emendat.* Lib. II. Cap. IX. Leonardus Portius *de Monetis.* Ex Antiquis autem Rhemnius Fannius, Grammaticus & Poeta, ſub Conſtantino M. florens, cui tribuitur Liber, Carmine hexametro ſtructus, *de Ponderibus & Menſuris*, ab aliis Priſciano tributus.

Digitized by Google

MONUM.

PETRA PERTUSA RAURACO-JURENSIS.

§. CCXLV.

Via Petræ Pertuſæ.

IN ſalebroſa illa via, quam Romani ex Helvetiis per montes, valles & rupes duxerunt ad Rauracos, (w) in medio fere montis Juraſſi, Biennam inter atque Brundrutum, (x) in Epiſcopi Rauracenſis ditione, rupes eſt, quam vocant *Petram Pertuſam*, (y) quæ Erguellenſem & Orvallenſem, vel Tavannenſem, valles ſeparat. Nomen inditum loco, quod rupes illa naturæ beneficio excavata ex parte, partim vero arte pertuſa & perforata eſt, ut hominibus, jumentis, vehiculisque aperiretur atque pervia fieret. Juraſſus, ab urbe Geneva ad Alſatiam noſtram excurrens, veteres & hodiernos Helvetios ſeparavit à Sequanis: ubi vero à recto ſuo curſu ad Rhenum & orientem deflectit, Helvetios diſtinxit à Rauracis. Pars hæc Juræ deflectentis ad Rhenum, Romanorum temporibus jam aliquot in locis permeabilis fuit; (z) ſed inter fauces illas nulla majore cum labore ſtudioque via fuit exciſa, quam noſtra hæc, quæ Aventicenſem & Verbigeoum pagos, atque adeo ipſam Helvetiorum Coloniam cum Rauracis, & per eos cum Sequanis Rhenenſibus, junxit. (a) Enimvero Suſa, (*Sieze*) vallem Orvallenſem perluens rivus, viæ ſternendæ incidendæque Romanis dux fuiſſe videtur; qui Ariadnæum hoc veluti filum per quatuor leucarum tractum ſecuti, magno labore viam quum muniviſſent, ad rupem denique noſtram pervenerunt, partemque ejus, quæ reſpicit auſtrum, à natura jam in cryptam vel ſpecum quum reperiſſent formatam, ars naturæ acceſſit, & quidem ars Romana, cui nihil difficile. Octo enim circiter pedes cavitatis rupi dedit natura; pars reliqua rupis, ſeptentrioni oppoſita, à Romanis perfoſſa eſt, atque ita tranſitus ad oppoſitam vallem, quæ *Grandis-vallis* (b) appellatur, apertus. Perſpicimus hinc, maximam totius operis difficultatem non in perforanda hac rupe, ſed in omni illa via per montes, anfractus & rupes, ducenda conſtitiſſe; unde in Inſcriptione non ſpeciatim rupis pertuſæ, ſed viæ totius ductæ, mentio facta eſt. Habet autem hæc porta ab eo latere, quod boream aſpicit, qua parte Brundruto venientes eam adeunt, XXX. pedes in altum; (c) XXIV. in latum, (d) nec plures quam XII. pedes in longum, (e) quæ longitudo totius rupis, partim natura, partim arte excavatæ, profunditatem omnem exhaurit. Ampliſſimo MESTREZATIO notitiam hanc me debere publice heic gratus profiteor: qui magno literarum Mæcenati, Celſiſſimo Baſilienſium Epiſcopo, ab Interioribus Conſiliis, ſua interrupit negotia, ut Muſis noſtris prodeſſet.

§. CCXLVI.

Inſcriptio.

Viæ tam ardui operis, per Juraſſum munitæ, auctor promotorque ne poſteros lateret, rupi ipſi titulum inſculpſerunt Romani, quem portam intraturi viatores legerent. Titulum à CC. & quod excurrit, annis multi Eruditorum diverſis exemplis ediderunt in lucem. Primos inter editores ejus collocandi ſunt SEBASTIANUS MUNSTERUS

(w) Via hæc Helvetico-Rautica incidit denique in Veſontinam illam, quæ ex interioribus Sequanis per Epamanduodurum ad exteriores Sundgoviæ & Alſatiæ ſuperioris partes, atque per Largam ducebat ad Rhenum.

(x) Septem leucis Francicis diſtat Petra Pertuſa ab urbe, Epiſcopi Baſil. ſede, quæ *Pons Ragnetrudis*, hodie *Bruntrutum*, appellatur; quatuor leucis à Bienna, Germ. *Biel*; XII. autem leucis ab Aventico veteri.

(y) Ab accolis, Latino-barbare loquentibus, nuncupata *Pierre pertuis*, Petra pertuſa, imo & a quibusdam *Pierre-port*, Porta petræa, quæ prope vicum *Tavanne*. Alexander III. Pontifex, in Bulla de An. MCLXXIX. pro Abbatia Grandis-Vallenſi, jam vocat *Petram Pertuſam*. Portam aliquam Sequanico-Veſontinam, à Romanis quoque ſciſſam, memoriæ prodidit JAC. CHIFFLETIUS in *Veſontione* Part. I. Cap. XXXII. In Vogeſo noſtro hujus nominis locus eſt, prope Buſſanum. Imo & in Comitatu Salmenſi inter Bodonis-villam & Radonem, oppidulum ad Planiam, Caſtrum eſt, ad Salmenſes pertinens olim, *Pierre-percée*. De oppido Hiſp. *Pertuſa* in ANTONINI *Itinerario*, SURITA *in Notis*; ut & de alio ſimilis nominis loco *Pierre Pertus* in Occitania, vide Geographos.

(z) Prope Vocetium montem, atque Rupem ſciſſam Inferiorem. Vid. ſupra pag. 172. §. LXXXIX. ſq.

(a) Iisdem in partibus Baſilienſis & Lauſannenſis Epiſcopatuum collimitium eſt.

(b) *Grand-Val*, *Grand-Vau*, in quo Monaſterium celebre, medio ævo exſtructum, quod à valle nomen accepit; Germanis dictum *Granfelt*.

(c) DUNODIUS Jeſuita XL. pedes altitudinis Inſcriptioni, adeoque cryptæ, cui ſuperimpoſita eſt, aſſignat, eumque ſequuntur *Sequanicæ Hiſtoriæ* Auctor Cel. DUNOD, & in *Commentariis Helveticis* LUDOV. DE BOCHAT. Et tamen nonniſi XXX. pedes à ſuperficie terræ Titulus hic diſtat.

(d) Latitudinem portæ nullus indicavit.

(e) WAGNERUS in *Mercurio Helvetico* pag. 123. magnopere aberrat à vero, quando XLVI. pedes profunditatis rupi, adeoque totidem pedes longitudinis cryptæ, tribuit. Eum tamen Viri Eruditi paſſim ſecuti ſunt: MARTINIERE in *Dictionario Geograph.* voce: *Pierre-pertuis*: Ampliſſimus Vir LUDOVICUS DE BOCHAT in Libro erudito: *Memoires ſur l'Hiſtoire ancienne de la Suiſſe*, Tom. I. pag. 512. ſq. Hic in longitudinis computo Wagnerum, in altitudine Dunodium, ſecutus eſt.

MUNSTERUS (*f*) Baſil. olim Profeſſor, & PAULUS MERULA, (*g*) inſignis Geographus, Vir inter Doctiſſimos ſui ſeculi reputandus. Hic Belga, locum contemplatus in itinere ſuo, Inſcriptionem ſatis claram ſe deprehendiſſe teſtatur, niſi quod primæ vocis literæ præ reliquis ei viderentur exeſæ. Munſterianum hic lapidis exemplum calculo ſuo in pleriſque, & in metro præſertim, approbat: uterque autem à veritate, imo à veriſimilitudine alieniſſimus eſt. Merula, qui anno MDCVII. obiit, hunc ſenſum Inſcriptioni dat:

N : : : : anguſti via ducta per ardua montis
Fecit iter petram ſcindens in margine fontis. (*h*)

Birſæ fluminis *fontes* metrorum horum concinnator ut & Munſterus in oculis habuerunt, quod ex alia vicina rupe erumpit; (*i*) ſed reprobandus uterque, quod & facit GUILLIMANNUS. (*k*) CHRISTIANUS URSTISIUS, paulo poſt Munſterum Baſiliæ (*l*) qui ſcripſit, Epigraphen noſtram accuratius, ſed ex aliorum quoque relatu, hunc in modum expreſſit:

NVMINI AVGV
STORVM
VIA FACTA PER
C.·.·VR·.·.VM PATER·.·.V̄
ĪĪ VIR. COL. HEL.VET.

Idem tamen URSTISIUS alibi (*m*) ex Petro Pithoeo eam ita profert:

NVMINI AVGVST.
VIA FACTA PER
Q.·.·. VR.·.·.VM PATER.·.·VM
II. VIR. COL. HELVET.

§. CCXLVII.

FRANCISCUS GUILLIMANNUS, (*n*) quem ſequitur PLANTINUS in *Helvetia Antiqua & Nova*, (*o*) hæc habet:

NVMINI. AVGVS
TORVM.
VIA. FACTA. PER.
.... V·.R.·.·IVM PATERNVM
ĪĪVIRVM. COL. HELVET.

DUNODUS (*p*) denique è Sodalitio Jeſu An. MDCCXVI. talem extitiſſe, aliorum arbitrio, ſcribit:

NVMINI AVGvS
::VM
VIA VCTA PER M
DV·.·VM PATERN
ĪĪVII COL HELVET

(*f*) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. CIV. Vid. ſupra pag. 4.

(*g*) *Coſmographia generalis* Part. II. Lib. III. Cap. IV. pag. 298.

(*h*) Alios tamen pro *Numinis Auguſti* ſcribere video: *numis anguſti*, & pro *feliciter*, *fecit iter*. Item pro *Petram ſcindens*, *ſcindens petram*.

(*i*) Vide ſupra pag. 4.

(*k*) *Rer. Helvet.* Lib. I. pag. 38.

(*l*) *Epitom. Hiſtoria Baſilienſis* pag. 6. Lectionem hanc GRUTERUS *Inſcript.* Tom. I. pag. 251. num. 3. ſecutus eſt.

(*m*) *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. II. pag. 5. quod Chronicon poſt Epitomen ſcriptum eſt. Lectioni huic inhæret WAGNERUS in *Mercurio Helvet.* pag. 123. niſi quod in verſu tertio ſiglam Q. omittat.

(*n*) *De Reb. Helvet.* Lib. I. pag. 38.

(*o*) Pag. 30.

(*p*) *Lettres à M. l'Abbé de B. . .* pag. 48.

MONUM.

Veſtigia ejus ſequitur Clar. Dunodus, Profeſſor Veſontinus, in *Hiſtoria Sequanica*, (q) ubi ſenſum Inſcriptionis ita exponit : *Numini Auguſtorum via ducta per montem Durvum Paternus Duumvir Coloniæ Helvetiorum.* Explanationem hanc calculo ſuo approbat Ampliſſ. Ludovicus de Bochat. (r) Ex Sebastiani Fæschii , Baſilienſis Academiæ olim Anteceſſoris Juris, dein Reipublicæ Scribæ, ſchedis addiſco, cum An. MDCLXVII. ſcalis admotis Inſcriptionem hac exſcripſiſſe ratione:

NVMINI. AVGVS
T ::.:: VM
VIA . . . CTA. PER M.
DVR:.:: IVM. PATERNVM
IIVIR::: COL. HELVET.

Fæſchianum hoc inter omnia Inſcriptionis exempla optimum veriſimillimumque cenſeo, quod Vir, literas humaniores egregie doctus, prototypum diligenter & accurate inſpexit, & cum exemplo, nuper demum ab Ampliſſ. Mestrezatio, re probe ipſo in loco examinata, ad me miſſo, concordat. Iſtud ergo heic oculis Lectorum ſubjicimus:



§. CCXLVIII.

Explicatio Inſcriptionis.

Senſus hic prodit : *Numini Auguſti ſacrum Via facta per M. Durmium Paternum Duumvirum Coloniæ Helvetiorum.* Epigraphicus Romanorum ſtylus quidem permitteret, ut primis verſibus *Numini Auguſtorum*, & *Numini Auguſti ſacrum* legeremus, quod plurima formulæ utriusque proſtant exempla. (s) *Numinibus Aug.* inſcriptus eſt quoque Lapis Aventici veteris, quem Stumpfius (t) profert. Noſtra vero Epigraphe ſingulare exprimit *Numen.* Ex inſequentibus porro literis unam vocem *Auguſtorum*, an duas *Auguſti ſacrum*, exſculpere liceat, characterum intervalla indicium faciunt. Intervalla hæc inducunt nos, ut *Numini Auguſti ſacrum* alteri lectioni præferamus. Similis apud Bigerrones: (u)

NVMINI.

(q) *Hiſtoire des Sequanois* Tom. I. pag. 194. ſq.

(r) *Memoires ſur l'Hiſtoire de l'Ancienne Suiſſe* Tom. I. pag. 512. ſq.

(s) Vid. Gruteri *Inſcript.* pag. 4. num. 13. & pag. 112. num. 1. 2. 3. ſqq.

(t) *Chron. Helvet.* pag. 587. *b.*

(u) Merula in *Coſmograph.* Part. II. Lib. III. Cap. XXXVIII. pag. 449. & Gruterus ex Scaligero loco cit.

MONUM.

NVMINI· AVGVSTI
SACRVM
SECVNDVS. SEMBEDO
NIS. FIL. NOMINE
VICANORVM. AQVEN
SIVM. ET. SVO. POSVIT

Sub Imperatoribus Romanis mos ille invaluit, ut & in publicis, & in privatorum quoque monumentis ſubinde mentio fieret ejus, qui præſideret Imperio, imo & familiæ ejus. Natæ hinc formulæ frequentes, *Numini* vel *Numinibus Aug. Genio Auguſti* vel *Auguſtorum*, item: *In honorem Domus Divinæ*, vel etiam: Salvis DD. NN. *Salvis Dominis noſtris.* Numina nimirum, quæ Imperatoris vel Imperatorum, ſi plures erant, aut totius Auguſteæ familiæ (quæ Divina Domus) ſaluti invigilare credebantur, qualiacunque fuerint, in fronte monumentorum invocabantur.

§. CCXLIX.

Ductor viæ hujus Jurenſis ex Urſtiſiana conjectura eſt Q. Urſus Paterius; ſed M. *Durmius Paternus* verior eſſe lectio videtur, ad quam reſidui nos characteres inducunt. Durmia gens veteribus monumentis ignota haud eſt. Monetalis Triumvir ſub Auguſto fuit M. Durmius, ut ex aureis argenteisque denariis *Durmiæ* gentis cognoſcimus. (x) Paternorum autem Familiæ nomen non uni genti ſuperadditum fuit. Aſpaſia ſane gens, Ovinia, Tarutia imo & Veratia, (y) ſuos quoque Paternos, monumentis & literis proditos, habuerunt, ſed extra Helvetiam. M.Durmius Paternus.

In ipſa vero Helvetia præter Durmium Paternum noſtrum, duos alios, *Statilium* nempe *Gracciumque Paternos*, diverſis in Monumentis, reperio. Priorem Salodurenſe Monumentum indicat, Eccleſiæ D. Catharinæ, extra muros poſitæ, muro exteriori inhærens, quem vidi:

D. M.
..ATILI. APRONI. MA
EVGENIAE. MARCELLI
NAE. STATILI. PATERN.

Poſteriorem, qui Curator Coloniæ Helvetiorum fuit, profert Lapis, apud Stumpfium, (z) Guillimannum, (a) Plantinum: (b)

GENIO
PAGI. TIGOR.
P. GRACCIVS.
PATERNVS
(c) CVR. COL. ET
SCRIBONIA
LVCANA
V. F.

Noſter M. Durmius Paternus *Duumvir fuit Coloniæ Helvetiorum*, Romanus, aut Italus certe, origine, qui Coloniæ deducendæ vel interfuit, vel ab uno ex primis illis Colonis deſcendit. Duumviros in coloniis eum locum tenuiſſe, quem Conſules Romæ, res omnibus nota eſt. Decuriones Senatum coloniæ, ad Romæ, matris ſuæ, formam conſtitutæ, repræſentabant.

 §. CCL.

(x) Patinus in *Nummis Familiarum* pag. 102. Vaillant *Nummi Famil.* Tom. I. pag. 401.

(y) Si modo Reinesii conjectura *Inſcript.* Claſſ. I. num. 16. pag. 37. ſq. recte ſe habet, ubi Pfortzheimenſem Epigraphen *Jovi Opt. Max. Dolygeno* poſitam, ſed mutilam, *L. Veratio Paterno* adſcribit. Add. Jo. Henr. Majus in *Annot. ad Vitam Reuchlini* pag. 103.

(z) Lib. VIII. pag. 588. *b*

(a) *Rer. Helvet.* Lib. I. pag. 39.

(b) *Helvetia Antiq. & Nova* pag. 266. Wilde *Apologie pour la Ville d'Avanche* 224.

(c) *Curatores Coloniæ* Helvetiorum in alia Aventicenſi Inſcriptione occurrunt. Wilde Lib. cit. pag. 226.

§. CCL.

Colonia Helvetiorum.

Colonia Helvetiorum, cujus Duumvir Paternus, Aventicum urbem deſignat, quæ à TACITO (*d*) *Gentis* Helvetiorum *Caput* appellatur. PTOLEMÆUS Ἀυάντικον, *Aventicum*, male vocat. ANTONINI *Itinerarium* inter Minodunum & Petineſcam collocat. Oppidum hoc, Pagi ſui apud Helvetios caput, colonia dein evaſit Romana. GOLTZIUS (*e*) Domitiani nummum venditat, cujus poſtica: *Col. Julia Avanticorum*; ſed nummus à rerum peritis habetur pro ficto: in nullo ſane publico aut privato Numophylacio reperitur genuinus. Nummi hujus auctoritate Coloniam ſub Julio Dictatore, vel ſub filio ejus adoptivo & ſucceſſore Auguſto, ad urbem Aventicum deductam fuiſſe crederes. HADRIANUS VALESIUS (*f*) tamen, qui nummi authentiam admiſit, ad Juliam Titi Auguſti filiam Coloniæ hujus nomen pertinere arbitratur. Fundamento autem tam debili quum nitatur Coloniæ hujus cognomen *Juliæ*, ad certiora progredimur.

Flavia vocata.

A duobus enim marmoribus, in Aventico veteri repertis, *Flaviæ* nomen tribuitur Aventicenſi Coloniæ; in utraque appellatur *Colonia Pia Flavia Conſtans Emerita Helvetiorum*; in una additur *Fœderata*. Imperatores, ex Flavia gente prognatos, Aventico faviſſe nemo mirabitur. Veſpaſiani Imp. Pater Sabinus apud Helvetios diu agitaverat, & apud eos diem obiit ſupremum. (*g*) LEXOVIENSIS FRECULPHUS, (*h*) ſeculi noni Scriptor, in rebus Imperatoris Titi, hæc annotat: „Civitatem Aventicum, quam „ pater Veſpaſianus ædificare cœperat, conſummavit &glorioſe ornavit:„ quod non de prima urbis origine, ſed de amplificatione ejus per Coloniam intelligendum. Unde ſua hæc hauſerit, Freculphus non indicat, at omnes rerum circumſtantias probe ſi jungas perpendasque, plura Veſpaſianorum nominis monumenta in illo tractu perſtare, (*i*) Coloniam hanc ſub Flaviis Imperatoribus ſeculi I. fuiſſe deductam, haud difficulter fateberis. Quodſi enim nonniſi ſub Flaviis Conſtantinis ſeculi IV. *Flaviæ* nomen Aventicenſi Coloniæ acceſſiſſe exiſtimares, idem Marmor tibi reperires contrarium, quod Trajani Imp. Legato, Coloniæ *Flaviæ Patrono* poſitum, Trajani ætate elogium Flaviæ Aventicenſi civitati jam inhæſiſſe demonſtrat. Aventicum hoc vero (ubi hodie oppidulum *Wiflisburg*) Pagi Aventicenſis & totius Helvetiæ tum caput, unam eandemque cum Helvetiorum Colonia, in monumento Portæ petrææ memorata, urbem fuiſſe, Eruditorum vix ullus dubitavit. (*k*)

Colonia Equeſtris.

Fuit quidem & alia in Agro Helvetiorum extremo auſtrali Colonia, quæ vocabatur *Equeſtris*, commemorata jam PLINIO, (*l*) quæ antequam Colonia fieret, Celtico nomine *Nojodunum* vel *Nevidunum* vocabatur. Urbem hanc à Ptolemæo Sequanis aſſignatam non mirum, qui Aventicum ipſum attribuit Sequanis. Inter Allobroges enim, ſpeciatim Genevam inter urbem, Lacum Lemannum & Juram montem ſita, ad quam aliam gentem, quam ad Helvetios, Colonia Equeſtris poteſt referri? Licet autem & hæc fuerit Helvetiorum Colonia, adeoque Duumviros ſuos quoque habuerit, Paternum tamen, in Inſcriptione noſtra memoratum, non ad Equeſtrem, ſed ad Aventicenſem pertinere Coloniam, ex omnibus circumſtantiis rerum perſpicitur. Hæc enim princeps & caput gentis ſenſu eminenti appellata eſt *Helvetiorum Colonia*. Colonia Equeſtris forte ſtratæ hujus viæ Jurenſis & Inſcriptionis poſitæ tempore nondum extiterat.

§. CCLI.

Viæ utilitas.

Ceterum non publica modo utilitas, ſed & politica Romanorum ratio poſtulaverat, ut Imperii firmandi cauſa via hæc militaris muniretur: qua liber exercitibus, hac illac tranſituris, aditus pateret; pluribusque in locis ſimul pervia eſſet illa pars Juraſſi, quæ ab occaſu verſus Rhenum deflectit. Extrema enim illa parte Juræ montis, quæ Rhenum

---

(*d*) *Hiſtor.* Lib. I. Cap. LXVIII.
(*e*) *Theſauri* ſui pag. 239.
(*f*) *Notitia Galliar.* pag. 55.
(*g*) SUETONIUS in *Veſpaſiano* Cap. I. "Sabinus „ fœnus apud Helvetios exercuit, ibique diem „ obiit.
(*h*) Tom. II. Lib. II. Cap. III. pag. 444. Edit. Commelin. HADRIANUS VALESIUS in voce: *Aventicum*, Freculphi hunc locum, memoriæ lapſu, aut præcipitantia calami, Fredegario adſcribit, penes quem nihil hujus rei occurrit.
(*i*) PLANTINUS ea collegit *Helvet. Antiq.* pag. 261.
(*k*) DUNODII, Jeſuitæ, conjecturas contrarias WILDIUS in *Apologia pro Aventico*, Gallice ſcripta, ſatis confutat. Vide ſupra pag. 42. Error Ptolemæi, Aventicum apud Sequanos quærentis, invitavit eum, ut Aventicum in oppido *Antre*, Comitatus Burgundiæ, reperiſſe ſe crederet.
(*l*) *Hiſt. Nat.* Lib. IV. Cap. XVII.

Rhenum attingit, & appellatur Vocetius Mons, via quum jam eſſet parata, nova hac per Portam petræam accedente jam via, cui tertia, inter utrasque media, per aliam Rupem ſciſſam (*Hauenſtein*) quæ duxit, ſuperaddita eſt, triplici vinculo Helvetia, Allobroges, Italia, Galliaque Narbonenſis cum Germania Cis-Rhenana, per Rauracos Sequanosque Rhenenſes, jungebantur. Cuinam vero ex civitatibus Helveticis viæ hujus Aventico-Rauricenſis conficiendæ curam Romani tutius commiſiſſent, quam principi Helvetiorum urbi, quæ Romana Colonia, opibus & commerciis potens; quæ illi parti Juræ vicinior, cujusqne uſibus præſertim inſerviret hæc via, publicis Imperii ſumptibus haud dubie facta, dirigente Paterno. Aventicenſium certe curam circa vias ſternendas prodit lapis ille Interrupenſis prope Serratum, (*m*) An. MDCXL. erutus, qui docet, Aventicum urbem milliarium quadrageſimum primum ſub Hadriano Imp. ibi poſuiſſe. (*n*)

Dunodi error.

Dunodianam Epigraphes hujus expoſitionem qui ſequuntur, illi *Paterni* noſtri nomen gentile & prænomen omiſſa arbitrati, ſiglam M. *montem* interpretantur, quem Romanorum ævo *Durvum* jam vocitatum fuiſſe, ſibi perſuadent. (*o*) Sed falſo hæc niti fundamento, certior locorum illorum notitia docet. Scilicet nec montium vicinorum ullus, nec ipſa noſtra rupes, duos montes conjungens, nomen hoc unquam tulerunt; ſed vallis vicina, per tres leucas extenſa, vulgari lingua *Val Dorval* aut *Durvau* appellatur; quæ voces Romano-barbaræ ex Latinis *dura vallis* haud dubie in Romanenſi illius oræ lingua prognatæ ſunt; unde *Val Dorval* pleonasmus eſt. Epitheton hoc autem valli iſti merito competere, viatores communi conſenſu omnes fatentur. *Mons Durvus* ergo Romanorum ævo & noſtro ignotus eſt; illique tanto libentius *Marcum Durmium* Lectores ſubſtituent, quod ſigla M. in priſcis monumentis nullibi *montem* deſignat.

Paterniacum oppidum.

M. Durmius Paternus noſter, viæ tam duræ tam ſalebroſæ inſtaurator, an non Helvetici quoque oppidi, quod *Paternacum* (*p*) appellatur, conditor eſſe potuiſſet? A Paterno quodam inditum eſt loco nomen. Noſter autem, an ille, qui Curator Coloniæ, an alius quidam fuerit, nobis ſane non liquet; nec aliquid hac in re auſus eſt definire Guillimannus. (*q*)

§. CCLII.

Epocha Inſcriptionis.

Quodſi denique in poſitæ Inſcriptionis tempus inquiras, variæ iterum variorum heic opiniones ſe produnt. Vulgus hominum Julio Dictatori, quidquid hinc inde in Gallia operum Romanorum occurrit, adſcribere conſuetum, eundem Petræ noſtræ Pertuſæ quoque facit auctorem. Sebastianus Fæschius pro Cæſare Auguſto ſtat, hoc argumento innixus, quod *M. Durmius* ſub Auguſto Triumvir Monetalis, uti dictum, occurrit; quem huc trahendum eſſe eo magis exiſtimare potuerat, quod Monumentum *Nionini Auguſti ſacrum*, dedicatumve reperimus. Sententiæ vero huic primus Inſcriptionis noſtræ verſus uti favere videtur, ita poſtremus repugnat, quod Imperatoris Auguſti ævo Aventicum urbs nondum Colonia fuerat. *Flaviæ* cognomen indicat, Coloniam nonniſi ſub Flaviis Veſpaſianis fuiſſe deductam. Aurelius Victor (*r*) de Veſpaſiano memorat: „Per omnes terras, qua jus Romanum eſt, renovatæ urbes „ cultu egregio, viæque operibus maximis munitæ & cavati montes per Flaminiam „ pro transgreſſu.„ Suetonius (*s*) de eodem: „Plurimas per totum orbem civitates, „ terræ

(*m*) *La Sarra*, oppidum Bernenſis territorii, in cujus vicinia *Entreroche*.

(*n*) Inſcriptio hæc eſt:

I M P.
C A E S. T R A I A N O
H A D R I A N O
A V G. P. M. T R I B.
P O T. C O S. I I I. P. P.
A V E N T I C V M
M. P. X X X X I.

Vid. Guichenon *Hiſt. de Savoye* Tom. I. pag. 41. Reinesius *Inſcript.* pag. 252. Dunodus Jeſuita in libro: *Decouverte de la Ville d'Antre*, refragantibus cæteris omnibus Eruditis, legit ibi pro *Aventicum*: ADV. N H. II. C. M. Sponius *Hiſt. de Geneve* Tom. II. pag. 339. Wagnerus in *Mercurio Helvet.* pag. 96. Plantinus in *Helvetia* pag. 253. *Etat & Delices de la Suiſſe* Tom. II. pag. 307. Hi omnes verſu ſecundo legunt: CAES. TIT. AELIO. ſed male. Lapis habet CAES. TRAIANO. Vid. *Hiſt. Critique de la Republ. des Lettres* Tom. VII. pag. 74. ſq. & *Notas Anonymi* ad poſteriorem editionem Sponii. *Hiſt. Genev.*

(*o*) Dunod loco cit. pag. 49. ait: *C'eſt le nom de la montagne, ou eſt le rocher, ſur lequel eſt l'Inſcription, qui s'appelle encore aujourd'huy la montagne Durvau.*

(*p*) *Payerne* in Pago Vaudi; quod Germani *Peterlingen* vocant.

(*q*) Guillimann. *Rer. Helvet.* Lib. I. Cap. III. pag. 36. ſq.

(*r*) *De Cæſaribus* Cap. IX.

(*s*) In *Vita Veſpaſiani* Cap. XVII.

MONUM.

terræ motu aut incendio afflictas, reſtituit in melius. „ *Colonia Flavia* ergo illo quoque tempore potuit ornari Aventicum, & ab ejus ductore, vel certe Duumviro, muniri hæc via. GUILLIMANNUS (t) monumenti conditi viæque factæ tempus in Antoninorum epocham recte rejeciſſet, ſi vox *Auguſtorum* io Epigraphe, quod ille cum aliis credidit, locum haberet. Ætas enim illa primum duos ſimul Auguſtos, M. Aurelium nempe & L. Verum, fratres conſpexit, qui per novem annos Imperium tenuere conjunctim. Quum autem, critico inſtituto examine, ſupra jam conſtituerim, portæ inſcriptum fuiſſe, *Numini Auguſti ſacrum*, cuicunque alii Imperatori Auguſto viæ hujus exſtructionem adſcribere, nobis liberum eſt, modo Veſpaſianorum tempora, quibus Colonia ducta, non antevertat. Non equidem diffiteor, Romanis Coloniis, uti Legionibus, frequenter eveoiſſe, ut temporis ſucceſſu variis ornarentur nominibus, adeoque Aveoticum Coloniam eſſe potuiſſe, antequam *Flavia* appellaretur; in documentorum defectu tamen, origines ejus ultra Veſpaſianos promovere non audeo. Dunodi Jeſuitæ ſententiam, quæ ad Balbini & Pupieni Auguſtorum ætatem Inſcriptionem relegat, BOCHATUS (u) pridem ſolide & pro more ſuo erudite convellit.

§. CCLIII.

Montes perforati.

Cavernas tales, montibus in fornicis modum perforatis, commercii inter provincias facilioris cauſa, paſſim effecerunt Romani, (x) quarum ego plures cum ſtupore inſpexi. Has inter celebriores ſunt: Neapolitana primum, quæ ad Puteolos ducit, pertuſo Pauſilipo milliarii Italici loogitudinem, ſive CCCXLIV. cubitus, explens: altera prope Lacum Avernum, circa veteres Bajas, Antri Sibyllæ nomine celebris, longa XCV. cubitus, lata XVIII. palmos, alta XIII. pedes. (y) Tertia Imperatoris Veſpaſiani opus, inter Urbinum atque Eugubium, quarto lapide à Foro Sempronii, in via Flaminia, obi hæc Inſcriptio: (z)

IMP. CAESAR. AVGVSTVS
VESPASIANVS PONT. MAX
TRIB. POTEST. VII. IMP. XXVIII. COS. VIII
CENSOR. FACIVND. CVRAVIT

Scilicet montis Apennini pars, quæ viam occupabat, à Veſpaſiano in longum amplius C. pedum, in latum altumque duodecim, (a) arcus ac fornicis inſtar, excavata eſt. Locus ipſe hodie *Furlo*, fortaſſis à *forando* vel *Forulo*, vocatur. Huc pertinet quoque mons inter lacum Fucinum & amnem Lirim pertuſus, quem TACITUS (b) memorat. Nota denique eſt Aquæ Marciæ ad portam Eſquilinam Romæ Inſcriptio: *Imp. Cæſ. M. Aurelius. Antoninus. Pius. Felix. Aug. Parth. Max. Brit. Max. Pontifex. Maximus. Aquam Marciam. variis kaſibus. impeditam. purgato. fonte. excisis. & perforatis. montibus. reſtituta. forma. adquiſito etiam. fonte. novo. Antoniniano in. ſacram. Urbem. ſuam. perducendam curavit.* (c) Recte ergo PLINIUS (d) inter admiranda Romanorum in toto orbe reponit montes perfoſſos. (e)

Reſtauratio viæ.

Ceterum viam noſtram Rauraco-Helveticam, à Romanis ſtratam, poſteri reliquerunt intactam; donec noſtris temporibus eam commerciis populorum reſerarunt Reverendiſſimi ac Celſiſſimi Baſilienſium Epiſcopi, JACOBUS SIGISMUNDUS ex Baronibus REINACH DE STEINBRUNN, qui An. MDCCXL. opus inchoavit. Hujus, An. MDCCXLIII. demortui, Succeſſor, JOSEPHUS GUILIELMUS, S. R. I. Princeps, ex Per-Illuſtri Baronum

(t) *Rer. Helvet* Lib. I. Cap. III. pag. 36. Cujus ſententiam WAGNERUS in *Mercurio Helvetico*, & *Helvetiarum Deliciarum* Auctores, ut & noviſſime DUNODIUS Veſontinus, Anteceſſor Juris, atque BOCHATUS ſequuntur.

(u) *Memoires ſur l'Hiſtoire Ancienne de la Suiſſe* Tom. I. pag. 414.

(x) BERGERIUS *de Viis Militaribus* & HENNINIUS in *Notis* ad eum, in *Theſauro Græviano* Tom. X. pag. 121. & 124. ubi memorabilis Inſcriptio; adde præſertim pag. 716.

(y) Antri hujus, ut & Neapolitani, dimenſiones vide in *Coſe piu memorabili di Pozzoli, Baja, Cuma, Miſeno, Gaeta* pag. 3. & 66.

(z) GRUTERUS in *Theſ. Inſcript.* pag. 149. num. 7.

(a) LEANDRI ALBERTI *Deſcriptio Italiæ* pag. 439. Edit. Latinæ; qui ipſe locum ſæpius inſpexit. Unde corrigendus *Commentator ad* GRUTERI *Inſcript.* loco cit. qui ad CC. paſſus montem perforatum fuiſſe putavit.

(b) *Annal.* Lib. XII. Cap. LVI.

(c) FABRETTUS *de Aquaductibus* pag. 20.

(d) *Hiſt. Natur.* Lib. XXXVI. Cap. XV.

(e) Ipſæ quoque viæ tanta cum diligentia & labore ſtratæ fuerunt, ut ſeculo ſexto PROCOPIUS *Hiſt. Gothor.* Lib. I. miratus fuerit, Appiam viam, infinitis plauſtris jumentisque inſeſſam continenter atque decurſam, ſua ætate, tam integram fuiſſe, lapideſque tam firmiter inter ſe cohæſiſſe, ut ne minimum quidem à compagine receſſerint, nec arte, ſed natura, coagmentati viderentur.

Google

MONUM.

Baronum Rinckiorum à Baldenſtein proſapia natus, publicæ utilitati ſemper intentus, opus aliis deſperatum, tanto cum ſucceſſu perficit, (f) ut Duumvir noſter Aventicenſis Paternus, ſi ex mortuis rediturus eſſet, fateretur, hac quoque ætate reperiri viros, qui ad priſcam Romanorum virtutem ſe erigant.

AUGUSTÆ RAURACORUM.

§. CCLIV.

Laberiæ Epitaphium.

D. M.
LABERIAE TRENE
V. A. XI. DIEBVS XXVII
VETVRIVS HELIX ET LABERIA
SYNTICHE FILIAE PIENTISSIMAE
FECERVNT.

Inſcriptio hæc, Auguſtæ Rauracorum olim reperta, vel amiſſa, vel in exterorum manus devenit. Waonerus in *Mercurio Helvetico*, (g) Carolus Patinus, (h) ut & Auctores *Status rei Helveticæ*, (i) eam ediderunt in lucem. Similem tamen, iisdem plane verbis compoſitam, Smetius Romæ vidiſſe dicitur apud Gruterum; (k) ubi etiam variæ quædam lectiones ex Boissardo (l) adjiciuntur. *Laberiæ* nomen marmoribus notiſſimum, inter quas *Clementinam*, *Eutychiam*, *Syntichen*, aliasque diverſis cognominibus præditas, reperimus. At nullibi inter nomina propria *Trene* memoratur; frequentiſſime contra *Irene*, & ita quoque in Romano lapide Smetius legit. Parentes filiæ, undecim verius, quam quadraginta annorum natæ, lapidem ſepulchralem conſtituiſſe videntur. Apud Gruterum ergo lineola literæ I inferne addita, eodem modo, ut in Patiniano & Wagneriano exemplis, in voce TRENE (pro IRENE) abundat ſuperne. *Veturius Helix*, apud Gruterum *Hilix*. Vocales I & E ſæpe alternant; at verior noſtra lectio. Veturia gens Romæ antiquiſſima, Numæ Regis temporibus jam innotuit, atque in plures deinceps familias diſceſſit, unde Veturiorum multa paſſim Monumenta, Libertis quoque gentis hujus, ad quos nomen derivatum, poſita, occurrunt. Nec *Helix* cognomen ignotum Marmoribus. *Q. Domitius Helix* (ubi tamen Boiſſardus *Felix* legit) Claudiæ Eutychiæ conjugi lapidem Romæ; (m) & Camerini in Umbria (n) *T. Vernaſenus Helix* titulum poſuit. Mater *Laberia Syntiche* cum marito Epitaphium condidit. Nomen in marmoribus & Syntiche & Syntyche ſcribitur; poſterior licet orthographia rectior ſit. Tyche, Eutyche, Syntyche, Græca nomina, exprimunt ea, quæ apud Latinos Fauſta & Fortunata. Callitycha fuit Liviæ ſarcinatrix. (o)

Fragmentum Inſcriptionis in eadem Auguſta Rauracorum Seb. Fæſchii temporibus effoſſum eſt, in cujus Muſeo extat: Patroni Colon.

. . . . T I O. Q V
E L L O. F L A
V I R O. C O
A T R O N

(f) Ita opus perficitur, ut triplo major ſit viæ latitudo, quam ſub Romanis: hæc enim jam ad XVIII. & XX. pedes Reg. excurrit.

(g) Pag. 36.

(h) *Relations Hiſtoriques de Voyages* pag. 112.

(i) *Etat & Delices de la Suiſſe* Tom. III. pag. 38. ubi lapis ante annos triginta erutus dicitur, qui tamen in Amerbachii manibus jam fuit.

(k) *Inſcript.* Pag. 692. num. 7. Additur, aram eſſe marmoream, ubi inferne virgo alata, tauro inſidens, eumque inter cornua feriens pugione. Additur porro, marmor extare Romæ in S. Benedicto, citra Tiberim, ad Pontem Sixtium.

(l) Tom. III. pag. 91. ubi A. XL. pro XI. item VITVRIA SMILIXE pro *Veturius Helix*.

(m) Gruterus *Inſcript.* pag. 584. num. 4. Boissardus Tom. VI. pag. 143.

(n) Gruterus pag. 713. num. 12.

(o) Gorius in *Columbario Libertorum* &c. pag. 445.

Lapis hic ab injuria ævi ſi fuiſſet ſervatus, indicaſſet nobis Coloniæ Rauricæ *Patroni* nomen. Reſiduæ literæ FLA. indicant Flaminem; reliqua *Sevirum* vel *Quatuorvirum*, aut ſi mavis *Duumvirum*, & uti diximus, *Coloniæ Patronum*.

DIVODURI.

§. CCLV.

Metenſia Monumenta.

MEdiomatrici, in Metropoli ſua novam anno ſuperiore MDCCXLIX. paraturi plateam, terra dum eruitur, in Aram magnæ molis quadrilateram inciderunt, dedicatam Imperatori Pertinaci. Uno in latere ſculptus Apollo cum lyra, ad Aram vicinam ſtans: in oppoſito latere Mercurius viſitur cum comitibus ſuis, capro & gallo. Duo reliqua latera Inſcriptiones occuparunt dedicatoriæ; utraque iisdem verbis concepta. Utramque ab Ara mutilata, & jamjam ſub terras reditura, ſollicite ſeparari juſſit Illuſtris Literarum & Artium fautor Dn. Des Cartes, in Metenſium Parlamento Senator, atque Argentoratum Domino de Gayot transmiſit, cujus munificentia Titulus uterque Antiquariæ meæ illatus eſt Aulæ. En tibi ectypa, ex utroque Tituli Fragmento deſumta.

Fragmentum primum.

∴ HELVI. PERTINAC.
∴ VG. P. P. PONTIF. MA...
∴ RIB. POTESTAT. COS. II.
∴ HEL. PERTINACIS. CAE
∴ L. TITIANAE. AVGVST.

Fragmentum ſecundum.

PRO. SALVTE. IMP. CAES.
P. HELVI. PERTINACIS
AVG. P. P. PONTIF. MAX.
TRIB. POTESTAT. CO∴∴
P. HEL. PERTINACIS. CAES.
ET. FL. TITIANAE. AVGVST.
OCEANVS. SER. VERNA

Ad latus Saxi legitur:

DISPEN.∵A FRVMENTO

Poſuit ergo dedicavitque hanc Aram, Mercurii & Apollinis ſimulacro ornatam, *Pro ſalute Imp. Cæſaris Publii Helvii Pertinacis Auguſti, Patris Patriæ, Pontificis maximi, Tribunitiæ poteſtatis, Conſulis iterum*, ut & *Publii Helvii Pertinacis Cæſaris & Flaviæ Titianæ Auguſtæ, Oceanus Servus Verna, Diſpenſator à frumento.* Apud Præneſtinos in Latio *Cæſius Herodes Opi Divinæ* (*p*) & *Fortunæ Primigeniæ Imp. Cæſ. Helvii Pertinacis* Aram conſtituit. (*q*)

§. CCLVI.

Tituli Pertinacis.

In Titulis honorum nihil ſingulare. Quum nonniſi Januario, Februario & Martio menſibus anni Urbis cond. DCCCCXLV. Q. Soſio Falcone & C. Julio Erucio Claro Coſſ. (*r*) adeoque Æræ Chriſt. An. CXCIII. Imperio præfuerit Pertinax, annus ille primus

(*p*) Opi divinæ nummi Pertinaciani plures dicati ſunt. Patini *Theſaur*. Cap. IV. pag. 76.

(*q*) Gruteri *Inſcript*. Tom. I. pag. 26. num. 4.

(*r*) Conſules hos imperante Pertinace indicat Tarraconenſis Inſcriptio poſita Pertinaci. Gruter. *Inſcript*. pag. 219. num. 1.

Digitized by Google

MONUM.

primus & ultimus Tribunitiæ poteſtatis ejus fuit; Conſulatum ſecundum anno præcedente jam geſſerat, titulumque adeo Conſulis iterum continuavit. In Tarraconenſi Inſcriptione, ad quam modo provocavi, *Princeps Senatus* quoque dicitur Pertinax, quod veteri conſuetudine factum, ut Dio (*s*) teſtatur. Inſcriptionis noſtræ pretium eo augetur, quod omnis Auguſtea familia, filius nempe Pertinacis, *Helvius Pertinax Cæſar*, & uxor ejus *Flavia Titiana Auguſta* (*t*) in ea memorantur.

Titiana quidem, ut Julius Capitolinus (*u*) ſcribit, eadem die, qua Pertinax dictus eſt Auguſtus, illisque horis, quibus ille in Capitolio vota ſolvebat, appellata fuit *Auguſta.* Sed & filium ejus *Cæſarem* appellavit Senatus. (*w*) Pertinax autem nec uxoris Auguſtæ appellationem recepit, & de filio dixit, *quum meruerit*; uti item Capitolinos nos docet. Dio Coccejanus, (*x*) coætaneus Scriptor, recuſationis cauſas affert, quod Imperium nondum plane confirmaverat, vel quod nolebat, petulantem fœminam *Auguſtæ* nomen polluere. Filium autem ſpes Imperii ne ageret transverſum timuit. Quicquid hac de re Dio & Capitolinus, duplex Aræ Mediomatricenſis teſtimonium indicat, & filii & uxoris titulos à Pertinace Auguſto mox fuiſſe admiſſos, quum in ea filius *Cæſar*, Tit ana *Auguſta*, nominentur, ita ut Cæſari poſtponatur Auguſta. De Helvio Pertinace nullum aliud ex omni antiquitate monumentum marmoreum, lapideum, æneumve quid prodit. Titianam Græci quidam nummi, (*y*) in Ægypto cuſi, commemorant, qui cum Marmore noſtro conſpirant; in illis enim nominatur ϹΕΒΑϹΤΗ, *Auguſta.* Nummum hunc ex Regia & Medicea gaza recenſuit Ezechiel Spanhemius, (*z*) atque elogium ϹΕΒΑϹΤΗ ex Græcorum vel Ægyptiorum adulatione profectum eſſe exiſtimat. Monumento autem huic numiſmatico Græco ſi jungas Inſcriptionem noſtram Latinam, neſcio, an non duo tam ſolennium Monumentorum teſtimonia nos inducere debeant, ut Hiſtoricorum tradita ex illis, non dicam corrigamus, ſed ſuppleamus; ita nimirum, ut benignitate & indulgentia, ipſi congenita, Pertinacem inductum admiſiſſe tandem videatur, quod ab initio recuſaverat.

§. CCLVII.

Oceanus noſter, frumentarii copiarum apud Mediomatricos ornatus munere, ſervus verna Pertinacis, rerumque adeo, in Domini ſui familia geſtarum, gnarus, tam facile duplicis craſſi erroris, aut adulationis, damnandus non eſt, ut filium Imperatoris Cæſarem, & uxorem ejus Auguſtam, in ſolenni Monumento tam aperte mentiretur. Publica tantæ auctoritatis documenta non leviter ſunt poſtulanda erroris. Sed jam de ipſo hoc Oceano, qui Aram Mediomatricenſem dedicavit, agendum eſt paucis. *Oceani* nomen haud ignotum Marmoribus. * Oceanus quidam Auguſti Libertis & Libertabus condidit ſepulcrum Romæ, (*a*) ipſe quoque haud dubie Libertus. Idem Romæ fecit *Oceanus Sen. Cæſaris Libertus.* (*b*) Oceanus.

Oceanus vero noſter ſervus adhuc fuit Pertinacis, & quidem *ſervus verna.* Vocabulum *Verna* addidit Oceanus, ut in Pertinacis Imp. domo natum ſe, educatum, dominoque ſuo carum & ab incunabulis probatum fuiſſe doceret; ab emptitiis ſervis diſtinctus & appellatione *verna* ſibi blanditus; quod non de catasta, ſed de laribus ipſius Heri emerſerit. (*c*) Ita *Heterinus verna fideliſſimus* in urna eleganti apud Boissaanum. (*d*) Servi illi, domi nati, cariſſimi quandoque Dominis erant, eorumque ſepulcris frequenter illati, quos generatim cum libertis poſterisque eorum ad commune ſepulcrum admiſerunt Patroni. (*e*) Idem de mulieribus ſervis, domi natis, dicendom. Verna de muliere perrarum. In Columbario tamen apud Sanctem Bartolum (*f*) occurrit *Januaria verna Cæſaris.* Arſinoe *verna* Scaripi, Tabularii Cæſaris, in *Muſeo Veronenſi Maffejano* (*g*) memoratur. Monumenta Pertinacis lapidea non poſſunt non inter rariſſima haberi, præſertim quum extra Italiam reperiuntur. Verna.

(*s*) Dio Lib. LXXIII. pag. 832. edit. Wechel.
(*t*) Titiana filia fuit Flavii Sulpitiani, cui Pertinax, ex Præfecto Urbis conſtitutus Imperator, præfecturam commiſit. Dio & Capitolinus.
(*u*) *Pertinacis Vita* Cap. V.
(*w*) Capitolinus Cap. VI.
(*x*) Lib. LXXIII. pag. 833.
(*y*) Nummus Ægypti: ΤΙΤΙΑΝΗ ϹΕΒΑϹΤΗ, *Titiana Auguſta.* In poſtica L. A. anno primo. Victoria gradiens. Vaillant *Imperatorum & Auguſtarum nummi Græci* pag. 77. Andr. Morellius in *Specim. Rei Nummar.* pag. 180. Tab. XVII.
(*z*) *De Uſu & Præſtantia Numism,* Diſſert. XI. pag. 291.

(*a*) Muratorii *Theſaur. Inſcript.* Tom. II. pag. 996. num. 10.
(*b*) Murator. ibid. pag. 1012. num. 5. Adde Tom. III. pag. 1453. num. 3.
(*c*) Fabretti *Inſcript.* Cap. IV. pag. 296. Pignorius *de Servis* pag. 56.
(*d*) Exhibet quoque Montfaucon, *Antiquité Expliquée* Tom. V. Part. I. Tab. XXXV.
(*e*) Fabrettus *Inſcript.* Cap. I. pag. 42.
(*f*) Ex quo Montfaucon loco cit. Part. I. Tab. XVII.
(*g*) Pag. 96.

§. CCLVIII.

Epocha Monumenti.

Tempus Aræ Mediomatricenſis, ab Oceano poſitæ, regiminis Pertinaciani brevitate determinatur. Eodem, quo Commodus occiſus eſt, die Imperium Pertinaci delatum. Factum hoc pridie Cal. Januar. An. Chriſt. CXCIII. ſive ultimo die anni Chr. CXCII. quo Pertinax Conſulatum II. finivit, ut ipſo ineuntis novi anni die indueret purpuram. TILLEMONTIUS (*b*) eum die XXVIII. Martii fuiſſe occiſum, adeoque LXXXVII. dies imperaſſe, probavit. Ara ergo noſtra menſe Februario potuerat erigi. Ita Idibus Februarii Tarracone apud Hiſpanos erecta fuit ſimilis Ara, in qua *Princeps Senatus* Pertinax appellatur, uti paulo ante annotavi. Intra tam breve tempus Colonia tamen ab eo ducta videtur *Helvia Ricina* in Piceno, quam Pertinacianus nummus (*i*) indicat. Quanti pretii ergo ſint duo illi Pertinacis tituli, ex Mediomatricenſi illa Ara detracti, qui Principem, non tribus integris menſibus imperantem, reſpiciunt, atque familiam ejus nominetenus, cum novis dignitatibus, à Senatu decretis, memorant, nemo non, vel me tacente, intelligit.

Ibidem:

T. IVLIAE
ORI. L. IVL
VS. LVNARI
VS

Lapis hic cum Ara Pertinaciana in lucem emerſit.

PROPE S. NABOREM.

§. CCLIX.

S. Naboris Fani Inſcriptio.

MEdiomatricenſibus his quum ego finem imponerem, Per-Illuſtris GUNZERUS, Regis ad Circulum Suevicum nuper Legatus, Epigraphen mihi affert, quæ in Fano S. Naboris, (*S. Avold*) adeoque in veteri Mediomatricorum noſtrorum regione, apud Lotharingos detecta eſt, quam ſine mora heic ſubdo:

DEAE DIRONAE
MAIOR MA
GIATI FILIVS
V. S. L. M.

Primus verſus topicum aliquod Numen indicat, de quo nihil certi conſtituo, antequam in noſtra poteſtate ſit Lapis.

IN BIPONTINO DUCATU.

§. CCLX.

Aretii Loſunii.

IN vicinia Monumenti Mithræ, quod ſupra deſcripſimus, hic Lapis extat:

P. ARETIO
LOSVNIO
PATRI. D. P.

Si *Loſunius* nomen patriæ eſſet, trahendum huc crederes oppidum, quod Lacui Lemanno appellationem conciliavit, ut *Lauſonius* quoque *Lacus* diceretur; *Antoniniano Itinerario* (*k*) teſte.

WOLFSTENII.

In eodem Ducatu:

ATTONIA. SELA. NIC.:.:
ATTONIS. FET. QVINT
:.:. ET. SATVRNINA
:.:. ANTI FILIO. ET. H

PROPE

(*b*) *Notes ſur l'Empereur Commode* pag. 252. PAGIUS die 25. Martii id factum fuiſſe opinatus eſt. ONUPHRIUS PANVINIUS *Romanorum Principum* Lib. I. pag. 46. VIII. Kal. April. Pertinacem occiſum credidit.

(*i*) In cujus poſtica: COL. HEL. ubi duo Hercules nudi. TRISTAN *Commentaires* Tom. II. fol. 16. VAILLANT *Numm. Colon.*

(*k*) Pag. 348. Edit. Weſſeling.

MONUM.

PROPE CASTRUM DHAUN.

§. CCLXI.

Epitaphium Pannonii.

M. PANNONIVS. SOLV
LATR. ARG. PRAEF. BIN
PRAEF. STATIONIB. PRA
SIBI. ET. M. PANNONIO SOLV
FILIAE

Tituli hujus quatuor verſus in fine truncati ſunt. Inſculptus fuit ſarcophagi lapidei operculo, qui An. MDCCXXVII. haud procul ab Arce Daunenſi, in Hundesruhi Pago in lucem prolatus eſt.

SARUUERDÆ.

Olla cineritia

TRactuum horum Cis-Rhenanorum Monumentis Sarwerdenſe, ſed illiteratum, ſubjungo; quo Ampliſſ. MOLLINOERUS, Ser. Naſſovio-Weilburgenſi Principi à Conſiliis, meas antiquitatis reliquias nuper adauxit. Olla cineritia eſt nigricantis coloris, oſſibus, à combuſtione reſiduis, plena; cui vero id ſingulare, quod ollæ majoris oſſibus ſuperimpoſita eſt ollula, infantis recens nati oſſicula continens. Mater, poſt partum mortua, infantem oſſibus ſuis poſt mortem includit.

SPIRÆ NEMETUM.

§. CCLXII.

Conſtantii Epitaphium.

D. M.
CONSTANTIO
VALENTINO
FRATRI. ET
LVNAE. MA
TRI. CONST
ANTIVS. MA
XIMVS. F. C.

Omnium primus Inſcriptionem hanc BEVELLIUS An. MDXXXIII. deſcripſit, apud BARTHIUM; (*l*) poſt quem LEHMANNUS, (*m*) atque GRUTERUS. (*n*) Viſitur ea etiamnum in muro exteriore Eccleſiæ S. Georgii Spiræ. Cl. LITZELIUS in *Deſcriptione ſepulcri*, ibidem An. MDCCXLI. eruti, hanc Epigraphen producens, Claudiam Lunam Conſtantii Chlori matrem fuiſſe, atque Epitaphium hoc à Conſtantio Chloro, filio ejus, poſitum exiſtimat. Lebmannus vero titulum ad Conſtantium Imperatorem refert, ſed nullo fundameoto. Nec BEATUS RHENANUS, (*o*) quem adducit Lehmannus, id aſſerit; nude enim Conſtantii Inſcriptionem vocat; quis Conſtantius ille fuerit, ſilentio tranſiens.

(*l*) *Adverſarior.* Lib. LII. pag. 2427.
(*m*) *Chron. Spir.* Lib. I. Cap. VIII.
(*n*) *Inſcript.* Tom. II. pag. 847. num. 4.
(*o*) *Rer. German.* Lib. III.

En Genealogiam *Flaviæ* gentis, unde Conſtantiniana Domus exorta.

Flavius N.
quem exiſtimant quidam
ex Gordianis genus ducere,
alii à Dalmatis ortum volunt.

Flav. Claudius Imp. Gothicus dictus. | Flav. Quintillus Imp. fratri ſuccedens | Criſpus famæ obſcuræ.

Claudia,
uxor Eutropii nob. Famil.
in Dardania.

Conſtantius Chlorus
Imp. Aug.

Conſtantinus M. ex Helena, Cauponis Drepani filia. | Annibalianus & Fl. Conſtantius ex Theodora, privigna Maximiani Herculei.

Ex ſchemate hoc patet, Inſcriptionem noſtram ad Conſtantium Imp. non poſſe pertinere; eo quod nomen *Conſtantii Maximi* non geſſerit, nec fratrem *Conſtantium Valentinum* habuerit, nec matrem *Lunam*, ſed Claudiam. Adde quod honorum ſuorum obliturus non fuiſſet Conſtantius Chlorus Imp. ſi Monumentum eum habuiſſet auctorem.

Aliud monumentum.

Ibidem:

D. M.
AVR. VITALI
MIL. LEG. IIII. FL.
STIP. VII. VIXIT
AN. XV. AGENS
EXPEDITIONE
GERMANIAE. FL
AVIVS PROCL
VS MIL. LEG. SS.
SECVNDVS HERES
CONTVBERNALI
BENE MEREN. F. C.

Inſcriptionem hanc ex Lehmanno dedit Reinesius, (p) quem conſulat Lector.

BADÆ MARCHICÆ.

§. CCLXIII.


Badenſis Inſcriptio.

ALſaticis Inſcriptionibus, ex vicinia Trans-Rhenenſi nonnullas ſubjungo, quas in Argentoratenſis Diœceſeos finibus, ad fluviolum Oſam, detexi. Muro nimirum, qui Capucinorum Bada-Marchici oppidi hortum circumdat, ſepulcrales cippi duo inſerti ſunt, Militibus Romanis, quorum alter Legionarius, alter Cohortalis, dicati. Aræ formam habet uterque; quam Romani monumentis ſepulcralibus frequenter dare ſolebant,

(p) *Inſcript.* pag. 515. num. 14.

MONUM.

bant, quæ hinc etiam *Aræ* dicebantur; ſuper quibus cognati amicique annuis in feriis libationes peragerent. Qui Legionario dicatus eſt Cippus, Æmilio nempe Creſcenti, ejus ectypum, quod altero memorabilior, heic propono Lectori:



Lapis *L. Æmilio Creſcenti*, Militi Legionario, dicatus, duos pedes & totidem pollices longus, unum pedem & novem pollices latus eſt: pars ejus ſuperior encarpis ornata, inferiori currus quadrirotus oblongus, cui auriga duos equos agens inſidet, inſculptus eſt. Epigraphe, in medio poſita, ita declaratur: *Dis Manibus Lucius Æmilius Lucii filius*, *Claudia* tribu, *Creſcens*, *Ara* oppido ortus, *miles Legionis quartæ decimæ Geminæ Martiæ*, vel Minerviæ, *Victricis Valerianæ Baſſianæ*, *annorum triginta quatuor*, *ſtipendiorum quatuordecim*, *Lucius Æmilius Manſuetus & Lucius Æmilius Albanus Fratres idemque heredes fieri* vel faciundum *curaverunt*.

§. CCLXIV.

In Civitate ergo Aurelia Aquenſi, quæ hodie Bada Marchica, ſepultus fuit Æmilius Creſcens, atque à duobus gentilibus heredibusque ſuis Æmiliis fratribus, Monumentum hoc ſepulcrale accepit. *Aurelius* quidam *Creſcens miles*, in Ratisbonenſi apud Explicatio Inſcriptionis.

GRUTERUM

MONUM.

GRUTERUM (*q*) Monumento occurrit. Creſcens noſter Romæ adſcriptus fuit *Claudiæ* tribui, origine licet fuerit Arenſis, ſive ex oppido *Ara* oriundus. Non deſunt Eruditi, qui vocem *Ara* in duas diſſecant partes & cum inſequente ſigla MIL. *à rationibus militaribus* interpretantur. Nec interpretationi ſpecies vel auctoritas defuit, donec lapidem oculis ipſe meis inſpicerem, ubi non in eo tantum, ſed & in altero ejusdem ætatis Marmore, quod eidem muro inſertum, vocem ARA ita expreſſam reperi, ut nec diviſio, nec interpunctatio ulla, locum in ea poſſit habere. Pro hac quoque lectione conſtantiſſime pugnat ſolers & acutus Marmorum indagator priſcorum Cel. HAGENBUCHIUS. Quibus familiaris eſt Epigraphicus ſtylus, facile norunt, quam non infrequens fuerit, nominibus propriis nomen quoque ſubjungere patriæ. Ita *C. Julius Vettius Auguſta Vindelicorum*, *miles Leg. VIII. Aug.* (*r*) *M. Julius Paternus Aquis Sextiis*; (*s*) *M. Aurelius M. F. Pap. Lucilius Poetovione.* (*t*)

Ara. *Ara* ergo fuit patria Creſcentis, cujus nominis aliquot ſub Romanis loca oppidaque occurrunt. *Ara Tutila* in Inſula Cyrne, *Ara* Lugdunenſis in Gallia, *Ara* Batavorum ad oſtia Rheni, (*u*) & aliæ apud Hiſpanos, imo & paſſim in Aſia, quas heic tangere nolo. In Germania ſub Romanis floruere præſertim *Ara Ubiorum* & *Aræ Flaviæ.* Priorem plerique interpretati ſunt Bonnam, nonnulli ipſam Agrippinenſem Coloniam, omnium optime illi, qui interpretantur Tuitium, (*w*) è regione Coloniæ, in ripa Germanica ſitum. Aras Flavias Ptolemæi (*x*) & Tabulæ Theodoſianæ nonnulli ad *Nordlingam*, ad *Blabeuram* alii; plerique ad *Aurach* (*y*) Wurtenbergici Ducatus, ſuper Nicrum, referendas exiſtimant. Aræ hæ Flaviæ patria non fuerunt Creſcentis, quod plurium numero ſemper ſignantur. Ara Lugdunenſis vero, Ara Ubiorum, Ara Batavorum heic poſſent locum habere.

§. CCLXV.

Leg. XIIII. Creſcens noſter miles fuit LEG. XIIII. G. M. V. puta *Legionis XIIII. Geminæ Martiæ* vel *Minerviæ Victricis*; utroque enim & *Martiæ* & *Minerviæ* agnomine fuit ornata, uti teſtis uberrimus eſt HUBERTUS GOLTZIUS. (*z*) *Geminæ* nomen præter noſtram XIIII. pluribus aliis Legionibus obtigit, ſcilicet IV. VI. VII. VIII. X. XI. XII. XIII. XVI. XVIII. XIX. XXIIII. XXVI. XXVII. XXXIII. XXXVI. XXXVII. XXXIIX. XL. XLIII. XLV. quibus omnibus hoc datum elogium eſt, vel quod ſucceſſu temporis geminatæ, vel quod ab Auguſto aliisve Impp. cæteris Legionibus, uti DIO (*a*) nos docet, mixtæ fuerunt. *Geminæ Martiæ Victricis* axiomate, præter noſtram Legionem, ornata quoque fuit Legio IV. & XXIIII. (*b*) At Legio XII. *Gemina Minervia Victrix*, Legio XXXIV. ſimpliciter *Minervia Victrix*, appellabantur. Aliæ plures vel ſimplici epitheto *Victrix*, vel alio plerumque adjecto ornatæ, ut *Delmatica Victrix*, *Æliana Victrix*, *Liciniana Victrix*, *Victorina Victrix*, *Dacica Victrix*, *Sarmatica Victrix*, *Germanica Victrix*, *Conſtantia Victrix*, *Primigenia Victrix*, quas partim apud ONUPHRIUM PANVINIUM, partim apud HUBERTUM GOLTZIUM videas.

Voces denique VALERI. BASSI. quod attinet, interpretarer eas *Valerianæ Baſſianæ*: at refragatur Cel. HAGENBUCHIUS, inter ſiglam V. & VALERI. notam 7 (*Centuriæ*) ponendam, adeoque *Centuriæ Valerii Baſſi*, adſcriptum fuiſſe Creſcentem, arbitratus, Reineſianæque Inſcriptionis (*c*) auctoritate ſuffultus, quæ *Centuriam Valerii Baſſi* memorat. Conjectura erudita, cui lubens accederem, niſi ipſa Lapidis prohibuiſſet inſpectio, ubi non modo nullum notæ 7 unquam ibi inſculptæ veſtigium eſt, ſed ne quidem ſpatium reliquum, ut ibi inſeri potuiſſet; quum duorum V vicinia notam hanc omnino excludat. Nil ergo ſupereſt, quam ut ad Legionis XIIII. recurramus agnomina, quarum plura ex monumentis congeſſit GOLTZIUS, (*d*) ut *Achaica Felix*,

(*q*) *Inſcript.* pag. 527. num. 2.
(*r*) GRUTER. *Inſcript.* pag. 1025. num. 2.
(*s*) Idem ibidem pag. 548.
(*t*) Ibidem pag. 546. num. 6. Poetovio urbs Pannoniæ ſuperioris Antonino. Hodie *Pettau* in Stiria.
(*u*) HADR. JUNIUS in *Batavia* Cap. X. pag. 116. & MENSO ALTINGIUS in *Notitia German. Infer. Antiq.* pag. 7.
(*w*) CLUVERIUS, MODIUS, BAUDRANDUS pro *Bonna* ſtant, nec refragatur plane CELLARIUS. PICHONIUS *ad Tacitum* ipſam Coloniam Agrippinenſem nomine hoc inſignitam exiſtimat. HADR. JUNIUS vero in *Batavia*, & cum eo ABRAH. ORTELIUS, atque poſt hos JO. EBERH. RAU in *Monumentis Vetuſt. German.* Lib. II. Cap. I. Tuitium, vel Divitenſe Munimentum, antiquitus *Aram* fuiſſe appellatam petunt, quod vulgus hodie pronuntiat *Deutz*. Ubiorum hæc Ara in Lugdunenſi lapide quoque Ara Agrippinenſis vocatur, apud SPONIUM *Antiquité de la Ville de Lyon* Cap. VIII. pag. 191.
(*x*) Βωμοὶ Φλαούιοι.
(*y*) CELLARII *Geograph. Antiq.* Lib. II. Cap. VII. pag. 521.
(*z*) *Theſaur. Rei Antiquar.* pag. 154.
(*a*) Lib. LV. pag. 564.
(*b*) GRUTER. *Inſcript.* Tom. II. pag. 1096. num. 6.
(*c*) REINESIUS *Inſcriptionum* Claſſ. I. Inſcr. CCLXXIV. pag. 218.
(*d*) *Theſaur. Rei Antiquar.* pag. 153.

Felix, *Britannica*, *Gemina*, *Gemina Martia*, *Gemina Martia Victrix*, *Gemina Minervia Victrix*, *Gemina Severiana Germanica*, *Victorina Victrix*. His Monumento noſtri Aquenſis auctoritate *Valerianæ* & *Baſſianæ* jam agnomina accedunt. Caracallæ nomen fuit *Baſſiani*, cui *Aurelia* quoque axioma eadem debet Civitas Aquenſis, in qua Legio hæc præſidium tenuit.

§. CCLXVI.

Valeriæ vel *Valerianæ* agnomen vero num à Valerio Valeriano, Valerio Diocletiano, Valerio Maximiano, Valerio Conſtantio, Valerio Maximino, Valerio Severo, Valerio Conſtantino M. vel aliunde obtinuerit, nemo definiat. Quodſi Legio XX. agnominata fuit *Valeria*, & Legio XXIIII. *Valeriana*, uti HUBERTUS GOLTZIUS (*e*) oſtendit, cur non ex his epithetis unum Legioni noſtræ XIIII. contingere potuit; quum plures Legiones eodem frequentius ornarentur epitheto? In Inſcriptione apud GRUTERUM (*f*) Legioni XXIIII. eadem epitheta *Geminæ*, *Martiæ*, *Victricis* tribuuntur, quæ Legioni quoque noſtræ XIIII. ſunt indita. Præter agnomina hæc Legio XIIII. agnominata quoque fuit *Germanica* tempore Tib. Claudii Imp. uti duplex vetus Inſcriptio nos docet; (*g*) item *Severiana*. (*h*) — *Agnomina alia.*

Creſcens noſter XIIII. ſtipendia meruit. Stipendium æs militare denotat, quod ſemeſtre aut annuum dabatur militibus. Inde ipſum quoque militiæ tempus, per quod miles ſtipendia meruit, deſignat. (*i*) Militaris ætas anno XVII. cœpit; vacationem à militia dabat annus XLV. completus; viginti ſtipendia abſolvebant Veteranum: juſta militia, quæ huc pertingeret; quæ tranſcenderet, injuſta. (*k*) Creſcens anno ætatis XX. ſtipendia cœpit mereri, & ſi VI. annos adhuc vixiſſet, inter Veteranos fuiſſet reputatus. — *Creſcentis ætas.*

Conditores Monumenti Creſcentis noſtri fuerunt Æmilii duo, ex eadem cum defuncto gente prognati atque fratres, *Manſuetus* alter cognomine, alter *Albanus*. Utrumque cognomen, ut & Creſcentis, vetuſtæ illi & nobiliſſimæ Æmiliorum genti ignotum. Hi noſtri Æmilii ex libertino genere orti videntur. Ex eorum majoribus unus ab Æmilio quodam forſan rude donatus eſt. Inter Julios quidam fuit Manſuetus, in Vitellii & Veſpaſiani bello à filio cæſus in acie. (*l*)

§. CCLXVII.

In infima Saxi parte, quæ inſtar ſtylobatæ eſt, anaglypho opere auriga, vehiculo quatuor rotarum inſidens, & equorum bigas agens, uti dictum, exſculptus eſt. Plauſtrum militare, ſarcinis geſtandis deſtinatum, & in extremitate tectum, Græcis τετράκυκλον ὄχημα. Vehiculum birotum, ſed brevius, in marmore quoque ſepulcrali Mediomatricenſi MAURISSIUS (*m*) exhibet. Quodſi CORRASIUM (*n*) audimus, carrum hunc fuiſſe, dicendum eſt; docuit enim carrum non birotam, quod credunt plerique, ſed quadrirotam fuiſſe, quia carri onus triplo majus fuit onere birotæ; (*o*) unde carri quoque magnitudinem triplo ſuperaſſe magnitudinem birotæ, atque adeo quadrirotam fuiſſe, auguramur. Carrus ergo hic vel carrum (*p*) eſſe potuit ejuſmodi formæ, cujus carri illi, quos Helvetii, ex patria ſua in Galliam interiorem migraturi, conſtruxerunt; quod genus vehiculi nec Romanum, nec Germanicum, ſed Helveticum, hoc eſt, Gallicum; uti ipſum quoque nomen originis Celticæ fuit. — *Vehiculum.*

Antequam Æmilii Creſcentis Monumentum dimittam, alius cujuſdam Æmilii, non ex eadem modo gente, ſed & ex eodem oppido *Ara* exorti, & in eadem *Claudia* Tribu Romæ conſtituti, ſubjungo Epigraphen, quæ in vinea Carpenſi Romæ extat: (*q*)

(*e*) *Theſaur. Rei Antiquariæ* pagg. 154. & ſq.
(*f*) *Inſcript.* Tom. II. pag. 1096. num. 6.
(*g*) Idem *Inſcript.* Tom. I. pag. 447. num. 4. & pag. 492. num. 8.
(*h*) Idem Tom. I. pag. 385. num. 1.
(*i*) PUTEANUS *de Stipendio militari* Cap. XVI.
(*k*) GELLIUS Lib. X. Cap. XXVIII. MANUTIUS *de Legibus Romanis* Cap. XII. LYDIUS *de re militari* Cap. I. pag. 4. DEMPSTERUS *Paralip. ad Roſin.* Cap. X. pag. 718.
(*l*) TACITUS *Hiſt.* Lib. III. Cap. XXV.
(*m*) *Hiſt. des Eveques de Metz* pag. 9. Conf. SCHEFFERUS *de re vehiculari* Lib. II. Cap. XXVIII.
(*n*) *Miſcellan.* Lib. III. Cap. XX.
(*o*) Birotæ onus fuit librarum ducentarum, carri vero ſexcentarum, uti teſtatur Lex VIII. *Cod. Theodoſ.* collata cum Lege XLVII. ejuſdem *Cod.* Tit. *de Curſu publico.*
(*p*) CÆSAR vocem in maſculo genere adhibet, *de Bello Gall.* Lib. I. *Pro vallo carros objecerant.* In neutro HIRTIUS *de Bello Hiſpan.* Cap. VI.
(*q*) ONUPHR. PANVINIUS in *Commentariis Reip. Rom.* Lib. II. pag. 238. Edit. Wechel.

MONUM.

M. AEMILIO. M. F.
CL. NIGRO. ARA
MIL. FRVM. LEG. XXX. V. V.
F. C. H.

Patet hinc Cives Arenſes Tribui Claudiæ omnes fuiſſe Romæ adſcriptos, poſtquam Antoniniana Lege omnes Romano ſubjecti Imperio, adeoque & Arenſes, ſive in Gallico ſive in Germanico, ſive alio in ſolo ſitum fuerit oppidum eorum, jus Civitatis, & cum hoc jus Tribus Romanæ obtinuerunt. Julia Lege omnis Italia, & hinc quoque Transpadana, Romanæ Civitatis jus quum eſſet adepta, urbes ejus in varias Romæ diſtributæ tribus fuerunt; uti ex Epigrammatibus antiquis id indubie conſtat. Verona & Tergeſte in Publiliam; Ateſte in Romitiam; Patavium & Brixia in Fabiam, Comum & Mediolanum in Ouſentinam, Bergomum in Veturiam, erant relatæ. (r) Præter noſtrum Æmilium Creſcentem *L. Æmilius C. F. Creſcentinus*, ut & *L. . . . . Creſcens*, nomine gentis eraſo, in Marmoribus (s) legitur.

§. CCLXVIII.

Reburrinii Monumentum.

Æmilii Creſcentis ſepulcrali Monumento aliud, eidem Capucinorum Badenſium muro inſertum, addimus, *Reburrinii* nempe *Candidi*, ex eodem *Aræ* oppido oriundi, eidemque Tribui Romanæ adſcripti. Lapis faſtigiatus eſt, duos cum dimidio pedes longus, ſesquipedem latus, in ſuperiore parte, ut præcedens, habens encarpos, cum ſubjecta inſcriptione, cujus hic tenor:

L. REBVRRINIVS
L. F. CL. CANDIDVS
ARA. MIL. CH. XXVI
VoL. CRANICI. VIC
TRIS. (ſic) STIP. XIII
H. F. C.

L. Reburrinius Lucii Filius, *Claudia* tribu, *Candidus*, *Ara* oriundus, *miles Cohortis XXVI. Voluntariorum*, *Cranicianæ victricis*, *ſtipendiorum XIII.* hic ſitus eſt, *heredes fieri curaverunt* Monumentum. Reburriniæ gentis, ad hanc diem ignotæ, notitiam huic Saxo debemus. *Reburria* pridem nota, *Reburrus* & *Reburrinus* apud Gruterum, (t) Muratorium, (u) Goriumque (x) occurrunt; ſed nomina non gentilitia ſunt. Reburrinius noſter patriam, oppidum vel vicum *Aram*, Tribum vero *Claudiam* Romæ, cum Æmilio Creſcente habuit communes.

§. CCLXIX.

Voluntarius.

Adſcriptus fuit Cohortali militiæ, *Cohorti* nempe XXVI. *Voluntariorum*. In Gruterianis Epigrammatibus (y) bis occurrit COH. XXXII. VOLVNT. Voluntarii in veteri jam militia dicti ſunt, qui ſponte militiæ nomen dederunt; (z) diverſæ conditionis à Volonibus, qui bello Punico II. celebres erant: ſervi, pro dominis ſe pugnaturos, polliciti. (a) Antoninus Philoſophus exemplum hoc imitatus, ſervos quoque ad militiam paravit, eosque *Voluntarios* exemplo Volonum appellavit, ut Julius Capitolinus (b) loquitur. Diverſi plane generis claſſisque fuerunt Voluntarii illi, quorum Cohorti XXVI. Candidus noſter fuit adſcriptus. Apud Livium enim *Voluntarii* quoque ſæpe nominantur liberi homines, qui quum vel propter ætatem, vel quod

(r) Onuphr. Panvinii *Antiquitates Veron.* Lib. II. Cap. XXXIII. pag. 87.
(s) Muratorii *Inſcript.* Tom. III. pag. 1480. num. 5. & pag. 1394. num. 1.
(t) C. Julius Reburrinus. Gruter. *Inſcript.* pag. 547. num. 4.
(u) Reburrinus Lapidarius. Murat. *Inſcript.* Tom. IV. pag. 2046. num. 8.
(x) *Inſcript. Florent.* pag. 129.
(y) *Inſcript.* pag. 454. num. 8. & 9.
(z) Livius III. 57. XXIX. 1.
(a) Macrobius *Saturn.* I. 11. cui Festus in hac voce addatur. Ex Junioribus Coelius Rhodiginus *Antiq. Lection.* Lib. XXV. 23. Lazius *Commentar. Reipubl. Rom.* V. 3.
(b) In *Vita Antonini* Cap. XXI.

quod legitima ſtipendia confeciſſent, cogi non poſſent, ſponte militabant, Dioni Ἀνάκλητοι dicti, *Evocati* Latinis. Ita Secundus Claudius Auſpicalis *Cohortis X. Voluntariorum*; & Cl. *Artovius Pachynus, miles Veteranus in Cohorte XIII. Voluntariorum civium Romanorum*, apud Reinesium (*c*) leguntur. Imo ibidem *Optius Tribunus Legionis I. Voluntariorum* occurrit.

§. CCLXX.

Cohortes in peditatas & equitatas diviſæ fuerunt. Reburrinius vero noſter quum *Miles* dicatur, ad peditatam referendus. *Militem* enim *Equiti* opponere ſolebant Latini; Imo & exercitum equiti oppoſuerunt, quod priſca Romanorum diſciplina præcipuum fuit in pedite robur. (*d*) Conſtantiniano & ſequentibus ſeculis omnis in Equitatu fuit exercitus vis; unde *militis* voce tum intellectus eſt *eques*; quæ appellatio per medium deinceps ævum, ad noſtra usque tempora, duravit; quibus Equites qui ſunt, militaris ordinis eſſe dicuntur. Imo in nonnullis Cohortibus Voluntariorum pedites equitesque ſimul fuerunt. In Edicto enim Domitiani Cæſaris, Tabulæ æneæ inſculpto, quæ Salonæ eſt, legitur: *Peditibus & Equitibus, qui militant in Coborte IV. Alpinorum & in VIII. Voluntariorum Civium Romanorum* &c. (*e*) Sequiore ævo Romani plerumque auxiliares copias vocant *Cohortes*; at quæ producimus Monumenta, Cohortes civium Rom. Voluntariorum aperte loqountur. Cohortes.

Lapis noſter duabus modo literis CH. omiſſa nempe vocali o, Cohortem exprimit. *Cohors* enim *Chors*, *Cors*, promiſcue apud Veteres. Poſteriores formæ à ruſticis contractæ videntur. In Pinacotheca mea ſigillum æneum, literis ſemiextantibus ſculptum, quod Roma attuli, extat, cujus hoc ectypum:

FELIX·CH
ORS·PRIMA

§. CCLXXI.

Chors noſtra XXVI Voluntariorum duobus in Epigraphe ornatur elogiis, quorum poſterius, imo forſan utrumque, mendum habet fabrile: CRANICI. VICTRIS. Ita ſane Lapis nullis punctis, literis, nullove ſpatio interjectis; unde Cohortis XXVI. epitheta eſſe videntur. Exiſtimavi aliquando vocem CRANICI *Germaniciana* interpretandum eſſe. Potuit Cohors hæc aliquando ad Aſiæ flumen Granicum (C enim cum G ſæpe confunditur) rem fortiter geſſiſſe, atque inde *Graniciana* obtinuiſſe nomen. Cel. Hagenbuchius vocem CRANICI in tres partes diſtrahendam, diſtractisque literis C. R. & ANICI ſiglam (7 Centuriæ) interponendam in hunc modum arbitratur: C. R. 7. ANICI. VICTORIS. Ad conjecturam hanc Gruterianus eum Lapis, ſupra prolatus, induxit, ubi *Voluntariorum Civium Romanorum* legimus expanſe. Granici.

Vox *Victris* pro *Victricis* poſita, uti *Ornamentis Sacerdotalis* pro Sacerdotalibus in Libertorum illo Columbario, quod Gorius (*f*) edidit, legitur. *Qui* pro *cujus*, *quis* pro *Civis*, *felicitates* pro felicitatis, *primcinia* pro primigenia. Orthographicis mendis plenius vix ullibi Epigramma occurrit, quam illud Harmoniæ Rufinæ, quod in Muſeo Papenbrœckiano extat, & ex Archetypo Cl. Oudendorpius (*g*) protulit. Quodſi Reburrinius vivus ſibi hoc Monumentum poſuiſſet, poſtremi verſus ſiglæ H. F. C. exponeres: *hoc fieri curavit*, *hoc faciendum curavit.* Quum autem alterum L. Æmilio Creſcenti ab hæredibus poſitum ſit, eadem quoque formula locum heic habeat, *Heredes fieri* vel *faciendum curaverunt.* Victrix.

§. CCLXXII.

Quodſi denique in Epitaphiorum Badenſium Chronologiam quoque inquirere lubeat, utrumque ejuſdem præter propter ætatis fuiſſe cenſeo; id quod literarum character cæteræque circumſtantiæ indicant. Legio XIV. cui Creſcens adſcriptus, Britanniæ domitrix, nonniſi Civiliano bello ex Inſula hac in ſuperiorem eſt evocata Germaniam, Epitaphiorum Epocha.

 &

(*c*) *Inſcript.* Claſſ. VIII. num. 76. & 80.
(*d*) Schelius in *Notis ad Hyginum* pag. 88.
(*e*) Ibidem pag. 87.
(*f*) Pag. 162. Edit. Venet.
(*g*) In *Deſcriptione Monumentor. Papenbroeck.* num. 50. pag. 42.

MONUM.

& Gallo Annio miſſa, Tacito (*h*) referente. Claudii Civilis turbæ vero in Vitelliana & Veſpaſianea jam inciderant tempora, unde Marmoris hujus Epocha Veſpaſianeis temporibus haud dubie debet eſſe poſterior. Et Creſcens & Reburrinius, uterque Arenſis, jure Tribus Romanæ gaviſi, adeoque reputati ſunt Cives Romani. Ara oppidum, patria eorum, quum vel in Gallia, vel in Germanica Rheni ora, ſitum fuiſſe videatur, Antoninus autem Baſſianus jus Civitatis Romanæ primus omnibus Imperii Rom. conceſſerit incolis, haud abſonum eſt credere, nonniſi poſt Caracalliana tempora, ſive poſt ſeculi III. initium, Epitaphia hæc poſita eſſe. Trans-Rhenana in tractibus, Rheno Alſatiæque vicinis, quæ novimus, Monumenta, ita comparata ſunt omnia, ut nullum eorum Tiberiano ævo antiquius, nullum Conſtantiniano poſterius eſſe queat; quod ipſo hoc temporis intervallo limitem illum Trans-Rhenanum Romani poſſederant. Poſt Conſtantinum enim nonniſi temporariam Caſtellorum quorundam, hinc inde exſtructorum, poſſeſſionem obtinere potuerunt; ut ex Juliani & Valentiniani I. rebus in ora hac geſtis, didicimus.

§. CCLXXIII.

Inſcriptiones aliæ.

Badenſibus his Epigraphis alias duas, quæ ibidem olim extiterunt, ex Beyellio (*i*) ſubjungo; ſingulare licet nihil contineant: in tanta enim veterum Monumentorum in his oris penuria nullius non fragmenti habenda eſt ratio.

D. M.
GABRIEL. AIMTONIVS
GIAMTVS. GIMATVS
PATER. P. O. S. I. T

Item alia

D. M.
GNORIA. FAA. BIIIAN. XXXX.
GNORIVS. P. P. I. MIGENIVS.
VX. LIVI.

Quam infelix Monumentorum exſcriptor Beyellius fuerit, ex ſpeciminibus his patet; quæ antiquitatis cognitioni vel leviter imbutus deſcripſiſſet diligentius. Id facile liquet, *Giamium* prioris, & *Gnorium Primigenium* poſterioris Monumenti extitiſſe Auctores. *Gnoria* provincialis gens nonniſi in Epigrammate Badenſi; *Giamia* vero in Badenſi altera & Divodurenſi Mediomatricorum occurrunt. (*k*)

CAPUT XIX.

NUMMI ALSATICI
CELTICO-ROMANI.

§. CCLXXIV.

Nummi Periodi Celticæ.

MOnumentorum Alſaticorum ſeriem claudunt Numiſmata. Ob ſterilitatem argumentum hoc in Celtica præterivi Periodo, quam nunc Romanæ conjungo. In utraque nihil certi, quo res Alſaticæ lumen accipiant. Itaque falſæ aliorum opiniones confutandæ potius, quam vera rerum documenta nobis occurrunt. Claudius Bouteroue (*l*) Gallicos, quorum plures producit, nummos ad periodum Celticam refert. Othonem Sperlingium (*m*) contra, ſi audias, omnes, quos Bouteroueus Epocha Romana antiquiores exiſtimat, nummi nonniſi ad Romanorum, in Gallia dominantium, referenda ſunt tempora. "Nullum plane (inquit,) obſervavi nummum, „ qui non Romanis debeatur, illorumque coloniis in Galliam deductis, aut illorum „ auctoritati, jus monetæ Gallis quæ conceſſit. Sub illorum auſpiciis Eburovices Aulerci,

(*h*) *Hiſtor.* Lib. II. Cap. XI.
(*i*) Apud Barthium, *Adverſarior.* Lib. LII. Cap. I. pag. 2429.
(*k*) Meurisse *Hiſt. des Eveques de Metz* pag. 11.
(*l*) *Recherches Curieuſes des Monnoyes de France.*
(*m*) In Libro ejus *de Nummis non cuſis* Cap. XXXVII. pag. 255.

Aulerci, Dornacus, Rauraci &c. memoriæ, tanquam Numinum gentis, nummos „ MONUM.
ſuos ediderant, & dicarunt. Ab illis temporibus, quando Galli Romanam maje- „
ſtatem comiter conſervare cœperant, hi nummi ſunt deducendi.

Germani caruerunt nummis: TACITUS (n) eos, qui Rheno ſunt proximi atque vino mercantur, nummos cognoviſſe ſcribit; quos à Gallis vel à Romanis in Gallia acceperant. Nihil tamen inde pro temporibus Gallorum ante Romanos, atque adeo pro Celticis nummis, concludas. Hi quidem apud Gallos cudi potuerant, in Gallia veteri licet non effoderetur argentum. Ex altera enim parte quoque novimus, obliquis fluviorum decurſibus, multa auri ramenta in montibus Gallicis fuiſſe abrupta, unde armillas, torques, annulos priſci confecerint Galli: utrumque ex DIOOORO (o) addiſcimus. Ornamenta ex auro parare ſi Galli noverunt, aureos quoque nummos potuiſſent procudere.

§. CCLXXV.

Sed jam ad rem ipſam accedendum eſt propius. Numiſmata Galliæ vetera, quæ BOUTEROUEUS, PAULUS PETAVIUS, (p) JAC. CHIFLETIUS, (q) MONTEFALCONIUS, (r) aliique proferunt, vel literata, vel illiterata ſunt. Literata Latinos characteres exhibent. Gallis veteribus aut Celticæ, aut Græcæ literæ uſitatæ fuerunt, quod Græci coloni Galliæ auſtralis oram fere omnem tenuerant. Tabulæ, quas JULIUS CÆSAR in Helvetiorum caſtris invenerat, literis Græcis conſcriptæ fuerunt; (s) Helvetii autem referebantur ad Celtas. Arguimus hinc, Gallicos nummos, Latinis characteribus notatos, non ex Celtica, ſed ex Romana Gallorum Periodo ſupereſſe. MARCELLUS, (t) Franciæ Hiſtoriæ collector induſtrius, ubi veteris Galliæ fata recenſet, quatuor nummos, quos Celticos reputat, in medium producit, quorum tres in antica caput galeatum, duo in poſtica equum decurrentem exprimunt. Priorem Caletibus populis adſcribit, quod retro equum Græcis literis ΚΑΛΕ legitur: poſtremum attribuit Rauracis, literas vetuſtate detritas, quæ ante caput (quod Veneris eſſe videtur) leguntur, RAKA vel RVRA exhibere decernens. In poſtica effreni currentique equo nomen IVLIO ſubjicitur. Eandem, quam ex BOUTEROUEO (u) Marcellus hauſerat, ſententiam SIOEBERTUS HAVERCAMPUS (x) ſecutus eſt, nummulum hunc argenteum vel ad Rauracos, vel ad Raraurium, prope Pictavienſes, poſſe ſpectare. Nummum iſtum olim quoque poſſederat PAULUS PETAVIUS, in Francorum Curia Senator, ac in Libello rariſſimo, quo antiquaria ejus ſupellex æri inciſa exhibetur, (y) protulit. Ex Gaza hac NICOLAUS PEIRESCIUS Codici Ms. qui in Illuſtris BOZEI Librorum Theſauro nunc reperitur, ectypon ejus inſeruit. Sed & inter Numiſmatica cimelia DN. DE CLEVES Lutetiæ nummus ſimilis extat, in quo legitur: DVRAT. uti Abbas BARTHOLOMÆUS, Academiæ Inſcript. ſocius, literis mihi nuper perſcripſit. Ex diverſis delineationibus hujus nummi inferimus, eos nummum haud recte intuitos eſſe, qui *Rauracos* nobis ex illo obtrudunt; quum & Petavianum, & Peireſcianum ectypa, & Clevianum archetypum aperte repugnent, *Rauracosque* excludant. Nomen IVLIO, quod in poſtica legitur, Romana quoque Galliæ tempora indicat, nummumque adeo à Celtica plane relegat Periodo. Havercampus nomen hoc ad oppidum Juliobonam referens, eo ipſo ex Celtica nummum ætate excludit; hujus enim & Auguſtobonæ nomina ſub Julio & Auguſto ſunt orta.

Nummi dicti Rauracorum.

§. CCLXXVI.

A Rauracis progrediendum ad Sequanos. Apud hos ſeculo ſuperiore aurei argen- Sequanorum.
teique nummi numero plures è terræ Sequanicæ ſinu in apricum prolati ſunt, quos Sequano-Celticos eſſe arbitratur CHIFLETIUS, eo quod plerique equo ſignati; equitatus autem præ cæteris Gallis Sequanos polluiſſe, alibi (z) dictum. Nec ego nummos hos abjudico Sequanis; at Gallica nomina *Cantorix*, *Acos*, *Auſero*, *Durnorex*, (a) literis

 Romanis

(n) *German.* Cap. V.
(o) DIODORUS SICULUS Lib. V. Cap. XXVII. pag. 304.
(p) *Antiquariæ ſupellectilis Portiuncula.*
(q) *Veſontion.* Part. I. Cap. I. pag. 7.
(r) *Antiquité Expliquée* Tom. III. Part. I. pag. 88. Tab. LII.
(s) CÆSAR *de Bello Gall.* Lib. I. Cap. XXIX.
(t) GUILLAUME MARCEL, *Hiſt. de l'origine & du progrès de la Monarchie Françoiſe* &c. Tom. I. pag. 66.
(u) §. XXX. pag. 47.
(x) In *Notis ad Paul. Oroſii Hiſtor.* Lib. VI. Cap. VII. pag. 387.
(y) Vide Libri hujus Tab. II. Nummor. argenteor. ſerie V. num. 1. liber à me ſupra laudatus, pag. 489.
(z) Period. Celt. pag. 67.
(a) Similes quoque nummi iiſdem inſigniti nominibus, in *Petaviana ſupellectile antiquaria* occurrunt Tab. II. Argenteor.

MONUM.

Romanis expreſſa, Romanum Galliæ ævum annuntiant. Nommus, in eadem ſerie conſpicuus, Q. DOCL id ſatis confirmat: *Quintus Docus* enim Celtici uſus nomen non fuit. In omnibus his Gallicis nummis capita absque barbis occurrunt, quas olim aluiſſe Gallos, non multum licet eas demitterent, oſtendi jam alibi. (*b*) Illi ergo ſoli ad Celticum ævum pertinere videotur nummi, qui illiterati, rudis & barbari plane ſunt operis, ex plumbo, ſtanno, ære mixtis conſtantes, quæ inconditum & informe quid ſapiunt. Belgæ, qui ex Gallia in maritimas Inſulæ Britannicæ oras, ante Divi Cæſaris tempora, migraverant, ære aut taleis ferreis, ad certum pondus examinatis, utebantur pro nummo; (*c*) nummique adeo ſignati apud eos non uſitati fuerunt. Celtas autem eos, qui Græcis Galliæ auſtralis Coloniis viciniores erant, uſum nummorum ante reliquos Gallos noſcere cœpiſſe, veriſimile eſt.

§. CCLXXVII.

Romanorum nummi.

Sed, miſſa jam Periodo Celtica, Gallici quidam nummi, Romanis in Gallia imperantibus cuſi, qui Rauracos & Mediomatricos reſpiciunt, examinandi ſunt pauci. Tiberianus ab Huberto Goltzio (*d*) producitur nummus, in quo *Coloniæ Aug. Raur.* (*e*) mentionem fieri pertendit. Nummus præcipuis Europæ, quæ novimus, Numopbylaciis, ignotus, ſola Goltzii fide, nonnumquam dubia, nititur, qui nec ectypum, nec deſcriptionem ejus exhibuit; imo inter Tiberiana Numiſmata, quæ lance ſatura edidit, plane omiſit. Veriſimilis hinc conjectura Harouini, (*f*) Goltzium, quum in Tiberiano nummo ſiglas C. A. R. vidiſſet, Coloniam Aug. Rauricam inde exſculpſiſſe, quum & *Col. Aſiam Regiam*, vel aliud quid, inde exſculpere potuiſſet. Sed & Mediomatricorum nummus in Muſeo Jeſuitarum Collegii Ludovici M. Lutetiæ extat, atque ab Harduino (*g*) in lucem prolatus eſt, in quo MEDIOMA aperte diſtincteque legitur; qui idem nummus, æneo minimæ furmæ ſimilis, cum Epigraphe MEDIO. in inſtructiſſimo Numophylacio Dn. Pellerin, Lutetiæ anecdotus viſitur, in cujus antica caput galeatum, in poſtica vero Eques, à dextra verſus ſiniſtram decurrens, uti Vir Cl. Abbas Bartholomæus, ſuis ad me literis perſcribit. Uterque nummus antiquitatis haud dubiæ, primis Æræ Chriſt. ſeculis cuſus videtur. Mediobarbus (*h*) ſiglas alias, ut MDOB. MDPS. quæ in Nummis occurrunt, Harduino auctore inductus, ita interpretatur: *Mediomatrici obtulere*, & *Mediomatrici Patrono ſuo*: idem, qui ſiglas LVCPS. *Lugdunenſes Civitates Patrono ſuo*, (*i*) expoolt. Ex eadem ſchola altera illa de Mediomatricis interpretatio, apud Mediobarbum, prodiit.

Uti vero monetariam officinam apud Treviros extitiſſe, præſertim, quum tertio quartoque ſeculis urbs illa plurium Imperatorum ſedes fuiſſet, tot nobis indicant nummi, ita & oumiſmatum, quæ protulimus, fide apud Mediomatricos officinam viguiſſe credimus; quod nummi, quos produximus, ad aliam gentem, quam ad *Mediomatricos*, referri non poſſuot. In Colonia Rauracorum vero, vel etiam Argentouariæ, Helveti, Argentorati, Brocomagi, Fabricas quoque à Romanis inſtitutas fuiſſe, oullo nobis indicio patet. Armorum omnium fabrica, Argentorati florens, cum monetaria officina nihil habuit commune. Nec Auguſta Rauracorum & Argentoratus jus monetandi adeptæ ſunt, quod illa Colonia, hæc Municipium fuit. Monetæ, in coloniis, municipiis ac liberis civitatibus, ſignandæ jus ab Imperatoribus conceſſum eſt; id quod expreſſa in pluribus nummis facultas arguit: *Indulgentia Auguſti*, *permiſſu Auguſti*. (*k*) Hoc tamen jus omnibus deinceps coloniis & provinciis, ſi Ægyptum exceperis, à Claudio vel Aureliano abrogatum, quod ab eo tempore nulli amplius coloniarum oummi & cum urbium Græcarum oomine occurrunt. (*l*)

§. CCLXXVIII.

(*b*) Period. Celt. pag. 63.

(*c*) Cæsar. *de Bello Gall.* Lib. V. Cap. XII. Locus vexatus, & Codicum variatione corruptus, id tamen indicat aperte, Gallos Belgas, eorumque Colonias in Britannia ſtabilitas, non uſos eſſe nummo, ſed æs ferrumne, ad certum pondus examinatum, inſtituiſſe pro nummo.

(*d*) *Theſaur. Rei Antiquar.* pag. 237.

(*e*) Vide quæ in Geographicis ſuperius §. XLIX. pag. 150.

(*f*) *Nummi Antiqui Populorum & Urbium illuſtrati*; Operum ejus Selector. pag. 143.

(*g*) Lib. cit. pag. 104. unde Mediobarbus novæ editioni *Theſauri* eundem inſeruit, ita tamen, ut MEDIOMAT. poneret, pag. 588.

(*h*) *Numism. Imp. Rom.* pag. 588. Edit. auct.

(*i*) Vid. Jobert *ſcience des Medailles* cum Not. Bimard de la Bastie Tom. I. pag. 177.

(*k*) Seguini *Selecta Num.* pag. 114. Vaillant in *Nummos Coloniar.* ſub Domitiano aliisque. Ezech. Spanhemius *de Præſtantia & Uſu Numismatum Antiq.* Tom. II. pag. 169.

(*l*) Vaillant *Numm. Colon.* pag. 352.

§. CCLXXVIII.

Munus ſignandæ pecuniæ.

Signandæ pecuniæ munus quod attinet, illud primitus apud Triumviros, Quatuorviros monetales, inde penes Procuratores monetarum extitiſſe novimus, qui è nutu Comitis ſacrarum Largitionum pendebant, ejusdemque auctoritate pecuniam ſignari curabant. Ammianus (m) eos *monetæ Præpoſitos* vocat. Sequiore hoc ævo in nummis invaluit formula *Moneta Auguſti*, vel *Auguſtorum*, vel *Auguſtorum & Cæſarum noſtrorum* &c.

Officinæ.

Tum in infima parte nummi ſiglæ, monetariam officinam quæ deſignant, frequentes: S T. *Signata Treviris*, P T. *Percuſſa Treviris*, S M T R. *Signata moneta Treviris*. S M T R S. *Sacra moneta Treviris ſignata.* &c. ipſius quoque Monetarii, vel etiam officinæ primæ, ſecundæ &c. addita nota ſubinde. S M K A. Signata moneta Karthagine. S M S I S C. Signata moneta Siſciæ. S M N A. Signata moneta nova Antiochiæ. S M A Q. Signata moneta Aquilejæ. Siglas S. M. A. eodem quis jure interpretaretur *ſignata moneta Argentorati*, quo Goltzius C. A. R. *Col. Aug. Raur.* interpretatus eſt. Quum autem nec Notitia Imperii, nec alius illius ætatis teſtis idoneus, monetariæ officinæ, ad oram hanc Rhenenſem ſtabilitæ, ullibi mentionem reliquerit, certi quid ſtatuere non licet. Imo ſi ſiglæ S M A R. quoque exponendæ eſſent, ad *Arelatenſem* urbem non minus, quam ad *Argentoratenſem*, illæ poſſent referri. Verbum de *Brocomago* addo. Apud Bouterouëum (n) enim Nummus quoque argenteus extat; in cujus adverſa parte caput, cum galea alata, cui nomen BRICO præfigitur. Nummum hunc addo, quod nonnemini *Brocomagus* noſtra in eo deſignata poſſet videri; quæ quidem à Ptolemæo *Breucomagus*, à nullo autem Scriptore *Bricomagus* appellata.

§. CCLXXIX.

Nomina Gallorum.

Orgetorigis Helvetii me admonent ea, quæ huc usque diſſerui. Suſpectus olim mihi nummus argenteus fuerat, quem ex eodem Bouterouëo (o) in ſuis *ad Oroſium Notis* (p) protulit Sigebertus Havercampus, ubi equo currenti circumſcribitur ORCITIRIX. In mea me ſententia firmaverat Vir Doctus, cui in definiendis hujus generis rebus ego plurimum defero. Accuratius tamen rei quum inſtituiſſem examen, duos hujus nummi archetypos Lutetiæ, alterum in Nummophylacio Regio, alterum in Cleviano, extare comperior. Hi quum omni ſuſpicione careant, atque Bouterouëano ſint omnino conformes, meliora jam edoctus, ſententiam me mutaſſe profiteor; Helvetiæque adeo veterem principis ſui civis memoriam, à Divo Julio (q) celebratam, pluribus nummis reſurgentem jam gratulor.

Dumnorix, Divitiaci frater, Cæsari (r) quoque memoratus, qui eodem tempore apud Æduos, quo apud Helvetios Orgetorix, principatum tenuerat, in ſimili, ubi DVRNOREX, (s) fortaſſis occurrit. Noſtrum intereſſet, Catamantaledis, vel filii ejus Caſtici, renovari memoriam, quod in Sequanorum Civitate, cujus partem Alſatia ſuperior conſtituit, prior obtinuerat, alter affectaverat Regnum. (t)

CAPUT XX.

MONUMENTA EXTERA ALSATIÆ ILLATA.

§. CCLXXX.

Monumenta extera.

AMicorum, quibus plurimum defero, conſilia induxerunt me, ut Alſaticis Monumentis extera, in Alſatiam à me allata, ſubjungerem, quorum pleraque nondum typis exſcripta, An. MDCCXXVII. Romæ quum verſarer, detecta; quibus Neapolitanum & Polonio-Hungaricum addo.

Inter

(m) Lib. XXVIII. Cap. I.
(n) §. XXXVIII. pag. 52.
(o) Pag. 51.
(p) Ad Lib. VI. Cap. VII. pag. 386.
(q) *Bello Gall.* Lib. I. Cap. II. III. IV. & XXVI. Adi Illuſtr. Bochati *Commentar. Hiſt. Vet. Helvet. Gallice* editos, Tom. I. pag. 584. ſqq.
(r) Idem Cap. III. IX. XVIII. & Lib. V. Cap. VI. VII.
(s) Apud Petavium & Chiffletium locis alleg.
(t) Cæsar Lib. I. Cap. III.

MONUM.

I. Inſcriptio Græca.

Inter Romana mea Marmora oblonga ſunt tria Græca, quorum primum, Tabula, unum pedem octo pollices longa, & octo pollices lata, in qua leguntur verſus hi quatuor:

ϹΩΦΡΟΝΑΚΡΗϹΚΕΝΤΕΙΝΑΝΕΧΩΝΤΑΦΟϹΕΝΘΑΔΕΚΕΥΘΩ
ΤΗΝΠΑϹΗϹΑΡΕΤΗϹΚΥΔΟϹΕΝΕΝΚΑΜΕΝΗΝ
ΗΤΙϹΕΝΙΖΩΟΙϹΙΝΟΚΩϹΑΝΕΤΕΛΛΕΝΕΩΟϹ
ΝΥΝΔΥΝΕΙΔΥΠΟΙΗΝΕϹΠΕΡΟϹΕΝΦΘΙΜΕΝΟΙϹ

Cl. Hagenbuchius eos ita in ſermonem tranſtulit Latinum:

Heic Creſcentinam tumulus recondo modeſtam,
Laudem virtutis quæ tulit omnimodæ.
Non magis in vivis illuxit Lucifer, ac nunc
Occidit infernis Heſperus ipſa locis.

Titulo huic metrico ſimiles ex antiquitate ſuperſunt non pauci; quorum ſegetem *Anthologia Græca*, (u) Ferretius, (x) Brouuerus, (y) Fleetuuooous, (z) Gorius, (a) Muratorius, (b) Leichius, (c) aliique in lucem protulerunt. In Tabula noſtra ε & Σ, epſilon & ſigma, ſemper rotunda ſunt, ſecundum inductam recens formam Latinam, nullibi quadra veteri Σ vel Ε exhibetur. Latina hæc forma in Occidentalis Imperii marmoribus à primo Monarchiæ Romanæ tempore cœpit uſitari, quod uno ductu facile exarata conſonæ Latinæ C aſſimilaretur. Græci autem ipſi veteris uſus tenaciores fuerunt ad ſeculum usque quintum, quo in ipſis marmoribus orientalibus priſca etiam forma rareſcere cœpit. (d) Sed & Ω, ſeculo quinto, ante Chriſtianam Æram, præter propter inductum, antea per O ſimpliciter ſcriptum, in marmore noſtro exhibetur; prouti in Nummis & Lapidibus ab Imperio Auguſti, & in Codicibus pingitur.

§. CCLXXXI.

(u) *Epigrammatum Græcorum* Libri VII. Henr. Stephani, Brodæi, Obsopoei, *Scholiis* illuſtrata.

(x) *Muſa Lapidaria in marmoribus Carmina*, ſed nonniſi Latina.

(y) *Antiquitatum Trevirenſium Proparaſceve* pag. 63. ubi: ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΑΙ ΕΥΣΕΒΙΑ &c.

(z) *Sylloge Inſcript.* pag. 213. hæc habet: ΩΦΡΟΝΑ ΣΕΜΝΗΝ ΘΕΟΔΩΡΑΝ &c.

(a) *Inſcript. Florent.* Tom. I. pag. 119. ubi ſimilis Epigraphe duobus diſtichis, quæ in Hortis Corſinianis. Item pag. 425. ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΙΩΝ ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΜΑΙ.

(b) *Theſaur. Nov. Inſcriptionum* paſſim.


(c) *Sepulcralia Carmina* ex Anthologia MS. Græcorum Epigrammatum delecta.

(d) Montfaucon *Palæographia Græca* Lib. II. Cap. VI. pag. 153.

MONUM.

§. CCLXXXI.

Creſcentinæ Epigramma Græco-metricum excipit ſimile, puero Heliopæ poſitum. *II.* Inſcriptio.



ΕΝΘΑΔΕΚΕΙΜΕΒΡΕΦΟΣ
ΚΟΙΝΟΥΒΙΟΤΟΙΟΑΜΟΙ
ΡΟΣ ΗΔΙΣΤΟΥΠΑΤΕΡΟΣ
ΚΑΙΜΗΤΕΡΟΣΕΥΜΟΡΦΙΗΣ
ΠΡΩΤΟΤΟΚΟΝΔΙΕΤΕΣ ΘΕΩ
ΜΕΜΕΛΗΜΕΝΟΝΗΔΥ ΗΛΙ
ΟΠΑΙΣΛΥΠΩΝΓΛΥΚΕΡΟΥΣ
ΧΡΗΣΤΟΥΣΤΕΤΟΚΗΑΣ
Θ Ο Τ Κ Ν

Latine.

HIC JACET INFANS,
COMMUNIS VICTUS EXSORS,
AMANTISSIMI PATRIS
ET MATRIS PERPULCRAE
PRIMOGENITUS, BIMULUS, DEO
QUI CURAE ERAT DULCIS, SOLIS
FILIUS, RELINQUENS POST SE SUAVES
PROBOSQUE PARENTES,
DEI FILIUS.

MONUM.

Κειμι, pro κείμενόν ἐςι. Βιοτοιο, Jonice pro βιότȣ. Ευμορφιης, Ionice pro ἐυμορφίας. Τοκηας, Attice pro Ἰωνίας, quod Ionum eſt. *Heliopas*, pueruli anonymi potuit extitiſſe elogium, indicans, eum omni numero abſolutum ac perfectum fuiſſe, *ſolis puerum*. Potuit etiam, quod veriſimilius, ipſum pueruli noſtri nomen fuiſſe, uti in Maffejano marmore (*e*) *Chryſopas* aureus puer, occurrit. Verſus ultimi ſiglæ numerales ſi eſſent, annum DCCCCLXX. ΤεΚΝεγονίας illis exprimi crederes, ſi Marmoris ætatem ad ſeculum X. Æræ Chriſtianæ, ſive *Filii Dei Nati*, rejicere deprimereve liceret. Si vero ad pueruli epitheta, quod verius eſt, referendæ ſunt ſiglæ, excudere inde poteris ΘεΟ ΤεΚοΝ vel ΘεΟυ ΤεΚνοΝ, quæ formula ad verſus tertii verba, ϑεῷ μεμελημένον, quoque poſſet reſpicere: poſſet tamen etiam Chriſtianiſmi indicium eſſe, patefacereque, puerum accepiſſe baptiſmum. In hac poſteriore ſententia Cl. HAGENBUCHIUS, Profeſſor Tigurinus, à me ſupra laudatus, in Literis ſuis ad me datis acquieſcit. Sed & patris matriſque nomina ſiglis his exprimi, credere quis poſſet. In ſimili apud Florentinos tabula, (*f*) quam Cyrillus Cleophoro filio poſuit, Parcas triennem puerum ſibi abſtuliſſe conqueritur pater.

§. CCLXXXII.

III. Inſcriptio. Tertia, quam offero, Tabella Græca brevis atque exigua, nihil niſi nomen *Marci Julii Kolarbaſis* prodit.



Sepulcrale, an aliud hominis monumentum fuerit, non divino. Ampliſſ. HERBSTERUS, Ser. Marchioni Bada-Durlacenſi à Conſiliis Aulicis, hoc mihi marmor attulit Roma.

§. CCLXXXIII.

IV. Inſcriptio. Prope portam Capenam Romæ, hodie S. Sebaſtiani, in lævo latere Appiæ Viæ ſopra modicum clivum, erutum fuit An. MDCCXXVI. ſepulcrale Conditorium, ſive *Columbarium*, in quo tituli quidam abſidibus affixi, quos inter hic erat:

Q. GAVIVS. ARMONIVS
LOC. SCAENICORVM
VIXIT. ANNIS. XXIIII. M. VI

Singularis & publica luce digna Inſcriptio, quam, in manibus meis quum jam eſſet, Commentariolo illuſtravit DOMINICUS GEORGIUS, (*g*) Emin. Cardinali IMPERIALI tum à Bibliotheca, variis ſcriptis in publicum editis Reipublicæ Literariæ notus. Gens, ex qua Q. Gavius Armonius noſter, Locator ſcænicorum, ortus, gens fuit vetuſta & nobilis Romæ. (*h*) Gavius Maximus, Præfectus Prætorio ſub Antonino Pio, ex Julio Capitolino innotuit. L. Gavius apud CICERONEM (*i*) memoratur. Nullibi tamen gens hæc, quam in Etruriæ urbibus, frequentior; Florentiæ præſertim, Cortonæ, Seſtini, Cluſii, Volaterris; quod tituli, apud GORIUM (*k*) ſuperſtites, probant; inter quos *Q. Gavius Clemens*, Civis Cluſinus, Evocatus Auguſti, officium *à quæſtionibus* geſſit. Volaterris in M. Annæi Longini, hiſtrionis, Titulo memoria *C. Gavii Primigenii* legitur. (*l*)

§. CCLXXXIV.

(*e*) MAFFEJI *Verona Illuſtrata* Tom. I. num. 39. pag. 18. Item in *Muſeo Veronenſi* CXIII. MURATORII *Inſcript.* pag. 359.

(*f*) Apud GORIUM *Inſcript. Florent.* pag. 421.

(*g*) Diatribæ rubrum eſt: *Antiquæ Inſcriptionis Explanatio, in qua de Locatoribus Scenicorum, Monteſaliſco*, 1727. 8vo. In fine Inſcriptiones aliæ quædam, ex eodem Columbario eductæ, ſubjunguntur.

(*h*) PANVINIUS *Antiquitatum Veronenſ.* pag. 97.

(*i*) *Epiſt. ad Atticum* Lib. VI. Epiſt. I.

(*k*) *Inſcription. Flor.* Tom. I. pag 448. Tom. II. pag. 372. 410. 412.

(*l*) Idem Lib. cit. Tom. II. pag. 277.

Digitized by Google

§. CCLXXXIV.

Roma plena fuit hiſtrionum, quorum pleroſque ex Hetruria prodiiſſe novimus. Non mirum ergo, ſi & *Locator Scænicorum* Romæ fuit Etruſcus. Locatores hi, conſtituta mercede, cum Ædilibus, ad quos ot plurimum cura & impenſæ ludorum theatralium pertinebant, aut cum Ludorum editoribus, corpus hiſtrionum pro ludis faciendis locabant. De Locatoribus his ne verbum quidem LIPSIUS, (*m*) JUL. CÆSAR BULENGERUS, (*n*) aliique, qui de Theatris egerunt. Ludi ſcenici primum inſtituti ſunt Romæ An. Urb. CCCXC. quorum profuſas impenſas LIVIUS (*o*) ſuo tempore damnat. *Scænicos* pro hiſtrionibus vel ſcænicis actoribus in Inſcriptione noſtra ſumi, quis dubitaret? Ita quoque CICERO (*p*) ſæpe, qui eos alicubi (*q*) *artifices ſcenicos* vocat. *Scænica* pro rebus, ad theatrum pertinentibus, heic quoque intelligi poſſent; prior tamen ſenſus, tanquam primarius, merito præfertur. Apud GORIUM (*r*) *Publius Cornelius Philomuſus Pictor Scænarius idemque Redemptor* legitur. Orthographia hæc Marmoris Florentini, cum noſtro pluribusque aliis conſentiens, facit, ut Græcæ analogiam originis, qua *ſcena* abſque diphthongo ſcribi deberet, apud Romanos uſu ſæpe neglectam judicemus. — Locator ſcænicorum.

§. CCLXXXV.

Gavio ſuccedat *Antonius Baſſus*, cui Romæ poſitus erat hic titulus; urnulæ marmoreæ, oſſiculis & cineribus plenæ, inſculptus operculo: — V. Antonius Baſſus.

D. M.
Q. ANTONIVS. BASSVS
FEC. C. DO MIO
COGI TATO



AVONCVLO. SVO. B. M
VIX. AN. LVIII.

Q. Antonius Baſſus titulum ſepulcralem *fecit C. Domio Cogitato*, *Avonculo ſuo bene merenti*, qui *vixit annos* LVIII. Et Antonius Baſſus, & Domius Cogitatus, mediocris conditionis homines fuerunt, id quod ex Epigraphe & ex urnæ conditione intelligimus. Hæc ſimplex & quadrata fuit, ſingulaque ejus latera nonniſi pedis unios; oſſa non ollæ minori indita, quæ in urna reponeretur majore, ſed marmorea mediocris urna oſſium cuſtodivit reliquias. *Antonia* gens celebris, at ignota eſt *Domia*. *Baſſos* quoque plurima Marmora produnt, pauciora *Cogitatos*. *Baſſi* in Aurelia, Aufidia, Betiliena, (*s*) Cæcilia, Cæſia, Cejonia, Ceſellia, Calphurnia, Galbia, Julia, Junia, Licinia, Lucilia, Pomponia, Saleja, Ventidia, gentibus Romanis occurrunt, (*t*) in Antonia vero Baſſum huc usque non reperi.

(*m*) *De Amphitheatro.*
(*n*) *De Theatro.*
(*o*) Lib. VII. Cap. XI.
(*p*) *De Officiis* Lib. I. Cap. XXXIII. & XXXV.
(*q*) *Orat. pro Archia Poeta*, Cap. V.
(*r*) *Inſcript. Florent.* Tom. I. pag. 391. Similem vide apud FABRETTUM in *Inſcript.* Cap. II. pag. 78. num. 90. quam etiam MABILLONIUS in *Itinere Italico* producit.
(*s*) Nummum æneum, in cujus antica *P. Betilienus Baſſus*, exhibet VAILLANT in *Nummis Famil.* Tom. I. pag. 176.
(*t*) GLANDORPII *Onomaſticon Romanum* in nominibus his.

§. CCLXXXVI.

Excavatio

Excavatio, in operculi & Epigraphes medio facta, ſiſtit excavatum craterem, cum uno foramine ſubtus; in aliis quandoque tria, quinque vel ſeptem, obſervavi foramina, ſed nunquam nomero æquali. Inſerviebant parentalibus anniverſariis, vel in feriis mortuorum, aut quotiescunque cineres ſacrificiis aut libationibus reſpergere, (*u*) unguentisve perfundere, voluerant: forſan & ad flores excipiendos, quibus defunctorum animas delectari putarunt, ut in urna ver eſſet perpetuum. (*x*) Unde & corollis ornatæ ſæpius ſepulcrales Epigraphæ. Apud EURIPIDEM in *Oreſte* (*y*) Helena Hermionem, filiam ſuam, monet, ut fuſo melle, cum lacte & vino permixto, ad ſepulcrum Clytemneſtræ ſtans in ſummo tumulo hæc dicat:

Ἑλένη σ' ἀδελφὴ ταῖς δε δωρεῖται χοαῖς.
Helena ſoror tua te donat his inferiis.

Avonculo pro Avunculo non tam errore ſculptum, quam quod O & V ſæpe alternant.

§. CCLXXXVII.

VI. Sempronius Celer.

Antonium Baſſum excipit *Sempronius Celer*, cui itidem Romæ titulus hic poſitus eſt:

M. SEMPRONIVS. M. F. COL.
CELER. AQVILLIFER
LEGIONIS. X. FRETENSIS
DOMO. PESSENVNTO
MILITAVIT. ANNIS. XX
VIXIT ANNIS. XXXX.

Celebratur hic *M. Sempronius Marci filius*, *Collina* tribu, *Celer*, *Aquilifer Legionis Decimæ Fretenſis*, *Domo Peſſinunto*, qui *militavit annis XX. vixit annis XXXX.* *Sempronia* gens late patuit, plurimasque in familias Atratinos, Scæphos, Tuditanos, Blæſos, Longos, Gracchos, Muſcas, Rutilios, Aſelliones, Rufos &c. fuit diſperſa. *Sempronium Celerem* nullibi reperio. *Celeres* alias in Aſinia, Caſſia, Cæcilia, Metia, Novia, Valeriaque gentibus reperiuntur. Unde nomen *Celer* in marmoribus frequens, ſed unico in marmore junctum Sempronio, quod marmor extat apud Hiſpanos. (*z*)

Aquilifer.

Sempronius noſter *Aquillifer* in Legione X. fuit. Duplicatur litera L. fabrili errore. Signifer nempe aquilam, ſingularum Legionum Romanarum ſignum, geſtabat; quam C. Marius in ſecundo Conſulatu ſingulis Legionibus dicavit, (*a*) quum antea quatuor alia quoque ſigna lupi, minotauri, equi, aprique, aquilæ ſocia, ſingulos ordines anteirent; unde aquilæ deinceps à ſignis diſtinctæ. (*b*) Legionis I. Aquilifer fuit P. Fontejus Spendianus, Legionis III. Julius Clemens, & Legionis XIII. C. Fabianus Evander; quibus ex X. *M. Sempronius Celer* jam jungendus eſt nobis, alios enim addere ſupervacaneum cenſeo.

§. CCLXXXVIII.

Legio X.

Legio X. cujus Aquilam ſive auream, ſive auratam, ſive argenteam, noſter geſſit Sempronius, appellatur *Fretenſis*, ab altera ut diſtingueretur, quæ *Gemina* dicebatur. Legionariæ columellæ apud GRUTERUM (*c*) duas has *Decimas* Legiones recenſent, quarum prior aliquando in ſuperiore Pannonia, Gemina autem in Judæa perſtitit. (*d*) Cognomina utriusque diverſa exponunt Marmora; quibus immorari non lubet, quum *Gruterianus* heic ſubveniat *Index*. (*e*) Doctiſſimum BREITINGERUM, (*f*) quod duas Legiones

(*u*) KIRCHMANNUS *de Funeribus Romanor.* Lib. II. Cap. II. FABRETTUS *Inſcript. Antiq.* pag. 68 ſq.

(*x*) JUVENALIS *Satyra* VII. Adi BONAROTÆ *Vaſa vitrea Cœmeterior.* pag. 189. ſq. Marmor hoc Baſſianum protuli in *Diſſert. de Apotheoſi Imperatorum Rom.* quæ extat in *Commentationibus* noſtris *Hiſtoricis* pag. 49 & 84.

(*y*) Act. I. vers. 117. pag. 51. Edit. Barnes.

(*z*) MURATORIUS in *Novo Theſauro Inſcript.* Tom. II. pag. 1213. num. 6.

(*a*) PLINIUS *Hiſt. Nat.* Lib. X. Cap. IV. Ab *Aquilifer* Itali ſuum *Alfiere* retinuerunt.

(*b*) CICERO *Famil. Epiſt.* Lib. X. Epiſt. XXX.

(*c*) *Inſcript.* Tom. I. pag. 513. num. 2. & 3.

(*d*) DIO COCCEJANUS Lib. LV. pag. 564.

(*e*) Cap. VI. pag. 30.

(*f*) *Commentatio in antiqua Monumenta Tigurina*, quæ legitur in SCHELHORNII *Amœnitatibus Literariis* Tom. VII. pag. 40.

Legiones X. admittere ooloerat, confutat Bimardus, (*g*) Lipsiumque (*h*) hac ex parte defendit. Subſiſterunt hæ ambæ temporibus Dionis, ex quo aliisque monumentis colligimus, inter Tiberii & Hadriani tempora, ex Auguſteis tres defeciſſe Legiones, ab Hadriano ad Severum Alexandrum alias tres, ita ut ex XXV. ſolæ XIX. tunc ſupereſſent.

Cognomen *Fretenſis* Legioni X. impoſitum videtur à *Freto Siculo*, quod eminenter *Fretum* dicebatur. (*i*) Milites ex ora illa lecti *Fretenſes* appellantur. Legio XLIII. Claſſica, dicta quoque *Fretenſis*, ſi Goltzium (*k*) audias. A. Atinius Paternus, Legionis X. Fret. Tribunus, ſub Trajano memoratur. (*l*) C. Junius Minatius Pupianus, Eques Rom. ejusdem Legioois fuit Præfectus. (*m*) Ammianus Marcellinus Legionis X. mentiooem facit. (*n*) Fretenſis.

Patriam denique Sempronii noſtri attingimus. Titulus ait *Domo Peſſenunto*. In Dooianis Inſcriptionibus (*o*) legitur: *L. Riccius L. F. Vel. Peſſinunte.* Peſſinus, illuſtre emporium Phrygiæ, ubi Magna Mater Idæa culta: unde Romam tranſlata; (*p*) hodie locus ignobilis. Plinius (*q*) Peſſinuntem Galatiæ aſſignat. Sempronius noſter domo *Peſſinuntius* fuit. In Marmoris ſcriptura ergo duplicater, in medio nempe vocis, & in fine peccatur; quod pro *Peſſinunte* ponit *Peſſenunto*: forma hæc veræ & genuinæ veteri orthographiæ repugnat. Peſſenunto.

§. CCLXXXIX.

Sempronio ſubjungo Cæciliam Secundam, cujus hæc extat memoria: *VII.* Cæcilia Secunda.

CAECILIA. L. ET. Ↄ. L.
SECVNDA. VIX. A. XXV.
L. CAECILIVS. L. ET. Ↄ. L.
APRILIS. F. VIX. AN. IIII.

In Inſcriptione memoratur: *Cæcilia, Lucii & Cajæ Liberta, Secunda vixit annis XXV. L. Cæcilius, Lucii & Cajæ Libertus, Aprilis filius, vixit annis IIII.* Libertus ergo L. Cæcilius, filius Aprilis, annorum quatuor, & liberta Cæcilia Secunda annorum XXV. à Domino communi, Lucio Cæcilio, Dominaque Caja, in libertatem dimiſſi ſunt. Servi enim Dominorum dimittentium oomen ſumſerunt. Aprilis fuit oomeo ſervile. Apud Gorium (*r*) *Aprilis Caji Libertus*, & *Sextus Julius Aprilis* leguntur.

§. CCXC.

Libertæ Liberta ſuccedat, Attilia Cæciliæ. Hæc titulo marmoreo ſemipedali, rhomboidis forma ſculpto, Aram dicavit, cui Deo incertum: literæ illitæ minio: *VIII.* Attilia Helena.

D. S. P.
ARAM
S. D.
ATTILIA. L. L.
HELENA.

De ſuo poſuit Aram, ſacram Diis, Attilia Lucii Liberta Helena. Diaconus & Manutius (*s*) ſiglas S. D. nonnunquam *ſacrum Diis* denotare obſervant; atque ita rectius in Marmore exponuntur, quam *ſine dolo*, qood placuit nonnullis: adde, quod Ara certo cuidam Deo, vel Diis generatim, debuit eſſe dicata. Quodſi primas ſiglas D. S. P. exponas *de ſua pecunia*, quod quidam voluere, ſubintelligendum eſt verbum *poſuit*. In Florentino titulo: (*t*) *Ceſtus de ſuo fecit.* Siglas noſtras Aventicenſis quoque Inſcriptio exhibet. (*u*)

Gggg 3 Ceterum

(*g*) *Diſſert. ſecunda, Theſauro Novo Inſcript. Muratoriano præmiſſa*, Cap. V. pag. 92.
(*h*) Lipsii *Analecta ad Militiam Rom.* Dial. V. pag. 419. 423.
(*i*) Cicero *Epiſt. ad Atticum* Lib. II. Epiſt. I. Florus Lib. II. Cap. I.
(*k*) *Theſaur. Rei Antiquar.* pag. 156.
(*l*) Panvinius *Commentar. Reipubl. Rom.* Lib. III. pag. 188.
(*m*) Gruter. *Inſcript.* pag. 194. num. 2.
(*n*) Lib. XVIII. in fine.
(*o*) Pag. 259. num. 128.
(*p*) Livius Lib. XXIX. Cap. X. Strabo Lib. XII. Herodianus Lib. I. Cap. XI.
(*q*) Lib. V. Cap. XXXII.
(*r*) *Inſcript. Florent.* Tom. I pag. 442. & 430.
(*s*) Apud Sertorium Ursatum *de Notis Romanorum* pag. 406.
(*t*) Apud Gorium *Inſcript. Florent.* Tom. I. pag. 191.
(*u*) Apud Wilde *Apologie pour la Ville d'Avenche* pag. 233.

MONUM.

Ceterum *Attiliæ* nomen apud Romanos frequens. Uriana Attilia in Mediolanenſi marmore innotuit: (*x*) *Attilia L. L. Gemellina* apud Muratorium (*y*) extat. Atilia Tyche, Atilia Callipoda apud Gorium. (*z*) *Helenæ* in marmoribus obviæ ſunt. Noſtra Attilia fuit *Lucii Liberta*, adeoque nomen, uti videtur, à Domino, libertatem donante, accepit; *Helenæ* nomine jam uſa, ſerva quum fuiſſet. Picturam literarum Marmoris noſtri quod attinet, claritatis & nitoris cauſa illæ minio pictæ ſunt. In *Columbario Libertorum Liviæ* titulus quoque comparuit, illitus minio. (*a*) Tituli librorum minio à veteribus, uti noſtra ætate, picti fuerunt. (*b*)

§. CCXCI.

IX. Monumentum Neapolitanum.

Marmoribus An. MDCCXXVII. erutis Romæ, Neapolitanum ſuccedat, quod eodem anno reſurrexit. Longitudo unius pedis & unius pollicis, latitudo X. pollicum eſt. Inſcriptio, literis majuſculis, ſed gracilibus, oblongis inſculpta, hæc eſt:

D. M.
T. FL. ANTONINO. NEP.
FL. ANTONINI. P. P. FONT.
LITTER. GRAEC. ET. LA
TINIS. QVI. VIX. ANN. XVIIII.
M. II. D. XXII. PARENT. INFELIC.

Titulum ſepulcralem, *Diis Manibus* dicatum, *Tito Flavio Antonino*, *Nepoti Flavii Antonini*, *Præpoſiti Fontium*, *Litteris Græcis & Latinis* docto, *qui vixit Annos XVIIII. Menſes II. Dies XXII. Parentes infeliciſſimi* poſuerunt. Parentum, qui marmor dicarunt, nomen ſiletur, at avus Titi Flavii Antonini noſtri fuit Flavius Antoninus. Præpoſiti Fontium munus & ad avum & ad nepotem poteſt referri: mallem ad avum; nepos enim juvenis, literis deditus, illa juvenili ætate fontium Neapolitanorum magiſterium non geſſiſſe videtur.

Præpoſiti fontium dicti ſunt quoque *Fontium Magiſtri*, quorum catalogum apud Sponium (*c*) reperis. Præpoſitos Monetæ apud Ammianum (*d*) legimus. In Columbario Libertorum Liviæ M. Coccejus, Auguſti Libertus, Ambroſius dicitur *Præpoſitus veſtis albæ triumphalis.* (*e*) Steph. Zamoscius in *Analectis Antiquitatum Daciæ* (*f*) lapidem profert, in quo *C. Marius Druſus Fontium Aquarumque caleſtium torrenti ſuſtamen oppoſuiſſe* proditur.

§. CCXCII.

Eruditio Antonini.

Ceterum Antonini noſtri doctrina & eruditio *Græcis Latiniſque literis* laudatur. *Literæ* vox elemento ſimplici & geminato exprimitur. Monumenta priſca tamen atque Poetæ amant geminatum, prouti in noſtro quoque Marmore ſcribitur. Neapoli Literæ Græcæ floruerunt, (*g*) quod Græciæ Magnæ urbs eſſet, ſed noſter Græcis Latinas quoque addidit. Sempronia apud Sallustium (*h*) *literis Græcis & Latinis docta* fuiſſe ſcribitur; unde vox *docto*, in Titulo noſtro omiſſa per ellipſin, ſubintelligenda. In Gruteriano marmore (*i*) *Puer octennis* legitur, *cujus annos ingenium excedebat.* Titulum poſuerunt *Parentes infeliciſſimi.* In lapide Divodurenſi, apud Meurissium, (*k*) *Oreſtillæ Dorcadi filiæ annorum XIV. parentes infeliciſſimi*, expanſe legitur.

Gentilitium juvenis noſtri genus fuit ex *Flaviis*; qui in plures diſceſſerunt Familias; inter quas autem *Antoninianam* non reperi; cujus rei primum Titulus noſter exemplum producit. Antonini potius in Æliis, Arriis, Aureliis, Claudiis, Juliis, Hateriis, Ulpiis, Uraniis, aliiſque occurrunt; Epigraphen hanc Neapoli & Roma redux Doctiſſ. Gorio, Amico noſtro, An. MDCCXXVII. exſcriptam dedi Florentiæ, qui *Inſcriptionibus* ſuis *Etruriæ* (*l*) eandem inſeruit, magno Neapolitanis ornamento

Marmor

(*x*) Ex Apiano apud Gruterum *Inſcript.* pag 1039. num. 7

(*y*) *Nov. Theſaur. Inſcript.* pag. 40. num. 9.

(*z*) *Inſcript. Flor.* pag. 115. & 164.

(*a*) Vide Gorianam ejus editionem Venetam pag. 102.

(*b*) Ovidius *Triſt.* Lib. I. Eleg. I. vers. 8.

(*c*) *Miſcellan. Erudita Antiquit.* Sect. II. Art. VII. in Supplem. ad *Theſaur. Græv.* Tom. IV. pag. 715.

(*d*) Lib. XXVIII. Cap. I.

(*e*) Apud Gorium pag. 146. Edit. Venet.

(*f*) Analecta hæc adjecta ſunt Lazii *Commentariis Reipubl. Rom.*

(*g*) Neapoli in Magna Græcia varii generis floruiſſe Gymnaſia Petrus Larena *del Antico Gimnaſio Napolitano* Cap. II. & ſqq. docuit. De Iſelaſtico certamine apud Puteolanos vicinos Fabri in *Agonistico* Lib. II. Cap. X.

(*h*) *De Bello Catilin.* Cap. XXV.

(*i*) *Inſcript.* pag. 618. num. 5.

(*k*) *Hiſt. des Evêques de Metz* pag. 15.

(*l*) Tom. II. pag. 337. edit. An. MDCCXXXIV.

MONUM.

Marmor eſſe exiſtimans, quod eo jam tempore Neapoli Gymnaſium, in quo juvenes literis Græcis & Latinis publice inſtituebantur, floruiſſe haud indicet obſcure. Ex Gorio Epigraphen MURATORIUS deſumſit, *Novoque* ſuo inſeruit *Inſcriptionum Theſauro.* (m) Pro FONT. autem legendum eſſe judicat PONT. ut *Perpetuus Pontifex* inde prodiret. Conjectura locum nequit habere, quod Marmor omnino integrum, literæ ſalvæ & integræ, aperte repugnant.

§. CCXCIII.

Italica marmora, Alſatiæ illata, excipiat Pannonium, Poſonio mihi dono tranſmiſſum. Nigricanti marmori inſculpta Epigraphe, literis anaglyphi forma ſemiextantibus, quod in hoc genere rarum, imo vix viſum. Primo illud mihi aſpectu *νοθείαν* redolere videbatur; quod ſimile, at haud dubie genuinum, Vindobonæ, San-Stephaniani cœmeterii muro inſertum, ante aliquot annos, conſpexeram. Inſcriptiones examuſſim, imo & in plerisque figuræ, titulo ſuperinſculptæ, inter ſe concordant. En Tibi marmoris, quod novem fere pollices altitudinis, ſeptem latitudinis habet, exemplum.

X. Pannonicum Monumentum.



Publius Titius Finitus vivus fecit ſibi & Jucunda Civis filia, conjugi annorum XL. Finitus ergo uxori ſuæ, quadrageſimo ætatis anno mortuæ, Monumentum hoc condidit vivus, ita ut & ei, & ſibi mortuo, olim inſerviret. Conjux ad dexteram Viri ſtat; ante eos filius puerulus, precantis inſtar, manus conjungens. In limbo Epitaphii ſunt quatuor canes, quorum duo ſibi adverſi, cæteri duo currentes.

(m) Tom. II. pag. 703. num. 1.

Titius Finitus.

Titiorum cogoomina varia fuerunt; Titius Strabo, Titius Sabinus, Maximus, Montanus, Rufus &c. in Scriptoribus leguntur, nullus Titius Finitus. Nec magno numero extant *Finiti*; duos tamen, præter noſtrum, nobis prodit APIANUS, (*n*) quos GRUTERUS, totum Apiani librum in Theſaurum ſuum transfundens, reliquique Inſcriptionum editores neglexerunt, uti Cl. HAGENBUCHIUS in ſuis ad me literis obſervat. Finiti uxor fuit *Jucunda*, *Cruis filia*. Plena *Jucundis* Marmora ſunt, quæ Holthenianus Index plenis manibus dat: in eodem *Cruis* cognomen ter repetitum invenio. Vivi frequenter ſibi Epitaphia conſtituerunt; vel ſolis, vel conjunctim cum aliis. Inter Monumenta Auguſtana (*o*) *Vitalius Vigor ſibi & Vitalio Virili fratri vivus fecit*, pro vivus.

§. CCXCIV.

Editores Inſcriptionum.

Inſcriptio noſtra à pluribus prodita eſt. Præter APIANUM, apud quem bis legitur, (*p*) GRUTERUS, (*q*) atque KEYSLERUS, (*r*) eam, ſed imaginibus omiſſis, dederunt. Gruterus quoque deſcripſit, ſed non ſatis recte, uti me delineatio docet, quam Academiæ Cortonenſis ſocius, Dn. FRANCISCUS à SCHEYB, Vindobona ad me miſit. Secundum eam Gruteriana deſcriptio hunc in modum corrigenda eſt: *Mulier à dextris, Vir à ſiniſtris, ad medium corpus exſculpti; ante eos puer ſiniſtra avem tenens, cujus roſtrum aduncum, (s) ſecundo dextræ manus digito tangit; veluti ludens cum ave. In Epitaphii limbo tres canes transverſi, dextri duo, qui ante mulierem, prædam diſcerpunt, ſiniſtra, quæ ante virum eſt, uberibus pendulis, leporem ſectatur.* Genuina hæc Vindobonenſis San-Stephaniani Monumenti, ex marmore albo ſculpti, deſcriptio eſt; quam dedi, non modo ut corrigatur Gruterus, ſed & ut marmoris hujus à noſtro Poſooiano, quod teneo, appareat diverſitas; quæ præcipua in puero, *qui matrem amiſſam deflens, patrem a Dis deprecari videtur; palmis compreſſis in altumque ſublatis, cum Dis ipſis veluti querens*, quæ Cl. HAGENBUCHII, ad me ſcribentis, ſont verba; in quibus ego acquieſco. Romanos tamen, ſupinas manus ad cœlum ac ad Deos quum teoderent, eosque teſtes invocarent, quod totiens in Scriptoribus (*t*) legitur, junctis id manibus feciſſe, nondum ſatis comperior. Primorum ſane Chriſtianorum uſus refragatur, quem ſexcenta in veteribus cœmeteriis, ſive catacumbis apud BOSIUM, SEVERANUM, ARINGHUM (*u*) atque BOLDETTUM, (*x*) exempla comprobant. Omnes, quæ ibi occurrunt ſculptæ pictæque precantium imagines, manus ad cœlum tollunt ſejunctas.

§. CCXCV.

Contra Marmor Poſonienſe, quod teneo, mihi auctum eſt dubium, quod in ſocio ejus, Pannonico altero, Vindobonenſi nimirum, puer avem; in Auguſtano, quod VELSERUS (*y*) exhibuit, ſimilis puer, ſtans ante parentes, pineam nucem, funebre ſymbolum, tenet; de quo dubitat Velſerus, facemne, an ſpicarum manipulum, carduumve interpretetur. (*z*) De canibus venantibus, in limbo exhibitis, nihil dicturus ſum, quod veterum mos frequens, in ſarcophagis & ſepulcralibus Monumentis venationes repræſentare. PHILIPPUS BONAROTA, Senator Florentinus, (*a*) in excellenti ſuo de *Vaſorum vitreorum fragmentis* opere, plura quoque vitra exhibet, in quibus pater, materque cum filio eadem ratione, at rudiore ſtylo, delioeata ſiſtuntur; quæ Chriſtiana ſunt, in quibus dextra datur uxori. In Fragmento Traguenſi Petronii Trimalcio, ſepulcrum ſuum Architecto commendans, ait: *Ad dexteram meam ponas ſtatuam Fortunatæ meæ.* Iode tamen minime inferendum putat Bonarota, honoratiorem locum occupaſſe uxorem. Vide quæ ſupra de dextra diſſerui. (*b*)

§. CCXCVI

(*n*) *Inſcript.* fol. 390. 400.

(*o*) Apud VELSERUM pag. 380.

(*p*) Fol. 402. & ſq.

(*q*) *Inſcript.* pag. 834. num. 6.

(*r*) In *Itinerario* ſuo in Art. de Vindobona.

(*s*) Ita LIPSII *Auctarium Smetianum* pag. 46. col. I.

(*t*) LIVIUS Lib. XXV. Cap. XXXVII. Lib. XXXV. Cap. XXXI.

(*u*) PAULI ARINGHI *Roma ſubterranea.*

(*x*) ANTONIO BOLDETTI *Oſſervazioni ſopra i Cimiteri de Santi Martiri*, Roma, 1720.

(*y*) Inter *Monumenta Agri Auguſtani*, Operum VELSER. pag. 411.

(*z*) In ſepulcralibus Monumentis ſæpe aves, interdum columba, morum ſimplicitatis ſymbolum, vaſa aliave in manibus conſpiciuntur imaginum.


(*a*) *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vetro* Tab. XXIII. XXV. &c. pag. 160. ſq. Conf. etiam *Admiranda Romanarum Antiquit.* item PETRUM SANTEM BARTOLUM *de Sepulcris.*

(*b*) Pag. 448. ſq.

MONUM.

§. CCXCVI.

Sepulcralibus titulis Epularem ſubjungo, qui Crateri fictili, ſubfuſci coloris, literis majoribus inſculptus eſt albis, unico verbo conſtans *Gaudio*. En tibi integrum ſchema: *XI.* Crater fictilis.




Scyphi atque Crateres dedicati ſunt Herculi. (*c*) Certum ſervile miniſterium fuit *ad Cyathum*. *Laurus Antoniæ Druſi Glaber ab Cyato*, pro Cyatho, apud Gorium. (*d*) Apud Fabrettum (*e*) vero: *Amenus Neronis Caſaris à Cyatho*. C. Memmius ad Cyathum & vinum erat Nicomedi, uti ſcribit Suetonius. (*f*)

Vox *Gaudio* conveniens eſt poculo. Ita enim inter pocula quum verſarentur Romani, ſibi invicem propinabant: " Bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ, bene „ omnibus nobis, bene ei, qui non invidet mihi, & ei, qui noſtro gaudio gaudet. „ Muſeum Brandenburgicum (*g*) tria pocula fictilia exhibet, quorum uni inſcriptum eſt SITIO; alteri BIBE; tertio PIE; quæ Græca vox idem quod *bibe*; primi tertiique poculi forma noſtro ſimillima eſt. Begerus ex terra rubra, cum nigra incruſtatura literiſque albis, uti noſtrum, confecta ea fuiſſe teſtatur. Bonannus (*h*) plures alios illiteratos hujus generis crateres, calices, pocula atque cululios producit, quæ vaſa ex auro, argento, onyche, achate, cryſtallo parata; figlina autem, quale noſtrum, frequentioris & ordinarii uſus; cujus generis plura in meo Muſeo ipſe aſſervo, quæ vero, quia ſine literis ſunt, heic non produco. Thericlea vaſa, à Thericle, Corinthiaco figulo, facta, magno olim erant in pretio. Alia erant fictilia ex Copto, ollulæ item Rhodiacæ, de quibus Athenæus. In Italia Aretium nobilitatem hujus artis retinuit, ut & Surrentum, Aſta, Pollentia. (*i*)

§. CCXCVII.

Agmen Monumentorum claudat, & ea veluti obſignet, ſigillum æneum: *XII.* Sigillum.



Calamos,

(*c*) Gruterus *Inſcript.* pag. 48. num. 1.
(*d*) *Inſcript. Flor.* Tom. I. pag. 406. Vid. Gruter. pag. 582. num. 4.
(*e*) *Inſcript.* pag. 715. num. 370.
(*f*) In *Julio Caſ.* Cap. XLIX.
(*g*) Begerus in *Theſauro Brandenburgico* Vol. III. pag. 461. ſq.
(*h*) In *Muſeo Kircheriano*, Romæ 1709.
(*i*) Plinius Lib. XXXV. Cap. XII.

MONUM.

Calamos, Calenos, Calavios, Saxa & Scriptores prodidere, at nullum *Calamum*. *Priſci* ubique occurrunt, in Acciis, Æliis, Anchariis, Cæſoniis, Fulciniis, Helvidiis, Jabolenis, Juliis, Juniis, Neratiis, Serviliis, Statiis, Tarquiniis. *Q. Calani Priſci* noſtri nomen in ſecundo caſu enuntiatur; ubi noli ſubaudire *ſigillum*, ſed *opus*. (*k*) Sigillum erat, non literis, Inſtrumentis, Documentisque obſignandis, ſed nomen ut fictilibus vaſis, vaſculis, rebusque, ad œconomiam neceſſariis, imprimeretur, ad inſtar ejus ſigilli, quod ſupra expreſſimus. (*l*) Unde Tabellæ adhæret annulus. Similia noſtris his ſigilla quædam in Cimeliotheca San-Germaniani Monaſterii, alibique apud Italos, Londini apud Fontanium, equidem manibus meis ſæpe tractavi.

CAPUT XXI.

DOCUMENTA PERIODI ROMANÆ.

§. CCXCVIII.

Documenta.

ANtequam Romanam Alſatiæ Periodum claudamus, duorum ſequioris ævi Monumentorum Romanorum notitia ſubminiſtranda Lectori, quorum auctoritate in ordinandis Alſatiæ Geographicis rebus ſumus uſi præſertim; *Tabulam Theodoſianam* & *Itinerarium Antonini* intelligo. Segmentum, quod Alſatiam concernit, Libro huic ſecundo præfiximus, & quidem ab Authentico religioſe deſcriptum, quod exempla Tabulæ hujus, æri inciſa, non exacte ſatis ubique res exprimunt, quum in hujusmodi documentis maxima minima, pari diligentia, cum ipſis erroribus exprimi debeant. In reddendis vetuſtatis reliquiis nemini objicienda ſuperſtitio eſt.

TABULA THEODOSIANA.

§. CCXCIX.

Tabulæ Theodoſianæ fata.

PRetioſiſſimum Geographicæ Antiquitatis ſeculi IV. monumentum eſt *Tabula*, quæ *Theodoſiana* vocatur, quod Theodoſiano ævo confecta exiſtimatur. *Peutingeriana* etiam dicta eſt, quod à CONRADO CELTE, natione Franco, celeberrimo Germaniæ Poeta & Geographo, (*m*) qui An. MCCCCLXX. claruit, alicubi reperta, atque ab eodem dono data fuit CONRADO PEUTINGERO, Auguſtano Patricio, qui eam editurus credebatur, venerabile monumentum ſi minus vitiis ſcatuiſſet. *Tabula* quoque *Auguſtana* (*n*) vocatur, quod Auguſtæ ſervata à Peutingeri hæredibus, à M. Velſero, Duumviro Auguſtano, in lucem ex parte emiſſa; inde, eodem promovente Velſero, à Jo. Moreto, Antverpienſi, tota, ſed dimidia fere parte contractior, quam in authentico eſt, æri inciſa; atque deinceps *Theatro Geographico*, quod PETRUS BERTIUS An. MDCXIX. edidit, inſerta: addita denique VELSERI *Operibus*, quæ MDCLXXXII. Noribergæ junctim in lucem prodiere, ubi tamen ſculptoris deſideratur induſtria. Authenticum ipſum, à Peutingerorum poſtremo venditum Sereniſſimo Eugenio Principi, cum omni Bibliothecæ Eugenianæ Theſauro, in Cæſaream Vindobonenſem An. MDCCXXXVIII. tranſivit, ubi illam cum amiciſſimo mihi PIO GARELLIO inſpexi & examinavi frequenter. Segmentum autem, quod exhibeo, delineari depingique curavit ſucceſſor ejus, Illuſtris GERHARDUS VAN SWIETEN, Archiater Cæſareus, qui Bibliothecæ jam præeſt; Decus Literarum.

§. CCC.

Deſcriptio ejus.

Mappa hæc, in ſchedis membranaceis, diligenter conglutinatis, charactere Longobardico ſcripta & picta, XX. pedes Pariſinos & X. pollices longitudinis, unum pedem latitudinis habet. Tabula mere itineraria eſt, à Præfecto quodam Manſionum, vel Metatore Caſtrenſi, vias Romanas deſignandi cauſa delineata, in uſum eorum, qui milites in provincias, vel ex una in alteram deducebant, caſtrisque locandis præerant. Terrarum ergo ſitum noluit docere ejus auctor Anonymus; Geographiæ, ut videtur, & Mathematices expers. Nullæ hinc provinciarum circumſcriptiones,

(*k*) Vide ſupra Caput XI. ubi de Lateribus literatis, pag. 511.

(*l*) Pag. 595. ubi: *Felix Chors prima.*

(*m*) CELTES edidit quoque inter alia Opuſcula *Geographiæ Epitomen*. Obiit Vindobonæ An. MDVIII. MELCH. ADAMUS in *Vitis Philoſophorum Germanor.* pag. 13. FREHERUS in *Theatro Viror. Illuſtr.* pag. 1435. Tabulam hanc à Celte in Bibliotheca quadam repertam fuiſſe, docet RHENANUS *Rer. Germ.* Lib. I. pag. 63. nec addit, apud Italos, an apud Germanos eam repererit. Celtes quum in Italia diu verſatus fuerit, in Italica Bibliotheca Tabulam hanc inveniſſe, veriſimilius eſt, quam in Germanica.

(*n*) LUCAS HOLSTENIUS nunc *Itinerarium Auguſtanum Peutingerorum*, nunc *Tabulam Itinerariam Peutingerorum*, appellat in *Annotationibus ad Carolum a S. Paulo, Cluverium & Ortelium*, Romæ An. MDCLXVI. editis.

MONUM.

ptiones, nullæ litorum extremitates, nulli fluviorum decurſus, in Tabula occurrunt; nulla intervalla locorum geographicis reſpondent canonibus; ipſi cardines mundi hinc inde turbati ſunt. Longitudinum Latitudinumque nulla, Viarum unica ratio habita. Lineæ nempe viarum, numeri ſpatiorum, indices ſunt. Loca, quæ in vias delineatas incidunt, ſola reperimus; præteritis urbibus, quæ extra vias poſitæ erant. Quæ omnia non commiſſurus Auctor fuiſſet, ſi ipſas provincias, non certa in provinciis itinera, ſibi deſcribenda ſumſiſſet; Metatorem, (o) non Geographum, ſe præſtans conſtanter.

§. CCCI.

Auctoritas ejus.

Obſervanda hæc præprimis, ne quis majorem auctoritatem, quam meretur, quamque Auctor intendit, conciliet Tabulæ; neve ex omiſſis oppidorum nominibus perverſe judicet. Uti vero Mappa hæc Pinaci Geographicæ, ſcienter confectæ, multum inferior eſt, ita ex altera quoque parte Antoniniano Itinerario plurimum præſtat, in quo nonniſi nuda nomina manſionum, cum diſtantiis, deſcripta leguntur; Tabula vero noſtra non Itinerarium modo magna ex parte complectitur, ſed & alterum tantum apponit; ſi civitates, urbes, oppida, pagi, fluvii aliaque computentur. Unde Tabulam hanc nunc provincialem, nunc itinerariam, nunc militarem, (p) appellat Beatus noſter Rhenanus, qui apud Conradum Peutingerum, amicum ſuum, eam viderat Auguſtæ. Procedit ab occidentali Oceano per continentis totius longitudinem ad orientalem usque; ſingulas vias & ſingula loca viarum, per totum Imperium, cum urbibus, oppidis, caſtellis, vicis, manſionibus, ſtationibus, quæ in viis occurrunt, repræſentans, menſuramque earum, magna ſane induſtria, milliaribus indicans. Conſulares, Prætorias, Imperatorias & Militares vias intelligo: reliquarum enim in Tabula, ut & in Itinerario, nulla habita eſt ratio. Extenſio viarum ab ortu in occaſum ad MDCCC. fere Francicas leugas excurrit. Latitudo Imperii Romani, ſive à meridie in ſeptentrionem extenſio, dimidium longitudinis præter propter confecit. (q) Hanc ſolam ergo extenſionem viarum Romanarum in oculis quum habuerit Auctor, factum eſſe videtur, ut XX. pedes longitudinis & nonniſi unum latitudinis Tabulæ ſuæ largiretur.

Quarto ſeculo omnia per Imperii orbem in curſus vehicularis & veredorum uſum menſurata jam erant; Viæ manſionibus, mutationibus, ſtabulisque diſtinctæ, uti ex *Codice Theodoſiano* ſatis perſpicimus. Imo de Imp. Alexandro Lampridius (r) jam annotat: "Itinerum dies publice proponebantur, ita ut Edictum penderet ante menſes „ duos, in quo ſcriptum eſſet, illa die, illa hora ab urbe ſum exiturus, &, ſi Dii „ voluerint, in prima manſione manſurus: deinde per ordinem manſiones, deinde „ ſtativæ, deinde ubi annona eſſet excipienda, & id quidem eo usque, quamdiu ad „ fines barbaricos veniretur. „ Qui autem fieri hæc potuiſſent, niſi Libellos, Mappasve convolutas magno numero Duces Militumve habuiſſent Præfecti. quibus itinerum conſtitutio cum manſionibus, ſtationibus deſignata fuiſſet?

§. CCCII.

Itineraria adnotata & picta.

Itineraria Flavius Vegetius (s) in *adnotata* atque *picta* diſtinxit. In adnotatis ſola locorum nomina exprimuntur, id quod in Antonini *Itinerario* factum. Tabula autem noſtra regiones, provincias, maria, variis coloribus ſignans, inter picta reponitur. "Dux (inquit Vegetius) itineraria omnium regionum, in quibus bellum „ geritur, pleniſſime debet habere perſcripta: ita ut locorum intervalla, non ſolum „ paſſuum numero, ſed etiam viarum qualitates, perdiſcat: compendia, diverticula, „ montes, flumina, ad fidem deſcripta conſideret, usque eo, ut ſolertiores duces „ Itineraria Provinciarum, in quibus neceſſitas geritur, non tantum adnotata, ſed etiam „ picta, habuiſſe firmentur, ut non ſolum conſilio mentis, verum aſpectu oculorum, „ viam profecturis eligerent. „ Vegetio ſubjungendus Ambrosius, qui Itinerarias has Mappas Romanorum in oculis habuit, quum ſcriberet: (t) "Miles Itinerarium ab „ Imperatore accipit, & cuſtodit illud; præſcripto incedit ordine, cum armis ſuis „ ambulat, rectaque via conficit iter.

§. CCCIII.

(o) Metatorum munus vide apud Jac. Gothofredum *ad Leg. IV. Cod. Theod. de Metatoribus.* Talis forte Acholius ille fuit, qui Severi Alex. itinera deſcripſit. Lampridius Cap. LXIV.

(p) *Rer. German.* Lib. I. pag. 63.

(q) Bergier *Hiſt. des grands Chemins* Lib. III. Cap. VII. pag. 345.

(r) Cap. XLV.

(s) *De Re Militari* Lib. III. Cap. VI.

(t) *Serm. V. in Pſalm.* CXVIII.

§. CCCIII.

Auctor Tabulæ.

Auctorem Tabulæ aſſequi conjectura non licet. Religione Chriſtianum fuiſſe, quæ de Moſe, de filiis Iſraelis, de lege in monte Sinai, de D. Petro, in ea leguntur, indicant. Ætas ejus definitur facilius. *Francia* & *Alemannia* in Tabula notatæ ſunt, & Alemannia quidem ita, ut dextrum Rheni latus attingat: cumque nulla via trans Rhenum deſignetur, inferimus, Tabulam ad ævum illud referendam, quo Vallum Trans-Rhenanum everſum, atque via Aquenſis illa, leugaribus inſtructa Columnis, de qua ſuo loco (*u*) diſſerui, non amplius in poteſtate fuit Romana, ad ſeculum nempe quartum, vergens ad finem. Sub ultimis Imperatoribus depictam laxe nimis ſcribit Rhenanus. Theodoſii M. filiis non poteſt eſſe poſterior, quod ſub his pleraque Imperii, occidentalis præſertim, Provincias occupaverant Barbari. *Theodoſianam* Tabulam ergo à Theodoſii primi potius, quam à ſecundi, quod tamen plerique placuit, ævo appellandam, adeoque Antoniniani Itinerarii, quale hodie eſt, & Ammiani Marcellini temporibus fere æquale, exiſtimo, Cluverium (*x*) Valesiumque (*y*) non expertus adverſos. *Notitia Civitatum Galliæ*, Honoriano ævo communiter adſcripta, ut & *Notitia utriusque Imperii*, ejusdem quoque ætatis partus eſſe videntur.

§. CCCIV.

Uſus Tabulæ.

Synchroniſmus hic Tabulæ & Antoniniani Itinerarii facit, ut depravata & turbatioris ordinis, quæ in nominum Orthographia & in menſuris locorum occurrunt in Tabula, ex Itinerario emendari atque corrigi poſſint; quod in Gallia Italiaque ſua Paulum Merulam, & in Segmentis, à ſe editis, M. Velſerum ſtrenue feciſſe animadverto. Fuerunt, qui crederent Auctorem Tabulæ nomina & intervalla locorum, quæ Itinerarium indicat, redegiſſe in Mappam: imo unum eundemque, utriusque Geographici Monumenti extitiſſe Auctorem, ex plurium rerum æqualitate concludit Cluverius. (*z*) Conjecturæ tamen falſitas ex eo evincitur, quod multæ urbes, oppida, manſiones in utroque Monumento leguntur, quæ in altero deſunt, numerique diſtantiæ locorum hinc inde quam maxime inter ſe variant. Ejusdem Theodoſianæ Tabulæ exemplum ante oculos habuit Guido Ravennas, (*a*) quem *Anonymum Ravennatenſem* Editor ejus, Placidus Porcheronus, appellat; quod ex comparatione utriusque inter ſe facile patet. Quod reliquum eſt, nomina locorum ſexto caſu in Tabula noſtra enuntiari, ut Itinerarii Auctor quoque facere ſolitus eſt, annoto. Uſus tum invaleſcere cœperat, ut propria locorum nomina monoptota fierent. Menſuræ ſpatiorum computantur Milliariis, quæ pro ratione Provinciarum variarunt. In Gallia noſtra per Milliaria hinc inde Leugæ intelliguntur; uti ſupra (*b*) docuimus.

ITINERARIUM ANTONINI.

§. CCCV.

Itinerarium Antonini.

Alterum, non minus pretioſum, Romanæ Antiquitatis Geographicæ Monumentum, ejusdem, uti vidimus, ætatis eſt, *Itinerarium*, quod *Antonini* vocatur; in quo viæ militares, ut & oppida, manſiones, ſtationes, mutationes, Legiones, quæ in viis his occurrunt, atque locorum intervalla, memorantur. (*c*) Itinerarii hujus quatuor Codices, cum editis nunquam collatos, in Regia Bibliotheca diligenter evolvi, eorumque rationes in Geographicos Alſatiæ uſus non ſemel adhibui; Codicum ergo horum *Variantes*,

(*u*) Pag. 247. §. CCXIX.

(*x*) *Germania Antiqua* lib. II. Cap. V. pag. 23. Ubi Itinerarium Theodoſio M. non recentius eſſe traditur.

(*y*) *Notitia Galliar.* pag. 75. ubi Tabulam Theodoſii Magni & Ammiani Marcellini ævo facit æqualem.

(*z*) Cluverius *Germania Antiqua* loco alleg.

(*a*) Nomen hoc Ravennatis Anonymi detexit Auctor *Diſſertationis Chorographicæ de Italia Medii Ævi* Sect. II pag. 9 quæ extat in Muratorii *Scriptoribus Rer. Italicar.* Tom. X. ubi etiam poſt ſeculum VII. atque VIII. eum vixiſſe oſtenditur.

(*b*) Pag. 574.

(*c*) Itinerarium hoc diverſi plane generis ab illis eſt, quæ ex antiquitate novimus, partimque ſuperſunt: ut Julii Cæsaris, qui *Hiſpanienſe*: Trajani, qui *Dacicum*: Severi Alexandri, qui *Perſicum*: Horatii Poetæ, qui *Brundiſinum*: Ovidii, qui *Mileſium*: Firmiani, qui *Africanum*, *Itinera* inſcripſerunt. Rutilius Claudius Numatianus, origine Gallus, poſt Romam ab Alarico captam, hoc eſt, poſt An. CCCCX. Itineraria duo compoſuit, alterum de itu ex urbe in Galliam, alterum de reditu ex Gallia Romam.

MONUM.

Variantes, quas vocant, *Lectiones* Romanæ noſtræ Periodi conſtituent clauſulam. Itinerarium, prouti in Codicibus Mſſ. exhibetur, haud dubie ſeculo IV. finiente confectum eſt, quod in eo *Conſtantinopolis*, *Conſtantia*, *Maximianopolis*, *Joviæ* & *Herculea* Legiones, à Diocletiano & Maximiano appellatæ, occurrunt.

Nos tamen, cum præcipuis Editoribus ejus, retinendum *Antonini* nomen exiſtimavimus, ne in diverſa diſtraherentur Lectores. Imperatoribus, peragraturis Provincias, opus erat hujus generis Libellis; Hadriano, qui magnam Imperii partem ipſe fuerat pedes emenſus; M. Aurelio, Sept. Severo, Caracallæ, qui bellorum longinquorum occaſione remotas Imperii regiones adierunt. Libelli hujus natales primis forte Imperatoribus debentur; quorum ſucceſſores illud multis modis auxerunt, temporisque progreſſu ita immutarunt, ut in aliud diverſumque plane opus tandem converteretur; atque adeo uni Imperatori non tribuendum, quod ad plures pertineat. Antonini nomen.

Illi ergo, qui Julium Cæſarem, (*d*) qui M. Antonium, (*e*) qui Antoninum Pium, (*f*) vel Antoninum Caracallam, (*g*) Itinerarii hujus Auctores conſtituunt, haud omnino ſunt damnandi erroris, quod ſinguli, vel ad initia, vel ad ſupplementa ejus aliquid conferre potuerunt. PHILIPPO CLUVERIO (*h*) Ammianus Marcellinus Libri viſus eſt Auctor, quia Galliarum urbes nominibus nationum appellat; quod vero aliis quoque illa ætate paſſim fuit in uſu. Sed & reperiuntur, qui pro Julio Cæſare, Julium Oratorem, (*i*) vel Julium Honorium, (*k*) quem eundem forte cum altero habent, vel Marcianum Heracleotam, (*l*) heic nobis ſubſtituunt. JACOBUS GODOFREDUS (*m*) in aliam plane diſcedit ſententiam, & Antoninum vel Antonium Auguſtum quendam ex limitum menſoribus Theodoſii Junioris fuiſſe exiſtimat, quorum in Codice Mſ. Bibliothecæ Regiæ (*n*) mentio fit. CANGIUS (*o*) menſurationis opus per orbem Romanum Theodoſio Seniori, an Juniori, adſcribendum ſit, dubitat. Quum tamen in verbis Codicis *S. Theodoſius* dicatur, & alius inſuper Scriptor, qui circa An. DCCC. vixit, DICUIL HIBERNUS apud Cangium, memoret librum de *Menſura Provinciarum ſecundum eorum auctoritatem ſcriptum*, *quos S. Theodoſius Imp. ad Provincias menſurandas miſerat*, opus hoc Seniori verius tribuendum, eo lubentius mecum ſtatuent multi, quod ſub Theodoſio II. nihil tale ſuſcipi potuiſſet, univerſo Occidente occupato à Barbaris. Alii Auctores crediti.

§. CCCVI.

Æthicum reſervavi poſtremum, quod pro eo præcipuæ mihi rationes pugnare videntur. Enimvero ſi Codicis, in quo CASPAR BARTHIUS *Antonini Æthici* nomen reperiſſe ſe ſcribit, (*p*) ſi Codicum item illorum, quibus Æthici nomen & Cosmographiæ Æthicus.

(*d*) BALDERICUS in *Chronico Cameracenſi* Lib. I. Cap. III. FELIX MALLEOLUS in *Dialogo de Nobilitate*; item Jo. CUSPINIANUS hujus ſententiæ ſunt.

(*e*) Antonio Libellum hunc Blandinianus, Pithœanus, Voſſianus, aliique Codices vindicant. Ex Pithœano eum ſub *Antonii* nomine publicavit SIMLERUS.

(*f*) Vaticanus & Regius Hiſp. Codex *Antonini Auguſti* nomen inſcribunt. *Antonini Pii* titulis diſtincte ornatum Fragmentum dedit ANNIUS VITERBIENSIS.

(*g*) Caracallæ HIERONYMUS SURITA attribuit; conjecturis non ſatis ſtringentibus uſus.

(*h*) *Germania Antiq.* Lib. II. Cap. V.

(*i*) In Codicibus aliquot Mſſ. Itinerarium *Julio Oratori utriusque artis* adſcribitur. Enimvero Julius Orator Libellum ſimilem reliquit, quem commendat CASSIODORUS *de Divinis Lectionibus* Cap. XXV. ex quo multa haurire potuit Æthicus.

(*k*) In Codice Thuanæo ad calcem operis legitur: *Hæc omnia in Deſcriptione recta Orthographia tranſtulit, publicæ rei conſulens, Julius Honorius, Magiſter peritus* &c. VOSSIUS *de Natura Artium* Lib. II. Cap. XI. §. XVII. NIC. FABER, Ludovici XIII. præceptor, exemplo ſuo Cosmographiæ Æthici manu ſua adlevit: " Hæc ad verbum fere Æthicus tranſcripſit " ex Julii Honorii Libro, cujus meminit CASSIODORUS " *Div. Lect.* Cap. XXV. quem habet P. PITHOEUS " ſcriptum literis capitalibus. " VALESII Præfat. ad *Notitiam Galliar.* qui ipſe poſſeſſor fuit Faberiani exempli.

(*l*) HADR. JUNIUS in *Batavia* pag. 263. hujus ſententiæ eſt. Sed præterquam, quod Marcianus Græcus eſt Auctor, inſtitutum ejus ab Itinerarii indole plane diſcrepans eſt.

(*m*) *Ad Leg. X. Cod. Theod. de Metat.*

(*n*) Codex eſt num. 990. notatus, ubi inter alia: *In quintodecimo anno Regni Imperatoris Theodoſii præcepit ille ſuis miſſis, Provincias orbis terræ in longitudinem & latitudinem menſurari* &c. Subjuncti verſus:

Theodoſius Princeps venerando juſſit ab ore
Confici, ter quinis aperit cum faſtibus annum.

(*o*) *Conſtantinopolis Chriſt.* Lib. I. Cap. XX. pag. 63. Edit. Pariſ. & pag. 55. Edit. Venet.

(*p*) BARTHII *Adverſarior.* Lib. XCV. Cap. XIII. FABRICII *Bibliotheca Latina* Lib. I. Cap. X. pag. 175.

MONUM.

graphiæ & Itinerario ſimul præfigitur, admittatur auctoritas, (q) compoſitio rei non videtur difficilis. Non enim viden, cur abſurde opinemur, Æthicum Antoninum, vel ſi mavis, Antoninum Æthicum, Itinerarii opus, ſub Cæſaris & Auguſti Principatu cœptum, ſub Antoninis continuatum, interpolatum & auctum, ſub Theodoſio Seniore in eam denique formam, qua hodie comparet, Coſmographia præmiſſa, redegiſſe, nomenque retinuiſſe ab eo, qui poſtremus omnium illud ſupplevit & auxit, taleque reddidit, quale jam cernitur. Quodſi enim ab Imperatoribus intermediis, qui illud vel inchoaverant, vel interpolaverant, ei præfigendum ſit rubrum, Julii, vel Auguſti, vel Hadriani, vel Antonini, vel alterius nomen præfigi potuiſſet. Theodoſiano certe ævo vixit Æthicus quidam, Sophiſta vel Philoſophus, natus in Iſtria, Scriptor Chriſtianus, Coſmographiæ, quæ Itinerario in Codicibus Mſſ. plerumque conjungitur, Auctor. (r) In Coſmographia hac, quam Josias Simlerus (s) & Henr. Stephanus (t) ediderunt, Oceani, Inſulæ, Montes, Gentes, Provinciæ, cum ſitu earundem, omniaque adeo ſub Claſſibus ſuis, enumerantur diſtincte. In Itinerario autem nonniſi viarum, locorum, eorumque diſtantiæ inter ſe, habita eſt ratio.

§. CCCVII.

Veriſimilior ſententia.

Itinerarius hic Libellus Imperii, à primis Imperii temporibus uſitatus, unoquoque ſeculo mutationibus, correctionibus, additionibus, obnoxius, ſtatum ſeculi quarti exeuntis repræſentat: initio quinti enim Barbarorum invaſio turbaverat omnia. Quum autem de Theodoſio Seniore, qui duo Imperia juncta tenuerat, nova Orbis Romani menſuratio facta ſit, illoque ipſiſſimo ævo vixerit Æthicus, cui Codices plures Itinerarium adſcribunt, nonnullique *Antonini* vel *Antonii* nomen Æthico præfigant, veriſimilis conjectura eſt, eum Itinerarium Imperii, poſt tot alios, qui ſub præcedentibus Impp. idem præſtiterant, recognoviſſe poſtremum, ultimamque ei impoſuiſſe manum; Coſmographia præfixa, quam ex Julii Honorii vel Oratoris ampliore Coſmographia, à Cassiodoro (u) Monachis commendata, deprompſit, atque in Breviarium, ut Plinium Julius Solinus, redegit. (w) Hac ratione rebus, temporibusque omnia probe accommodantur: ſua Codicibus, ſua Scriptoribus, auctoritas perſtat & fides. Flodoardum, (x) Rhemenſem Canonicum, ſeculi X. Scriptorem, ea, quæ in Itinerario hodie leguntur, ſub Æthici nomine allegare, haud dubia res eſt. Sed & *Chronici Virdunenſis* Auctor, Hugo Abbas Flaviniacenſis, (y) qui ſeculo XI. finiente ſcripſit, Æthicum Itinerarii Auctorem agnoſcit. Sic omnia argumenta ſi jungas, Coſmographiam & Itinerarium non duos Libros, ſed duas unius Libri partes fuiſſe, haud difficulter largieris.

§. CCCVIII.

Locorum nomina.

Diſcuſſit hæc ante me fuſius & longe doctius illuſtris apud Batavos Criticus, Petrus Wesselingius, Ultrajectinæ Academiæ decus, cujus accuratiori limatoque judicio debemus, quod nobile *Itinerarii* opus, nitore, quem merebatur, condecoratum Amſtelodami, ante hos quindecim annos, lucem aſpexerit. Nihil ille de Auctore, in tanta contrarietate rerum, definiendum eſſe decrevit; nec ego decerno; potiores tamen

rationes

(q) Codex Mſſ. Bibliothecæ Regiæ ſignatus 1238. ubi: *Incipit Coſmographia feliciter cum Itinerariis ſuis* &c. Cangius *Conſtantinopolis Chriſt.* Lib. I. Cap. XX. pag. 62. Edit. Reg.

(r) Everhardus Comes, Ciſonienſis Eccleſiæ in Diœceſi Tornacenſi fundator, in *Teſtamento*, quod An. DCCCXXXVII. ſub Ludovico Pio condidit, Unrocho, primogenito filio ſuo, *Coſmographiam Ethici Philoſophi* legat. Miræi *Cod. Donat. piarum* Cap. XV.

(s) Jos. Simlerus ex Bibliotheca P. Pithoei *Coſmographiam* & Antonii *Itinerarium* edidit junctim Baſileæ, An. 1575. 12mo.

(t) Æthicus cum *Pomponio Mela*, *Julio Solino*, editus eſt ab Henrico Stephano 4to.

(u) *De Inſtitutione Divinarum Literarum* Cap. XXV. *Operum* Cassiodori Tom. II. pag. 553.

(w) Duo vetuſtiſſimi Regiæ Bibliothecæ Codices Coſmographiæ Æthici nomen præfigunt; alius Thuanææ Bibliothecæ antiquior ſub Julii Oratoris nomine eadem omnia habet. Salmasius *Plinianarum Exercit.* pag. 783. Scilicet alter alterius Abbreviator quum fuerit, promiſcuo nomine allegatus eſt Liber, uti Juſtinus, Trogi abbreviator, ſub Trogi nomine teſtis ſæpe producitur.

(x) *Hiſt. Eccleſiæ Remenſis* Lib. I. Cap. I. pag. 5. Edit. Colvener.

(y) Labbei *Novæ Bibliothecæ Manuſcriptorum* Tom. I. pag. 79. Minus rerum peritus erat coætaneus ejus Scriptor Baldericus, Novionenſis & Tornacenſis Epiſcopus, qui in *Cameracenſi & Atrebatenſi Chronico* Lib. I. Cap. III. pag. 8. Edit. Colvener. Coſmographiam hanc Julio Cæſare jubente ſcriptam eſſe memorat, ex totius Libri lectione facile viſurus, opus quale eſt, Imperii ſequioris ſobolem eſſe.

rationes pro Æthico pugnare intelligo, recepto licet notoque *Antonini* ſub nomine teſtimonia ejus ubique produxerim: religioni mihi ducens, re ad liquidum non omnino deducta, Libri rubrum mutare.

Subjungendum & denique verbum eſt de forma, qua urbium locorumque nomina in Itinerario exprimuntur. Regii Codices, quos ego tractavi, ſexto caſu enuntiant nomina, cæterosque Codices conſentientes reperio. HIERONYMUS SURITA ergo, invitis Codicibus, quartum ubique caſum ſubſtituit, Grammaticorum decretis id convenientius reputans; rectius facturus, ſi vetuſtos Codices reddidiſſet exacte. Itinerarii enim auctoribus placuit uti caſu, qui indicat locum, unde facta profectio, eumque præferre caſui, qui appulſionis locum deſignat. Accedit, quod uſus obtinere cœpit, Latinitate labente, ut urbium nomina ſexto caſu proferrentur, ac ſi indeclinabilia eſſent, cujus rei P. CONSENTIUM (a) teſtem habemus. Nil ergo jam ſupereſt, quam ut Lectiones diverſas, ex quatuor Regiis optimæ notæ Codicibus, quos inter ſe contuli, collectas, uno conſpectu oculis Lectorum ſubjiciam.

(a) In Libro *de Duabus Orationis Partibus* in PUTSCHII *Corpore Grammaticorum Latinorum* pag. 2030. ubi de nominibus urbium enuntiandis ſcribit: " Interdum efferuntur novo modo, & quaſi monoptoto, ut Curibus, Trallibus, Turribus, Sulcis, Servitis. &c." Adi SALMASIUM *Commentar. ad Treb. Pollionis Claudium* Cap. XII. & FL. VOPISCI *Probum* Cap. XVIII.


ITINERARII

Edit. Wesselingii.	Cod. Reg. Sec. IX. No. 7230.
In Itinere de Pannoniis in Gallias, per mediterranea loca à Sirmio Treviros usque. Pag. 238. & ſqq.	
VINDONISSA LEVGAS . M. P. XXX.	Vindoniſſa leug.
ARTALBINNO . . . M. P. XXIII.	Arialbino . M. P. XXIIII.
MONTE BRISIACO . . M. P. XXX.	Montebriſſaco M. P. XXX.
ARGENTORATO . . M. P. XXXVIII.	Argentorato M. P. XXXVIII.
TABERNIS . . . . M. P. XIIII.	Tabernis . M. P. XIIII.
DECEMPAGIS . . . M. P. XX.	Decempagis M. P. XX.
DIVODORO . . . M. P. XX.	Divodoro . M. P. XXXVIII.
In Itinere per Ripam Pannoniæ, à Taurnno in Gallias ad Leg. XXX. usque. Pag. 241.	
AVGVSTA VINDELICVM	
ARGENTORATO . . M. P. CCCXXII.	Argentorato M. P. *abſunt.*
AD LEG. XXX. . . M. P. R.	Ad Leg. XXX. m. p.
In Itinere eodem Pag. 251. ſqq.	
VINDONISSA	Vindoniſſa
RAVRACIS . . . . M. P. XXVII. Leg.	Rauracis . . . . . . *deleta.*
ARTALBINNO . . . M. P. XXVII. Leg.	Arialbino . . . . . *deleta.*
VRVNCIS . . . . . M. P. XXII. Levgas. X.	Vrincis . . M. P. . *deleta.*
MONTE BRISIACO . . M. P. XXII. Levgas XV.	Montebriſſiaco M. P. XXIII. leug. *deleta.*
HELVETO . . . . M. P. XXVIII. Leg. XIX.	Helveto . M. P. XXVIII. leug. XVIII.
ARGENTORATO . . M. P. XXVIIII. Leg. VIIII.	Argentorato M. P. XXVIII. leug. XVIIII.
BROCOMAGO . . . M. P. XX.	Brocomaza M. P. *abſunt.*
CONCORDIA . . . M. P. XVIII.	Concordia M. P. *abſunt.*
NOVIOMAGO . . . M. P. XX.	Noviomago M. P. *abſunt.*
In Itinere à Mediolano per Alpes Grajas Argentoratum, Pag. 348. & ſqq.	
VISONTIONE	Viſontione
VELATVDVRO . . . M. P. XXII.	Beatatuduro M. P. *abſunt.*
EPAMANTADVRVM . M. P. XII.	Epimanturo M. P. *abſunt.*
GRAMATO . . . . M. P. XVIIII.	*Abeſt*
LARGA . . . . . M. P. XXV.	Larga . M. P. *abſunt.*
VRVNCIS . . . . M. P. XVIII.	Orincis . M. P. *abſunt.*
MONTE BRISIACO . . M. P. XXIIII.	Montebriaſago M. P. *abſunt.*
HELVETO . . . . M. P. XXV.	Eleuto . M. P. *abſunt.*
ARGENTORATO . . M. P. XXX.	Argentorato M. P. *abſunt.*
In Itinere à Mediolano per Alpes Penninas Magontiacum, Pag. 353.	
SALODVRO	Salodurum
AVGVSTA RAVRACVM M. P. XXII.	Auguſta raucarum M. P. XXII.
CAMBETE . . . . M. P. XII.	Cambete . M. P. XII.
STABVLIS . . . . M. P. VI.	Stabulis . M. P. VI.
ARGENTOVARIA . . M. P. XVIII.	Argentouaria M. P. XVIIII.
HELVETO . . . . M. P. VI.	Helvetum . M. P. VII.
ARGENTORATO . . M. P. XII.	Argentorato M. P. *deleta.*
SALETIONE (*) . . M. P. VII.	Saletione . M. P. VII.
TABERNIS . . . . M. P. XIII.	Tabernis . M. P. XIIII.
NOVIOMAGO . . M. P. XI.	Noviomago M. P. XI.
Pag. 372.	
PONTESARVIX	Penteſardis
ARGENTORATO . M. P. XXII.	Argentoratum M. P. XXII.
In Itinere à Treviris Argentoratum Pag. 374.	
NOVIOMAGO	
ARGENTORATVM . M. P. XVIII.	Argentorato M. P. XXII.
In Itinere ab Andematunno Cambetem Pag. 386.	
VESONTIONE	Veſentione
EPAMANDVODVRO M. P. XXXI.	Epamanduoduro M. P. XXXI.
CAMBATE . . . M. P. XXXI.	Cambate . M. P. XXXI.


(*) Cellarius in *Geograph. Antiqua* Tom. I. pag. 308. putat in hac ſerie omiſſa eſſe duo loca inter Argentoratum & Saletionem, nempe Brocomagum & Concordiam; at Itinerarium duas videtur oſtendiſſe vias Argentorato Noviomagum, quarum brevior, quæ per Saletionem Tabernasque Rhenenſes ducebat, altera, quæ per Brocomagum & Concordiam ducit.

Cod. Reg. Sec. X. N°. 4808.	Cod. Reg. Sec. X. N°. 4807.	Cod. Reg. Sec. XI. No. 4806.
Vidonas leugas	Vindones leugas	*Abeſt*
Arialbinno . M. P. XXIII.	Arialbinno . . M. P. XXIII.	*Abeſt*
Montebriſiaco M. P. XXX.	Monte Briſiaco M. P. XXX.	*Abeſt*
Argentorato . M. P. XXXVIIII.	Argenterata . M. P.XXXVIIII.	*Abeſt*
Tabernis . . M. P. XIIII.	Tabernis . . . M. P. XIIII.	*Abeſt*
Decem plagis . M. P. XX.	Decim pagis . M. P. XX.	*Abeſt*
Divodoro . . M. P. XX.	Divodoro . . M. P. XX.	*Abeſt*
Argentoratum M. P. CCCXXII.	*Delet.* . m. p. CCCXXII.	*Abeſt*
Ad lec. m. p. m. XXX.	*Delet.* XXX. m. p. m.	*Abeſt*
Viodoniſſa	Vindoniſſa	Vindoniſſa
Rauracis . . M. P. XXVII.	Rauracis . . M. P. XXVII.	Rauracis . . M. P. XXVII.
Artalbinno . M. P. XVII.	Artalbinno . . M. P. XVII.	Artalbinno . . M. P. XXVI.
Vruncis . . M. P. XXII.	Vruncis . . . M. P. XXII.	Vruncis . . . M. P. XXII.
Montebriſiaco M. P. XXIII.	Moritebriſiaco M. P. XXIII.	Mootebriſiaco M. P. XXIII.
Abeſt	Helveto . . . M. P. XXVIII.	*Abeſt*
Argentorato . M. P. XXVIIII.	Argentorato . M. P. XXVIIII.	Argentorato . M. P. XXVIIII.
Brocomaco . M. P. XX.	Brocomago . M. P. XX.	Brocomaco . M. P. XX.
Concordia . M. P. XVIII.	Concordia . . M. P. XVIII.	Concordia . . M. P. XVIII.
Noviomago . M. P. XX.	Noviomago . M. P. XX.	Noviomago . M. P. XX.
Viſootione	Viſontione	*Abeſt*
Velatudoro . M. P. XXII.	Velatudoro . M. P. XXII.	*Abeſt*
Abeſt	*Abeſt*	*Abeſt*
Gramato . . M. P. XVIIII.	Gramato . . M. P. XVIIII.	*Abeſt*
Larga . . . M. P. XXV.	Larga . . . M. P. XXV.	*Abeſt*
Vtirentis . . M. P. XVIII.	Vtirencis . . M. P. XVIII.	*Abeſt*
Montebluſiaco M. P. XXIIII.	Montebluſiaco M. P. XXIIII.	*Abeſt*
Helveto . . M. P. XX.	Helveto . . M. P. XX.	*Abeſt*
Argentorato . M. P. XXX.	Argentorato . M. P. XXX.	*Abeſt*
Salodurum	Saloturum	*Abeſt*
Auguſta Ramracum M. P. XXII.	Auguſta Ramracum M. P. XXII.	Auguſta Ramracum M. P. XXII.
Caribete . . M. P. XII.	Cambete . . . M. P. XII.	Caribete . . . M. P. XII.
Stabulis . . M. P. VI.	Stabulis . . . M. P. VI.	Stabulis . . . M. P. VI.
Argantoſuaria . M. P. XII.	Argantouaria . M. P. XVIII.	Argentouaria . M. P. XII.
Abeſt	Helvetum . . M. P. VI.	*Abeſt*
Abeſt	Argentorato . M. P. XII.	*Abeſt*
Saletione . . M. P. VII.	Saletione . . . M. P. VII.	Saletione . . . M. P. VII.
Tabernis . . M. P. XIII.	Tabernis . . . M. P. XIII.	Tabernis . . . M. P. XIII.
Noviomago . M. P. XI.	Noviomago . M. P. XI.	Noviomago . . M. P. XI.
Ponteſaruix	Ponteſaruix	Ponteſaruix
Argentorato . M. P. XXII.	Argentorato . M. P. XXII.	Argentorato . M. P. XXII.
Argentorato . M. P. XVIIII.	Argentorato . M. P. XVIII.	Argentorato . M. P. XVIIII.
Veſentione	Veſentiooe	Veſentione
Epamanduoduro M. P. XXXI.	Epamanduoduro M. P. XXXI.	Epamanduoduro M. P. XXXI.
Cambate . . . M. P. XXXI.	Cambate . . . M. P. XXXI.	Cambate . . . M. P. XXXI.


EXPLICATIO SIGNORVM
OPPIDVM
CASTRVM
Palatium
Villa Regia
Monast. Virorum
Monast. Foemin.
Vicus
Meridies
PARS SALINGEVVE
PARS COM. NEZOPOLIS
Arola Ducatus Alsatiae Limes
PAGUS ET COM. ALSGENSIS
BASILIENSIS
COM.
Basula


48°
Occidens
CALMONTENSIS
GOVVE
COMI
Septentrio
Alsa fl
Ellus
BRISACA
PAGVS
BRISIGOVVE
CAMPANENS
DVCAT. ALEMA
Leucae
Franciae
Milliaria
Germanicae
48°
Oriens
Helilza fl


EXPLICATIO SIGNORVM
OPPIDVM
CASTRVM
Palatium
Villa Regia
Monast. Virorum
Monast. Foemin.
Vicus
PAG. ET COM. ALSEGAVDIENSIS
PARS SALINGEVVE
PARS COM. NEOPIPIENSIS
PAGVS SCHOWENS
PAG. BASIL.
Arola Ducatus
Alsatiae Limes
Meridies
Birsa fl.
Ergetz fl.
Hala fl.
Dubis fl.
Basil.
Grandisvallis
Rheinfelden
30'
25'
55'
47°


Occidens
48°
CALMONTENSIS
Mosella fl.
GOVVE
COMI.
PAGVS
RVBIACVS
Columbaria
Alsa fl.
Ellus
BRISAGA
PAGVS
Helilza fl.
BRISIGOVVE
DVCAT. ALEMA
Leugae Francicae
Milliaria Germanicae
Septentrio
Oriens
48°

GEOGRAPH.

ILLUSTRATÆ ALSATIÆ LIBER TERTIUS.

ALSATIA FRANCICA.

SECTIO PRIMA, GEOGRAPHICA.

CAPUT I.

TATUS ALSATIÆ FRANCICÆ GENERATIM.

§. I.

ATtingimus denique tempus illud, quo Alſatia, in diverſos populos tam diu diviſa, à duobus diverſis Præſidibus recta, in unum Provinciæ corpus coaleſcere, uni communique Rectori ſubeſſe, moribus legibus & inſtitutis cœpit uti communibus. Factum hoc, quum ab Imperio vetere Romanorum roente ad Francicam Monarchiam naſcentem transiret, cui ab An. CCCCXCVI. ad An. DCCCLXX. adeoque per CCCLXXIV. annos, fuit conſtanter ſubjecta; unde nova Monarchia, nova Rectorum formula, nova Provincia. Tertia hæc Alſatiæ Periodus eſt, quam à bellicoſa Francorum natione Germanica, novi per Galliam Germaniamque conditrice mperii, *Francicam* voco; quæ Periodo Romanæ, cui nonaginta fere annorom appendicem Alemannicam dedimus, ſucceſſit. Ab Alemannis enim, non à Romanis, ad Francos pervenit Alſatia. Periodus tertia Hiſtoriæ Alſaticæ.

Sed & in Francica hac Periodo, quam tractandam ſuſcipimus, duo iterum diverſi Alſatiæ annotandi ſunt ſtatus; ex quibus totidem Epochæ oriuntur. Primum enim Alſatia, ſub Alemannico comprehenſa Ducatu, extrema Alemanniæ pars fuit occidua, nullo axiomate peculiari diſtincta. Poſt hæc Alſatia, ab Alemannico avulſa Ducatu, peculiarem & ipſa formulam Ducatus conſtituit; quod paulo poſt initia ſeculi VII. ſub Etichone Duce factum eſſe comperior. Utroque in ſtatu Alſatia Auſtraſiani Regni pars fuerat, quum nempe Francicum Imperium ſub Meroveadis & Carolidis

lidis in Auſtriæ Neuſtriæque Regna ad annum usque DCCCXLIII. ſubddivideretur. Tum enim Virodunenſi Pactione Lotharingicum Regnum, inter Auſtriam Neuſtriamque medium, quum fuiſſet exortum, Lotharingiæ pars factus eſt Alſatiæ Ducatus.

§. II.

Franci.

Franci non populus unus, ſed multorum Germaniæ populorum, inter Rhenum inferiorem & Viſurgim, in fœdus coeuntium, ſocietas ſive liga (*a*) fuerunt, qui in ſuis inferioris Germaniæ oris tentaverant, quod in ſuperiore Alemanni. Utrorumque conſilium fuit, libertate domi defenſa, imperium ſuum proferre cis Rhenum, Galliamque adeo Romanis, Germaniæ ſervitutem impoſituris, eripere: quod aliquot ſeculorum fuerat opus. Primi ſcopum ſuum obtinuerunt Alemanni, qui ſuperiorem Gallicam Rheni oram, adeoque & Alſatiam noſtram, toto fere ſeculo V. ab An. CCCCVII. nempe ad An. CCCCXCVI. tenuerunt, quo omni nonaginta annorum tempore Alſatia Alemannica fuit; ſeculi hujus ſpatio Romanos, Alemannos, Francosque experta dominos. Hinc factum, ut Rhenus, quem Tabula Theodoſiana, ſeculi IV. fine confecta, limitem Alemanniæ ſignat, ipſe jam, cum univerſa ad Vogeſum usque Alſatia, Alemannicum jugum ſubiret, atque Alemannia in Cis- & Trans-Rhenanam divideretur.

Nova Galliæ diviſio.

Franci, quum ab An. CCCCXXVIII. Belgicam primum, inde Lugdunenſem vel Celticam, & Aquitanicam tandem cum Narbonenſi, Gallicasque adeo pedetentim omnes, armis ſuis occupaſſent Provincias, totam in tres partes Galliam diviſerunt. Regiones, quæ ad orientem ſolem ſpectant, quæque Rheno, Moſa, Scalde continentur, *Auſtriam*, *Oſtrich*, orientale regnum; partem vero, quæ ad occaſum ſolis vergit, & à Moſa ad Ligerim pertinet, *Neuſtriam*, id eſt, Vueſtriam, Weſtraſiam, *Weſt-reich*, occidentale regnum, appellarunt. Burgundiæ, (*b*) quæ Galliæ Lugdunenſis & Aquitanicæ pars fuit, peculiare ſuum nomen ſervatum eſt, quod paulo ſerius occupata à Francis. GREGORIUS, Turonenſis Epiſcopus, & ANONYMUS *de Geſtis Francorum*, Auctor fere ſuppar ætate, non ſemel Auſtraſios; FREDEGARIUS, Continuatòr Gregorii, Auſtraſios & Neuſtraſios ſæpe commemorant; qui conjunctim *Franci* dicebantur, à Burgundionibus (*c*) & Aquitanis diſtincti. Nomina à regionum plagis deſumere non modo Francorum, ſed & Longobardorum, Gothorum, Saxonum, adeoque præcipuorum Germaniæ populorum, conſuetudo tum fuit. (*d*)

§. III.

(*a*) Romanorum Germaniam ſubjugandi conatus Germanicis populis occaſionem dederunt, ut in fœdera & ſocietates coirent; unde Francorum, Alemannorum, Thuringorum, Saxonumque ſocietates, in quas omnis denique Germania abiit; unde & vetera populorum Germaniæ nomina paulatim evaneſcere cœperunt. In *Tabula Theodoſiana* regiones illæ communi nomine vocantur *Francia*; quæ ab oriente Saxonia & Viſurgi flumine, à meridie Alemannia, terminabantur, teſte HIERONYMO in *Vita Hilarionis*. Non Albim, ſed Viſurgim, Franciam à Saxonia diviſiſſe, contra CLUVERIUM, corruptis CLAUDIANI de Rheno verbis deceptum, probavit HADR. VALESIUS, *Rer. Francicar.* Lib. II. Theodoſiana Tabula Chaucos, Amſivarios, Cheruſcos, Chamavos, Bructeros huc refert, qui poſtremi, ut & Salii, ad oſtium fluminis poſiti: Friſii & Chauci Oceani litora; Catti & Amſivarii interiora Germaniæ habitarunt. LEIBNITII hypotheſis de Cimbrica Francorum origine, quam ECKHARTUS ſuo quoque conſenſu approbat, *Rer. Francicar.* Lib. I. non firmo ſatis fundamento innititur. Vid. *Diſſert.* LEIBNITII *de Orig. Francorum* num. 12. & notam ſubjunctam.

(*b*) Sub Merovingis Vogeſus ad ſeptentrionem, Alpes & Rhenus ad ortum, Ligeris ad occaſum, Rhodanus ad meridiem, Burgundiæ fines conſtituerunt. Complectebatur ergo Nivernenſem Provinciam, Ducatum Comitatumque Burgundiæ, Helvetiam Cis-Urſanam atque Breſſiam. Sub Carolingis dein Burgundia in Cis- & Trans-Juranam diviſa, quarum illa Nivernenſem Provinciam, Burgundiæ Ducatum & Comitatum, Breſſiamque; hæc vero Helvetiam ad Urſam usque, Rhætos, Sabaudiæ & Valeſiæ partes aliquas, comprehendit.

(*c*) Aquitania occupata à Clodoveo I. An. DVII. teſte GREGOR. TURON. Lib. II. Cap. XXXVII. Burgundia à Clodovei filiis An. DXXXII. uti idem GREGOR. TURON. Lib I. Cap. II. Gothia Gallica, Italiæ adjacens, hodie Provincia, ſubacta à Francis An. DXXXVI. Mortuo Chariberto Francia in tria Regna dividi cœpit, in *Auſtriam*, ad Orientem, *Neuſtriam*, ad Occidentem, atque *Burgundiam*. Childebertus Auſtriam obtinuit; quænam hæc fuerit, innuit AIMOINUS, Lib. I. Cap. IV. hoc pacto: "Illam regionem, quæ „ ſeptentrionem verſus tenditur, & inter Moſam & „ Rhenum eſt, Auſtriam: illam autem, quæ à Moſa „ ad Ligerim usque pertingit, Neuſtriam vocare- „ runt. „ Finis ergo Auſtriæ ab occaſu Ligeris, à borea Oceanus, ab ortu Rhenus, ab oſtio ad fontes. Childebertus enim itinere adverſo ripam Rheni tenendo usque in Helvetias ſe contulit, armis ad Atheſim & in Agrum Tridentinum contra Autharim delatis. Sed ubi Auſtria à meridie confinis erat Burgundiæ, non adeo protendebatur, ſed tantum usque ad fontes Araris & Moſellæ, ubi & Montes Vogeſus & Romaricus, naturales regionum limites. Ad Auſtriæ regnum porro regiones Trans-Rhenanæ ſpectabant, uti clare cognoſcimus ex TURONENSI circa finem Libri IV. Cap. XLIX. ubi: "Sigebertus Rex gentes, quæ ul- „ tra Rhenum habentur, commovet, & bellum ci- „ vile orditur. „ Childebertum, Auſtraſiæ Regem, Alemannis & Bajoariis imperaſſe, ex Prologo Legum Bajoariorum apparet.

(*d*) Gothi in Oſtro-Gothos & Viſi-Gothos diviſi ſunt. Saxones, ex Germania ad Britannos transgreſſi, ibi Eſt-Saxoniæ, contracte *Eſt-Sex*, & Weſt-Saxoniæ ſive *Weſt-Sex*, imo & Sud-Saxoniæ vel *Sus-Sex*, id eſt, orientalis, occidentalis atque auſtralis Saxoniæ, regna condiderunt. Saxones, in Germania reſidui, in Oſtphalos, (qui etiam *Auſterlingi*, *Auſterlandi*, *Auſterlendi*, *Oſterſali*, dicebantur promiſcue) & Weſtphalos, (qui paſſim in Monumentis *Weſtphalai*, *Weſtphalabi*, *Weſterſali*) & denique in Nordalbingos, qui *Nordleuti*, *Nort-liudi*, Carolingico ævo diviſi fuerunt. Weſtphalorum nomen, obliteratis reliquis, hodieque ſubſiſtit. Langobardi ad Francorum exemplum ſuas quoque Italiæ regiones in Auſtriam Neuſtriamque diviſere, relicto Tuſciæ nomine. Hoc *Longobardicæ Leges*, & PAUL. DIACONUS in *Rebus geſtis Longobardorum*, nos docent. Foro-Julienſis Provincia, An. DLXVIII. ab Alboino primum

occupata,

§. III.

Alſatia Auſtraſiæ pars.

Alſatia noſtra conſtans ſemper pars fuit Auſtraſiæ regni, nunquam accenſita Burgundiæ. Regia Auſtraſiæ fuit *Mettis*, veterum Divodurum. Hæc ampliſſimi olim Mediomatricorum Pagi metropolis, quæ Amphitheatrum & Palatium habuit, in quo ſæpius Romanorum Imperatores degebant, ut reprimendis Germanorum conatibus intenderent, Auſtraſiani nunc regni caput à Francis conſtituta, decem circiter Auſtriacos Franciæ Reges à Theodorico, Clodovei M. filio, ad Dagobertum II. uſque numeravit, qui regiam in illa urbe ſedem fixerunt. Auſtriaci hujus regni pars fuit Alemanniæ Ducatus, cui attributa Alſatia; donec in peculiarem ipſa Ducatum ſeculo VII. erigeretur. Auſtraſiæ Regibus ergo non modo regiones inter Moſam & Rhenum, ſed & quidquid trans Rhenum, in omni Germania, juris Francici fuit, parebat: (*e*) adeoque illi præ Neuſtriæ & Burgundiæ Regibus floruerunt potentia. Nomina hæc aboleri cœperunt, regno Lothariano An. DCCCXLIII. Virodunenſibus Pactis exorto, quod, Lothario Imperatori conceſſum, ab oriente Rheno, Lacu Lemanno & Alpibus, ab occidente Scaldi & Moſa, Arari & Rhodano, terminabatur; quo factum, ut populi Cis-Rhenani à veteris Auſtraſiæ regno abſtraherentur, adeoque & Alſatia noſtra juris Lotharingici fieret, donec nova ſuper Procaſpidem ad Moſam diviſione, inter Ludovicum Germ. & Carolum Calvum, An. DCCCLXX. facta, Germaniæ regno adjiceretur Alſatia, atque Lotharienſis regni formula penitus antiquaretur. Ita Alſatia ſub ipſis Franciæ hujus CCCLXXIV. annorum Periodi initiis, totius Clodoveanæ Monarchiæ membrum fuit per XV. annos: inde ſub Theodorico, Clodovei M. filio, & ſucceſſoribus, Auſtraſiani regni portio per CCCXXXII. annos devenit; donec per XXVII. annos Lotharienſi regno (*f*) ſubjiceretur, annoque DCCCLXX. Germanici regni Provincia denique fieret.

Alemannia Trans-Rhenana.

Enimvero Franci, Alemannis ſubactis, Alſatiam, ab illis habitatam, Alemannicis inſtitutis, moribus, lingua, legibus, imbutam rectamque repererunt. Alemannia ergo in Ducatum redacta, novi quoque Ducatus pars manſit Alſatia, & pars quidem occidentalis extrema; quæ antea ſub Celtica & Romana Periodis, Rauracorum, Sequanorum, Mediomatricorum extrema quoque pars, ſed orientalis, extiterat. Alſatia Alemannici Ducatus portio quum fuiſſet, à veteri Alemannia Rheno disjuncta, à Franco-Germanis Alemannia Trans-Rhenana, à Franco-Gallis Cis-Rhenana ad ſeculum uſque ſeptimum appellari debuerat, quo peculiarem ipſa Ducatum conſtituere cœpit.

 §. IV.

occupata, cum Venetia ad Atheſin uſque dicta eſt *Auſtria*, (unde *Cividal d'Auſtria*) Ligures, Cenomani, Inſubres, ubi Mediolanum, in Neuſtria Longobardiæ ſiti fuerunt. Edicta Luitprandi, Italiæ Regis, ſub quo ceu Langobardorum Trajano, regni illius fines latiſſime extenſi fuerunt, id edocent ſatis. Adi Sigonium *de Regno Italiæ* ſub An. DCCXIII. Bernardum Saccum *Rer. Italicar.* Lib. X. Cap. V. Lindenbrogium in *Legib. Longobard.* Lib. I. Tit. XXV. Weſtrichia regio cis Rhenum inter Moſellam, Saravum, Bleſam, (*Bliſs*) Navam, Lutramque, (*Lutter*) quæ à Lutari Alſatica differt, ſaltuoſa, veteris Auſtraſiæ pars fuit: vocata forte hoc nomine, quod Franciæ Germanicæ, verſus ſolis occidentis plagam, adjaceat. Junckeri *Geograph. med. ævi*, pag. 324. & Crollii *Oratio de Bipontio*, pag. 6.

(*e*) Utut Auſtraſiæ regnum magnam Germaniæ Galliæque partem in unum Regni corpus conjunxerit: utut Alemanniæ Ducatus ad ſeculum uſque VII. noſtram quoque Alſatiam complexus ſit, vetus tamen Geographica ratio, qua Germaniæ Galliæque finitor conſtitutus erit Rhenus, perpetuo ſubſtitit. Illuſtre ex ſeculo XI. documentum ſuppeditat Wippo, qui in *Vita Conradi Salici* hæc habet: "Ex parte Germaniæ Saxones cum Sclavis, Francos orientales, Alemannos conveniſſe; de Gallia vero Francos, qui ſupra Rhenum habitant, Ribuarios, Lutharingos, conſultatos eſſe." Sed & Friſingenſis Epiſcopus Otto, ex veteri Stauffiorum, Sueviæ Ducum, proſapia natus, & rerum Germanicarum, ſi quis ævi ſui, ſeculi XII. gnarus, de Friderico Luſco, Sueviæ Duce, ſcribens, ita loquitur: "Ipſe (Fridericus) de Alemannia in Galliam, tranſmiſſo Rheno, ſe recipiens, totam provinciam à Baſilea uſque Moguntiam, ubi maxima vis regni eſſe noſcitur, paulatim ad ſuam inclinavit voluntatem." Vid. Otto *de Geſtis Friderici I. Imp.* Lib. I. Cap. XII. Inter varias ergo & multiplices viciſſitudines rerum, quas Geographicus & Politicus Alſatiæ ſtatus, tam longa ſeculorum ſucceſſione, ſubivit, primævus iſte Galliæ Germaniæque terminus & finitor ſubſtitit Rhenus. Nec Alemannici Ducatus, cis Rhenum ſub Merovingis extenſi, nec regni Auſtraſiani limes, Germanicas trans Rhenum & Gallicas cis Rhenum ad Moſam uſque complexus provincias, nec Germanici denique Imperii limes, tam late ſe per Belgium hodieque extendens, veterem illam Rheni, Germaniam à Gallia diſterminantis, prærogativam ex rerum hominumque memoria excellere potuerunt.

(*f*) Lotharii Regnum anno DCCCXLIII. natum, An. DCCCLXX. in partes diſtractum, atque inter Carolingos Franciæ orientalis, ſive Germaniæ & Franciæ occidentalis, ſive Galliæ Reges diviſum, Rheno ad ortum, Rhodano, Sauconna, Moſa & Scaldi, ad occaſum terminabatur. Spira, Wormatia Moguntiaque exceptis, quæ cum agris ſuis jam An. DCCCXLIII. Lothariano Regno exemptæ ſunt & adjectæ Germanico, Virodunenſi Pactione. *Annal. Hildesheimenſes* ad An. DCCCXLIII. itemque *Annales Bertiniani & Metenſes* ad An. hunc. Errant ergo, qui ad alios annos rem referunt. *Chronicon* enim *Remenſe* Tom. I. Labbeano pag. 362. ad An. DCCCXLI. *Chronicon S. Benigni* Divion. pag. 293. & Regino Prumienſis *Chron.* Lib. II. ad An. DCCCXLII. Sigebertus Gemblac. ad An. DCCCXLIV. reponunt. Tabulam Diviſionis Regni Lothariani vide in *Annaliſta Bertiniano* ad An. DCCCLXX. in Pithoeanis *Annalibus & Scriptor. Hiſt. Francor.* pag. 488. Goldasto *Conſtit. Imperial.* Tom. III. pag. 288. Aub. Miræo *Cod. Donat. Piar.* Cap. XX. Conringio *de Finib. Imp.* Lib. I. atque in compendio apud Franc. Haræum *Annal. Ducum Brabant.* Tom. I. pag. 88.

§. IV.

Priſca nomina abolita.

Per tempus illud priſca Rauracorum, Sequanorum, Tribocorum & Nemetum nomina, tot ſeculis uſitata, antiquata ſunt atque abolita; nominibus novis Sungoviæ, Salzgoviæ, Elsgoviæ, Sundgoviæ, Nordgoviæ, Waſgoviæ, Spirigoviæ, in veterum ſuccedentibus locum; poſtquam antiquis populis novi quoque ſucceſſiſſent: Uti in oppoſita Vogeſi parte, ſive à latere ejus occidentali, in Mediomatricorum & Leucorum Agris Pagus Calmontenſis, Albechouua, Sarachouua &c. ſub Francis novi exorti ſunt Pagi. Novi hinc Alemannici Pagi; à veteri Sequanica & Mediomatricenſi Pagorum diviſione diverſi, ex populi victoris arbitrio inſtituti; nova etiam nomina, ex Alemannicæ linguæ genio æſtimanda. Apud Alemannos, Alemanniæ ſuæ trans Rhenum adhuc incluſos, Pagorum uſum jam obtinuiſſe, ab Ammiano (*g*) & Sulpitio Alexandro (*h*) docemur.

Pagos ab Alemannis in Alſatiam introductos quum dico, Alemannicum ſive Germanicum nomen *Gouu*, *Gowe*, ut & tractuum ſive pagorum diviſionem intelligo, prouti per medium deinceps ævum, imo & ex parte ad noſtra usque tempora, viguerunt. Gallici enim populi veteres in Pagos quoque ſuos diviſi quum fuerint, (*i*) non minus atque Germani, Rauricos, Sequanos & Mediomatricos noſtros pagatim, id eſt, in certos diſtrictus vel tractus, ſubdiviſos fuiſſe, dubitare non licet. Quo Celtico vocabulo Galli veteres, ante tempora Romana, pagos ſuos deſignaverint, non ſatis compertum. (*k*) Ex Gallicis quibusdam nominibus *Gergovia*, *Andegavi* &c. quæ apud Cæsarem leguntur, Celtis voculam *Gau* haud ignotam fuiſſe, colligeres. Cambris regio, patria, rus, provincia, dicitur *Gwlad*.

Ex memorata converſione rerum, ab Alemannis introducta, Germanicum quoque nomen *Elſaſs*, *Elſaſſer*, ſuam originem jam accipere potuerat, quum Alemanni Trans-Rhenani Cis-Rhenanos populares ſuos, regionis, gladio nuper paratæ, incolas, ab *accolatu* fluminis *Elli*, Teutonico nomine, ab illis invento, *Elſazer*, *Elſaſſer* appellarent; unde Latinum *Aleſaciones* compoſitum, vel à nomine Alſa (*l*) ortum; à quibus ad ipſam regionem vox paulatim translata eſt. *Alſatiæ* mentio omnium prima, ſeculo VII. ineunte, apud Fredegarium Scholasticum, Gregorii Turonenſis Epitomatorem, gente, uti videtur, Gallum, qui An. DCCXL. inclaruit, legitur, uti à me obſervatum eſt alibi. (*m*) Apud hunc *Aleſaciones* aliquot annis ante *Alſatiam* memorantur. Anno enim DCX. *Aleſaciones* & *Alſacii* (*n*) primum: Anno DCXIII. autem *Aleſatia*, (*o*) ut provinciæ nomen, occurrunt. Nomen, quod ineunte ſeculo VII. jam invaluerat, præcedentibus ſeculis originem accepiſſe, neceſſe eſt. Quinto tamen antiquius eſſe, ſeu Romanis in hac ora dominantibus, Germanicum *Alſatiæ* nomen oriri non potuit. Supereſt ergo, ut Alemannicam vel Francicam ei tribuamus originem; utraque enim poteſt admitti. Supra (*p*) ſteti pro Francis, nunc & Alemannos in originis ſocietatem admittendos exiſtimo. Ad alterutram ſane gentem vocis originatio pertinet; tertia nequit admitti. Quo tempore Alſatia in unum corpus colligi cœpit, quod ſub Alemannica dominatione factum, eo nomen quoque novum *Alſatiæ* debuit oriri: atque adeo longe antiquius cenſendum temporibus illis, quibus prima ejus mentio fit. Sed redimus ad Pagos.

§. V.

(*g*) Lib. XV. Cap. IV. & Lib. XXXI. Cap. X. ubi Lentienſes Alemannici pagi deſcribuntur. Juthungi, qui & Vithungi, incolæ fuerunt pagi Alemannici, ad Danubium ſiti. Bucinobantium pagus contra Maguntiacum poſitus erat. Pagi quidam & Regum nominibus appellati ſunt. Pagus Suomarii apud Ammianum Lib. XVIII. Cap. II. Pagus Vadomarii, contra Rauricos poſitus. Sed & per Hortarii regna, ſive pagos, Juliani miles iter pacatum ad infeſtorum regum terras fecit. Quos Franci dein Comites appellarunt, hi ſtylo Ammiani dicti ſunt *Reges*, uti pagus ei *regnum* dicebatur.

(*h*) Apud Gregorium Turon. Lib. II. Cap. IX.

(*i*) Cæsar *de Bello Gall.* Lib. I. Cap. XII. ait: " Omnis Civitas Helvetia in quatuor Pagos diviſa. " Item Lib. VII. Cap. LXIV. " Gabalos, proximosque " Pagos *Arvernorum* in Helvios, item Ruthenos, " Cadurcosque ad fines Volcarum Arecomicorum de- " populandos mittit. " Synonymum *Pagi* apud Plinium Lib. III. Cap. XV. *Tribus* eſt. *Boji*, inquit, *quorum Tribus CXII. fuiſſe auctor eſt Cato.* Ubi quidem notandum, vocem *Pagus* plerumque partem Civitatis vel populi, interdum tamen & ipſam civitatem denotare. Quis non videt, *Gabalicum pagum* apud Plinium Lib. XI. Cap. XLII. idem eſſe, quod Civitas agerve omnis Gabalorum? Pagus item Geſoriacus Lib. IV. Cap. XVII. idem, quod civitas Bononienſium, hoc eſt, dimidia pars agri Morinorum; quæ gens duo capita, Tarvennam nempe & Geſoriacum, ſive Bononiam, habuit.

(*k*) Vocabulo *Cenedl*, in Celtico idiomate, *gens*, *natio*, *populus* denotatur, uti Boxhornius in *Originib. Gallicis* pag. 16. obſervat. Pezron *Antiquité des Celtes* pag. 384. vocem *Cyweithas* in lingua hac ſocietatem atque commercium ſignificare, nos docet.

(*l*) Ellus flumen *Alſa* vocatur ab Anonymo Scriptore *vitæ S. Arbogaſti*, qui forte Utho Epiſcopus Argent. certe ſeculo X. non poſterior eſt: hic ita ſcribit. " Fertur (*Arbogaſtum*) citra flumen, quod de ſaltu " Voſagi, nomine Briuſcha, mixtum cum *Alſa* fluvio, " qui alveo per Alſatiam eo usque decurrit, oratorium " ligneum parvum ſibi fieri juſſiſſe &c. " Apud Bolland. *Act. Sanctor.* d. 21. Jul. Tom. V. ejusdem Menſis pag. 179. Edit. Venet.

(*m*) Supra *Periodo Celt.* pag. 35.

(*n*) Fredegar. *Chron.* Cap. XXXVII.

(*o*) Ibid. Cap. XLIII.

(*p*) Lib. I. §. III. pag. 35.

§. V.

Pagus apud veteres Scriptores non vicum, ſed ſocietatem vicorum ſignificat, ſive tractum, pluribus conſtantem ex vicis; uti ex pagis Helvetiorum, Suevorum, aliorumque apud CÆSAREM, (q) apparet. Vicus autem villarum, hoc eſt, prædiorum ruſticorum plurium, ſive manſionum in agris, curtiumve, congeries eſt, abſque mœnibus. Infima tamen Latinitate vicus, villa & pagus confunduntur ſæpiſſime. (r) Pagus Germanis hodieque dicitur *Gaw*, *Gown*, (s) *Gowe*. (t) Vocula, fluminibus adjecta, *Rhingoviam*, *Argoviam*: urbibus, *Brisgoviam*, *Spirigoviam*: montibus, *Vasgoviam*; plagis mundi denique addita, *Sundgoviam*, *Nordgoviamque* peperit. (u) Compoſita hinc nata ſunt *Gewman*, homo ruralis: *Gau-ding*, judicium agrarium: (w) *Gau-Graf*, *Go-Greve*, judex agrarius: *Gau-Graffchafft*, Præfectura agraria: *Gogravia*, (x) *Gau-recht*, jus agrarium, (y) & ſimilia plura. Germania ergo Galliaque vetus & media Pagis plenæ fuerunt. De Germanicis BEBELIUS, (z) FREHERUS, (a) MEIBOMIUS, (b) PAULLINUS, (c) KNAUTHIUS, (d) JUNCKERUS, (e) omniumque pleniſſime, Ordinis ſui & Germaniæ decus, Abbas Gottwicenſis, BESSELIUS. (f) Scilicet, ut Thracia & Armenia in Strategias, Judæa in Toparchias, Ægyptus in Nomos, ita Germania & Gallia dividebantur in Pagos, quorum incolæ hinc dicti *Pagenſes*. (g)

Pagus.

§. VI.

Pagi minores vel ſubpagi appellantur quandoque *Pagelli*. Helveticus Uriorum pagus in Charta Ludovici Germanici, Turicenſium Parthenoni, Benedictinæ ſocietatis, An. DCCCLIII. & anno ſequenti data, (h) *pagellus Uronia* audit. Carulus Calvus in Diplomate An. DCCCLXI. ſcribit: (i) *ſimul etiam dixit nobis de quibusdam pagellis* &c. Ex Pagorum in majores minoresque diviſione evenit, ut idem ſæpe locus diverſis pagis annumeretur, quum nimirum major pagus comprehendit minorem. Ita Kirchemium, curtis regia, olim in pago Troningæ & in pago Nordgoviæ fuit, quod Troningorum pagus pars fuit Nordgoviæ.

Pagelli.

Cæterum in Alſaticis documentis vox *Pagus* triplici ſenſu occurrere ſolet. Primo enim univerſam Alſatiæ provinciam denotat, idemque adeo fere cum Ducatu Alſatiæ eſt. Secundo Sundgoviam Nordgoviamque, duos nempe illos pagos, in quos omnis ſubdiviſa Alſatia fuit, deſignat. Tertio minores pagos, in quos Sundgovia atque Nordgovia ſubdividebantur. Dixi, Alſatiam nunc Pagum, nunc Comitatum, nunc Ducatum appellatam; ſub Germanica Perindo nomen novum acceſſit, quum duo illi Comitatus Alſatiæ majores, in Lothariani Regni Tabula memorati, *Landgraviatus*, ſive Comitatus provinciales, appellarentur; qui etiam Sundgoviæ Nordgoviæque deſignabantur nominibus.

(q) *De Bello Gall.* Lib. I. Cap. XII. & Cap. XXXVII. Lib. IV. Cap. I. Rariore ſignificatu quandoque pro *Diœceſi* Epiſcopatus cujusdam ſumitur. Ita ſane in *Bulla* URBANI II. An. MXCIX. Monaſterio *Hirſaugiæ* dato, Monaſterium *in Pago Spirenſi* ſitum dicitur, quod Diœceſeos quidem Spirenſis, at in Pago *Nagelgawe* Suevico ſitum. BESOLDI *Docum. Wirtenberg. rediviva.*

(r) Pagus pro vico, in Chartis Friſingenſ. paſſim. Vid. *Chron. Friſing.* Part. II. Charta CCCXXXV.

(s) IRENICUS in *Exegeſi Germ.* Lib. XI. Cap. XVI. & BROWER. in *Antiquitatib. Fuldens.* Lib. I. Cap. II. vocem *Gau* à Græco γῆ, γαῖα, derivant.

(t) Chartæ paganicæ & variæ Dialecti voculam diverſimode expreſſerunt: *gawe, ge, gowe, gowe ge, gauue, goa, goe, geo, gaum, gobbi.* OTFRIDUS noſter Alſatus, qui ſeculo IX. ſcripſit, Galilæam, pagum Chriſti & pagum Herodis Lib. I. Cap. XX. 15. & Lib. II. Cap. XIV. 3. utrobique *Gewut* appellat. Friſus pronuntiatur *Ga.* JUNIUS in *Gloſſario Gothico*, pag. 186. SAGITTARIUS in *Antiquit. Ducatus Thuring.* pag. 202. à Gothica voce *Gio*, terra. Adde OLAUM RUDBECK. in *Atlantica* Cap. XXIX.

(u) PETZ *Scriptor. Auſtriacor.* Differt. I. pag. 33.

(w) MEIBOMIUS *Scriptor. Rer. German.* Tom. III. pag. 10. *Godink*, *Goudong*. Judicium erat ſummarium, habitum annuatim ſub dio, quo lites inter agricolas de nemoribus, agris, paſcuis, hortis, pontibus, rivis, decidebantur. OLIVAR. VREDUS in *Flandria Vet.* pag. 402.

(x) *Chron. Hildesheim.* apud LEIBNITIUM *Scriptor. Rer. Brunſuicens.* Tom. I. pag. 752. item Tom. II. pag. 219.

(y) SCHOTTELIUS de *ſingularibus Juribus Germaniæ*, Cap. XII.

(z) *De Pagis.*

(a) *Originum Palatinar.* Cap. V.

(b) *Pagor. Saxoniæ Deſcriptio*, Tom. III. *Rer. Germ.*

(c) De *Pagis Germaniæ.*

(d) *Antiquitates Pagorum & Comitatuum Principatus Anhaltini.*

(e) in *Germania medii ævi.*

(f) *Chron. Gottwic.* Lib. IV. toto.

(g) Uti à pago *pays*, ita ex voce pagenſes *payſans* prognatum. *Pagani* quoque dicuntur incolæ pagorum. De Eccleſiaſtico nominis ſenſu, apud AUGUSTINUM, OROSIUM, aliosque, non loquor, qui per paganos & gentiles intelligunt homines, cultui idololatrico deditos. Hac de re HERALDUS *ad Arnobium*: SALMASIUS *ad Vopiſci Saturn.* Cap. VIII. CELLARIUS *in Curis poſterior.* pag. 276.

(h) GUILLIMANNUS *de rebus Helvet.* Lib. I. Cap. II. item in Cod. Probat. *Genealogia Habſpurg.* Tom. II. pag. 30. & 32.

(i) *Append. Capitular.* num. 90.

Cum *Gannis* ſuis Alemanni varias quoque nominum terminationes Teutonici uſus, quibus villæ, vici, caſtra, caſtella, oppida compellantur, attulerunt; quo referendæ voces omnes, quæ in *ach*, *aun*, *bach*, *berg*, *burg*, *eck*, *hauſen*, *heim*, *kirch*, *ſee*, *ſtall* &c. quorum nominum plena eſt topographia Alſatiæ, deſinunt, ita quidem, ut ex Latinis locorum nominibus, quæ ſub Romanis invaluerant, fere nihil remanſerit. Alemanni enim, occupata hac ora, non Romanam modo dominationem, ſed & cum ea urbes, oppida, munimenta, caſtra everterunt, omnium munitionum acerrimi hoſtes. Novi hinc vici & villæ, & nova oppida ſub Francis; quibus nonniſi Teutonica nomina à Germanis conditoribus imponi potuerunt.

§. VII.

Comitatus in genere.

Præter Pagos Alſatia Francica Comitatus quoque ſuos habuit, de quibus, ſecundum ordinem rerum, nunc diſſerendum eſt paucis. A Conſtantiniano jam ævo nomina Ducum & Comitum in ora noſtra Rhenenſi innotuerunt. Sequanica enim tum Alſatia Ducem, qui Olinone, Inferior Comitem habuit, qui Argentorati (*k*) ſedebat; ipſæ tamen regiones Ducatus, Comitatusve formulam nondum induerant; nec facile induere potuerant, quod munera hæc militaria apud Romanos fuiſſent: civilia enim Præſides, ſub Vicariis & Præfectis Prætorio conſtituti, adminiſtravere.

Comitatus vox ergo, nec ævo veteri Romano, nec medio, Geographicum ſenſum obtinuit. Illo enim multitudinem Comitantium, hoc Principis Aulam, denotavit. Geographicus autem ſenſus, quo Comitatus regionem, à Comite rectam, denotat, Latinitatis infimæ partus eſt; à Francici ævi Scriptoribus, apud Gallos, Italos, Hiſpanos, Latine ſcribentibus, productus; quibus & accenſendi Germani, qui Latinas literas ſerius admiſerunt, quam reliqui, ſuosque Gravionatus, *Grauſchaft*, pariter *Comitatus* appellavere. Conſtantiniano nimirum ævo illi, qui in Comitatu Imperatoris erant, Comitesque ejus dicebantur, munera & officia aulica gerebant. Unde Comes Sacrarum Largitionum, Comes Conſiſtorii, Comes Stabuli, Comes Archiatrorum &c. Dignitas eorum, vel munus, dicebatur *Comitiva*. Ex hoc Imperatorum Comitatu miſſi ſunt in Provincias Comites, ut urbibus vel Provinciis, reique præſertim militari, præeſſent; qualis ſeculo IV. fuit Comes Argentoratenſis, cujus, ut & plurium aliorum, mentionem *Notitia Imperii* facit. Sub Francis immutata fuit Comitum formula, Pagis exortis; in quibus judices quum ſederent Comites, Comitivam vel Comeciam ibi exercentes, factum eſt, ut ipſe quoque pagus nomen Comitatus acciperet. Utut enim Notitia Imperii nobis Comitem Hiſpaniarum, Comitem Italiæ, Comitem Illyrici, Comitem Britanniæ, Comitem Argentoratenſem, aliosque recenſeat, nec Hiſpania tamen, nec Italia, nec Illyricum, nec Britannia, appellabantur Comitatus, qui Francico demum ævo innotuerunt.

§. VIII.

Subdiviſio Comitatuum.

Uti vero Comites ſub ſe Judices inferiores, Vice-Comites vel vicarios, Centenarios, Decanos, aliosque Agentes habuerunt, ſic Comitatus etiam in Vicariatus, (*l*) Centenas, quibus ſingulis centum familiæ ſuberant; itemque Centenæ (*m*) in Decurias, abierunt. Hujus ſubdiviſionis exempla hodieque nobis ſuggerit Anglia, ubi Comitatus (*Shyres*) (*n*) in *Hundredas*, (*Hundreds*) id eſt, Centenatus, (*o*) Centenæ vero in *Decanatus* vel *Decanias*, (*Tithings*) ſubdiviſi ſunt; quibus alii *Quintanas* ſubjungunt. Partitionem, ab Anglo-Saxonibus ex Germania Britanniæ illatam, Alfredo, Anglo-Saxonum Regi, qui ſeculo IX. vixit, INGULPHUS, ſeculi XI. Scriptor Anglus, attribuit. (*p*) Pagis nimirum comprehenſi ſunt Comitatus, quos cum *Balliviatibus*, in quos hodie dividuntur Provinciæ, compares, qui etiam in minores & majores (*Baillages & Grands Baillages*: Germanis *Amt* & *Oberamt*) ſolent diſtingui. Pagis minoribus Comites judiciaria cum poteſtate præfecti; unde factum, ut ſæpe numero Pagi

(*k*) Præter Comitem Argentoratenſem, ævo Romano, nullum in oris noſtris aperit Hiſtoria. Comites enim Argentuarienſes, Tribonenſes, Kircheimenſes, non agnoſcit Romana Periodus, cui eos tamen adſcribit GUILLIMANNUS *Habſpurg.* Lib. II. Cap. II.

(*l*) A *Vicariatu & Vicaria*, ſive officio & juriſdictione Vicarii vel Vice-Comitis, ejusque diſtrictu Franco-Gallicum nomen *Viguerie* ortum; quæ diviſio Geographica atque Politica in Languedocia præſertim obtinet. Vicarius Gallis *Viguier*.

(*m*) A Centena derivanda videtur vox *Canton*.

(*n*) A Saxonica dictione *Scyre*, partiri, dividere; quam Latine *Conventum*, *Pagum*, *Comitatum*, CAMDENUS in *Britannia* pag. 129. perhibet.

(*o*) In Legibus Salicis, Alemannicis, Capitularibus Regum Francorum occurrit *Centena*. Vid. Tit. LXXX. *Legis Salicæ*.

(*p*) GALEI *Scriptores Rerum Anglicar.* CAMDENUS *Britann.* pag. 128.

Pagi & Comitatus ſumantur promiſcue. Ita apud Alſatas, noſtroſque vicinos, *Pagum & Comitatum Sundgouue, Pagum & Comitatum Elzgouue, Pagum & Comitatum Briſgouue, Albechouue, Chleggouue* &c. reperimus. ANNALES BERTINIANI An. DCCCXXXIX. diviſionem Galliæ ac Germaniæ, à Ludovico Pio factam, ubi referunt, *Comitatus* vocant, qui à cæteris *Pagi* appellantur. *Comitatus* enim *Valiſiorum*, qui ibi occurrit, aliis dicitur *Pagus Vallenſis; Comitatus Waldenſis*, aliis eſt Pagus Vandenſis, & *Comitatus Scudingus*, FREDEGARIO *Pagus Scutingorum* nuncupatur.

§. IX.

Alia ſubdiviſio.

Sic Francicam Merovingorum cis & trans Rhenum Monarchiam in Comitatus & Ducatus diviſam reperimus; quibus ævo ſequenti, & diverſis Comitum gradibus claſſibusque, prouti hi Palatio, Marcæ, Burgo, Provinciæ toti &c. præfuerunt, Palatinatus, Marchionatus, Burggraviatus, Landgraviatus, &c. acceſſerunt. Imo, poſtquam Epiſcopi ſecularem quoque poteſtatem in Diœceſes ſuas, vel certe in partem earum, ab Imperatoribus cum regalibus juribus, ut Proceres, quos memoravimus, Laici, accepiſſent; novus vocis ſenſus invaluit; ut Epiſcopatus Baſilienſis, Argentoratenſis, Spirenſis &c. nomine ſecularis potius Epiſcoporum principatus, quam eccleſiaſtica diœceſis, intelligeretur. Hi ipſi autem Comitatus quum in Landgraviatus, Marggraviatus, Burggraviatus abirent, ac prouti ipſi quoque Comitatus hereditario jure poſſideri inciperent, appellatio *Comitum* paulatim in deſuetudinem venit, numerusque earum imminui cœpit; ita tamen, ut reliquiæ paſſim, & in Alſatia quoque noſtra ſpeciatim, ſuperſint. (q) Pagorum Alſatiæ medii ævi originem ab Alemannis, Alſatiam ante Francos occupantibus, derivavi: Comitatus Alſaticos derivo à Francis; adeoque Comitatus poſt Pagos exorti ſunt. Alemanni, pulſis Romanis, cum Pagorum ſuorum formulam nobis afferrent, Comitatus in Alſatiam non introduxiſſe videntur; niſi Comites appellare volueris Regulos eorum, quorum ſeptem prœlio Argentoratenſi contra Julianum interfuerunt. Franci, Gallia potiti, Ducum Comitumque formulam, à Romanis inſtitutam, in civili & militari Proviociarum adminiſtratione retinuerunt, unde Ducatuum & Comitatuum nomen. Illi enim Comites, quos TACITUS apud Germanos commemorat, à Francicis Comitibus noſtris plane fuerunt diverſi. Vocabuli *Comitis* à Taciti temporibus varia migratio, uti infra docebimus.

§. X.

Dynaſtiæ.

Pagi & Comitatus limitibus quoque ſuis Dynaſtias vel Toparchias complexi ſunt. Ita appello latifundia, dominia, terras, diſtrictus, quos Viri principes, divites, potentes, multarumque poſſeſſores terrarum, qui Optimates etiam vocantur, in Provinciis & Comitatibus, proprio ſuo jure, poſſidebant; qui ſuos Soldurios, hominesque ſibi devotos, magno numero habuerunt, à CÆSARE (r) & TACITO *Principes* nuncupati; qualis apud Helvetios Orgetorix, apud Æduos Divitiacus, Dumnorix &c. qui primam Nobilium claſſem conſtituerunt, antequam Ducum & Comitum dignitates exortæ. Dynaſtæ hi, vel Domini, eo tempore ſimpliciter *Nobiles*, vel *Domini Terræ* dicti ſunt; ſub Periodo Germanica autem *Liberorum Dominorum*, *Baronum*, (s) *Domicellorum* nomine venerunt. Rutgerus quidam, ex veteris Wetteraviæ Dynaſtis, in *Traditionum Fuldenſium* Charta An. MXXXV. *nobili ex genere progenitus, liberi juris & arbitrii Vir* dicitur. (t) Plena talium vetus fuit Alſatia ſub Celtis, Romanis, imo etiam in Francica hac, quam tractamus, Periodo; plerorumque licet memoria perierit; indicabimus tamen infra ex ævo noſtro nonnullos, quorum nomina licet ſuperſint, terrarum tamen, quas poſſederant, nomen cum ipſis limitibus intercidit. Enimvero tales hi præterpropter fuerunt, quales dein ſub Germanica Periodo Domini in Rapoltſtein,

in

(q) Apud Alſatos & in vicinia Rhingouue, Spirigouue, Hattgouue, Wasgouue, Sundgouue, Siggouue, Saltzgouue, Briſigouue. Caute ergo accipiendum, cum FURSTENBERGIUS in *Monumentis Paderborn.* pag. 143. & CASP. SAGITTARIUS *de Bardewico* Cap. I. §. XVI. ajunt, appellationem pagorum circa annum Chr. MC. uſurpari deſiiſſe. Seculo enim XII. *Pagi* vox in Tabulis quoque Saxonicis adhuc frequens obſervatur. MEIBOMIUS Junior in *Introduct. ad Hiſtor. Saxon. Infer.* pag. 61.

(r) *Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XXIII. ubi de Germanis. " Nullus communis Magiſtratus, ſed Princi„ pes regionum atque pagorum inter ſuos jus dicunt.

(s) GODEFRIDUS Monachus in *Annalibus* paſſim *Barones* & *Nobiles* terræ conjungit. LIMNÆI *Jur. Publ.* Lib. IV. Cap. V. HERTIUS *Opuſculor.* Tom. II. pag. 86. STRUCK. *Differt.* Vol. I. Diſſert. XIII. de *Jure Baronum.*

(t) SCHANNATUS in *Traditionib. Fuldenſ.* pag. 249. Apud GODEFRIDUM Monachum ad An. MCCVIII. dicitur: *Et Nobilibus terræ & Clero.* Ad An. MCCXVI. ait: *Cum Nobilibus terræ ſuæ.* Talis fuit Walderus de Lomersheim, Mulbrunnenſis Cœnobii fundator, qui in antiquis Tabulis dicitur *Vir Nobilis & ex antiqua proſapia, in utraque parentum linea liber,* &c. PAULLIN. de *Advocatis Monaſticis* §. XIX. pag. 553. Operum ejus.

in Huneburg, in Liechtenberg &c. antequam poſtremi ex illis Comitum affectaſſent axioma; quales apud Briſigavos Domini in *Rœteln*, *Uſeberg*, *Badenweiler* &c. Ex his Dominis Liberis Reges atque Imperatores ſuos Duces Comitesque ſumebant. Latifundia horum in Pagis olim & Comitatibus ſita ſane fuerunt. Quum autem de ſitu, limitibus, nominibusque eorum pauca in Chartis, Monumentis, Annalibusque Francicæ noſtræ Periodi ſuperſint, in Geographica hac Alſatiæ deſcriptione vix certi quid de illis definire referreve licebit. In tranſitu annoto, nobiles hos Dominos, quos Toparchas appellare licet, non confundi debere, cum Nobilitate Equeſtri hodierna; quod faciunt Caspar à Lerch, (u) Burgermeisterus, (x) omnesque fere, qui de Equeſtris ordinis hodierni juribus & prærogativis ſcripſerunt.

§. XI.

Emunitates & Marcæ.

Pagis, Comitatibus, Dynaſtiis in Alſatia noſtra accenſendæ ſunt *Emunitates* & *Marcæ*, Germanis *Mundaten* & *Marck*; quæ antiquitate cum Comitatibus certant. Tractus enim immunitate donati ſunt, ut ab ordinaria Comitum jurisdictione eximerentur. Idem de *Marca* ſtatuendum, quæ regionem, limitibus certis incluſam, juribus ſpecialibus & privilegiis donatam, ſignificat. Emunitates has Alſaticas, & unicam hujus generis Marcam, quam Alſatia quoque complectitur, ſuo loco Pagis ſubjungemus Alſaticis.

CAPUT II.

DUCATUS ALEMANNIÆ, CUJUS PARS ALSATIA.

§. XII.

Ducatus Alemanniæ antiquitas.

REgiones, quæ præcipuam Alemannici Ducatus partem trans Rhenum, ſub Merovingis, compoſuerunt, ſuum jam ſub Romanis habuerant Ducem. Trebellius Pollio, (y) de Galliæ Tyranno Poſtumo ſcribens, Epiſtolam Valeriani ad Gallos producit, quæ ita incipit: *Trans-Rhenani limitis Ducem & Galliæ præſidem Poſtumium fecimus.* Trans-Rhenanus hic limes comprehenſus fuit Vallo illo Romano, quod à Danubio ducebatur ad Nicrum, Rhenumque adeo, Imperii finitorem, præcinxit. Valli hujus Præfectus ſeculo III. *Dux Trans-Rhenani limitis* appellatus eſt. (z) Ducatus ille Galliæ præſidi, quippe ceteris viciniori, fuit commiſſus. Poſtumus, qui deinceps ſe in Imperatorem erexit, utramque dignitatem à Valeriano obtinuerat. Germaniæ Primæ Ducatus, ſub Romanis Imperatoribus erectus, Trans-Rhenanum hunc limitem tetigit. Uterque Ducatus Barbarorum irruptione everſus & ab Alemannis occupatus eſt. Alſatiam hi noſtram ergo pridem tenuerant, quum non diu poſt Tulpiacenſem victoriam (a) Alemannia à Francis in Ducatum erigeretur. Unde Alemanniæ devictæ fatum ſecuta Alſatia eſt, quæ ſeculo V. Alemanniæ, ſeculo VI. Alemannici Ducatus partem conſtituit.

Neque vero Ducatus formulam Reges Francorum introduxiſſe mirabitur quisquam, quum reputaverit, non Primam tantum Germaniam, ſed & Rhætias, potioresque adeo Provincias, Alemanniæ vicinas, ſuos ſingulas habuiſſe Rectores, communi Ducis nomine in Imperii Notitia memoratos, quæ forma commoda, rerumque civilium adminiſtrationi conveniens, à Francis opportune ſervata.

§. XIII.

Origo Ducatus Alemanniæ.

Poſtulat ergo rerum natura, ut in Alemanniæ Ducatus originem inquiramus curatius, quod ſub Merovingica Francorum ſtirpe, ad ſeculum usque ſeptimum, res Alſaticæ cum Alemannicis arctiſſimo vinculo conjunctæ fuerunt, usque ad tempora Clotharii junioris, aut Dagoberti primi; quibus Alſatia & Francia nova à magno Alemanniæ Ducatu abſtractæ fuerunt, quod potentia Ducum, Alemanniam univerſam gubernantium, videretur ſuſpecta. Quanquam autem ſub Clodovei Regimine, primisque adeo Francici

(u) De *Ordine Equeſtri Germ.* fol. 210.

(x) *Grafen und Ritterſaal* Part. I. Sect. XVI. *num.* 4.

(y) De *Triginta Tyrannis* Cap. III.

(z) De Ducibus Limitaneis Julius Capitolinus in *Severo Alexandro*. Ducatus Rhætiarum formula apud Cassiodorum Lib. VII. *Variar.* §. IV. De terris limitancis *Cod. Theodoſ.* Lib. VII. Tit. XV.

(a) Gregor. Tur. Lib. II. Cap. XX. Aimoinus Lib. II. Cap. XV. Cassiodorus *Var.* XII. 2.

GEOGRAPH.

Francici in Alemannos Imperii quindecim annis, nullios Alemanniæ Ducis nomen aut veſtigia in veteri compareant hiſtoria, ab ipſo tamen Clodoveo jam conſtitutum fuiſſe Alemanniæ Ducem, vel ex eo apparet, quod filius ejus & in Regno Auſtraſiæ (quod nomen tunc temporis exortum) ſucceſſor Theodoricus, ſub cujus ſceptro Alemanni degebant, in Alemannicæ legis pacto *Ducis*, *Comitum*, *Miſſi*, *Comitis*, *Centenarii* frequentiſſimam mentionem faciat. Theodoricus autem in Prologo Codicis Legum Alemannorum, Bajuvariorum, Ripuariorumque conditor earundem prædicatur.

§. XIV.

Duces plures Alemanniæ

Plures in Alemanniæ Ducatu Duces uno eodemque tempore Hiſtoria nobis Pirminii indicat. BERNO, Abbas Augienſis, in *vita S. Meginradi* ſcribit: " Primo in Inſula „ Augia, habitacula Monachorum conſtruxit, & ſecum Pirminium cum ſociis ad habi- „ tandum eo induxit, juſſu Berchtoldi, Nobiliſſimi Alemannorum Ducis. „ Sed & eodem tempore Theobaldum, Gotefredi Ducis filium, Ducem invenimus. Vixit tum quoque Lantfridus Dux, à Luitfrido diverſus; quos unum eundemque Ducem ECKHARTUS in *Originibus Habsburgo-Auſtriacis* (*b*) ſcripſerat; in *Commentariis Rerum Francicarum* (*c*) ſententiam mutans. Sunt, qui Helvetiam Alemannicam, ut & Rhætiam Alemannicam, ubi Tirolenſis hodie Comitatus, & Alſatiam denique Alemannicam, tres Ducatus peculiares Alemannicos conſtituiſſe exiſtimant; (*d*) quæ nos Alemannicarum Rerum Scriptoribus examinanda relinquimus; obſervaſſe contenti, Alemannicum Ducatum ad Clotharii II. tempora ſe quoque cis Rhenum, & quidem ad Vogeſum usque noſtrum, extendiſſe, Alſatiamque adeo ambitu ſuo eſſe complexum.

Scilicet Alemannici Ducatus eadem, quæ deinceps Franciæ novæ vel orientalis Ducatus, ratio fuit: uterque regiones cis & trans Rhenum comprehendit. Franciæ Ducatus, ab initio conſtitutus trans Rhenum, circa Mœni & Nicri ripas, à veteri Alemannia, cujus pars olim fuerat, diſtractus eſt. (*e*) *Geſta B. Kiliani* Scoti, qui Theodorici Regis æqualis fuit, primum Ducatus hujus meminere, in quibus *Gozbertus Nobiliſſimus Dux orientalium Francorum, ibidem & Auſtralium vocatorum, apud quos Caſtellum erat Wirtzburgum*, fuiſſe dicitur. Poſt Virodunenſia Pacta An. DCCCXLIII. Nemetæ, Vangionæ atque Moguntiacum, ad Franciæ orientalis Ducatum quoque relatæ ſunt: onde duplex, Trans-Rhenanus ſcilicet & Cis-Rhenanus, Franciæ Ducatus; vel ſi mavis, duæ partes ejusdem. Conradus Wormatienſis Dux, Ottonis I. gener, An. DCCCCLV. periit. WIPPO *Cunonem Wormatienſem Ducem Francorum* vocat. Wormatia nimirum, in Vangionibus ſita, ſedes hujus erat Ducatus. Continuator REGINONIS An. DCCCCLXV. Wormatiam in Francia collocat. WITICHINDUS Conradum Francorum Ducem, Franconos Francos, ut & Franconiam Franciam non ſemel appellat. OTTO FRISINGENSIS Conradum *natione Francum* prodit, in Francia orientali ſeu Franconia natum.

§. XV.

Limites Alemanniæ.

Tam variante Alemanniæ, nunc latius, nunc arctius extenſæ, ſtatu, diverſi ejus pro diverſitate temporum, examinandi ſunt limites. Potens enim hæc natio alios fines habuit, libera quum eſſet; alios, poſtquam victa ſub Meroveadum imperio viveret, in formulam Ducatus redacta. Sed & in hoc ſtatu variavit. Quum enim ab initio augmenta ſua accepiſſet à Rheno ad Urſam, ſeculo dein ſeptimo Alſatia avulſa eſt, & ipſa in Ducatum erecta, donec Pipinus, Carolingorum primus, abolitis Ducibus, utrumque Ducatum Nuntiis Cameræ adminiſtrandum commiſiſſet; quæ adminiſtratio per omne Carolingorum tempus continuata eſt; niſi quod Lotharius junior Hugoni, ex Waldrada pellice

(*b*) Lib. I. Cap. V. §. III.

(*c*) Tom. I. pag. 349.

(*d*) ZEILERI *Chron. Suev.* pag. 1. & 5. Sententiæ huic quoque acceſſit BARTHOL. ab HERTENSTEIN in erudita Diſſert. *de Ducatu Sueviæ & Alemanniæ*, Argentorati An. MDCCXXXI. habita, pag. 11.

(*e*) Interdum Ducatus hic à Scriptoribus abſolute *Francia*, *Oſtro-Francia*, *Auſtria*, *Francia Teutonica*, *Francia Orientalis*, *Francorum Ducatus*, denique *Franconia* dicta, quod nomen hodieque durat. Franconiam diminutivum à Francia, nomen à parte Thuringiæ cis Werram, Francico Regno additæ, derivat ECKHARTUS *Commentar. de Rebus Franciæ Orient.* Tom. I. pag. 377. Franciæ hujus novæ, inter Alemanniam, Thuringiam atque Saxoniam ſitæ, origo & nominis cauſa à Junioribus varie traduntur. Inſtitutum hunc Ducatum doctis eo Francorum Coloniis, credunt nonnulli, ut Alemannos, Thuringos & Bajoarios, in officio continerent; alii Francorum ibi incunabula quærunt. Vid. Illuſt. MASCOVIUS *Geſchichte der Teutſchen* Lib. XI. Cap. VIII. KEMMERICH *Introd. ad Jus Publ. Imp.* Lib. I. Cap. III. num. 7. STRUVII *Corpus Juris Publ. Germ.* Cap. III. §. VIII. SPENERUS in *Hiſt. German.* Lib. II. Cap. I. num. 6. Francia orientalis, ſenſu hoc ſumta, pars fuit totius Regni Germanici, quod ſub Carolingis quoque *Francia orientalis* dicebatur. *Annales Fuld.* An. DCCCL. GOTFRIDUS VITERB. An. DCCCLXXXI. OTTO FRISING. Lib. VI. Cap. XVII. Poſtea *Regnum Teutonicum* appellavere Scriptores.

pellice genito, Alſatiæ Ducatum conceſſit; unde Ducibus abrogatis, formulam tamen Ducatus perſtitiſſe inferimus. Officii ergo noſtri eſt, Alemanniæ Liberæ primum, dein Alemannici Ducatus limites definire, quod in utroque hoc Alemanniæ ſtatu pars ejus fuit Alſatia, donec fieret ipſa Ducatus.

Alemanniæ liberæ limites.

Terminos Alemanniæ liberæ, ſeculo V. ante Alſatiam ab Alemannis occupatam, Danubium, Rhenum Mœnumque fuiſſe, res cognita eſt. A meridie ergo Rhætos, ſive Rhæticas Alpes; ab ortu Bajobarios, à ſeptentrione Thuringos & Francos Alemanni tum habuerunt vicinos. (*f*) De Mœno tamen, qui Alemanniam Francis ſubjectam terminavit, dubitatur, num ille Alemanniam liberam quoque terminaverit, an Lanus? Occiduus limes noſtram ſpeciatim Alſatiam concernit. Florentibus Imperii Romani temporibus Trans-Rhenanum Vallum eos à Rheno longe rejecerat; ſeculo autem IV. quum Vallum ab illis eſſet everſum, ad Rheni oram usque habitare cœperunt. Tum vero frequentes ab illis factæ ſunt in Galliam irruptiones; ita tamen, ut à Juliano & Gratiano, poſt internecina prœlia, ſemper rejicerentur trans Rhenum. Valentinianus I. exſtructis cis & trans Rhenum caſtellis, incurſiones eorum impedire ſtuduit.

§. XVI.

Alemanniæ Ducatus limes Vogeſus.

Sic ſtetit Alſatia, ab Alemannis ſemper tentata, nunquam ſubjecta, ad initia usque ſeculi quinti. Quum enim eo tempore immanis illa populorum ſeptentrionis colluvies, Vandali, Alani, Suevi, in Germaniam ſuperiorem noſtram, tranſito Rheno, penetraſſent, Alemannis quoque, toties ante repulſis, tranſitus in Alſatiam relictus eſt liber; quæ illos, oppidorum & munimentorum implacabiles hoſtes, vicatim habitare conſuetos, denique cives admiſit; unde urbium, oppidorum, vicorum, quos præcedentium barbarorum furor non omnino deleverat, plena everſio. Hieronymus ſane inter innumerabiles & fortiſſimas gentes, quæ Gallias, inter Alpes & Pyrenæos, Oceanumque ac Rhodanum, vaſtavere, expreſſe numerat *Alemannos*. In Romano agro cis Rhenum hos victores fuiſſe, Rhenumque Romanis ripis bibiſſe, ſeculi V. fere adulti Scriptor ait, Apollinaris Sidonius. (*g*) Ita occiduus Alemanniæ limes, illo tempore, ad Vogeſum usque promotus eſt; omnemque adeo oram Germaniæ primæ cum Alemannia ſua natio hæc ferox conjunxit; eamque reliquo fere toto ſeculi ejusdem decurſu libere poſſedit: donec cum Cis-Rhenanis, quos tenuerat, populis, An. CCCCXCVI. ſubjugata, regionesque ejus in Alemannicum Ducatum erigeretur à Francis. Alemanniæ domitæ limites à victoribus Francis auctos fuiſſe, quis facile crederet? Id tamen factum eſſe, Regesque Francorum Helvetiæ partem, Rheno vicinam, à Burgundionibus habitatam, Alemannis habitandam conceſſiſſe dubitare vix poſſumus. Soluta enim Burgundici prioris Regni compage, hanc Helvetiæ portionem Alemanniæ Rectori ſubjecerant Franci; quum certum ſit, Alemannicum limitem cis Rhenum fuiſſe non montem Juraſſum, quem utrinque Burgundiones accoluerant, ſed Arolam & Urſam. Juraſſum vero quum loquor, tractum ejus, qui à Geneva ad Salodurenſes usque progreditur, intelligo; extremitas enim Juræ, quæ circa Salodurum à linea recta deflectens, verſus Rhenum excurrit, ad Alemannicum, factaque dein ſejunctione, ad Alſaticum Ducatum pertinuit. Grandisvallenſe enim Monaſterium, in ipſis Juraſſi faucibus ſitum, ad Ducatum Alemanniæ relatum, uti teſtis eſt Bobolenus, qui S. Germanum Grandisvallis locum accepiſſe, ait, à *Gundoino Duce*; (*h*) quem Alemannorum Ducem fuiſſe, ex ipſo Boboleno inferius probabitur. Porro Lotharius An. DCCCXLIX. in Diplomate, Grandisvallenſi Abbatiæ dato, ſitam *illam* ait *in Ducatu Heliſacenſi*. (*i*) At Ducatus Heliſacenſis regiones cum Alemanniæ Ducatu olim erant conjunctæ, antequam in Ducatum peculiarem erigeretur Alſatia; adeoque Alemanniæ, à qua fuerant diſtractæ, partem compoſuerant olim.

§. XVII.

Arola fluvius.

Arolam fluvium vero quod attinet, Walafridus Strabo Alemannos partem Galliæ circa Ararim obſediſſe quum ait, (*k*) Ararim appellat fluvium, quem *Arolam* appellare debuerat. Negligentia Walafridi Juniores induxit, ut Alemannos ad Ararim usque fluvium, qui Ammiani Marcellini ævo *Saucoima*, (*l*) *la Saone*, dici jam cœperat, habitaſſe decernerent; adeoque Helvetiam omnem cum magna Burgundiæ & Lotharingiæ parte

(*f*) Jornandes *de Rebus Geticis* Cap. LV.

(*g*) *Epiſt.* XI. vide quæ hac de re ſupra diſſerui pag. 221. & 259.

(*h*) *In Vita S. Germani* Cap. IX. & XI. apud Mabillon. *Acta SS. Benedictin.* Tom. II. pag. 491. ſqq.

(*i*) Dachery *Spicil.* Tom. III. pag. 339.

(*k*) In *Prologo Vitæ S. Galli*, apud Goldast. *Rer. Alemann.* Tom. I. Part. II. pag. 233.

(*l*) Ammianus Marcellinus *Hiſtoriar.* Lib. XV. ubi memorat *Ararim, quem, inquit, Saucoimam appellant.*

GEOGRAPH.

parte illis adſcriberent. Strabi hojus fide tamen innixus eſt incomparabilis doctrinæ Vir, Germanicæ indagator Hiſtoriæ, David Koelerus, (m) quum Burgundicam Ararim, ſive Sauconnam, Alemanniæ limitem aſſignaret. (n) Sic Arola, usque ad conjunctionem ejus cum Urſa, Alemannici fuit limes Ducatus.

Urſa. Hæc enim Urſa de cetero inter Ducatum Alemanniæ & Burgundiam minorem, ſive Trans-Juranam, quam Burgundiones ita vocarunt, conſtans terminus fuit. Unde Argoviæ Pagus, ab Arola oomeo habens, inter Arolam & Urſam ſitus, pars minoris Burguodiæ fuit, (o) Alemanniæ Ducatum à parte Urſæ attingens. Urſa vero Alemanniæ limes porro quoque firmatur, quod Lacus Turicinus, ut & fluvius Lindimacus, (*Lmath*) ipſumque Turegum, ſeu Turicinum, ineunte ſeculo VII. ad Ducatum Alemanniæ ſpectaverant, teſte Walafrido Strabo, (p) & Ratberto Monacho; (q) ut ipſam Abbatiam S. Galli ſileamus. Sed & Ludovicus Germanicus in Diplom. An. DCCCLX. *Curtim Turegum in Ducatu Alemannico* (r) collocat. Accedit, quod in Diviſione Imperii Carolini Virodunenſi Ludovicus Germanicus obtinuit, quicquid tum *Alemannia* cis & trans Rhenum vocabatur. Alſatia vero, quæ jam pridem peculiarem conſtituerat Ducatum, Lothariani regni tum pars facta eſt; Rhenosque adeo Germaniæ & Lothariani Regni limes evaſit; ſi Alemannicam Helvetiæ partem, Rheno viciniorem, ut & Spirenſem, Wormatienſem & Moguntiacenſem Pagos, excipias. De Helvetia Alemannica ex Inſtrumentis, Lucernenſi Collegio datis, res certa eſt. Huic enim Ludovicus, quæ verſus Albim montem, Turego incumbentem, confirmat: Lotharius autem ea modo, quæ ad Emmatum flumen ſita, muneri dat. Emmatus ingreditur Urſam, paulo infra urbem Luceriam. (s)

In Helvetia ergo non Rhenus, ſed Urſa, Regni Lothariani perſtitit limes; id qood ex ipſa Regni hujus diviſione Marsnenſi An. DCCCLXX. apparet; in qua loca, inter Arolam ac Urſam ſita, hoc eſt, Burgundica memorantur; nulla vero ioter *Urſam* ac *Rhenum*: manifeſto indicio, illa cum reliqua Alemannia jam antea ad Ludovicum German. pertinuiſſe. Poſtremum denique pro Urſa, Alemanniæ limite, argumentum ex Germanica deſumemus Periodo. Abbatia Einſidlenſis nempe ad Alemanniam adhuc ſpectavit An. DCCCCXLVI. teſte Diplomate, hojus anni, dato ab Ottone Rege, ubi Hermanno Duci ſubeſſe dicitur Mechinrates cella. (t) Hæc de occiduo limite.

§. XVIII.

Meridionalis limes. Meridionalem limitem Alpes conſtituerunt Rhæticæ, teſte iterum Strabo, loco ſuperius prolato. Rhætiæ magna pars ad Alemannos ſpectavit. Limitem orientalem Alemannici Ducatus Licum flumen fuiſſe, inter omnes convenit. Hinc Jornandes (u) Alemannis ab oriente vicinos aſſignat *Bajobarios*. Adde, quod *Pagus Albigos*, qui ad Licum usque ſe extendebat, in Diplomate Ludovici Pii, Abbatiæ Campiduoenſi dato, in Ducatu Alemanniæ ſitus dicatur. (x) Sic etiam *pagus Auguſtowe* in vicinia Auguſtæ Vindeli-

Kkkk

(m) *Differt. de Fatis Ducatus Alemanniæ & Sueviæ*, §. II. pag. 6. ubi ad Carol. Spenerum *Notit. Germ. med. ævi* Cap. III. §. III. & Cap. IV. §. XXXI. ſq. provocat, qui tamen Alemanniam ad Urſam usque fluvium porrexit.

(n) Walafridi Strabi ævo Arolam *Araris* nomine ſæpe appellatam fuiſſe, non ex ipſo tantum Walafrido, ſed & ex Ekkehardo, Hepidanno atque Notkero colligimus. Ekkehardus Junior *de Caſib. S. Galli* Cap. I. apud Goldastum *Rer. Alemann.* Tom. I. Part. I. pag. 20. qui teſtatur, *Arnolphum* Regem Salomoni Abbati S. Galli dediſſe *quandam Villam in Araris pago, Cholinchovem dictam.* At vero Zollighofen villa hodieque in Ergovia eſt. Hepidannus Lib. II. Cap. IX. (apud Goldast. *Rer. Alem.* Tom. I. Part. II. pag. 225.) in *Vita S. Wiborada*, ait: “ In Pago, qui Erigowe nuncupatur, „ quem Araris fluvius ex uno latere præterfluit, & „ altero Renus &c. „ Sed quis unquam Ergoviam ad Ararim, ſeu Sauconnam, reponere auſus eſt? Notkerus Balbulus denique, ſeculi IX. Scriptor, in *Martyrologio* ſuo, apud Canisium *Lection. Antiquar.* Tom. II. Part. III. pag. 170. hæc habet: “ Kal. “ Septembr. Natalis S. Verenæ virginis, Thebææ ge„ nere; quæ juxta Ararum fluvium, non longe à „ Caſtro Solodoro, habitavit in ſpecu arctiſſimo. „ Salodurum autem Arolæ fluvio imminet. Eodem ſenſu vocem Araris accepit Glareanus, in *Panegyrico Araris.*

(o) Probant hoc duæ Chartæ Murenſes. Prima, An. MXXVII. data, quam *Teſtamentum* vocant *Wernheri*, Argentinenſis Epiſcopi, Murenſe cœnobium ſitum dicit in *Pago Argoja, in Comitatu Rore;* apud Herrgott Tom. II. num. 168. Henricus V. autem in confirmatione Privilegiorum Murenſis Abbatiæ anno MCXIV. (Ibid. num. 193.) *ſitum hoc monaſterium regulare, ait, in Provincia Burgundia, in pago Argowe, in Comitatu Rore.* Hoc ergo tempore *Comitatus Rore*, qui Arolæ ripæ orientali, ſeu Helveticæ, imminebat, ad Burgundiam ſpectabat. At vero limites Alemanniæ in hac quidem regione ſemper iidem manſerunt, nec ea, quæ ad Alemanniam antea ſpectaverant, Burgundiæ adjecta fuerunt. In alia Henrici V. Charta, Engelbergenſi Monaſterio data Argentinæ An. MCXXV. ſitum illud dicitur in *Provincia Burgundiæ*: ſitum eſt autem cis Urſam. Tschudii *Delineatio Helvetiæ Veteris* Mſ. pag. 87.

(p) *Vita S. Galli* Lib. I. Cap. IV. apud Goldast. pag. 145.

(q) *De Caſibus Monaſter. S. Galli* Cap. I. apud Goldast. pag. 1.

(r) Hartmann. *Annal. Einſidlenſ.* pag. 25.

(s) Guillimann. *de Reb. Helvet.* Lib. II. pag. 259. Tschudius.

(t) Hartmanni *Annales Einſidlenſ.* pag. 46.

(u) *De Rebus Geticis* Cap. 55.

(x) Apud Mabillon *Analecta* pag. 448.

GEOGRAPH.

Vindelicorum ad Alemanniam ſpectabat. (y) Trans Licum vero Bajovarii mox ſequebantur: hinc in Teſtamento Caroli M. An. DCCCVI. Engoldeſtatt jam ad Bavaram refertur. (z) ANNALES BERTIN. ad An. DCCCXXXII. notant, quod *Ludovicus Pius in Alemanniam perrexerit, & venerit Augſpurg ſuper Lech.* ANNALES NAZARIANI ad An. DCC. "Carolus perrexit in fines Alemannorum & Bajuvariorum ad flumen, quod „ appellatur Lech. &c. „ Si ex ſeculo X. teſtimonium adducere licet, allegabimus Anonymum quendam, auctorem *vitæ S. Udalrici*; qui narrat, S. Udalricum à Papa rogatum, qua patria ortus eſſet, reſpondiſſe: ſe nativum eſſe de Provincia Alemannia, de Civitate Auguſta. (a) Sed quid opus eſt, diutius immorari rei, quæ nunquam controverſa fuit?

§. XIX.

Septentrionalis limes.

Limitem denique ſeptentrionalem quod attinet, iſte primitus ad Mœnum uſque projectus erat: Francia nova autem ſub Clodovei poſteris orta, ſeptentrionalis Alemanniæ limes ab illa parte contractus eſt, ita ut fines tum fierent *fluviolus Jaxagia*, in *Pago Vergunda, in quo Abbatia Elchewangis.* Ubi notandum, quod quidem pagus *Virgunda* ad Alemanniam ſpectaverit, non vero *ſilva Virgunda*, quæ teſte (b) Diplom. Henrici II. de An. MXXIV. ad Franciam novam ex parte ſpectabat. Alium limitem faciebat *Werinza fluvius*, qui oppidum Dinchilspuole à Francia ſeparabat. Sequitur pagus *Murrahgou* ad fluvium *Mura*, qui in Nicrum volvitur, at ex parte tantum ad Alemanniam pertinet; prouti limites hos novimus ex Diplomate, An. MXXVII. ſuper ſilva quadam Monaſterio Murrhart ab Imp. Conrado II. conceſſo. (c) Et ſic ad Nicrum uſque limes procurrebat; eumque ſequitur ad influxum uſque *Entzæ*, qui iterum terminum facit: Ab Entza ad *Oſam* fluvium, limitem Epiſcopatus Argentinenſis & Spirenſis, itemque Alemanniæ ac Franciæ novæ; unde Comitatus *Worchheim* adhuc ad Franciam novam pertinebat, in Diplomate Henrici V. An. MCX. quo Gotteſauuiæ fundationem confirmabat. *Oſa* denique fluviolus limitem facit ad Rhenum uſque, per quem ſi paulo deſcendas, ad Spirigoviam pervenis, quæ Francici Ducatus Cis-Rhenenſis, verſus auſtrum, pars extrema quum fuerit, Ducatui Alemannico ad Lutarim fuit confinis.

Hæc de Alemanniæ Ducatus limitibus, quum latiſſimi eſſent, atque noſtram quoque Alſatiam complecterentur; cui cum Alemannia ſors plerumque fuit communis; illis quoque temporibus, quibus Alſatia peculiares ſuos habuit Duces, ipſaque adeo diſtinctum ab Alemannico Ducatum conſtituit. Itaque duo hi Ducatus, nunc juncti, nunc ſeparati, nunc ſuum quiſque proprium, nunc communem ſibi ambo Ducem habuerunt: qui ſe vel *Ducem Alemanniæ*, vel *Alemanniæ & Alſatiæ* Ducem, imo etiam apud Alſatos quum degeret, *Alſatiæ Ducem* modo, appellari ſe voluit: quod ſub Germanica Alſatiæ Periodo ſe manifeſtabit diſtinctius. Sic potentiſſimi illi duo, Alemanniæ nempe ac Franciæ orientalis, Ducatus ad Lutarim noſtram Alſaticam, Spirigoviæ limitem, ſeſe tetigerunt. Spirigovia autem Francici Ducatus tum partem conſtituit. In hac ergo, quam tractamus, Alſatiæ Epocha, qua Alemanniæ Ducatus ad Lutarim uſque ſe extendit, illa hodiernæ Alſatiæ pars, quæ à Lutari ad Quilacam porrigitur, ad Franciæ pertinebat Ducatum. Fata hinc, quæ ſub Romannis Alſatia habuit, ut pars ejus ſuperior Galliæ Lugdunenſi primum, inde Maximæ Sequanorum; pars inferior Germaniæ ſuperiori, quæ dein Prima dicebatur, adſcriberetur; fata hæc, inquam, quodam modo ſunt continuata ſub Francis; ſub quibus præcipua quidem pars ejus & maxima juris Alemannici, pars infima vero juris Francici fuit; uterque tamen Ducatus Franciæ Regno ſubjectus.

CAPUT III.

DUCATUS ALSATIÆ AB ALEMANNICO AVULSÆ

§. XX.

Alſatiæ Ducatus.

ALſatiam noſtram cis Lutarim ſeculo VII. res ſuas ab Alemanniæ Ducatu ſeparatas habuiſſe, non ſemel annotavi. ULRICUS OBRECHTUS (d) Etichonem ſeculo VII. Alemanniæ & Alſatiæ Ducem ſimul extitiſſe arbitratur, & non niſi occaſione bellorum, quæ Pipinus & Carolus M. cum Alemannis geſſerunt, Alſatiam ab Alemannia ſejunctam

(y) Vid. *Chron. Gottwicens.* Vol. II. hac voce pag. 553.

(z) Apud BALUZ. *Capitular.* Tom. I. pag. 441.

(a) Apud VELSERUM *Oper.* pag. 521.

(b) LUNIG. *Spicil. Eccleſ.* Contin. Tom III. pag. 120.

(c) CRUSIUS *Annal. Suevic.* Part. II. Lib. VI. pag. 188. 189.

(d) *Prodrom. Rer. Alſat.* Cap. X. pag. 118.

ſejunctam fuiſſe conjicit. Indubia tamen rerum Monumenta nos docent, Alſatiam à ſeculi VII. medio proprios jam ſuos Duces habuiſſe, quibus cum Alemanniæ Trans-Rhenanæ Ducibus nihil fuit commune; hocque ita continuatum, ut Theobaldus, Alemanniæ Dux, An. DCCXXVII. & DCCXLII. vivens, in Alſatiam venerit, ut hoſtis. Firmant id porro diviſiones variæ, ſub ſtirpe Carolingica factæ, quibus *Ducatus Heliſacius* ſeorſim ſemper legitur, à *Ducatu Alemannia* diſtinctus; evidente indicio, peculiarem illius fuiſſe formulam, peculiareſque Duces eam habuiſſe. Ita *Annales Bertiniani* ad An. DCCCXXXVIII. Heliſatiam non modo Saxonico & Auſtriaco, ſive Franciæ novæ aut Franconiæ, Ducatibus ponunt ad latus, ſed & ab Alemannico Ducatu diſerte diſtinguunt.

Antiquitas ejus.

Sub primis ergo Clodovei I. ſucceſſoribus, Clothario II. nempe, vel certe ſub Dagoberto I. Ducatus Alſatiæ jam extitit; primam autem Ducis Alemannici mentionem reperimus ſub Theodorico I. qui obiit An. DXXXIV. Finis ejuſdem Ducatus in Pipini Brevis vel certe Caroli M. tempora incidit, quibus Ducatus Alemannici & Alſatici formula non quidem extincta eſt, at aboliti Duces; utroque Ducatu à Cameræ Nuntiis recto, qui reditus eorum omnes fiſco Regio intulerunt. Fiſcalis hic Alemannici & Alſatici Ducatuum ſtatus per CLXVI. annos totos, ad annum nempe DCCCCXVII. uſque, duravit; quo ex Alemannicis Proceribus novus Alemanniæ Dux à Conrado I. Germaniæ Rege, datus eſt Burcardus. Unde ſeculorum progreſſu duos Ducatus Alemannia, alium ſub Francica, alium ſub Periodo Germanica, vidit. Prior ad Carolingorum uſque tempora duraverat: poſterior cum Conradino, qui An. MCCLXIX. Neapoli capite truncatus eſt, periit; poſtquam per totos CCCLII. annos ſubſtitit. Sed & Franciæ Ducatus cum Alemannico extinctus quum eſſet, Alſatia non modo facta eſt à Ducibus libera, ſed & regiones ejus maximam partem immediatæ Imperii terræ evaſerunt; limeſque Alſatiæ pedetentim in Francici Ducatus aboliti provinciam Spirigoviæ prolatatus fuit atque promotus; liberis Imperii Civitatibus tum quoque majore numero in Alſatia & Spirigovia ortis, quibus Advocati Imperiales ab Imperatore præfecti. Alſatia ergo ab initio Carolini Imperii caruit Duce, ſed non caruit Rege, nec Rectoribus regiis.

Alſatia Superior jam ſub Imperatoribus Chriſtianis recta fuit à Duce, nempe à Duce Sequanici; Alſatia Inferior, ſub iiſdem Romanis Germaniæ primæ adſcripta, ex parte Ducem quoque experta eſt, Duci nempe Moguntiacenſi ſubjecta, quum Argentoratus peculiarem ſuum Comitem haberet. Sub Francis autem omnis conjunctim Alſatia paruit Alemanniæ Duci, cujus Ducatus pars Cis-Rhenana, Alſatiam comprehendens, admodum modica, ſi eam cum Trans-Rhenana, quæ veram & propriam Alemanniam conſtituit, comparaveris.

§. XXI.

Limites Alſatiæ.

Tranſimus ergo ad Alſatiæ limitum, qui ſub Francica Periodo fuerunt, examen. Aleſaciones, Alſæ vel Elli fluminis accolæ, nomen Alſatiæ regioni dediſſe, ſuo loco oſtendi. (e) Fines ergo Alſatiæ Alſæ fluminis curſus definire deberet. Uti autem de Alſatiæ limite, ante conſtitutum Ducatum, certi quid definire non auſim, ita de limitibus Ducatus Alſatici, qui ipſa Alſatia (f) latius patuit, uti Ducatus Ripuarius latius, quam Ripuaria ſe extendit, (g) luculenta ſatis veſtigia nobis Regum Procerumque illius ævi Chartæ ſuppeditant. Meroveadum & Carolidarum ævo limes ejus ad auſtrum latior, ad ſeptentrionem vero contractior fuerat, quam hodiernæ Alſatiæ. Tum enim Juraſſi latus auſtrinum, Vogeſique dorſum, Rhenus atque Spirigovia, Alſatici Ducatus fines conſtituerunt. *Juraſſum* prodit Diploma Lotharii An. DCCCXLIX. quod Grandvallenſe Monaſterium noſtræ adſcribit *Elſatiæ.* (h) *Vogeſum* ex *Vita S. Deicoli* diſcimus, ubi, quicquid trans Vogeſum erat, Burgundiæ annumeratur. Limes borealis Alſatiæ noſtræ fluviolus *Lutarus.* (i) Hoc vel inde pateſcit, quod *Spirgovia*, ad lævam uſque Lutaris ripam protenſa, Franciæ novæ conſtituit partem, atque adeo in Tractatu Virodunenſi An. DCCCXLIII. ceſſit Ludovico Germanico: noſtra quum Alſatia Lothario Imperatori obtingeret. Taceo, quod quadriennio ante, quum An. DCCCXXXIX. Ludovicus pius novam terrarum diviſionem moliretur, in ejus formula verbis expreſſis, (k) *Ducatus Ribuariorum*, *Wormazfelda*, (l) *Sperohgouui*, & deinceps

(e) Pag. 35. & 622.

(f) Alſatia ipſa nunquam ultra Juraſſum, at Ducatus ſe ultra extendit.

(g) *Prodr. Chron. Gottwic.* pag. 750.

(h) Addatur *Vita S. Wandregiſili*, apud Mabillon *Acta SS. Benedict.* Sec. II. pag. 514. ubi Monaſter. S. Urſicini in *Elſiaugio* exſtructum dicitur *territorio.*

(i) Plures apud Suevos ſunt Lauteræ, eſt & in Franconia, Palatinatu, imo & in Helvetia.

(k) *Annales Bertiniani.*

(l) Wormazfelda, hoc eſt, Wormatienſis Ager, Wormatiagovia.

GEOGRAPH.

ceps *Ducatus Heliſatiæ* commemorentur. Si Spirgovia ad Alſatiæ Ducatum pertinuiſſet, peculiaris & ſeparata mentio ejus facta non eſſet, aut ea ſane Heliſatiæ ſubjuncta fuiſſet. *Spirgoviam* autem ad Lutarim usque procurriſſe, ex Chartis Weiſſenburgenſibus novimus, ubi plurima Abbatiæ Weiſſenburgenſis bona, Lutari contigua, imo & ipſa Abbatia, in Pago *Spirigouue* ſita dicuntur. (*m*) *Rhenum* denique omni ævo ad orientem limitem habuit Alſatia. Id ſatis ſuperque probant, quod Pagi *Briſgoue* & *Mortenhauge* cum aliis minoribus in littore Germanico Rheni protenſi fuerint: at eos quis unquam ad Alſatiam retulerit? In diviſione Virodunenſi ſub Alemanniæ Ducatu comprehenſa Ludovico Germanico ceſſere; Alſatiæ Ducatus Lothario remanſit. Nec obſtat, quod *Briſacum* oppidum ſeculo X. adhuc ad Alſatiam ſpectaſſe dicatur à LUITPRANDO, (*n*) SIGEBERTO GEMBLAC. (*o*) & CONRADO URSPERGENSI. (*p*) Mons enim Briſiacus, Romanorum ævo in Alſatica Rheni ripa ſitus, mutato inde fluminis ejusdem curſu, ſeculo X. in Inſula eminebat, quod ipſe Luitprandus, modo allegatus, teſtatur: "Eſt in Alſatiæ partibus caſtellum, Briſec patrio vocabulo nuncupatum, quod & Rhenus, in modum Inſulæ cingens, & naturalis ipſa loci aſperitas munit." (*q*) Quum ergo in *Rheni Inſula* ſitum fuerit Briſacum, liberum fuit Scriptoribus, ad utramvis Rheni ripam illud collocare, vel Alſatiæ, vel Alemanniæ, ſtrictiore ſenſu ſic dictæ, annumerandum.

§. XXII.

Burgundia.

De collimitio Alſatici Ducatus cum Burgundia minore, ſive Helvetica, ad Arolam flumen, non prætereundum ſilentio, Burgundiæ illius Reges Rudolphos, qui Trans-Jurani dicebantur, Burgundici Regni ſui limites in Ducatum Alſatiæ per Juram, imo & trans Juram montem, prolatare ſtuduiſſe; ita, ut ipſa quoque Baſilia urbs, cum Epiſcopi Baſilienſis territorio, & parte quadam Sundgoviæ, ad Burgundicum illud Regnum Jurenſe pervenerit, (*r*) & cum eo ad Conradum II. Germaniæ Imperatorem, atque deinceps ad Imperium ſeculo XI. redierit. Tum ergo Alſatici Ducatus limes verſus meridiem coarctatus eſt, atque cis Juram rejectus; quod poſt Francicam demum Periodum ſub Germanis evenit. Unde conſequitur, Alſatici Ducatus limitem ad auſtrum, ſub Francica hac noſtra Periodo, latius, quam ſub ſequenti ſe extendiſſe Germanica.

Alia limitis borealis eſt ratio. Præfecturæ enim, ſive Advocatiæ Alſaticæ limes, poſt Alemanniæ & Franciæ Cis-Rhenanæ Ducatus extinctos, quod ſeculo XIII. contigit, ortus, & ad Quiſacam usque, ad quam Landavia jacet, extenſus, hodieque perdurat. Ita Alſatia noſtra ſub Francica Periodo in unum denique Geographicum corpus coaluit: ſub Germanicà, novum verſus ſeptentrionem, ad Quiſacam usque flumen, accepit augmentum; ſatisque adeo evidens eſt, Alſatiam ſeculo XIV. limite verſus boream aucto, ea fere reſarciviſſe, quæ ſeculo X. Alſatiæ Ducatus verſus auſtrum amiſerat, poſtquam Burgundiæ minoris, vel Cis-Juranæ, Reges Ducatus illius limitem cis Juram rejeciſſent.

CAPUT IV.

PAGI MAJORES IN DUCATU ALSATIÆ.

§. XXIII.

Alſatiæ diviſio.

PAgi ſunt antiquiores Comitatibus; Pagis enim Comites præfecti, ut Judices, à quibus nomen *Comitatus* in Geographico ſenſu exortum. Natura rerum ergo poſcit & ordo, ut prius de *Pagis*, atque deinceps de *Comitatibus* agamus. Primum inter Alſatiæ *Pagos* locum ipſa Alſatia obtinet, quippe quæ & ipſa *Pagus* appellatur; in duos alios iterum diviſus, qui ambo denique in minores ſubdiviſi fuerunt. Pagus atque Provincia interdum promiſcue ſumuntur. Quum Francici Imperii Provincia evaſiſſet Alſatia, eodem modo appellata eſt *Pagus*, quo Ripuariorum Ducatus, quinque Comitatus

(*m*) Vid. infra §. XXVII.
(*n*) Lib. IV. Cap. XIV.
(*o*) *Chron.* ad An. DCCCCXLIII.
(*p*) *Chron.* ad An. DCCCCXI.
(*q*) Vid. ſupra pag. 191.
(*r*) URSTISIUS in *Chron. Baſil.* Lib. II. Cap. XII.

tatus ſub ſe comprehendens, à Rheni, Moſæ, Moſellæque ripis *Ripuarius* (s) *Pagus* appellatur. Singulare hoc ergo noſtra habuit Alſatia, quod illa maximus Pagus in duos alios majores, Sundgoviam nempe atque Nordgoviam, hoc eſt, auſtralem atque borealem, ſubdividebatur; qui & ipſi denique in plures alios minores ſubdiviſi ſunt. Sic Alſatia *Pagi* atque *Ducatus*, imo & quandoque *Comitatus*, nomine, ſub Periodo Francica venit; uti infra docebimus.

Comitatus & *Pagus* vocabula haud raro ſynonymica ſunt: uterque in majores minoreſque partes diſſectus. Comitatus totius Alſatiæ in duos alios majores Comitatus diſtributus fuerat, qui in Lotharienſis Regni diviſione An. DCCCLXX. jam recenſentur. Hi ſunt illi duo Pagi majores, Sundgovia atque Nordgovia; ex quibus dein Comitatus duo Alſatiæ Provinciales, Landgraviatus nempe ſuperior inferiorque, prognati ſunt.

ALSATIA PAGUS.

§. XXIV.

Alſatia Pagus.

INitium ergo ab ipſa Alſatia, ceu maximo Pago, Pagorum Alſaticorum patre, ducendum. Theodoricus IV. in Privilegio ſuo pro inſtauranda Murbacenſi Abbatia An. DCCXXVII. locum hunc in *Pago Alſacinſe*, & Eberhardus Comes, Abbatiæ fundator, in Charta fundationis, anno ſequenti data, in *Pago Alſacenſi*, poſitum eſſe teſtantur. Memorat eundem *Pacum Alſacinſem* Widegernus, Argentoratenſis Epiſcopus, in Charta quoque Murbacenſi ad An. DCCXXVIII. itemque Eberhardus Comes An. DCCXXXI. In Diplomate Pipini Regis anni incerti; in Donatione Rudmundi Clerici An. DCCLX. in Diplom. Caroli M. An. DCCLXXII. in Donatione Uldalrici An. DCCLXXXIX. &c. quæ inſtrumenta omnia ſeculo VIII. condita ſunt, Abbatia Murbacenſis ſita dicitur in *Pago Alſacenſi*, ſeu *Alſacinſi*, ſive *Alſecenſi*. Ne vero exiſtimes, Pagum hunc illum eſſe, qui Alſegaudiæ oomine venit, Diploma Ludovici Pii An. DCCCXVI. Lotharii An. DCCCXL. aliaque ſequentium Imperatorum & Germaniæ Regum plurima ſuperſunt, in quibus Murbacum ponitur in *Ducatu Alſatiæ*. Ludovicus Germ. in Præcepto ejuſdem Abbatiæ An. DCCCXLII. villam *Haſſingam* io Pago Alſacenſi ſitam eſſe ait, quæ in Sundgovia, Ducatus Alſatiæ parte, haud procul à Baſilia urbe, ſita eſt. Omne vero dubium tolletur, ſi verba Diplomatis Henrici III. Imp. An. MXLIX. Murbacenſibus dati, perpenderis, ubi legitur: *villa Hoſſheim, ſita in Pago Elſazzen, in Comitatu Sundgoune*. Adde Chartam Herimaldi cujuſdam, in qua Monaſterium S. Gregorii extructum dicitur in *Pago Heliſacenſi & in parte ipſius Pagi, quæ vocatur Sundgeuui*. (t) Nec minor auctoritas Diplomatis, quod Carolus Craſſus An. DCCCLXXXIV. Abbatiæ Grandvallenſi dedit, ubi memoratur *curtis in Comitatu Alſgaugenſi, & Mons Sigoldus in Pago Alſacenſi*. (u) Teſtimonium Scriptoris illius ævi ſi quoque deſideres, Isonem produco, Cœnobitam S. Galli, qui ſec. IX. miracula S. Othmari, Abbatis San-Gallenſis, deſcripſit, (w) ubi etiam Pagum, *qui vocatur Elizazia*, refert. Besselius in *Prodromo* ſuo (x) Alſacienſem Pagum, Troningorum quoque Pagum appellatum fuiſſe, arbitratur; qua in re Viro Doctiſſimo, mihique, dum viveret, amiciſſimo, accedere non poſſum, uti infra oſtendam. Denique oec prætereunda eſt Charta Alemannica apud Goldastum, (y) ubi villa *Chanbeti (Kembs)* poſita dicitur in *Pago Alſazas*, in *Comitatu Sundgouue*. Vides, quam hæc inter ſe probe diſtincta ſint, nec ullum ſupereſſe dubium, qnin Alſatiæ Ducatus *Pagi* nomine venerit. Præterquam vero, quod Alſatia ipſa non ſemel Alſacenſis Pagus vocatur, reperimus eandem ſubjectiva & indeclinabili quandoque forma *Aliſacius* & *Eliſaznon* appellari. Parata ſunt mihi loca ex Teſtamento Fulradi An. DCCLXXVII. & Diplomate Ottonis I. pro Adelheide Auguſta Ao. DCCCCLXVIII. (z) quando in priore hæc verba: "Reliquas res per loca diverſa, " tam in *Aliſacius*, quam quæ in Mordinnavia &c. " ac paulo poſt: "quantumcunque " in *Aliſacius* & Mordenavia & Briſegavis, quicquid mihi traditum fuit. " Diploma Ottonis I. vero ita: "Conjugi noſtræ Adelheidæ .... in proprium donavimus juris " regni noſtri quaſdam curtes .... ſitas in *Eliſatnon*, in Comitatu Hugonis Comitis. " Eandem Grammaticam formam in vocibus *Auſter*, *Neuſter*, *Pariſius &c.* Chartæ illius ævi regiæ nobis offerunt.

(s) Valesii *Notitia Gall.* pag. 478.
(t) Laguille *Hiſt. d'Alſace, Preuves* pag. 42. ſq. Chartas in Codice Diplomatico dabimus.
(u) Herrgott *Genealog. Habsb.* Tom. II. pag 51.
(w) Apud Mabillon *Act. Sanctor. Benedict.* Sec. III. Part. II. pag. 153.
(x) *Chron. Gottwic.* Tom. II. Lib. IV. num. 14.
(y) *Alemannicar. Rer.* Tom. III. pag. 41.
(z) Apud Freherum in *Origg. Palat.* Part. II. pag. 82.

SUNDGOVIA.

§. XXV.

Sundgovia.

ANte omnia generalem Pagi Alſatiæ diviſionem proponimus; qua totam Alſatiam, à Ducatu diſtinctam, in duas partes majores, ſive generales, *Sundgoviam* nimirum atque *Nortgoviam*, ſubdiviſam reperio; quæ ſingulæ diverſis iterum conſtant ex Pagis. Sub Romana jam Periodo Alſatiam à duobus diverſis inter ſe Populis, Sequanis & Mediomatricis, quibus poſterioribus ſupervenere Triboci, habitatam fuiſſe, fuſe probatum eſt. Ex primæva illa diviſione nata fortaſſis altera, quæ medio ævo obtigit, Alſatiæ in *Sundgoviam Nortgoviam*que diviſio. (*a*) De quibus haud dubie ſermo eſt in allegata jam Tabula Diviſionis Regni Lotharii, An. DCCCLXX. in Procaſpide Marſaneoſi, ſuper fluvium Moſam, factæ; ubi in Eliſatio *Comitatus duo* aſſignantur Ludovico Germanico. *Sundgoviæ* Pagus omnem illo ævo Alſatiam Superiorem, cum hodierna Sundgovia, complexus eſt; paulatim in arctiora contractus, ne dimidiam quidem partem terrarum continet, quam continuerat olim. *Suggentenſis* vocatur à FREDEGARIO SCHOLASTICO, (*b*) qui pagi hujus incolas cum Campanenſibus, Turenſibus & Alſatiis, à Childeberto II. ex Auſtraſia detractos & Burgundiæ adjectos fuiſſe, memorat; quum ipſe Theodorico II. filio minori, quem Burgundiæ conſtituit Regem, has Provincias An. DXCV. teſtamento relinqueret, quod in villa fiſcali Marilegio apud Alſatios nutritus & educatus fuerat: atque adeo filium natu majorem, Theodebertum II. cui Auſtraſiæ Regnum obtigerat, regionibus his, ad Auſtraſiam pertinentibus, privaret. Per Suggentenſes enim hic intelligi Sundgovios, vel ex eo patet, quod Campanenſes, Turenſes & Aleſatii, mox ſubſequantur. Campanenſes, uti inferius docebitur, populi fuerunt circa Cambeten, Turenſes vero Turæ fluvio vicini: uti Aleſaciones vocati, habitantes ad Alſam, quæ dein *Ell*, *Ill*. Temporis progreſſu Campanenſium & Turenſium nomina diſparuerunt, & genericum Sundgoviæ nomen reliqua abſorpſit, ſuoque complexum eſt ambitu. Non audiendus profecto WOLFFGANGUS LAZIUS, qui per Suggintenſes Suitenſes intelligi putat, jam pridem à GUILLIMANNO in *Habsburgicis* confutatus. (*c*) Originem vocis *Sundgaw* Cl. BOCHATUS (*d*) ex lingua Celtica, quaſi *ſumus pagus* (*e*) appellaretur, incolasque à *Sontiatibus*, veteri Aquitaniæ populo, ſimile nomen habente, derivari poſſe, arbitratur; cujus Colonia forte in tractum hunc noſtrum migraverit.

§. XXVI.

Origo vocis Germanica.

Verum nomen hoc origine Theotiſcum, non Celticum eſſe, & ab Alemannis vel Francis in has oras allatum, eo minus dubitandum, quod & Bavariæ pars meridionalis eodem olim appellata fuit vocabulo, uti Pagum quoque meridionalem Alſatiæ etymologia ſua deſignat: Nortgovia ſeptentrionalem notaverat Pagum. Carolus M. patria lingua, quæ Theotiſca fuit, Auſtrum *Sundren* vocavit, uti EGINHARTUS in *Vita* ejus teſtatur. (*f*) Abbatiam Monaſterienſem in Pago *Eleſazze*, ejusque parte, quæ *Sundgewe* dicitur, extructam fuiſſe, Charta ejus, allegata ſuperius, indicat. Merovingicam

---

(*a*) Obſervandum eſt, Bavariam olim in Suntgojam & Nortgojam fuiſſe diviſam. Suntgovia vocabatur pars ſuperior vel meridionalis, ad dextram Danubii ripam poſita: altera vero ad ripam ſiniſtram, *Nortgovia* dicebatur, quæ Eichſtadienſem quoque complectebatur tractum. Erudite hos duos Bavariæ Pagos majores deſcripſit Jo. HENRICUS DE FALKENSTEIN in *Antiquit. Nortgoviæ.* Sundergeuue, ſeu Sundgoviam Bavaricam, reperis in *Chartis Ottonis* I. de anno DCCCCXL. & Friderici I. de An. MCLXIII. apud GEWOLDUM Tom. II. *Addit. ad Hundii Metropolit. Salisb.* pag. 258. & Tom. III. pag. 407. & in Diplomate Henrici VI. de An. MCXCIII. apud HUNDIUM, *Metropol. Salisburg.* Tom. III. pag. 197. Charta eſt Ottonis II. Imp. de An. DCCCCLXXIX. data Brumadæ in Alſatia, ubi Monaſterium Bavaricum *Tegernſee* ſitum dicitur in *Sundergoe*, & in Comitatu Luitholdi Comitis. Confer etiam quæ hac de re ſupra pag. 36. dicta ſunt.

(*b*) Lib. V. Cap. XXXVII. Idem Cap. XXXV mentionem injicit Pagi *Sointenſis*, ubi THEODORICUS RUINARTUS *Suggintenſem* quoque Pagum intelligendum eſſe conjicit. Cave vero, cum hoc confundas Comitatum Suentiſiorum, inter Portiſiorum & Calmontenſium Comitatus poſitum, in *Annal. Bertin.* DCCCXXXIX. qui etiam Diviſione Regni Lotharii An. DCCCLXX. in portione Hludovici occurrit, & inter *Albechovam* & *Calmontem* ſitus dicitur. Quum enim Albechova, ut inferius docebimus, ſit Pagus Blanckenburgenſis, *le Blamontois*, per Calmontenſem vero Comitatum intelligatur *le Chaumontois*, qui uterque Lotharingiæ tractus eſt; clarum ſatis eſſe videtur, per *Suentiſiorum* Comitatum, inter eos ſitum, non poſſe deſignari Sundgojam noſtram. Sed eam potius Lotharingiæ partem, quæ hodie *le Santois* vocatur: pertinaciter licet pro Sundgovia noſtra pugnante HADR. VALESIO, *Notit. Galliar.* pag. 138. & qui eum ſequitur, *Chronici Gottwicenſis Prodromo*, Tom. I. pag. 790.

(*c*) Lib. II. pag. 68.

(*d*) *Memoires ſur l'Hiſt. Ancienne de la Suiſſe*, Tom. I. pag. 164.

(*e*) Provocatur ad WACHTERI *Gloſſarium*, qui in voce *Sund* annotat, eam *ſalubrem* & *bene valentem* indicare, provocatque ad *Anglo-Saxonicum Dictionarium* SOMNERI. Certe vox Teutonica, ab Anglo-Saxonibus illata Britanniæ, uti Alſatiæ noſtræ eam intulerunt Alemanni vel Franci; quorum linguæ Teutonicæ: nullum nominis veſtigium, nec in Romana, nec in Celtica, noſtra reperitur periodo.

(*f*) Cap. XXIX.

vingicam & Carolingici ævi Sundgoviam, illam, quæ hodiedum retinet nomen, comprehendiſſe, inde quoque elucet, quod Charta Alemannica, ex Goldaſto ſuperius à nobis allegata, *villam Chambetz* (*Kembs*) prope Baſiliam, adhoc in Sundgovia ponit. Invenies ibidem, Pagos vicinos, Alſegaudiam ſive Elsgouue, & Baſalchovam ſeu Baſilienſem pagum, in Diviſionis Lotharingiæ Tabula, ſeparatas à Comitatibus duobus Alſaticis rationes habere. Neque tamen negandum, poſtremos hos aliosque plures Pagos vicinos, utut extra Alſatiam ſitos, Alſatiæ tamen Ducatus partes compoſuiſſe, id quod vel exinde patet, quod Abbatiam Grandisvallis in Ducatu Heliſacenſi ſitam, Diploma Lotharii Imp. An. DCCCXLIX. affirmat. Abbatia vero hæc prope fontes fluvii Birſæ, haud procul à Petra Pertuſa, jacet. Adde, quod in Charta fundationis Murbaci, ab Eberhardo Comite An. DCCXXVIII. factæ, dicatur, bona ad hanc Abbatiam donaſſe ipſum *in Ducatu Alſacenſi, ſeu* (*g*) *in Pago Troningorum*, & in *Pago Alſegaugenſi.* Vides hic Pagum Troningorum, qui Nortgoviæ, ſeu Alſatiæ inferioris, pars fuit, cum Alſegaudia, Duci Alſatiæ ſubjecta, affirmari. Suadent hæc, ut Ducatus Alſatici limitem auſtralem ſtatuamus Juraſſum, &, qui ex ipſo procurrit, Vocetium, ad Arolam usque, Rhenum & Vogeſum. Ceterum Sundgoviæ nomen, pro ſuperiore Alſatia ſumptum, An. MCLXXXVI. exoleviſſe videtur; tum enim Alſatiæ ſuperioris nomen in uſu eſſe jam cœpit.

NORTGOVIA.

§. XXVII.

Nortgovia.

ALter majorum Alſatiæ Pagorum *Nortgovia* eſt, ſive Pagus borealis, ita dictus, quod verſus boream ſitus. Hic Abbatiæ Selzenſi, uti apud ODILONEM (*h*) legimus, erat vicinus. Nortgovia Alſatiæ Inferioris hodiernæ partem potiorem complectitur. Terminum enim illius ſeptentrionalem ponimus Lutarim, Inferioris Alſatiæ flumen. Ultra Lutarim ſeſe non extendit Nortgovia, quum Weiſſenburgenſem Abbatiam, quæ flumini huic adjacet, in Pago *Spirgouue* ſitam, Diplomata profiteantur Ottonum. Nec tamen Nortgoviæ termini, Aquilonem verſus, arctiores ſcribi facile poterunt; quod in Charta Henrici IV. An. MLXV. Eberhardo, Spanheimenſi Comiti, data, *vici Schweighuſen* & *Hochfelden* cum Silva ſancta, ſive *Heiligen Forſt*, in Pago *Nortcouue* ſitæ dicuntur. In eodem hoc Pago, teſte Charta Luitfridina An. DCCCCIII. Trudpertini Monaſterii, Hunfridus memoratæ Abbatiæ donat Curtim *Kunigishovam.* Dubium eſt, quænam ſit Kunigishova; duas enim nominis hujus in Alſatia villas medio ævo invenimus, alteram prope Tabernas Alſaticas, ultra Steygam, quam vocant, duobus paſſuum millibus ſitam: (*i*) altera prope muros Argentoratenſes, occaſum verſus, olim ſedebat, limite ejus ad D. Aureliæ Templum usque extenſo; quæ, ut & Tabernenſis altera, jam pridem periit. Quamcunque ex Kœnigshovis his ab Hundfrido intelligi dicas, indicando Nortgoviæ medio illa nobis inſerviet.

§. XXVIII.

Limes auſtralis.

Reſtat jam, ut de communi Sundgojæ & Nortgojæ limite pauca diſſeramus. Vidimus eundem veteris Sundgoviæ, qui Alſatiæ nunc ſuperioris eſt, terminum extitiſſe. Nortgoviam ad eundem usque protendere facile erit, ubi Diplomatis, Cœnobio Altorffenſi ab Imperatore Friderico I. An. MCLII. dati, (*k*) verba probe perpenderis. Dicitur in eo, Altorfium temporibus Ottonis Imperatoris ſitum fuiſſe in *Provincia Alſatia*, *in pago Nortgouue*, *in Comitatu Comitis Eberhardi* &c. Vides hic Pagum Nortgouue, cui præfuit *Comes Eberhardus.* Jam vero juris eſt expediti, ſingulos plerumque Comites ſingulis majoribus Pagis præfuiſſe, nec uni Comiti plures facile Comitatus fuiſſe conceſſos. Fundamento hoc innixus videbis, Nortgoviam ad Seleſtadium usque potuiſſe procurrere. Nam in Diplomate Ottonis III. An. DCCCCLXXXVI. (*l*) in hujus ejusdem *Eberardi Comitis* Comitatu ſita dicitur villa *Hiddenheim*, quæ hodieque inter Benfeldam & Seleſtadium conſpicitur, ſpectavitque olim ad Comitatum Troningorum ſive Kirchheimenſem, prouti ex Diplomatibus Ebersheimenſibus liquet. Conſtat hinc quoque, ipſum Comitatum Troningorum partem Nortgoviæ fuiſſe. Fines ergo veteris Troningorum Comitatus fines etiam Nortgoviæ noſtræ fuerunt. At vero ex Diplomatibus Ebersheimenſibus patet, Abbatiam hanc, ipſumque Seleſtadium, in Comitatu Kirchheim, ſive Troningorum, fuiſſe. Nec aliena ſunt, quæ in Diplomate fundationis

(*g*) Cave credas, voculam *ſeu* Pagum Troningorum & Ducatum Alſacenſem ſynonyma conſtituere.

(*h*) In *Vita S. Adelheydis*, Conjugis Ottonis M. apud LEIBNIT. *Script. Rer. Brunſvic.* Tom. I. pag. 271.

(*i*) Kœnigshovæ hujus, in ipſo Vogeſo ſitæ, notitiam debemus Tabernenſis Tabularii ſchedis.

(*k*) *Gall. Chriſt.* Tom. V. Probat. pag. 481.

(*l*) *Cod. Probat. Genealog. Habsburg.* HERGOTTI num. 147.

tionis Murbacenſis An. DCCXXVIII. leguntur, quia loca Ducatus Alſacenſis, in Pago Troningorum & in Pago Alſegaudia, Monaſterio huic donantur. Occurrunt inter ea *Strazburgum* & *Sclatſtat*, quæ nemo, quod ſpero, ad Alſegaudiam referre conabitur. Sufficient hæc fortaſſis ad inveſtiganda Sundgojæ & Nordgoviæ apud Alſatas confinia; quæ *Chronici Gottwicenſis Prodromus* (*m*) inveſtigaverat fruſtra, imo plane everterat; Nortgoviam putans eſſe Alſatiam ſuperiorem, Sundgoviæ conterminam; quum omnis Nordgoia noſtra Inferioris Alſatiæ ſit; ad quam Prodromus eam non eſt auſus referre. Hæc de duobus Alſatiæ Pagis majoribus, in quos maximus Alſatiæ Pagus fuerat ſubdiviſus.

Uti vero Sundgovia atque Nordgovia Bajoarici olim Ducatus in Pagos minores (*n*) ſinguli ſubdiviſi fuerunt, ita & Sundgovia Nordgoviaque Ducatus Alſatici ſuos Pagos atque Comitatus minores habuerunt, de quibus nunc ſigillatim agendum. Quum autem Ducatus Alſatiæ ultra ipſam Alſatiam, adeoque & ultra Sundgoviam ſe extenderit late, à remotiſſimis Ducatus hujus Pagis, qui ipſa Sundgovia auſtraliores, & inter hos ab illis initium ducimus, qui Arolæ, Ducatum Alſatiæ à Burgundia minore determinantis, ripæ ſiniſtræ viciniores fuerunt; in Ducatu nempe Alſatiæ, ſed non in ipſa Alſatia, ſeu Eliſatio, ſiti.

PAGI MINORES.

PAGUS SPERIES.

§. XXIX.

Pagus Speries.

PAgus *Speries* (*o*) in Comitatu Bargenſi, quem ex Kœnigshovii Chronico Mſ. Latino & ex Chronico Ebersheimenſi novimus: præcipue vero ex Diplomate Dagoberti II. Regis, Eccleſiæ Argent. dato, ubi *tertia curtis* huic Eccleſiæ donata, ſita dicitur in *Pago Speries* & in Comitatu Bargenſi. Schilterus (*p*) Comitatum hunc in Alſatia Inferiore, ejusque Dynaſtia Barrenſi, inveniſſe ſe credens, Pago *Speries* tractum aſſignat illum, ubi hodie oppidulum *Berſche* prope Roshemium, creditque à loco hoc, qui tunc temporis vicus fuit, Pagi *Speries* nomen eſſe exortum. Conjecturam ſuam firmari credidit Schilterus, quod Kœnigshovius Dagobertinum Diploma de *Comitatu Bara ultra Ararim* interpretatur, atque adeo Ararim de Alſatiæ Inferioris flumine *Ergers* exponit, quum de *Arola* exponere debuiſſet; haud ignarus, medii ævi Scriptoribus in uſu fuiſſe, eum Ararim appellare. Et ita ſane Kœnigshovium intellexit Gebvilerus, (*q*) redeque Comitatum Bargenſem in Ergovia quæſivit, quæ ultra Ararim ſita. In eo autem à Kœnigshovio, duce ſuo, deceptus eſt, quod Comitatum Bargenſem modo quæſivit trans Arolam, quum pars ejus inſignis cis Arolam, adeoque in Ducatu Alſatiæ, ſita fuerit haud dubie.

Comitatus Bargenſis, multas regiones terrasque comprehendens, non mirum, ſi in varios ſubdiviſus eſt Pagos minores; quos inter Pagus noſter *Speries* aliique. Monendus eſt Lector, nos heic Diplomatis Dagobertini fide Pagum hunc, ut & Biſchovesheimenſem, ac Rubiacum ponere, quod tamen non modo ſuſpectum, ſed falſum. Annoto vero, hujusmodi Inſtrumenta in foro judiciali utut nequeant admitti, in hiſtorico tamen omnem non decoxiſſe fidem, quod in forma potius, quam in materia peccent. Codices enim vetuſtos conſuluerunt, eosque plerumque ſecuti ſunt, qui Diplomata compilarunt, formularum, ſtyli, formæve ignari.

(*m*) Lib. IV. num. 330. pag. 719.

(*n*) In Sundregouua Bavarica comprehenſi Pagi *Ammergouu*, *Schwingouu*, *Walgouu*, *Weſtergouu*, *Quirringouu* &c. In Nordgouia vero *Iltzgouu*, *Schuuamachgouu*, *Ratenzgouu*, *Sulzgouu* &c.

(*o*) Coccius pro *Speries* legit *Species*, contra Codicis Kœnigshoviani fidem. Eum ſecuti ſunt Henschenius de *Tribus Dagobertis* Lib. II. pag. 84. & Cointius in *Annalibus Eccleſiaſt.* Tom. III. pag. 748. Paullinus de *Pagis Antiquæ Germaniæ* pag. 202. Coccium decepiſſe videtur Topologus Noviententis, qui inter alios in hoc argumento errores, *Speries* quoque habet.

(*p*) *Obſervat. ad Kœnigshov. Chron.* pag. 594.

(*q*) Gebvilerus in *Commentario Mſ. de Comitibus Habsburgicis* Lib. III. Cap. X. qui in Illuſtriſſ. Klinglini, Prætoris Regii Argentor. Conſil. Stat. Bibliotheca jam extat. Excerpta ex eo vide apud Beslerum *Antiquit. Germ. Prima* pag. 72. Uberiora ex hoc Codice Mſ. Gebvileri dabimus in *Scriptoribus Rer. Alſaticarum.*

PAGUS BUCHSGOVIÆ.

§. XXX.

BUchſgoviæ memoriam invenis in Diplomate Cæſaris Henrici IV. An. MLXXX. quo Burcardo, Epiſcopo Baſil. donat *Comitatum Harichingen, ſitum in Pago Buchſgouue.* Herichingen hodieque eſt vicus inter *Keſtenholtz* & *Hegendorff* in Buchsgovia. Diploma hoc in *Habsburgica Genealogia* Probationibus, at mendoſum, comparet. Loco enim Buchsgoviæ legitur Briſigouue, & quum in Brisgovia nullam invenerit Herichingam HERRGOTTUS, eidem ſubſtituit Zaringenſem Comitatum. Curatius Diplomatis autographum inſpicientibus res clara & evidens eſt. Nomen ſuum Buchsgovia habet à Caſtro *Buchſen*, ſitaque eſt infra Salodurum ad Arolæ ſiniſtram, à Witlispachio usque ad Oltenam, inter fluvios Siggers, Arolam & Vinneris; hodieque vocatur *das Geuu*, *das Buchsgeu.* Buchsgovia.

PAGUS SALZGOVIÆ.

§. XXXI.

SI Birſam adverſum ſequaris, pervenies, prope fontes ipſius, in *Pagum Salinguuue, Saltzgou, Saliegaudia*, quem curate deſcribit URSTISIUS. (*r*) Ducatus Alſatici Pagus, qui à Sogerenſi tractu, per Delemontanam & Monaſterienſem valles, quarum hæc Grandisvallis (*Grand-val*) vocatur, ad Petram usque pertuſam, inter Arolam & Dubim, ſe ſatis late extendit; hodie ad Epiſcopatus Baſilienſis dominium temporale pertinens. Salzgovia. GUILLIMANNUS (*s*) à populo quodam *Salenſi* Aventici Pagi, à quo Rauricum per Petram pertuſam ſeparabatur, nomen ſuum trahere exiſtimat. Hodiernus Salzgoviæ vicus *Saugſy* appellationem vel à Pago accepit, vel eidem antiquitus indidit. Occurrit hic Pagus An. DCCCXLIX. in Lothariano Diplomate, pro Monaſterio Grandvallenſi, & in alio, quod An. DCCCLXXXIV. eidem Abbatiæ Carolus Craſſus conceſſit. (*t*) Alii quoque cognomines Pagi in diverſis Germaniæ partibus ſunt. Talis eſt *Salegeuue* ille, qui in Legum Salicarum Proœmio occurrit, à Sala Franconiæ fluvio, qui prope Gemundam Mœno miſcetur, ſic dictus. In Saxonia, item in Archiepiſcopatu Salisburgenſi, inque ipſa vicina Alſatiæ *Chreichgovia*, hoc nomine inſignitos reperies Pagos, vel à ſalinis, vel à fluviis, illud ſortitos. Ceterum Salzgoviæ Pagum ad Ducatum noſtrum Alſatiæ ſpectaſſe, vel inde apparet, quod Grandvallenſe Monaſterium in Pago hoc ſitum eſt; quod ipſum ad Ducatum Alſatiæ pertinuiſſe, ex aliis Diplomatibus demonſtravimus ſupra.

PAGUS SORNEGAUDIÆ.

§. XXXII.

SEquitur hinc Pagus *Sornegaudia*, haud ita excelſo montium jugo à Salzgovia ſeparatus. Sornegaudia. Quum enim Pagus hic à flumine *Sorna* (*u*) nomen habeat, quæ Telſpergenſem perfluens vallem, Birſæ, ex *Salzgovienſi* ſeu Monaſterienſi valle procurrenti, prope Telſpergam vel Delemontium miſcetur, quilibet videbit, contiguos prorſus hos fuiſſe Pagos, & æquo jure ad Ducatum Alſatiæ referendos. *Prodromus Chronici Gottwicenſis* (*x*) Sornegaudiam Salzgoviæ partem eſſe exiſtimat. Occurrit hæc *Sornegaudia* in Lotharii Imp. Diplomate, Abbatiæ Grandisvallis conceſſo, & à Carolo Craſſo An. DCCCLXXXIV. confirmato: memoratur in eo villa *Rendelena-Curtis*: (*Corendelin* prope Beinweil & Thierſtein) deinde villa *Vicus* cum capella. (*Wick* prope Telſpergam) villa

denique

(*r*) *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. II. pag. 4.

(*s*) *Rer. Helvet.* Lib. I. Cap. II. ubi ſcribit: "Quæ Neocomo ſive Neoburgo, Salodorum usque "ſunt, Salgeu antiquitus adpellabatur, ſive Salen"geu, quorum oppidum Salodorum Salenſium.

(*t*) DACHERII *Spicilegium* Tom. III. pag. 375. Edit. poſter. & Tom. VII. pag. 185. Edit. prior. Ex quo ECCARDUS in *Orig. Habsburg.* pag. 139.

(*u*) De Sorna, Alſatiæ Inferioris flumine, quod in Dagisburgenſibus montibus ſcaturigines habet, vide *Alſatiæ Conſpectum* pag. 24.

(*x*) Lib. IV. num. 420.

denique *Salevoulp*, ſeu *Salnaudis*, quæ *Prodromo Gottwicenſi* vicus eſt *Sulz* ſive *Sultz*; quæ omnia ad Sornegaudiam ſpectare dicuntur. Præterea villam *Summa vallis*, (*Saurelier* (*y*) *ad Birſam*) ad Sornegaudiam refert *Prodromus Gottwicenſis*; (*z*) ſed verbis vim inferre videtur. Nititur enim Diplomate Caroli Craſſi, quod modo memoravi, & alio An. DCCCCLVII. quod Conradus, Burgundiæ Rex, Abbatiæ Grandisvallis impertitus eſt. DACHERIUS vero corruptum apographum habuit: in ipſo enim autographo hæc leguntur: (*a*) " Cella S. Pauli, quæ Vertuna dicitur, villa quæ io Pippinenſi Comi-
" tatu Nogerolis dicitur, cum Capella ſibi ſubjecta, Ulminc nomine, in eodemque
" Comitatu villa Summæ vallis, cum capella ſibi ſubjecta, Theisvenna nomine, villaque
" in Pago Sornegaudienſi, Rondelena Curtis &c.

Evidens hinc eſt, Summam vallem ad Comitatum Pipinenſem pertinere, nec ullo modo ad Sornegaudiam trahi poſſe. An. MCLX. Fridericus Comes Ferretenſis Abbatiæ Grandvallenſi donavit bona ſua, in Sornegaudia ſita. In Compromiſſo inter Henricum Epiſcopum Baſilienſem, & Comitem Ulricum de Phirreto, An. MCCLXX. (*b*) Pagus hic vocatur *Der Serngouue*. Et in Tranſactione inter eundem Epiſcopum ac Thiebaldum Comitem Ferretenſem, An. MCCLXXVIII. (*c*) iterum occurrit *die Vogeten ze Serngouue* &c.

PAGUS ALSEGAUDIÆ.

§. XXXIII.

Alſegaudia. PAgus Alſegaudiæ, dictus quoque *Pagus Alsgaugenſis*, ſitus eſt inter Largam flumen & montem Juraſſum. In Regni Lothariani Diviſione An. DCCLXX. præter Baſilchovam & doos Comitatus in Eliſacio, recenſetur etiam Pagus *Eliſchouue*, quem MIRÆUS in *Notis* ad Tabulam hanc Diviſionis pro univerſa Alſatia; SCHILTERUS alio errore pro Comitatu *Ilgau* ſeu *Illiche* accepere. Alſegaudiam hodiernum *Elsgau* deſignare, nulli dubitamus. In Diplomate Grandvallenſi An. DCCCLXXXIV. ſæpius allegato, invenies etiam *Curtem Metiam* in *Comitatu Alsgaugenſi*; ubi ECCARDUS male habet *quam etiam*, communi cum DACHERIO errore; *Metiam* habet HERROOTTUS. Quænam iſta fuerit curtis, ignoramus quidem, niſi fortaſſis ſit villa *Metten* prope Biennam; id vero certiſſimum eſt, ſupereſſe hodieque *Elsgoviam*, nobilem partem Epiſcopatus Baſilienſis, & XXXII. villas, ipſumque Epiſcopatus caput Bruntrutum, complectentem. (*d*) In *Vita S. Wandregiſili* invenies Monaſterium Fontanellam, ſitum in territorio Eliſgaugio, quod VALESIUS pro noſtra accepit Alſegaudia. Fontanellenſi huic Monaſterio, prope Beſortium in Elsgovia, ſynonymum fuit aliod in agro Rothomagenſi, in proprietate Wandregiſili, Virodunenſis Epiſcopi, prope Sequanam, exſtructum, quod hodie *S. Vandrille*. Senſu omnium latiſſimo, ſed raro, Pagum *Alſegaugenſem*, una cum Pago Troningorum, in Ducatu Alſacenſi poſitos, Inſtrumentum Eberhardi Comitis Murbacenſe An. DCCXXVIII. prodit; ubi plura ei loca aſſeruntur, quæ hodie in Sundgovia, imo & in Alſatia ſuperiore, à Sundgovia diſtincta, conſpiciuntur. Suot inter illa Gyldulfoviler, Chuntilingas, Onlesviler, Cundolteshaim, Waranangus ſeu Villare Eberhardo, Hirzfeld, Flobotesheim, Leimone, Datira, de quibus ſingulis infra, ubi de Vicis ſermo, agetur.

PAGUS FRICKGOVIÆ.

§. XXXIV.

Frickgovia. FRickgovia nomen ſuum accepiſſe videtur à vico *Frick*. BEATUS RHENANUS, (*e*) in inquirendis vocum etymis diligens, ſed interdum infelix, vocem hanc reliquias nominis veterum hujus regionis habitatorum, qui vocabantur *Raurici*, continere arbitratur. EKKEHARDUS Junior (*f*) primus omnium, quantum novimus, Scriptorum hujus Pagi

(*y*) Illuſtris Bernenſium Senator, Nobiliſſ. WATTENWILIUS, in Diſſert. de *Origine Zaringenſium*, Diario Helvetico (*Journal Helvetique*) MDCCXLVI. Septemb. Menſis, inſerta, pag. 248. intelligit *Vallem Munſterthal*, quæ Grandisvallis dicta.

(*z*) Lib. IV. pag. 779.

(*a*) In Codice Urſiniano Mſc.

(*b*) Idem Tom. III. num. 521.

(*c*) Ibid. num. 576.

(*d*) Vid. URSTISII *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. XVII. pag. 55.

(*e*) *Rer. German.* Lib. III. pag. 258.

(*f*) *De Caſibus Monaſterii S. Galli* Cap. V.

Pagi Fricowe meminit. Frequens poſt ea in Chartis Auſtriacorum aotiquiſſimis, ſi GUILLIMANNO (*g*) fides habenda, mentio illius infertur; ac etiamnum tractus Rhenum inter ac Vocetium montem dicitur *das Frickthal.* Pagus hic Comitatus poſtea formulam induit. In Charta Henrici V. An. MCXIV. pro Einſidlenſi Monaſterio, apud HARTMANNUM, (*h*) *Rudolphus Comes de Frica* memoratur. Imo progreſſu temporis Frickgovia Comitatus provincialis, ſeu Landgraviatus, nomen accepit. Rhenofelda & Lauſenburgum oppida, Cœnobium Olſperg, vici Mumpf, Meli, Stein, Eicken, Boezen, hujus Pagi membra cenſentur. Rhenofelda autem quum ejus caput fuerit, ſubinde Comitatus *Rheinfeldenſis* dictus eſt; celebrisque erit in omne ævum Rudolphus ille, Comes Rheinfeldenſis, qui ab Henrico IV. Dux Sueviæ conſtitutus, ab eo deſcivit, & Anti-Cæſar An. MLXXVII. creatus eſt. Occurrit etiam in Genealogia fundatorum Murenſis Coenobii, Actis præmiſſa, *Cuono* Comes de Rhinfelden, Itæ Comitiſſæ Habsburgenſis, & Theodorici Lotharingiæ Ducis, frater. Quæ quidem narratio etiamſi aliter explicanda, id tamen probat, jam ante Rudolphum ſeculo XI. ineunte Comites Rheinfeldenſes fuiſſe. Fines Frickgoviæ accurate expreſſit GUILLIMANNUS. (*i*) Pars Rauracorum regionis, ab Arula Rhenoque ad influxum usque Filinæ, quæ Auguſtam Rauricam perlabitur, & infra Rheinfeldam Rheno miſcetur, vocatur *Frickgowe.* Frickgoviam à Sisgovia rivus Filina ſeparat. (*l*)

PAGUS SISGOVIÆ.

§. XXXV.

SEquitur Pagus Sisgoviæ, vel Tiſſiacus, qui ad Ergezam usque fluvium ſe extendit, nomenque à veteri vico *Siſſiaco* (*Siſſach*) trahit. (*m*) Hunc pagum, quem Ludovicus German. in Charta Murbac. An. DCCCXLII. *Siſigaugenſem* appellat, ubi villam ejus *Honolteruillare* refert, *Arragou*, (ab Ergovia ſollicite diſtinguendum) etiam vocatum fuiſſe, viſum eſt nonnullis. Theodorico II. Baſil. Epiſcopo, Henricum III. An. MXLI. illum dono dediſſe, URSTISIUS (*n*) & SUOANUS (*o*) auctores ſunt. Extat Diploma, (*p*) quo anno memorato Henricus III. Eccleſiæ Baſilienſi donat *Comitatum Auguſta*, in *Pago Ougeſtowe & Sisgowe* ſitum. Pagus hic, Comitatus quoque nomine paulàtim inſignitus, Provincialis denique Comitatus, ſeu *Landgraviatus*, formulam accepit. An. MCCCLXIII. Joanoes, Baſil. Epiſcopus Landgraviatum Sisgoviæ Joanni, Habsburgo-Laufenburgenſi Comiti, & Sigismundo de Thierſtein, contulit in feudum. Literæ inveſtituræ Landgraviatus hujus limites ſollicite definiunt. (*q*) Sisgovia.

PAGUS AUGUSTOVIÆ.

§. XXXVI.

SIsgoviæ vicinus, vel pars certe ejus, fuit *Pagus Ougeſtowe*, ſive Auguſtenſis, in quo ſitus *Comitatus Auguſta* ex parte. Pagum hunc ex allegato Diplomate Henrici III. An. MXLI. novimus. *Ougeſtowe* dicitur haud dubie à villa antiquiſſima *Augst*, quæ veteris illius Romanorum *Colonia Auguſta Rauricorum* reliquias adhuc oſtentat, nomenque inde ſuum derivat. Mentionem ejus præterea facit Charta Traditionis Amalrichi, ad Abbatiam Maurobacenſem An. DCCXCIV. factæ, ubi legitur: "In Pago Auguſtaunginſe, „ & in fine Methimiſe, & in fine Strenze." Duo nimirum vici hi ad Auguſtoviæ pagum pertinuerunt. Charta data eſt ad villam *Melma*, *Meli*, quæ hodieque in illis partibus ſupereſt, priſcumque retinuit nomen. Syoonymus huic eſt alius Alemanniæ Pagus, Vindelicorum Auguſtæ vicinus; de quo Caroli M. (*r*) & Ludovici Pii (*s*) Augustovia.

 Chartæ

(*g*) *De Reb. Helvet.* Lib. III. Cap. II.

(*h*) *Annales Eremi Deiparæ.*

(*i*) Ibidem Lib. III. Cap. II. pag. 167.

(*l*) TSCHUDIUS *Delineat.* *Mſ.* *veteris Helvetiæ* pag. 143.

(*m*) Idem Lib. III. Cap. XI.

(*n*) *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. X. pag. 35.

(*o*) *Baſil. Sacr.* pag. 152.

(*p*) HERRGOTT *Genealog. Habsburg.* Tom. II. num. 175.

(*q*) Literæ hæ extant in *Genealogia Habsburg.* HERRGOTTI Tom. III. pag. 708.

(*r*) An. DCCLXXIII. apud PAULLINI *Hiſtor. Wisbenc.* §. XIV. pag. 16.

(*s*) MABILLON. *Analecter.* Tom. IV. pag. 470. Adde de locis pagi hujus GOLDAST. *Rer. Alemann.* Tom. II. fol. 41.

GEOGRAPH.

Chartæ pro Monaſterio Campidonenſi. Memorabile ergo, doos Pagos Auguſtenſes ſitos fuiſſe in Alemanniæ Ducatu, Rheoenſem alterum, alterum Danubianum, quorum uterque à Coloniis, quas Auguſtus deduxit, ſuum nomen deſumſit: prior in extremitate occidentali, poſterior in oppoſita orientali Ducatus Alemannici ſedit.

PAGUS BASALCHOVA.

§. XXXVII.

Baſalchova. URbis Baſilienſis Pagus, in portione Ludovici Germanici ex Regno Lothariano, & quidem ante duos Eliſatii Comitatus, enunciatur. *Prodromus Gottwicenſis* (t) verſus flumen Arolam eum ponit, quum Cis-Juranus ſit totus, Arolaque fluat trans Juram. Sed & inſuper Pago huic *Augſt*, *Munchenſtein & Wallenburg* adſcribit, quum Augſt peculiaris Pagi caput extiterit. Errat etiam, quod Aragoviæ & Sisgoviæ Pagos Baſalgovienſi comprehenſos fuiſſe, veriſimile putat. Ipſe potius Pagi majoris Sundgoviæ pars extitiſſe videtur, Auguſtovienſi & Sisgovienſi contiguus.

PAGUS HUNINGENSIS.

§. XXXVIII.

Huningen Pagus. PAgus Huningen, ab Huninga vico ita dictus, memoratur in Charta Hermanni Marchionis de Baden An. MCXXXIV. qua Monaſterio Baggenan donat prædium ſuum in *Pago Huningen*, in *Comitatu Adelberti*, quod Bertha, uxor ipſius, jure hæreditario poſſederat. Quum vero Albertus, ex gente Etichonis Habsburgica oriundus, Comes Sundgoviæ ſeu Alſatiæ ſuperioris fuiſſet, Pagum Huningen cis Rhenum in tractu Honingæ quærendum cenſemus, idque eo magis, quod prædium iſtud ad Hermanni uxorem pertinuerit, quæ facile aut ex Alſatia eſſe, aut in Alſatia bona habere potuit.

PAGUS CAMPANENSIS.

§. XXXIX.

Pagus Campanenſis. PAgum Campanenſem FREDEGARIUS (u) in deſcriptione belli, Theodebertum inter & Theodoricum fratres, Auſtraſiæ ac Burgundiæ Reges, *Suggentenſibus*, *Turenſibusque* ſubjungit. Campanenſes quidem COINTIUS (x) Campaniæ, quæ circa Sequanæ ripas, ſopra infraque urbem Trecarum eſt, adſcribit. Quum autem Suggentenſes Sundgoviis adſcripſerim, Turenſes vero populis circa Thuram amnem mox vindicaturus ſim, nihil ſane obſtat, quo minos & Campanenſes Cambetis (y) regioni adſcribamus, qui Sundgoviæ Pago hinc poſſunt adſcribi. In Campanenſis Pagi vicinia ſeculis inſecutis ortus eſt Comitatus *Ferretenſis*, cujus nulla ante ſeculum XII. comparent veſtigia.

PAGUS TURENSIS.

§. XL.

Pagus Turenſis. MEntionem Pagi hujus primus & ſolus omnium injecit idem FREDEGARIUS; (z) ubi bellum Theodebertum inter & Theodericum fratres, ob Aleſaciones geſtum, deſcribit. Pater eorum Childebertus II. Aleſaciones hos, una cum Pagis finitimis *Suggentenſi*, *Turenſi & Campanenſi*, ex Auſtriæ Regno, quod Theodebertus acceperat, detraxit, & Theodorico minori filio, Burgundiæ Regi, adſcripſit. Ægre hæc ferens Theodebertus, ipſi Aleſaciones cum memoratis pagis vi extorſit; ut tradit Fredegarius. Per Suggentenſes intelligi Sundgovios, ſupra oſtenſum; per Campanenſes vero tractum Cambetis in Rauracorum agro deſignari, ſitus Turenſium porro veriſimile reddet.

CAROLUS

(t) Lib. IV. pag. 555.

(u) *Chron.* Cap. XXXVII.

(x) *Annal. Eccleſ.* Tom. II. pag. 607.

(y) BEATUS RHENANUS *Rer. Germ.* Lib. III. pag. 277. conjicit, vicum Cambetem, *Kembs*, nomen ſortitum eſſe à Campis Rauracorum, qui ibi ſe pandere ceperint, quique temporis progreſſu *die Hardt* vocati ſunt, ſteriliores quod eſſent. Hanc conjecturam ſecutus eſt LAGUILLE *Hiſt. d'Alſace* Tom. I. pag. 66. Verum *Cambes* Celticam originem ſapit, atque adeo Romana in his oris dominatione & lingua vetuſtiorem. Vide, quæ nos ſupra hac de re pag. 51. §. XXXIV.

(z) *Chron.* Cap. XXXVII.

Digitized by Google

GEOGRAPH.

Carolus Cointius, (*a*) Hadr. Valesius (*b*) & Franc. Paullinus (*c*) Turenſes ad Pagum Helvetiorum, inter Tigurinos & Lacum Conſtantienſem, quæ hodieque *Turgovia*, referunt. Verum, quum Theodebertus Rex Auſtriæ fuerit, Pagus ille *Turgenus*, ceu Ducatus Alemanniæ pars, ad eum jam ante ſpectabat, nec Turgovia Alſatiæ ita finitima eſt, ut à Fredegario Aleſacionibus vicini dici potuiſſent *Turenſes*, ſi in Turgovia habitaſſent. Childebertus denique tres hos pagos, cum Aleſacionibus, filio Theodorico ideo adſcripſiſſe dicitur, quod ipſe in villa Alſatiæ Marilegio nutritus & educatus fuerat; eam haud dubie ob cauſam, ne Patriam ſuam alterius dominio ſubjectam videret. At vero quis Turgoviæ, longo ſatis intervallo hinc diſſitæ, cum Alſatia nexus? Hæc tamen Valeſii conjectura ad alia nobis viam ſternere poteſt. Turgovia Helvetiorum nomen habet ab amne *Thur*, qui Pagum hunc perfluit. Quid oberit ergo, quin ſtatuamos, Alſaticum quoque amnem, cognominem *Thur*, qui Alſatiam ſuperiorem hodie à Sunógovia ſeparat, Turenſium nomen ſuis accolis conciliaſſe? Hoc ſane pacto Turenſis Pagus Aleſacionibus & Suggentenſibus, ſive Sundgoviis, ac Campanenſibus vere eſſet vicinus. Ingenioſa hæc Laguillii (*d*) conjectura eſt, cui ego lubens accedo.

.PAGUS RUBIACUS.

§. XLI.

PAgus hic, ab oppido *Ruffach* nomen ſortitus, & Germanice *Ruffaum* appellandus, à Dagoberto II. in Charta Donationis, factæ Argentinenſi Eccleſiæ, recenſetur. (*e*) Situs erat in Comitatu *Ilsche*. Ex Pago hoc, & aliis Pagorum quorundum vicinorum locis, Dagobertina illa Donatio, Argentinenſi Eccleſiæ facta, coaluit, quæ *Mundati Superioris* nomine hodieque inſignitur, qua de re paulo poſt à nobis inſtituitur ſermo. Pagus Rubiacus.

DUCATUS ALSATIÆ INFERIORIS PAGI MINORES.

PAGUS TRONINGORUM.

§. XLII.

PRoperamus jam ad Pagos minores Nortgoviæ ſeu Alſatiæ Inferioris. Inter hos primus ſe offert Pagus *Troningorum*, *Troniæ*, ſeu, qoi idem eſt, Comitatus *Kirchheim*. Occurrit is in Diplomate Dagoberti II. Regis, quo Argentinenſi Eccleſiæ, ob merita Arbogaſti Epiſcopi, tres curtes donantur; quod produxere Coccius, (*f*) Bebelius, (*g*) &, qui omnium optime illud exhibet, Koenigshovius. (*h*) Invenies in eo Comitatum *Chilcheim*, in quo ſitus eſt Pagus Biſchoffesheim. At vero *Chronicon Novientenſe* (*i*) hunc pagum in Comitatu Troniæ ponit, idemque facit Kœnigshovius Latinus MS. (*l*) rem ſummatim enarrans, contra Diploma, quod ab eodem ſubjungitur, quodque *Biſchovesheim in Comitatu Kilichheim* collocat. Conſentit aliud ei Diploma, quod Ludovicus Pius An. DCCCXVII. Ebersheimenſibus dedit; unde concludimus, Comitatum, ſeu Pagum *Troniæ*, vel uti in Charta Murbacenſi An. DCCXXVII. vocatur, *Troningorum*, à Kirchheimenſi non fuiſſe diverſum. Dubitationem omnem eximet memoratum Diploma Ebersheimenſe, quod datum dicitur *Troniæ* ſeu *Kirchheim*. Adde ſis ea, quæ habet Auctor *Vitæ D. Florentii*, Epiſcopi Argent. apud Beat. Rhenanum, qui ait, *Dagobertum ſedem fuiſſe apud municipium tunc Troniam, quaſi Trojam novam, nunc Kirchheim dictum*. Nequaquam enim dubium eſſe poteſt, quin *Kilichheim* Dagoberti idem cum *Kirchheim* locus atque vocabulum ſit, quod ex Alſaticæ Helveticæque Dialectorum ratione *Kirch* & *Kilch* promiſcue pronuntiantur. Pagus Troningorum.

(*a*) *Annal. Eccleſiaſt.* Tom. II. pag. 607.
(*b*) *Notitia Galliar.* pag. 566.
(*c*) *De Pagis Antiqua Germania*, pag. 223.
(*d*) *Hiſt. d'Alſace* Tom. I. pag. 67.
(*e*) Schilter. ad *Chron.* Koenigshov. pag. 592.
(*f*) In *Dagob.* pag. 143. & 592.
(*g*) In *Antiquit. German.* pag. 72.
(*h*) In *Chron. Alſat.* Latino MS. pag. 67.
(*i*) Apud Martene *Theſaur. Anecd.* Tom. III. pag. 1128. ubi male pro *Troniæ* legitur *Tronio*.
(*l*) Fol. 67.

Origo nominis.

Videamus jam, unde hæc derivanda ſint nomina; quis Comitatui ſtatuendus ſit limes. *De Kirchhemio* quidem res certa eſt, nomen hoc Comitatui inditum fuiſſe à Palatio *Kirchhem*, quod Dagoberti II. regia fuerat; haud procul à Marilegio ſitum, ubi hodieque late patentis loci veſtigia ſuperſunt. Vides ibi ingentes murorum moles, vaſtarumque habitationum rudera. Vicina eſt *Coronæ vallis*, *Cronthal*. De hujus Palatii Kirchheimenſis, quod Marilegienſi proximum, magnitudine multa apud Gregorium Turonensem & Fredegarium; multa in Diplomatibus Auſtraſiæ Regum, præcipue Dagoberti II. qui ſedem ibi habuerat. Plura de illo diſſerimus in Capite de Palatiis & Fiſcalibus Franciæ Regum villis in Alſatia.

§. XLIII.

Tronia.

Sed de nomine *Tronia* major diſceptatio eſt. Koenigshovius, (*m*) & ex eo Wimphelingius, (*n*) aliique recentiores, tradunt, Dagobertum I. quem tutius ſecundum dixiſſent, amœnitate loci captum, arcem vel caſtrum *Trojam* ſeu *Troviam*, quaſi *Trojam novam*, ædificaſſe. Secuti ſunt haud dubie Auctorem Anonymum *Vitæ S. Florentii* Argent. Epiſcopi, cujus verba ſuperius allegavimus. Erraſſe eos jam vidit Beatus Rhenanus, (*o*) cum Encomiaſte D. Florentii, qui vocum vicinitate deceptus, & antiquitatis ignarus, ex ſeculi more ſomnium illud de Trojana Francorum origine fuit ſecutus. Recte hæc quidem Rhenanus; at in eo ipſe notandus, quod fabuloſæ Trojæ ſuos *Tribonos* ſubſtituerit, & Troniam Romanorum opus putaverit; ſuſpicans, populum lingua vernacula, brevitatis cauſa, *Triboniam* mutaviſſe in *Troniam*. At vero Triboni, à Rhenano nobis obtruſi, in corrupto Ammiani Marcellini Codice leguntur, & cum ipſis quoque concidunt omnia, quæ Rhenanus inde derivavit. Schilterus, quum in Codice Koenigshovii Latino Mſc. *Troviam*, per errorem Librarii pro *Tronia* ſcriptam, legiſſet, conjecit, Dagobertum arci nomen Troviæ impoſuiſſe à fide, Germanis *Treue*, ſive, ut Veteres pronunciabant, *die Trone*. Sed etymologiam hanc confutant Diplomata, quæ diſerte *Troniam ſeu Troningos*, non Troviam, loquuntur. Nominis medii ævi reliquiæ in vici proximi *Træmen* nomine ſupereſſe videntur; qui exiguo intervallo à Kirchemio vico ſejungitur. Laguillius (*p*) Troniam ab amne *Thur* derivat, nimia inter vocem utramque diſtantia. Quodſi & fori & genii noſtri eſſet, in origines vocabulorum nominumque inquirere, diceremus, illud à Teutonica voce *Thron*, quæ ſolium denotat, poſſe derivari. Provocaremus ad Regiam, quæ ibi tenebatur, aulam; allegaremus vallem Coronæ (*Cronthal*) vicinam & alia, quæ aliis enucleanda relinquimus.

Utrum itaque nomen, Kirchhemii an Troniæ, altero prius vel antiquius ſit, ex monumentis, quæ ſuperſunt, non difficile eſt dijudicare. *Kirchhemii* nomen nonniſi Carolingicæ ætatis, at Troniam Merovingici ævi eſſe, *Gottwicenſis Prodromus* (*q*) tradit. Sed immemor eſt Dagobertinæ trium curtium Donationis Prodromus, in qua Comitatus Chilcheim legitur diſtincte. Laguillius (*r*) ergo recte *Troniæ* nomen poſterius facit Kirchhemio. Licet enim Actorum S. Florentii oblitus ſit, in quibus *Troniæ* vox occurrit, Acta tamen hæc auctorem ſine dubio habent, Dagoberti II. ævo longe poſteriorem; id quod etiam de Chronici Novientenſis Scriptore anonymo certum eſt.

§. XLIV.

Situs ejus.

Quicquid horum ſit, Pagus Kirchheimenſis, ſeu Troningorum, maximam Nortgoviæ partem comprehendebat: ſiquidem meridiem verſus ad Foſſam usque Provincialem, utriusque Alſatiæ limitem, procurrebat; Ebersheimenſis enim Abbatia à Diplomatibus priſcis in Comitatu Kirchheim ponitur; quæ nonniſi bileucæ ſpatio à duarum Alſatiarum collimitio diſſita eſt. Optimo hinc jure Beatus Rhenanus (*s*) Seleſtadium ſuum ad hunc Troniæ Comitatum retulit; à *Prodromo Gottwicenſi* (*t*) injuſte notatus, qui Seleſtadium in *Pagum Illichgaui* rejecit, atque Rhenanum male cum Illchicha

Chilchem

(*m*) *Chron. Alſat.* Cap. IV. pag. 233. & 1141.

(*n*) *Epiſcop. Argent.* Cap. VII.

(*o*) *Rer. German.* Lib. III. pag. 314.

(*p*) *Hiſt. d'Alſace* Tom. I. pag. 94.

(*q*) Lib. III. pag. 815.

(*r*) Loco cit. pag. 159.

(*s*) *Rer. German.* Lib. III. pag. 315.

(*t*) Lib. IV. pag. 814.

GEOGRAPH.

Chilcheim confudiſſe ſibi perſuaſit. Vix enim leucæ ſpatio ab Ebershemio quum diſtet Seleſtadium, Kirchheimenſi Pago locus iſte haud difficulter inſeritur. Huc facit, quod in Charta Eberhardi Murbac. An. DCCXXVIII. *Sclatſtat* etiam occurrat; aut ad Alſegaugenſem, aut ad Troningorum Pagos referendum. At potius pro Pago Troningorum pronuntiaveris, qui idem cum Kirchheimenſi eſt. Septentrionem verſus *Moſcia* fluvius, (*die Moſig*) limes Pagi noſtri fuiſſe videtur. Nulla enim trans illum invenies loca, ad hunc Pagum relata.

PAGUS BISCHOVISHEIM.

§. XLV.

PAgum hunc indicat Diploma Dagobertinum Eccleſiæ Argentinenſis. (u) In Teſtamento S. Remigii, Rhemenſium Antiſtitis, vocatur *Piſcofesheim*. (x) Caput ejus fuiſſe videtur vicus *Biſchen*, haud procul ab oppidulo Berſa, prope Roshemium. Ambo hæc loca, *Biſſophheim* nimirum & *Berſa*, ſimul occurrunt in Charta Henrici, Epiſcopi Argentinenſis, Monachis Pomarienſibus (*Bomgarten*) An. MCLXXXVII. data. (y) Pars fuit Comitatus Kircheimenſis, ſecundum Chartam Dagoberti, quæ etiam Pagus Troniæ vocatus, uti modo oſtendi; quique à Regia curte Kircheimenſi, prope Marilegium, nomen accepit.

Pagus Biſchoviſheim.

PAGUS HAGENOUUA.

§. XLVI.

MEntionem hujus Pagi facit Diploma Conradi II. Imp. ac filii ejus Henrici, ex quo nonniſi fragmentum JACOBUS KOENIGSHOVIUS exhibet in *Chronico* ſuo *Alſatiæ* Latino Mſc. (z) ſed in eruenda nobis ejus notitia unicum. Fragmentum hoc, quod tempus & locum dati Diplomatis indicat, ſequentibus verbis conſtat: " Anno à nativi-
„ tate Domini MXXXV. Indictione III. XIII. Kal. Martii, regnante Conrado Impe-
„ ratore anno XII. ejusque filio Henrico IIX. Wilhelmo Argentinenſis ſedis An. VII.
„ in Ducatu Conradi, in *Pago Hagenowe*, in Abbatia Surburg, in Comitatu Hugonis,
„ Principis Alſatiæ, præſentibus teſtibus N. „ Quanquam hoc ex ſeculo XI. demum de Pago Hagenowa teſtimonium ſit, minime tamen dubitamus, illum jam Francica ſub Periodo extitiſſe, quod eo magis credibile, quia Pagum alium hactenus reperimus nullum, qui ſuis regionem vel tractum oppidi Hagenoviæ, ubi Pagus noſter quærendus, incluſerit limitibus. Wasgoviæ enim Pagus licet à Tabernis Alſaticis ad Weiſſenburgum usque progreſſus ſit, illum tamen, qui Rheno propior eſt, tractum non videtur comprehendiſſe, ſed Vogeſum juxta, ultra quem etiam ſenſu latiore ſe extendit, procurriſſe. Limitem Pagi noſtri Hagenovienſis ſeptentrionalem ex ipſo, quod produximus, Diplomatis fragmento Suram rivum conſtituimus, quanquam Surburgenſis Abbatia, quæ ei adſcribitur, ultra rivum, à quo nomen habet, ſita conſpiciatur. Inter Suram enim & Selzenſem amnem Pagus Hettgoviæ fuit, uti mox dicetur. Finitur ad priorem celebris apud Alſatas ſilva, quæ *Heiligen-Forſt* (a) olim, à Cœnobiis virorum & mulierum, magno numero in eo conſtructis, (b) nunc receptiore vocabulo *Hagenauer-Forſt* appellatur. Reliquos Pagi limites inveſtigaturi, vel terminis illum dictæ ſilvæ omnino incluſum fuiſſe, vel eos ſaltem non multum exceſſiſſe intelligemus. Silva jam nuncupatur tractus, qui olim inter Pagus relatus. Ceterum hæc Pagi Hagenowæ ex ſeculo XI. detectio nos docet, Pagi Hagenovienſis appellationem ipſo eſſe priorem vetuſtioremque oppido, cujus origines ſub Friderico Barbaroſſa demum ſec. XII. quærendæ; quodque adeo ſuum à Pago, in cujus finibus meridianis exſtructum eſt, obtinuit nomen.

Pagus Hagenowa.

PAGUS

(u) Apud COCCIUM, & in KOENIGSHOVII *Chron. Lat.* Mſc.

(x) Apud MIRÆUM, *Opp. Diplomat.* Tom. I. pag. 2. Eodem modo ſcribitur locus cognominis in *S. Remigii Teſtamento*, plura enim hujus nominis loca paſſim occurrunt. Teſtamenti Remigiani binæ extant Editiones, altera interpolationibus aucta apud FLODOARDUM *Hiſt. Remenſis* Lib. I. Cap. XVIII. altera ſincerior apud LABBEUM *Biblioth. Nova Mſc.* Tom. I. pag. 806. Vid. CAR. LE COINTE *Annal. Francor.* Tom. I. ad An. DXXXIII. num. 50. pag. 407. & MARLOTUM *Hiſtor. Remens.* Tom. I. Lib. II. Cap. II.

(y) *Gallia Chriſt.* Tomo V. Probat. pag. 489.

(z) Pag. 136. & in SCHILTERI *Obſervat. ad Kœnigshovii Chron. Germ.* pag. 1067.

(a) Ita nomen ejus legitur in *Vita S. Deodati*, apud MABILLON *Act. Sanctor. Bened.* ſec. III. Part. II. pag. 429. ubi ita: " Beatus Deodatus ad quem-
„ dam locum pervenit, qui Teutonico idiomate
„ *Heiligenforſt*, Latine ſancta ſilva, vocitatur, juxta
„ opidum, quod Hagenowia dicitur, in Alſatiæ fini-
„ bus ſitum.

(b) Inter hæc præter Surburgum Abbatia Kœnigsbrugenſis, S. Waldpurgis, Biblisheimenſis &c.

PAGUS HETTGOVIÆ.

§. XLVII.

Pagus Hettgoviæ.

TRanſactio, inter Comitem Sylveſtrem, Comitesque Werdenſes An. MCCLVI. inita, manifeſte indicat, Comitatui Riedenſi finitimum fuiſſe *Pagum Hettgouue.* Dicitur in ea: *Wir Sulent vviderlegen de Graveſchafft inme Hettenkouue gegen der Graveſchafft inme Ried.* &c. Hettgovia, quæ primitus Pagus, vi vocis ipſius, dein & Comitatus erat, ab inſigni vico *Hatten* nomen accepit, tractumque Alſatiæ Inferioris inter Suram & *Seltzbach* Rivos complexus eſt. Limites ejus accuratius deſcribit, gnarus harum regionum BERNHARDUS HERZOG in *Alſatiæ Chronico.* (c)

Proprium S. Adelhaidis.

Infra Hettgoviam Rheno vicinus eſt Tractus, cui nomen *Proprium S. Adelhaidis*, hoc eſt, Terræ illæ, quas Adelhaidis, Ottonis I. Conjux, Abbatiæ Seltzenſi, à ſe fundatæ, donavit ex proprio. Diſtrictus hic conſtat oppido *Selz*, vicis *Beinheim*, *Niederrodern*, *Krepperen*, *Oberlauterbach*, *Eberbach*, *Wintzenbach*, *Munchhauſen*; accedebant villæ duæ *Muffenheim* & *Thunhauſen*, à Rheno abſorptæ, & trans Rhenum, vici *Wintersdorff*, *Ottersdorff* & *Blittersdorff*.

PAGUS WASGOVIÆ.

§. XLVIII.

Wasgoviæ varii ſignificatus.

WAsgoviæ nomen apud Scriptores vario ſignificatu uſurpatum reperio. Primo omnis ille montium tractus, qui haud procul à Lingonum territorio ortus, dein à meridie ad ſeptentrionem verſus procurrens, Burgundiæ Comitatum à Lotharingia, inde Lotharingiam ab Alſatia, diſtinguit, appellatur *Vasgovia*; quo ſenſu hanc vocem RUYRIUS (d) uſurpat. Intelligitur hic ſemper Vogeſi latus ſiniſtrum. Inde ſenſu latiori nomen ad ipſas quoque regiones, quæ utrumque Voſagi latus attingunt, lateque per planitiem progrediuntur, ſe extendit; annotante VALESIO. (e) Hoc ſenſu Voſagia Lotharienſibus vocatur *Pays de Vosge*, Germanis *das Wasgau*. Ita FREHERUS (f) & ex eo *Prodromus Gottwicenſis*, (g) quicquid vel in monte Voſago, vel ad ejusdem radices, imo & in regionibus vicinis, ſitum eſt, ad Vasgoviam retulerunt, nempe Romarici Montem, Luxovium, Murbacum, Senonienſes, Medianum & S. Deodati Monaſteria, in ſinu Vogeſi Lotharingici ſita; ut & Lutram Cæſaream, Hornbach, oppidumque Bipontum. Ita FRODOARDUS, quando Hungaros, Rheno trajecto, usque in Pagum *Vozinſem*, omnia incendiis vaſtaſſe, in *Annalibus* (h) narrat, per Pagum Vozinſem *Vogaſenſem* denotat, uti FREHERUS quoque contendit; ſenſuque adeo latiore vocem, pro omni ad Voſagum in utroque latere tractu, aſſumit.

Specialiſſima denique & receptiore Alſatis denominatione Vasgovia dicitur ille Inferioris Alſatiæ diſtrictus, qui à Tabernis Alſaticis ad Weiſſenburgum usque ejusdem provinciæ, inter Matram & Queicham, præcipue cis & trans Lutarim flumen, à Voſago, ſinum ibi conſtituente, ſe extendit. Wasgoviæ, peculiari hoc ſenſu ſumtæ, caput olim fuit oppidum *Wærtha*; ROESLINO, (i) ICHTERSHEMIOque (k) referentibus. In minore hoc Vaſagi Pago arx Waſenburg ſita eſt, cujus rudera ad Niederbronnam viſuntur. Geroldseckium vero caſtrum, haud procul Tabernis Alſaticis, quod Scriptoribus ſuperioris ævi *Geroldseck am Waſichin* dicebatur, ut à Trans-Rhenano Geroldseckio, in Mortenhaugia ſito, diſtingueretur; à ſitu ſuo in ipſis Vogeſi noſtri promontanis nomen accepit, ſed extra Vasgoviam Alſaticam ſitum. Utrumque caſtrum Dynaſtiæ peculiaris fuit caput & ſedes. Succeſſu temporum Vasgovia hæc in ſuperiorem inferioremque diviſa, qua de re alibi.

PAGUS

(c) Lib. III. Cap. XVIII. pag. 62.

(d) In Libro: *Antiquitez de la Vosge, à Epinal*, 1633.

(e) *Notitia Galliar.* pag. 622.

(f) *Origg. Palatin.* Part. II. Cap. XII. pag. 54. ſq.

(g) Lib. IV. pag. 835.

(h) Ad An. DCCCCXXVI.

(i) *Von Wasgauiſchen Gebürg*, pag. 18. ſqq.

(k) *Topographia Alſatiæ* pag. 2. De Vasgovia vid. quoque MUNSTERUS *Cosmographiæ* Lib. III. Cap. V. pag. 58. FREHERUS *Orig. Palat.* Part I. Cap. CLXVIII. CASPARUS à LERCH de *Ordine equeſtri*. ZEILERUS de *X. Circulis German.* Tit. III. voce *Lautern*, & Tit. VII. voce *Geroltzeck*. WIGANDUS *Staats-Geographie* in voce *Weiſenburg* & *Kayſerslautern*.

PAGUS SPIRIGOVIÆ.

§. XLIX.

Spirigovia.

ALſacenſem Pagum majorem terminavit ad boream Spirigoviæ Pagus. Hic Rheni litora legit, ſed non ultra Rhenum progreditur, terminaturque Wormazgovia, quæ utramque Rheni occupat ripam. Ambos hos Pagos Ripuariorum Ducatui non recte accenſet CHRISTIANUS JUNCKERUS; (*l*) uterque enim pars fuit Franciæ novæ Ducatus, uti ex limitibus ejus, quos ſupra conſtituimus, liquet. JONOCUS COCCIUS (*m*) præter Ripurienſem vel Ripuarenſem Pagum, cui inter Rhenum, Ruram & Moſam jacebat, & Ducatum Ripuarium, alios quoque *Riparios* memorat, quos à trium fluminum Bleſæ, (*Blieſs*) Saravi, ac Moſellæ ripis, quibus eos includit, dictos exiſtimat. Hos non ad finitima modo Alſatiæ, ſed & pene in intima, verbis refert difertis. Coccianæ hypotheſi, nullo fundamento quæ nititur, velificatus eſt HADR. VALESIUS, (*n*) quod miror. Huc enim trahit Bertinianos Annales, qui inter *Ducatum Alſatiæ & Comitatum Condoruſto, Ducatum Ribuariorum* cum *Wormazfelda & Sperohgouvvi* conſtituunt. (*o*) Vera ſane ſunt, quæ auctor Annalium tradit. Nam inter Condruſiorum (unde hodie *Condros* ſupereſt) Comitatum atque Ducatum Ripuariorum, ad Wormatienſem Spirenſemque Pagos, Rhenum aſcendendo, Ducatus Heliſatiæ ſuccedit. Haudquaquam tamen inde concludas, duos hos Pagos Ducatus Ripuarii partes fuiſſe; ab eo enim diſtinguuntur aperte; multo minus pro Coccianæ conjecturæ firmamento aliquid ex hoc loco elicias. Quodſi oggeras, hinos hos Pagos ut Ducatus Ripuarii partes afferri, rem minime conficis; quod alii magno numero Pagi Ducatum Ripuariorum, à Rheni ripis ſic dictum, compoſuerunt; quos inter *Ruricgowe*, *Julichoi*, *Aquenſis & Leodienſis Pagus*, *Eiſſha*, *Comitatus Nemoris*, *Bunnengao*, &c. à Spirigovia noſtra longe remoti.

§. L.

Valeſius refutatur.

Memoria ergo lapſus eſt HADR. VALESIUS, (*p*) quum non Coccio tantum patrocinatur, ſed & Ripuarii Ducatus limites à Noveſio ad Saletionem uſque, Alſatiæ noſtræ oppidum, per CXLVI. millia paſſuum, nimium liberaliter extendit; adeoque & Wormatienſem & Spirenſem Pagos, Proprium Adelheidis, partemque Nortgoviæ noſtræ, eidem Ducatui adjudicat; non animadvertens, Franciæ orientalis Ducatum omnem Cis-Rhenanum hoc ſyſtemate deſtrui, quem Franciæ Ducatum ille ipſe Valeſius, in alio ejuſdem Libri loco, (*q*) ſolide ſtabilivit. Imo ſi Valeſianum limitem Ripuarienſem admittas, non Cis-Rhenanus modo Franciæ novæ Ducatus, à Lutari fluvio incipiens, & ad Moſellæ oſtia progreſſus, Maguntiacum quoque ambitu ſuo complexus, expungitur; ſed & Cis-Rhenanus Alemannici, & deinceps Alſatici, Ducatus limes conſtringitur arctius, omniſque, inter Selzam & Lutarim, tractus, qui Alſatici & Alemannici juris, ad Ripuarios tranſit. (*r*) In Spirenſi hoc Pago Monaſterium Weiſſenburg conſtructum fuiſſe, dicit Dagobertinum Diploma, quod ei Thermas Badenſes, cum Marcha, dono tradit, anno regni ſecundo. (*s*)

§. LI.

Mutatio limitum.

Ducatus Alſatici terminum, Carolidarum quoque ævo, conſtituerat Lutara. Quum enim in memorabili illa Francici diviſione Imperii, anno DCCCXLIII. Viroduni facta, Alſatiæ noſtræ Pagus Lothario Imp. aſſignatus fuiſſet, *Nemetum* tamen *Civitas & Pagus*, id eſt, *Spira cum Spirgovia*, Ludovico Germanico fuit relicta; uti *Annales Bertiniani* ad eundem annum expreſſe teſtantur. Sed & ipſe id teſtatur Ludovicus Germ. quando Abbatem Weiſſenburgenſem, Spirigoviæ incolam, in Charta An. DCCCLXIII. *fidelem ſuum* appellat. Temporibus Ottonum ſeculo X. idem Lutaris amnis Spirigoviam à Nordgovia, ſive Alſatia Inferiore, ſeparavit. Otto I. Weiſſen-

(*l*) *Geographia medii ævi* pag. 273.
(*m*) *Dagobert.* Cap. IV. pag. 31.
(*n*) *Notitia Galliar.* pag. 478.
(*o*) *Annal. Bertin.* An. DCCCXXXIX.
(*p*) *Notitia Galliar.* in voce *Riparii* pag. 478.
(*q*) Ibidem pag. 206.
(*r*) Generico ſenſu Ripuarii ſunt omnes populi ad ripam Rheni habitantes. At nomen hoc Francos ſolos reſpexit, quorum illi, qui Rheni oram tenebant, ſub primis Regibus Francicis, Ripuarii dicti ſunt, ſub peculiari Rege, qui Coloniæ Agrippinæ ſedebat, viventes. Quum autem ante Clodovæum Franci non ultra Mœnum, ab utraque Rheni ripa, aſcenderint, Ripuario regno, atque deinceps Ducatui, in Wormatienſi & Spirenſi Pagis, nullus poteſt locus concedi. Valeſianum dogma tamen GEORGIUS ECCARDUS, in *Notis* ad *Legem Ripuarior.* pag. 207. CAROLUS SPENERUS, *Notitia Germaniæ mediæ* pag. 422. in Not. JUNCKERUS, *Geographia medii ævi* pag. 273. & 391. aliique ſecuti ſunt.
(*s*) COCCII *Dagobert.* pag. 175.

Digitized by Google

GEOGRAPH.

burgenſe Monaſterium, Lutaræ adjacens, Magdeburgenſi Eccleſiæ An. DCCCCLXVIII. quum donaſſet, in Pago Spirenſi illud ſitum eſſe pronuntiavit. Progreſſu ſeculorum tamen auſtralis hic Spirigoviæ, verſus Alſatiam, limes, Alſatico limite ad Quiſacam (*Queich*) usque prolatato, imminutus, & Spirigovia ad ſiniſtram Quiſacæ ripam paulatim rejecta eſt, id quod, extincto Alſatiæ Ducatu, evenit. Inſtituta enim à Cæſaribus Advocatia, vel Præfectura Alſatiæ, auctaque Comitum Palatinorum, per Wormatienſem Spirenſemque Pagum, ditione, latius prorepit limes; non refragantibus Palatinis, poſtquam Imperialis Præfectura Hagenoenſis Alſatica à Lucelburgicis ad Palatinos, ſeculo XV. ineunte, perveniſſet. Landavia enim, libera Imperii Civitas facta quum fuiſſet, Præfecturæque ſubjecta Alſaticæ, Geographia vetus illius tractus pedetentim mutata eſt; priſcæ Spirigoviæ rationes turbatæ; ita ut Lehmannus ipſe, *Chronicon* ſuum *Spirenſe* ſcribens, hæſitaverit dubius, Lutaris, an Quiſaga, Spirigoviæ ſuæ aſſignanda ſit limes; donec pro Quiſaga prooontiaret ſententiam. (*t*) Immutatas has Alſaticæ Geographiæ rationes publicus Imperii ſtylus conſtanter probavit, quo Landavia decem urbibus imperialibus Alſatiæ ſemper annumerata. (*u*) Illud ergo, quod Alſatia Ducalis, Ducatu ejus paulatim extincto, verſus auſtrum amiſit, Salzgaudia, Sornegaudia, Sisgovia, Frickgovia, Alſegaudia, Baſalgovia, ab Alſatico corpore Ducali reſectis, id boreali limite, per Spirigoviam ad Quiſacam ampliato, Alſatia, à Ducibus libera, recuperavit ex parte. Ideo haud dubie antiquus ille Pagus Spirenſis, qualis ſub Alſatiæ Ducibus fuit, ab Alſatiæ liberæ temporibus diſtinguendus eſt caute. Priore epocha ad Spirigoviam, Lutarim inter & Quiſagam, Weiſſenburgenſe & Clingenſe Monaſteria, à Dagoberto inſtituta, pertinuerunt. Progreſſu temporum auſtralis Spirigoviæ decurtatus eſt limes. Vici huc ſpectantes Cap. X. enumerantur. Quæ vero, extra Alſatiam ſita, ad Spirenſem Pagum pertiouerunt loca, Freherus, (*w*) Paulinus, (*x*) & *Prodromus Gottwicenſis* (*y*) fuſius exponunt.

SOLOCENSIS PAGUS FICTITIUS.

§. LII.

Solocenſis pagus fictitius.

HADRIANI VALESII (*z*) conjecturæ locum ſi darem, ad Selzam quoque amnem, circa cognomine oppidum, quod Romanis *Saletio* dicebatur, Pagum conſtituerem, *Solocenſem* nempe, quem ævo Carolingico floruiſſe, Vir ille Doctiſſimus tradidit. Hic ipſe tractus ille fuiſſet, qui *Proprium Adelbaidis*, Selzenſi Monaſterio donatum, ſeculo X. conſtituit. In Tabula Diviſionis Regni Lothariani quidem Sarachouuæ, ſuperiori & Odornenſi, in ſilva Voſago, *Solocenſe* ſubjicitur; quem vicum *Solieu* in Burgundia, ſeu Sidolocum Æduorum, interpretantur Aubertus Miræus, (*a*) Hermannus Conringius, (*b*) Jo. Schilterus, (*c*) aliique. Steph. Baluzius (*d*) locorum Tabulæ hujus comparationem cum Geographia nova neglexit. Valeſius vero Miræum, ejusque adeo ſequaces, erroris confidenter accuſat; ad Saloſſam, quod caſtrum noſtrum Selzenſe eſt, Pagum Solocenſem referri debere arbitratus, formansque hinc *Saloſſenſe* territorium, quod appellatur ei Pagus *Saloſſenſis*, quem Tabula Lothariana in *Solocenſem* convertiſſe exiſtimat. Utut ego Alſatiæ noſtræ Pagum, reliquis documentis ignotum, vindicare propenſus ſim, Valeſio tamen heic loci eo minus accedere poſſum, quod ille, argumentum hoc tractans, Selzam noſtram ſive *Salſam*, uti Odilo, *Saluſiam*, uti Eginharous appellat, cum *Saluſia* Pagi Wormatienſis confudit, qua de re infra: neque propterea negaverim ego, Pagum olim quoque ſuum habuiſſe Saletionem; ſed fundameota rei probandæ nobis non ſuppetuot; nec Lothariani Regni Charta, aut alia ulla, eum nobis annuntiat. Antiquavit forte hunc Pagum nomen *Proprii Adelbaidis*, ſeculo X. ortum, quod pagum priorem ex omni hominum rerumque delevit memoria.

PAGUS

(*t*) Vide quæ ſupra hac de re pag. 2. §. II.

(*u*) Lehmannus *Chron. Spir.* Lib. IV. Cap. VII.

(*w*) *Origg. Palat.* Part. II. Cap. XV.

(*x*) *De Pagis Germaniæ* pag. 202.

(*y*) Lib. IV. pag. 780.

(*z*) *Notitia Galliar.* pag. 496.

(*a*) *Cod. Donat. Piar.* pag. 30. Tomi I. operum ejus.

(*b*) *De Finibus Imperii*, Lib. I. Cap. VI. pag. 31.

(*c*) *Inſtitution. Juriſpubl.* Lib. II. Tit. VIII. pag. 67.

(*d*) *Capitular. Regum Francor.* Tom. II. pag. 23.

PAGUS BRISACHGAGINSE.

§. LIII.

ANtequam Alſatiæ Pagos dimittam, Briſigaviæ Pagus obiter quoque tangendus eſt, & eo majori quidem jure, quod Briſiacus Mons, Pagi caput, in Alſatia veteri, hoc eſt, cis Rhenum, ævo Romano ſitus erat, Francico ævo circumdatus Rheno. Murbacenſis Charta precaria Egilmari, An. DCCCV. villam *Cresheim* commemorans, in *Pago Briſachgaginſe* eam fuiſſe ſitam, exponit. Vicus Cresheim, nunc *Griesheim*, Germanicæ Rheni ripæ, quatuor ſupra Briſacum leucis Francicis, impoſitus eſt; uti reliqua Pagi hujus, quæ in veteribus monumentis reperimus, loca trans Rhenum extant; ut adeo certum ſit, ejus limites nunquam cis Rhenum vel in Alſatiam ſe extendiſſe; Briſacum licet, Pagi caput, olim Alſatiæ fuerit adſcriptum. Teſtimonium omni exceptione majus, in Ludovici Germ. Diplomate, quod filio ſuo Carolo dedit, reperimus, ubi Pagus *Briſahgavve* in Alamannia ponitur. Briſigavia.

EMUNITATES ALSATIÆ.

EMUNITAS SUPERIOR, SIVE RUBEACENSIS, VULGO OBER-MUNDAT.

§. LIV.

PAgis Alſaticis *Emunitates*, *Marcas* & *Geraydas* ſubjungimus. Superior Inferiorque Alſatia ſingulæ Tractum habent inſignem, oppidis, caſtris, vicis & villis divitem, qui nec Pagi, nec Comitatus, nec Vicariatus, nomine venit, ſed *Emunitas* (e) appellatur; quod à Ducum Comitumque jurisdictione fuerat immunis. Unde *Emunitas* & *Munitas*, à quo vulgus ſuum *Mundat* formavit. Emunitas ſuperior, cujus caput oppidum Rubiacum, primum & antiquiſſimum Epiſcopatus Argentinenſis, Emunitas inferior Monaſterii Weiſſenburgenſis, in Spirigovia & Spirenſi Epiſcopatu ſiti, patrimonium. Utrumque à Dagoberto Rege, plenaria cum libertate, ſeculo VII. dono conceſſum. Etymologiæ nominis.

Inſtrumentum Donationis Rubiaci Pagi, Epiſcopatui Argent. à Dagoberto II. factæ, nec in autographo, nec in apographo ſupereſt; alia tamen Documenta eam paſſim teſtantur. Eminet inter ea Anonymus Scriptor *Vitæ S. Arbogaſti* Epiſcopi Argent. qui ſi non ipſe eſt Utho II. (Wimphelingio III.) qui ſeculo X. Eccleſiæ hujus fuit Antiſtes, atque Vitam S. Arbogaſti ſcripſit, ejus tamen fere coætaneus eſt. Hic autem ita (f) loquitur: "Cumque hæc ſecum volveret, (Dagobertus) mentemque per omnem Alſa- „ tiam ſpargeret, ſicubi talis forte locus inveniretur, qui tantæ donationi aptus habe- „ retur; occurrit animo Rubiacham, oppidum cunctis uſibus, id eſt, agris amoenis, „ campis, ſilvis, aquis, ædificiis, populis opulentiſſimum, ſummæ Reginæ in dotem „ convenire. Nec diſtulit Rex, voto tandem invento, Cancellario mox accito, coram „ optimatibus ſuis, aſſenſum tam bono conſilio præbentibus, teſtamentum facit, ut „ Rubiacha cum omnibus appendiciis ſuis confinibusque, ad ſe pertinentibus, etiam „ cum villis, totum & integrum à modo & deinceps ſit ſub dominio ſanctæ Argen- „ tinenſis Eccleſiæ, ſervientis Dei genitrici Mariæ, ſtabili & inextricabili ſtipulatione „ ſubnixum. Hoc nobili donativo ditatus, valedicens Regi, ad propria remeavit „ Epiſcopus, convocatoque clero, militumque coetu, populique conventu, cunctis „ aſtantibus ac aſpicientibus, teſtamentum acceptum poſuit ſuper altare conſecratum „ in honore Sanctæ Mariæ.

Etymologia vocis diverſimode traditur; ſunt qui Germanicam, ſunt qui Latinam, ei originem aſſignant. Inter illos nonnulli voculam Germ. *Mund* (tutela) in auxilium heic vocant; quod Tractus uterque peculiari patrocinio Regis commendatus fuerit atque ſubjectus. BEATUS RHENANUS (g) contra originem deducit à Germanico *Tadt*, quod *Tractum* denotare exiſtimat; eique voculam *Man*, (cliens) fuiſſe præfixam, ut *Nobilium clientum locum* indicaret. Secundum hanc etymologiam, vulgaris ſermo compoſitum *Manthat* corrupit in *Mundat*. Quibusdam Germanica.

Mmmm 2 §. LV.

(e) De voce *Emunitas* quædam annotavit HIERONYMUS BIGNONIUS in *Notis ad Marculfi Formulas*, pag. 253.

(f) *Acta Sanctor.* BOLLAND. die XXI. Jul. qui Tom. V. pag. 178. Cap. VIII. Edit. Venet.

(g) *Rer. German.* Lib. III. pag. 286. ex quo ZEILERUS in *Topographia Alſatiæ* pag. 46.

§. LV.

Latina verior.

Emunitas hæc quandoque vocatur *Exemptio*, ſtyloque hodierno ejusmodi Monaſteria *exempta*, *libera*, & *immediata* appellantur. Chartarum Emunitatis ſolennis formula fuit: " ut nullus Dux, Comes, nullus Judex publicus, nullus ex judiciaria poteſtate, „ quicquid juris vel negotii exercere poſſit, nec hominem ipſius Monaſterii conſtrin- „ gere, vel ad cauſſas audiendas, aut freda vel tributa ſolvenda, telonea exigenda, „ manſiones vel paratas faciendas, coercere, vel colonos, ſervos, tabellarios, fiſcalinos „ homines ullo modo moleſtare, fidejuſſores tollere, „ Item " ut ab omni ſervicio „ Advocati ſint liberi. „ Diſtrictus, immunitate hac gaudens, dicebatur Emunitas. Hinc Comitatus & Emunitas ſibi invicem opponuntur, quod hæc à Comitum jurisdi- ctione eſſet immunis. In Eginhardi Donatione, Laureshamenſi Monaſterio facta, (*h*) inter alios terminos nominatur *Quercus inter Grafſchapht & Mvnital*, (*i*) id eſt, inter Comitatum & Immunitatem. Meurissius, (*k*) quum Monaſteriorum, à Dagoberto in Alſatia inſtitutorum, feciſſet mentionem, inter ea quoque *Mandat* ut Monaſterium recenſet. Incolæ diſtrictuum, *Emunitate* gaudentium, Germanis vocantur *Mundater*. (*l*) Gallico ſtylo immunitatis literas *Lettres de Garde* (*m*) appellari, viſum nonnullis; ſed voces hæ appellationis Latinæ virtutem non omnino adæquant. Prævaluerunt etymo- logiæ, quæ Latinas origines afferunt; quas inter illa recepta, quæ appellationem primam diſtrictus hujus fuiſſe *Munus datum* exiſtimat, Matthiæ Wehnero (*n*) probata: aliis, (*o*) ſpeciatim Henschenio, (*p*) *Manu datum*. Veriſimilior tamen, quæ ab *Immunitate* vel *Emunitate*, Tractibus his à Rege donatore conceſſa, nomen illud derivat.

§. LVI.

Probatio ſententiæ.

Lotharius Imp. in Diplom. pro Monaſterio S. Stephani Argent. An. DCCCXLV. (*q*) dicit, quod Adelbertus locum illum "per Pragmaticam Regis Childerici conſtitutionem „ prærogativa *Emunitatis* libertate communiri „ impetraverit. Otto I. in Diplom. Weiſen- burgenſi An. DCCCCLXVII. inedito ait: " Fratres predicti cenobii noſtram expe- „ tiſſent clementiam, circa Regiam donationem & circa ipſam Marcam, quam Pipinus „ quondam Imperator utilitati & ſervitio eorum ſub *Emunitatis* firmatione contradidit. „ Simile privilegium Emunitatis Dagobertus Amando II. Epiſcopo Wormatienſi, conceſſit, quod anno VI. regni datum Moguntiæ. (*r*) Dicitur ibi: " Tradimus civitatem „ noſtram Lobdenburg, palatium noſtrum, ædificia, mancipla, vineas, terras cultas „ & incultas, agros, prata, campos ... omne telonium, mercatum & quicquid „ dici, aut nominari poteſt, ſicut prius ad noſtrum uſum ambulare videbatur, ſic ut „ antea ad præſcriptam Baſilicam .... poſſidendum donavimus, & ſub integra *Emu-* „ *nitate* omnia, ad eandem Baſilicam pertinentia, præceptione noſtra à novo confirmamus, „ ſicut priori anno *Emunitatis* tuitionem dedimus. &c. „ Sed quid opus eſt multis? Ipſum Dagobertinum Diploma pro Weiſenburgenſi Monaſterio, vocem *Emunitatis* expreſſit. Ait enim: " Sub noſtræ Emunitatis defenſione omnia illuc pertinentia pater „ Monaſterii cum fratribus ſuis libere & quiete poſſideat.

§. LVII.

Alia teſtimonia.

Plenariam Emunitatis Chartam Cenomanicæ urbis Epiſcopo Herlemundo dedit Childebertus anno IV. Regni, Valencianis, (*ſ*) ubi ad avunculi ſui, Childerici Regis, Emunitates provocat. Jubet nempe, " ut nullus Judex, nec quislibet, in villa „ Arduno manſiones facere, nec freda exactare, nec cauſas audire, nec ulla paratas, „ nec ullum lucrum terrenum, requirere præſumſerit. „ Theodoricus Rex in Confirma- tione ſua addit, *nec fidejuſſores tollere*. Dagobertina ergo Emunitatis Charta, Arbogaſto conceſſa, ejusdem fere tenoris eſſe debuerat. Sigebertus Rex Stabulenſi Cœnobio, de fiſco ſuo, partem aliquam cum *Emunitate* donavit, ſub Remaclo, loci Abbate. (*t*)

Diſtrictus

(*h*) *Chron. Laureſham.* An. DCCCV. apud Freher.

(*i*) Ubi pro *Munital* haud dubie *Munitat* legendum eſt.

(*k*) *Hiſt. des Evequet de Meta* Lib. II. pag. 129.

(*l*) Wehnerus *Obſervat. Practicar.* pag. 370.

(*m*) Vid. *Ordonnances des Rois de France* Tom. I. Præfat. pag. 9.

(*n*) Ibidem, voce *Mundaten*.

(*o*) Vid. Coccii *Dagobert.* Cap. XV. pag. 145.

(*p*) *De Tribus Dagobertis* Lib. II. Cap. V. pag. 86.

(*q*) Charta eſt apud Guillimannum *de Epiſcopis Argent.* Cap. V. pag. 26. & apud Schilterum in *Obſervat. ad Koenigshov.* pag. 527. apud neutrum ſatis curate ad autographi fidem, ex quo illam dabimus in Codice probationum.

(*r*) Schannat *Hiſt. Wormat.* pag. 309.

(*ſ*) Mabillon *Analect.* pag. 284. ſq.

(*t*) Diploma eſt apud Gretserum *de Divis Bambergenſibus*; ex quo Coccius in *Dagoberto* Cap. XV. pag. 145.

Diſtrictus Bambergenſes, ad ortum Collegiatæ S. Gangolfi, & ad occaſum D. Jacobi Apoſtoli, *Mundati* quoque vocabulo veniunt, Coccio teſte. (*t*) Pipinus Francorum Rex circa An. DCCLXVIII. Fulrado, Abbati S. Dionyſii, qui in Alſatia Monaſterium *Lebraha* condiderat, immunitatem conceſſit, quæ in Charta *Emmunitas*, & *Emunitas* exprimitur. (*u*)

§. LVIII.

Sed jam ſpecialius de ſuperiore *Mundato*, uti vulgo appellant, notandum, Donationem ejus à Dagoberto Rege factam Arbogaſto, Argentoratenſis Eccleſiæ Epiſcopo poſtquam Sigebertum, filium Regis, revocaſſet in vitam, uti Acta S. Arbogaſti, & ANONYMUS Auctor *Fragmenti Hiſtorici*, ALBERTO ARGENTIN. præfixi, perſcribunt. Circa An. DCLXXV. rem contigiſſe exiſtimat COINTIUS. (*w*) Sed præter hanc Rubeaquenſis Emunitatis donationem aliud quoque donum, paulo poſt, eidem Argentinenſi conceſſit Eccleſiæ, trium nempe Curtium Regiarum, in tribus Comitatibus, Kilicheimenſi, Illichenſi & Bargenſi ſitarum. Charta Emunitatis periit: altera, quæ reſpicit Curtes ſubſiſtit; non eo tamen ſtylo, quo Dagobertorum Cancellaria utebatur. Emunitas hæc ſuperioris Alſatiæ Pagum Rubiacum comprehendit, qui pars fuit *Comitatus Illiche*; qui & ipſe magni Pagi Sundgoviæ pars fuit. Primitivæ Donationis partes & limites, Charta Donationis deficiente, ignoramus. Inſequentium tamen ſeculorum Documenta fidem faciunt, Emunitatem primi temporis latius ſe extendiſſe, quam hodierni ejus ſunt fines. Noſtra ætate præcipua Mundati loca ſunt Rubeacum, Egishemium, Sultza, Gebersvilla, Pfaffenhemium, Orswilera, Gundolzhemium &c.

Emunitas ſuperior.

Rubiacha in Eddonis Epiſcopi Argent. Teſtamento An. DCCLXIII. oppidum jam appellatur; ita enim: *Dedimus etiam in opido Rubiaco duas hobas cum caſis ſuis, vineis, mancipiis* &c. Oppidum nomen Pago Rubiaco dedit, in planitie ſitum, ad pedes collis, in quo arx *Iſenburg* olim ſedebat. (*x*) Subſtructiones vetuſtiſſimi ædificii, lapidumque crepidines, quæ in illo colle ſuperſunt, ferrei quid habent; quum nova arx, veteri adſtructa, minetur ruinam.

Sulz, hodie oppidulum, ſec. XI. adhuc villa fuit. Heilwigis Comitiſſa Egesheimenſis, in Donatione Eccleſiæ Argent. An. MCVIII. *Sultze* villam appellat. In ea ſitum fuit Caſtrum *Buchneck*. (*y*)

Egishemium vero Dagobertinæ Donationis tempore nondum extiterat; ſeculo ſequenti octavo demum ab Eberhardo, Etichonis Alſatiæ Ducis nepote, Murbacenſis Abbatiæ inſtauratore, in proprio exſtructum allodio. Hoc, nonniſi ſeculo XII. poſt extinctos Egisheimenſes & Tagisburgi Comites, Hugonem & Udalricum, quorum mater Heilwigis Egisheimenſium Comitum fuit poſtrema, ad Epiſcopos Argentoratenſes pervenit, refragantibus Ferretanis Comitibus; ex quibus Udalricus An. MCCLI. duo caſtra ex illa arce in feudum ab Epiſcopo Argentinenſi, Henrico de Staheleck, recoperat, (*z*) una cum S. Cruce, quæ à caſtro pendebat.

Gebhardi Villare & *Gebilichiswilre*, in Legenda Divi Landelini (*a*) ſynonyma ſunt. Vicus ille inſignis, hodie *Geberswer*, quem oppidis nonnulli accenſent, ad Vogeſi pedes inter Rubeacum & Hattſtadium, ſitus eſt. Pfaffenheim, vicus haud procul à Gebhardi Villari, medio ævo in Chartis quibusdam *Vaffenheim* ſcribitur. Sed & caſtrum S. Crucis hodie oppidum, & vicus Woffenheim, Dagobertinæ Donationis partem fuiſſe, oppidi illius Acta, ſed non vetera ſatis, loquuntur, quæ Donationi huic annum DCLXII. præfigunt. Referuntur huc quoque oppidula Herlisheim &

 Bollewilre;

(*t*) *Dagobert.* loco cit.

(*u*) FELIBIEN *Hiſtoire de S. Denys*, Probat. num. 46.

(*w*) *Annal. Eccleſiaſtici Francorum* Tom. III. pag. 748.

(*x*) Nobiles de Iſenburg ab hoc caſtro nomen traxerunt, quorum poſtremus Wilhelmus ab Iſenburg, Armiger, obiit An. MCCCLV. tertio Kal. April. ſepultus in Eccleſia, quæ Veldkirch dicitur, prope Egisheim. BERLERUS Presbyter Rubeacenſis, in *Chron.* MſC. An. MDX. Rubeaci compilato, fol. 357.

(*y*) BERLERUS in *Chron.* MſC. fol. 349.

(*z*) Charta extat ibidem fol. 357. b. in qua duo caſtra Egisheimenſia, in colle ſita, memorantur. Berlerus nomina eorum ex hac charta & aliis annotat. Maximum appellabatur *Tagesburg*, alterum *Wahlenburg*, tertium *Weckmundt*. Locus S. Crucis, (*Heilig Creutz*) hodie oppidum, ab illo caſtro pendebat.

(*a*) Apud eundem BERLERUM.

GEOGRAPH.

Bollewilre; item vicus Vulfesheim, hodie Pulversheim; Hadeſtat vicus & Ohſenbure, qui locus pene deſtructus eſt hodie. Hæc & alia loca, quibus Emunitas noſtro ævo componitur, Dagobertinæ Donationis liberalitatem, at limites ejus non ſatis oſtendunt, quod loca quædam acceſſere poſterius, oblata in feudum; (*b*) alia in territorio, ſed non de territorio; alia abrupta, alienata, commutata. Cautius itaque ſcribere debuiſſet Coccius, qui omne Mundatum, hodiernis limitibus incluſum, Dagobertino dono attribuit. (*c*)

§. LIX.

Immunitatis jura.

Immunitas ab omni juriſdictione Comitum, Vicariorum, Centenariorum, ceterorumque Magiſtratuum Regis, liberam poteſtatem dedit Epiſcopo, judices in omni illo diſtrictu conſtituendi, quos vellet. Munus judicis per omnem *Mundati* tractum Rodolphus Habsburgicus, non ut Landgravius ſuperioris Alſatiæ, ſed ut Eccleſiæ Argentinenſis Vaſallus, in feodum hæreditarium poſſedit; ſed gravibus diſſidiis, inter Habsburgicos & Antiſtites Argentinenſes, eandem ob Advocatiam, frequenter exortis, Rudolphus, quadriennio ante quam in Regem Germaniæ eligeretur, nempe An. MCCLXIX. idem feudum "Advocatiæ (*d*) villæ Rubeaci & aliarum villarum, quæ vulgo dicuntur Mundat, „cum omni jure & juriſdictione, quibus ipſe & ſui progenitores ab Eccleſia Argentinenſi „ ea tenebant in feudo, libere reſignavit„ Henrico Epiſcopo, ex Geroldseckiis orto, & ab eodem in compenſationem varias villas reditusque accepit. (*e*) Temporale hoc Eccleſiæ Argentinenſis domanium in Epiſcopatus Baſilienſis Diœceſi ſitum eſt. Juriſdictionem Eccleſiaſticam autem & in Mundato ſuo olim exercuiſſe Argentinenſem Epiſcopum, vel inde veriſimile eſt, quod Murbacenſis Monaſterii circa An. DCCXXVIII. quum jacerentur fundamenta, Widegernus, Argentinenſis Epiſcopus, inſtitutum illud Literis ſuis firmavit.

EMUNITAS INFERIOR SIVE WEISENBURGENSIS, VULGO UNTER-MUNDAT.

§. LX.

Emunitas inferior.

EMunitas inferior, quæ tractus, à Dagoberto Rege Abbatiæ Weiſſenburgenſi donatos, circa Lutaram, comprehendit, ut ab Emunitate ſuperioris Alſatiæ, quæ Præfecturam Rubeaquenſem complectitur, & ab eodem Dagoberto Epiſcopatui Argent. conceſſa eſt, diſtingueretur. Emunitatis Weiſſenburgenſis pars in veteris Alſatiæ, pars in Spirigoviæ Pago ſita fuit; quum ipſam Weiſſenburgenſem Abbatiam in Pago *Spirgowe* ipſæ Weiſſenburgenſes Chartæ conſtituant. Quodſi fines *Emunitatis* inferioris ſcire cupias, Dagobertinum illos Diploma, interpolatum quidem, ita deſcribit: "Verſus orientalem plagam extenditur Marcha, quam tradidimus, usque ad Morchinhovem, „ & ad Altenherde, & inde ad Geboldeswege, & inde ſubter vadum Lutre, & inde ad „ Buozdingeshurſt, & inde ad limitem, qui ſtat in ſummitate vallis Juvenesdal: & inde „ ducit ad meridianam plagam ſuper Warsbach, (*f*) & inde ad Bodemeloſen ſtamphe „ & inde ad Sebach, (*g*) & inde ad Kichdale, & inde ad Ingoldeshahe, (*h*) & inde „ ad ſilvoſos montes, usque ad Bedebur: (*i*) ad occidentalem vero plagam usque ad „ Lutenbach & Berenbach, (*k*) & inde ad Erlebach, (*l*) & inde ad Grunenbrunnen, (*m*) &

(*b*) Mundatum ſuperius hodie tribus præfecturis (*Vogteyen*) conſtat. Prima complectitur Rubeacum & dimidiam partem vici Weſthalten. Secunda Sulzam, Wuhenheim, Reimbach-Zell, Hartmannsweiler. Tertia Egiſhemium, Geberswillam, Pfaffenhemium, Offenbier, Orſchweir, Gundelsheim, Sulzmatt cum valle ſua, alteram dimidiam partem Weſthalten, Wettelshemium, Morſchvillam ſuperiorem, Offenbacum & Weinsfeldam. His omnibus præeſt ſummus Præfectus, *Obervogt*.

(*c*) Coccius in *Dagoberto* Cap. XV. pag. 142. " Amœniſſimam, inquit, terrarum regionem, cis citraque Rubeaquas, cum fœcundis Elli utrimque ripis „ ad usque fere Novientum (*Ebersmunſter*) porrectam, ipſumque Rubeacenſe oppidum, cum arce „ Regia Iſenburgo, accurata finium topotheſia, hodie „ oppidorum pagorumque circiter triginta duum de- „ finitum. . . . Ea hodieque in Argentinenſis „ Eccleſiæ poſſeſſionibus perpetuat.

(*d*) *Obervogtey zu Rufach*, quod munus hodieque eodem ſub nomine ſubſiſtit.

(*e*) Chartam hanc vide apud Herrgott. *Geneolg. Habsburg*. Tom. III. pag. 414.

(*f*) Villa II. leucis circiter è Weiſſenburgo in Lutram.

(*g*) *Sebach* duplex extat inferior & ſuperior, uterque vicus inſignis eſt cis Lutram.

(*h*) *Ingoldeshahe* hodie Ingelsheim, villula cis Lutram leuca una à Weiſſenburgo.

(*i*) *Bedebur* nomen forte fuit villæ. Erat ſane familia hujus nominis. Vid. Schannat. *Vindem. Litter.* pag. 163. Locus *Bedebur* in Diplomate Henrici IV. de An. MLXVII. Weiſſenburg. iterum occurrit, hodieque haud procul à Maurimonſterio et Sacellum St. Albani quod vocatur *Betbur*, unde Capitulum Betburale I. unum ex Capitulis ruralibus Diœceſis Argent.

(*k*) *Berenbach*. etiamnum extat V. leucis à Weiſſenburgo ad Spirgov. ſpectans.

(*l*) *Erlenbach*, villula trans Lutram ad Spirgoviam pertinens, III. leucis à Weiſſenburgo.

(*m*) Fons hodie, cujus rivulus decurrit in ſtagnum prope Ehrlenbach.

& inde ad Otericheſſceit: (n) ad ſeptentrionalem plagam uſque ad Eichenebere. (o) &c. „ Additur velle Regem, ut nullus Judex publicus, nullus ex judiciaria poteſtate, quidquam poteſtatis in Marcha, ſine patris Monaſterii licentia, exercere præſumat, oec homines ipſius loci conſtringere, vel ad cauſas audiendas, aut freda aut tributa ſolvenda &c.

Ceterum ad Emunitatem Weiſenburgeoſem à Dagobertina Charta referuntur hæc loca: Bedebur, Berenbach, etiamnum vicus nominis hujus: Buozdingeshurſt, Erlebach, vicus hodieque: Ingoldeshahe, nunc Ingolzheim: Juvenesdal, Kichdale, Lutenbach, Morchinhoven, forte Munchhofen: Sebach, vicus ſuperſtes, Warsbach, vicus hodieque. Charta, ex qua hæc producimus, Dagobertina ipſa licet non ſit, ſed ævi poſterioris, ſtatum tamen Mundati inferioris oſtendit, qualis ſeculo XII. ad quod Charta poteſt referri, extiterat. Plura Alſatiæ noſtræ Monaſteria ſeculo XII. & ſequenti, in Chartarum deperditarum locum novas ſubſtituerunt. quæ adhuc ſuperſunt. Adde quod Ottonum Diplomata pro Weiſſenburgenſi Monaſterio eadem loca jam prodant.

MARCA.

§. LXI.

UTi majores Pagi in minores, ita minores rurſus in *Marcas*, ſubdiviſi fuerunt. Marca.
Wettergoviam, in plures Marcas diſtributam, vetera nobis documenta ſiſtunt; quas *Wetteraviæ Antiquitatum* diligentiſſimus Scriptor, Jo. ADAMUS BERNHARDUS, (p) expoſuit. *Marca*, *Marcha*, *Marcus*, *Marchus*, originis Teutonicæ vox, varias ſignificationes apud Scriptores medii ævi admiſit. Nunc enim villam, vicum, ejusque fines, bannumve, ut vocant, (q) nunc Pagi aut Provinciæ partem; nunc limitem alicujus regionis; vel ipſam denique regionem limitaneam, Marchionis territorium, deſignat. (r) alias ſignificationes vocis homonymas, quæ non geographicæ ſunt, heic loci prætereo, quas collegit Cel. WACHTERUS. (ſ) Frequentior eſt ſignificatus, quo *Marca* limitem Imperii, Regni, Ducatusve deſignat: unde media ætate Marca Hiſpanica, Marca Anconitana, Marca Britannica, Marca orientalis, quarum Præfectus *Comes Marcæ* & *Cuſtos limitis* dici ſolebat; paulo poſt *Marchio* (s) dicendus. Senſum hunc ex Germania Franci attulerunt in Galliam; Carolus M. ad Italos tranſtulit. (t) Alſatica noſtra Maurimonaſterienſis *Marca* diſtrictum agrorum, certis limitibus incluſum, certis juribus munitum, denotat. Ita in Charta, qua Dagobertus Thermas Badenſes Weiſenburgenſibus dat, legitur: *Cum Marcha ad ipſas Balneas pertinente.* (u) Hoc ſenſu ipſa quoque Abbatia Weiſenburgenſis dicitur *Marchia*, in Literis Ottonis Imp. quibus mandat, quatenus omnes ſervi liberi, coloni, cenſuales, fiſcales, vel qui Monachis ſerviunt, aut in beneficium dati ſunt, ſive habitent in Abbatia, id eſt, in *Marchia*, aut alias ubicunque. (v) Dagobertinum Dipl. pro eodem Weiſenburgenſi Monaſterio dicit: " Verſus orientalem plagam extenditur Marcha, quam tradidimus, uſque ad Morchinhovenn &c. „ (w) In alia Charta, iisdem Weiſenburgenſibus ab Ottone I. data An. DCCCCLXVII. Emunitas eorum, de qua deinceps, dicitur quoque Marca. Sæpiſſime pro villa vel terminis villæ. Otto II. in Charta Murbacenſi: *In villa vel Marcha Thuniringa, manſos duos.* Ex Marcis majoribus Alſaticis *Mauro-Monaſterienſis* ſuum conſtanter nomen ſervavit; trans Rhenum vero Etinheimenſis quoque *Marca* adhucdum viget. *Marca* Mauri-Monaſterienſis territorium illius Abbatiæ denotavit, uti *Emunitas* Weiſenburgenſis, primum & primarium ejusdem Monaſterii diſtrictum deſignat. Similem Marcam poſſidet

(n) *Otterichesſceit* forte *Otterſcheid*, ſeparatio Otteræ, à *Scheiden* ſeparare. Hoc ſenſu intelligendus eſſet ille tractus, ubi Otter rivus in partes ſcinditur. Forte etiam intelligi poſſet vicus *Scheid*, qui Otteræ imminet. Ottera trans Luteram fluit.

(o) Montis vicini haud dubie nomen eſt *Eichenberc*, quem vero ignoramus.

(p) Lib. II. Cap. V. §. VI. pag. 153.

(q) In Traditione Murbacenſi Waharii An. DCCXCIV. legitur: *In Curte vel in Marca Ongirnbaim, unam vineam &c. Aliam in villa Ongirnbaim.* Traditio hæc docet, *Curtim*, *Marcam*, *Villam* ſæpe promiſcue ſumi.

(r) SAGITTARII *Hiſtoria Soltwedelenſis Marchiæ* pag. 13. REINECCII *Hiſt. Juliæ* Tom. III. MEIBOMIUS in *Notis* ad *Diploma Thaſſilonis* Tom. III. *Scriptor. Rer. German.* pag. 194. SCHLATTERLEISCH. de *Marchia Miſnenſi*: item in *Diſſert.* de *Rebus Badenſibus.*

(ſ) *Gloſſarii German.* pag. 1046. Ridendi ſunt, qui vocem *Marca* à Græco derivant. Confutat eos THULEMARIUS de *Octoviratu* Cap. XVII. LUDEWIG de *formula Ducatus Brandenburgici* §. II. BRODÆUS *Miſcellanior.* Lib. III. à *Marcuſia* Celtarum derivat.

(s) In ARNULPHI *Diplom.* An. DCCCXCIII. *Comites Terminales* dicti. RETTENBACHER *Annales Cremifanenſes*, Lib. I. Cap. IX.

(t) ANONYMUS *ad Tab. Chronograph. Italiæ medii ævi*, apud MURATORIUM Tom. X. pag. 57. Sect. X.

(u) COCCII *Dagobertus* pag. 175.

(v) SCHANNAT *Vindem. Literar.* Part. I. pag. 7.

(w) COCCIUS pag. 172. Apud SIMLERUM de *Republica Helvetior.* Lib. I. §. IX. pag. 5. in *Theſauro Rer. Helvet.* legitur: " Suitii de conſilio & poſtulatis „ Regis edocti a Wernero Comite Homburgio, qui „ regioni vicinæ, quam Marcham vocant, imperitabat: „ Adde FUGGERUM in *Oeſterreich. Ehren-ſpiegel.* pag. 45.

GEOGRAPH.

poſſidet Fulda. *Marca Fuldenſis*; (x) tractus fertilis atque amœnus; pars Pagi Wettereibæ eſt, in quo vici, villæ, caſtra, ſpeciatim caſtrum aliquod commune, quod nobiles multi fœdere inter ſe juncti, mutuæ ſecuritatis cauſa, tenuerunt; quas ſocietates poſterior ætas *Ganerbinatus* (y) appellavit. Maori-Monaſterienſis & Fuldenſis Marcæ in his plerisque ſibi ſimiles ſunt. Unde vero Mauri-Monaſterii Marcæ cognomen *Aquilejenſis* impoſitum fuerit, omni licet inquiſitione adhibita, reperire haud potui: nihil hac de re Chartæ Maurenſes, nihil Codices, nihil traditio: quod mecum fatetur Reverendiſſ. Abbas, Placidus Schweigheuserus, qui Monaſterium hoc tam dextre prudenterque gubernat. De limitibus hujus Marcæ duobus verbis agendum.

MARCA AQUILEJENSIS.

§. LXII.

Marca Aquilejenſis.

PAgo Kirchheim vicina fuit hæc *Marca*, (z) ſeu *Marchia Aquilejenſis*; quæ Tractum, ad Abbatiam Maurimonaſterienſem ſpectantem, conſtituit; Fines ejus accurate exprimuntur in Diplomate Childeberti II. Regis, à Theodorico confirmato; ubi *Mauro Abbati* (à quo Abbatia hæc nomen nacta eſt, quum antea Leobardi Cella diceretur) donantur omnia " quæ ipſe (Leobardus) de deſerto ad excolendum vel comanen„ dum præoccupaverat per loca denominata, de ponticulo ad Suenheim, usque ad „ publicam ſtradam Tabernenſem, ac deinde ad ſtradam Marlejenſem, hinc termi„ num de fonte Ciſternata, cum adjacentibus ſuis usque ad Gunſinum rivum, „ indeque ad montem Cuobergum per fraxinetum ad locum, qui vocatur *Aſchowva* „ & ſic per fluvium Sornam, usque ad Crucem petrinam: tum demum ad „ Mauri rivum &c. „ (a) Hos ſi accuratius ſequaris limites, Tractum invenies plurimarum leucarum, quæ utique Pagum conficiunt; unde etiam non dubitavimus, hanc illis ſubjungere Marchiam.

MARCA ROMANISHEIM.

§. LXIII.

Marca Romanisheim.

SEquitur Marca alia, quæ etiamſi minus late patuerit, haud minus tamen notari meretur. Eſt hæc celebris illa *Marca Romanisheim*; cujus mentio in Donatione, quam Ruthardus Schwarzacenſi Abbatiæ An. DCCLVIII. fecit, in qua donat, quicquid *in Marcha Romanisheim* poſſidebat, in *villis Druſenheim*, *Schifelsheim*, *Swindratisheim* &c. Patet inde, Marcam hanc Fortalitio Ludovici admodum vicinam fuiſſe, interque illud & Druſenhemium ſitam; itemque, quod Marca Romanisheim deinceps nomine *Comitatus im Ried* ſeculo XIII. venire conſueverit; utpote qui Comitatus eadem prorſus loca continebat, quæ in Charta Schwarzacenſi Marcæ Romanisheim adſcribuntur. Prope hinc aberat *Arnolfeſaugia*, Schwarzacenſis Monaſterii primaria ſedes, uti ex Diplomate Ludovici Pii An. DCCCXXVI. manifeſtum eſt. Præerat tunc his terris Ruthelinus Comes, de quo fuſe agetur, ubi de Comitibus Alſatiæ ſermo.

GERAYDÆ.

(x) Marcam Fuldenſem Haſſiaca Domus à Fuldenſi Abbatia tenet in feudum. Conf. Vir Publici Germanorum Juris doctiſſimus Jo. Georgius Estor, in *Analectis Haſſiacis* pag. 87. Bernhardus in *Antiquitatibus Wetteravia*, German. editis, Lib. II. Cap. XI.

(y) Primaria ſedes Ganerbinatus eſt in certa arce, à qua reliqua bona vel feuda Nobilium ex pacto pendent. Kyllinger *de Ganerbiis Caſtrorum* Diſc. I. Lyncker *de Ganerbinatibus*, & Waldschmidt *de Pactis Ganerbinatuum*. Sed in Scriptis horum omnium de Alſaticis Ganerbinatibus nihil, quos mox ſumus expoſituri.

(z) Hoc ſenſu Diploma Ottonis III. Epiſcopo Spirenſi datum, apud Lehmann. *Chron. Spirens.* Lib. IV. Cap. III. pag. 237. ubi ait: " Publicum judicium facere infra Civitatem Spira ſeu Nemeta vocatam, aut „ in circuitu extra Civitatem, id eſt, in villa Spira & in „ marcha, quæ eidem urbi adjacens eſt. „ Schannatus in *Tradit. Fuldens.* num. 197. pag. 91. habet Donationem de An. DCCCIV. ubi: *in Pago Alſacinſe in Marca ſeu in villa, quæ dicitur Hanſcbrachein.* In Charta Herimonti, Abbatiæ Monaſterienſi An. DCCCXCIX. data, invenies *eadem Egisheim & Marcam nominatam Duringheim*; (Turckheim) adde Donat. Richini cujusdam, ſub Lothario Rege, eidem Abbatiæ factam, in qua legitur *Villa & Marcha Columbaria.* Marcha Fuldenſis hodieque nota eſt.

(a) Ita hæc in authentico leguntur, quod in Tabulario Abbatiæ Maurimonaſterienſis aſſervatur: vitioſe admodum illud exhibet Coccius *in Dagoberto*, pag. 56.

GERAYDÆ.

§. LXIV.

Geraydæ.

MUndatum Inferius admonet nos alius Diviſionis Geographicæ, quæ plurimas Inferioris Alſatiæ regiones reſpicit, noſtrisque temporibus, aliqua ex parte, in uſu eſt. Vetus fertur traditio, ſilvas & ſilveſtria loca, quæ ab Argentorato Turckhemium usque, Palatinatus oppidum, ſeſe extendunt, in XVI. Diſtrictus (*b*) fuiſſe diviſas, quos Germanico ſtylo, in Documentis recepto, *Geraydt* (*c*) vocant; ex quibus aliqui *Confraternitates* (*Bruderſchafften*) dicuntur, quod communis quibusdam certorum Tractuum ſilveſtrium uſus. In hoc Geraydarum & Confraternitatum numero quartum locum obtinet Inferius, ſive Weiſenburgenſe, Mundatum. Landavia (*d*) vero particeps eſt ſeptimæ Geraidæ, *Godramſteinenſis* quæ dicitur, trans Quiſagam ſitæ, cujus circuitus XVI. Leucarum eſt. Diſtrictuum horum auctorem fama facit Dagobertum Regem; (*e*) qui ſilvarum uſum incolis, inter Rhenum & Vogeſum, communem reddidiſſe creditur An. DCLXVI. Inde nonnulli eorum, tum in Alſatia, tum extra Alſatiam ſitorum, immedietatem ſuam, illi quidem ſub Rege, hi ſub Imperio, jactitant. Monaſteria plura in Alſatia Inferiore à Dagoberto II. inſtituta fuiſſe, res indubia; eique Weiſenburgenſe Cœnobium ſuam debet Emunitatem, & ipſi, ſi ita vis, *Geraudam*. Privilegia autem, his vicis conceſſa, ignorat hiſtoria; imo urbes & arces, hujus juris participes, Dagobertino ævo nondum extitiſſe, res certa eſt. Quoniam tamen ex Diſtrictibus his ſilvaticis nonnulli adhuc vigent, & privilegiis Regum Cæſarumque etiamnum gaudent, laterculum eorum adjicere decrevi.

§. LXV.

Enumeratio earum.

Diſtrictus ſilvatici XVI. Inferioris Alſatiæ & Regionum confinium, qui vulgo *Gerayde*, nominibus & ordine ſequentibus recenſentur:

I. Gerayda eſt Wanzenaugia.

II. Tractus Brocomagenſis.

III. Foreſta Hagenoenſis.

IV. Emunitas Weiſſenburgenſis, ad quam ſpectant oppidum ipſum Weiſſenburgenſe & vici ſequentes: Schweigen, Weyler, Bobenthal, Bruchweyler, Schlettenbach, Altenſtatt, Schweighofen, Kapsweyer, Steinfelden, Schleythal, Oberſeebach, Riedſelz, Rott, Rechtenbach, Reichsdorff, Bellenborn, Steinſelz, Hoffen, Cleeburg, Ingolsheim.

V. Montano-Tabernenſis, in qua ipſæ Tabernæ montanæ & tres vici, Bleisweiler, Capellen, Oberhofen.

VI. Lenzwilerenſis, in qua Gerayda Lenzweiler, Ilbesheim, Wolmesheim, Eſchbach & arx Magdenburg.

VII. Godramſteinenſis, quæ ſpeciatim *Oberhengerayda* dicitur, & ultra Queicham eſt, his locis componitur: Godramſtein, Siebeltingen, Bürckweiler, Grevenhauſen, Albersweiler, Franckweiler, Queich-Hambach, S. Johannis, Landavia, Ruſſeldorff & Dahenheim.

VIII. Gleiswilerenſis vel *Mittelhengerayda*, in qua Gleisweiler, Buhrweiler, Bechingen, Walzheim, Flemlingen, Roſchbach, Ramberg & Doerrenbach.

IX. Hengerayda tertia, vulgo *Dritte-Hengerayde*, ad quam pertinent: Edesheim, Rhodt, Hehnfeld & Weyher.

(*b*) Germanis *Geraydt* atque *Bruderſchafft*. Confraternitates hujusmodi alibi dicuntur *Waldgenoſſen*.

(*c*) *Geraydt*, medio ævo *Geriutte*. In Instrumento venditionis Hugonis de Tuffenſtein anno MCCXXXIX. legitur: "Prædium ſuum infra Parochiam Lutagern ſitum, quod dicitur *Geriute*, vulgari lingua, Latine autem *Novella*." HERRGOTT *Prob. Geneal. Habsb.* pag. 254. *Novella* heic *Novalia* denotant. Ex *Geriutte* ortum *Geraydt*, unde & ſupereſt Germanicum *reuten*, *ausreuten*, *roden*, ſilvas ſuccidere, exſcindere vepreta; unde tot nomina apud Germanos, quæ in *rod*, *roda* deſinunt. GEILERUS à Keiſersberga in *Poſtilla* pag. 80. dicit: *Er ſoltet auch uſzriutten, ein newew geruts, und ſoltet nit ſeien in die Dorn. Novale heiſzt ein newer Gebruch, alſo nennet mann es im Schwoaben, aber ich nenne es ein newew Geriüt. Der da ein newen Bruch auſzbricht, der macht ein neu Geriutte.* In nonnullis Alſatiæ vallibus, ſpeciatim Vilerenſi, vocis *Geruite* uſus hodieque obtinet, in Romanica Alſatiæ *Stirpon* vel *Tripon*.

(*d*) Privilegium Confraternitatis hoc Landaviæ oppido, paulo ante nato, dedit Rudolphus anno MCCXCI. quod in Cod. Diplom. dabimus.

(*e*) Alſatæ noſtri Julio Cæſari, quicquid hinc inde Romanæ originis, Dagoberto, quicquid inſtituti Francici eſt, adſcribere ſolent, quod Dagobertus II. revera multas in Alſatia Donationes pias conſtituit.

GEOGRAPH.

X. Hengerayda quarta, vulgo *Vierte-Hengeraydt*, ubi Edighoſen, Venningen, Altorff, Bœbingen & Gommersheim.

XI. Hengerayda quinta, vulgo *Fünffte-Hengeraydt*, in qua Meycammer, Kierweiler, Dietesfeld, Duttweiler & S. Martin.

XII. Gerayda ſpeciali iterum nomine à regione dicitur *Erſte Hardt-Geraydt*, quæ quatuor vicos complectitur ſequentes: Hambach, Lachen, Kæſtenberg & Brandborn.

XIII. *Zwweyte Hardt-Gerayd*, ubi oppidum Neuſtatt, Hardt & Winzingen vici.

XIV. Deutesheimenſis *Hardt-Gerayda*, cujus caput eſt oppidum Deutesheim.

XV. Wachenheimenſis *Hardt-Gerayda*, cujus caput Wachenheim.

XVI. Turckheimenſis, ab oppido hujus nominis ita dicta, præter quod ad illam ſpectant Frensheim & Lambsheim vici.

CAMPUS RUBEUS.

§. LXVI.

Campus Rubeus.

Diſtrictuum Alſatiæ agmen claudit *Campus* ille *Rubeus*, *Rotfeld*, quem bellum civile inter Ludovicum Pium & filios celebrem reddidit. Campi hujus Alſatici notitiam debemus Scriptoribus, qui bellum hoc narravere domeſticum, cui theatrum Alſatia præbuit. Tres fratres, Lotharius, Pipinus, Ludovicus, primis eorum motibus contra patrem An. DCCCXXX. ſopitis, triennio poſt quum rediiſſent ad bellum, exercitus in Alſatiam duxerunt, An. DCCCXXXIII. His poſtquam Ludovicus obviam cum copiis ſuis iviſſet, proditus eſt & deſtitutus à ſuis, in filiorum partes ſeductis. Locus tam fœdi facinoris à *Bertinianis Annalibus* (*f*) deſignatur " in Pago " Heliſaciæ, in loco, qui dicitur Rotfelth, id eſt, Rubeus Campus, juxta Columb, „ qui deinceps Campus-Mentitus vocatur. „ Aſtronomus ille, *Vitæ Ludovici Pii* Scriptor Anonymus, quem *Codex Monaſt. Trudon.* Luitolfum vocat, (*g*) ita ſcribit: " Tandem ventum eſt feſtivitate ſancti præcurſoris Chriſti Johannis in locum, qui ab eo, „ quod ibi geſtum eſt, perpetua eſt nominis ignominia notatus, ut vocetur *Campus* „ *mentitus*; quia enim hi, qui fidem Imperatori promittebant, mentiti ſunt, locus, in „ quo id geſtum eſt, in ſuo nequitiæ nomine remanſit. „. In eundem ſenſum Auctor *Hiſtoriæ Translationis S. Sebaſtiani* (*h*) ait: " Ad locum ſic forte venitur, qui ex eventu „ ruptæ fidei, pacis & ſacramentorum, *Mentitus Campus* ex tunc appellatur. „ Eadem de re Theganus: (*i*) " Ludovicus congregavit exercitum & perrexit obviam eis, „ usque in Campum magnum, qui eſt inter Argentariam & Baſileam, qui usque hodie „ nominatur *Campus Mendacii*, eo quod ibi plurimorum fidelitas extincta ſit. „ *Chronicon Saxoniæ* vetus Anonymi (*l*) Campum magnum diſtincte inter Argentinam & Baſileam ponit; in eo tamen erroneum, quod rem geſtam ad An. DCCCXXXV. refert. Marianus Scotus (*m*) eodem modo Campum illum magnum inter Argentoratum & Baſileam ponit, ſed rei eventum ad An. DCCCXXXIV. collocat. Nithardus (*n*) exercitum in *Eliſata juxta montem Sigwvaldi caſtra poſuiſſe*, nos docet. Ex his Scriptorum idoneorum locis, inter ſe collatis, elucet: Ludovicii Pii & filiorum exercitus An. DCCCXXXIII. menſe Junio in Alſatiam conveniſſe, inter Baſileam & Argentoratum, in Campo magno, qui *Rubeus*, *Rotfelt*, appellabatur, qui vero ob perfidiam Ludovici patris exercitus, quem filii corruperant, *Campus Mentitus*, *Campus Mendacii*, (*Lugenfelt*) ab eo tempore nuncupatus fuerit.

§. LXVII.

Conjecturæ aliorum.

Quum veteres Hiſtorici locum nimis laxe definiant, & neutrum ex his nominibus noſtro ævo ſubſiſtat, Mabillonius Schilterum de hoc Campo quæſivit, qua ille appellatione nunc veniat; Juniorum enim Scriptorum nullus definiverat locum. Reſpondit Schilterus, (*o*) Rubeum Campum, inter Argentoratum & Colmariam, ſive inter

(*f*) Ad An. DCCCXXXIII.

(*g*) Tom. VI. *Scriptor. Rer. Franc.* pag. 113. Edit. Bouquet.

(*h*) §. XLIV. Vid. Bollandi *Acta Sanctor.* Tom. II. Januar. Cap. XX. & Mabillonii *Acta Sanctor. Benedict.* Secul. IV. Part. I. pag. 407.

(*i*) *De Geſtis Ludovici Pii* Cap. XLII. *Scriptor. Rer. Franc.* Bouquet. Tom. VI. pag. 81.

(*l*) *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. VI. pag. 222.

(*m*) In Pistorii *Scriptor. Rer. German.* ad An. DCCCXXXIV.

(*n*) Lib. I. Cap. IV.

(*o*) Argentorato die XIV. Kal. Jul. MDCXCVII. Reſponſionem edidit Mabillonius in *Appendice Annal. Benedict.* Tom. II. num. 56. pag. 739.

inter Rhenum & Ellum, in tractu, qui *Rotlauble* dicitur, quique ſesqui leuca ab urbe Colmaria diſtat, eſſe quærendum. Hac appellatione inductus, Rubeum Campum, ſive *Rotfeld*, ibi certo ſe inveniſſe exiſtimavit Schilterus; conjecturam Obrechto probatam eſſe ſcribens. (*p*) Sed & eam præter alios, Hiſtorici Baſilienſis Lexici Editores Doctiſſimi (*q*) ſuo aſſenſu probarunt. Jo. Henricus Bœclerus (*r*) noſter ſicco pede rem tranſiit, nec eam in ſcriptis ſuis ullibi tetigit. Hiſtoriæ Alſaticæ Scriptor LAGUILLIUS (*s*) Rubeacenſis oppidi campum heic nobis adducit.

Verum enimvero, non una nos ratio inducit, ut alium plane Campum Alſatiæ vaſtiſſimum, qui duas leucas in longum, unam in latum extenſus, *Bovinus* hodie *Campus* (*Ochſenfeld*) dicitur, & inter Pollvillam Sennamque ſitus eſt, huc pertinere credamus. Primum enim Campus hic terram rubram habet & ſterilem; ita ut aquæ, tempore pluvioſo ibi ſtagnantes, rubræ fiant, & ſanguine tinctæ videantur. Hinc rivi rivulique ejusdem regionis à terra illa rubore quodam inficiuntur. Deinde plura ſunt in illis partibus locorum & aquarum nomina, quæ à rubore derivantur, ut *Rotbach*, *Rotenburg*, *Rotlend*, (tractus ruber) & in Campi extremitate *Rodern*. Hæc pro Campo rubeo pugnant. Pro eodem denique Campo Bovino pugnat nomen reſiduum, *der Lugner*, (Mendax) quo Campus, centum jugera excedens, Bovinoque vicinus, haud procul ab oppido Senna, noſtris adhuc diebus appellatur. (*t*) Unde & Campi *Rubei*, & Campi *Mentiti*, nominum reliquias *Bovinus* (*u*) conſervat. Rationibus his accenſere poſſumus, quod Lotharius cum Gregorio IV. Pontifice, exercituque ex Italia adveniens, per Burgundiam atque per Beforti fauces, Alſatiam intrans, attigit Campum Bovinum, exercitibus recipiendis aptiſſimum & prœliis ſuperiore ſeculo ibidem commiſſis, celebrem. Quodſi *Sigwaldi Mons*, quem Nithardus indicat, vetus nomen ſuum, vel ſaltem veſtigia ejus, retinuiſſet, lis foret deciſa; ſed omnis noſtra, hoc ſuper nomine, inquiſitio fruſtranea fuit. Sigoldi Montem, (*Sigolsheim*) bihorio à Colmaria, ſi pro Sigwaldi Monte ſumere velis, Campi hujus mutaretur locus, ſed reliqua non tam bene concordant.

Verisimilior conjectura.

§. LXVIII.

Ita enumeravimus Pagos, Emunitates, Marcas atque Geraydas, illis olim incluſos limitibus, quibus Carolingicus Alſatiæ Ducatus finiebatur, novaque poſterioris ævi continebatur Alſatia: atque adeo, quicquid Pagorum inter Arolam & Quiſacam, Rhenum & Vogeſum, priſca nobis monumenta abtulerunt. Uti enim Alſatia à meridie & à ſeptentrione, diverſis temporum periodis, diverſa decrementa incrementaque cœperat, ita Alſaticus Vogeſi Rhenique nunquam immutatus eſt limes. Illi ſane, qui Alſatiæ fines, ad Nigræ ſilvæ radices usque, trans Rhenum extendunt, Eccleſiaſticam Argentoratenſis Epiſcopatus Diœceſin magis, quam Alſatiam ipſam, ante oculos habent. Pagorum, quos recenſuimus, quidam in Periodi ſequentis Diplomatibus primum memorantur; eos tamen Francica ſub Periodo jam extitiſſe, veriſimile eſt. Quum ſeculo XI. plerique Comitatus & Ducatus in hæreditatem abire cœpiſſent, in deſuetudinem quoque abiit uſus Pagorum, (*x*) pluriumque ex illis memoria periit. Unde conſequitur, Pagos omnes ſeculo XII. eſſe antiquiores, Monumentis licet anterioribus non proditi ſint. Comitatuum diverſa eſt ratio: plures enim ſecula poſteriora pepererunt novos, quod ex nobilibus Dynaſtæ, ex Dynaſtis Comites, ex Comitibus Comitatus, adeoque ex terris nobilium, Baronatibus, Dynaſtiis in Geographia novi exorirentur Comitatus; uti ex Comitatibus majoribus ſunt prognati Ducatus. De Comitatibus Alſaticis ergo nunc ſpeciatim agendum.

Pagorum & limitum Alſatiæ mutatio.

(*p*) Eandem rem SCHILTERUS diſcutit in *Gloſſario* ſuo, pag. 290.

(*q*) In voce *Ludwig der Fromme*.

(*r*) *Hiſtoria ſeculi* IX. pag. 56.

(*s*) *Hiſtoire d'Alſace* Lib. X. pag. 112.

(*t*) Non ignoravit hanc circumſtantiam SCHILTERUS, uti ex *Gloſſarii* ejus loco, quem excitavimus, patet, & tamen pro tractu *Rotlauble* ſtetit.

(*u*) Tria nomina Germanica *Rotfeld*, *Lugenfeld*, *Ochſenfeld*.

(*x*) MEIBOMIUS de Pagis Tom. III. *Rer. Germ.* pag. 97. tempus definit: " Appellatio Pagorum, " (inquiens) uſurpari deſiit circa An. MC. cum Pa- " gi in Ducatus, Landgraviatus & Burggraviatus, mi- " grarent, ac hæreditario jure poſſideri inciperent. " Interitus ille nec ſubitus fuit, nec uno aut brevi tempore, ſed pedetentim contigit. WINCKELMANN. *Chron. Haſſiac.* Germanice edito, pag. 8. FRID. LUCÆ in Libro, cui Tit. *Furſten-Saal* pag. 240. Item *Grafen-Saal* in Præfat. pag. 8.

GEOGRAPH.

CAPUT V.

COMITATUS ET DYNASTIÆ IN DUCATU ALSATIÆ.

§. LXIX.

Comitatus nomen.

COmitatus, ſenſu Geographico ſumtus, non ſemel idem, quod Pagus, eſt. Singulis enim Pagis ſous Judex ſive Comes olim præfuerat. Politica inſtitutio Comitum diviſioni Geographicæ dedit originem. Quandoque tamen inter hæc nomina diverſitas eſt, quum plures nempe Pagi minores uno Comitatu comprehenſi ſunt; vel etiam, quum Pagus major plures quoque Comitatus minores contineret. Claſſium ſingularum exempla Geographia Alſatiæ medii ævi ſuppeditat. Alſatia ipſa nunc Pagus, (y) nunc Comitatus, (z) in Chartis vocatur; Comitatus nempe maximus, duos majores ſub ſe comprehendens, qui *Provinciales* (*Landgravſchaften*) deinceps dicebantur, in alios ſubdiviſi minores. Troningorum Pagus Alſatiæ ſub utroque, Pagi & Comitatus, nomine venit. Comitatus Bargenſis Pagos Speries, Uffgoviam, alioſque complexus eſt; quorum ille in Ducatu Alſatiæ, hic extra Ducatum fuerat ſitus. Pagus Alſacenſis contra in plures quoque Comitatus diviſus eſt; id quod Comitatus Illiche, Comitatus Bercheimenſis, Comitatus Kilicheim, de quibus infra, ſatis teſtantur; certo indicio unum Pagum (de majoribus loquor) plures quandoque Comitatus eſſe complexum. Pagi enim antiquiores Comitatibus ſunt. Ex jurisdictione, in Pagis à Comitibus exercita, Comitatus exorti. Comites ergo in Gallia fuerunt, antequam ea in Comitatus divideretur. GREGORIUS TURONENSIS (a) Comites plures, at ſenſu Geographico Comitatum non prodit. Unde innumerabilis Comitum, Comitatuum vero mediocris numerus eſt; ſive quod Ducum filii, Regumque propinqui, nulla licet publici muneris adminiſtratione præditi, Comitum dignatione æſtimarentur: ſive etiam, quod Dynaſtæ, ut à promiſcua nobilitate diſcernerentur, ſæpe dicti ſint *Comites*.

Enimvero media illa ætate *Comitatus* vocabulum varie acceptum eſt. Primitus Aulam Imperatoris vel Regis, atque Palatium, inde judiciariam Comitis dignitatem ſignificavit & munus. (b) Communiter autem *Comitatus* ſumitur pro diſtrictu, in quo Comes jurisdictionem nomine Regis, ut Magiſtratus, exercuit. Comitatus vel urbicus (c) erat, ut Metenſis, Tullenſis, Virodunenſis, Genevenſis, Wormatienſis &c. ſeu absque urbe modo fuit pagenſis, caſtrenſis &c. In *Capitulis* CAROLI M. Comitum Veſontii, Moguntiæ, Coloniæ, non ſemel fit mentio. *Comitia*, *Cometia*, *Comecia*, vocabulum quandoque etiam pro *Comitatu*, ſed pro *Comitiva*, ſeu munere Comitis & dignitate frequentius, non tam ſub Merovingis atque Carolidis, quam ſub Germanica Periodo,

---

(y) In Charta Herimouti pro Gregoriano Monaſterio anno IV. Zwendeboldi Regis Lotharingiæ, ubi: *In Pago Helſacenſi, & in parte ipſius pagi, quæ vocatur Sundgeuui.* Plura alia exempla vide ſupra Cap. IV. pag 633.

(z) In Charta Lotharii Imp. pro Monaſt. Erſtein, ubi: *Manſos quatuor, ad Comitatum Helſacenſem pertinentes* &c.

(a) Apud GREGORIUM Lib. V. Cap. XLVIII. Comes Turonis & Comitatus memoratur, ſed munus potius Comitis, quam diſtrictus, intelligitur. Ibidem agitur de Comitatu Stabulorum.

(b) Hoc ſenſu Comitatus *honor Comitis* dicitur, *Capitular.* Lib. VII. Cap. 422. Argentoratus ſub Romanis Comitem habuit, ſob Francis, atqoc deinceps ſub Germanica Periodo, non habuit; quum Mettis, Tullum, Virodunum, Geneva, Wormatia, aliæque urbes plurimæ, ſuos Comites urbicos & Comitatum habuerint. Metenſis Comitatus hæreditarius quum fieret, ad Comites Dagisburgenſes, eorumque gente extincta, ad Epiſcopum pervenit. MEURISSE *Hiſt. des Eveques de Metz.* Lib. II. pag. 142. De *Tullenſibus* BENOIT PICART *Hiſt. de Toul.* Cap. III. pag. 129. De Virodunenſibus ROUSSEL *Hiſt. de Verdun* Part. III. Cap. II. pag. 179. De Comitibus Gebenneſii SPONIUS *Hiſt. de Geneve* Lib. II. pag. 38. De Comite Wormatienſi SCHANNAT in *Hiſt. Worm.* Part. II. Cap. II. Ex Chartis Tullenſibus patet, Comitem Tullenſem habuiſſe Palatium ſive Prætorium in urbe, reditus ex quatuor vicis, qui *Bannus Comitis* dicebantur; tertiam emendarum, id eſt, multarum partem, quartam vero vectigalium urbis, ut & jus albergariæ in Epiſcopi ditione &c. Unde potius Epiſcopi, quam urbis Tullenſis Comes vel Advocatus dicendus, quod & de Wormatienſi probat SCHANNATUS. Alii nimirum Comites urbici à Rege, alii ab Epiſcopo pendebant, quando nempe urbs liberalitate Regis, ex poteſtate ejus, in Epiſcopi ditionem tranſivit. Comes qui prope Argentoratum in Palatio Regis, *Kœnigshoven*, medio ævo ſedebat, nullum ſub ſe habuit Comitatum certumve jurisdictionis diſtrictum, multo minus territorium aliquod proprium ſive allodiale; ſed palatium atque reditus, ad illud pertinentes, procurabat, uti in Palatiis Alſatiæ regiis dicemus.

(c) GREGORIUS TURON. Comites in urbibus paſſim memorat, Toronicos nempe, Pictavos, Carnotinos, Aurelianenſes &c. Confer etiam Lib. VI. Cap. XXII.

GEOGRAPH.

Periodo, legitur. Hac quoque ſub Periodo frequenter evenit, ut Dynaſtiæ terræve allodiales Procerum à Regibus axioma Comitatus acciperent; quod merum tamen nomen honoris, vel à Domino, in Comitem promoto, in Dynaſtiam derivatum, vel à Dynaſtia, in Comitatum erecta, derivabatur in Dominum; quod Rappoltſteinenſi, Lichtenbergenſi, Ochſenſteioenſi, Alſatiæ Dynaſtiis, evenit. Hos *Comitatus* allodiales vel honorarios dixeris, quum Carolingici ævi Comitatus nonniſi *Fiſcales* appellari potuerint.

§. LXX.

Alemanni, toto fere ſeculo V. Alſatiæ poſſeſſores, eam more ſuo jam in Pagos diviſerant. Bello autem Alemannico Alſatia quum à Francis ſit occupata, regi cœpit per Comites, qui ſuberant Duci. Formulam hanc regendi provincias, apud Romanos receptam, Franci retinuerunt. Quamvis autem primis Francicæ dominationis temporibus, hoc eſt, ſeculo VI. Alſatiam, omnium Franciæ provinciarum inſtar, Comites quoque ſuos habuiſſe, nulli dubitemus; ante ſeculum tamen VII. memoria eorum in Alſaticis Monumentis, ob defectum Chartarum atque Scriptorum, non extat. Singulis primum Pagis ſui Comites præfecti ſunt; plures autem Pagi minores quum uni Comiti paullatim ſubderentur, Comitatus inde majores prodierunt; imo, Pagis quoque majoribus tandem in Comitatus converſis, plurima Pagorum nomina ſenſim interierunt. Antequam Geographica Alſatiæ in Comitatus diviſio invaluiſſet, Diſtrictus, in quo Comes juriſdictionem exercuit, ab ipſo ejus nomine ſuum quandoque nomen accepit; uti & ævo ſequenti Comitatus Wuorandi, Comitatus Ruthelini &c. quæ nomina plerumque cum ipſis Comitibus intermori, novaque novorum Comitum nomina ſuccedere debuerunt. Cavendum ergo, ne ex Comitibus Comitatus formemus. Nos eodem ordine, quo enumeravimus Alſatiæ Pagos, nunc quoque Comitatus, in quos eadem fuit diviſa, exponimus; à limite auſtrali Ducatus Alſatici; ad limitem ſeptentrionalem tranſituri, Rheno ſecundo. Primam Alſaticorum Comitatuum mentionem in Dagoberti II. Charta Donationis reperio, quæ Argentinenſi Eccleſiæ facta eſt, circa annum DCLXXVII. ubi Comitatus *Bargenſis*, Comitatus *Illiche*, & Comitatus *Kilicheim* enarrantur. (*d*)

Origo Comitum.

COMITATUS BARGENSIS.

§. LXXI.

OMnium Alſatiæ Ducatus Comitatuum haud dubie maximus erat *Comitatus Bargenſis*, cujus tamen pars Cis-Arolana tantum ad hunc Ducatum pertinuit; pars Trans-Arolana extra limites ejus fuit. Comitatus hic, *Sornegaudia* vicinus, in Diplomate Dagobertino, uti vidimus, primum occurrit. TOPOLOGUS NOVIENTENSIS, (*e*) JACOBUS KOENIGSHOVIUS, (*f*) HIERONYMUS GEBVILERUS, (*g*) COCCIUS, (*h*) COINTIUS, (*i*) HENSCHENIUS, (*k*) ejus faciunt mentionem. Commemoratur ibi curtis, ſita in *Pago, qui dicitur Speries, & in Comitatu Bargenſi*. Inde Conradus Burgundiæ Rex, Rudolphi II. filius, in Charta Granvallenſi An. DCCCCLVII. eundem refert his verbis: "Villa in Bargenſi Comitatu, quæ Nugerolis dicitur, cum capella Urſicini & capella Apoſtoli Petri, cum villa Ulvingen nomine, in eodem Comitatu, villa Summæ Vallis, quæ cenſetur cum capella ſibi ſubjecta, & alia capella cum villa Theſvenna nomine; Capella S. Imerii & curtis Alerici, Bideric, cum capella Roconvillare." Diploma hoc poſt DACHERIUM & ECCARDUM, qui corrupte ſatis illud ediderunt, (*l*) correctius ex autographo produxit HERRGOTTUS. (*m*) Sed & Rudolphus III. Ignavus, Burgundiæ Rex, Amiloni cuidam *manſos duos, conjacentes in Comitatu Bargenſi*, ſive in valle *Nugerolenſi*, (*n*) donavit. Henricus III. Germanorum Rex An. MXL. *Meginradi Cella dedit*

Comitatus Bargenſis

(*d*) Vide quæ ſupra Cap. IV. de *Pagis* diſſeruimus, qui in Comitatibus his ſiti fuerunt. Dagobertinos hos GEBVILERUS in Libro MS. de *Comitib. Habsburg.* Lib. III. Cap. X. enarrat, & ex eo BESSELIUS in *Antiquitat. Germ. prima* pag. 72. Gebvilerus ex KOENIGSHOVII *Chronico* Lat. eos deſumſit, unde etiam petiit SCHILTERUS, quem ſupra excitavimus. *Chronicon Novientenſe* Diplomatis hujus ſummam jam dedit.

(*e*) *Hiſt. Novient. Monaſt.* apud MARTENE *Anecdot.* Tom. III. pag. 1128.

(*f*) In *Chron. Argentorat.* MS. Latino.

(*g*) In *Commentario* MS. de *Domo Habsburg.* apud BESSELIUM *Antiquitat. Germaniæ primæ* pag. 72.

(*h*) *Dagobert.* pag. 143.

(*i*) *Annal. Eccleſiaſt.* Tom. III.

(*k*) De *Tribus Dagobertis*, pag. 84.

(*l*) Apud LUCAM DACHERIUM *Spicileg.* Tom. VII. pag. 185. edit. prioris, Tom. III. pag. 375. edit. poſter. & apud ECCARDUM *Origg. Habsburg.* pag. 141. male legitur *Comitatus Burgenſis* pro *Bargenſis*. Ita quoque FRANC. PAULLINUS de *Pagis Antiquæ Germ.* pag. 202.

(*m*) *Genealog. Habsburg.* Tom. II. pag. 77.

(*n*) Vid. Diplom. apud. GUICHENON *Hiſt. Genealogique de Savoye*, Tom. III. *preuves* pag. 13.

GEOGRAPH.

dimidiam coloniam in villa Lanha, in Comitatu Bargenſi. (o) Henricus IV. denique, in Confirmatione fundationis Monaſterii Rueggisberg, ejuſdem Comitatus facit mentionem, inquiens: " Hoc Monaſterium fundatum erat in Regno meo, in Louſonenſi Epiſcopatu, „ in Pago nomine Uſſgou, in Comitatu Bargenſi &c.

§. LXXII.

Limites ejus.

Diplomatum horum ope *Bargenſis Comitatus* fines haud difficulter definimus. Sequentia enim loca, in Bargenſi Comitatu ſita, memorantur. *Villa Nugerolis*, à qua Vallis Nugerolenſis, in Rudolphino Diplomate, nomen accepit. Vallis *Nugerolis* etiam in Bulla Papæ Eugenii An. MCXLVIII. pro Abbatia Rueggisbergenſi legitur, itemque in Diplomatibus duobus Friderici I. An. MCLII. Beinvilenſi, & An. MCLXXIII. Beronenſi (p) Cœnobio datis. Villæ Nugerol veſtigia in regionibus Comitatus Bargenſis nulla reperiuntur. Quodſi ea recte ſe habent, quæ tradit Plantinus, (q) Lacum nempe Biennenſem, in veteribus Actis quibusdam, vocari *Lacum de Nurol*, *Neerol*, vel *Nerol*, item *Nurvil*, à certo quodam loco, ſupra Villam novam ſito, haud abſimile vero, vallem Nugerolenſem Lacui Biennenſi fuiſſe vicinam, ultra quem Comitatus Bargenſis progreſſi ſunt limites. Plantini tradita ſequitur Illuſtris Wattewillius, (r) Conſilii Majoris Bernenſium Senator, Hiſtoriam patriam egregie doctus, qui Nugerolim ſimiliter ad Neoſtadium collocat.

Nugerolim excipit *Capella S. Urſicini*, vulgo *S. Urſanne*, Germ. *S. Urſitz*, ad fluvium Dubim, Eccleſia & oppidum hujus nominis. Hæc, cum prædiis adjunctis, aliquamdiu Grandvallenſi Monaſterio fuit ſubjecta, uti ex Carolomanni An. DCCLXX. Pipini item patris, aliorumque Regum, eandem donationem confirmantium, Chartis apparet. Rudolphi tertii, Burgundiæ Regis poſtremi, Donatione An. M. Grandvallenſe Monaſterium in Epiſcopi Baſilienſis ditionem devenit; tractu temporis in Eccleſiam collegiatam XII. Canonicorum mutatum. (s) Sequitur *Capella Apoſtoli Petri*, cum villa *Uhvigen*; quam Diploma Caroli Craſſi An. DCCCLXXXIV. *Ulmick* vocat. Vicum *Ilfingen*, Gallis *Orvin*, haud procul Bienna ac Neoſtadio, eo deſignari videtur. Wattewilliana hæc conjectura eſt; quam nos quoque eo lubentius amplectimur; quod capella *Ulmick*, quæ *Ulwuck* interdum & *Ulvingen* ſcribitur, in Diplomate Conradi, Burgundiæ Regis, An. DCCCCLXXV. villæ Nugeroli ſubjecta refertur. *Villa Summa Vallis* hodie *Sauvelier*. Villa *Thesvenna*, nunc *Tavanne* vicus, Lacui Biennenſi imminens. *Capella S. Imerici*, vulgo *S. Immer*, Germ. *S. Imber*, in valle hujus nominis, Germanis *Immersthal*. Himerii patria fuit vicus *Lugne*, agro Bruntrutano vicinus. Juvenis, nobili familia ortus, in vallem, ab incolis deſertam, ſe contulit, ibique vitam exegit; (t) nomen ſuum valli imponens, quæ etiam *Erguel* appellatur, ac in temporalibus Epiſcopo Baſilienſi, in ſpiritualibus Diœceſi Lauſannenſi, ſubeſt. In vico S. Himmerii Bertha Regina, Rudolphi II. Burgundiæ Regis conjux, Collegiatam inſtituit, Præpoſiti dignitate illuſtrem. *Curtis Alerici* nunc *Mallerey*: *Bideric*, curtis Biderici, hodie *Berry*, prope S. Himerium, verſus Biennam. *Capella Recomvillare*, *Recombelier*, ad fluvium Birſam, prope Tasvennam, ſive *Tachsfelden*. *Villa Lanha* videtur eſſe vicus *Kalanch*, prope *Arbergam*, quod nomen aſpiratione, Helvetiis ſolenni, ex Lanha, *Hlencha*, *Chlanch*, *Chalancha* confici potuit: aliis vicus ille *Chalnach* dicitur.

§. LXXIII.

Quin & trans lacum Biennenſem late ſe extendiſſe Comitatum Bargenſem, Abbatia *Rueggisbergenſis*, in eodem ſita, evincit. Hæc vero inter *Thunum* & *Friburgum*, haud procul Schwartzberga, in ditione Bernenſium jacet. Ceterum vicus *Bargen*, oppido Arbergæ propinquus, nomen forte ſuum Comitatui dederat. Acri ergo rem tetigit Koenigshovius noſter, (u) qui Bargenſem Comitatum trans Arolam (quam per *Ararim*, ſtylo olim recepto, uti oſtenſum, intelligit) diſerte collocat. Schilterus (x) autem, Junckerus, (y) ut & *Prodromus Gottwicenſis*, (z) Schilterum bona fide ſecuti, peccarunt, quod Comitatum noſtrum Bargenſem omnes ad *Barrum*, Alſatiæ inferioris

(o) Hartmannus in *Annalib. Herem. Deiparæ Matris*, pag. 131.

(p) Ex his omnibus Chartis excerpta dedit *Mercurius Helveticus*, *Menſe Sept.* An. MDCCXLVI. pag. 247. qui Gallice prodit.

(q) *Helvet. Vet. & Nova* Cap. XV. pag. 106.

(r) Epiſtola ad Ludovicum de Bochat, Pro-Præfectum Lauſannenſem, de Origine Ducum Zaringiæ. Extat Gallice ſcripta in Diario Helvetico (*Journal Helvetique*) Septemb MDCCXLVI. Vide ibi pag. 247.

(s) Urstisius in *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. II.

(t) *Baſilea Sacra* pag. 38. & 43.

(u) Apud Schilterum in *Obſervat. ad Kænigsh.* pag. 594.

(x) Loco cit.

(y) *Geographia medii ævi* pag. 281.

(z) Lib. IV. num. 56. pag. 555.

inferioris oppidulum, retulerunt, & Kœnigshovium male interpretati, ex Arari Argitiam (*Ergers*) effinxerunt Alſaticam; quæ alluit Barrum. Pago Speries autem, qui in eodem Comitatu Bargenſi ſitus fuerat, Schilterus vicum *Berſen*, prope Roshemium, uti ſupra oſtendi, caput aſſignat, à quo pagus omnis acceperit nomen. De Conjecturis his quid ſentiendum ſit, ipſe judicet Lector. Loca enim Comitatus Bargenſis, quæ hucusque enarravimus, verum ejus cis & trans Arolam, imo etiam cis & trans Juram, ſitum demonſtrant. In Comitatu Bargenſi fuit quoque *Pagus Uffgouue*, ignoratus huc usque, ſed ab Alſatiæ Ducatu excluſus. Mentio ejus in Diplomate fit An. MLXXVI. quod Henricus IV. Imp. Rueggisbergenſi Abbatiæ dedit; quam ſitam ait, in *Louſonnenſi Epiſcopatu*, *in Pago nomine Uffgou*, in *Comitatu Bargenſi* &c. (*a*) Rueggisbergenſe Cœnobium, ſitum in monte, inter *Thonum* & *Friburgum*, indicat, Pagum *Uffgouue* nullo pacto ad Ducatum Alſatiæ pertinere. Ampliſſimus enim Bargenſis Comitatus plures cis & trans Arolam minores Comitatus complexus eſt. Uffgovia hæc Helvetica cognominem habuit Uffgoviam Francici Ducatus; quæ pars fuit Creichgoviæ, de qua inferius agetur.

§. LXXIV.

Ceterum Comitatus Bargenſis nomen interiit penitus, tractusque ejus, uti vidimus, inter Bernenſes, Friburgenſes, Neocomenſes, Salodurenſes, & Epiſcopatum Baſilienſem fuerunt diviſi. In partes autem jam cœpit diffindi, poſtquam Burgundiæ Trans-Juranæ Regnum fuiſſet enatum; tum enim pars Comitatus, trans Arolam ſita, ad Burgundiam pervenit; quum altera cis Arolam Ducatui Alſatiæ maneret conjuncta. Rorenſis ſane Comitatus, circa Aroviam ſitus trans Arolam, pars haud dubia Comitatus Bargenſis, in Provincia Burgundiæ poſitus dicitur, in Diplomate Henrici V. An. MCXIV. Murenſi Abbatiæ conceſſo. (*b*) Sed & ad eundem Comitatum Bargenſem referenda erit Salzgovia, quod regionibus, ad Bargenſem Comitatum ſpectantibus, cincta undique fuerat. Concludimus denique, Comitatus Bargenſis partem Cis-Arolanam ad Alſatiæ pertinuiſſe Ducatum; ad Alſatiam propriam nihil ejus poſſe referri. Status hodiernus.

COMITATUS PIPINENSIS.

§. LXXV.

COmitatus hic majoris Comitatus Bargenſis pars fuit: in Lothariano enim Diplomate quod Carolus Craſſus firmavit, quoque Grandisvallenſis Abbatiæ bona enarrantur, invenies villam in Pipinenſi Comitatu, Nogerolis dictam, cum capella Ulliwinc, in eodemque Comitatu villam Summævallis, cum capella Tehisvenna. At vero in Diplomate Conradi, Regis Burgundiæ, pro eadem Abbatia, hæc eadem bona ſita dicuntur in *Comitatu Bargenſi*. Nomen *Pipinenſis* apud Dacherium (*c*) atque Eccardum, (*d*) eo, quo nos illud ſcribimus, modo, exprimitur. Sed exemplum Inſtrumenti hujus, quod Herroottus (*e*) profert, Comitatum *Lipinenſem* appellat. Priorem tamen lectionem præferendam eſſe ducimus, quod *Annalium Bertinianorum* Anonymus Auctor ad An. DCCCLIX. Lotharium Regem fratri ſuo Ludovico, Italorum Regi, attribuiſſe dicat ea, quæ ultra *Juram* montem habebat; excepto *hoſpitali in monte Jovis* (*le Mont Joux*) & *Pipinienſi Comitatu*. Urstisius quoque, ſolers harum rerum indagator, Pipinenſem Comitatum in memorato legit Diplomate, nomenque à caſtro *Bipp*, monti impoſito, vicisque duobus ejusdem nominis, Bernenſium ditioni ſubjectis, qui aliquot milliaribus Saloduro diſtant, derivat. Situs reſpondet regioni, in qua Comitatus Pipinenſis quærendus. (*f*) Comitatus Pipinenſis.

In

(*a*) Vid. *Journal Helvetique* MDCCXLVI. Septembre pag. 24.

(*b*) *Genealog. Habsburg.* Herrg. Tom. II. num. 193. Stumpfius *Chron. Helvet.* pag. 566. ubi Monaſterium *Mure* dicitur conſtructum in *Provincia Burgundia, in Epiſcopatu Conſtantienſi, in Pago Argouue, in Comitatu Rore.* Unde Comitatui nomen fuerit, incertum eſt. Extat tamen prope Aroviam vicus hodieque, Rore dictus, qui aut Comitatui nomen dedit, aut reliquias ejus indicat. Ubi hodie Arovia oppidum eſt, ſitum fuiſſe creditur vetus caſtrum *Rore*, Comitum Rorenſium ſedes. Comitatus illius Tractus *die Freyen Æmbter*, Liberi Ballivatus, vocatur. A caſtro hoc oppidum ſuum cœpit initium. Comitatus deinceps ad Habsburgenſes devenit per partes. *Rore* nomen ex Rauracorum nomine veteri derivant nonnulli.

(*c*) *Spicileg.* Tom. III. pag. 365. Edit. poſter.

(*d*) *Origg. Habsburg.* pag. 139.

(*e*) *Cod. Probat. Genealog. Habsburg.* num. 85.

(*f*) Urstisius in *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. XIV. pag. 46.

GEOGRAFII.

In Comitatu hoc orta dein vetus illa Bechburgenſium Dynaſtia, poſt cujus familiæ interitum eam accepit Froburgica gens; ex qua ortus Joannes, qui An. MCCCXLII. hanc Dynaſtiam Baſil. Epiſcopo obtulit, atque in feudum commune cum Rudolpho de Neuenburg & Nidau recepit, ea lege, ut, Froburgicis & Neocomenſibus extinctis, hæreditas omnis ad Sorores Rodolphi de Neuenburg, Annam de Kiburg & Verenam, delaberetur. Res ita evenit; & ab eo tempore Hermannus II. Comes Habsburgi. Annæ Kiburgenſis maritus, adjicialibus verbis *Dominus de Bipp*, uſus eſt; uti ex Charta An. MCCCLX. Abbatiæ S. Sigismundi data, quam Codex Diplomaticus noſter dabit, apparet. Filius ipſius dictus eſt *Ego*, gentis ſuæ ultimus; poſt cujus funera Thierſteinenſes à Baſilienſi Epiſcopo, indeque Bernenſes & Salodurenſes, pretio exſoluto, Dynaſtiam hanc coemerunt. (*g*) Originem vocis *Bipp* nonnulli à Pipino Rege deducunt; qui caſtrum illud, venationis cauſa, exſtruxerit; quod Chronica Helvetica perhibent. Id certum eſt, jam An. MXVI. extitiſſe caſtrum *Pinpeningis*; in quo loco Rudolphus, Rex Burgundiæ, Amiſoni cuidam donationem fecit manſorum duorum, in *Comitatu Bargenſi ſeu valle Nugerolenſi* ſitorum, uti apud Guichenonium (*h*) legimus. Locus ille *Pinpeningis* potuit eſſe noſtrum *Pip*.

COMITATUS AUGUSTA.

§. LXXVI.

Comitatus Auguſta.

COmitatui Fricæ, qui & Rheinfeldenſis, de quo in Pagis, à ſeptentrione & ab occaſu contiguus fuit *Comitatus Auguſta*, cujus notitiam præſtantiſſima nobis Charta Henrici III. Imp. ſervavit; qua ille An. MXLI. Baſilienſi Eccleſiæ, ejusdemque tum Epiſcopo Theoderico, *Comitatum Auguſta* pro remedio animæ genitoris ſui, Conradi II. Imp. Auguſti, & pro ſua ſalute, dono conceſſit. (*i*) Comitatus hic autem duos Pagos complexus eſt, dicit enim Henricus: *Comitatum, Auguſta vocatum, in Pago Ougeſtouue & Sisgouue ſitum.* Veteris Auguſtæ Rauracorum, cujus nomen hodieque in vico *Augst* supereſt, rudera & Pago & Comitatui nomen communicaverunt. Alia ejusdem nominis *villa Auguſta* in Pago Aragouue, ſive Ergovia, in Comitatu Chadalohi, ſeculo IX. occurrit, (*l*) quæ cum noſtra nil, niſi nomen, habuit commune. Auguſtæ Comitatus agmen claudit Comitatuum Ducatus Alſatici, qui Ducatui huic quidem ſubjecti fuerunt, licet extra Alſatiam ſiti. Nunc de Alſatiæ ipſius Comitatibus inſtituendus eſt ſermo. Quamvis enim & Alſatia quandoque improprie Comitatus dicatur, plures tamen alios, tum majores, tum minores, maximus ipſe complexus eſt, de quibus nunc ſigillatim agendum.

COMITATUS ILLICHE.

§. LXXVII.

Comitatus Illiche.

COmitatus hic *Illiche*, *Illegeu*, in Diplomate Dagobertino Argentinenſis Eccleſiæ quoque memoratur; in eodem Comitatu ſitus fuit *Pagus Rubiacus*. Charta Ludovici Pii interpolata pro Ebersheimenſi Monaſterio An. DCCCXVII. *Comitatum Illichick* vocat: Coccius (*m*) *Ilchicha*, Obrechtus (*n*) *Illchicha*; Guillimannus, (*o*) longe corruptius *Illeſich*, univerſam hoc nomine Alſatiam & Germanicum Alſatiæ vocabulum *Illſaſs*, comprehendi exiſtimans; corruptam Ebersheimenſis Chronici ſcripturam, ubi Comitatus *Illecich*, *Illeſich*, dicitur, fortaſſis ſecutus. Gebvileri (*p*) lectio corruptiſſima eſt, qui Comitatum *Ille jam* ſcribit. Koenigshovius Latinus (*q*) Comitatum *Illiche*

(*g*) Urstisius in *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. XIV. pag. 46.

(*h*) Guichenon *Hiſtoire de Savoye* Tom. III. pag. 3.

(*i*) Charta extat apud Herrgott. *Cod. Probat. Geneal. Habsburg.* num. 175.

(*l*) Mentio hujus Auguſtæ fit in duabus Arnulphi Regis Chartis de An. DCCCXCI. & DCCCXCIV. quas Herrgottus edidit, loco cit. num. 94. & 97. Prioris mentio quoque apud Tschudium in *Delineat. Helvetiæ veteris.* Mſ. pag. 145.

(*m*) In *Dagoberto* pag. 143.

(*n*) *Prodromus Rer. Alſat.* Cap. II.

(*o*) *Habsburg.* Lib. II. pag. 69.

(*p*) In *Commentar. Mſ.* de *Comit. Habsburg.* Lib. III. Cap. X. & ex eo Bebelius *Antiquit. Germ. Primæ* pag. 72.

(*q*) *Chron. Alſatiæ* Latino Mſ. apud Schilterum in *Obſervat.* pag. 592. 593. & 1065.

GEOGRAPH.

Illiche vocat, quæ optima ſane lectio, quod ſola Codicis Latini auctoritate omnis fides Diplomatis nititur; periit enim ejus autographum. De Comitatus hujus ſitu varie ſentiunt Critici. KOENIGSHOVIUS *Illiche* Comitatus nomen à vico *Illkirch*, prope Argentoratum, derivat: SCHILTERUS *Illiche* interpretatur *Illegeun*, Pagum Elli; imo dubia in re vacillans, Pagum hunc uno in loco (*r*) cum *Eliſchouue*, in Lothariani Regni diviſione, permiſcet: alibi (*s*) vero etymologiam nominis à loco illo, qui Ptolemæo *Elkebus* (*t*) appellatur, deducens, neceſſario Comitatum ſuum Illegeuu eum in locum, ubi vetus Elkebus fuit, adeoque inter Argentouariam & Argentoratum, ponit, ipſumque tractum *Rotleuble*, inter Colmariam & Briſacum, ſuo Illegeuu adſcribit. *Prodromus Gottuuicenſis*, (*u*) priorem Schilteri ſecutus ſententiam, Comitatum *Illiche* & Pagum *Eliſchouue* unum eundemque tractum exiſtimat, atque adeo extra Alſatiam ponit, quod ipſe Pagum hunc ab Eliſazio Tabulis Regni Lotharienſis diſtinctum eſſe annotat. GUILLIMANNUS (*x*) autem maxime liberalis eſt, qui Dagobertum vocabulo Comitatus Illiche (quem *Illeſich* ſcribit) Elſatiam omnem deſignari exiſtimat, ob id ab OBRECHTO (*y*) reprehenſus.

§. LXXVIII.

Sententia veriſimilior.

Ex ſententiis his diverſis nulli nos aſſenſum præbemus. Tutiſſima incedemus via, ſi ex Chartis prius loca quædam elicimus, quæ Comitatus hujus partes conſtituerunt. Primum Dagobertus Rex ipſe ad tractum definiendum manu nos ducit, quando Comitatui Illiche Rubiacum Pagum aſſignat, qui Rubiaci, nunc oppidi, ager eſt, parsque Emunitatis illius, quam paulo ante idem Dagobertus Eccleſiæ Argentinenſi donaverat; cui nova jam curtis regia, in priore Donatione non comprehenſa, acceſſit. Dagobertinam Chartam alia Ludovici Pii circa An. DCCCXVII. Trhoniæ, ſeu in Kilikheim, Ebersheimenſibus data, excipit; ubi in Comitatu *Illichick*, qui noſter Illiche eſt, vici *Mezeral*, *Lucelnuihre*, *Scottenuuihre*, hodie *Stosweir*, ponuntur; ex quibus Mezeral vicus inſignis, quem alia Charta Ludovici Pii, An. DCCCXXIV. in Gelenheim data, *Meterol*; Chronicon Novientenſe (*z*) *Macerol*, vocat, quique adhuc cum reliquis in Gregoriana valle ſubſiſtit. Patet inde, ipſam hanc vallem quoque Comitatus Illiche membrum fuiſſe; id quod flumen *Vachonna* (*Vecht*, *Fecht*) & rivus *Mulibach*, ibidem memorati, itidem confirmant. Vaconna enim, quæ frequentius *Fachina*, perluit vallem; rivus autem *Muhlbach* vico cognomini, in eadem valle ſito, ſuum nomen fortean communicavit. (*a*) Sed & porro ſitum limitesque Comitatus Illichick, aliis notis atque indiciis Ludovicus Pius in Charta memorata, nobis deſignat, ubi de Comitatu hoc loquens ait: "Quæ Marcha orditur in jugo montis, qui Peleus dicitur, ultra locum, „ qui Breidenbrunno vocatur, & pertingit in deſcenſum usque per medium villæ, quæ „ Reteresheim vocatur, in latitudine vero à medietate villæ, quæ Alresuuilre dicitur, „ usque in antiquum alveum fluvii, qui Loufaha dicitur, & eſt ſita in Comitatu „ Illechik & in Epiſcopatu Argentinenſi.

§. LXXIX.

Probatur ulterius.

Comitatus Illichenſis ergo, & quidem Marcha ejus, ad Peleum montem, qui hodie *Bælchen*, item in tractibus, ubi villæ *Reteresheim* & *Alresuuilre* ſitæ, quærendus eſt: flumen *Loufaha* noſtra ætate forte Lauchæ obtinet nomen. Mons Peleus autem haud procul à Monaſterio Murbaco ſuum caput extollit, pars nobilis Vogeſi. (*b*) Retersheim & Alresuuilre vici hodieque notiſſimi ſunt, quorum prior non procul diſtat Pollvilla; poſterior *Ahnsvviler*, prope Sultzbacum Sundgoviæ, quod rectius *Amertsuuiler* ſcribitur. Hæc quum ita ſe habeant, nemo non intelligit, Kœnigshovium, Schilterum, Prodromum Gottuuicenſem & eorum ſequaces, longe aberraviſſe à vero, quando Comitatum, qui inter Largam & Fachinam quærendus, vel extra Alſatiam in Elzgaudia, vel infra Colmariam, vel denique prope Argentoratum, requirunt. Memorantur in dicto Ludoviciano Diplomate An. DCCCXVII. plura alia, quæ pariter ad Comitatum Illechik trahenda eſſe videntur, Sundgoviæ loca, ut *Sarmenza*, *Regenesheim*, *Gundolvesheim*, *Bercholz*, *Baltereshein* &c. de quibus ſingulis inter Vicos agetur. Maximam ergo veteris Sundgoviæ Alſaticæ partem Comitatus Illiche comprehendit.

(*r*) *Obſervat.* ad *Kœnigshov.* pag. 593. & 1065.

(*s*) *Epiſtola* ad *Mabillon.* quæ legitur in *Annalib. Benedict.* Tom. II. in Append. pag. 739. Adde *Inſtitut. Juris Publ.* Lib. II. pag. 67.

(*t*) Aliis *Helvetus*, hodie *Ell.* Vide ſupra pag. 203.

(*u*) Lib. IV. pag. 587.

(*x*) *Habsburgiac.* Lib. II. Cap. V. pag. 69.

(*y*) *Prodrom. Rer. Alſat.* Cap. II. pag. 7.

(*z*) *Chronicon Novientenſe* apud MARTENE *Theſaur. Anecdot.* Tom. III. pag. 1131.

(*a*) Rivus, Gregorianam vallem minorem qui perfluit, ſimile nomen habuiſſe videtur, ſi priori Ludoviciano Diplomati, Ebersheimenſibus dato, conciliandus eſt ſenſus.

(*b*) Vide *Conſpectum* noſtrum *Alſatiæ* pag. 6.

Non ex vero itaque ſcripſit *Prodromi Gottuuicenſis* (*c*) Doctiſſimus Auctor, ubi ait: *Oppidum Seleſtat in Pago Ilchicha ſitum fuiſſe, in comperto eſt.* Neque minus monumentis repugnat, Illchicham cum Pago Eliſchouue unum eundemque Pagum conſtituiſſe, quod *Gottuuicenſis* quoque *Prodromus* (*d*) aſſerit. Illiche Comitatus fuit, Eliſchouue Pagus. Facile ergo videre eſt, Seleſtadium nec in Comitatu Illiche, nec in Eliſchoviæ Pago ſitum fuiſſe, quod Eliſchovia in Alſatiæ Ducatu quidem, ſed extra Alſatiam, Illiche Comitatus vero in Alſatia, & in ſuperiore quidem, ſitus fuerit; quum Seleſtadium ad Inferiorem pertineat, quæ Nordgovia dicebatur, quæque Pagum Kircheim, in quo Seleſtadium, complexa eſt.

COMITATUS EGISHEIMENSIS.

§. LXXX.

Comitatus Egisheimenſis.

COmites in Egisheim olim floruerunt, ex Etichonis proſapia orti, quos inter primus Murbacenſis Monaſterii conditor fuit, Eberhardus Comes; qui in caſtro Egensheim, quod ipſe conſtruxit, ſedem ſuam habuit. Ex eadem ſtirpe Comites Egensheimenſes, Hugones, Odalricos &c. reperimus: Comitatus vero *Egisheimenſis* nullibi occurrit. Scilicet Comites titulo tantum, non dignitate tales in alodio, vel Dynaſtia ſua, habitare potuerant, quæ tamen titulo Comitatus careret; hoc eſt, Comes potuiſſet eſſe absque Comitatu. Comitatus non fuit fiſcalis, ſed proprius & allodialis Etichonis familiæ, quæ eum ad ſeculum XIII. usque, quo extincta eſt, poſſedit. Inde ad Eccleſiam Argentinenſem pervenit; refragante quidem nonnullas ob partes Comite Ferretenſi, qui cum Epiſcopo deinceps tranſegit; uti ſuo loco in Comitibus Ferretanis docebimus.

HORBURGENSIS SEU WITKISAUIÆ COMITATUS.

§. LXXXI.

Comitatus Witkiſauiæ.

HOrburgenſis Dynaſtiæ poſſeſſores antiqui nunc Comitum, nunc Dynaſtarum nomine deſignari ſolebant. Primi frequentius *Comites*, poſtremi autem ſæpius *Domini* appellari maluerunt. Horburgenſis tractus *Dynaſtiæ* (*Herrſchafft Horburg*, ſubinde *Harburg*) ſub axiomate venit. At junctus ei fuit Comitatus, qui in veteri Charta *Comitatus Witkiſouue* dicitur. Nomen hoc omnibus Rerum Alſaticarum Scriptoribus, ut & Chartis, hucusque ignotum, ſi unam ſolam excipias. Præter Comitatum illum Horburgenſes Dynaſtæ Richovillanam quoque Dynaſtiam (*Herrſchafft Reichenweyr*) poſſederunt. Equidem ante An. MCXXV. Comitatus vel Comitis Horburgenſis nullibi reperio nomen. Documentorum tamen defectus me non abſterruit, ne Comitatuum catalogo noſtræ Periodi eundem infererem. Dynaſtiæ hæ cum Comitatu ſuo poſtquam per ducentos annos ab una Dynaſtarum familia, quam in Alſatia Germanica producemus, hæreditario jure rectæ fuiſſent, ſolemni venditionis Inſtrumento ad Ulricum, Wirtenbergenſium Comitem, An. MCCCXXIV. tranſierunt. Venditio facta à Walthero & Burcardo, ſuæ gentis poſtremis. (*e*) In Charta hac, Germanice ſcripta, quam Codex Diplomaticus noſter integram dabit, ſequentia leguntur: *Zu kauffen geben dem Edlen Herren .... Grave Ulrich von Wirtenberg und allen ſeinen Erben unſer Herrſchaft von Harburg, die Graffſchafft von Witkiſauue, und das Landgericht, ſo Wir haben in dem Leimenthal; an dem Blauen, Bilſtein unſer Burch, Richenweiler die Stat, Cellenberg Burg und Stat, und was zu der Herrſchafft von Harburg, zu der vorgenandten Graffſchafft, und zu den vorgenandten Veſtin gebæret* &c. Dynaſtæ Horburgenſes itaque, præter Witkiſaviæ Comitatum & Horburgenſe Dominium, poſſederant etiam Judicium Provinciale in Lutea Sundgoviæ valle, (*im Leimenthal*) verſus illam Juraſſi partem, quæ vocatur *der Blaue.* (*f*) Tempore venditionis omnes illæ terræ, Wirtenbergenſibus venditæ, Comitatus Witkiſaviæ & Dynaſtiæ Horburgenſis titulo innotuerunt. Sub Wirtenbergenſibus autem immutatus eſt ſtylus ſolennis, quo Horburgenſis Comitatus & Richovillanæ Dynaſtiæ appellatio

(*c*) Lib. IV. pag. 814.

(*d*) Vide pag. præced. not. (*u*)

(*e*) Johannes Tardus, Burcardi filius, poſt venditionem natus, non computatur.

(*f*) De monte hoc agit Urstisii *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. I. pag. 2.



appellatio invaleſcere cœpit; quæ hodieque retinetur. Witkiſaviæ Comitatus ergo in Charta hac primum, ſed & poſtremum, quod miramur, comparet. Nominis origo in tenebris ſepulta; nihil enim in omni illo tractu ſupereſt, quod ad illud poſſit referri; niſi trahere huc velis vicum *Wickerswihr*, qui una cum vicis Holzwihr, Kunheim, Jebsheim, Marckolsheim &c. Comitatum Witkiſaviæ forte, à Dynaſtia Horburgenſi diſtinctum, conſtituit: quoniam loca hæc olim feuda Wirtenbergenſia fuerunt. Nomen Comitatus ad Dynaſtiam Horburg translatum. A *Wickero*, *Comte de Horeburg*, qui ſeculi XII. medio vixit, (*g*) nomen ſuum Witkiſaviam accepiſſe, veriſimile non eſt. Res eo dubitatior, quod Wickerus ille fortaſſis non Alſatici, ſed Moguntiacenſis Horburgi Comes eſſe potuerat.

COMITATUS BERCHEIMENSIS.

§. LXXXII.

Comitatus Bercheimenſis.

COmitatus *Beirricheim*, ad Inferiorem Alſatiam referendus, cui nomen dedit vicus Bercheim, hodie oppidum inter S. Hippolytum & Gemariam, occurrit in Charta Ottonis, Epiſcopi Argentinenſis, qui Friderici Hohenſtauffici, Sueviæ Ducis frater, qua ipſe An. MXCV. fundationem S. Fidis in Slettſtatt, à matre Hildegarde inchoatam, abſolvit. (*h*) Legitur ibi *prædium*, quod *in Scheleſtat villa, in Pago Alſatia, & in Comitatu Beirricheim*, hæreditario jure *poſſedimus* &c. Berckhemium antiquiſſimis Alſatiæ vicis annumerandum eſt.

COMITATUS TRONIÆ ET COMITATUS KILICHEIM.

§. LXXXIII.

Comitatus Kilicheim.

PAgus, in quo Marilegienſe & Kilcheimenſe Palatia ſita fuerunt, quatuor nominibus innotuit. Idem enim Pagus, qui nunc Troningorum, nunc Kilcheimenſis nomine inſignitus eſt, ſub duplici hoc quoque Comitatus titulo in Chartis notatur. Agmen ducit Dagobertinum Diploma, quod Comitatum Kilicheim nobis prodit, in quo ſitus fuerit Biſchovesheim Pagus. Ludoviciana Ebersheimenſis Abbatiæ Privilegia *Kirichheim* & *Kircheim* Comitatum non ſemel recenſent. Reliqua ſupra in Pagis enarrata uberius.

COMITATUS DAGISBURGENSIS.

§. LXXXIV.

Comitatus Dagisburgenſis.

VOcatur etiam Tagisburgenſis Comitatus, ſeculo X. jam celebris, qui trium ſequentium ſeculorum decurſu communem cum Comitatu Egisheimenſi Comitem habuit, donec nobilis illa & antiqua proſapia, ex qua Leo IX. genus ducebat, floreret. Comitatus hic, Alberto, gentis ſuæ poſtremo, An. MCCXXV. moriente, unicamque filiam relinquente Gertrudem, fluctuans, ut Eccleſiæ Argentinenſis feudum, in Leiningenſium Comitum familiam transivit; quæ Comitatum iſtum, in remota antiquitate tam illuſtrem, hodieque poſſidet.

COMITATUS IN RIEDA.

§. LXXXV.

Comitatus in Rieda.

COmitatus Riedenſis quidem ſeculo XIII. primum memoratur, procul dubio tamen illa ætate antiquior eſt. Occurrit ille in Charta Transactionis inter Emichonem, Comitem ſilveſtrem, conjugemque ejus Eliſabetham ex una, & Sigebertum Werdenſem,

Oo oo 2 Alſatiæ

(*g*) Chartæ Henrici Archiepiſcopi Moguntienſis An. MCLI. inter alios ſubſcripſit: *Wickerus de Horeburc*. Gudeni *Codex Diplomat. Mogunt.* ſec. XII., pag. 206.

(*h*) *Gallia Chriſt.* Tom. V. *Prob.* pag. 470.

Alſatiæ Landgravium, ex altera parte, ubi legitur: *Die Oerter, die er mit dem von Fleckenſtein gemein hat, in der Graffſchafft inun Riet.* Adde ſimilem omnino Chartam An. MCCLXVI. in qua eadem verba reperies. (*i*) Quid vero Comitatus hic comprehenderit, patet ex literis inveſtituræ Ludovici & Friderici, Comitum Oetingenſium, datis Henrico de Fleckenſtein An. MCCCCXVII. (*l*) ubi *Roppenheim*, *Forſfeld*, *Kenchenheim*, *Giſenheim*, *Roſchwog*, *Seſſenheim*, *Rinsheim*, *Stacigmatt*, *Dalhunda*, *Avenheim* & *Denckelsheim* ſuis exprimuntur nominibus. (*m*)

§. LXXXVI.

Alſatia ſuperior Comitatus.

In Comitatibus Alſatiæ recenſendis ab ipſa inchoavimus Alſatia, quam ſeculo IX. generico Comitatus nomine inſignitam ſuiſſe, Lothariani Diplomatis auctoritate probavi. Nunc agmen Comitatuum quoque claudit idem Alſatiæ Comitatus, ſed pro ſuperiore tantum Alſatia ſumptus. In Charta nimirum An. MCCXCIX. VIII. Dec. data, (*n*) Albertus I. Germaniæ Rex Blancæ, ſorori Philippi Pulchri, Franciæ Regis, quæ Rudolpho, filio Alberti, natu majori, nupſerat, in dotalitium, ſeu donationem propter nuptias, aſſignat *Comitatum Alſatiæ & terram de Friburg, Lauſan. Diœceſeos;* quo Friburgum in Uchtlandia, ad Auſtriacos tum pertinens, ſignificatur. Comitatus Alſatiæ denotat heic Comitatum Provincialem ſuperioris Alſatiæ, Germanico *Landgraviatus* nomine notiorem; quæ dignitas tum in manibus Habsburgenſium fuerat, & paulo ante ad ramum eorum ſeniorem, Habsburgo-Auſtriacum nempe, tranſiverat. Sub Comitatus autem titulo non tam ipſam Comitis Provincialis dignitatem & munus, quam bona Habsburgenſium, in Comitatu Provinciali hoc ſita, Albertus intelligit; quorum omnium ſyllabum, cum cunctis reditibus, eo tempore confectum, in Elucubratione de *Landgraviatu ſuperioris Alſatiæ* ſumus daturi. Inter hos reditus nihil omnino ex Ferretenſi Comitatu comparet; qui aliquot poſt annis demum pervenit ad Auſtrios. Comitatuum Alſaticorum laterculo heic imponimus finem; plures enim Documenta nobis non ſuppetunt.

§. LXXXVII.

Comitatus ignoti.

Koenigshovius noſter, ante trecentos hos annos, in Chartis, quæ tum adhuc ſupererant, & alios forte quoſdam Comitatus, nobis jam ignotos, cognovit; quando ipſe in *Chronico* profitetur *Latino*, (*o*) ſe in literis ac Diplomatibus, quibus donationes Alſaticæ, continentur, in ſola Diœceſi Argentinenſi, ultra X. Comitatus inveniſſe. Poſteris ille gratum præſtitiſſet officium, ſi fabularum loco, quas ex more ſeculi ſui nobis propinavit, Comitatus & Pagos enumeraſſet ex Chartis, ipſasve Chartas ſervaſſet. Sed homini laborioſo quod omiſit condonandum, eo quod multa ſervavit. Quodſi hæc ita ſe habuerunt, tot Comites minores, ſubordinatos majoribus, vidiſſet Alſatia, ut trium quatuorve horarum intervallo alium aliumve Comitem reperire licuerit. Sed vereor, ne Kœnigshovius ſe ipſum deceperit, atque ex ſingulis Comitibus Comitatus formaverit, quum Comites diverſi, diverſis temporibus, eundem Comitatum procurare potuerint. Seculo XI. invaluit uſus, ut Comitatus, poſtquam vel in feudum, vel in allodium tranſiiſſent, à Caſtris, Burgis, ubi Comites ſuas fixerant ſedes, fixa nomina ſumerent. Patet hinc, quam infirmo fundamento nitantur ex Comitibus illi, qui ultra ſeculum XI. ſua ſtemmata protrudunt; quod vetuſtiores Chartæ prænomina tantum exhibent, quodque pauci Comitatus ante hoc tempus hæreditarii fuerunt.

Supereſſe quis crederet, ut heic quoque recenſeremus Comitatus illos, qui ſimplici Comitum nomine inſigniuntur, ut Comitatus Ruthelini, Luitfridi, Hugonis &c. Verum quum illi diverſi non fuerint à præcedentibus, ſed temporaria tantum nomina, à Comite adminiſtrante deſumpta, (quos Comites infra expoſituri ſumus, ubi Alſatia Francico-Politica tractabitur) illos heic ſilentio præterimus atque ad Dynaſtias tranſimus.

DYNA-

(*i*) Utramque Chartam dabunt *Parerga Gottwicenſia* Tom. I. Lib. II. pag. 113. & 116.

(*l*) Literæ hæ inſertæ ſunt libello, cui titulus: *Factum pour le Prince d'Oetinguen*, *Preuves* pag. 4.

(*m*) Hac de re plura eo loco, ubi de Landgraviatu inferioris Alſatiæ, ejusque feudis.

(*n*) Leibnitz. *Cod. Jur. Gent. Diplom.* Partis I. pag. 42.

(*o*) In excerptis apud Schilterum in *Notis ad Kœnigshovium* pag. 1068.



DYNASTIÆ.

§. LXXXVIII.

Dynaſtiæ ſub Rom.

COmitatibus Dynaſtiæ vel Toparchiæ natura & ordine rerum ſuccedunt. Hæ ſunt libera illa Alſatiæ Dominia, quæ à divitibus vel potentibus Viris, quos priſcos Magnates Principesve Alſatiæ dixeris, ceu avita patrimonia, proprio ſive allodiali jure poſſidebantur. Hos CÆSAR (*p*) & TACITUS (*q*) *Nobilitatis* ornaverunt elogio, ubi de Gallis atque Germanis loquuntur. Talis apud Helvetios potens ille Orgetorix, qui longe *Nobiliſſimus* & *Ditiſſimus* appellatur à Cæſare. Tales apud Sequanos noſtros Catamantaledes & filius ejus Caſticus erant. (*r*) Tales denique apud Alemannos, Valentiniani I. Imp. ævo, Bitheridus & Hortarius, quos inter Alemannicæ nationis *Primates* cenſet AMMIANUS. (*s*) Ex ordine hoc Fraomarium ſibi Regem elegerunt, è Moguntiaci regione qui habitaverant, Alemanni. (*t*) Ex eadem Claſſe haud dubie ſeptem illi Alemanniæ Reges fuerant electi, quos apud Argentoratum vicit Julianus. (*u*)

§. LXXXIX.

Dynaſtiæ ſub Franc.

Francico ævo Dynaſtæ hi in Capitularibus Regum, & apud Scriptores paſſim, origine vel genere nobiles, optimates, ſeniores, majores natu, meliores natu, homines bnni generis, majoris perſonæ, ſuperiorumque natalium dicuntur. Tales Agilolfingi (*x*) apud Bavaros, Guelfi (*y*) apud Alemannos noſtros fuerunt. Talis Dominus fundi fuit Warnecharius, qui Vir optimas dicitur, in *Vita S. Præjecti.* (*z*) In ejus enim terris cellulam ſuam in Alſatico Vogeſi ſinu S. Amarinus conſtruxerat. Talis fuit Huno, S. Deodati amicus, quem ex nobilibus ortum perſcribit RICHERIUS. (*a*) Toparchiæ ejus tractum indicat Hunovilla, quæ ab eo nomen accepit, haud procul à Rapoltivillare ſita. Talis Sintlatz ille, S. Pirminii tempore, inter Alemanniæ Primates conſpicuus, teſte OTHLONO, vel potius WARMANNO, in *Vita Pirminii.* (*b*) Toparchæ hi in ſuperiore Alſatia, ſeu Sundgovia vetere, fuerunt. In inferioris, ſive Nordgoviæ, Toparcharum ordinem refereodi ſunt duo Alſatæ illuſtres, ſub Carolino Imperio viventes: Fulradus ille, ſummis Franciæ rebus à Pipino Caroloque admotus, Dionyſianus denique Abbas; atque Hericus, ab eodem Carolo M. Dux Forojulienſium factus, aliique plures, de quibus infra ſigillatim. NITHARDUS, (*c*) ſeculi IX. Scriptor, ex Carolina proſapia ſe ortum qui dicit, apud Saxones hominum tres conſtituit claſſes vel ordines. " Gens Saxooum (inquit) in tribus ordinibus diviſa conſiſtit: ſunt „ inter illos, qui Edhiliogi, ſunt qui Frilingi, ſunt qui Lazzi, (*d*) illorum lingua „ dicuntur. Latina vero lingua hoc ſunt nobiles, ingenuiles atque ſerviles. „ In primo ordine, Edilingorum nempe ſive Adelingorum, uti Franci eos vocabant, conſtituti Dynaſtæ.

Ex his Galliæ Germaniæque Dynaſtis à Francicis Regibus Duces, Comites, cæterique miniſteriales Aulæ electi ſunt; atque progreſſu ſeculorum dignitates has, cum bonis adhærentibus, in beneficium obtinuerunt; allodia ſua veteri jure proprio poſſidentes. (*e*) In Comitibus ergo allodium ab officio & beneficio diſtinguendum eſt

Onoo 3 probe.

(*p*) *Bello Gall.* Lib. I. Cap. III.
(*q*) *German.* Cap. XXV. ubi quatuor hominum claſſes apud Germanos, nobilium, liberorum, libertorum, ſervorumque conſtituit.
(*r*) CÆSAR. *Bello Gall.* Lib. I. Cap. III.
(*s*) Lib. XXIX. Cap. IV.
(*t*) AMMIANUS loco cit.
(*u*) Idem Lib. XVI. Cap. XII.
(*x*) *Lex Bajuvariorum* Tit. II. Cap. XX. num. 3. ubi: " Dux, qui præeſt in populo, ille ſemper „ de genere Agilolfingorum fuit & debet eſſe. „ Num. 4. " Et pro eo, quia Dux eſt, addatur ei „ major honor, quam ceteris parentibus ejus.
(*y*) LAGIBL. SUNDHEIMII *Familia Welphorum* apud LEIBNIZIUM *Scriptor Brunſvic.* Tom. I. pag. 801.
(*z*) Anonymus Sec. VII. in *Vita S. Præjecti* apud MABILLON. *Act. SS. Benedict.* Sec. II. pag. 640. & apud BOUQUETUM *Script. Francicor.* Tom. III. pag. 592.
(*a*) In *Vita S. Deodati*, apud MABILLON. *Act. Sanctor. Bened.* ſeculo III. Part. II. pag. 429.
(*b*) Cap. X. Nobilis Germanus, dein Monachus Augienſis, denique Epiſcopus Conſtantienſis, claruit An. MXXV. Vita Pirminii huic Othlono communiter, ſpeciatim à BROUUERO & SURIO, adſcribitur, ſed EISENGREINIUS in *Catalogo Teſtium*, Warmanno tribuit, cui etiam illam vindicat MABILLONIUS in Obſervat. ad Vitam hanc, quæ extat Sec. III. Part. II. *Actor. SS. Benedict.* pag. 124. Conſentiens CAVE in *Scriptor. Eccleſiaſt.* ſec. XI. ad An. MXXV.
(*c*) Lib. IV. initio; NITHARDUS libertos omittit, quod ſervis fere æquales eſſent. TACITUS vero in *Germania* ſua eos adjunxit.
(*d*) *Laſſi*, *Leti*, *Lati*, *Liti* & *Lidi* priſcis Germanis dicebantur ſervi; *Laſſina* ancilla. *Pactus Legis Salicæ* Tit. XI. Cap. IV. ECCARDUS in *Notis* ad hunc locum.
(*e*) Ita in *Capitulari Francofurt.* CAROLI M. An. DCCXCIV. Ducatus Bavariæ à rebus proprietatis Thaſſilonis diſtinguitur. Sed & *Annales Fuld.* ad An. DCCCLXXXIV. diſtinguunt inter Comitatum Wilhelmi & Engilſchalchi, in termino regni Bajuvariorum, qui poſt mortem eorum Arboni Comiti obvenit; & inter proprietatem atque ſubſtantiam, quæ filus eorum hæreditario jure ceſſit.

Digitized by Google

GEOGRAPH.

probe. Gregorius Turonensis (*f*) ait, Sunnegiſilum Comitem Stabuli, & Gallomannum Referendarium, qui in Childebertum II. in Alſatia conjuraverant, privatos fuiſſe rebus, quas à fiſco meruerant, eisque nihil aliud eſſe relictum, *niſi quod habere proprium videbantur.* Unde elucet, Duces & Comites ejusdem cum Dynaſtis ſanguinis & natalium ſortis fuiſſe, eo nempe tempore, quo Ducatus & Comitatus nondum erant hæreditarii. Elucet porro, nobilium Dynaſtarum dominia illis inhæſiſſe tam propria, ut ne quidem ob læſæ Majeſtatis crimen poſſeſſoribus auferri potuerint. Hæreditarias hujusmodi ditiones, nulli beneficiorum ſeudorumve legi obnoxias, poſſidere, inſignis tum prærogativa habebatur; usque adeo, ut quidam ex Guelphis Ethico indignaretur Henrico filio, quod inſignem terrarum tractum, ſub homagii conditione, Imperatoris beneficio recepiſſet. (*g*) Principes gentis erant, Duces Comitesque licet non eſſent, quod erat beneficium. Hi domum ſuam per miniſteria regebant. Ex his unus Guelpho, quem Hiſtorici magis honoris ergo, quam muneris, Comitem vel Ducem vocant, filiam Juditham Ludovico Pio in matrimonium dedit. Noſtra ſub Periodo Francica *Viri Nobiles* (*h*) appellantur, qui nullo beneficio vel feudo, nulla terra fiſcali, nulla emphyteuſi, nulla præſtaria, Regi erant obſtricti, ſupremo tamen ejus Imperio ſubjecti. Quandoque & *Principes* dicti, (*i*) *Nobiles terræ*, *Barones*, *Liberi Domini*, (*l*) vel ſimpliciter *Domini*; (*Frey-Herren*, *Edle Herren*, *Herren*) eorum filii autem *Domicelli* (*m*) (*Jungherrn*): ditio *Baronia*, *Liberum Dominium* & ſimpliciter *Dominium*, Gallis *Seigneurie*, (*n*) Germanis *Herrſchafft.*

§. XC.

Alſatiæ Dynaſtæ.

In Liberorum Dominorum, Dynaſtarumve Alſatiæ numero cenſere debemus nobilem illam Athici, ſive Etichonis, proſapiam; quæ tot terras, fundos & patrimonia in ſola noſtra Alſatia poſſedit, ut ditiſſima Monaſteria, ab eadem exſtructa & dotata, reperiamus. Ducalis dignitas tum nondum hæreditaria fuerat apud Alemannos; quanquam extra familiam Ducis non facile Dux quæreretur. Eticho ergo, filiusque ejus Adelbertus, hujusque filii Eberhardus & Maſo, cum propinquis & deſcendentibus ex fratre Luitfrido Duce, in Dynaſtarum vel Nobilium Virorum claſſem referendi ſunt, quanquam Comitum titulo veniant; quod ſanguinis Ducalis participes hoc honoris axiomate ornarentur, etiamſi Comitis officium plures eorum forte non gererent. Hi Etichigenæ Ebersheimenſis, San-Odiliani, San-Stephaniani, Honaugienſis, Murbacenſis & Maſonis Monaſteriorum fundatores extiterunt. Bona quæ Cœnobiis his ampliſſima dedere, ad terrarum allodialium eorum Dynaſtiam pertinuerunt; uti ipſe Theodoricus Calenſis, in Diplomate Confirmationis Murbacenſi, eloquitur. Itaque non unius Dynaſtiæ, ſed plurium, in Maſoniana nimirum & Murbachiana, ſuperioris Alſatiæ vallibus, in Egisheimenſi item diſtrictu terrarum, ut & in inferiore Alſatia, omnis Ehnheimenſis & Honaugienſis tractus, Domini aut Dynaſtæ fuerunt.

MASONIS DYNASTIA.

§. XCI.

Maſonis Dynaſtia.

MAſo, Monaſterii cognominis conditor, inter Dynaſtas hos primo loco ponendus eſt. Vocatur enim à Ludovico Pio in Charta pro Maſonis Monaſterio, An. DCCCXXIII. *Maſo Princeps*, *Vir Nobilis*, *frater Ducis Liudfredi & Eberhardi.* Dynaſtia ejus ſita in hodierna Sundgovia, ubi vallis illa, quæ etiamnum *Maſoniana* obtinet nomen, partem ejus conſtituit.

WIDONIS

(*f*) Lib. IX. Cap. XXXVIII.

(*g*) Sunoheimius loco cit.

(*h*) Dynaſtæ dicti *Nobiles.* Comites, Duces & Reges appellati *Illuſtres.*

(*i*) Memorabilis locus Ekkehardi Junioris *de Caſib. Monaſt. S. Galli* Cap. I. ubi: *Suevia Principum aſſenſu ſtatuitur Alemannus Dux primus Burgardus, gentis illius nobiliſſimus.* &c.

(*l*) Hi Domini liberi quartum conſtituerunt clypeum militarem, in *Alemannico jure feudali*; ubi ſeptem illi clypei recenſentur, Cap. I.

(*m*) Dominicellus, Domnicellus, Doncillus, Gallis quandoque *Damoiſeau*, *Domenger.* Sed & Scutiferi, (*Ecuyers*) Equitum filii, ut & filii Regum, ſubinde dicti ſunt Domicelli; qui ſenſus huc non pertinent. Marca *Hiſt. de Bearn.* Lib. VI. Cap. XXIV.

(*n*) Apud Narbonenſes Occitanos terræ, quæ *libera allodia*, *Francs-Aleux*, dicuntur, in nobilia & ignobilia diviſa ſunt: nobilibus juriſdictio, cenſus & feuda activo competunt. Galland *du Franc-Alleu* pag. 14.

WIDONIS DYNASTIA.

§. XCII.

Widonis Dynaſtia.

TOparchia hæc nobis proditur in Teſtamento ampliore, quod Hariſtalii An. DCCLXXVII. condidit (*o*) & propria manu ſignavit S. Fulradus, Dionyſianus Abbas, patria Alſatus, multarumque ditionum in Alſatia poſſeſſor. Ait ibi: " Similiter „ villas & loca, quæ *Wido* mihi tradidit, Guirmari, Audaldo-Villare, (*p*) Radberto- „ Villare, Grutſinhaim, Anſulſeshaim, Scaferishaim, & reliquas res per loca diverſa, „ tam in Aliſacius, quam quæ in Mordinnavia, quæ mihi Wido tradidit &c. „ Potens ergo multorum in Alſatia locorum Dominus fuit Wido, qui tot villas & loca Fulrado ad pias cauſas conceſſit. Dynaſtiæ ejus ſitum ex locis, in Charta indicatis, quæ in tractu Gemariæ ex parte viſuntur, facile divinamus. Riculfi & Fulradi Dynaſtiæ fuit contigua.

RICULFI DYNASTIA.

§. XCIII.

Fulradi Abbatis Dynaſtia.

PRæter Etichigenas alii quoque illuſtres Alſatiæ Dynaſtæ in documentis comparent, qui ſub Pipini & Caroli M. imperio maximis rebus tractandis adhibiti ſunt; infulatus alter, alter ſagatus. Fulradum, S. Diooyſii Abbatem, atque Hericum, Fori Julii Ducem, intelligo, origine Alſatas. Fulradi pater fuit Riculfus, & ipſe Alſatus, frater Gausbertus. Nobilem hanc Alſatiæ familiam terris abundaſſe, imo ampliſſimas ditiones in Alſatia poſſediſſe, inde licet colligere, quod duo fratres ex propriis bonis, à patre acceptis, duo Monaſteria, Lebrahenſe nimirum & Fulradu-Vilarienſe, condiderunt, liberaliterque dotarunt. (*q*) In priore reliquias S. Alexandri, Roma allatas, Fulradus depoſuit; unde etiamnum Prioratus S. Alexandri vocatur. In poſteriore S. Hippolyti reliquias (*r*) collocavit; unde Monaſterio, & deinceps oppido, nomen. Monaſteriorum horum exordia ipſe in Teſtamento ſuo nos docet Fulradus, (*s*) quod An. DCCLXXVII. ſeptennio ante mortem, Hariſtalii, San-Dionyſianus Abbas condidit, quodque ex Abbatiæ illius Tabulario Mabillonius (*t*) in lucem emiſit. Fulradus noſter, Pipini Regis nomine, Exarchatum Ravennateoſem Stephano III. Papæ tradidit. (*u*) Idem à Pipino An. DCCXLIX. miſſus eſt ad Zachariam Pootificem, ut conſilium ejus, pro Pipino Rege creando, Roma afferret. Riculfi ergo & Fulradi Dynaſtia illos complexa eſt tractus, qui ex adverſo Seleſtadii, in ipſo Vogeſi aditu valleque Lebrahenſi vicina ſunt ſiti. Fulradi, An. DCCLXXXIV. defuncti, corpus in Monaſterium Lebraha S. Alexandri tranſlatum fuiſſe, fatetur Dubletus. (*w*)

DYNASTIA HERICI.

§. XCIV.

Herici Dynaſtia.

HErici Forojulienſium Ducis, ex Alſatia orti, Dynaſtiam non tam diſtincte definiverim. Notitiam patriæ ejus Paulino, celeberrimo illi Aquilegienſium Patriarchæ, quam dignitatem An. DCCLXXVI. Carolus M. ei contulit, debemus. Is enim in Oda, quam Herico, cui amiciſſimus erat, defuncto dicavit, ita ſcribit: (*x*)

Nec

(*o*) Extat apud Mabillonium, qui ex autographo San-Dionyſiano edidit in *Actis Sanctor. Bened.* Tom. IV. pag. 309. Edit. Venet.

(*p*) Locus, ubi S. Hippolytus requieſcit, hodie *S. Hipponte.*

(*q*) Diploma Caroli M. anno VI. regni datum, ait, Cellam a Fulrado conditam, in ſua ipſius proprietate. Unde errat *Chronicon Senon.* Richerii Lib. II. Cap. IX. ubi Carolum M. Cellæ, *in Valle Lebrath* (ita ſcribit) ædificatæ, auctorem agnoſcit.

(*r*) S. Hippolyti corpus, ante multos jam annos, in Monaſterium San-Dionyſianum tranſlatum eſt.

(*s*) Diſtinguendus eſt noſter Fulradus ab alio, qui Abbas fuit S. Quintini, & in Caroli M. Aula quoque comparuit, ſed paulo junior illo. Hujus pater erat Hieronymus, filius naturalis Caroli Martelli. Felibien *Hiſt. de S. Denys.* pag. 42.

(*t*) Teſtamenti, quod Fulradus fecit, duo exemplaria, Auctoris propria manu ſignata, prolixius unum, alterum brevius, in Archivo Dionyſiano ipſe vidit Mabillonius. In margine inferiore autographi feſtuca inſerta eſt, qua uſitata apud veteres traditio per feſtucam deſignabatur. Conf. *Acta Sanctor. Bened.* Sec. III. Part. II. pag. 341. Felibien *Hiſt. de S. Denys* Lib. II. pag. 42. ad An. 750. Probat. num. 56.

(*u*) Anastasius Bibliothecarius pag. 212.

(*w*) In *Hiſtor. Dionyſ.*

(*x*) Lebeuf *Diſſertations ſur l'Hiſtoire de Paris*, Tom. I. pag. 426. ex Cod. S. Martial. Lemov. verſus hos protulit primus. Muſicæ notæ, quæ in Cod. Mſ. adjectæ ſunt verſibus, oſtendunt, odam hanc decantatam fuiſſe.

Nec tu ceſſare,
De cujus confinio
Eſt oriundus,
Urbs dives Argentea,
Lugere multo
Gravique cum gemitu.
Civem famoſum
Perdidiſti, nobili
Germine natum,
Claroque de ſanguine.

Barbara lingua
Stratiburgus diceris,
Olim quod nomen
Amiſiſti celebre.
Hoc ego tibi
Reddidi mellifonum,
Amici dulcis
Ob amorem, qui fuit
Lacte nutritus
Juxta flumen Quirnea.

Ex nobili ergo Alſatiæ Dynaſtarum proſapia natus fuit Hericus, in confinio Argentorati, cujus civem eum dicit Paulinus. Dicit & lacte nutritum juxta flumen *Quarnea*. Sive Ellus, ſive Bruſca, ſive Argitia, ſive Sorna, id nominis tum habuerit, flumen debuit eſſe Argentorato vicinum, & ad illud ſita fuit ditio vel Dominium avitum, quod Herici pater poſſedit. Alius hujus nominis Comes Ericus vixit tempore Athici ſive Etichonis Ducis, uti ex Boboleno (*y*) patet, quique adeo ſeculo antiquior eſt noſtro Herico; qui circa An. DCCXCIX. poſt multa prœlia & inſignes victorias, ut Eginhardus (*z*) loquitur, periit, in Liburnia, juxta Tarſaticam, maritimam civitatem, inſidiis oppidanorum interceptus.

DYNASTIA CHRODHARDI.

§. XCV.

Chrodhardi Dynaſtia.

CHrodhardus, Ruthardus, Rutharius, qui Comes Fiſci fuit, multa dominia quoque propria per Alſatiam, Mortinaviam, Briſigaudiam poſſidere debuit, potens Dynaſta. In Fulradi Alſatæ Teſtamento, quod ipſe moriturus condidit, legitur de hoc Chrodhardo: “ Similiter Sechingaſt, Faginulvincas cum integritate. Similiter Fredishaim, ſimi- „ liter Hundinishaim & Mauchinhaim, & Beniſthaim, quæ *Chrodhardus* mihi tradidit, cum „ appendiciis earum. „ Chrodhardus hic idem ille Chrodardus Comes eſt, cujus exemplar venditionis in Archivo Dionyſiano habetur, inſcriptum *Fratri Folrado Abbati emtori.* Charta confecta in Alſatia *Mareleja*, *XVI. Kal. Aug. anno XIII. regni domni glorioſiſſimo Pippino Regis*, hoc eſt, An. DCCLXV. (*a*) His in Literis Chrodardus Comes quædam prædia Fulrado vendit, *ſita in Ducato Alamannorum in Pago Briſgavienſi.* Inſtrumentum nobis indicat Mabillonius, ſed non producit, eo quod lacerum erat. De eodem Hrodhardo Comite Charta Carolina An. DCCXC. (*b*) loquitur hic verbis: “ Hrodhardus Comis quondam ab Hunnido, ſeu ab aliis hominibus, „ per cartas vinditionis exinde res aliquas viſus fuit comparaſſe, quæ ponuntur in „ pago Briſigavia. „ Perſuadeor fere, ut credam, Chrodardum hunc eſſe illum ipſum Ruthardum, qui cum conjuge ſua Hyrmenſinda An. DCCLVIII. Schwarzacenſi Monaſterio multa bona in Alſatia donavit. (*c*) Idem quoque Gengenbacenſis Monaſterii, in Ortenavia ſiti, conditor eſſe potuit. Rutharius & Wiſegardis conjux, incertum quo anno, ad dominium Argentinenſis Eccleſiæ dederunt hæreditatem ſuam in *Marcha Embeim*, ubi Librarii errore ſcriptum eſt *Stenbeim.* (*d*) Is ipſe forte Chrodhardus ſubſcripſit Teſtamento Eddonis An. DCCLXIII. Chrodhardus, Ruthardus, Rutharius, promiſcue illo ævo ſcribebatur, uti Chlodovechus, Chlotharius & Ludovicus, Lotharius. Rudhardum Comitem à ſequioribus Ducem appellari non mirum. Eberhardus Comes, Murbaci fundator, non ſemel à junioribus appellatus eſt Dux.

DYNASTIA

(*y*) *Vita S. Germani* apud Mabillonium Tom. II. *Actor. Bened.* pag. 492.

(*z*) *Vita Caroli M.* Cap. XIII.

(*a*) Mabillon *Rei Diplom.* Lib. VI. num. 45. Excerpta ex eo habet. Adde *Acta Sanctor. Benedict.* Tom. IV. pag. 310. & Eckhartum *Comment. Rer. Francicar.* Tom. I. pag. 742

(*b*) Mabillon *de Re Diplomat.* Lib. VI. num. 56.

(*c*) An. VI. Regni Domini Pippini, glorioſiſſimi Regis. Vide *Acta Schwarzacenſia contra Badenſes* pag. 24.

(*d*) Herrgott *Origg. Habsburg.* Tom. II. pag. 70. num. 122. Charta quidem ſeculi X. eſt, ſed Rutharianæ Donationis antiquæ facit mentionem.

DYNASTIA ALBERTI ET TANVILLER.

§. XCVI.

Albertina vallis.

ALbertina Dynaſtia illis, quas recenſuimus, inſerenda quoque ſuiſſet, ſi Francisci Guillimanni placitis adhæreremus. Viri tamen hujus celebritas facit, ut conjecturam ejus de Ottoberto, quem ſeculo VII. Vilerianæ vallis, è regione Seleſtadii, poſſeſſorem & Habsburgicæ gentis ſatorem facit, verbum ſubjungam. Guillimannum enim ſi audias, (*e*) Ottobertus, Theodibaldi filius, (*f*) Altenburgi Comes, primusque Elſatiæ atque Briſiacæ Landgravius, huic Alſatiæ valli Ottobertinæ vallis (*Ottbrechtstal*) nomen conciliavit, quum in Francia Clodoveus II. filiique regnarent. Guillimanniani aſſerti ſi auctorem requiras, Menlium ille nobis producit, qui Stabii, Sundhemii aliorumque Hiſtoricorum, Maximiliani I. ævo viventium, ſynchronus fuit. Viri hi, Hiſtoricarum rerum ſtudioſi, nec monumentis, nec Critico judicio ſatis inſtructi, non ſemel nubem pro Junone amplexi ſunt. Facile ergo Guillimanno conceſſurus ſum, Vilerianam vallem Alberti vel Otberti cujusdam vetus extitiſſe Dominium, & ab eo nomen *Alberti Vallis* accepiſſe; quoniam Richerius Senoniensis, & Henrici Antiſtitis Argent. Charta anni MCCLXIX. inedita, aliaque Documenta, eam ita appellant. Ottobertum hunc autem ſeculo VII. vixiſſe, & Habsburgicæ gentis extitiſſe ſatorem, antiqua Monumenta minime adſtruunt.

§. XCVII.

Tanviller Dynaſtia.

Albertina hæc vallis ſec. XIII. demum Habsburgicæ gentis patrimonium evaſit, uti ex Alberto Argentinensi (*g*) addiſcimus. Albertus, Comes de Hohenberg, Annæ ſorori ſuæ eam dedit in dotem, Rudolpho quum nuberet, qui ex Habsburgicis primus Germaniæ Rex fuit. Sed & in ipſa Vilerenſi valle Dominium eſt, quod *Dominium Tanviller in valle Obrechtstaal* Henrici IV. Imp. Diploma perhibet. (*h*) Verum Charta hæc ſpuria Dominii Tanvilerani antiquitatem ne ad Henrici IV. tempora quidem, multo minus ad Carolingica, de quibus agimus, poteſt attollere. Frequentior Alſaticarum Dynaſtiarum memoria ſub Germanica occurret Periodo; quæ nobis Horburgenſes, Rappoltſteinenſes, Liechtenbergenſes, Ochſenſteinenſes, Huneburgenſes, Fleckenſteinenſes Dynaſtas, ſive Dominos Liberos, cum ſtemmatibus omnes ſuis longa ſatis ſerie, aperit. Liberi hi Domini Comitum titulo ornari plerumque noluerunt, quod ex rerum monumentis didicerunt, Comites Magiſtratus olim tantum fuiſſe; Nobiles Dominos autem terras ſuas & latifundia libero ſemper & allodiali poſſediſſe titulo. Colligimus hinc, celebrem illum ordinis hodierni Equeſtris jurium defenſorem Jo. Steph. Burgermeisterum, (*i*) Nobiles noſtræ ætatis ad Nobilium virorum Dynaſtarum Carolingici ævi claſſem perperam retuliſſe, aliosque Scriptores, (*l*) qui eadem cum ipſo jura defenderant, re penitius inſpecta, eundem ordinem Equeſtrem ſecundæ hominum claſſi, quam *Ingenuilem* vocat Nithardus, recte adſignaſſe.

MISSATICA.

§. XCVIII.

Miſſatica.

DYnaſtiis ſuccedunt Miſſatica; Regnum enim Francorum, habita ratione ad Miſſos Dominicos, iterum in tractus diverſos, qui *Miſſatici* & *Miſſatica* (*m*) dicebantur, erat diſtinctum. Ex honoratioribus Aulæ, tum Clericis, tum Laicis, Reges extra ordinem ſelegerunt, quos è Palatio in Civitates & Provincias cum ampliſſima poteſtate mitterent,

Pppp

(*e*) *Habsburg.* Lib. III. Cap. I. Coccii *Dagobert.* pag. 68.

(*f*) Ottobertum hunc Sigeberti exulis, ex Auſtraſiæ Regibus oriundi, filium faciunt Stabius, Lazius, Heuterus, Einzingerus, de Rhoo aliique, quibus origo hæc Habsburgica placet. Sigebertum etiam caſtrum Avendum in monte Romatico incepiſſe, Ottobertum perfeciſſe, volunt. Avendiburgi nominis origines illis hinc derivandæ videntur, ita quidem, ut appellatio Habendo ex Vogeſo deinceps in Argoviam transierit. Otpertus hic cum Ramperto & Luitfrido, ut Landgravii Alſatiæ, memorantur in Trutbertino monumento, quod Lazius, Guillimannus, ſed omnium optime dedit Bucelinus, de quo ſub loco.

(*g*) *Chron.* pag. 106.

(*h*) Carolus Hugo, ſub nomine Baleicourt, *ſur l'origine de la maiſon de Lorraine*, Probationum Charta I.

(*i*) *Grafen und Ritterſaal*, Part. I. Sect. VIII. & XVI. num. 4.

(*l*) Lerchius, Gemmingius, Knipschildius, Ertelius. Adi Koppium *de Differentia Comitum* &c. Sect. I. §. V.

(*m*) Miſſaticum hoc ſenſu regionem aut provinciam, interdum tamen & legationem, vel munus ipſum, ſignificat.

TOPOGRAPH.

mitterent, ut in Comitum & Judicum pravitates, in Epiſcopos & Abbates, inquirerent, & auctoritate regia in pleno mallo placitove decernerent. Miſſorum horum reſpectu Francicum regnum omne in *Miſſatica* majora minorave, pro arbitrio Principis, fuit diviſum, quæ ſub Carolingis magis, quam ſub Meroveadis, innotuerunt. Carolus M. in regno ſuo decem, (*n*) Carolus Calvus vero duodecim, Miſſatica conſtituit. Unum ergo Miſſaticum plures Pagos & Comitatus continuerat. Miſſaticorum horum rationarium periit: exigua veſtigia extant, unde conjicere liceat, ad quod Miſſaticum pertinuerit Alſatia.

CAPUT VI.

PAGI ET COMITATUS TRANS VOGESUM, CONTIGUI ALSATIÆ.

CALMONTENSIS PAGUS.

§. XCIX.

Calmontenſis Pagus.

NExus perpetuus, inter Pagos Alſaticos atque Trans-Vogeſianos ex una, & Trans-Rhenanos, Argentinenſis præſertim Diœceſis, ex altera, requirit, ut de his quoque breviter inſtruamus Lectorem, quod ducibus Monumentis Alſaticis ſumus facturi; ab aliis (*o*) jam annotata præterituri ſilentio.

Vogeſiano, ſive occidentali Sundgoviæ atque Alſatiæ ſuperioris, limiti proximus eſt *Pagus Calmontis*, cujus nomen Lotharingicæ Diviſionis Tabula prodit, Suentiſium (*le Santois*) inter & Sarachouuam ſuperiorem reponens hunc Pagum. Prima omnium mentio ejus apud Anonymum *S. Arnulfi*, Metenſis Epiſcopi, *Vitæ* Scriptorem; qui Pagum illum *Calmontiſſe*, *Calmontiſe*, *Calvomontenſe*, (Codices enim variant) appellat. (*p*) Scriptor librum ſuum Chlodulpho, Arnulphi filio, dicavit. (*q*) Sed & Fulradus noſter, ex Alſatia oriundus, Dionyſiani Fani prope Lutetiam Abbas, in Teſtamento ſuo An. DCCLXXVII. Pagum *Calmontenſe*, in quo bona quædam ejus ſita erant, commemorat. Præceptum Childerici II. Regis pro Senonienſi Monaſterio (*r*) An. DCLXI. Pagum hunc appellat *Calvomontiſi in Voſagi*, additque Gundelbertum Epiſcopum & Abbatem in eo ſuper fluviolum Rabadonem, ſuper Grandem Rivum & Dolonoſum, (*s*) Monaſterium condidiſſe. *Annales Bertiniani* ad An. DCCCXXXIX. Pagum hunc *Comitatum Calmontenſium* dicunt, eumque inter Comitatum Suentiſiorum & Ducatum Moſellicorum collocant. In *Vita* denique *Adalberonis* poſterioris, Metenſium Epiſcopi, circa An. M. ſcripta, nuncupatur Comitatus Calvomontenſis, hodie *le Chaumontois*, (*t*) Diœceſis Tullenſis vaſtiſſimus Pagus, inter Moſellam ſe extendens & Vogeſum, ad quem Nancejum, Roſerium, Lunaris Villa, Danubrium, Amantia, Caſtrum Spinalenſe, Villaportus, hodie *S. Nicolas*, Vendopera, Caſtrum Beraldi Comitis, monaſterium Deodati, ſive Junctura, Caſtrum Habendum Romarici montis, imo & Pagus minor Albegoviæ, fortean pertinuerunt. (*u*)

ALBECHOUUE PAGUS.

§. C.

Albechouue.

ALbegoviæ Pagus Lotharingicus eſt, atque in Marsnanenſi Diviſione Lotharingici Regni An. DCCCLXX. occurrit. VALESIUS, (*x*) qui Pagum *Salme*, in eadem Diviſione memoratum, ad Arduennæ ſylvæ Salmenſem Comitatum retulit, (alibi licet ſibi contrarius) Albegoviæ Pagum quoque, ob flumen *Alba*, ibidem decurrens, eidem Arduennæ

(*n*) *Capitular.* Lib. II. Cap. XXV.

(*o*) Præſertim à *Prodromo Guttmucenſi* Libro IV. ubi argumentum de Pagis pertractat.

(*p*) VALESII *Notitia Galliar.* pag. 118.

(*q*) S. Arnulphus circa An. DCXLI. obiit.

(*r*) MABILLON. *Annal. Benedict.* Tom I. pag. 692. BOUQUET. *Script. Rer. Francic.* Tom. IV. pag. 641.

(*s*) Duo hi poſteriores rivuli in Rabadonem fluunt.

(*t*) Cognomina loca in Baſſiniaco, Velocaſſibus alibique.

(*u*) BENEDICT. PICART *Hiſt. de Toul* Cap. XII. pag. 29. 48 & 52.

(*x*) *Notitia Galliarum* pag. 9.

Arduennæ ſilvæ vindicat. *Prodromus Gottuuicenſis* vero Pagum hunc inter Saliam, (*la Seille*) Nitam & Saram, collocat, circa Saralbam; qui potius in Albi Montis (*Blamont*) vicinia ſitus fuiſſe videtur.

Perfluit Comitatum hunc rivus, qui in Charta An. MCCCXXXVI. Altæ Sylvæ Monaſterii (*Haute Seille*) quod ipſe alluit, Veoſoſa (hodie *Veſouze*) dicitur. In Diplomate Ludovici Pii, pro Monaſterio Bodonis, An. DCCCXVI. (*y*) Abbatia iſta, quam idem rivus alluit, ſita ſcribitur in *Pago Albinſe, ſuper fluvium Vizuzia.* Fluviolus hic nomen ſuum ſi duceret à voce Germanica *Weiſs*, *Wiſs*, (*album*) Pagi nomen *Weiſsgaw* in Latinam Albegoviæ vocem converſum fuiſſe exiſtimares, uti *Weiſſenburgum* ſequiores *Album Caſtrum* appellant. Undecunque derivanda ſit ejus origo, Valesius & *Prodromus Gottuuicenſis* Albechoviam nimis ſeptentrionalem fecerunt. Nam Bodonis Monaſterium longe à Saara, longe à Salia fluvio, diſtat.

PAGUS SUENTISIORUM.

§. CI.

Suentiſiorum Pagus.

PAgum Suentiſiorum *Bertiniani Annales* (*z*) inter Calmontenſem & Portiſiorum Comitatus collocant. In Procaſpidana Tabula vero inter *Calmontem* & *Albechovam* medius ponitur. Unde inferimus, à Valesio (*a*) & à *Prodromo Gottuuicenſi* (*b*) Pagum hunc ad Sundgoviam noſtram male referri. Satius erit, eundem accenſere Lotharingiæ tractui, qui *le Sentois* vocatur, quique Calmontenſi tractui, & Albechouuæ, inter quas Tabula memorata *Suentiſium* collocat, vicinus eſt. Ita quoque apud Miræum, (*c*) quem Valeſius, ſine cauſa convellit. Conſentiens eſt auctor *Hiſtoria Tullenſis*, (*d*) in eo tamen deceptus, quod Sugintenſes Fredegarii, cum Suentiſio Pago Tabulæ Lotharienſis, confundit. Martinierius (*e*) veſtigia ejus ſecutus eſt. Pagus hic *Segontenſis Pagus* & *Comitatus Segontenſis* appellatur in Chartis; ut idem *Tullenſis Hiſtoriæ* Auctor (*f*) teſtatur. In libro *de Miraculis S. Manſueti* (*g*) *Comes Sanctenſis* occurrit.

§. CII.

Selme Pagus.

Suentiſii & Albechouuæ Pagos, quos modo recenſui, in Tabula Procaſpidana nomen *Selme* præcedit; quod Pagum quoque deſignare neceſſe eſt, quoniam alios inter Pagos ſigillatim recenſetur. Præterviſſem eum ſilentio, niſi à Viris Eruditis ad Salmenſem vallis noſtræ Bruſcanæ Comitatum trahi viderem, quæ à Muzecha, Alſatiæ oppidulo, ſuum ducit initium. Tabulæ memoratæ interpretes, Miræus, (*h*) Conringius, (*i*) Schilterus, (*l*) unanimi ſane conſenſu id faciunt.

Verum enimvero prima Comitum Salmenſium ſedes fuit in ſilva Arduenna. Inde ſeculo XIII. Henricus quidam Comes Salmis in Bruſcæ noſtræ vallem devenit, atque in ea parte vallis, quæ hodie Lotharingica eſt, in Senonienſis Abbatiæ fundo, arcem Salmenſem condidit; unde deinceps Comitatui in Voſagicis Lotharingiæ oris, (*m*) Alſatiæ contiguis, exortum eſt nomen. Salmenſes Arduennæ Comites bona quædam in Voſagicis partibus habuiſſe, non equidem negaverim; at in Periodo, quam tractamus, Francica in formulam Comitatus terras illas nondum excreviſſe, Richerius teſtis eſt, qui caſtrum Salmis in valle Bruſcæ ab Henrico Comite, quem viderat, conditum fuiſſe, diſertis verbis exponit. (*n*) Hadrianus Valesius in tractando hoc argumento ſibi aperte contrariatur. Poſtquam enim caſtelli & vici *Salme*, verſus *Urtam* flumen poſitorum, nominibus inductus, Selmenſem pagum, in Diviſione Marsnenſi memoratum, Arduennæ ſilvæ uno aſſignaſſet in loco, (*o*) in alio (*p*) ad Vogeſum,

&

(*y*) Ex Andlavienſi Tabulario. *Bodoumontier*.
(*z*) An. DCCCXXXIX.
(*a*) *Notit. Galliar.* pag. 538. ubi de Sugintenſi pago, ſive Sundgovia, intelligendum eſſe putat Tabulæ Lotharianæ *Suentiſium*, qui diverſiſſimi tamen ſunt pagi.
(*b*) Lib. IV. pag. 790.
(*c*) *Cod. Piar. Donat.* Tom. I. Opp. pag. 30.
(*d*) Benoit Picart *Hiſtoire de Toul* Cap. XIII. pag. 60.
(*e*) *Dictionnaire Geographique* in voce: *Sentois.*
(*f*) Cap. XIII. pag. 60. ſqq.
(*g*) Ibidem loco cit. Vandani mons partem hujus pagi conſtituit, reliqua enarrantur ibidem.
(*h*) *Cod. Donat. Piar.* Cap. XXI.
(*i*) *De finibus Imp.* Lib. I. Cap. VII. pag. 32.
(*l*) *Inſtitut. Juriſprud.* Tom. II. num. 8. pag. 65.
(*m*) Pars illa Comitatus Salmenſis in Vogeſo, quæ adſpicit ortum, Argentinenſis Diœceſis eſt, & alluitur Bruſca; unde valli Bruſcanæ nomen, in qua caſtri Salmenſis rudera extant. Pars occidua Comitatus, ad Tullenſem Diœceſin pertinens, à Sara alluitur.
(*n*) Richerius in *Chron.* Lib. IV. Cap. XXVI. Ben. Picart *Hiſt. de la Ville & du Dioceſe de Toul* pag. 46. ubi Salmenſe caſtrum An. MCCXXV. conditum ſcribitur. Richerius ita: "Nomen caſtri novi „ deſumtum à quodam caſtro, quod in territorio „ Ardennæ ſitum, unde idem Comes & ſui præde- „ ceſſores orti.„ Exſtructio caſtri facta ſub Senonienſi Abbate Henrico.
(*o*) *Notitia Galliar.* pag. 9. in voce: *Albechouua.*
(*p*) Ibidem pag. 512. in voce: *Selme.*

GEOGRAPH.

& ſpeciatim ad fontem Saravi, eundem conjicit; noſtræque adeo Alſatiæ facit contiguum. Idem Valeſius, à Richeriani Chronici Codice Mſ. non ſatis fido inductus, Henricum Comitem, non *Dominum de Salmis*, uti Codex autographus habet, ſed *de Salmis* nuncupat. Salmenſes in Voſago origines, à Richerio relatæ, expungerentur, ſi autographum (q) Valeſianam lectionem admitteret.

Selme Tabulæ Procaſpidanæ ergo ad Salmenſem Comitatum noſtrum nequit referri; (r) imo nec ad Arduennenſem, quoniam Tabula Diviſionis Pagum *Selme ad Saram* flumen conſtituit. Vicum, Vinſtingæ vicinum, haud procul à *Sarick*, ad flumen Saram, reperio, cui hodieque nomen eſt *Selming*; quique Pago *Selme*, (s) nomen ſuum communicare potuit.

SARACHOUUA.

§. CIII.

Sarachouua. SArgoviæ Pagus illuſtris, à Saravo, vel Sara flumine, nomen trahens, in duas partes diviſus eſt. Lothariani Regni Partitio eam in *ſuperiorem* & *ſubteriorem*, ſive inferiorem, diſtinguit. (t) Illa, fontibus Saaræ, in Alſatiæ Lotharingiæque confinio Voſagiano quærendis, propior, Alſatiæ noſtræ limitem tangit; ubi nempe Dagisburgenſis Comitatus, prope Elbersvileram, (poſtremum Comitatus hujus vicum verſus occaſum) quam Sara alluit, terminatur. Superior hæc Sargovia ad Bleſam (*Bleiſs*) amnem usque excurriſſe videtur, qui ad *Gemundam Saravi*, vel *Saræ*, ſe flumini huic miſcet. (u) Inferiora Saræ verſus Treviros ſe extendunt; apud *Conſarbruck* enim Sara in Moſellam ſe exonerat. Bleſa tamen peculiarem Pagum conſtituit, qui forte pars fuerat Sarachouuæ. Eadem enim Diviſionis Lotharingicæ Charta *Bleſitchouuam* inter Sarachouuam ſubteriorem & Selme recenſet. Fulradus Alſatienſis noſter in Teſtamento ſuo, An. DCCLXXVII. apud Hariſtalium facto, Pagum hunc vocat *Bleſinſe*. (x)

CAPUT VII.

PAGI ET COMITATUS TRANS RHENUM, ALSATIÆ VICINI.

I. DUCATUS ALEMANNIÆ.

§. CIV.

Alemannici Ducatus Pagi. PAgi & Comitatus trans Rhenum, Alſatiæ vicini, partim ad Alemanniæ, partim ad Franciæ novæ pertinuerunt Ducatus. Ad Alemanniam pertinuerunt ſequentes.

CHLEGGOVIA.

Chleggovia. PAgus *Chleggouue* ſeu *Chlettgouue* trans Rhenum, è regione oppidi *Kayſerſtul*, quærendus eſt. Fluviolus Wutach, ſupra Waldshutum Rheno ſe jungens, inter Chleggoviam & Alpegoviam ſuperiorem limes fuiſſe videtur. *Loucheringa* enim villa, nunc *Lauchingen*, in Charta An. DCCCXLIV. (y) ad Chleggoviam, *Ekkingen* (z) vero ad *Pagum Alpegouue* pertinere ſcribitur, uti mox videbimus; inter duos autem hos vicos flumen *Wutach* decurrit.

ALPE-

(q) Vide *Senonenſis Chronici* locum alleg. Edidit DACHERIUS *Spicilegii* Tom. II.

(r) KOELERUS in Notis ad *Imhoffii Notitiam Procerum Imperii* Lib. IX. Cap. XIII. pag. 160. Tomi II.

(s) Selmenſem hunc *Pagum* voco; potuit eſſe Pagus, potuit eſſe Comitatus, vel utrumque ſimul. In Tabulis enim illis Diviſionis Regni Lotharingici, hic ſervatus eſt ordo, ut prima Claſſis Epiſcopatus, ſecunda Abbatias, tertia Comitatus & Pagos contineret.

(t) PAULLINUS de *Pagis Germaniæ* pag. 196.

(u) Loco à conjunctione Bleſæ cum Sara nomen *Gemund*, oſtia, uti *Ruremunde*, *Dendermonde*. Sargemond ergo ſignificat *oſtia* ſive confluentes *Saræ* & Bleſæ.

(x) Apud FELIBIEN *Hiſt. de S. Denys*, inter probat. num. 56.

(y) HERRGOTT. Tom. II. num. 49.

(z) Eggingen prope caſtrum Guttenburg, Fürſtenbergicæ ditionis.

ALPEGOVIA.

§. CV.

Alpegovia.

A*Lpegovia* Alemannica & Albegovia Francica cognomines quidem; at diverſi ſunt Pagi. Illa Cleggoviæ, hæc Ortenaviæ contigua, ex adverſo Spirigoviæ ſita fuit. In illa Monaſterium S. Blaſii, olim *Alba Cella* dictum, reperimus. Alluit hoc fluviolus *Alb*; unde Pago & Cœnobio nomen; à flumine ejusdem nominis, quod Etlingiacenſis oppidi muros lavat, diverſus. Pago huic attributus erat vicus *Alaſſin*, nunc *Alpſen*; (*a*) item *Waltchilchun*, hodie *Waldkirch*; (*b*) Ekkingon villa, quam vidimus, occiduæ Wutachæ rivuli ripæ imminens; (*c*) qui Alpegoviam à Chleggovia, uti dixi, ſeparabat. De occidentali Alpegoviæ limite non conſtat. Quum vero in Charta An. DCCCXCVIII. *Rætilein*, hodie *Rætelen*, in Brisgouue adhuc ſitum dicatur, limes, qui Alpegoviam à Brisgovia diremit, inter Monaſterium S. Blaſii vicumque *Rætelen*, ubi & caſtrum, totius Dynaſtiæ caput, quærendus erit. Ceterum Alpegovia hæc ab aliis duabus Alpegoviis vel Albegoviis ejusdem Alemanniæ, ſed remotioribus, diſtinguenda; quarum altera ad Brenzam fluvium, prope Monaſterium *Anhuſen*, altera quæ hodie *Algouu* dicitur, quas *Prodromus Gottwicenſis* exponit. Sed & alius cognominis Pagus Trans-Rhenanus, Alſatiæ contiguus, at in Franciæ Ducatu ſitus, *Albegovia* qui dicitur, in fine Capitis verbo tangetur.

BRISIGOUUE.

§. CVI.

Briſigouue.

PAgus hic, qui Germanicam Rheni ripam rodit, nomen ſuum ab oppido principe tenet Briſaco, quod in Gallica olim ripa ſedem habuerat, antequam Rhenus, poſt ſeculum X. illud omnino vindicaſſet Germaniæ. Iſtis temporibus ergo particula Briſigaviæ, quæ Montem Briſiacum cis Rhenum tangebat, ad Alſatiam pertinuit; atque adeo tempus fuit, quo Briſigovia in Cis- & Trans-Rhenanam diviſa. Unde vel duobus verbis memorandus erat hic Pagus, quum de Alſaticis ageremus. Briſigoviam Wieſa, Bleicha, Rhenus & ſilva Martiana, terminant. Friderici I. Imp. ævo *Bleibaha* rivus Brisgaugenſem Pagum jam à Mortenaugia diremit, (*d*) adeoque borealem Briſichgoviæ conſtituit limitem. Bleicha, Eltzæ flumini haud procul à Rheno mixta, junctas dein aquas in Rhenum effundit. Hodie tamen idem flumen limitem hunc non omnino conſtituit, quod Etinheimenſis Marca quoque accenſetur Brisgoviæ, trans Bleicham licet ſita ſit, atque adeo Ortenaviæ pars eſſe deberet. Wieſa flumen, ex ſilvæ Martianæ convallibus, per Rœtelanam vallem, deſcendens, & paulo infra Baſiliam minorem aquas ſuas inferens Rheno, auſtralem Briſigoviæ conficit limitem. Martianam denique ſilvam & Rhenum ab ortu & occaſu terminaſſe Brisgoviam ignotum eſt nemini. Rhenus ejus limes ab eo demum tempore factus eſt, quo Briſacum ex Gallica in Germanicam Rheni ripam transivit.

Pagus Driſcigove, in Diplomate Murbacenſi Ottonis II. de An. DCCCCLXXVII. errore Librarii pro *Briſigouue* legitur, quod ex vicis *Anparinga* (*Aunpringen*) *Nierenburg*, (hod. *Nienburg*) *Skalkeſtat*, (hod. *Schylzſtatt*) qui ad Pagum *Driſcigouue* referuntur, inferimus; quippe qui omnes in medio Brisgoviæ ſiti ſunt.

COMITATUS PIRTHILONIS.

§. CVII.

Comitatus Pirthilonis.

BRiſigovia illuſtrem Comitatum ſeculo X. habuit, qui vocabatur *Comitatus Pirthilonis*, ad quem villa *Sultzbergk*, hodie oppidum, patria mea, pertinuit, teſte Charta inedita Ottonis III. anni DCCCCXCIII. quam ex Schedis Urſtiſianis, à poſſeſſore earum Doctiſſ. Bruckero, apud Baſilienſes Profeſſore Hiſtoriarum, omni laude ornando, mecum communicatis, in Codice Diplomatico exhibiturus ſum. Dicitur in ea: "Nos ad „ petitionem fidelis noſtri, Pirthilonis Comitis, dedimus ad Eccleſiam S. Cyriaci Mar- „

(*a*) Charta anni DCCCLXXV. apud Herrgott. Tom. II. num. 78.

(*b*) Teſte Charta An. DCCCLX. ibidem num. 65.

(*c*) Ibid. Chart. ad An. MLXXI. num. 184. in qua legitur: "Ad Monaſterium S. Blaſii, quod eſt „ in Nigra ſilva VII. manſos & dimidium in villa „ Ekkingen, in Pago Alpegouue & in Comitatu „ Gerhardi Comitis ſitos.

(*d*) Chartam Friderici I. de An. MCLV. exhibent *Electa Juris Publ.* Tom. XVI. pag. 580. Adde *Chronicon Conſtantienſe* apud Pistorium *Scriptor. Rer. Germ.* pag. 696.

„ tyris in villa Sultzbergk, in Pago Briſchouue & in Comitatu ſuperius jam ſcripti „ Pirthilonis &c. „ Viginti tribus annis poſt Diploma hoc datum Henricus II. in alio, quod An. MXVI. Schutterenſi Monaſterio dedit, memorat *Comitatum Bertholdi in Pago Mortnouua, ubi villa Freſenheim.* (*e*) Inducor fere, ut credam, Pirthilonis & Bertholdi Comitatum non fuiſſe diverſum. Bertholdos enim Zaringenſes à Pirthilone hoc deſcendere, Eruditis perſuaſum eſt pridem. Ita Comitatus hic maximam Briſgoviæ, ut & aliquam Ortenaviæ, partem fuiſſet complexus; quod nec incongruum, nec à veriſimilitudine abeſt. Bertholdos, qui dein Zaringii, in Briſgovia late dominatos, certa rerum documenta declarant; uti ſuo loco docebitur. Inter Cameræ Nuntios, qui Sueviam ſub ultimis Carolingis & Conrado I. adminiſtrarunt, Bertholdus quidam, cum Erchangero fratre, capite plexus eſt, qua de re infra in *Erchangeri Comitatu.*

MARCA ETINHEIMENSIS.

§. CVIII.

Marcha Etinheimenſis.

MArcha Etinheimenſis, utut trans Bleihaham ſita, accenſetur Briſgoviæ, adeoque & Monaſterium Eddonis, in Marca hac ſitum. Mentionem ejus primus nobis reliquit Eddo, Argentinenſis Epiſcopus, in Teſtamento ſuo, quod anno XI. Pippini, ſive anno Chriſti DCCLXIII. in civitate Argentinenſi condidit, ubi hæc leguntur: " Anteceſſor noſter Dominus Wicgerinus Epiſcopus Monaſteriolum in nigra Silva, in „ Marcha Etinheim, in loco nuncupante Monachorum Cella, ſuper fluviolo Unduſſi „ de novo ſuo opere ædificavit in honore S. Mariæ ſemper Virginis & S. Joh. Bapt. „ Sanctique Petri Apoſtoli &c. „ Marca hæc non ab Eddone Epiſcopo, quod multis creditum, ſed à loco *Etinheim,* (*f*) (hodie oppidulum eſt, Marcæ totius & Præfecturæ Etinheimenſis, ad Epiſcopum Argentinenſem pertinentis, caput) nomen ſuum accepit, quod jam invaluerat, antequam Teſtamentum ſuum conderet Eddo, uti contextus ejus docet; niſi dixeris, Eddonem, diu ante conditum Teſtamentum, exſtruxiſſe quoque Ettenhemium, unde Marcæ nomen, antequam Inſtrumentum hoc fieret. Quinam limites Marcæ hujus fuerint, Eddonis temporibus non liquet; hodie autem intra limites ejus continentur hæc loca: Etinheim in medio; verſus orientem Etinheimenſe Monaſterium & S. Landelini Eccleſia; verſus occaſum Cappel & Ruoſt; verſus meridiem Etinheimweiler & Ringsheim; verſus ſeptentrionem Altorfium, Orſchweir & Walburg. In Argentinenſis Epiſcopatus Diœceſi id ſingulare, duabus eam Marcis includi; quarum una ad ortum, altera ad occaſum: illa Etinheimenſis, ad Silvam nigram, de qua nos agimus, hæc autem Marca Maurimonaſterienſis, ſive Aquilejenſis, ad Vogeſum: inter duos enim hos montes, cis & trans Rhenum, Argentoratenſis Diœceſis extenditur. Limitem ad nigram Silvam ſeculo VIII. jam obtinuiſſe, Teſtamentum Eddonis nos docet.

MORTINHAUGA.

§. CIX.

Mortinhauga.

MOrdenouua, Mortingia, Mortonauua, hodie *Ortenau*, Bleicham à meridie, ſed imperfecte ſatis, uti vidimus; ab aquilone autem fluviolum Oſam, qui Badam alluit, finitores agnovit. *Prodromus Gottuuicenſis* (*g*) Ortenaviam arctius conſtringit, Acheramque flumen, quod quatuor leucis ſuperius defluit, ei terminum figit. Alii Ortenaviam nimis extendunt, atque oppidum Badam eidem accenſent; (*h*) quum tamen Thermæ illæ Badenſes ad Auciacenſem, ſive Usgavienſem, Pagum à Dagoberto ſecundo atque Ludovico Pio diſerte referantur. Badam quum alluat Oſa, Ortenaviæ limes, Juniores, facile hac in re decipiendi, Ortenaviæ eam vindicarunt. At circa Acheram craſſior error, qui quatuor leucarum diverſitatem conſtituit. Achera, in Silva nigra, circa Lacum, qui *Mummelſee* dicitur, oriens, vicum cognominem, ac dein oppidulum, *Liechtenau* alluit, haud procul Schwarzachio Monaſterio, ac prope *Greffern* Rheno involvitur. Flumen hoc ergo ſi limes Ortenaviæ fuiſſet, Buhelam oppidum, tribus leucis infra Acheram ſitum, ab Ortenavia excluderet, cujus tamen pars conſtanter habetur; teſte Munstero, (*i*) quem *Prodromus Gottuuicenſis* conſentiens ipſe quoque allegat; librarii errore *Buzel* ſcribens pro *Bubel.* Sed & Otterſvilla (*Otterſweyer*) cum Judicio ſuo Ortenavienſis Præfecturæ pars ſemper habita eſt, quæ & ipſa tamen, uti Bühela, ab Ortenavia excluderetur, ſi limitem hujus conſtitueret Achera.

(*e*) *Chron. Schutteranum* apud Schannat *Vindem. Literar. Collect.* I. pag. 19.

(*f*) Charta An. DCCCCXXVI. apud Herrgottum pro *Etinheim* male habet *Steinheim*, incuria librarii.

(*g*) Lib. IV. num. 302. pag. 691.

(*h*) *Topographia Suevica* à Zeilero & Meriano edita, pag. 12.

(*i*) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. CCLXXIV. pag. 681. Edit. Lat.

§.

GEOGRAPH.

Achera. De Oſa, limite auſtrino Ortenaviæ, nobis conſentiens eſt Paulus Voltzius, (*l*) Monachus primum Schutterenſis Benedictinus, in Mortenaugia, dein Monaſterii Hugonis Curiæ in Vilerenſi Alſatica valle ejusdem ordinis Abbas; qui ſeculo XVI. ineunte vixit, atque Ortenaviæ limites ita deſcripſit: "Eſt autem Mortenaugia „ tractus terræ, juxta longitudinem inter Briſachaugiam à Beycha flumine, & Marcham „ Badenſem ab Oſa fluvio, juxta latitudinem à Rheno fluvio ad Hercyniæ ſylvæ juga &c.

COMITATUS BERTOLDI.

§. CX.

Comitatus Bertoldi.

MOrtinouuæ Pagus partem conſtituit *Comitatus Bertoldi.* Teſtis eſt Henricus ſecundus Imp. in Charta, Monaſterio *Offoniswilre* ſive Schutterenſi An. MXVI. Babenbergæ, in conſpectu multorum Principum, dato; ubi ita loquitur: "Præterea (dono) unam „ villam Ruotgereswilre dictam, & unum Manſum in Freſenheim in Comitatu Bertoldi, „ in Pago Mortinouua. „ Ruotgereswilre hodie nomen obtinet *Heiligen-Zell*, ad pedes Silvæ nigræ, quarta parte leucæ à Burgo *Friſenheim*, Malberga-Badenſis ditionis, diſſitum, qui ipſe locus eſt, quem Henricus Imp. indicat. Bertholdinum hunc Comitatum eundem eſſe cum Pirthilonis Comitatu, ſupra ſuſpicatus ſum; nec deſino ſuſpicari, donec alia Monumenta contrarium evincant.

II. DUCATUS FRANCIÆ.

§. CXI.

Franciæ Ducatus.

TRans-Rhenenſes Pagi & Comitatus, quos huc usque enarravimus, Alemannici Ducatus membra conſtituerunt. Oſa nimirum non Ortenaviæ modo, ſed & Alemannici Ducatus limitem ad Rhenum conſtituiſſe videtur; ita, ut ad eandem Oſam Franciæ Ducatus (*m*) ſuum initium cœperit trans Rhenum, uti cis Rhenum ad Luteram. Termini hujus conſtituendi duplicem rationem produco. Primo enim Lutera, quæ Alemanniæ Franciæque Ducatus in Alſatia diremit, Oſæ noſtræ oſtiis, cum Murga communibus, ſesquileuca tantum inferior eſt. Alterum fundamentum à Spirenſi Epiſcopatu repeto, qui ad Franciæ Ducatum pertinuit, quum Argentoratenſis omnis ad Alemannicum pertinuiſſet. Huic tamen *Prodromus Gottuuicenſis* (*n*) Pagum noſtrum Usgoviæ vel Auciacenſem attribuit; conſilii ſui rationem non reddens. Ad Francicum ergo Ducatum referendi ſunt Pagi ſequentes.

AUCIACENSIS PAGUS.

§. CXII.

Auciacenſis Pagus.

VErſus aquilonem contiguus Mortenaugiæ fuit *Pagus Auciacenſis*, Germanis *Usgouue;* ab *Oſa* fluviolo nuncupatus; quem medio ævo Latine ſcribentes *Auciam* vocarunt; unde in Diplomate Dagobertino Weiſſenburgenſi ita quoque appellatur. Ludovicus Pius in Dagobertinæ Donationis Confirmatione, An. XXIII. Regni ſui, hoc eſt, An. DCCCXXXVI. facta, Pagum *Usgauue* appellat. (*o*) Initium & nomen Pagi à fluviolo Oſa, vulgo *Oſs*, *Uſs*, qui ex montibus Marcianæ Silvæ, oppido Badenſi vicinis, per vallem deſcendens, Badam à latere auſtrino alluit, eamque adeo ab Ortenavia excludit; quique Argentinenſem Spirenſemque Epiſcopatus, imo & Alemannicum à Franciæ novæ Ducatu diremit. Ab oppido Bada ad vicum cognominem *Oſs* progreditur Oſa, atque paulo inferius

(*l*) Apud Guillimannum de *Epiſcopis Argent.* pag 74.

(*m*) Vocatur etiam *Nova Francia*, item *Francia Orientalis*, *Teutonica Francia*, in Charta Hirſaug. apud Trithemium *Chron. Hirſaug.* Tom. I. pag. 239. Imo & ſimpliciter *Francica.* Ekkehardus Junior de *Caſib. Monaſt. S. Galli* Cap. I. Poſtea temporis *Franconia.* Franciæ Theutonicæ Ducatus ſub noſtra Periodo jam extitit, licet ſub Conrado I. demum ortum fuiſſe exiſtimet Junckerus *German. Med.* pag. 376.

(*n*) Lib. IV. num. 45.

(*o*) Dagoberti II. Charta exhibetur apud Hedam in *Epiſcopis Ultrajectenſibus* pag. 18. ubi tamen pro *Auciacenſi* corrupte legitur *Auriacenſi.* Adde Coccium in *Dagoberto* Cap. XVIII. pag. 175. Mabillonium in *Supplem. ad Rem Diplomat.* pag. 35. & in *Annal. Benedict.* Tom. III. Lib. XXXV. num. 15. pag. 58. Ludovici German. Chartam dedit Schannat *Vindem. Literar. Collect.* I. pag. 5. & 6. Schannato tamen propterea non debemus hujus Pagi notitiam, quod *Prodromus Gottuuicenſis* pag. 552. ei adſcribit; ſed Coccio, qui integro ante Schannatum ſeculo, Pagum hunc nobis patefecit, Dagobertinum quum edidiſſet Diploma.

GEOGRAPH.

inferius Murgæ ſe miſcet; quæ & ipſa denique infra Raſtadium Rheno miſcetur. *Prodromus Gottuuicenſis* (p) diverſum ab Usgovia hac noſtra Pagum conſtituit *Uſgovuam*, Codicis Traditionum Laurishamenſium fide innixus. At illum à noſtro non fuiſſe diverſum, ſed ex Librarii, literam F pro S ponentis, errore prognatum, ipſi, quos Prodromus in Pago hoc enarrat, vici oſtendunt. *Cnutlinga* hodie *Knelingen*, *Dettenheim*, Dittenheim, *Hecinſtein*, Eckenſtein, *Linchenheim*, Linckenheim, in Marchionatu Badenſi, inter fluviolos Albam & Pfinzam ſiti ſunt omnes; adeoque in noſtra, de qua agimus, Usgovia reperiuntur. Usgoviæ autem appellatio Uſgoviæ nomini, Diplomatum auctoritate, debet præferri. Ceterum Usgovia ad Albam usque flumen ſe extendit, quod Albegoviæ ſuum nomen impreſſit.

ALBEGOUUIA.

§. CXIII.

Albegovia.

ALbegoviam Trans-Vogeſianam Capite præcedenti; Albegoviam tram Rhenum Alemannicam, Capitis hujus initio; nunc in fine ejus Francicam quoque Trans-Rhenanam attingimus obiter, quod à Spirigovia noſtra eam ſeparaverat Rhenus. Flumen Alba, Etlingiaci oppidi muros alluens, à quo Alba Dominorum & Alba Dominarum, notiſſima Cœnobia, quorum prius periit, appellationem traxerunt; quodque ipſum & Pago huic ſuum indidit nomen. Albegoviæ meminit TRITHEMIUS, (q) *Monaſterium Gozauue* ſitum ſcribens *in Comitatu Worchheim*, *in Albegouuo*. Clariora ſunt, quæ in Diplomate inedito Henrici V. An. MCX. quod fundationem Gotteſauuiæ confirmat, leguntur. Memoratur enim ibi, "Godeſawam regulare monaſterium ſitum in regno „ noſtro, in provincia, quæ dicitur Teutonica Francia, in Epiſcopatu Spirenſi, in „ Pago Albechouua, in Comitatu Vorchheim, in ſylva, quæ dicitur Luoshard, juxta „ fluvium, qui dicitur Alba. „ Quis, hæc intuens, Monaſterii ſitum non ſtatim determinaverit?

Prodromus Gottuuicenſis (r) *Worchheim* interpretatur *Pforzheim*; ſicque Pforzheimenſem Comitatum, qui nunquam extiterat, effingit; ipſumque Pforzhemium Albegoviæ adſcribit, quod oppidum alibi (s) Enzingoviæ Pago idem adſcribere videtur. Scilicet vox *Worchheim*, male intellecta, locum dedit errori. Vicus *Forchheim* prope Muhlbergam eſt, haud procul à flumine Alba, qui Comitatui Vorchheimenſi nomen conciliavit, quemque Henricus Imp. & Trithemius haud dubie intellexerunt. Viſuntur ibi adhuc veteris caſtri ruinæ, ubi priſcorum Comitum ſedes extiterat. Albegoviæ Pagum excipiunt Phinzigouue, & Enzingouue, quibus à Phincza & Entza fluminibus nomen impoſitum. Pagos hos, cum contiguis, tractandos relinquimus illis, quibus Badenſium & Wurtenbergenſium rerum Hiſtoria curæ eſt.

CAPUT VIII.

OPPIDA, CASTRA.

§. CXIV.

Oppida Caſtra & Villæ.

PAgis & Comitatibus ordine rerum ſuccedunt Oppida, Caſtra & Vici, ex quibus Pagus Comitatusque componitur. Oppidum cives & mœnia habet; Caſtrum eſt locus munitus, defendendæ provinciæ præſertim exſtructus, qui illa ætate à minore oppido diſcrepaverat parum. Unde Caſtrum non munitionem modo, ſed & oppidum munitum quandoque ſignificat. Infimæ Latinitatis Scriptoribus *Villa* appellatur, quod Romani *Vicum* dixerunt. Oppida quædam habuerunt Palatium Regium, quædam non habuerunt; unde formula frequens: *Actum Mogontiæ, Palatio noſtro; Actum Franconofurt, Palatio Regio; Actum publice in Palatio Regio Argentoraco.* Oppida & Caſtra ad dominium Regium pertinuerunt. De Oppidis infra. Saloiſſa (*Selz*) à Continuatore Gregorii, FREDEGARIO SCHOLASTICO, (t) Caſtrum appellatur; Otto M. autem Saliſe inter regni ſui Curtes reponit, eamque Adelheidi, Conjugi ſuæ, in proprium donat. (u) Villarum tres claſſes illo ævo reperio. Aliæ erant Villæ regni, cum Palatio Regio, uti Marilegium, Chilicheim, Scladiſtat, Erſtein &c. Aliæ villæ fiſcales vel Regiæ, ſine

(p) *Prodrom. Gottuuic.* Lib. IV. num. 483. pag. 832.

(q) *Chron. Hirſaug.* ad An. MLXXXV. pag. 270. add. CRUSII *Annal. Suev.* Part. II. Lib. IX. pag. 316.

(r) Lib. IV. num. 8. pag. 534. ſq.

(s) Num. 142.

(t) FREDEGARIUS Cap. XXXVII.

(u) Vide infra in Saloiſſa.

ſine Palatio, ut: Franckenheim, Weibilesheim, Bolſenheim, Hochfelden, Morinzanwiler &c. Aliæ denique villæ communes, quæ ad Epiſcopos, Abbates & Dynaſtas pertinuerunt, vel quæ Ducibus & Comitibus, ſalarii loco, erant conceſſæ. Oppida & Caſtra hoc Capite, ſequentibus Villas Regias ſumus enarraturi & Vicos.

In Periodo Francica paucas Civitates & Caſtra comprehendit Alſatia. Deleveraot eas ſeculo V. Alemanni, oppida abhorrentes, ut retia feræ. Sub Alemannico Francorum Ducatu Baſula & Strateburgus, Epiſcoporum ſedes quod eſſent, primæ omnium reſtitutæ. In Lothariani Regni Diviſione An. DCCCLXX. non niſi hæ duæ ad ſuperiorem Rheni ripam nominantur. Spiratia enim, Wormatia atque Moguntia, Viroduoenſis Pactionis An. DCCCXLIII. tenore, non ad Lotharianum, ſed ad Franciæ orientalis ſive Germaniæ, Regnum, & ſpeciatim ad Franciæ orientalis Ducatum, Alemannico noſtro Ducatui contiguum, pertinuerunt; unde nulla earum mentio inter Lotharingicas urbes.

BASULA.

§. CXV.

URbs hæc ab Ammiano & vetuſtiſſimis Provinciarum Notitiis, *Baſilia*; in Tabula Diviſionis Regni Lothariani, & quidem in Ludovici Germanici portione, ac in *Vita S. Othmari*, ſec. IX. ab Isone conſcripta, (x) *Baſula*; in *Annalibus Metenſibus*, qui An. DCCCCIII. deſinunt, *Baſala*; in duabus vitis Caroli M. *Baſla*, ouncupatur; Haido enim ibi Epiſcopus *Baslenſis* audit. Theganus (y) primus, quod novi, urbem *Baſileam* vocavit. Primum ergo nomen *Baſilia*; (z) incolæ *Baſilienſes*, plerumque tamen *Baſilenſes*, dicuntur. Uode appellatio orta, nequit definiri. Birſæ flumini vetus Baſiliæ nomeo fuiſſe, Valesius (a) conjicit. Quod ſi vero à flumine nomen derivare lubeat, mallem illud à Birſico, qui eam perfluit, & ad quem primi tractus illius incolæ habitarunt, quam à Birſa, quæ ſemileucæ fere diſtantia ſupra urbem Rheno ſe jungit, deducere. Utut autem Baſilia eadem fata, quæ Argentouaria & Argentoratus, experta ſit, illa tamen vetus nomen ſervavit; forte quod cæteris fuit minus deſtructa; vel certe, quod in priſtino reædificaretur loco; quum Argentouaria & Argentoratus penitus fuiſſent exciſæ, ita ut in vicinia earum oovi vici ab Alemannis, dein nova oppida exſtruerentur à Francis; unde nova qooque nomina prodierunt. Sub hac Periodo Rauricenſium Epiſcoporum ſedes facta eſt Baſilia; hinc magna urbis incrementa. Inter Antiſtites Baſilienſes Haitho, apud Carolum M. favore & gratis pollens, urbem & Epiſcopatum ſuum celebrem reddidit. Primi Burgundiooom Regni partem non extitiſſe Baſiliam, ſupra, ni fallor, probavi; in alia omnia licet abeant plerique; quos inter David Blondallus. (b) Baſula.

§. CXVI.

Baſilia civitas Alemannici primum, dein ſpeciatim Alſatici Ducatus, membrum evaſit. Virodunenſi Pacto An. DCCCXLIII. ad Lotharingicum Regnum, hocque An. DCCCLXX. diviſo, ad Ludovicum Germanicum, ſeu ad Germaniæ Regnum, transivit. Poſtquam vero ſecundum Burgundiæ Regnum à Rudolpho An. DCCCLXXXVIII. conderetur, quod Trans-Juranum vocarunt, urbs, quæ modo Germanici, & paulo ante Lotharingici Regni pars fuerat, novi tandem Burgundici facta eſt limes & portio, anno MXXXII. ad Germanos reditura. Wippo, qui Conrado Salico fuit à Sacris, eruditione & Sacerdotii gravitate eximius, (c) id ſane confirmat; "Baſilea, (inquiens) civitas ſita eſt in quodam triviali confinio, id eſt „ Burgundiæ, (d) Alemanoiæ & Franciæ; ipſa vero civitas ad Burgundiam pertinet. „ Wipponis aſſertum ex Donatione Rudolphi III. Burgundiæ Regis, anno ejus ſeptimo, ſive Æræ Chriſt. M. facta (e) firmatur, qua Epiſcopo Baſilienſi Adalberoni Monaſterium Grandisvallis, una cum ditione integra, donavit. Ex ea enim patet, Rauracos & Baſiliam Regni Burgundici finibus comprehenſam, ac ejus partem fuiſſe borealem extremam. Quibus Regnis ſubjecta.

(x) Apud Mabillon *Act. Sanctor. Benedict.* Sec. III. Part. II. pag. 157.
(y) *Vita Ludovici Pii.*
(z) Vide quæ ſupra notavimus, pag. 184. §. CIX.
(a) *Notitia Galliarum* pag. 75.
(b) *Genealogia Francica plenior aſſertio* pag. 340.
(c) In *Vita Conradi Salici*, pag. 431. Edit. Piſtor.
(d) Primi quoque Burgundici Regni limes extitit Vogeſus, à Lingonum civitate verſus Rhenum excurrens, qui ab Auſtraſia ſeparavit Burgundiam; unde & illo tempore in confinio fuit duorum Regnorum.
(e) Dabitur in *Cod. Diplom.* noſtro. Vid. de ea Urstisius *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. II. quem ſecuti ſunt *Baſilea Sacra Auctores* pag. 137.

Circa Lotharingicam Baſileæ epocham id adhuc obſervo, quod Hugo, Lotharii Junioris ex Waldrada pellice filius, An. DCCCLXVIII. ex Lotharingico patris ſui Regno Ducatum Helizatium quum acceperit dono, (*f*) quem ille ad annum usque DCCCLXXXV. tenuit, Ludovici Germanici propatrui ſui haud dubie cliens, Baſilia, Alſatici Ducatus civitas, ejusdem quoque tum paruerit juſſibus Hugonis. Ab urbe Baſilia circumjacens Pagus Baſalgoviæ nomen obtinuit; ad Ducatum Alſatiæ, atque ad majorem illum Sundgoviæ Pagum, procul dubio, relatus. Teſtem eandem, quam de urbe, profero, Diviſionis Regni Lothariani Tabulam; in qua *Baſalchouua* recenſetur, quam inter Pagos recenſui. In Charta Ludovici Pii pro Maſonis Monaſterio, quæ An. X. Imperii ſui, hoc eſt An. Chr. DCCCXXIII. data, conſtituitur; " ut quotiescunque Rex vel Imperator Romanus „ Baſileam veniat, quælibet hoba vel manſus ad ſervitium ejus duodecim nummos „ perſolvat. „ Præmiſit Imperator cauſam ſui ſtatuti, ut ſucceſſores nempe curam ejusdem Maſonianæ Eccleſiæ eo magis haberent. Minorem urbem Baſiliæ, quæ ad dextram Rheni ripam ſita eſt, hæc non reſpicere, monendus eſt Lector; illa enim ad annum usque MCCLXXI. nonniſi vicus extiterat.

BRISAGA.

§. CXVII.

Briſaga Alſatiæ locus.

MOns Briſiacus, quem Sequanicæ Alſatiæ partem ſub Celtis Romanisque fuiſſe, ſupra (*g*) oſtendi, ſub Francis noſtris adhuc oppidum Alſatiæ fuit. Romana nominis terminatione abjecta, reſtituta eſt Celtica vetus *ac*, *ach*, *Briſac*, *Briſach*. Latini mediæ ætatis Scriptores *Briſacam*, *Briſagam*, *Briſacion*, dixerunt; quæ forma poſterior noſtro quoque ævo recepta eſt Latine ſcribentibus. Nulla urbium, per varias viciſſitudines rerum, veterem ſitum conſtantius ſervavit, quam Briſacum; eidem ſemper monti impoſitum; ſemper munitum; primo à Gallica, inde à Germanica parte imminens Rheno; aperiens eundem ſemper & claudens: unde civitas, oppidum, & caſtellum appellatur promiſcue.

Ad Alſaticam ripam adhuc pertinuiſſe Briſacum tota hac Periodo Francica, imo & diu poſt ſub Germanica, plures nobis ſuperant teſtes. Primus eſt ex ſec. IX. Geographus Ravennas GUIDO, (*h*) qui inter urbes, ad ſiniſtram Rheni ripam poſitas, *Bazelam*, *Stratisburgum*, & in medio *Breczcham*, refert. Huic ſuccedit Ticinenſis Eccleſiæ Diaconus, LUITPRANDUS, (*i*) ſeculi X. Scriptor, qui Briſacum vocat *Briſecgauue Caſtellum*; Italus pagum cum oppido confudit, locum tamen in Alſatia ponit. " Eſt „ in Alſatiæ partibus (inquit) caſtellum, Briſecgauue patrio vocabulo nuncupatum, „ quod & Rhenus, in modum inſulæ cingens, & naturalis ipſa loci aſperitas, munit. „ Sed & ex ſeculo XII. duos affero teſtes, Sigebertum Gemblacenſem nempe & Chronographum Saxonem. SIGEBERTUS ad An. DCCCCXLIII. ſcribit: *Rex Otto obſedit Briſagam, oppidum Alſatiæ*. CHRONOGRAPHUS (*l*) vero ad An. DCCCCXLI. Ludovicum Transmarinum, Caroli Simplicis filium, recuperandæ Lotharingiæ cauſa, invaſiſſe Alſatiam, & Ottonem I. deinceps, expulſo Ludovico, *Briſacam*, *Caſtellum munitiſſimum*, obſediſſe obſervat. Colligimus hinc, Briſacam, in Alſatia ſitam, admiſiſſe Ludovicum; ab Ottone vero mox recuperandam. ALBERICUS, Trium Fontium Monachus, (*m*) qui ſeculo XIII. ſcripſit, de Briſaco diſtinctius loquitur. Ita enim ad An. DCCCCXLIV. " Otto Rex obſedit Briſagum, oppidum Alſatiæ, quod Ludovicus Rex per milites „ Everardi & Gisleberti tenebat. Hoc caſtellum Briſag Rhenus in modum inſulæ cingit, „ & naturalis ipſa loci aſperitas munit. „ Hæc teſtium graviorum per medii ævi decurſum auctoritas, quorum primus Francicæ Periodi noſtræ finem videre poterat, nullum dubium nobis relinquit, urbem Briſacum illo, de quo nobis ſermo eſt, tempore in Alſatico adhuc ſolo ſediſſe.

STRA-

(*f*) *Annales Bertin.* An. DCCCLXVIII.

(*g*) Pag. 191. In Juliacenſi Ducatu eſt quoque oppidum *Breyſich*, quod nonnulli vocant Briſacum. FREHERI *Origg. Palat.* Part. II. pag. 32.

(*h*) Lib. IV. Cap. XXVI. pag. 187.

(*i*) Lib. IV. Cap. XIV.

(*l*) LEIBNIT. *Acceſſion. Hiſtor.* Tom. I. pag. 157.

(*m*) Ibid. Tom. II. pag. 279. ad An. DCCCCXLIV.

GEOGRAPH.

STRATEBURGUM.

§. CXVIII.

Strateburgum.

STrateborgum nova novi Francici oppidi, prope veteris Argentorati ruinas, ſeculo VI. ineunte, exſtructi, Francica ſive Germanica appellatio fuit. Prima futuræ urbis ſtamina extiterunt diſperſæ Alemannorum, ad veteris Argentorati, quam everterant, ruinas habitantium, caſæ: reliqua cum mœnibus à Francis addita ſunt; qui, Gallia occupata, ex moribus Romanis multa retinuerunt, multa imitati ſunt; quum Alemanni, veteris Germanorum moris tenaces, habitaſſent pagatim. De originibus nominis leviter quædam dicta ſunt ſupra; ubi confutavimus eos, qui Strateburgum ex Argentorato corruptum conjectant. (n) Non minus ridendi, qui origines vocis ab Auſtraſia repetunt, quod Wolfgangus Lazius (o) facit.

Burgus, Burgum, quod Gloſſæ quædam à Græco *πύργος* (*turris*) deducunt, plerisque tamen Criticis Theotiſcæ originis creditur. (p) Vox interdum crebra habitacula conſtituta, ſeu domorum congregationem, quæ muro non clauditur, (q) denotat, indeque *Burgundionum* nomen derivare multis libitum eſt. Frequentior ſignificatio *Burgi*, qua locum habitandi munitum deſignat: ſeu ſilvæ, flumina, paludes, munimentorum vices præſtent; ſeu ſepimentis, aggeribus, foſſisque cingantur; cujus generis *Burgi* apud Germanos veteres fuerunt, quamvis nullas Germanorum populis urbes habitari, à Tacito (r) proditum ſit. Teutoburgium, Aſciburgium, Laciburgium, Visburgium, locorum Germaniæ priſcæ nomina, à Tacito (s) memorata, munitionis quoddam genus indicant. Per *Burgos* hæc ſane ſimplices vicos & domorum collectiones illubens intellexerim. Terreos aggeres autem, non muros, à Germanis adhibitos, veriſimile eſt, uti apud Hunnos & Avares *Ringi* (t) fuerunt in uſu, quos Carolus M. evertit. Francico, de quo agimus, ævo *Lobdenburg* (u) ad Mœnum, atque *Diſpargum* (x) apud Germanos innotuerunt.

§. CXIX.

Gregorii Turon. teſtimonium.

Strateburgum Gregorius Turonensis (y) primus omnium An. DLXXXIX. retulit, ubi de Childeberto II. Rege, Sigeberti I. Regis Auſtraſiæ filio, narrat, eum, cum conjuge & matre ſua, *infra terminum urbis, quam Stratabergum vocant*, moratum fuiſſe. Commorationis hujus tempore Droctulfus & Septimina, Infantum Regiorum nutrix, in Regem atque Reginam Faileubam, & Brunihildem, Regis matrem, conſpirarunt, ſed conjuratio detecta. Idem Gregorius (z) An. DXC. Ægidii Rhemenſis Epiſcopi occaſione, memorat, eum criminis læſæ Majeſtatis convictum, & ab ordine Sacerdotali remotum, atque *ad Argentoratenſem urbem, quam nunc Strateburgum vocant*, deductum & exſilio condemnatum eſſe. In locis his de urbe jam conſtituta ſermo eſt; unde origines ejus ad initia ejusdem ſeculi, hoc eſt, ad initia Periodi Franciçæ, referenda. Turonenſis ergo, origine Gallo-Romanus, vocabulum Theotiſcum *Stratburg*, *Strasburg*, Latina forma & terminatione, in *Stratabergum* & *Strateburgum* convertit; ſi modo prior lectio vera, quam tamen Dub. & Clun. Codices impugnant, utroque loco *Strateburgum* prodentes. (a) Capitulatio de nominibus regionum Galliæ apud Chesnium & Bouquetum, (b) ut & alia ex Codice Saultiano, (c) in *Strateburgo* cum Turonenſi concordant. Alia Notitia, ex Bibliotheca Thuani, (d) habet *Strazeburg*: Petaviana denique Notitia (e) *Strazburgis*. Libelli hi veteres, ſeculi tamen incerti, probant, primis poſt novam urbem conditam temporibus, nomen ejus *Stratburg*, *Strasburg*, *Strazburg*, pronuntiatum promiſcue; literæ *T* enim, *Z* & *S* illo ævo ſæpius alternabant.

(n) Beatus Rhenanus *Rer. Germ.* Lib. III. Reusnerus de *Urbib. Imperial.* Part. I. Cap. III. quam duriorem originationem rejicit quoque Limnæus, *Jur. Publ.* Tom. III. Lib. VII. Cap. III. num. 3.

(o) *Genealog. Auſtriaca* Lib. I. Cap. II. pag. 47.

(p) Cluverius in *Germania Antiqua* Lib. I. pag. 110.

(q) Orosius Lib. VII. Cap. XXII. Isidorus Lib. IX. Cap. II. Luitprandus Lib. III. Cap. XII. Auctor *Vita S. Faronis Epiſc. Meldenſis* Cap. VIII. Senſus hic Franco-Gallis hodieque in uſu, quum vicos majores (*Bourgs*) à minoribus (*Villages*) diſtinguunt. Diceres oppidum non clauſum, hoc eſt, locum, qui medius inter vicum & oppidum. Conradus de Fabaria *de Caſibus S. Galli* Cap. XIV. eodem ſenſu Caſtrum à Burgo diſtinguit; *Quia levius*, inquiens, *caſtrum potuiſſet obtinere cum Burgo Wile.*

(r) *German.* Cap. XVI. Quodſi idem Tacitus *Annal.* Lib. II. Cap. XIX. de Angrivariis prodidit: *Latus unum, ſilvæ aut paludis, lato aggere extulerant, quo à Cheruſcis dirimerentur*: quanto expeditius fuit, latera vici in oppidulum ſimili aggere convertere.

(s) *German.* Cap. III.

(t) *Annal.* Eginhardi.

(u) Freherus in *Lupoduno*.

(x) Gregor. Turon. Lib. II. Cap. IX. apud Thuringos caſtrum, ubi Chlodio frequenter habitavit.

(y) Lib. IX. Cap. XXXVI.

(z) Lib. X. Cap. XIX. De Ægidio ſcribit etiam Venantius Fortunatus *Carminum Hiſtor.* Lib. III. num. XX.

(a) Bouquetus in Nota ad hunc locum.

(b) *Scriptor. Francicor.* Tom. II. pag. 2.

(c) Ibid. pag. 9.

(d) Ibid. pag. 5.

(e) Ibid. pag. 10.

§. CXX.

Alii teſtes. EDDIUS STEPHANUS, (*f*) qui ſeculo VII. claruit, S. Wilfrido Eboracenſi Epiſcopo carus, Scriptor Britannus, urbem hanc corrupte appellat civitatem *Strenburg*, ejusque Epiſcopatum *maximum* vocat; quem Dagobertus II. mortuo Florentio, obtulerat Wilfrido, notritio olim ſuo, quum circa An. DCLXXIX. per hanc urbem tranſiret Romam. In Charta Fundationis Monaſterii de Arnulfi-Auga *Stradburg*; (*g*) in ANNALIBUS FULDENSIBUS (*h*) vero *Strazburgus*; PAULINO, Patriarchæ Aquilejenſi, (*i*) *Urbs Argentea Stratiburgus* dicitur. Multis præterea, Latine ſcribentibus, ſeculo VIII. vox *Strasburgus*, *Strazburga*, *Strazburgum*, jam placuit. Charta Murbacenſis Eberhardina An. DCCXXVIII. habet *Strazburgum*. Zacharias Pontifex Rom. Epiſtolam, ad varios Præſules An. DCCXLVIII. datam, (*l*) *Hattoni Strasburgenſi Epiſcopo* quoque tranſmiſit; ubi BARONIUS (*m*) recte pro *Hattoni* reſtituit *Ottoni*, quem Eccleſia Argentoratenſis tum Antiſtitem habuit. Eddonis Epiſc. Teſtamentum ſub Pipino *Strasburgam civitatem* prodit. Duæ Traditiones Fuldenſes (*n*) An. DCCLXXVIII. & DCCLXXXVIII. ſcribunt *Strazburga*. Ludovicus Pius Diploma Victori, Epiſcopo Curienſi, dedit in civitate *Strazburg*. (*o*) Unde patet, in alia Ludovici Pii Charta, quam Adelocho conceſſit, Librarii errore ſcriptum eſſe *Stratbeirgenſis Eccleſiæ Epiſcopus*. (*p*) Bernaldus certe ab eodem Ludovico Pio in alia Charta *Strasburgenſis* Epiſcopus dicitur. (*q*) ERNOLDUS NIGELLIUS, Auctor ſynchronus, in *Carmine Elegiaco* (*r*) de *Rebus Geſtis Ludovici Pii*, urbem hanc, quæ ei cuſtodiæ & carceris loco data fuerat, *Strazburc* appellat:

Hac quoque dum caverem, Strazburc cuſtode tenebar. (*s*)

In Tabula Lothariani Regni An. DCCCLXX. *Strasburg* in portione Ludovici Germanici eſt. (*t*) In Diplomate Ludovici Germ. An. DCCCLXXIII. quod Epiſcopatum Argent. à juriſdictione ſeculari exemptum declarat, legitur: *Venerabilis Rataldus, Strazburgenſis urbis Epiſcopus.* REGINO ad An. DCCCCXXV. ſcribit: *Witgerus Epiſcopus obit, cui Benno ex ordinariis Strasburgenſibus . . . . ſucceſſor eligitur.* ARNOLDUS in *Vita S. Godehardi* (*u*) mentionem quoque facit *Strasburgenſis Epiſcopi*. *Chronicon Montis Sereni* autem (*x*) habet *Straceburg*. De altero Theotiſco urbis nomine *Silberthal*, quod nonnulli ei quoque affingunt, nihil addo ad ea, quæ ſupra (*y*) jam attuli. Charta Werinheri Epiſcopi Argent. anni MV. ſcribit *Strasburc*. (*z*)

NITHARDUS, (*a*) de conventu Ludovici Germ. & Caroli Calvi An. DCCCXLII. in urbe hac facto, locutus dicit: " in civitate, quæ olim Argentaria vocabatur, nunc „ autem *Strazbourg* vulgo dicitur. „ In eundem cum Nithardo errorem incidit Formula ejusdem fere ætatis Alſatica, (*b*) qua Conſtantienſis Epiſcopus *Eccleſiæ Argentoraтæ vel Argentarienſis Pontifici* ſcribit, ut in Rufacha manſionem ſibi jubeat parari. Duplex in his Scriptoribus error, quod *Argentariam* pro *Argentouaria* ſcribunt, atque poſteriorem hanc, pridem antea everſam, cum Argentorato confundunt. Eundem errorem GUIDO RAVENNAS, ſec. IX. Scriptor, in ſua *Geographia* committit. (*c*)

§. CXXI.

Argentina. Illi, qui medio ævo Latine ſcripſerunt, vel vetus urbis nomen, Romanis uſitatum Scriptoribus, adhibuerunt, vel nova plane forma ſunt uſi, quæ in frequentiſſimum deinceps abiit uſum. *Argentinæ* nomen intelligo; quod in publicis Chartis & Scriptoribus Eccleſiaſticis præſertim invaluit. Quodſi genuina forent Agrippinenſis Concilii, ſeculo

(*f*) In *Vita S. Wilfridi*, quam edidit THOMAS GALE *Scriptor. Rer. Britann.* Tom. I. pag. 51. MABILLON. *Acta Sanct. Benedict.* Sec. IV. Part. I. in Append. pag. 649. BOUQUETUS *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. III. pag. 601.

(*g*) *Gallia Chriſtian.* Tom. V. pag. 458.

(*h*) An. DCCCXLII.

(*i*) *Carm. in obitum Herici Ducis Forojul.* ex Alſatia orti, apud Cl. LEBEUF *Diſſert.* Tom. I. pag. 427.

(*l*) OTHLONUS in *Vita S. Bonifacii Moguntini*, Lib. II. Cap. IV. Legitur V. Junii apud BOLLANDUM in *Actis Sanctor.*

(*m*) *Annal.* Tom. IX. ad An. DCCXLVIII. §. XIII. pag. 210.

(*n*) SCHANNAT *Tradit. Fuld.* num. 56. & 84.

(*o*) MABILLON. *Annal. Benedict.* num. 81.

(*p*) GUILLIMAN. de *Epiſc. Argent.* pag. 119.

(*q*) *Gallia Chriſt.* Tom. V. pag. 462.

(*r*) Lib. IV. verſu 649. Ernoldus ſive Ermoldus Nigellus Abbas claruit circa An. DCCCXXXIV. & à Ludovico Pio Argentoratum miſſus eſt in exilium, qua de cauſa, ignotum. Ex Codice Biblioth. Cæſar. Vindob. edidit opus ejus MURATORIUS in *Scriptor. Ital.* & BOUQUETUS inter *Scriptores Franc.* Tom. VI.

(*s*) Lectionem *tenebar* alteri *turbar* præfero.

(*t*) *Annales Bertin.* An. DCCCLXX. *Chronicon Magnum S. Dionyſii* Gallice medio ævo ſcriptum, Diviſionem hanc recenſens, urbem *Straburb* vocat.

(*u*) *Godehardi Hildesheimenſis* Cap. X. §. VI. VIII. die IV. Maji.

(*x*) Ad An. MCLXXXVI.

(*y*) Pag. 223.

(*z*) *Gall. Chriſt.* Tom. V. pag. 468.

(*a*) *Hiſt.* Lib. III. Cap. V.

(*b*) *Formularum Alſaticarum* Formula XX.

(*c*) Lib. IV. Cap. XXVI.

GEOGRAPH.

ſeculo IV. celebrati, Acta, nominis *Argentinæ* uſus illo jam tempore locum habuiſſet. Inter Epiſcopos enim, qui ſubſcripſerant Synodo, occurrit: *Amandus Argentinenſium* &c. Primum nominis *Argentinenſis* exemplum in Dagoberti II. Charta Donationis reperio, qua ille tres curtes ad *Argentinenſis Eccleſiæ Monaſterium* tradidit.

Dein ſeculo VIII. in Eddnois Epiſcopi Teſtamento, (*e*) & quidem in ejus introitu, legitur: *Ego Eddo peccator, vocatus Argentinenſis Epiſcopus.* Io fine: *Actum in Civitate Argentinenſi.* Teſtamentum hoc conditum An. DCCLXIII. Sed & Vitæ Odilianæ Fragmentum, à PISTORIO deſcriptum, (*f*) Eddonem hunc, Etichonis filium, *Epiſcopum Argentinenſem* appellat.

Seculo IX. eandem formam adhibuit Fridolini Vitæ Auctor BALTHERUS, (*g*) Monachus Seckinganus, *Fridolinus*, inquiens, *quandam adiit urbem, quæ apud Latinos Argentina vocatur.* Conradus Rex An. DCCCCXIII. Murbacenſe Præceptum dedit in *Argentina Civitate.* Eadem appellatione tum uſus eſt ODILO CLUNIACENSIS io *Vita S. Adelhaidis.* (*h*) Ab hoc tempore Latine ſcribentes Argeotinam fere omnes pro Argenturato ſcripſerunt, quod ex SAXONE ANNALISTA, (*i*) HERMANNO CONTRACTO, (*l*) aliisque magno numero patet.

§. CXXII.

Urbis ætas.

Ex Chronologica Scriptorum, qui Strateburgi mentionem faciunt, ſerie patet, An. DLXXXIX. illud extitiſſe jam urbem, & quidem urbem munitam. Paulo poſt enim Ægidium, Rhemorum Antiſtitem, Childebertus II. Auſtraſiæ Rex, in eam, cuſtodiæ cauſa, relegavit: quod exemplum imitatus eſt Ludovicus Pius, qui Ermoldum Nigellium, cujus vita Ludovici Pii verſibus ſcripta extat, Strateburgum in exilium miſit, uti ipſe teſtatur NIGELLIUS. (*m*) Inter primas ergo urbes, ad Gallicam oram Rhenenſem Francica ſub Periodo ex cineribus reſurgentes, reputandum eſt Strateburgum. Reſtaurationi promptiori occaſionem dedit frequens & opportunus apud eam tranſitus Rheni, ſive quotidianus ille ex Gallia in Germaniam, Germaniave in Galliam, trajectus.

Inferimus hinc, GUILLIMANNUM, (*n*) quum ſcriberet, *primum Argentinæ*, poſt barbarorum vaſtatinoem, *reparandæ, mittum feciſſe Adelbertum, condito Stephani inter ruinas veteris Argentorati Sanctimonialium Monaſterio*, &c. immemorem fuiſſe eorum, quæ apud TURONIUM legerat; qui ſeculo VI. ſcribens, Strateburgum jam urbem vocavit. (*o*) Ita enim ad An. DLXXXIX. de Childeberto II. loquitur: *Infra terminum urbis, quam Strateburgum vocant* &c.

§. CXXIII.

Etymologia nominis.

Vocis *Argentorati* etymologia difficilis erutu fuit, facilior *Stratburgi*, quæ locum munitum oppidumve ad ſtratam aut viam publicam, lingua Germanica, denotat. Intelligitur trita illa via militaris, quæ ex Gallia ad Germanus ducebat. Eodem modo alibi Stratevilla, (*Eſtreville*) Villa ad ſtratam, ſcilicet viam: Stratehamum, (*Eſtrehan*) habitatio (*p*) ad ſtratam: *L'Eſtraye* in Calmontenſi apud Lotharingos Comitatu. Germanicæ originis nomen urbi datum eſſe, quid mirum? quum Alemanni fundamenta ejus jecerint; Franci, & ipſi origine Germani, addiderint muros. Strata illa magna, quæ ad Rhenum ducebat, denominationi huic dedit occaſionem. (*q*) Mentio ejus fit in Adelbertino, ut & in Childericiano pro Stephaniana Abbatia, Diplomatibus, quæ conditor Chartæ Wernheri Argent. Epiſcopi, annum MV. (*r*) præ ſe ferentis, vidit atque excerpſit. Dicitur ibi: *Verſus Bruſcam, cum ipſa aqua usque ad Latam Stratam.* Utut autem voces *Strat* & *Burg* multi ex Latino, imo & poſteriorem hanc ex Græco, derivent, utraque tamen Civitatis Teutonicæ jus pridem obtinuit.

(*e*) Teſtamentum Eddonis extat apud GUILLIMANNUM de *Epiſc. Argentin.* pag. 106.
(*f*) Apud VIGNIER *Origine des Maiſons d'Alſace* &c. pag. 71.
(*g*) *Scriptor. Rer. Francicar.* BOUQUETI Tom. III. pag. 389.
(*h*) Cap. VII.
(*i*) *Scriptor. Rer. Germanic.* ECCARDI Tom. I.
(*l*) *Chron.* ad An. MIII.
(*m*) Lib. IV. *Carm.* verſu ſupra allegato.
(*n*) *Epiſcop. Argentor.* Cap. IV. pag. 21. & Cap. VI. pag. 39.
(*o*) *Hiſtor. Francor.* Lib. IX. Cap. XXXVI.
(*p*) *Ham*, *Hen*, Belgis pro *Heim*, commoratio.
(*q*) Vide quæ hac de re ſupra pag. 223.
(*r*) SCHILTER. ad *Konigshov.* pag. 534.

GEOGRAPH.

§. CXXIV.

Ambitus urbis.

Ambitum Strateburgi hujus, novæ urbis, ſeculo VI. ſi ſpectes, exiguus ille fuit, imo & minor, quam Scriptores noſtri juniores, SPECKLINUS, (s) poſt hunc HERZOGIUS, (t) MERIANUS, (u) imo & OBRECHTUS (x) atque SCHILTERUS, (y) eum deſcribunt. Hi omnes enim Stephanianum Monaſterium à primis ejus initiis mœnibus urbis includunt. KOENIGSHOVIUS (z) in hoc argumento cuncta miſere turbat, Argentoratum veterem, quæ penitus fuit everſa, cum Strateburgo, ſub Francis nuper condito, ita confundens, ut utrique limites communes & communia fata adſcribat. Hunc tamen ſequentium ſeculorum Scriptores ſecuti ſunt; qui omnes Adelbertinam Stephaniani Monaſterii inſtituti Chartam, cujus fragmentum Lotharius Imp. in ſuo Diplomate expreſſit, non diligenter ſatis intuiti ſunt. In ea ſane legimus, Ducem Adelbertum fundaſſe Abbatiam *in parte ſuæ hereditatis, quæ ſibi pertinuit inter ruinas veteris Argentoraci, pro oportunitate ſolitudinis & juxta fluentis Bruſci fluvii* &c. Lector attentus ex verbis his haud difficulter ſequentia eruit: primum, eo tempore, quo Adelbertus, Alſatiæ Dux, Stephanianum Monaſterium condidit, hoc eſt, circa initia ſeculi VIII. veteris Argentorati, ſeculo V. deſtructæ, conſpicuas adhuc ſuperfuiſſe ruinas: ſecundo, circa ruinas, ubi Monaſterium conditum, extitiſſe ſolitudinem: tertio, fundum, ſuper quo Monaſterium exſtructum, Adelberti Ducis allodialem fuiſſe. Quodſi Adelbertina, & Chilperici II. (a) eam confirmantis, Chartæ extarent, plures ex illis rationes forte exſculperemus, quæ ſententiam noſtram firmarent.

Situm tamen & limites Monaſterii ex Chilpericiano Diplomate Charta Wernheriana transſcripſit. Hanc falſitatis licet poſtulet OBRECHTUS, (b) fatetur tamen, Chartæ fabrum, quicunque ille fuerit, & Adelbertinum & Childericianum Diplomata in manibus habuiſſe, quod probandæ veritati rei, de qua agimus, nobis ſufficere poteſt. Wernherus (c) ergo inquit: "In Privilegio Childerici Regis notatum: infra ambitum „ veteris muri, à media porta meridiana verſus Bruſcam, cum ipſa aqua usque ad „ latam ſtratam, quæ ducit à porta magna occidentali usque ad portam juxta magnos „ & in quadros lapides muri, cum omni ſuo jure, & ſeptis clauſtri, & manſionibus „ quatuor Canonicorum, & emunitate cum muro & antemurali, ſuburbiis, vicis, „ aquis &c. „ Verba hæc omnia unice Monaſterium, ejusque muros, portasque reſpiciunt, non portas Strateburgi. Dicit enim, *infra ambitum veteris muri*, qui veterem nempe Argentoratum cinxit, in cujus ruinis Adelbertus Cœnobium ſuum ſtruxit, ut ipſe profitetur. In ruinis his quoque ſupererant portæ, quas novi Parthenonis uſibus adaptavit, reſtauravitque Adelbertus.

§. CXXV.

Termini.

Non vana KOENIGSHOVII (d) traditio eſt, Monaſterium eo in loco conditum, ubi olim fuerat Comitis Romani ſedes, caſtellum, quod muros ſuos & portas olim peculiares habuerat. Has ex ruinis nunc Adelbertus reſtituit; novosque addidit muros & antemurale; quæ omnia extra novi Strateburgi mœnia fuerant, quia ſuburbia ejus muros Monaſterii tetigerunt, uti verba Diplomatis indicant. Chilpericus ergo non portas Strateburgi, novæ urbis, ſed Monaſterii intelligit; quod Adelbertus in veteris Argentoratenſis caſtelli ruderibus excitans, portarum reliquias in Monaſterii uſus convertit. Unde conſequitur, has portas, hosque muros cum Strateburgi mœnibus nihil habuiſſe commune. Portæ tamen Childericiani Diplomatis & GUILLIMANNUM (e) & OBRECHTUM, (f) cum aliis multis, in errorem duxerunt. Uterque enim portas has ad Strateburgum retulit; prior ad Strateburgum, quod Adelbertum una cum Monaſterio

(s) Apud SCHILTERUM *Obſervat.* XI. *ad Kœnigshov.*

(t) *Chron. Alſat.* Lib. VIII. Cap. II.

(u) *Topograph. Alſat.* pag. 51. ubi non in omnibus Kœnigshovii tradita fideliter exhibentur.

(x) *Prodrom. Rer. Alſat.* Cap. IX.

(y) Loco alleg.

(z) *Chron. Argent.* Cap. V. §. XX.

(a) OBRECHTUS in *Prodromo Rer. Alſat.* Cap. IX. pag. 196. Diploma hoc Childerico III. adſcribit, cumque ſecutus eſt SCHILTERUS in *Obſervat* VIII. ad *Kœnigshovii Chron.* pag. 527. Obrechtus hinc confutat GUILLIMANNUM, qui in *Epiſcopis Argent.* Cap. IV. pag. 23. id Childerico II. tribuit, quem Childericum primum vocat, Clodovæi I. patrem, ethnicæ religionis omittens. Childericus III. non potuit Adelberti Ducis fundationem firmare, quippe qui nonniſi An. DCCXLII. regnare cœpit, quum Adelbertus Dux An. DCCXXIII. Chartis filiorum Honaugienſibus jam inter mortuos cenſeatur. Errorem ſuum agnoviſſe Obrechtum ſcribit HUMBERTUS BELHOMME in *Hiſtoria Medians Monaſterii* Part. I. pag. 15. Nos cum CAROLO COINTIO *Annal. Eccleſ.* Tom. IV. ad An. DCCXII. pro Childerico Chilpericum conſtituimus.

(b) *Prodrom. Rer. Alſat.* Cap. IX. pag. 200.

(c) Charta integra apud SCHILTERUM *Obſervat.* VIII. ad *Kœnigshov.* pag. 534.

(d) *Chron. Alſat.* Cap. IV. §. XXI. pag. 238.

(e) *Epiſc. Argent.* Cap. IV.

(f) *Prodrom.* Cap. IX. pag. 201.

Digitized by Google

GEOGRAPH.

ſterio primum condere tum cœpiſſe crediderat; poſterior ad Strateburgum, diu ante exſtructum. Guillimannum, Strateburgi origines ad Stephaniani Monaſterii exſtructi tempora deprimentem, ſolidius confutaſſet Obrechtus, ſi cœnobii muros extra civitatis muros conſtituiſſet. Ita Baſilica S. Martini extra muros quoque fuit Mettenſes; S. Vincentii & alia plura Monaſteria extra muros Lutetiæ; S. Martini Monaſterium extra muros urbis Turonicæ; Monaſt. S. Columbæ extra muros Senonienſes. Res ſuas ſeparatas profecto, mœniaque diſtincta habuit Strateburgum, quod ultra LXXX. annos urbs Regia jam fuerat, Palatio ſuburbano inſtructa; in quo Childebertus cum omni Comitatu Regio commoratus eſt, ante quam de Stephaniano Parthenone Adelbertus cogitaſſet; uti ex Turonenſi Antiſtite paulo ante docuimus. Colligimus hinc, primæ urbis Strateburgi mœnia, ſatis jam arcta, arctius contrahi, ſi Parthenonem ab illis excludas. Ita enim ambitus ejus à foro equino per templum Dominicanorum ad xyſtum mercatorum, (*Arcades*) atque per forum piſcatorum recta perrexit ad Bruſcam, ubi majus macellum eſt, indeque non prima urbis veteris foſſa, uti Kœnigsbovio cæterisque viſum, ſed ipſo vici vitulini aditu terminabatur.

§. CXXVI.

Ampliationes.

Prima omnium ergo Strateburgi prolatatio mœniorum ea fuit, quæ Stephanianum Monaſterium urbi incluſit; quam Annales Argentoratenſium licet ignorent, eam tamen ante An. DCCCXLV. contigiſſe neceſſe eſt; quod Lotharius Imp. hoc anno in ſuo Diplomate dicit: *Abbatiſſa S. Stephani Baſilla (g) in ambitu infra (h) muros Argentoraco.* Factum illud fine ſec. VIII. videtur, quod in Traditione quadam Fuldenſi apud SCHANNATUM ad An. DCCCI. novæ civitatis Argentoratenſis mentionem reperimus, his verbis: " Donatum eſſe volo infra nova civitate Argentoratinſe areale I. cum caſa, quæ ſuper ipſam " arialem ſtabilita eſt; ab una latere terra S. Nazarii. ab alio latere terra S. Mauritii, " & ab uno fronte terra S. Mariæ, ab alio fronte terra S. Stephani. " Hæ omnes terræ intra urbis mœnia tum erant, quod in ſpatio illo, mœnibus nuper cincto, quodque novæ civitatis hinc nomen obtinuit, rara adhuc ædificia eſſe debuerant.

Reliquas urbis ampliationes Kœnigshovius indicat: in eo tamen quoque, uti jam dixi, deceptus, quod Argentoratum ſemper ſubſtitiſſe, eandemque cum Strateburgo, perpetua temporum ſerie, urbem extitiſſe arbitratur; quæ ſubſequentibus demum ſeculis creverit. Veriora profecto traditurus erat, ſi dixiſſet, Argentoratum ſub Romanis magnam urbem fuiſſe; Imperio eorum ruente, exciſam diu in ruinis jacuiſſe; donec prope ruinas ejus Strateburgum, oppidum novum, ſed exiguum, conderetur ſub Francis; ſub Imperio Germanico deinceps, per temporum intervalla, magnis incrementis augendum. Non infirmo itaque fundamento nititur FRANCISCUS IRENICUS, (*i*) quum ſcribit: " Dum Argentinenſium literas, antiquitate etiam modeſta præditas, " perlegimus, videmus eam urbem vix tantum ſpatii in receſſu habuiſſe; Ottonum " temporibus, quantum oppidum ignobile. Eadem ratio de Moguntia, Wormatia, " Spira, Nurenberga, vulgatur, quæ tantum Henricorum temporibus incrementa ſumſerunt. "

§. CXXVII.

Urbes in Gallia raræ.

Sed & id porro obſerva, Meroveadum & Carolidum tempeſtate urbes in ipſa quoque Gallia admodum raras fuiſſe; in Germania enim Trans-Rhenana nullæ fuerunt. Vix ſemel legere eſt, " Chilpericum Regem miſiſſe ad Duces & Comites civitatum, " ut muros componerent urbium, reſque ſuas cum uxoribus & liberis inter murorum " munimenta concluderent. " Sed mandatum caruit effectu; nec quis paulo nobilior temere intra mœnia receſſit. Nihil tum fuit, quod urbium incrementa promoveret; non immunitas incolarum, non commercii frequentia, non inhabitatio hominum illuſtrium, quorum vita profuſior opificum aliorumque miniſtrantium attrahit manum, quæ inſecutis demum temporibus evenerunt. Itaque Cis-Rhenanæ urbes noſtræ pleræque, ſub prima Regum Franciæ ſtirpe, inter rudera ſua manſerunt, aut ſi mœnia ſervarunt, vel etiam nova obtinuerunt, incolis tamen multis non erant inſtructæ. Sub Carolingis paulo melior fortuna eas aſpexit; quando nobiliores earum acceperunt Epiſcopos, unde ædium ſacrarum templorumque frequentia. Quæ tamen reſurgens felicitas hinc inde Normannorum, & mox Hungarorum, incurſionibus, in Alſatiam uſque factis, rurſus fuit ſuſpenſa.

§. CXXVIII.

(*g*) Corruptoris manus in autographo delevit *Baſilla*, poſuitque nomen, quod GUILLIMANNUS, OBRECHTUS, SCHILTERUS, legunt *Ruadrut*, MARILLON *Ruothada*, omnes male. Verum nomen in veſtigiis ductuum reſiduis rigido examine reperi *Baſilla*, quod nomen & in Ludoviciano Diplomate legitur, nec ab impoſtore corruptum. Vid. SCHILTERI *Obſerv.* ad *Kœnigshov.* pag. 534.

(*h*) *Infra* muros, pro *intra* muros, uti ſupra GREGORIUS TURON. *Childebertus infra terminum urbis, quam Strateburgum* &c. CANGIUS in *Gloſſar.* voce *infra*; unde Italis *fra.*

(*i*) *Exegeſeos Germaniæ* Lib. IX. Cap. XVIII.

§. CXXVIII.

Urbs regia.

Inter prærogativas Strateburgi, à primis ejus ſub Francica Periodo originibus, fuit, quod Regia, imo & Palatina urbs eſſet. Omnes illa ætate civitates Regiæ fuerunt, non omnes Palatinæ. Urbes Ducales tum erant ignotæ, quod Duces Comitesque nonniſi Magiſtratus munia exercuerant. Epiſcopatuum & Abbatiarum bona ex Pagis, vicis, villis, prædiisque conſtabant; unde nec ſub Periodo Francica urbium Epiſcopalium, ſenſu politico, uſus invaluit. (k) Strateburgum caput Ducatus Alſatiæ (l) fuit; à Duce Comiteque recta, qui non ſuo, ſed Regis nomine jura dicebant; hæcque adeo juriſdictio haud impedivit, quo minus urbs *Regia* ſub Merovingis, urbs *Imperialis* ſub Carolingis, diceretur & eſſet. Illi enim ævo & ignota fuit urbium in mediatas & immediatas diſtinctio. Quodſi villæ, ubi Palatia erant, appellatæ ſunt *Regiæ*, civitas Palatinm adſtructum habens, Regiæ quoque urbis nomen promerita eſt, quod & *Palatinæ* appellationem mereretur.

In alia tamen omnia GUILLIMANNUS (m) iterum diſcedit, atque Strateburgum ex civitatum Regiarum numero non tantum expellit, ſed à prima ejus origine *Ducalem*, inde *Abbatialem*, ultimoque loco *Epiſcopalem*, conſtituit: viciſſitudinis rationes allegans, quod Adelbertus Dux, condito S. Stephani Monaſterio, loci conſuetudine opportunitateve inductus, priſcam quoque Argentorati faciem, muris portiſque, quas enarravimus, erectis, aliquo modo reſtituere conatus ſit, urbemque reſtitutam Antiſtitæ Stephanianæ ſubjecerit. Quum autem An. MV. Wernherus Epiſcopus ab Henrico II. Abbatiam S. Stephani, ad reſtituenda ædificia ſacra, quæ nupero bello civili fuerant igne conſumpta, obtinuiſſet, jus quoque in Strateburgum cum Abbatia ad Epiſcopum perveniſſe, GUILLIMANNUS exiſtimat. Sed ante Guillimannum jam ſtatuit BEATUS RHENANUS, (n) Strateburgum oppidulum cœnobiale fuiſſe, cujus pars potior extiterit ipſum Cœnobium. Proximis inde vicis paulatim contractis, atque Palatio Regio & Parthenoni conjunctis, urbem denique magnam exortam. Verum enimvero totum hoc Beati Rhenani & Franc. Guillimanni ſyſtema corruit, falſo quod fundamento innititur. Stephanianus Partheno, nonniſi fine ſeculi VII. (o) ab Adelberto Duce conditus, qui cauſa potuit eſſe condendi Strateburgi, quod GREGORIUS TURONICUS, An. DXCV. mortuus, jam urbem appellavit; quodque urbem jam vidit Childebertus II. Rex, quum in Palatio ſuo Regio ad Strateburgum An. DLXXXIII. eodem Gregorio teſte, paulo poſt moriente, ſederet. Qua porro ratione Strateburgus cœnobialis aut Epiſcopalis urbs eſſe potuit, quæ à DITMARO, Meſeburgenſi Epiſcopo, *Alſatiæ Ducatus Caput*, uti modo oſtenſum, appellatur? Quo documento denique & donatio urbis, Monaſterio facta, & ejusdem urbis cum Parthenone ad Epiſcopatum translatio, unquam fuit probata? Lotharianum & Ludovicianum Diplomata, Stephanianis data, donationem hanc ſilentio premunt: translationem dominii urbis ad Epiſcopatum ipſe ſilet Wernherus. Num autem veriſimile eſt, enm, qui vicos & villas, Eccleſiæ ſuæ conceſſos, in Charta (p) enarraverat, ſilentio præteriturum urbem, cujus Epiſcopus erat, ſi dominium ejus obtinuiſſet à Cæſare? Quodſi quis, Stephaniani Cœnobii cauſam deſerturus, aliique fundamento inſiſtens, Ottonis I. beneficio Epiſcopos in urbes Cathedrales ſuam juriſdictionem acquiſiviſſe urgeret, ille quoque intelligat, Ottonem nonnullis quidem, ſed non omnibus, jus illud conceſſiſſe Epiſcopis. Inter civitates, Epiſcopis ſuis nunquam ſubjectas, Ratiſbonam, Auguſtam Vindelicorum, Lubecam, Suerinum, Ratzeburgum, pluribus aliis omiſſis, allegat CONRINGIUS. (q)

§. CXXIX.

Palatium Regium.

GUILLIMANNO autem in hoc argumento tot nævos excidere potuiſſe, eo magis miramur, quod ipſe eodem in Libro & Capite (r) aſſerat, Carolinorum ætate *Palatii Regii* nomine audiuſſe Stratburgum. Præter teſtimonia, quæ adducit Guillimannus, teſtem quoque rei produco ipſum Adelbertum, qui Literas pro Honaugienſi Cœnobio, quod

(k) Niſi hinc inde aliquod oppidulum, vico quam oppido propius, uti Rubeacum, quod in Emunitate Epiſcopatus Stratburgenſis ſitum, ab Eddone Epiſcopo *oppidum Rubiacum* dicitur in Teſtamento, quod An. DCCLXIII. condidit, quodque dedit GUILLIMANNUS *de Epiſc. Argent.* Duces & Comites non ut tales, ſed ut Dynaſtæ, burgos, caſtella aut oppidula quoque nonnulla, habere potuerant, quum ſecuritatis cauſa vicum muro circumdarent.

(l) Ita ſub Hermanno Duce appellatur a DITMARO Lib. V.

(m) *Epiſcop. Argent.* Cap. IV. & VII.

(n) *Rer. Germ.* Lib. II. pag. 173.

(o) Childericus II. qui Cœnobii origines firmavit, circa An. DCLXXIV. periit.

(p) Anni MV. apud SCHILTER. loco cit.

(q) De *Urbibus Germanicis* num. 115. ubi Baſiliam quoque non-epiſcopalibus male annumerat. Epiſcopalem enim aliquandiu fuiſſe, in *Chron. Baſil.* fatetur URSTISIUS.

(r) GUILLIMANN. *de Epiſc. Argent.* Cap. IV.

GEOGRAPH.

quod & ipſe, ſed pro Monachis, inſtituit, dediſſe ſe ſcribit: (*s*) *In curte regia Villæ, quæ eſt in ſuburbano Civitatis novo, quam Adelbertus Dux ex novo opere conſtruxit.* Annunciat nobis hæc Charta Adelbertum, curtis regiæ, in ſuburbana civitatis Strateburgi villa, conditorem, & quidem ex opere novo. Condidit ergo curtem regiam, hoc eſt, Palatium Regium, non Ducale, Adelbertus; qui poteſtate Ducis Alſatiam, nomine Regis, quum rexerit, regiorum quoque ædificiorum curam geſſit. Scilicet Childeberti II. temporibus Regia curtis fuit prope urbem, (*t*) quæ ſeculo VII. finiente reſtaurata ab Alſatiæ Duce. Villæ hujus nomen Theotiſcum fuit *Kænigshoven*, in occiduo ſuburbano Strateburgi; qua de re paulo poſt in Palatiis Regiis diſſeremus.

Inferimus hinc, Adelbertum Ducem ſuburbana Strateburgi quidem egregie reſtauraſſe, ipſam tamen urbem ei nihil prorſus debere, quæ duobus fere ſeculis jam antea Regia urbs extitit. Solum ille Parthenonem Stephanianum in fundo & ex peculio ſuo, accepta Childerici II. Regis Confirmatione, conſtruxit; curtis Regia autem ex Regio fiſco, in villa fiſcali, pro Rege Childerico & ſucceſſoribus, ab eo fuit exſtructa. Unde duo nova Strateburgi ſuburbana ædificia, ſacrum alterum, alterum profanum, prius ad ortum, poſterius ad occaſum, eodem fere tempore, prodierunt in lucem; illud pro Sanctimonialibus, ex fiſco Ducis, hoc pro Regia aula, ex Regio fiſco, conſtructum; utrumque ornamentum urbis externum, neutrum pars integrans ejus; neutrum Adelbertini in urbem dominii documentum aut teſtis. Omni ergo fundamento deſtituta ſunt, quæ Rhenanus, Guillimannus, & poſt hos SCHADÆUS (*u*) de Cœnobiali, atque exinde prognato Epiſcopali, in Strateburgum tradiderunt dominio. Confoderunt ea plures ante me; CONRINGIUS (*x*) obiter; fuſius autem & diligentius VALENTINUS HEIDERUS, Syndicus Lindavienſis, in Libro erudito de *Advocatiis Imperialibus*, Germanice ſcripto; (*y*) atque poſt eum ULRICUS OBRECHTUS. (*z*)

§. CXXX.

Origines Strateburgi exiguæ.

Hoc modo Strateburgum, quod, ſitus ratione, umbilicum Alſatiæ, ob dignitatem ſuam, oculum Alſatiæ appelles, inter præcipuas Francici totius Imperii, ſpeciatim Franco-Auſtraſiani Regni, regias liberasque urbes, à primis originibus ſuis, numerata, caput fuit Ducatus Alſatici, circuitus ejus licet mediocris, imo exiguus fuerit. Neque vero tenuibus his originibus ſuis erubeſcere debet Strateburgenſium civitas, quum penſitaverit, ipſam Lutetiam, quam Clodoveus An. DVIII. ex primario Pariſiorum gentis oppido Cathedram Regni conſtituit, (*a*) fluminis Sequanæ inſulæ, eadem noſtra ſub Francica Periodo, fuiſſe incluſam; quos ipſos quoque limites jam Cæſar Dictator, Julianus Cæſar, & Ammianos Marcellinus, ei dederant. Parva autem hæc Inſula nonniſi XL. circiter jugera continuit; ſi menſoribus Maſſonoque credendum. In ſuburbanis hinc inde Baſilicæ exſtructæ fuerunt, ut appendices urbis; at mœnia nonniſi à Philippi Auguſti temporibus latius extendi cœperunt. (*b*)

§. CXXXI.

Politia Strateburgi.

Sed jam de politia Strateburgi illius ævi verbum ſubjungo. Omnis urbs, omnis pagus & vicus, à Comitibus aut Legatis Regiis tum jura accepit, ut infra videbimus. Libera optimatum popolive poteſtas in Francicis civitatibus ætate illa non habuit locum. Inter urbium adminiſtrationem & agri, nullum illo ævo in jure dicendo diſcrimen, ut ex Monumentis apparet. Strateburgum ergo à Comite Regio rectum fuiſſe, ex aliarum Franciæ civitatum formula colligimus. In *Capitulis* enim Caroli M. (*c*) Comitum Veſontii, Moguntiæ, Trevirorum, Coloniæ aliorumque, mentio occurrit. Itaque Argentoratus ſub Romana Francicaque Periodis ſuum quoque Comitem habuit; qui ſub Romanis militaria, ſub Francis civilia præſertim tractavit, imo merum mixtumque imperium, quod vocant, exercuit; Miſſis tamen Dominicis ſubordinatus,

qui

(*s*) COCCIUS in *Dagoberto* Cap. XIV. pag. 132. cujus negligentiam publice heic accuſamus, quod Chartam tam memorabilem, non integram dederit.

(*t*) TURONICUS enim Lib. IX. Cap. XXXVI. ait: "Childebertus Rex morabatur cum conjuge & " matre ſua infra terminum urbis, quam Strataburgum vocant.

(*u*) *Deſcriptio ſummi Argentor. Templi* pag. 8.

(*x*) *Diſſert. de Urbibus Germaniæ* num. 115.

(*y*) Tit. *Von den Reichs-Vogteyen*, Prælim. IV. pag. 39. & Cap. V. pag. 216.

(*z*) *Prodrom. Rer. Alſat.* Cap. IX. pag. 190.

(*a*) GREGOR. TURON. Lib. I. Lutetia An. CCCCLI. à Meroveo erepta Aetio, ſive Romanis, quorum Dux erat in Gallia.

(*b*) Lutetiæ incrementorum gradus diverſos egregie tabulis, æri inciſis, expreſſit LA MARE, in excellenti opere, cui Tit. *Traité de la Police*, Tom. I. Adde DU CHESNE *Antiquitez des Villes de France.* Lib. I.

(*c*) Lib. II. Cap. XXV.

GEOGRAPH.

qui nomine Regis quotannis obibant Provincias, ipſa Comitum Acta examinaturi. Sed & à Comite ad Comitem Palatinum provocatio fuit. (*d*) Imperator ergo Lotharius, quum in Diplomate, An. DCCCXLV. Stephanianis Sanctimonialibus dato, præcipit, " ut nullus publicus Judex, vel quilibet ex judiciaria poteſtate . . . audeat aliquas " eorum Eccleſias, poſſeſſiones, vel quaslibet res invadere &c. „ *Judex publicus* intelligitur Comes; per *Judiciariam poteſtatem* Vicarius, & per Centenarios, qui vice Comitis, uti Comes vice Regis, populis jura dixerunt. Strenuus Spirenſis civitatis jurium defenſor Lehmannus, (*e*) quamvis & ipſe nulla regii Comitis veſtigia hoc ævo Spiratiæ repererit, urbem tamen, uti ab Epiſcopo in Spiritualibus, ita à Comite Regio in temporalibus, ad Henrici V. ævum usque, rectam fuiſſe arbitratur. In Regiis urbibus, ubi & Palatium Regium fuit, Comes in Palatio ſedit; quod ſexto ſeculo intra Strateborgum, ſeculo VIII. autem in Regia ſuburbana extitit villa. Comitis regii vel imperialis, in Palatio ſuburbano villæ Kœnigshoven, quæ ab Aula Regia nomen accepit, ſedentis, memoriam in Altorfienſis Cœnobii Necrologio reperi, quam infra daturus ſum.

§. CXXXII.

Seculo X. liberalitate Ottonum evenit, ut pleraque ex regiis juribus in Epiſcoporum poteſtatem transirent: unde Comites Regis paulatim abrogati in urbibus, & in eorum locum in aliquibus ſucceſſerunt Comites Epiſcopales; in quarum urbium numero fuere Mettis, Tullum, Virodunum, Wormatia, Colonia, Geneva &c. (*f*) quæ Comitem ſingulæ, ab Epiſcopo conſtitutum, habuerant; qualem Strateburgi non equidem reperio: niſi Burggravium (*g*) Epiſcopi huc referas; præter quem in urbe habuit Epiſcopus ſcultetum, ſive cauſidicum, teloniarium & monetæ magiſtrum. His officialibus Epiſcopi Imperator adhuc Strateburgi addidit Advocatum; (*Vogt*) qui jus gladii Cæſaris nomine exercuit, atque adeo ab eo ſuum munus accepit. (*h*) Multa his noſtris conformia habuit Spiratia civitas, de qua conſulatur Lehmannus atque Simonis. Hæc uberius in Periodo Germanica.

§. CXXXIII.

Strateburgi laudes.

Strateburgi laudes ſeculo IX. ineunte paucis decantavit Paullinus, Aquilejenſis Patriarcha, & ipſe Auſtraſius, in Oda vel Hymno funebri Viri, amantiſſimi ſui, Herici, Forojulienſium Ducis, (*i*) ex Strateburgo oriundi; qui circa An. DCCCII. in Liburnia, juxta Tarſaticam maritimam civitatem, inſidiis oppidanorum interceptus eſt, (*k*) conſecravit memoriæ, ubi inter alia hæc legimus: (*l*)

Urbs dives Argentea,
Lugere multo &c.
Barbara lingua
Stratiburgus diceris:
Olim quod nomen
Amiſiſti celebre.

Sed

(*d*) Hincmarus de *Ordine & Officio Palatii*, Cap. XXI.

(*e*) *Chron. Spir.* Lib. IV. Cap. VI. pag. 253.

(*f*) Comites Gebennenſes rarius, at Gebennenſi frequentius, occurrunt. *Comtes du Genevois.* Vid. *Inſtrumentum Transact. inter Epiſcopum & Comitem Genev.* An. MCXXIV. in *Hiſt. Genev.* Tom. II. num. 1.

(*g*) Burggravium Strateburgi ſub Periodo Germanica fuiſſe, varia Documenta probant, præſertim Leges municipales, quas infra allego. Archiepiſcopus Colonienſis in urbe hac Comitem quoque habuit, ſub nomine *Burggravii.* Comitatus hic Colonienſis feudum erat Archiepiſcopi, cujus dominium utile cum directo conjunxit Archiepiſcopus An. MCCLXXIX. poſtquam à Joanne de Arberg illud redemiſſet. Verba Inſtrumenti hæc ſunt: *Nobilis Vir Joannes de Arberg quondam Burggravius Colon. Vaſallus & fidelis noſter, Comitatum Colonienſem, qui dicitur Burggraffſchafft, a nobis & Eccleſia Colonienſi per ſucceſſionem paternam teneret in feudo.* Vid. Colonienſe Scriptum rariſſimum: *Securis ad radicem poſita*, inter *Docum.* num. 21.

(*h*) Hæc omnia in Legibus municipalibus Strateburgenſibus ſec. XIII. continentur, quas edidit Schilterus ad *Kœnigshov.* pag. 715. ſqq.

(*i*) Amicitiam Herici Ducis atque Paulini Patriarchæ teſtatur quoque Alcuinus in Epiſtola XCIV. Paulinus ipſe fuit Auſtraſius origine, ſed patria ignoratur. Ex noſtris forte oris, vel certe vicinia, fuerat ortus.

(*k*) De Erico infra adhuc, ubi de Dynaſtis agimus, dicendi erit occaſio. Erico huic dedicavit Paulinus librum *de Salutaribus documentis*, qui Auguſtino fuerat tributus.

(*l*) Carmen hoc primus ex Codice Lemovicenſi D. Martialis edidit Clariſſ. Abbas Lebeuf *Differt.* Gallice ſcriptarum. Tom. I. Paulini mortem in An. DCCCII. quoque referunt *Annales Fuldenſes*, verius tamen ad An. DCCCIV. ponenda videtur. Rationem allegant *Hiſtoriæ Litterariæ Franciæ* Auctores Tom. IV. pag. 286.

Sed & Strateburgum hoc ævo illuſtravit Ludovici & Caroli Calvi, utriusque Franciæ Regni Regum, Conventus; quo duo hi fratres perpetuum, contra Lotharium Imperatorem, fratrem natu majorem, fœdus inter ſe magno Procerum populique concurſu in urbe hac anno DCCCXLII. iniverunt, ſolenni juramento firmatum; quod ex NITHARDO (*m*) infra ſumus expoſituri.

§. CXXXIV.

Ludi Equeſtres.

Conventus iſte dedit occaſionem Equeſtribus Ludis, ad Strateburgum tum habitis, qui haſtiludiorum, quorum medio ævo in Gallia Germaniaque tanta celebritas, ſpeciem exhibuerunt, quæ inſequenti ætate ſeverioribus ſtatutis adſtringebantur & legibus. In omni ſane Francica Germanicaque hiſtoria Ludis his Strateburgenſibus antiquius non occurrit exemplum. Verba NITHARDI (*n*) hæc ſunt: "Ludos etiam hoc ordine ſæpe cauſa exercitil frequentabant. Conveniebant autem quocumque congruum ſpectaculo videbatur, & ſubſiſtente hinc omni multitudine, primum pari numero Saxonorum, Waſconorum, Auſtraſiorum, Brittannorum, ex utraque parte, veluti invicem adverſari ſibi vellent, alter in alterum veloci curſu ruebat. Hinc pars terga verſa protecti umbonibus, ad ſocios inſectantes evadere ſe velle ſimulabant. At verſa vice iterum illos, quos fugiebant, perſequi ſtudebant; donec noviſſime utrique Reges cum omni juventute, ingenti clamore, equis emiſſis haſtilia criſpantes exiliunt, & nunc his, nunc illis terga dantibus inſiſtunt. Eratque res digna pro tanta nobilitate, nec non & moderatione, ſpectaculo. Non enim quiſpiam in tanta multitudine ac diverſitate generis, uti ſæpe inter pauciſſimos & notos contingere ſolet, alicui aut læſionis aut vituperii quippiam inferre audebat. „ Ludos Eqoeſtres, haſtiludia, vel Torneamenta illa barbare dicta, in Nithardianis verbis qui non videt, in clara eum luce cæcutire dixeris.

Peccant ergo metachroniſmo Scriptores, qui conflictus hos, plus quam ludicros, ad ſec. X. usque vel XI. deprimunt, quæ recepta tamen olim ſententia fuit. Germani eos apud ſe natos qui credunt, eosdem ad Henricum Aucupem, hoc eſt, ad ſec. X. vulgata olim opinione, nunc profligata, retulerunt. (*o*) Galli Gaufridum ſuum de Pruliaco iſtorum exercitamentorum diu agnoverunt auctorem, *Chronici Turonenſis*, (*p*) & alterius *Chronici* MARTINI TURONENSIS, (*q*) freti auctoritate. Verum antiquitas horum Ludorum ex ſeculo IX. jam à Strateburgo noſtro repetenda eſt. Nec Ludos illos tamen primum tum inventos fuiſſe ſcribit Nithardus; unde ſtatuendum, illorum mentionem in Nithardiana Strateburgenſis conventus Hiſtoria quidem primum occurrere, eos autem jam antea in uſu eſſe potuiſſe.

§. CXXXV.

Ager Straſburgenſis.

Poſtremo denique loco annotamus, Strateburgo non contigiſſe, quod Baſiliæ, Briſaco, Spiræ, Wormatiæ, Metti, evenit. Hæ ſcilicet urbes nomina ſua adjacentibus agris, Baſalgouuæ, Brisgoviæ, Spirigoviæ, Wormatzgoviæ, Metingoviæ, communicarunt; Strateburgum autem in Pagum circumjacentem nomen ſuum non derivavit. Cauſa forte fuerat, quod urbs ipſa in Kilicheimenſi Comitatu imo & in majore Nordgoviæ atque in maximo Alſatienſi Pagis, diverſo reſpectu ſita cenſebatur. Sed nec Moguntiacum, nec Colonia, nec Treviri, nec plura alia oppida, cognomines Pagos habuerunt. Moingoviæ Pagus enim à Mœno, non à Moguntiaco, nomen accepit. Moguntiacum autem Wormatienſis olim Pagi pars fuerat. (*r*) Strateburgum eo fere in loco quum conditum, ubi vetus ſita olim fuerat Argentoratus, utramque urbem Juniores, uti vidimus, plerumque confundunt. In numero hoc ponas KNIPSCHILDIUM; qui de civitate hac inquit: (*s*) "Urbs eſt antiquiſſima, & ſi antiquitas nobilitatem commendat, citra omnem controverſiæ aleam, hæc nobiliſſima eſt.

(*m*) Lib. III. Cap. V.

(*n*) Loco cit. Cap. VI. Apud BOUQUET. *Scriptor. Franc.* Tom. VII.

(*o*) GEORGIUS RUXNERUS in Libro Germ. de *Torneamentis* primum Ludum Magdeburgi habitum dicit An. DCCCCXXXVIII. ſub Henrico Aucupe, qui biennio ante jam mortuus fuerat. Nec Henrico Ludorum horum originem apud Germanos abjudicat FRANC. MODIUS in *Pandectis Triumphal.* Tom. II. pag. 1. et Ruxnerianam Epocham corrigit, pro DCCCCXXXVIII. ponens An. DCCCCXXXV. WITICHINDUS Lib. I. pag. 641. ait: *Henricus in exercitiis ludi tanta eminentia ſuperabat omnes, ut terrorem cæteris oſtentaret.* Ludorum exercitia ergo jam ante eum erant in uſu.

(*p*) Ubi An. MLXVI. *Gaufridus de Pruliaco, qui Torneamenta invenit, apud Andegavum occiditur.*

(*q*) Ibi legitur: "Anno Henrici Imp. VII. & Philippi Regis VI. fuit proditio apud Andegavum. Gaufridus de Pruliaco & alii Barones occiſi ſunt. Hic Gaufridus de Pruliaco Torneamenta invenit." CANGIUS in *Diſſert.* VI. ad *Joinvillam* pag. 166.

(*r*) Præter alia teſtis eſt Charta Fuldenſis anni DCCCXI. ubi dicitur: *mancipia V. in Pago Wormatienſe, civitate Moguntia.* SCHANNAT *Traditiones Fuld.* num. 222.

(*s*) De *Civitat. Imperialibus* Lib. III. Cap. LI.

HOHENBURG CASTRUM.

§. CXXXVI.

Hohenburg.

NOmen hoc nobis ſervarunt Rerum Etichonis Ducis atque Odilianæ Vitæ Scriptores. Fragmentum Hiſtoricum Anonymi, ALBERTO ARGENTIN. præfixum, ait: "Athicum „ ſeu Adalricum habuiſſe ſedem in villa regia Ehenheim, & in caſtro, quod Hohen- „ burg nominatur. „ Caſtrum ſive arx hæc, in ſummo montis, qui ab Athici filia dein Odilianum nomen accepit, poſita, æſtivo tempore ab Athico habitabatur. Caſtrum nec Regium, nec Ducale, ſed in patrimonio Athici fuit, alias in gratiam Odiliæ, filiæ ſuæ, in Monaſterium non potuiſſet converti. FRANCISCUS IRENICUS quidem, cujus tres Libri de *Monte Odiliano* perierunt, in *Exegeſi Germaniæ* (*t*) ſcribit, Hohenborgum arcem fuiſſe Regum Francorum, antequam in Monaſterium converſum fuerit; ſed hoc nullo ex rerum Hohenburgenſium Scriptore liquet. Monaſterii Hohenburgenſis nomen dein ſemper manſit in uſu, quod magna Chartarum, Cœnobio huic datarum, ſeries ubertim demonſtrat.

ZABERNA.

§. CXXXVII.

Zaberna.

ALemanni & Franci Latinum nomen *Tabernæ* in *Zabernam* mutarunt. Francico ævo primus locum hunc nominat NITHARDUS, (*u*) his verbis: "Karolus, quod „ Otgarius, Moguntiæ ſedis Epiſcopus, una cum cæteris Lodhuwico fratri ſuo „ tranſitum ad ſe prohibuiſſet, iter per Tullenſem urbem accelerans, Eliſazam ad „ Zabarnam introiit. „ Oppidum, caſtrum, an vicus, Zabarna extiterit, non addit Nithardus. FRODOARDUS, qui ſec. X. ſcripſit, locum vocat *Zabrenam*, nomine, quod hodierno vulgari Teutonico ſimile, Latina modo terminatione augetur. Hic Zabrenam diſtincte *Caſtrum* appellat. (*x*) "Petitur, (inquit) à Wigerico, Metenſium „ Epiſcopo, receptum ire quoddam caſtrum, in Pagum Eliſatium, nomine Zabre- „ nam; ubi toto pene demoratus autumno: Caſtellanis, quia Trans-Rhenenſes erant, „ auxilium ab Henrico, (puta Aucupe) fruſtra expectantibus. „ Additur paulo poſt, (*y*) caſtrum à Wigerico fuiſſe everſum. Zabrena ergo fuit locus, illorum temporum more munitus, adeoque circumdatus muro & ſimilis oppido. Oppida, quæ Epiſcopi ſedes non erant, *caſtra* appellari ſolita exiſtimat CANGIUS; (*z*) ſed *Notitia Galliarum* Honoriani ævi repugnat, quæ *Argentorate Caſtrum* vocat.

HADRIANUS VALESIUS (*a*) oppida, quæ non erant capita provinciarum, caſtri nomine inſignita, arbitratur. In eo conveniunt omnes, caſtrum fuiſſe munitionem, cujus exſtruendi finis primarius, hoſtes à tranſitu faucium, fluminis &c. arcere. Præcipuus ergo caſtri uſus militaris, oppidi civicus fuit; cujus incolæ, prius in vico degentes, ſecuritatis ſuæ cauſa vicum muro cinxerunt; unde natum eſt oppidum; caſtrum tamen & oppidum medio ævo non ſemel promiſcue ſumebantur. ALBERICUS, Trium Fontium Monachus, de Briſaga loquens, (*b*) primo *oppidum Alſatiæ*, paulo poſt *caſtellum Briſag*; DITMARUS MERSEBURG. (*c*) vero, ſeculo XI. qui ſcripſit, *civitatem* munitiſſimam *Brizach*, appellant. Ita in Alſatica quoque Hiſtoria reperimus, Saloiſſam noſtram à Scriptoribus medii ævi *caſtrum* nuncupari, quod ODILO, ſeculi X. Scriptor, *oppidum Salſenſe* vocat. Unde civitas, caſtrum, caſtellum, oppidum, mixtas ſubinde voces fuiſſe colligimus. Militarem Zabernæ noſtræ originem ſub Romanis oſtendi: idem uſus ejus ſub Francis; ut Vogeſi nempe fauces aperiret & clauderet. Hinc Wigericus, Metenſis Epiſcopus, pro Rodulfo, novo Rege Franciæ, pugnans, locum ab Henrici Aucupis, Germaniæ Regis, militibus occupatum, una cum Rodulfo primum oppugnavit, paulo poſt ſolus expugnavit, (*d*) evertit. Contigerunt hæc quidem poſt finem Periodi Franciçæ, omnia tamen, ut credamus, perſuadent, Zabernam ſub hac quoque Periodo extitiſſe jam caſtrum. Zaberna noſtra agro circumjacenti nomen ſuum non communicavit. In Suevia autem Zabergovia, à flumine *Zaber* nuncupata, occurrit. (*e*)

CAPUT

(*t*) Lib. VII. Cap. XXI.
(*u*) *Hiſtor.* Lib. III. Cap. IV.
(*x*) FRODOARDUS in *Chron.* ad An. DCCCCXXIII. apud PITHOEUM *Scriptor. Francicor.* pag. 118. & apud CHESNIUM *Scriptor. Francicor.* Tom. II. pag. 593.
(*y*) Loco cit. pag. 119.
(*z*) In voce *Caſtra.*
(*a*) Præfat. ad *Notitiam Galliarum* pag. 18.
(*b*) An. DCCCCXLIV.
(*c*) *Chron.* Lib. V. pag. 369. apud LEIBNITIUM *Scriptor. Brunſvicens.* Tom. I.
(*d*) FRODOARDUS loco cit.
(*e*) MERIANUS in *Topographia Sueviæ* locis diverſis.

Google

CAPUT IX.

PALATIA REGIA ET VILLÆ FISCALES.

§. CXXXVIII.

NUlla Galliæ, Italiæ, Germaniæque regio eſt, quæ tot Palatia, tot Villas Regias, Curteſve Fiſcales, tam brevi intervallo contineat, ac noſtra Alſatia. Fertilitas Alſatiæ, ſitus ejus opportunus atque amœnitas, frequentiæ Regiarum villarum occaſionem dederunt. Palatia vel in urbibus, vel in villis regiis, exſtructa fuerunt. Ob urbium raritatem tamen, & quod Francicis moribus Reges in agris habitare mallent, major Palatiorum numerus in villis regiis fuit. Factum hinc, ut ipſæ urbes Palatinæ quandoque villæ Regiæ dicerentur. (*f*) Eam ob rem manſiones has Regum variis nominibus inſignitas reperimus: *Curtis* (*g*) *regia*, *Domus dominica*, (*h*) *Fiſcus regius*, *Fiſcus dominicus*, *Villa Fiſci regii*, *Villa publica Fiſci*, *Villa fiſcalis*, (*i*) *dominicalis*, *dominicata*, *indominicata*, *publica*, *Villa Palatii*; imo & *Placitum*: (*k*) rarius *Comitatus*; (*l*) quod regius procerum comitatus ibi habitabat. *Palatii regii* & *Palatii publici* appellatio uſitatior fuit. Contra CANGIUM tamen obſervo, *Palatia regia cum villis regiis non omnino confundi debere; quod villæ regiæ plurimæ erant, ubi nulla Palatia; ut ex dicendis patebit.

Palatiorum deſcriptio.

Regales hæ ſedes & villæ plerumque, vel ad ſilvas, vel ad flumina, amœnis & opportunis in locis poſitæ; ut ibi venari, piſcari, nare poſſent Reges, cum Comitibus ſuis. Francis enim, Germanicæ genti, natatio exercitium patrium fuit.

Palatii ejus generis ſchema aut faciem ex *Farfenſi Chartario* MABILLONIUS (*m*) delineavit. Annotantur in eo Proaulium, Salutatorium, Conſiſtorium, Trichorum, conviviis deputatum, ſpeciatim Zeta hiemalis, Zeta æſtivalis, Epicauſtorium, Triclinia accubitanea, Thermæ, Gymnaſium, Coquina, Columbum, ubi aquæ influunt, Hippodromus. Sed & lectu digniſſimum eſt *Capitulare Carolinum* de Regiis villis; (*n*) ex quo elucet, quam variis inſtructæ rebus & domibus; quanta earum immunitas, quæ cuſtodia. In illis omnis generis artifices, opifices, venatores, foreſtarii, cellularii, agricultores, vinitores, paſtores, piſtores, coci, fiſcales ſervi, quæ familia dominica dicitur, aliique miniſteriales regii, Regiſve domeſtici agitarunt. Magnifici Palatii Ingelheimenſis, in quo Carolus M. natus fuiſſe perhibetur, deſcriptionem poeticam dedit ERMOLDUS NIGELLUS, (*o*) ex milite Clericus, quem Ludovicus Pius in exilium miſit Argentoratum. Centum columnis innixum, Baſilicam ejus aureis oſtiis, æneiſque poſtibus ornatam fuiſſe, tradit. Unde oppidi potius, quam vici, nedum villæ, ſpecimen Palatia iſta habuiſſe apparet.

(*f*) SPELMANN in *Gloſſar.* pag. 557. CANGIUS in *Gloſſar.* voce *Villa regia.* LAMBECIUS *Commentar. Biblioth. Vindob.* Lib. II. Cap. V. pag. 86. EGGELINGIUS in *Miſcell. Germ. Antiquit.* Exercit. III.

(*g*) *Curtis* proprie ſignificat locum, ſepe vel muro cinctum, in quo domus conſiſtit. ECCARDUS *ad Legem Salicam* pag. 26. Quandoque & villam, ſeu habitationem indicat, ædificiis, colonis, ſervis, agris aliiſque rebus, ad rem agreſtem neceſſariis, inſtructam. Improprie denique judicium denotat, in quo cauſæ feudales tractantur. Hoc ſenſu *Judex Curtis. Feud.* Lib. I. Tit. XVIII. Noſtro, qui præ manibus eſt, ſenſu, palatium, itemque comitatum ac familiam Regum deſignat. Ita *Actum in Curte regia Zurich*, in Alemannica Charta Goldaſti legitur. *Placitum Curte Regia Francenvurt*, habent ANNALES FULDENSES ad An. DCCCLXXXIX. Conf. LERSNERUS in *Chron. Francof.* Lib. I. Cap. VII. Adde *Privilegia Francofurt.*

(*h*) SCHILTER ad *Koenigshov.* pag. 607.

(*i*) GREGOR. TURON. Lib. VI. Cap. XXXII. FRODOARDUS *Hiſt. Rem.* Lib. I. Cap. XX.

(*k*) BALUZIUS in *Not. ad Capitular.*

(*l*) Unde Aula Imperatoris media Latinitate quoque dicta *Comitatus.* EGINHARTUS in *Vita Caroli M.* Cap. XIV. item in Libro de *Translatione St. Marcellini & Petri.* Carolus M. ipſe in *Capitular.* Lib. VI. Cap. CCLVII.

(*m*) *Supplem. Rei Diplom.* Cap. XI. §. VII. pag. 50. Adde WENDELINUM in *Gloſſario Salico* ad vocem *Mallum.*

(*n*) BALUZIUS *Capitular.* Tom. I. pag. 331. BOUQUETUS *Rer. Francicar. Scriptor.* Tom. VI. pag. 652.

(*o*) De *Rebus Ludovici Pii* apud MENCKENIUM *Scriptor. Rer. German.* Tom. I. pag. 919.

§. CXXXIX.

Origo. Scilicet Francorum Reges, in Gallia rerum potiti, oppida & celebriores ſibi vicos retinuerunt, atque paullatim domos & Palatia ſua in illis exſtruxerunt, quæ diverſis adirent temporibus; quum moris apud eos eſſet, regnum juris dicendi cauſa obire quotannis, ſuisque ſe oſtendere populis. Itaque non ſingulis modo provinciis unum alterumve, ſed plurima ſæpe, Palatia varii generis habuerunt; in quibus pro tempeſtatis anni ratione, pro loci ſitusque amœnitate, pro natura negotiorum, plus minusve moræ fecerunt. Unde diverſitas inter transitoria, temporariave hoſpitia, atque inter Palatia ſatis elucet.

Reditus harum villarum ad familiam omnemque comitatum Regis alendum ſervierunt. Curtium minorum proventus curti majori illati ſunt, ut deſtinatis ſibi reditibus, non civium diſpendio, in Palatiis illis Rex viveret. Ita Carolus M. An. DCCXCVII. ordinavit: "Qualiter in quatuor locis hiberna transigeret, ut tribus „ annis exactis, quarto demum anno hic maturum ſe quisque eorum ſuſciperet locus, „ Theodwadum ſcilicet Palatium, Caſſinogilum, Andiacum & Eurogilum, quæ loca, „ quando quartum rediebatur ad annum, ſufficientem Regio ſervitio exhibebant „ expenſam. „ (p) Singula ergo Palatia nonniſi ad tempus inhabitabant Reges & Imperatores, prouti id requirebant negotia, quibus unum aptius & opportunius altero fuit. Poſtremis Meroveadum Regibus unam modo præparvi reditus villam, ex qua alerentur, reliquiſſe Domus Majores, tradit Eginhartus. (q)

§. CXL.

Uſus eorum. In Villis his atque Palatiis dignitas Francici Regni & Regis præſertim eminuit: exterorum in illis Principum excipiebantur Legati: habebantur Synodi & Placita: ibi Principibus, Epiſcopis, Abbatibus, Præcepta Privilegiaque conceſſa ſunt. Unde ſolennis Diplomatum ſtylus: *Datum Compendio villa noſtra; Actum* (r) *Hariſtalio Palatio; Data publice Pariſiis regio Palatio.* Natalis & Paſchatis feſta numeroſo Procerum, eccleſiaſticorum & ſecularium, ad Palatium Regis ſalutandi cauſa concurſu, celebrata fuiſſe, ex innumeris Hiſtoricorum teſtimoniis liquet. Fragmentum Chartæ Childerici III. exhibet Dubletus, (s) ubi legitur de Attiniaco villa: " Cum in Dei nomine cum Optimatibus vel Pontificibus, Apoſtolicis, Epiſcopis, ſeu & inluſtribus Viris, Ducibus & „ Comitibus, Attiniaco villa, in noſtro Palatio, ad univerſorum cauſas audiendas.... „ reſideremus. „ Adde Ebersheimenſem Chartam Ludovici Pii ad An. DCCCXVII. ubi: *Trbona ſeu in Kilikenn, in Concione Imperatoris & Principum.* In Palatiis majoribus frequentius atque diutius, in minoribus rarius, venationis vel alterius rei cauſa, ad breve modo tempus, commorati ſunt. Majora inter Palatia ſub Merovingis jam eminuerunt *Compendium, Attiniacum, Mammaca*, & noſtrum Alſatiæ *Marilegium.* Vix ullum Francorum Regem reperias, qui non Compendii, vel publica Regni Comitia habuerit, ſive Legatos exceperit, ſeu Diplomata condiderit, aut Synodicis interfuerit Epiſcoporum Conventibus. Sub Carolingis Aquisgranum quoqne Palatium Regium inſigne habuit, quod Carolus M. mire inſtauravit, ſi non primus exſtruxit. Nithardus (t) hinc Aquisgranum *Sedem primam Franciæ* appellat. *Secunda Roma* vocatur Alcuino: *Baſilica Aquenſis Capella* item Eginhardo; unde vulgare nomen *Aix La Chapelle*, ubi extremis vitæ annis uſque ad obitum perpetim habitavit Carolus, eodem teſte Eginharto. (u) Sed & Aſnapium Palatium ſub Carolo M. fuit inſigne. Breviarium rerum, quas in Fiſco hoc dominico repererit, Carolus ipſe, ſpeciatim in Charta, lectu digniſſima, exponit; (x) qua multitudo & varietas mira rerum, ibi exiſtentium, patet. Ad Palatiorum minorum claſſem refertur *Arelaunus Fiſcus*, qui Regia ſilvæ Arduennæ villa fuit, atque aſylum Chlotario, Chilperici filio, Theodoricum, Burgundiæ Regem, declinanti, præbuit. In *Actis S. Lantberti*, Lugdunenſis Epiſcopi, (y) Arelaunus appellatur *jocundum Palatium.* In his denique Palatiis cuſi ſunt etiam nummi. Alſatica Regum Francorum ſi ſpectes Palatia, majoribus accenſenda ſunt Marilegium, Chilicheim, Kœnigshoven, Scladiſtat, Columbra. Reliqua computaveris in claſſe minorum.

In

(p) Auctor *Vitæ Ludovici Pii.*
(q) Eginhartus in *Vita Caroli M.* Cap. I.
(r) Carolingi *Datum & Actum* diſtinguere ſolent. Illud chronicis notis, hoc indicando loco, aſſignant. Sub Capetingis uſus: *Actum ſive Data publice Pariſiis.* Vid. Mabillonii Præfat. ad *Michael. Germanum de Palatiis.*
(s) *Hiſt. de S. Denys* pag. 691.
(t) Apud Du Chesne Tom. II. pag. 376.
(u) *Vita Caroli M.*
(x) Leibnizius in *Collectaneis Etymologicis* pag. 125.
(y) *Actor. Benedict.* Sec. III. Part. II. pag. 464.

In Palatia hæc divertebant quoque Miſſi Dominici, ne manſionibus eorum gravaretur populus. Cuſtodiam Palatiorum, Villarum, Curtiumque Regiarum in Provinciis gerebant Domeſtici, qui ex inferiore Domeſticorum Palatinorum ordine ſolebant deſumi. (*a*) Inſpectio autem commiſſa Comitibus Pagi, ubi Curtis Regia ſita. Hi reditus curabant, eosque vel in Regis Comitatum, vel in Miſſos Dominicos, vel alios in uſus erogabant; *Proviſores* hinc dicti. Progreſſu temporum vox Palatii duplicem ſenſum accepit, quum non ſedem Regis modo, ſed & jurisdictionis Prætorianæ mallum atque tribunal, hoc eſt, Prætorium denotare inciperet; quod *Phalanzam*, *Palentiam*, quoque vocabant, teſtibus *Gloſſis Monſ.* apud SCHILTERUM. (*b*) Unde OTFRIDUS WIZANBURGENSIS (*c*) Aulam Pilati *Palanzhus* vertit Theotiſce. Habitatores.

§. CXLI.

In Imperiis recepta diſtinctio eſt inter bona, quæ Principis, & quæ Reipublicæ ſunt: illa avita, propria, hæreditaria, gentilitia, jure patrimoniali, ut allodium Rex poſſidet, quod ea jam poſſederat, antequam ipſe aut majores ejus perveniſſent ad Regnum. Hæc vero Reipublicæ ſunt, atque fiſcalia ſeu bona Coronæ, boc eſt, Coronæ vel Regno annexa; alias terræ fiſcales, (*d*) dominicales, dominicatæ, indominicatæ & domania dicuntur. (*e*) Regalia hæc prædia ita ſceptro adhærent, ut cum eo nata videantur; quippe quæ, ad ſuſtentandum regiæ dignitatis ſplendorem, Francorum Reges, Gallia potiti, reſervaverant ſceptro; vectigalibus inſuper, aliisque juribus majeſtaticis ſibi per omne Regnum ſervatis. Bona claſſis prioris, ſub Romanis Imperatoribus, appellabantur *Patrimonium ſacrum*, (*f*) quod ſemper diſtinguebatur à fiſco. Illius adminiſtratores dicti ſunt *Rationales rerum privatarum.* (*g*) Inter Imperatores Sept. Severum Procuratorem bonorum privatorum Principis primum inſtituiſſe, annotat SPARTIANUS. (*h*) Horum inſtar Reges Franciæ, Carolingi præſertim, multorum bonorum, antequam ſolium obtinerent, poſſeſſores, patrimonium, quod in privato eorum dominio fuerat, à fiſcalibus bonis diſtinctum poſſederunt. Tum enim nondum invaluerat Lex Francica, ut patrimonialia Regis, quum Rex ſolium attingit, bonis accenſeantur Coronæ; quam ſub Hugone Capeto demum BRETIUS (*i*) natam eſſe exiſtimat, conſtitutio hac de re licet non extet. Patrimonia Regum.

§. CXLII.

Ad patrimoniales Carolingorum villas Heriſtallium, Jopilamque referas, quæ vetus illuſtriſſimæ Brachbanto-Belgicæ gentis patrimonium extiterunt ad Moſam. Ab Heriſtallio, quod uno lapide diſtat Leodio, atque Brabantinæ nunc ditionis eſt, ad Moſæ ſiniſtram, Pipinus, Major-Domus, *Heriſtallius* appellatur; quod ibi natus & nutritus fuiſſe creditur. Jopila, è regione Heriſtalhi ad dextram Moſæ, eidem Pipino in deliciis fuit. Ex gentilitio hoc patrimonio ſuo liberalibus eſſe licuit Regibus. Ex prædiis tamen fiſcalibus pleraſque donationes ſacras à Regibus hinc inde factas eſſe, docent Annales. Viris ſagatis, de Republica bene meritis, prædia fiſcalia in beneficium quum concedere licuerit, Eccleſiaſticis hominibus, pro Republica Deum precantibus, dona quoque facere, religioni Reges reputaverunt conforme. Ita Dagobertus II. in ſuperiore Alſatia Rubiacum, cum omni agro, Argentinenſi Eccleſiæ, & Marilegium in inferiore Alſatia Haſelacenſi Monaſterio, donavit. Alienavit quoque Ludovicus Pius regias curtes; (*k*) ſed non primus id fecit, quod nonnulli exiſtimant. Poſtquam ſucceſſu temporis Reges Ducibus, Comitibus, Epiſcopis, provincias conceſſiſſent & urbes, in illis ipſis tamen Ducatibus ſibi nonnullas retinuerunt civitates; è quibus fiſci ſui reditus peterent, quæque à Comitibus Palatinis regebantur. Unde in Franciæ orientalis Regno, in pleriſque Ducatibus, Palatini Comites Cæſarei extiterunt; qui & ipſi tamen tractu temporis aboliti ſunt; quum vel liberalitate, vel diſſipatione Villæ patrimoniales.

Impe-

(*a*) MARCULPHUS *Formular.* Lib. II. pag. 52. *Chron. Fontanell.* Cap. I.

(*b*) *Gloſſar. Teut.* pag. 658.

(*c*) *Evangel.* Lib. IV. Cap. XX.

(*d*) Fiſcales villæ, quia pertinent ad fiſcum. GREGOR. TURON. Lib. VI. Cap. XXXII. MARCULFI *Formula* Lib. II. pag. 52.

(*e*) RENATUS CHOPPINUS *de Domanio Gallico* Lib. I. Tit. II. pag. 12. Domanium, Dominicum, nonnullis Demanium, patrimonium Domini, Gallis *Domaine*, Anglis *Demaine.* SPELMANN *Gloſſar.* in voce: *Dominium.* Vox media ætate ſignificat quandoque fundi proprietatem; ſed & terras ac prædia, quæ Dominus hæreditariæ non tradit ſuis tenentibus, ſed ſuis manibus retinuit. HOTOMANNUS in *Franco-Gallia* Cap. IX.

(*f*) Leg. ult. *Cod. de Vectigal.* Leg. I. *Cod. de Indiction.*

(*g*) CHARONDAS *Pandectes du Droit François* Lib. I. Cap. XXII. pag. 294.

(*h*) In *Sept. Severo* Cap. XII. ubi: *Tunc primum privatarum rerum procuratio* conſtituta.

(*i*) LE BRET *Souveraineté du Roy* Lib. III. Cap. I. pag. 93. ubi: *Hue Capet à eté l'auteur de cette maxime, ſes Succeſſeurs l'ont ſuivie.*

(*k*) THEGANUS in *Lud. Pio* Cap. XIX.

Imperatorum, & hæ redituum fiſcalium reliquiæ vel Ducibus & Comitibus, vel Epiſcopis, Abbatibus, concederentur, vel novis Monaſteriis fundandis dotandisve impenderentur. ANNALES METENSES ad An. DCCCXXXVII. de Ludovico Pio jam annotant: « In tantum largus - - ut villas Regias, quæ erant patris ſui & avi & tritavi, fideli- „ bus ſuis tradidit in poſſeſſionem ſempiternam, & præcepta conſtruxit, & anuli ſui „ impreſſione cum ſubſcriptione manu propria alienavit. „ Normannorum incurſionibus dein multa per Galliam Palatia Regia prorſus perierunt. Noſtra Alſatica magnam partem in Ducum, Epiſcoporum, Abbatiarumque manus pervenerunt.

§. CXLIII.

Expoſitionis ratio.

Sed jam ad ſingulorum Alſatiæ mediæ Palatiorum recenſionem progredimur, in quibus exponendis nec temporum ordinis, quo in Monumentis occurrunt, nec ædificiorum ſitus in villis aut urbibus, nec præſtantiæ locorum, villarum aut domuum, ſed Geographici tantum ordinis rationem habiturus ſum. Quodſi ſervandus eſſet Chronologicus ordo, recenſenda prius forent Palatia, in quibus Merovingi Reges commorati ſunt. Childebertus II. enim An. DLXXXIX. cum Regia ſua omni familia in Strateburgenſi Palatio, Chlotarius II. An. DCXIII. Marilegiæ, Dagobertus II. circa An. DCLXXVI. Iſenburgi prope Ruviacum, aliquamdiu habitarunt. MICHAEL GERMANUS, Cœnobii San-Germaniani apud Lutetienſes Monachus, (*l*) ut & BESSELIUS, Gottvicenſis Abbas, (*m*) ille in Galliæ, hic in Germaniæ Palatiorum Regiorum ſyllabo, alphabeticum ſecuti ſunt ordinem, qui in illa Palatiorum multitudine omnium optimus fuit. Nobis tanta quum non ſuppetebat curtium Regiarum copia, ſitum earum in deſcriptione reſpiciemus. Quemadmodum autem urbium Regiarum aliæ Palatiis inſtructæ, hoc eſt, *Palatinæ*, aliæ non Palatinæ fuerunt: ita quoque villas Regias illuſtriores, in quibus Palatia, *Palatinas* appellares; ceteræ ſimpliciter villæ Regiæ erant, ab aliis villis vel vicis eo tantum diſtinctæ, quod ad fiſcum Regis pertinerent. Poſteriores hæ ſtylo Germanico *Reichs-Flecken* poſſunt vocari. Itaque à Sundgovia medii ævi Alſatica, ſeu Comitatu ſuperiore, ſum facturus initium, indeque ad Nordgoviam, ſeu Comitatum inferiorem, progrediar.

SERENCIA.

§. CXLIV.

Serencia.

Serenciæ unicum Francici ævi monumentum nobis ſervavit memoriam; Charta nempe Ludovici Germanici, qui quum An. DCCCXLII. in Alſatia verſaretur, ubi fœdus Argentoratenſe pepigit cum Carolo Calvo, contra Lotharium Imp. fratrem natu majorem, in Sundgovia quoque aliquandiu ſubſtitit armatus, & commutationem bonorum in Honoltesvillare atque Haſſinga villis, à Sigismaro, Abbate Maurobacenſi, & Hagilone quodam ſuſceptam, Diplomate confirmavit, quod *datum III. Calend. Junias, anno Chriſto propitio ſecundo Regni Domni Hludovici Regis in orientali Francia, Indictione XIII. Actum Serencia villa.* Serencia, hodie *Sierenz*, major Sundgoviæ vicus eſt, inter Mulhuſium & Baſileam oppida. Palatium habuiſſe, Charta quidem verbis expreſſis non docet; indigitat vero haud obſcure eo, quod Germanicus ibi cum Cancellaria, adeoque cum comitatu ſuo, per aliquod ſaltem tempus, commoratus eſt.

HILCIACUM.

§. CXLV.

Hilciacum.

Hilciacum, hodie *Illzach*, uti veriſimile, prope Mulhuſium, ad confluentes Elli & Tolderæ. Palatium hoc in Charta ejuſdem Murbacenſis Abbatis Sigmari An. DCCCXXXV. occurrit, ubi legitur: *Actum Hilciaco, Palacio Regio, An. XXII. Imperii Domni Ludovici Imperatoris.* Vox Germanica, à defluentibus Elli aquis derivanda, (*n*) *Illzach*, à Notario Latine reddita eſt *Hilciacum*, uti *Briſach*, *Ruſach* Scriptores nonnulli Briſiacum, Ruſiacum, Latina lingua expreſſerunt. Aſpiratam præfixit Notarius, more Francorum, quibus ea uti erat ſolenne, quod ex Hlotharii, Hludovici, aliisque nominibus novimus.

Sentiacum

(*l*) *De Francorum Regum Palatiis & Villis Regiis*, quæ Diatriba Librum IV. MABILLONII *de Re Diplom.* abſolvit.

(*m*) Lib. III. *Prodromi Gottwic.*

(*n*) Vox compoſita ex *Ill* & *ach*, quæ poſterior fluentes aquas deſignat. Vide quæ paulo poſt ſub *Rotacha* annotamus.

Sentiacum Palatium, à Moſella VIII. fere millibus diſtans, Latine ſcribentibus *Hiſentiacum* quoque dicitur, Germanice *Sentzich*. Michael Germanus, & Godofredus Beſſelius, qui de Palatiis & Villis Regiis ſcripſere, ignorarunt *Hiſciacum*.

ISENBURG.

§. CXLVI.

Iſenburgi Notitia.

ET hoc Palatium ejusdem argumenti Scriptoribus ignotum. In eo tamen circa An. DCLXXVII. Diploma illud conditum eſt, quo Dagobertus II. tres curtes Regias tradidit Argentinenſi Eccleſiæ. Ita enim finit: *Acta ſunt hæc in Iſenburg* &c. Coccius, (o) & ex eo Henschenius, (p) prima litera omiſſa *Senburg* ſcripſerunt. *Topologus* vero *Novientenſis* (q) habet *Yſenburc*, quod *caſtrum* ibidem appellat. Diplomatis auctoritas Kœnigshovii, Cocciique ſtat fide. Ille *Chronico Alſatiæ Latino* MS. (r) iſtud inſeruit; noo annotans, an ex prototypo, an ex apographo, tranſcripſerit. Coccius in præclaro Argentinenſis Diœceſis membranaceo codice illud ſe reperiſſe profitetur. Uodecunque exemplum ſuum Kœnigshovius deſumſerit, non minus ſaoe, quam Coccianum, interpolatum eſt, quod utrumque annos Chriſti (s) habet adjectos, qui & ipſi tamen non minus, ac anni Regni Dagobertini XXXII. Chronologiæ repugnant. Sed & Diplomatis ſtylus, ad meliora tempora accommodatus, Merovingicæ Cancellariæ barbariem non redolet. Hiſtoricam tamen fidem non derogaverim Documento. Nec diſſentit Henſchenius, qui nihil quidem movet de ſtylo, ſed clauſulæ ſoli inhæret. Cointius (t) inter commentitia illud reponit, ea vero, quæ in Diplomate continentur, non vocat in dubium.

Alterum Dagobertinæ donationis Inſtrumentum, qoo omnem Rubiacenſem Pagum, Emunitatis ſuperioris deioceps oomine notum, Eccleſiæ Argentinenſi tradidit, num Iſeoburgi quoque conditum ſit, hiſtoria ſilet. Nec veteribus ſane Monumentis ſatis compertum, quo in Palatio Sigebertus, Dagoberto natus, ab Amando baptizatus; (u) ab Arbogaſto vero reſuſcitatum fuiſſe in caſtro *Yſenburc*, poſtquam in venatione periiſſet, Topologus Novientenſis ſcribit. Florentium autem in Kirchemio Palatin filiam Dagoberti, à dæmonio vexatam, liberaſſe, *Acta S. Florentii* (x) indicant; quæ & domicilium ibi tunc temporis Dagobertum habuiſſe, illudque *cum omnibus appendiciis* S. Florentio contradidiſſe, declarant. Haſelacenſis ergo Monaſterii, à Dagoberto II. fundati, Diploma in Kircheimenſi Palatin datum videtur. Quodſi tot aliorum Cœnobiorum, à Dagoberto II. in Alſatia inſtitutorum, autographa, vel certe apographa, ſupereſſent, diſceremus ex illis, in quo Palatio frequentius Dagobertus reſederit. Poſtquam Kirchhemium Florentio, pro Haſelacenſi Monaſterio dotando, conceſſit, in aliud ſane Palatium Regem migraſſe, veriſimile eſt,

§. CXLVII.

Varia.

Iſenburgum Palatium ab Iſide, ſub Romanis ibi culta, nomen accepiſſe, vetus traditio; de qua ſupra (y) jam actum. Sed & in colle, qui oppido Rubiaco imminet, in occidua parte caſtri, quod à nuperis Epiſcopis eidem monti impoſitum, jamque ruinam minatur, antiquiſſima rudera conſpiciuntur, quæ Palatii veteris reliquias interpretatur traditio.

Scriptoribus de *Palatiis* aliod Iſenburgum innotuit, quod erat trans Rhenum, à Confluentibus ſeptem milliaribus diſtans, in Wedano Comitatu; unde Iſenburgici Comites nomeo traxerunt. Extat Caroli M. Diploma, Cœoobio S. Victoris Maſſilienſium, *Iſemburgi*, in Palatio Regio, cooceſſum, pro jure vectigalis, quod naves in portu Maſſiliæ, juxta Monaſterium ſub anchora reſidentes, penſitarent. Mabillonius (z) datum putat in Iſeoburgo Wedano, ooſtrum ignorans Alſaticum, ubi Carolus illud dare potuerat, ſi commorationis ejus tempus conſentiens eſt. Deniqoe in Charta Chrodegangi, Epiſcopi Metenſis, qua An. DCCLXV. Gorzenſi multas donationes fecit, repetitis vicibus alia memoratur villa *Iſinburc*, quæ noſtro cum Palatio nihil habet commune; Chartam produxit Meurissius. (a)

(o) *Dagoberti Magni* Cap. XV. pag. 143.
(p) De *Tribus Dagobertis* Cap. V. pag. 84.
(q) Martene *Anecdot.* Tom. III. pag. 1127.
(r) Fol. 67.
(s) Koenigshovius annum DCCVI. Coccius An. DCLXII. ponit atque Indictionem V. ſubjungit.
(t) Ad An. DCLXXV. num. 17. *Annal. Eccleſiaſt.*
(u) *Legenda S. Amandi* in *Breviario Argentorat. Eccleſiæ* An. MCCCCLXXVIII.
(x) Ex Codice Bodecenſi Weſtphalice apud Cointium *Annal. Eccleſiaſt.* Tom. III. pag. 767. & apud Surium in *Vitis Sanctorum* die VII. Nov.
(y) Pag. 80. §. XCI.
(z) De *Re Diplom.* Lib. IV. pag. 289.
(a) *Hiſt. des Eveques de Metz* Lib. II. pag. 168.

RUBIACUM.

§. CXLVIII.

Rubiaci Notitia.

LOcum hunc ut villam Regiam quoque cenſeamus, Carolus Simplex nobis auctor eſt, cujus Charta pro Tullenſi Eccleſia, An. DCCCCXII. data, hanc clauſulam habet: *Actum Villa Rubac.* (*b*) Palatium Iſenburg, Rufaco adjacens, villæ Regiæ nomen ei forte conciliavit. Rufianam Ptolemæi, quam multi Juniorum Rubiaco noſtro aſſignant, ad Alſatiam non pertinere, ſuo loco edocui. (*c*) Rubiacus Pagus, & Pagi caput Rubiacha, Dagoberti II. ævo jam innotuerunt. Pagus in Diplomate ejus ſuper tribus curtibus, Eccleſiæ Argentinenſi circa An. DCLXXVII. conceſſis, (*d*) occurrit. Dicitur ibi: *Altera in Pago Rubiaco* &c. Topologus Novientenſis, Kœnigshovio ultra ceotum annos antiquior, qui Dagobertini Diplomatis nobis impertitus eſt ſummam, *Rubiacum* ipſum *Curtem* appellat. Quum autem Diploma dicat, curtem illam ſive villam anooymam *in Pago Rubiaco* ſitam fuiſſe, evidens eſt, Topologum curtem confudiſſe cum Pago; uti media ætas villam & vicum, noſtraque vicum & pagum, frequenter confundit. Paulo ante idem Topologus dixit: *Apud Rubiacum in arce ipſius caſtri, quod Iſenburc dicitur.* Sequenti demum ſeculo VIII. *Rubiaci*, ut oppidi, mentionem reperio; in Eddonis nempe Epiſcopi teſtameoto anni DCCLXIII. ubi dicitur: *Dedimus etiam in opido Rubiaco duas hubas cum caſis ſuis.* ANONYMUS *Vitæ Arbogaſti* auctor, qui ſeculo X. poſterior noo eſt, (*e*) forte Utho ipſe, Argent. Epiſcopus, *Rubiacham oppidum* ſcribit. Seculo IX. Theotiſca nominis mentio in Formulis Alſaticis (*f*) primum occurrit, ubi vocatur *Vicus Ruvacha.* Formula XX. Epiſcopus Conſtantienſis ad *Argentarinæ* vel *Argentarienſis* Eccleſiæ Pootificem N. ſcribit, ut *in vico poteſtatis ejus Ruvacha manſionem ſibi & neceſſaria cuncta ſubminiſtret, quod Dominus Rex C. ad Cœnobium Luxovienſe eum direxerat.* Formulæ hæ Ludovici Pii filiorum temporibus ſcriptæ ſunt, & ad Regnum Auſtraſiæ pertinent, ut Formulæ Marculphianæ reſpiciunt Burgundiam. Germanicum ergo nomen loci, addita tamen terminatione Latina ante ſec. IX. non legitur.

§. CXLIX.

Condicio.

Rufacum autem Conſtantienſis Epiſcopus villam tum vocat, quam ſeculo præcedenti oppidum dixerat Eddo, Argentoratenſis Antiſtes, ad quem locus pertinuit. *Villa Rodbeaca* in notitia fundatiooïs Parthenonis de Haſcovia, vulgo *Eſchau*, (*g*) circa An. MLX. appellatur. ANONYMUS *Vitæ Henrici IV. Imp.* auctor (*h*) *Villam Rufach* nuncupat. Quum enim circa An. MCVI. Henricus V. intraſſet Alſatiam, & acceſſiſſet Rufacum, ſatellites ejus duriter cives habuerunt, qui ad arma prolapſi, Regem cum comitatu in fugam egerunt; inſignia Regia vulgi præda tum facta ſunt. Rex dein collecta manu villam incendio prædaque vaſtavit, & in homines loci illius indiſcreta cæde ſæviit, ut idem Aoonymus refert. Origines Monaſterii Murenſis, (*i*) circa An. MCXLII. ſcriptæ, *Vici Rufach in Alſatia* mentionem quoque faciunt. Albertus Habsburgicus, Rudolphi Regis pater, in Charta An. MCCXV. *Rupacum villam*; (*k*) Rudolphus Rex ipſe in Literis An. MCCLXIX. quibus Advocatiæ Rubeacenſis feudo renunciat, (*l*) *Villam Rubeacum* appellat; dicit enim ſe *reſignare Advocatiam Villæ Rubeaci & aliarum villarum, quæ vulgo dicuntur Mundat.* Solæ ergo Eddonis Literæ cum Arbogaſti Legenda Rufacum appellant oppidum, omnia ſequeotium ſeculorum Documenta vicum vel villam dictitant. Enimvero non raro contingit, ot oppidum convertatur in vicum, vicusque in oppidum. Applices heic illud RUTILII NUMATIANI: (*m*)

Nunc villæ ingentes, oppida parva prius.

Sed

(*b*) CALMET *Hiſt. de Lorraine* inter Probat. col. 335.

(*c*) Supra pag. 202.

(*d*) In KOENIGSHOVII *Chron. Alſatia* Lat. Mſ. pag. 67.

(*e*) *Acta Sanctor. Bolland.* Tomo V. Menſis Julii die XXI. pag. 178. ſq. Scriptor hic eſſe poteſt Utho, Argentin. Epiſcopus, qui certe vitam Arbogaſti conſcripſit. Vide ibi Commentarium prævium.

(*f*) Formula XX. Formulæ hæ Alſaticæ Marculfi formulis ſubiunctæ reperiuntur, ut & Codici Canonum Eccleſiæ Romanæ, quem FRANC. PITHOEUS ex Codd. Mſ. reſtituit, notiſque illuſtravit. Adde STEPH. BALUZIUM in *Capitularib. Regum Francor.*

(*g*) *Gallia Chriſt.* Tom. V. pag. 474. num. 16. inter Inſtrum.

(*h*) Apud URSTISIUM *Scriptor. Rer. German.* pag. 389.

(*i*) Verba Actorum ſunt: *Vicus, qui vocatur Rufach in Alſatia, totus pertinet ad S. Mariam in Argentina Civitate, ſicut pene & omnis ipſa regio.* Vide *Actorum* pag. 91. edit. noviſſimæ; quam ex autographo diligenter edidit P. FRIDOLINUS KOPP, *Cœnobita Murenſis* An. MDCCL. Spirembergianæ edit. pag. 61.

(*k*) HERRGOTT *Genealog. Habsb.* Tom. II. pag. 221.

(*l*) Ibid. Tom. III. pag. 414.

(*m*) *Itinerar.*

Sed & Scriptoribus frequens, ut per villas intelligant oppida; quod Spelmannus, (n) Cangiusque (o) probant exemplis. Frequentia hæc fecit, ut vulgari lingua Francis *Ville* urbem deſignet. Enimvero ſi Rufiacum, quod usque ad ſeculum XIV. villa vicusve appellatur, omni eo tempore caruit muris, vicum oppido parem fuiſſe, neceſſe eſt. Incolæ ejus ab Henricianæ vitæ Scriptore cives dicuntur, & Regem cum ſuis conjecerunt in fugam. Non exiguæ civium multitudinis hæc indicia ſunt. Num ſimplicem villam deſtructurus Rex, cum nova manu adveniſſet? Mundati totius, imo & Pagi Rubiaci, principem locum oppidum fuiſſe, num mirum?

§. CL.

Nomen.

Ex teſtimoniis Scriptorum, quæ protulimus, loci hujus nomen varia ratione literis conſignatum apparet. Monumenta enim priora Rubiacum, Rodbeacam, Ruvacham; poſteriora Rubeacum, Ruviacum, Rubiacham; Scriptores vero juniores (p) Rufacum, Rubeaquas & Rubeaquum, appellant. *A*, *Aa*, *Ach*, *Aha*, *Acha*, voculæ Celtis, Germanis, Latinisque communes, aquam fluentem ſignificant proprie; improprie vero locum, ſitum ad flumen; id quod plura hujus nominis Germaniæ flumina & Aquisgrani nomen Theotiſcum *Achen* teſtantur. Compoſita hinc magno numero Schwarzach, Rotach, Kinzach, Geiſach, Briſach, Illzach, quo & noſtrum pertinet Ruffach; ex quibus alia aquas ipſas, alia locorum etiam, ad aquas illas poſitorum, denominationem continent. Ruvacha, quam Latini in Rubiacum flexerunt, eodem modo à flumine, oppidum alluente, nomen ſuum traxiſſe videtur. Num autem vocula *Ruf* præfixa denotet *rubrum*, quod Scriptores medii ævi, nomen Latine *Rubiacum* reddentes, crediderunt, non equidem dixerim. Ceterum in Pago Atoariorum, inter Cabilonenſem & Lingonicum Comitatus, extitit quoque *Ruſſiacum*, teſte Charta Donationis Ermenoatæ apud Perardum. (q) Aliud fuit *Roſiacum*, ſeu *Ruſiacum-Villa*, in Lemovicis partibus; aliud denique in Bituricenſi Pago, de quibus omnibus conſulendus eſt Michael Germanus. (r)

COLMARIA.

§. CLI.

Deſcriptio.

COlmaria urbs, amœnitate ſitus, ubertate ſoli, aeris, aquarumque ſalubritate, nulli facile ſecunda, in cujus agris perpetuum Bacchi Cererisque certamen, Romano ævo ignota, Francico, quod tractamus, ſuam originem debet. Ante ſeculum VIII. ejus mentio nulla: ſub Carolo M. primitus, ut Regia villa, nomine *Columbra*, veterum memoratur Annalibus; omni hac Periodo villæ ſorte contenta. Caute ergo explicanda eſt Geographorum juniorum opinio, quum ex Argentouariæ ruinis Colmariam creviſſe produnt, (s) uti ex Argentorato everſa Strateburgum prodierat. Strateburgum ſeculo VI. jam innotuit oppidum, Colmaria ſeculo X. in villarum adhuc claſſe comparet.

Orthographia.

Circa orthographiam nominis Colmariæ Scriptores & Chartæ publicæ hujus Francici ævi plurimum variant. In illis enim *Columba*, (t) *Columbra*, (u) *Columbaria*, (x) *Columbarium*, (y) vel *Cholonpurum*, (z) *Cholumbare*, (a) *Coblambur*, (b) *Coloburg*, (c) vel

(n) *Gloſſar.* in voce *Villa*, pag. 557.
(o) *Gloſſar.* eadem voce.
(p) Coccius in *Dagoberto* Cap. XV. *Rubeaquas*, Munsterus in *Cosmograph.* Lib. III. Cap. CXXIX. *Rubeaquum*, ex Conrado Pellicano & Conrado Wolfhardo Rubeaquenſibus. Irenicus *Exegeſ. Germ.* pag. 407. *Rubiacum.*
(q) *Recueil des Pieces concernant la Bourgogne*, pag. 9.
(r) De *Palatiis Reg.* apud Mabillon. *Rei Diplom.* pag. 320.
(s) Beatus Rhenanus, Irenicus, Petrus Bertius, Knipschild, Limnæus, Baudrandus, Martinierius, atque Piganiol de la Force *Deſcription de la France*, Tom. VII. pag. 435. Merianus in *Topograph. Alſat.* pag. 10. Bleau in *Atlante* ſuo, in *Alſatia* fol. 60. b.
(t) Annales Bertin. de *Geſtis Ludovici Pii*, in Mart. Bouqueti *Scriptor. Rer. Franc.* Tom. VI. pag. 595.
(u) Charta Caroli Craſſi An. DCCCLXXXIV. Fulberto data apud Benedict. Picart *Hiſt. de Toul, Preuves* pag. 9. Notkerus Balbulus in *Vita Caroli M.* Lib. II. Cap. V. apud Canisium *Theſaur. Monum.* Tom. II. Part. III. pag. 73. habet *Columbarenſe Genitium.*
(x) Richerius *Chron. Senon.* Lib. V. Cap. XIII.
(y) Præceptum Ludovici Pii pro Monaſt. Gregoriano An. DCCCXXIII. apud Mabillon. *Annal. Bened.* Tom. II. pag. 724. & Bouquet Tom. VI. pag. 534.
(z) Annal. Fuld. An. DCCCLXXXIV.
(a) *Bulla Alexandri* III. An. MCLXXIX. Monaſterio Murenſi data. Herrg. *Geneal. Habsb.* Tom. II. pag. 192.
(b) Privileg. Gregorii IV. Aldrico Cenom. Epiſcopo An. DCCCXXXIII. Colmariæ conceſſum, cujus clauſula: *Data Coblambur* &c. Mabillon. *Analect.* pag. 300. edit. recent. Bouquetus in *Notis* ad *Annal. Bertin.* Tom. VI. pag. 195. male poſuit *Coblamburg.*
(c) Annales Lambeciani ad An. DCCCLXXXIV.

GEOGRAPH.

vel contracte *Colmir* (*d*) & *Colmere*, (*e*) enuntiatur; unde, ſub Germanica dein Periodo, *Colmar* exortum. Diverſarum iſtarum appellationum pleræque ſeculo IX. occurrunt; ſtylo Cancellariæ in Tabulis publicis adhibito.

§. CLII.

Origo nominis.

Originatio vocis haud dubie apud Alemannos Francosve quærenda, adeoque Theotiſca; cui à Scriptoribus ſuperaddita eſt forma Latina; quæ nonnullos induxit, ut Latinos nomini aſſignarent natales, quod & viſum Eckharto. (*f*) Scilicet vel à Columbarum (*g*) auſpicio, ut urbem miraculo conditam oſtenderent, vel à nidulantibus ibi columbis, inditam loco appellationem arbitrati ſunt multi. (*h*)

Plerique tamen Germanicam etymologiam, ſed diverſis modis, ſectantur. Alii enim à vocabulo *Kohlen* (ita Germanice dicuntur *Carbones*) deducunt, vel quod Argentouaria vetus in carbones cineresque redacta, (*i*) vel quod carbonarium illic loci olim forum (*k*) haberetur. Qui Herculis clavam huc trahunt, (*l*) illi ad Germanicam vocem *Kolben*, quæ denotat clavam, reſpiciunt, atque inſignia urbis Colmariæ, quæ clavam exprimunt, inde derivant; quum eo tempore, quo inditum loco nomen, inſignium uſus nondum cognitus fuerit. Beatus Rhenanus (*m*) Colmariæ nomen olim *Colmaringam* fuiſſe exiſtimat, nomenque à familia quadam nobili Colmaringorum, uti Gemariam à Gemaringis nobilibus, repetit; ſed aſſerti ſui teſtes producere non potuit, quod & reliquis, in vocis hujus originem inquirentibus, eveniſſe obſervo. Certiorem etymologiam habet Provinciæ oppidum, nomine Colmartium, *Colmars*, quod à *Colle Martis* derivant; noſtra quum Colmaria in plano reſideat. Sed & alia hujus nominis loca in Gallia ſunt. *Columbaria* vicus Pagi Brigenſis: (*n*) *Columbarium* in Arvernis. (*o*) *Columbariam* apud Bituriges Abbatiam, *Columbariam* villam apud Belgas, (*p*) & vicos, *Columbæ* nomine notos, omitto. In occidua Vogeſi parte locus eſt *Colombey* in Segintenſi Pago, (*le Saintois*) quem Tabula topographica Pagi Leucorum, à L'Islio edita, annotat. Verum nomina hæc Celticæ vel Latinæ originis.

§. CLIII.

Origines oppidi.

Columbariæ noſtræ Alſaticæ incunabula ſeu ad Alemannos, ſeu ad Francos referenda ſunt. Illi enim urbium everſores, omnem Rheni ſuperioris oram toto fere ſeculo V. tenentes, villam hanc ædificare potuerant. Veriſimilius tamen id factum ſub Francis, quorum Reges, ſitu loci illecti, regiam ibi curtim cum Palatio extruxerant. Tempus extructionis ignotum. Merovingicis ſub Regibus memoriam ejus jam occurrere exiſtimavit Eckhartus, (*q*) ſed teſtem non protulit. Equidem primam ejus mentionem, ſeculo VIII. vergente ad finem, reperio. Notkerus Balbulus, San-Gallenſis Cœnobita, (*r*) Caroli M. bella deſcribens, omnium, quantum novi, primus Colmariam, ſub *Columbræ* nomine, memoravit, quum duorum nothorum, qui ex Genitio illius villæ prodierant, fortitudinem & fidelitatem laudaret. *Erant*, inquit, *duo nothi de Genitio Columbrenſi procreati* &c. Genitia curtium Regiarum partem conſtituiſſe, demonſtratum eſt ſupra. Columbra ergo curtis ſeu villa Regia tum fuit. Evidentius eſt

(*d*) Anonymus Weingart. de *Guelfis* apud Leibnit. *Scriptor. Brunsvicens.* Tom. I. pag. 783.

(*e*) Friderici I. Imp. Charta inedita, An. MCLIII Altorfino Alſatiæ Cœnobio conceſſa, ubi: *Datum Colmere* &c.

(*f*) De *Apolline Granno* §. XII. pag. 18. ubi Romani quid nomen hoc ſpirare exiſtimat.

(*g*) Franc. Irenicus, *Exegeſ. Germ.* Lib. XI. pag. 167. Joannis in *Notis* ad *Barthold Auſtraſiadem* Lib. IX. vers. 544.

(*h*) Knipschild de *Civitatibus Imperialib.* Lib. III. Cap. IX. ubi & plures alias etymologias affert.

(*i*) Conjectura hæc falſo fundamento innititur, ac ſi eodem in loco ſtructa Colmaria, ubi erat olim Argentouaria vetus, quæ uno inde lapide diſtabat.

(*k*) *Kohlmarckt*, uti *Weinmar* a foro vinario (*Weinmarckt*) derivat Georgius Waltherus apud Limneum in *Jure Publ.* Addit. ad Lib. VII. Cap. XII. pag. 220. Petr. Bertius *Comment. Rer. Germ.* Lib. III. pag. 87.

(*l*) Irenicus loco alleg. Reusnerus in *Urbibus Imperial.* pag. 63 Ita ab initio ſcriptum fuiſſet *Kolbmar.* Irenicum exſcripſit Reusnerus, Reusnerum Knipschildius atque Joannis ad *Barthold Auſtraſiadem* loco alleg. Irenicus ita: *Colmar ſecundum alios à clava Herculis, quam* [illegible] *perdiderit.* Eodem modo, quo Mulhuſini rotam molarem, Schafhuſium arietem, pro inſignibus gerunt, ut originem ſuam indicent.

(*m*) *Rer. German.* Lib. III. pag. 129.

(*n*) *Colombiers en Brie.* Perardus in *Cod. Diplom. Burgundiæ* pag. 143.

(*o*) Anonymus in *Vita S. Præjecti*, Epiſcopi Arvernenſis, qui ſec. VII. vixit. Scriptor hic anonymus S. Præjecto videtur fuiſſe æqualis. Bouquet *Scriptor. Franc.* Tom. III. pag. 594.

(*p*) In Charta Godefridi Magni, Ducis Lotharingiæ utriusque, data An. MLXIX. pro Eccleſia S. Dagoberti Martyris in oppido Sathanaco, *Stenay*. Miræus *Oper. Dipl.* Tom. I. pag. 152.

(*q*) De *Apolline Granno* num. 12.

(*r*) Notkerus de *Rebus Caroli M.* Lib. II. Cap. V. apud Canisium *Theſauri Monumentorum* Tom. II. Part. III pag. 71.

eſt teſtimonium ipſius Ludovici Pii Imp. qui in Præcepto, (r) quod anno X. Regni, hoc eſt An. DCCCXXIII. Gregoriano Monaſterio Francofurti conceſſit, ita loquitur: " Gotafridus Abba ex Monaſterio S. Gregorii, quod alio nomine Confluens vocatur, „ poſtulavit nos, ut nos ob utilitatem & neceſſitatem fratrum, ibidem Deo famulantium, „ partem quandam de foreſte noſtra, contiguam ipſo monaſterio, quæ ad fiſcum „ noſtrum, nomine Columbarium, aſpicere vel pertinere videtur, in noſtra elimoſyna „ eidem monaſterio concederemus.

Seculo itaque VIII. & IX. Colmaria fiſcus Regius, ſeu villa fiſcalis & dominicalis, fuit, cum ampliſſimo territorio; quod omnis Foreſta, Monaſterio Gregoriano contigua, ad fiſcum Columbarium pertinebat. Decennio poſt Privilegium hoc conceſſum An. DCCCXXXIII. Gregorius IV. Pontifex Romanus in Alſatiam venit, ut filiorum Ludovici Pii cum patre bellum componeret, fatalis illius prœlii in Campo Rubeo teſtis, quo pater victus & in captivitatem abductus eſt. Colmariæ tum degens Gregorius, Aldrico Cenomanenſi Epiſcopo Decretalem conceſſit, cujus clauſula: *Data Coblambur VIII. Id. Jul. Indict. XI.* (s) Extat Traditio Richini cujusdam, Alſatici Dynaſtæ, quæ An. DCCCLXV. Gregoriano Monaſterio facta, *in villa & in marcha Colonbaria.* Dein Carolus Craſſus An. DCCCLXXVI. Otperto, fideli ſuo, chartam donationis in *villa Columbario* dedit; quæ charta anecdota Tabularii Andlav. ſuo tempore in lucem prodibit. Occiduas Europæ partes paſſim quum vaſtarent Normanni, Carolus Craſſus, Imperii tuendi cauſſa, conventum Procerum An. DCCCLXXXIV. ad *Villam Cholonpurum* (u) inſtituit. Nomine hoc Colmariam noſtram intelligi, eo indubitatius eſt, quod ejusdem Caroli Craſſi Diploma, eodem anno cuidam Fulberto Abbati datum, extat, in cujus clauſula legitur: *Actum Cohambra.* (x) Moris nimirum fuerat Regum Francorum, Conventus, Concilia, Synodos, in villis ſuis habere, in quibus omnia ad recipiendam confluentium Procerum multitudinem erant parata, id quod Compendium, Gentiliacum, aliæque villæ Fiſcales demonſtrant.

§. CLIV.

Sed & Columbariam Trudpertina Comitis Luitfridi Charta memorat, quæ data An. DCCCCIII. (y) ubi ille: " ad Altare, ubi deſidero meum eſſe ſepulchrum dedi ſpecialiter „ in Columbaria unam hobam, ut eam habeat Cuſtos ipſius Altaris & Procurator, ad „ memoriam mei libentius peragendam. „ (z) Tot tantisque donationibus effectum eſt, ut quæ Principum fuit liberalitas, Eccleſiis diverſis univerſa fere ſubjiceretur Colmaria. Quod ſupererat, Bertha, Burgundiæ Regina, cum Prioratu D. Petri, à Berthrada, Pipini Regis conjuge, Caroli M. matre, ſi Beatum Rhenanum (a) & Munsterum (b) audias, inſtituto, donavit Paterniaco, quod conjux ejus, Rudolphus II. ex Capella in Abbatiam erexerit. (c) Inde in Diplomatibus Imperatorum, quibus bona Paterniacenſis Monaſterii confirmantur, frequens Colmariæ mentio. Sic Otto II. Imperator meminit *Curtis Columbræ*: (d) Otto III. (e) *villam Colonbram*, imo & ſimpliciter Columbram, inter bona Paterniacenſia collocat. (f) Diplomata hæc omnia Imperator Henricus II. Pancharta firmavit. (g) Nexus rerum nos ſenſim in Periodum Germanicam abduxit; redimus ad Francicam.

Eccleſiis ſubjecta.

§. CLV.

Caroli M. tempore in villa fiſcali Columbræ *Genitium* extitiſſe, ex Notkero didicimus. Non ultima villarum Regiarum para fuit *Genitium.* (h) De Geoitiis ipſe Carolus M. in *Capitulari* ſuo *de Villis Regiis* (i) ita loquitur: " Ad Genitia noſtra, ſicut inſtitutum eſt, opera ad tempus dare faciant, id eſt, linum, lanam, waisda, „ „ vermi-

Genitium Colmarienſe.

(r) Mabillon. *Annal. Benedict.* Tom. II. Append. num. 47.

(s) Mabillon. *Analecta* pag. 298.

(u) Annal. Fuld. ad An. DCCCLXXXIV. Annales Lambeciani ad hunc annum.

(x) Benedictus Picart *Hiſtoire de Toul, Preuves* pag. 9.

(y) Herrgott *Cod. Diplom.* Tom. II. num. 247.

(z) Guillimann. *Habsburg.* Lib. III. Eccardi *Origin. Habsb. Auſtriac.* pag. 142.

(a) *Rer. Germ.* Lib. II. pag. 174. & Lib. III. pag. 284. ubi Bertradam ea, quæ Colmariæ dotis loco poſſidebat, Conſtantienſi ſedi donaſſe affirmat; eamque cum Bertha, Burgundiæ Regina, confundit.

(b) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. CXXXV.

(c) Vid. Diploma *Friderici* I. Rom. Regis, Paterniaco datum An. MCLIII. in *Bibliotheca Sebuſiana Centur.* II. num. 80. apud Hoffmannum *Collect.* Tom. I.

(d) Herrgott *Geneal. Habsburg.* Tom. II. pag. 86.

(e) Herrgott loco cit. pag. 89.

(f) Idem loco cit. pag. 93.

(g) Idem loco cit. pag. 96.

(h) *Genitium, Genicium, Geniceum, Geniceum.* Ulrici Patav. Epiſcopi Charta An. MCXLIV. apud Hundium *Metropol. Salisburg.* Tom. III. pag. 553. & 556.

(i) Baluz. *Capitular.* Tom. I. pag. 331. num. 43.

GEOGRAPH.

„ vermicula, warentia, pectines, laminas, cardones, ſaponem, unctum, vaſcula & „ reliqua minutia, quæ ibidem neceſſaria ſunt. „ Num. XLIX. de iisdem hæc ordinat: “ Ut Genitia noſtra bene ſint ordinata, id eſt, de caſis, piſtis, tuguriis, id eſt, „ ſereones & ſepes bonas in circuitu habeant, & portas firmas, qualiter opera „ noſtra bene peragere valeant. „ Patet hinc in Villa Regia peculiarem locum fuiſſe, probe clauſum, qui vocabatur *Genitium*, ubi ancillæ Regiæ, linum lanamque tractantes, commorabantur: nomen ex *Gynecæo* corruptum. Isidorus (*k*) & ex eo Papias ſcribunt: *Genecium*, *Textrinum*, *Græce dictum*, *quod ibi conventus feminarum ad opus lanificii exercendum conveniat.* Ancillæ hæ dicebantur *Genuciaria* (*l*) & *Genecia.* Opus earum exprimit aliud Capitulare: (*m*) “ Feminæ noſtræ, quæ ad opus noſtrum ſunt ſervientes, „ habeant ex partibus noſtris lanam & linum, & faciant ſarcillos & camiſilos. „ Regii ergo amictus & veſtes Aulicorum varii generis in Geneciis his parabantur. Ibidem fœminas ſæpe fuiſſe, quæ pudicitiam proſtituerent, dubitare non licet. Tempore certe Caroli M. ex *Columbrenſi* (*Colmarienſi*) *Genitio duos nothos* à Notkero Balbulo, Monacho Sangallenſi, memorari, ſupra vidimus; qui fide & fortitudine ſua ſe Regi probarunt. Exinde tamen cum Cangio & Mart. Bouqueto (*n*) concludere nolim, Notkerum per Genicium deſignare Lupanar. Quandoque ſenſu hoc ſumi, Joannes de Janua, (*o*) *Lex Alemannorum* (*p*) & *Longobardorum* (*q*) demonſtrant. Corruptio autem nec omnia infecit Genitia, nec, ſi quædam infecit, infectio illa fuit perpetua.

§. CLVI.

Significatio vocis alia.

Nuperi Editores Cangiani Gloſſarii, alia interpretatione *Genitium* ſignificare exiſtimant *Dominium*, *hæreditario jure poſſeſſum.* Significatus hujus auctoritatem allaturi, Eberhardinam Donationem, Murbacenſi Monaſterio factam An. DCCXXVIII. ex Eccardo (*r*) allegant, ubi Eberhardus ait: *Vel de Mancipio noſtro ſcopulicolas, quas in Genicio noſtro habuimus, plus minus numero XL.* Scopulicolæ ſunt ancillæ, vel ſervæ, vilioribus ſervitiis addictæ, à ſcopa, ſcoppa, ſchoppa, quæ vox officinam, caſam, tugurium denotat. Vocabantur quoque *Scopotæ.* Locus hic indicat, non in Regum modo, ſed & in Comitum villis extitiſſe *Genitia*; probat, ſervas quoque viliores in Genitiis habitas; hæreditarii autem dominii ſignificatum non probat. Quodſi *Genicia* deootaſſent terras, hæreditario jure poſſeſſas, ſive proprietates avitas, (*s*) ut Cangiani Gloſſarii novis Editoribus placuit, Columbrenſis noſtra, ſeculo VIII. Marilegienſis ſeculo VI. jam Regiæ villæ, & quidem hæc Merovingorum, illa Carolingorum, patrimonia fuiſſent; fuere tamen terræ fiſcales.

Duo Alſatiæ genitia.

Marilegium An. DLXXXIX. Genitium habuiſſe, ex Gregorio Turonico (*t*) diſcimus, ubi de Septimina, infantum regiorum nutrice, quæ contra Childebertum II. Failenbam Reginam, & Brunichildem, Regis matrem, conſpiraverat, ſcribit: “ Septi„ mina vehementer cæſa ac cauteriis accenſis in facie vulnerata, ablatis omnibus, quæ „ habebat, in Marilegium villam deducitur, ut ſcilicet trahens molam, his quæ in „ Gynæcio erant poſitæ, per dies ſingulos farinas, ad victus neceſſarias, præpararet. Evenerunt hæc in Alſatia, quum Childebertus Rex, cum conjuge & matre ſua, infra terminum urbis, quam *Strataburgum* vocant, verſaretur, uti idem Turonensis (*u*) affirmat. In duabus ergo Regiis Alſatiæ villis extiterunt Genitia, de reliquis nil certi definimus: Lupanar autem Genitii fuiſſe ſynonymum, nullo liquet indicio. Has originum puriorum vindicias honeſtiſſimæ Colmarienſium civitati eo lubentius præſto, quod & ipſi *Alſatia Illuſtrata* ſuos jam debet natales. Alter Alſatiæ oculus, Amphyctionum Provinciæ ſedes, non ex lupanari ſuam originem trahit; quanquam nec his illi erubeſcendum natalibus eſſet, quando & Lupæ meretrici origines ſuas debuit olim Dea illa gentium Roma.

SCLA-

(*k*) Lib. XV. Cap. VI.

(*l*) Regino de *Eccleſiaſtica Diſciplina* Cap. V. Charta Ludovici Regis Bajuvariorum in Hundii *Metropoli Salisburg.* Tom. II. pag. 12.

(*m*) *Capitulare* II. An. DCCCXIII. Cap. XIX.

(*n*) In *Notis ad Notkerum*; ſecutus Cangium in *Gloſſario*, in voce *Gynæcium.*

(*o*) In voce hac: *Genecaum lupanar vel textrinum* &c.

(*p*) Tit. LXXX. §. IV.

(*q*) Lib. II. Tit. XXXVII. §. VI.

(*r*) *Originum Habsburgo-Auſtriacarum.* pag. 115.

(*s*) Dominia hujusmodi avita quandoque etiam, rariore ſignificatu, *Genealogiæ* vocantur. Cangius.

(*t*) Lib. IX. Cap. XXXVIII.

(*u*) Lib. alleg. Cap. XXXVI.

GEOGRAPH.

SCLATISTAT.

§. CLVII.

CUrtis hujus fiſcalis ſub Meroveadis nulla, ſub Carolingis frequentiſſima mentio. Nomen ejus varie expreſſum. Bertiniani Annales *Scaldiſtat*, Metenſes *Scleziſtat* habent. REGINO ad An. DCCLXXV. ait: "Carolus celebravit natalem Domini in „ villa, quæ dicitur *Schletſtat* in Elſatio. „ Anonymi *Annales Francorum*, qui *Tiliani* vocantur, apud CHESNIUM, (*x*) celebrationem hujus feſti in *Scadiſtat*, vel ut alii habent, *Scladdiſtad*, ad An. DCCLXXVI. ponunt. Carolus M. ipſe in Diplomate Honaugienſi An. DCCLXXVIII. ſcribit: "Cum nos in Dei nomine *Sclatiſtati villa, in* „ *Palatio noſtro*, ad univerſorum cauſſas judicandum, vel recto judicio terminandum reſi- „ deremus, ibique veniens Advocatus S. Michaelis &c. „ (*y*) Præcepta Ludovici Pii An. DCCCXXXVI. & Caroli Craſſi An. DCCCLXXX. Eccleſiæ Curienſi data, manifeſtant nobis, capellam quandam in *Scletiſtata*, in Pago Heliſacenſi, ad Epiſcopum Curienſem pertinuiſſe. (*z*) Præ aliis Imperatoribus frequenter in Alſatia commoratus eſt Craſſus. Præter ea, quæ Kirchemii dedit, præcepta, plura quoque Seleſtadii ab eo ſignata ſuperſunt. Variа nomina.

Diploma anecdotum ejus de An. DCCCLXXXIV. in Andlavienſi Tabulario extat, quo Bodonis Monaſteriolum Abbatiæ Andlaviæ conjunxit, datum *in Selezſtat*. LABBEUS (*a*) ex autographo refert unum, Geyloni, Epiſcopo Lingonenſi, conceſſum XVIII. Kal. Februar. An. DCCCLXXXVI. *Actum Selenſtat Palatio*. Geylo nimirum ad Carolum profectus eſt Seleſtadium, ut ei exponeret, Lingonenſem civitatem Principum tyrannide deſtructam, à ſe prope jam reædificatam, ſine alicujus Comitis vel Ducis juvamine. Unde inter alia reſtitutionem rerum quarundam poſtulavit, quæ conceſſa memorato Diplomate. FYOTUS, (*b*) VALESIUS (*c*) atque *Galliæ Chriſtianæ* concinnatores, (*d*) Diploma hoc male ad An. DCCCLXXXVII. & Indict. V. ponunt; omnes à PERARDO (*e*) decepti. Major ſane fides Labbei, qui ex authentico, quod ipſi Puteanus conceſſit, ſuum exemplum deſcripſit. Adde, quod An. DCCCLXXXVI. reliquæ epochæ conveniunt, nempe An. VI. in Italia, An. V. in orientali Francia & An. II. in Gallia regnantis. MICH. GERMANUS (*f*) hinc in errorem alium inductus eſt, ut ex uno Diplomate duo conficeret, crederetque Imperatorem & An. DCCCLXXXVI. & DCCCLXXXVII. Privilegia Lingonenſi Eccleſiæ conceſſiſſe.

APSIACUM.

§. CLVIII.

PAlatii hujus mentio fit in Lotharii Junioris Charta An. DCCCLXVI. qua ille privilegia patris Lotharii Imp. & Caroli M. Monaſterio Lebrahenſi data, confirmat. Apſiacum. Extat in Tabulario Lotharingico Nanceji, atque hunc in modum finitur: *Data II. Idus Junii, anno Chriſto propitio Regni glorioſiſſimi ac piiſſimi Regis Hlotharii XI. Indictione XV. Actum Apſiaco, villa Regia.* Conjectandi locus eſt, Apſiacum villam habuiſſe Palatium, fuiſſeque vicum illam inſignem, qui hodie *Epfich*, à Lebrahenſi Monaſterio & valle haud longe diſtans. In Teſtamento Eddonis An. DCCLXIII. pro Etinheimenſi Monaſterio, *Hepheka* ſimpliciter *Villa* dicitur; quæ in ſequenti forte ſeculo demum in villam Regiam cum Palatio excrevit. Apſiacum inter & Seleſtadium intervallum bihorii eſt. Curtem hanc Regiam ignorarunt Scriptores.

HERIN-

(*x*) *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. II. pag. 14.
(*y*) MABILLON *Annal. Benedict.* Tom. II. Append. pag. 699.
(*z*) Eccleſia Curienſis plura in Alſatia bona poſſedit, ut in Gemar, Chuniginsheim, Breitenheim Winzenheim, caſtrumque Rappolſtein &c.
(*a*) *Meslange de pluſieurs Titres* pag. 490.
(*b*) *Hiſt. de S. Etienne de Dijon, Preuves* pag. 33. ubi corrupte *Seletſtatb* ſcribit.
(*c*) *Notit. Gall.* in voce *Helellus* pag. 243.
(*d*) Tom. IV. pag. 538. & in Inſtrumentis pag. 134.
(*e*) *Recueil pour l'Hiſt. de Bourgogne* pag. 50. ubi nomen loci corrumpit in *Seletſtath*.
(*f*) Apud MABILLON *Rei Diplom.* Lib. IV. pag. 323.

HERINSTEIN.

§. CLIX.

Villa Regia. LUdovicus Pius in Charta, (*g*) anno incerto data, Herinſtein vocat *Villam ſuam*, atque in ea *manſum dominicum*, cum aliis manſis, Lothario, filio ſuo, Imperii jam conſorti, donat. Ita enim loquitur: " Nos dilecto filio noſtro Hlothario Cæſari (*h*) „ & conſorti Imperii noſtri, concedimus ad proprium ex quadam villa noſtra, quæ „ ſita eſt in Pago Alſacinſe, quæ dicitur *Herinſtein*, manſum dominicum, cum omnibus „ ſupra poſitis, & alios manſos tantum LX. ad eum pertinentibus, cum mancipiis „ deſuper commanentibus, & ad eosdem LX. manſos aſpicientibus &c. „ Herinſtein ergo Regia villa fuit, in qua Rex *manſos dominicos* habuit, ſed & alios, qui ſimpliciter *manſus* vocabantur, nec inter domania Regis relati fuerunt. Villam hanc deinceps Hirmingardæ, uxori ſuæ, in dotem aſſignavit Lotharius Imperator, Ludovici Pii filius, ubi Monaſterium pro Sanctimonialibus conſtruxit Imperatrix, teſte Charta Lotharii Imp. qua fundationem Hirmingardæ confirmavit. (*i*) Jacobus à Koenigshoven, in *Chronico* ſuo, (*k*) Parthenonis hujus origines ad Irmengardem, Ludovici Pii conjugem, refert, at ſimilitudine nominis utriusque Imperatricis deceptum fuiſſe, Charta Lothariana, quam allegavimus, docet. Kœnigshovii ſententiam tamen ſecutus eſt *Chronici Gottwicenſis* Auctor. (*l*) Ex hoc Monaſterio " Nonnam quandam ſibi applicavit, „ & iniquitatem illam ad mortem usque protraxit Eberhardus Comes, cui Waldrada, „ Lotharii Regis pellex, Abbatiam S. Deicoli tradidit „ ut loquitur Anonymus *Vitæ S. Deicoli* Scriptor. (*m*) Monaſterii hujus dein mentio fit in Diviſione Lothariani Regni, Carolum Calvum inter & Ludovicum Germ. An. DCCCLXX. ubi in portione, quæ Ludovico contigit, poſt reliqua Alſatiæ Monaſteria, & ſpeciatim poſt *S. Stephani in Stratsburch*, recenſetur *Erenſtein*, quod alio ſane, quam ad noſtrum Cœnobium ad Illam, referre non poſſumus. Conringius in Tabulis hujus Diviſionis, quas in Libro ſuo de *Finibus Imperii* dedit, (*n*) hunc locum omiſit, qui tamen apud Miræum, ex cujus *Codice Piarum Donationum* ſua ſe deſumſiſſe ſcribit, verbis expreſſis occurrit. (*o*) Conſentit in *Capitularibus Regum Francorum* Baluzius, (*p*) atque in *Inſtitutionibus Juris Publici* Schilterus. (*q*) Errant, qui pro *Erenſtein* legendum eſſe putant *Erſtheim*. Kœnigshovius quidem locum ita ſcribit, at contra veterum auctoritatem.

§. CLX.

Palatium. Situs eſt vicus hic, qui rudera Parthenonis adhuc oſtendit, Argentoratum inter & Novientenſem Benedictinorum Abbatiam, ad fluvium Ellum. Ottones Imperatores, patrem filiumque, in hoc ſubinde habitaſſe Palatio, Tabulæ, ab ipſis ibidem ſignatæ, nos docent. Otto I. Harpeto, Curienſi Epiſcopo, An. DCCCCLIII. dedit Privilegium, in cujus fine ſcribitur: *Actum in loco Erenſtein feliciter regali colloquio.* (*r*) Laurishamenſibus Monachis An. DCCCCLXV. facta eſt ibi ab Ottone M. donatio, cujus exemplum legimus inter Diplomata Ottoniana, à Meibomio (*s*) edita. In fine adjicitur: *Actum Herenſtein Palatio.* Otto II. in eodem Palatio Hilteboldo, Epiſcopo Curienſi, in Comitatu Rhætiæ, in vico Curiæ, curtem Regalem &c. & vallem Pergalliæ, ad eundem Comitatum Rhætiæ pertinentem, An. DCCCCLXXVI. conceſſit. In fine Diplomatis legitur: *Actum Eriſtein.* (*t*) Idem Otto II. An. DCCCCLXXIX. duplex Inſtrumentum Monaſterio Meginrades-Cellæ vel Einſidlenſi dedit, quod utrumque reperimus apud Hartmannum. (*u*) Subſcriptio ibi ſimpliciter occurrit: *Actum Herenſtein*, in una, & in altera: *Actum in Erenſtein.*

KOENIGS-

(*g*) Extat hæc Charta in Capitulari Ludovici Pii, quod ex Codice Regiæ Bibliothecæ, Tironianis notis ſcriptó, edidit P. Carpentier in *Alphabeto Tironiano* Charta XXV. pag. 53.

(*h*) Appellatio *Cæſaris* rara illis temporibus ſenſu eo, quo hic ſumitur, pro conſorte Imperii. An. DCCCXVII. renuntiatus eſt Imperator à patre Lotharius; unde poſt annum hunc Charta fuit data.

(*i*) Hist. d'Alsace, *Preuves* pag. 19.

(*k*) Cap. V. pag. 286.

(*l*) Lib. III. pag. 481.

(*m*) Cap. VIII.

(*n*) Lib. I. Cap. VII. pag. 33.

(*o*) *Operum* Tom. I. pag. 29.

(*p*) Tom. II. pag. 223.

(*q*) Lib. II. Tit. VIII. pag. 66.

(*r*) Ex Codice Mſ. Urſtiſiano.

(*s*) *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. I. pag. 748. Freher *Origg. Palat.* pag. 175.

(*t*) Guillimann. *Rer. Helvet.* Lib. IV. pag. 428.

(*u*) *Annales Heremi Deiparæ* pag. 90. & 92.

KOENIGSHOVIUM.

§. CLXI.

Teſtimonia varia.

REgium Argentorati à primis Franciæ Regni initiis extitiſſe Palatium, antiquiſſimus Rerum Francicarum Scriptor, Turonenſis Antiſtes, atque Chartæ plures, Argentorati & *Strazburg*, *Palatio Regio*, datæ, demonſtrant. Childebertus II. cum matre & uxore Reginis, liberisque ſuis, atque adèo cum omni Regio comitatu An. DLXXXIX. *infra terminum urbis, quam Strateburgum vocant*, commoratus fuit, uti GREGORIUS, (*x*) ſynchronus teſtis, quem paulo ante, in eadem fere cauſa, produxi, teſtatur. Lotharii Imp. Charta An. DCCCXLV. pro Stephaniano Monaſterio: *Actum publice in Palatio Regio Argentoraco.* Lotharius Junior An. DCCCLIX. Ackricho cuidam & Heſſoni Decano, in Voſago viventibus, dedit Præceptum, in cujus clauſula: *Actum Strasburg, Palatio Regio.* (*y*) Ludovicus Germanicus An. DCCCLXXI. Stephaniano Partbenoni Diploma impertitus eſt, in quo legitur: *Actum Strazburc, Palatio Regio.* Sed & Zuentiboldus, Lotharingiæ Rex, in Palatio hoc frequens ſedebat. Teſtimonia hæc, præterquam quod Reges in Palatio Strateburgenſi ſediſſe frequentes demonſtrant, indicare quoque videntur, intra mœnia urbis idem extitiſſe Palatium. Verum & ex ſeculo VIII. Monumenta ſuperſunt, quæ in Strateburgi ſuburbanis Palatium Regium fuiſſe evincunt. Sub Chilperici II. regimine, uti videtur, Adelbertus Dux, Monaſterii Stephaniani ad Strateburgum fundator, de novo condidit Palatium Regium in Villa Regia ſuburbana, uti ipſe fatetur in Charta fundationis Honaugienſis Cœnobii, quam vidit; ſed integram, quod dolendum, non dedit, COCCIUS. (*z*) Adelbertus Dux eam ſe dediſſe ſcribit: *In Curte Regia villa, quæ eſt in ſuburbano civitatis novo, quam Adelbertus Dux ex novo opere conſtruxit.*

§. CLXII.

Extra mœnia urbis.

His inter ſe collatis ſtatuendum videtur, aut duo ſimul Palatia Regia, alterum in urbe, alterum extra urbem, extitiſſe Strateburgi; aut Palatium prius progreſſu temporis ex urbe in ſuburbana translatum, ut in alterius locum ſuccederet. Verum enimvero non paucæ nos rationes inducunt, ut nullum intra mœnia Strateburgi, ſed unum modo, & quidem extra mœnia urbis, regale Palatium omni tempore fuiſſe ſtatuamus. Favet huic opinioni Francicæ gentis genius, quibus, ut cæteris Germanis, oppida erant exoſa. Favet ei exilitas urbis, arctaque mœnia, quæ ſupra explicuimus; ubi comitatus Regius commode habitare non potuit. Favet ei immenſa Palatiorum, in villis poſitorum, copia. Favent ei denique, quod alia Palatia in oppidorum ſuburbanis fuerunt conſtituta. Wormatienſe extra muros poſitum, OTTO Friſingenſis (*a*) locuples teſtis eſt. Lutetienſe Palatium Clodovei I. in monte extra urbem fuiſſe, ubi S. Genovefæ Eccleſia, res notiſſima eſt. Nec opinioni huic verba Turonenſis repugnant; quæ Childebertum, non infra urbem, ſed *infra terminum urbis*, habitaſſe referunt. Terminum appellat Gregorius, quem deinceps bannum vocabant; intra quem ſitum ſane fuit ſuburbanum Palatium. Vicinia urbis fecit, ut Reges ab hac Palatium appellarent, quo diſtingueretur à cæteris. Itaque Palatii Strazburgenſis loco, dixerunt *Palatium Strazburg*.

§. CLXIII.

Kœnigshovii nomen.

Enimvero nemo facile mirabitur, nullam hucusque regiam comparuiſſe Chartam, quæ *Kœnigshovii* datam ſe dicat. Omnes fere Chartæ in Regiis villis, quas Germani *Kœnigshoven* appellant, datæ fuerunt. Curtis ergo hæc Regia, quæ adſita urbi, proprium & ab urbe diſtinctum nomen non habuit, uti Mamacca, Cala, Artiniacum, Aſneriæ, Arelaunus, Gundulfi villa, aliæque ab urbibus remotiores habuerant: Notarius Regis Diploma quum ſcriberet, villam Regiam, Strateburgi nomine adjecto, ſignavit atque diſtinxit. Nec alio ſane, quam Palatii Regii *Strazburgenſis*, axiomate id exprimere potuit, quo etiam expreſſit. Ceterum Adelbertina Honaugienſis Charta duo nos docet: primo, curtem Regiam in civitatis Strateburgenſis fuiſſe ſuburbio; deinde Adelbertum, Alſatiæ Ducem, Honaugienſis & Stephaniani Argentinenſis Cœnobiorum fundatorem, Palatium hoc Regium novo opere ſtruxiſſe; poſtquam præcedens ædificium, vel caſu, vel diuturnitate

(*x*) *Hiſtor. Franc.* Lib. IX. Cap. XXXVI.
(*y*) VAGNIER *Origine des maiſons d'Alſace* pag. 77.
(*z*) *Dagobert.* Cap. XIV. pag. 132.
(*a*) *Chron.* Lib. VII. Cap. XVI.

GEOGRAPH.

turnitate temporis collapſum, ruinamve fuiſſet minatum. Tractus autem ſuburbani, nbi curtis hæc Regia ſteterat, ooo obſcura hodie veſtigia ſunt. Accedentibus ædificiis plurimis villa pedetentim in vicum ingentem excrevit; cui primarium & vetus nomen vernaculum, à Francis inditum, *Kœnigshoven*, id eſt, Regiæ villæ, ſeculi XIV. finem usque conſtanter adhæſit. Kœnigshovium hoc extra portam, cui *Albæ Turris* (*Weiſſe-Thurn*) nomen, uno fere lapide italico diſtabat ab urbe; haud procul à deſtructa Carthuſia, in loco, ubi An. MCCLXXXII. Capella S. Galli exſtructa, nunc cœmeterium eſt. Erravit ergo Beatus Rhenanus, (*b*) qui Palatium Regium eo in loco quæſivit, nbi vetus olim Comitis Romani palatium erat; imo & ante conditum Strateburgum extitiſſe, urbi ædificandæ locum dediſſe, atque adeo mœnibus ejus fuiſſe incluſum, arbitratur. Stephanianum Monaſterium in caſtri Romani ruinis conditum fuit, villa Regia autem io oppoſita urbis parte ſedebat.

§. CLXIV.

Comes ejus.

In Kœnigshoviani hujus ſuburbani Palatio Comes habitavit & Villicus, qui circa ſeculum XIII. adhuc ibi ſubſtiterunt, uti Altorfienſis Cœnobii illius ætatis Necrologium me docet. Inter cenſus enim, quos Altorfienſis curia, Argentorati ſita, tum perſolvit, numeratur quoque duplex cenſus, ad curiam Comitis *ad Kuningeshoven* perſolvendus quotannis. Ita enim: (*c*) "In feſto S. Martini dantur in curiam Comitis ad Kuningeshoven triginta denarii, & unum denarium Villico (*d*) ejusdem curiæ." Item paulo poſt: "In feſto S. Michaelis dantur in curiam Comitis ad Kuningeshoven tria quartalia (*e*) *Manzal Korner.* &c." Comes hic noo alodialis fuit aut proprii fundi; nec Comes Epiſcopi, qualis olim apud Metenſes, Tullenſes, Virodunenſes, Wormatienſes, Colonienſes extiterat; talem enim unquam extitiſſe Argentorati, nulla produnt Moonumenta: Comes mere Regius vel Imperialis quum fuit, Comitem fiſci appellamus, qui nomine Regis Palatio præfuit. Hunc ergo Comitem, quem improprie Comitem Palatii (*f*) dixeris, ſeculo XIII. cum ipſo adhuc ſubſtitiſſe Palatio, res indubia eſt. Quum autem prædatoria illa manus Anglorum, poſt pacem cum Gallis factam, An. MCCCLXV. in Alſatiam irruiſſet, Kœnigshova quoque miſere habita & fere deleta eſt; uti Koenigshovius ipſe, ex vico illo oriundus nomenque trahens, quem multi hinc Latina enuntiatione *Regiovillanum* vocant, duobus in locis teſtatur. (*g*) An. MCCCXCII. denique Palatii hujus reliquiæ penitus deſtructæ ſunt. (*h*)

Ab eo tempore Imperatores, io Alſatiam profecti, in ipſa commorati ſunt urbe; & quidem non in certo quodam & conſtituto Palatio, ſed in variis ædibus, ad hoſpitandum Imperatorem aptatis: in aliis Sigismundus; (*i*) in aliis Carolus V. (*k*) commoratus eſt. Cave enim credas, curiam illam publicam Argentoratenſem, quæ hodie *Pfalz* dicitur, totiusque urbis Prætorium eſt, à Palatio Regum ſuum oomen tenere. Kœnigshovius, Caroli IV. Wenceslai, Ruperti & Sigismundi, temporibus vivens, Curiam publicam eo in loco viderat, ubi hodie Palatium Epiſcopale eſt. (*l*) *Phalanx* medio ævo generatim Baſilicam & ſpeciatim *Prætorium* denotavit.

Præter Kœnigshovium Argentineoſe aliud adhuc in Alſatia, Tabernenſe nimirum, oobis indicant Tabernarum Alſaticarum maouſcriptæ Memoriæ, quod nimirum leucæ ſpatio diſtans Tabernis, in via verſus Pfalzburgum fuerat. Sed & hujus Kœnigshovii, perinde ut noſtri, nulla rudera ſuperſunt; ſola tractus veteris memoria ſupereſt. Aliud cognomine Palatium *Kœnigshofa* ad Salam Franconiæ ſitum fuit, Caroli M. ævo notiſſimum; in Pago *Grabfelda*: Aula *naſcenti vicina Salæ*, ut vetus Poeta Saxo ſcribit. (*m*) Villa hæc Regia in oppidum excrevit, quod hodie munitum & totius tractus Præfecturæque caput eſt; Herbipolitani Epiſcopi ditioni ſubjectum. (*n*)

MARILEGIUM.

(*b*) *Rer German.* Lib. II. pag. 173.

(*c*) Fol. 41. *b.*

(*d*) Villicus œconomiam villæ, ut diſpenſator & proviſor, curavit, Germanis *Meyer.* Sed poſterioribus ſeculis pro eo accipitur, qui vulgo *Major* villæ dicitur.

(*e*) Manſuralis annonæ. Ita vocem *manzal Korn* interpretatur ipſe Twingerus a Kœnigshoven, in Indice Mſ. Tomi I. *Libror. Salicor.* D. Thomæ Argent. Nomen ortum videtur à *manſo.* Virtute ejus hæc annona ex diverſis frumentorum ſpeciebus, quæ in manſo proveniunt, dabitur. Manſus Germanis *Hueb.*

(*f*) Comes Ticinenſis Palatii apud Petrum Diaconum *Chron. Caſin.* Lib. IV. Cap. XVIII.

(*g*) *Chron. Alſat.* Cap. II. pag. 137. Cap. V. pag. 331.

(*h*) Schilterus ad *Kœnigshovianam Obſerv.* XII. §. X. pag. 609.

(*i*) In plateæ (*die Brandgaſſe*) curia, quæ dicitur *Lux-Hof*, a D. Lucæ Capella, quæ ibi olim ſteterat.

(*k*) In plateæ Monaſterienſis (*Münſter-gaſſe*) domo, cujus angulus plateam Judæorum (*Judengaſſ*) tangit.

(*l*) Schilterus ad *Kœnigshoven* pag. 608. ſq.

(*m*) Leibnitius de *Origine Francorum* num. 27.

(*n*) Ludewigs *Geſchichte vom Würzburg*, fol. 395. & fol. 903. Georgii Pauli Hoenn *Lexicon Topograph. Circuli Francon.* pag. 125.

MARILEGIUM.

§. CLXV.

Marilegii nomen.

INter antiquiſſima totius Francici Imperii, ſpeciatim Auſtraſiæ Regum, Palatia Marilegium cenſendum eſt; quatuor leucis Argentorato verſus Vogeſum diſtans. Maximæ molis atque celebritatis Palatium fuit, Gregorio Turonenſi, Fredegario, Bertinianis Annalibus, Moiſſiacenſi Chronico, Aimoino, aliisque memoratum, & à *Marlaco,* (*o*) Palatio quoque Regio, prorſus diverſum.

Marilegium noſtrum in Scriptoribus & Monumentis *Marilegium*, (*p*) *Marelogia*, *Marlegia*, *Maraleja*, (*q*) *Mareleia*, *Marley*, *Marleya*, (*r*) diverſimode, & quidem nunc *fiſcus nobilis*, nunc *Domus*, nunc *Palatium Regium*, nunc *Palatium publicum*, nunc *Villa publica*, nunc ſimpliciter *Villa*, appellatur. SCHILTERUS (*s*) etymologiam nominis à Theotiſco *Marckleich*, Marca placens, propter amœnitatem tractus illius, derivat.

§. CLXVI.

Regum habitatio.

In Marlejenſem villam Septimina, Regiorum infantum nutrix, cum Sunnegiſilo & Gallomagno conjurationis in Childebertum II. Strateburgi An. DLXXXIX. degentem, convicta & damnata deducebatur; ut molem trahens, illis, quæ in Gyneceo ibi poſitæ, per dies ſingulos farinas, ad victus neceſſitatem neceſſarias, præpararet. (*t*) Degerat in hoc Palatio idem Childebertus II. quum An. DXC. in eum ſicarios immiſiſſet Fredegundis. GREGORIUS: (*u*) *Cum Rex in oratorium domus Marilegenſis ingrederetur.* &c. Theodericus II. Theodeberti II. Auſtraſiæ Regis frater, à Patre Childeberto II. præter Burgundiam Aleſaciones quoque acceperat, quod ibi fuerat enutritus atque educatus, haud dubie in Marilegienſi Palatio, ubi ſæpe agitaverat Pater. (*x*) Chlotarius II. An. DCXIII. cum Berthrude Regina, Marolegiam (*y*) villam acceſſit, & multos inique agentes gladio trucidavit, uti loquitur FREDEGARIUS. (*z*) In Haſelacenſis Monaſterii donatione Dagobertus II. ei *Kircheim cum ſuburbiis Marley*, aſſignat. (*a*) Marlejenſis ſtradæ mentio fit in Charta Theoderici Calenſis, pro Mauri-Monaſterio, anni DCCXXIV. quæ tamen interpolata, (*b*) Merovingici Diplomatis formam amiſit. Ex autographo Dionyſiano MABILLONIUS (*c*) Chartam produxit, qua Chrodardus Comes Folrado Abbati San-Dionyſiano plura loca in Pago Briſagavienſi vendidit, quæ Charta in villa, *quæ dicitur Mareleja*, ſcripta eſt An. XIII. Regni Pipini, qui videtur eſſe annus DCCLXIV. Barbaro Merovingicæ Cancellariæ, tum adhuc ſuperſtitis, ſtylo ita finit Diploma: *Actum in villa, quæ dicitur Mareleja publice XVI. Kal. Aug. An. XIII. Regni Domni glorioſiſſimo Pippino Regis.* ANONYMUS in *Vita S. Deicoli*, Abbatis Lutrenſis, (*d*) annotat, Marilegii Walderadæ amore correptum fuiſſe Lotharium Regem, qui conjugem dein ſuam Theutbergam repudiavit. Ita enim ille: "Lotharius Rex in Alſatia Pro- „ vincia morabatur, in fiſco ſuo nobili, qui Marelegia vocatur, cujus adhuc dignitatem miri „

„ operis

(*o*) Marlacum, Morlacæ in Auſtriæ, Neuſtriæ atque Burgundiæ, Regnorum confinio poſitum, illuſtre Palatium fuit. In eo commoratus eſt Theodoricus III. Neuſtriæ atque Burgundiæ Rex, quum inter eum & Dagobertum II. exarſiſſet bellum. De Palatio hoc multa, at de Marilegio noſtro pauca, habet Germanus.

(*p*) Villa regia *Metlagium*, ubi Carolus Simplex An. DCCCCIII. San-Dionyſiano Monaſterio Chartam conceſſit, ad Marlegium quoque noſtrum nuperis *Cangiani Gloſſarii* editoribus pertinere videtur. Locum, Librarii incuria haud dubie corruptum, & ego ita lubens reſtituerem, ſi Carolum Simplicem An. DCCCCIII. in Alſatia verſatum reperirem.

(*q*) Caroli Craſſi Dipl. datum in villa Columbario, An. DCCCLXXVI. ex Tabular. Andlav.

(*r*) Diploma Ludovici Pii & Lotharii An. DCCCXXVIII. ex eodem Tabular.

(*s*) *Not. ad Kœnigshov.* pag. 609.

(*t*) GREGOR. TURON. Lib. IX. Cap. XXXVIII.

(*u*) Lib. X. Cap. XVIII.

(*x*) FREDEGARIUS Cap. XXXVII.

(*y*) Claromontanus Codex. Colbertinus & Cheſn. legunt *Maurolegiam*: Cheſn. al. *Maurolegico.* Editi plerique vero corruptiſſime habent *villam Aureolegiam.* Adde AIMOINUM de *Geſtis Francorum.* Lib. IV. Cap. VI.

(*z*) *Chron.* Cap. XLIII.

(*a*) COINTIUS *Annal. Eccleſiaſt.* Tom. III. pag. 767. BERAIN *des Trois Dagoberts* pag. 96.

(*b*) Interpolatam Chartam magis interpolavit Coccius, cujus exemplum habet: *ad ſtradam pagi vel oppiduli Marlejenſem.* Vetus in pergameno apographum, quod in Tabulario Mauri-Monaſterienſi inſpexi, autographum enim non extat, voces *pagi vel oppiduli* omittit. BOUQUETUS, in *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. IV. pag. 703. Diploma producens, Coccianum exemplum ſecutus eſt. Ceterum haud ſupereſt indicium, ex quo liceat conjicere, quænam ex Dagoberti II. donationibus antiquior altera ſit.

(*c*) *Re Diplom.* Lib. VI. pag. 494. & *Act. Sanctorum Bened.* Tom. IV. pag. 310. FELIBIEN *Hiſt. de S. Denys*, Probat. pag. 29.

(*d*) Cap. VIII. apud MABILLON. *Acta SS. Bened.* ſec. II. pag. 114. BOUQUETUS in *Scriptor. Franc.* Tom. VII. pag. 333. REGINO, & ANNALISTA METENSIS, imo & BERTINIANUS, rem paulo aliter narrant.

„ operis mœnia excelſa teſtantur. „ Contigit hoc An. DCCCLVII. Abbatiam S. Deicoli dein pellici ſuæ Waldradæ tradidit Lotharius; unde acriter in eum invehitur memoratus Anonymus Lutrenſis, qui ſeculo X. vixiſſe videtur. Circa idem tempus Lotharius Grandi-Vallenſi Monaſterio Privilegium conceſſit, quod retulit LUCAS DACHERIUS. (e) Pro *Arlegia* ibi haud dubie *Marlegia* legendum; prouti apud PITHOEUM, (f) ejusdem præcepti editorem, legimus. Apud utrumque ponitur annus XI. Lotharii Regis, junioris nimirum. REGINO divortium ejus cum Theutberga, Hucberti Abbatis ſorore, ponit ad An. DCCCLXIV.

§. CLXVII.

Gynecium Marilegenſe.

In Regia Marilegenſi villa, quæ excelſis egregii operis muris inclyta fuit, præter alia ædificia plura, *Gynecium* vel Gentium quoque extitiſſe, ex GREGORIO TURONICO (g) addiſcimus; quando ſcribit: "In Marilegium villam deducitur, ut ſcilicet trahens molam his, „ quæ in Gynæcio erant poſitæ per dies ſingulos farinas, ad victus neceſſarias, præpararet. „ Scilicet fœminæ, quæ ſtupra commiſerant, in Gynecea pœnæ loco amandabantur, ut ibi ſervirent illis, quæ in Gynecio poſitæ, hoc eſt, in eo opus tractarunt. Gynecium hoc Marilegienſe, ut & ſupra Columbrenſe, CANGIUS (h) *Lupanar* interpretatur, idque ex voce *poſita* extorquet, quam indicare exiſtimat, meretrices in Gynecea, tanquam in publica proſtibula, fuiſſe relegatas. Verum Gregorius Marilegium non ut lupanar depingit, ſed meretricem Gynecio illi fuiſſe incluſam memorat, ut honeſtis mulieribus ibi poſitis, lanamque tractantibus, ſerva ſubeſſet, molamque, pro pane quotidiano conficiendo, traheret. Nec locus Notkeri de Columbrenſi Gynecio, quod duo nothi ex eo prodierint, conjecturam ejus confirmat, uti in Columbra jam docui. Num Reges Merovingi in Palatiis ſuis publice inſtituturi fuiſſent lupanar? Quodſi Dagobertinum Diploma pro Monaſterio Haſelacenſi inſpicias, Marilegium urbem fuiſſe, haud immerito ſuſpiceris. Ait enim Dagobertus dare ſe regalem ſuam habitationem Kircheim; *cum ſuburbiis Marley*. Ex altera vero parte nemo non novit, quam improprie vocibus Latinis ſæpe uſi fuerint publici illi ſcribæ Notarii.

KIRCHEIM.

§. CLXVIII.

Kirchemium.

MArilegio dignitate & amplitudine vix ceſſit *Kirchemium*, Regibus Merovingis Auſtraſiæ atque deinceps Carolingis habitatum frequenter, à priore vix ſemihorio diſtans. (i) Marlegia tamen antiquitate præcedit. Hoc enim An. DXC. Childebertus II. Kirchemium Dagobertus II. An. DCLXXVI. inhabitavit. Varia ejus in Scriptoribus Chartisque ſcriptura: *Kircheim*, *Kiricheim*, *Kirichheim*, *Chirichheim*, *Chirchaim*, *Kilicheim*, *Chilicheim*. Filiam Dagoberti II. mutam & cœcam, ut Legendæ volunt, quum ſanaſſet Florentius, qui tum in Haſela, montis Vogeſi ſilva, ad fluvium Bruſcam, ſolitarius vixerat, Dagobertus, virtutibus ejus tactus, non ampliſſimum modo, quem coluerat, fundum, ſed & "regalem ſuam habitationem bene ordinatam, „ ſeu procuratam *Kirchhaim*, cum ſuburbiis Marley, vallem Coronæ, Virdenheim, villam „ Vene, caſtellum ſitum in monte juxta ſtratam Tabernenſem, usque ad rivulum „ Oſellum &c. „ Florentio, pro novo, quod inſtituit, Haſelacenſi Monaſterio conceſſit. (k) Hoc primum primariumque ſuæ dotis patrimonium hodieque ex parte poſſidet Haſelacenſis Eccleſia.

§. CLXIX.

Dagoberti II. ſedes.

DOUBLETUS (l) ergo immerito reprehenſus eſt à MICHAELE GERMANO. (m) quod Kirchemium Palatium à Dagoberto excultum fuiſſe tradiderit. Addit Germanus, nihil hac de re io Actis Dagobertinis, ſive publicis, ſive domeſticis, ſe legere meminiſſe. Coccii tamen atque Henſchenii ſcripta ei erant ob oculos. In eo quidem à Doubleto

(e) *Spicileg.* Tom. VII. pag. 186. ex quo illud expreſſit ECCARDUS *Origg. Habsburg.* pag. 140.

(f) Vid. GERMANUS apud MABILLON *de Re Dipl.* pag. 297.

(g) Lib. IX. Cap. XXXVIII.

(h) *Gloſſar.* in voce *Gynæceum.*

(i) Hinc in Dagobertino Diplomate, Haſelacenſibus dato, dicitur: *Kirchhaim, cum ſuburbiis Marley.*

(k) *Acta S. Florentii* ex Cod. Bodecenſi Weſtphaliæ apud HENSCHEN. de *Tribus Dagobertis* Cap. VI. pag. 87. & CAR. COINTIUM *Annal. Eccleſiaſt.* Tom. III. pag. 767. Adde ipſum Diploma Dagobertinum donat. Haſelac. interpolatum quidem, hac tamen in re actis conforme, quod corruptius apud COCCIUM, purgatius apud HENSCHENIUM loco citato Lib. II. Cap. VI. pag. 88. exhibetur.

(l) *Antiquitez de S. Denys* Lib. IV. Cap. I. pag. 1196

(m) Apud MABILLON *de Re Diplomatica* Lib. IV. pag. 290.

à Doubleto erratum, quod Dagoberto I. adſcripſerit, quæ Dagoberto II. tribuenda fuerant; ſed receptum ille erravit errorem, quem tamen non reprehendit Germanus, cui Dagobertus II. ab Hadr. Valeſio, Henſchenioque detectus, innotuerat optime. Kirchemiana Dagoberti habitatio tum ex Actis S. Florentii, tum ex Dotatione Haſelacenſi pateſcit. *Prodromi Gotuuicenſis* (n) Auctor exiſtimat, ab hoc tempore tranſlati ad Haſelacenſes Kirchemii, Reges plerumque Argentorati habitaſſe, & ipſe tamen Chartarum, paulo poſt Kirchemii datarum, quædam exempla producit. Quid quod præter Argentoratum, Marilegii, Scladiſtati, Erenſteinii, aliisque in Alſatiæ Palatiis, Reges quoque eſſe commoratos, Literarum, quas in ſingulis his Palatiis dedere, documenta declarant.

Aliorum Regum.

Dagoberti II. ſucceſſores ergo Kircheimenſe Palatium alio dono vel concambio, uti vocant, redemiſſe cenſendi ſunt. Nam ſub Ludovici Pii Imperio An. VI. Sigiridus quidam piam fecit donationem, in cujus clauſula legitur: *Actum Chirihaim villa publice.* (o) Sub Ludovico Germanico An. XXVII. Regni ejus in orientali Francia, commutatio bonorum aliquot inter Grimaldum, S. Galli Abbatem, atque Totonem quendam factum eſt, ubi dicitur: *Actum in Chiricheim in Cubiculo Regis publice.* (p) In Chirichhemiana hac villa Berengarius, Italiæ Rex An. DCCCLXXXVI. ſe Carolo Craſſo ſubmiſit. (q) Chifletius in *Trenorchiana Hiſtoria* (r) Caroli Craſſi Chartam, Blitgerin Abbati Trenorchienſi An. DCCCLXXXVI. conceſſam, producit, datam in *Kyriem*, quod nomen corruptum Mabillonius, (s) in *Kyrken* convertens, ad Alſaticum noſtrum Kirchemium refert, idemqoe facit Germanus; in eo tamen à Mabillonio diverſus, quod Chartam An. DCCCLXXXVII. adſcribat. Fidem vero hujus Diplomatis omnem nuperus Hiſtoriæ Trenorchienſis conditor, Petrus Jueninus, ejuſdem Abbatiæ Canonicus, (t) plane vocat in dubium. Idem Carolus An. DCCCLXXXVII. Martini Turonenſis Abbati Odoni Chartam confirmatoriam rerum quarumdam in Italia dedit; in cujus fine legitur: *Actum in Cherichheim.* (u) Kirchemii quoque Carolum Craſſum Ludovicus Boſonides eodem anno inviſit ac inveſtivit; uti ex Fuldensibus iterum Annalibus docemur. " Carolus Craſſus (inquiunt) Ludovicum, Boſonis filium parvulum, ad " Rhenum villa Chiricheim, veniens obviam honorifice ſuſcepit ad hominem. " Eodem in loco Archicapellani dignitate privatus eſt Epiſcopus Vercellenſis Luidwardus, quod Lambeciani Francorum Annales referunt. (x) Kirchemium ampliſſimum olim locum extitiſſe, conſtans traditio & vaſta ædificiorum rudera produnt. Exiguus hodie viculus eſt, Marilegio vilior.

Beatus Rhenanus (y) ante ducentos annos hæc de Kirchemio obſervavit: " Vix ullo Elſatiæ loco majora antiquitatis extare veſtigia. Prominent adhuc, inter " ruinas altiſſimi muri, turrium inſtar. Nec miror, cur veteres Francorum Reges " illic habitare voluerint, nam agrum habet amœniſſimum. " Utrumque Palatium quinque leucis diſtat Argentotato, utrumque prope fluvium Moſſam, (*Moſig*) verſus Vogeſum montem, ſitum eſt. Ab hac villa Regia & Palatio totus *Kirchemenſis Comitatus*, qui idem cum Troningorum Pago nomen acceperat, uti ſupra (z) oſtenſum. Nic. Hertius in *veteris Francorum regni notitia* (a) tradit, Palatii Kirchheimenſis rudera adhucdum Dagoberti ſalam (*Daberts-Saal*) appellari ab incolis; ſed nobis hac de re nihil compertum; traditio noſtro ævo forſitan periit.

§. CLXX.

Vallis Coronæ.

Dagobertus in Charta Haſelacenſi, præter Kirchemium & ſuburbia Marley, mentionem quoque facit *Vallis Coronæ & caſtelli, ſiti in monte, juxta ſtratam Tabernenſem.* Vallis Coronæ, Germanis *Cronthal*, amœniſſima illa vallis, Marilegium inter atque Waslenhemium eſt. Colli adjacenti impoſitum fuit caſtrum *Cronenburg*, (b) cujus ſitus pariter lætus aſpectu; quod ipſum in Charta ſua Dagobertus deſignare videtur.

(n) Lib. III. pag. 487.
(o) Goldast. *Rer. Alamannicar.* Tom. II. Part. I. pag. 52. num. 81.
(p) Goldastus ibid. pag. 30. num. 17.
(q) Annales Fuld. An. DCCCLXXXVI.
(r) *Hiſtoire de l'Abbaye de Tournus* pag. 259.
(s) *Annal. Benedict.* Lib. XXXIX. Cap. VIII. Tom. III. pag. 257.
(t) *Nouvelle Hiſtoire de l'Abbaye Royale & Collegiale de S. Filibert & de la Ville de Tournus*, Part. II. pag. 58. ſq.
(u) Michael Germanus de *Palatiis* num. 74. Martene in *Theſauro Anecdot.* Tom. I. pag. 50. idem Diploma producit, ſed in fine habet: *Actum in Cheirchim.*
(x) Apud Lambecium in *Biblioth. Vindob.* Tom. II. pag. 357.
(y) *Rer. German.* Lib. III. pag. 315.
(z) Pag. 642.
(a) Cap. III. §. XXXVIII.
(b) Strateburgenſes à caſtro hoc unam ex portis ſuis *Cronenburgi* portam vocarunt, quæ nempe verſus caſtrum hoc poſita fuerat.

Caſtrum à *Corona* nomen accepit; forſitan, quod à Regibus ſtructum, Regiisque Marlejæ & Kirchemii Palatiis fuit vicinum: ſubjacenti valli ſuum nomen communicavit. Nomen *Coronæ* num deflexum in *Tronia*, aut vox *Tronia* vice verſa in Coronam immutata fuerit, ob vocum Germanicarum *Cron* & *Thron* affinitatem, non equidem definio; noo definiturus quoque, num arx *Cronenburg*, valli adſtructa, *Tronia* forſan olim geſſerit nomen, hocque num à Corona, vel à Throno derivandum; utraque res enim Regio Palatio nomen impertiri potuerat. GEBVILERUS in *Panegyri Carolina* (c) vallem Coronæ non dubitavit *Troniam vallem* appellare.

Haud procul Kirchemio diſtat vicus *Trenheim*; quod nomen ex *Tronia* reliquum crederes. (d) FRANC. IAENICUS (e) longiſſime aberravit à vero, qui vicum *Veldkirch* prope Ehnhemium inferius, pro *Tronia* ſumit, locum noo inferiorem olim Argentorato fuiſſe exiſtimans; neſcio quo fundamento innixus. Idem errorem errore cumulat, quando hanc Alſatiæ Trojam, tempore Dagoberti conditam, à Carolo ſemel, & ab Henrico II. anno MXXII. rurſus deſtructam fuiſſe ſcribit. Trojam in inferiore Italia Henricus Sanctus deſtruxit, cujus rei teſtes MARIANUS SCOTUS, (f) HERMANNUS CONTRACTUS; (g) qui diſertis verbis hæc produnt: "Henricus Imp. Campaniam petens „ Beneventum intravit, Trojam oppugnavit & cepit, Neapolim, Capuam, Salernum, „ aliasque eo locorum civitates in deditionem omnes accepit. „ Conſentiunt LEO OSTIENSIS, (h) CONRADUS URSPERGENSIS, CHRONICON AUGUSTENSE (i) & HEPIDANNUS. (k) Verum hæc, apud Italos geſta, Alſaticam Troniam, ſive Kirchemium noſtrum, nullo modo reſpiciunt.

SUECHHUSEN.

§. CLXXI.

Suech-huſen. CUrtis juris Regni vocatur ab Ottone I. in Donatione, An. DCCCCLXVIII. conjugi ſuæ Adelheidi facta, apud FAEHERUM (l) atque MEIBOMIUM. (m) Prior habet *Suchhuſun*, poſterior *Suchuſun*, autographum vero *Suechhuſen*, quæ lectio verior, nominique hodierno *Schweighuſen* vicinior eſt: vicus inſignis, in Hagenoæ partibus ſitus. Zuentiboldinam Chartam An. DCCCXCVI. pro San-Dionyſiano Monaſterio, ex ejusdem Abbatiæ Tabulario protulit FELIBIANUS, (n) in cujus fine legitur: *Actum in Suuetchuſa.* Locum hunc Cangio, Mabillonio, Germano, Beſſelio, qui de Palatiis omnes egerunt, ignotum, ex Ottoniana Charta nos heic reſtituimus, atque in villarum Regiarum, Palatio inſtructarum, reponimus claſſe.

SALOISSA.

§. CLXXII.

Saloiſſa. SAletio ſub Romanis ſtatio fuit militaris, unumque adeo inter L. caſtella, quibus Rhenus contra Germanos erat munitus. (o) Caſtrum quoque appellatur ſub Francis, nomine veteri in *Saloiſſa* converſa. Ex FREDEGARII SCHOLASTICI id addiſcimus *Chronico*; (p) qui componendis inter Theudericum & Theudebertum fratres, Childeberti II. filios, diſſidiis An. XV. Regni Theuderici, hoc eſt, Æræ Chriſt. An. DCX. conventum procerum Saloiſſæ inſtitutum fuiſſe, nos docet; ubi ſcribit: *Placitum, inter hos duos Reges, ut Francorum judicio finiretur, Saloiſſa caſtro inſtituunt.* Eadem narrat AIMOINUS, (q) Saloiſſam nominans; ſed abſque epitheto *caſtri*. Oppidum Alſaticum *Selz* heic intelligendum, res indubia inter Hiſtoricos eſt.

Valeſius notatur. Quodſi HADRIANI VALESII (r) veſtigia ſequerer, *Saluſſam* & *Saluſiam caſtrum*, in Metenſibus & Eginhardianis Annalibus An. DCCLXX. memoratum, ad Saloiſſam quoque noſtram referrem. Quum autem in Wormatienſi, prope Ingelhemium, Pago *Saluſiam* extitiſſe

(c) Pag. 19.
(d) *Prodrom. Gottuuic.* loco alleg.
(e) *Exegeſ. Germaniæ* pag. 403.
(f) *Chron.* Lib. III. ætat. VI. pag. 449.
(g) Ad An. MXXII.
(h) *Chron. Caſſin.* Lib. II. Cap. XL. ſq.
(i) Ad An. MXXII.
(k) Qui male ad An. MXXVIII. hoc refert
(l) *Origg. Palatinar.* Part. II. Cap. XVI. pag. 82.
(m) *Scriptor. Rer. German.* Tom. I. pag. 752.
(n) FELIBIEN *Hiſtoire de S. Denys*, inter Prob. num. 102.
(o) Vide pag. 226.
(p) Cap. XXXVII.
(q) AIMOINUS FLORIACENSIS de *Geſtis Francor.* Lib. III. Cap. XCV.
(r) *Notitia Galliar.* voce: *Saletio.*

extitiſſe conſcius ſim, ad Wormatienſem hanc referre, me jubent circumſtantiæ rerum, quas de Caroli M. cum Bertrada matre colloquio apud Saluſiam Annaliſtæ hi narrant. Carolus enim generalem populi ſui conventum in Wormacia tum civitate habuerat; eaque occaſione mater, collocutura cum filio, Saluſiam, uti Scriptores tradunt, acceſſit. Saluſſa Wormatiæ propinqua quum fuerit, Carolum in Alſatiam usque iter feciſſe, veriſimile non eſt. Adde, quod caſtrum Alſaticum nec Saluſia, nec Saluſſa, ſed Saloiſſa appellaretur. Saluſia, flumen & caſtrum, in Pago Wormatienſi extitit. Caſtro haud dubie rivulus indidit nomen, quod & Saloiſſæ noſtræ Alſaticæ contigit, quam Selza flumen alluit, antequam Rheno ſe miſceat. In *Chronico Laurishamenſi* legimus: " Ego „ Willisuuinda Deo ſacrata, & filius meus Cancor Comes, donamus ad Eccleſiam S. „ Petri in loco Laureſham villam noſtram in Pago Uuormatienſe, in loco qui dicitur „ Hagenheim, ſuper fluvium Saluſiam. „ Huoc tamen fluviolum cum Alſatica Selza ita confundit Valeſius, ut ex loco hoc demonſtrare conetur, Alſatico quoque noſtro flumini Selzæ & caſtro nomen competiiſſe Saluſiæ. Valeſius ergo, Franciſcum Bellaforeſtum, Hiſtoricum, erroris accuſans, quod Saloiſſam Alſaticam cum oppido Salutiarum, (*Saluces*) Regionis Subalpinæ, confundat, Alſaticum ipſe flumen cum Wormatienſi permiſcet. Sed & alia occaſione Valeſius in Alſatiam noſtram liberalior eſt; quando *Solocenſe* illud, quod in Regni Lothariani Tabula Diviſionis occurrit, quodque Miræus (*s*) rectius ad *Solieu* in Burgundia refert, noſtræ etiam Alſatiæ vindicat, pro *Solocenſe*, *Saloſſenſe* ſubſtituens.

§. CLXXIII.

Ceterum Saloiſſam noſtram monumenta ævi vicini *Saliſe* vocant, *Salſa, Salſi, Saliſa.* Nomina.
Prior appellatio in Ottonis M. Charta, (*t*) altera in Adelheidæ Imperatricis vita, ab Odilone, Cluniacenſi (*u*) Abbate, ſcripta, & reliquæ in Diplomatibus Ottonis III. anecdotis, quæ Selzenſi monaſterio dedit, quæque nos ſuo tempore dabimus in lucem, occurrunt. Odilo Saloiſſam, quam Fredegarius *caſtrum* dicit, *oppidum Salſenſe* nuncupat; (*x*) quod Adelheidis denique in urbem, ſub libertate Romana, erexit. (*y*) Ditmarus Merseburgensis, (*z*) in nominibus urbium deſignandis non raro infelix, Selzam noſtram nominat *urbem Olſa*; Anonymus autem Saxo *Salinenſem*. Chronicon nempe Anonymi Saxonis, de Adelheide loquens, apud Leibnitium (*a*) ait: *In Baſilica Salinenſi, quam ipſa S. Petri nomine conſtruxerat, tumulata.* Baſilicam *Salinenſem* qui dicit, *Salinenſe* quoque oppidum diceret. *Trivultini Lexici* concinnatores (*b*) novam nobis loci hujus appellationem effingunt. Scribunt enim, Selzam quandoque nomen accepiſſe *Eliſatium*; quod neminem unquam aſſeruiſſe comperior; nec aſſerti ſui ullam probationem hi auctores ſuppeditant. Selza pars fuit Eliſatii; ipſa vero Eliſatii nominis compos non erat. Præter Selzam Alſaticam, alia quoque Franciæ orientalis Ducatus extitit ad flumen Salam, ubi Palatium Regium, à Carolo M. frequentatum, fuerat; ubi pacem cum Saxonibus An. DCCCIII. concluſerat, de quo Palatio plura habet Eccardus. (*c*) Fuit & Salza Saxonica, vetus oppidum, prope Albim, ſupra Magdeburgum, ubi Otto M. plura Diplomata dedit. (*d*) Caſtrum denique Aquitanicum *Sels* Eginhardi *Annales* (*e*) commemorant.

VILLÆ REGIÆ.

§. CLXXIV.

SEquuntur jam villæ Regiæ ſimplices, Regio forſan non ornatæ Palatio, quas inter primo loco tres illæ anonymæ curtes recenſendæ ſunt, à Dagoberto II. Eccleſiæ Strateburgenſi donatæ, quarum una in Pago Speries, altera in Pago Rubiaco, tertia in Pago Biscovesheim, ſitæ fuerunt. Dagobertus ait: *ad Argentinenſis Eccleſiæ Monaſterium tres curtes meas optimas & electas* &c. (*f*) Curtes hæ tres Palatis habuerint, nec ne, nulla res indicat nobis. Ipſa enim Palatia à Regibus conceſſa quoque fuerunt Eccleſiis. Dagobertus II. Kirchemium, nobiliſſimum ſane Palatium, Haſelacenſi Monaſterio, quod Florentius erexerat, tradidit, uti Charta illis data teſtatur. Villæ Regiæ.

Villas

(*s*) *Cod. Piar. Donation.* Tom. I. Opp. pag. 30.

(*t*) An. DCCCCLXVIII. apud Freherum *Origg. Palat.* Part. II. pag. 82. & apud Meibomium *Script. Rer. Germ.* Tom. I. pag. 752.

(*u*) Vita hæc à Canisio Tom. V. *Lection. Antiquar.* & edit. Basnag. Tom. III. pag. 78. item à Leibnitio *Rer. Brunsvic.* Tom. I. pag. 265. & ab Hartmanno in *Annalib. Einſidlenſibus* edita eſt.

(*x*) *Vita Adelhaidis* Lib. II. pag. 270. Edit. Leibnit.

(*y*) Ibidem Lib. I. Cap. VII.

(*z*) *Chronici* Lib. IV. pag. 357.

(*a*) Allegatur hoc Chronicon à Leibnitio in *Notis ad Ditmarum* Tom. I. *Scriptor Brunsvicens.*

(*b*) In Voce *Selza.*

(*c*) *Not. ad Leibnitii Diatribam de Origine Francorum* pag. 262.

(*d*) Hundii *Metropol. Salisburg.* Tom. I. pag. 90. & Tom. II. pag. 259. & 349.

(*e*) An. DCCLXVIII.

(*f*) Vide ſupra in Kirchemio §. CLXVIII.

GEOGRAPH.

Villas, quas ſubjungimus, in numero villarum absque Palatio reponimus, donec Charta nobis obveniat, quæ Reges in illis quoque commoratos fuiſſe indicet.

§. CLXXV.

Herliſheim. Herlesheim. Dagobertus II. Schutterenſi Monaſterio in Mortinhauga dedit *curiam in villa Herlesheim*, teſte ejus Diplomate, ſed quam maxime interpolato, quod Coccius (g) & ex eo Henschenius, (h) memorant. Deceptus vero uterque, *curtem ſeu prædium in Pago Herliſheim*, poſuit, adeoque Inſtrumentum corruptum magis adhuc corrupit, quum nec curtis, nec prædii, nec multo minus pagi, nomen ibi occurrat. Ita enim Diploma: "Curiam unam in villa Herlesheim dicta, poſitam in territorio Baſil. Epiſcopi, „ cum omnibus pertinentiis ſuis, curtificiis, areis . . . per hanc noſtram imperialem „ paginam concedimus &c. Wimphelingius donationis hujus pariter mentionem facit, at unde ejus notitiam hauſerit, omnino ſilet. Notam Chronologicam Henſchenius ita corrigit, ut annos ei quinquaginta ſuperaddat, ad Dagobertum II. referens factum, quod Coccius ad Dagobertum I. retulerat. Ceterum locus claſſi villarum regiarum ſine dubio annumerandus, cujus curiarum unam Dagobertus II. Schutterenſibus dedit, quam illi ad initium ſec. XV. usque poſſederant. Tum enim vendita eſt Cœnobio Marbacenſi, & ab hoc ad Barones de Schauenburg tandem pervenit. *Herliebesheim* à Ludovico Pio An. DCCCXXIII. inter iſta Alſatiæ loca memoratur, in quibus Maſonis Monaſterium bona poſſedit. Et hic enim oppidulum illud Herlisheim deſignatur, quod haud procul Colmaria eſt; non vicus ejusdem nominis, prope Druſenhemium.

§. CLXXVI.

Amalrici-villare. Amalrici-villare, nunc *Ammerſchweyr*, quod oppidum eſt Alſatiæ ſuperioris, à Lothario, Lotharingiæ Rege, in Charta donationis, quam An. DCCCLXIX. Abbatiæ Thuricenſi fecit, commemoratur. (i) Villam Regiam fuiſſe, non tam ex hoc loco concludimus, quam ex Diplomate Ottonis II. Imp. de An. DCCCCLXXVII. quod Abbatiæ Maurobac. dedit, (k) ubi ſcribitur: "Quia Domina noſtra Adelheidis Imperatrix capellam decimalem & baptismalem, cum tota villa *Amelricherviler*, in qua ſita „ eſt . . . . Murbacenſi donavit Eccleſiæ &c. „ Nam Adelheidis, ex Italia orta, quomodo locum Murbacenſibus donare potuit, niſi illum ab Ottone I. Imp. marito ſuo prius acceperit, uti alias eam quinque villas regias in Alſatia accepiſſe novimus. Amalrici-villare quoque in *Vita D. Deodati* (l) legitur, qui juxta illud quum reſediſſet ac ab incolis fuiſſet expulſus, Hunonis-villam conceſſit. Cæterum Amalrici, cui locus hic appellationem ſuam, forte & originem, debet, nomen frequens apud Alſatas fuit ſub Francis.

§. CLXXVII.

Quuningishaim. Quuningishaim à Lothario Imp. in Diplomate anecdoto Lebrahenſi An. DCCCLV. *fiſcus Domni Karoli* fuiſſe ſcribitur, ad quem pars ſilvæ Voſagi ſpectaverit, in qua Fulradus Abbas Monaſterium Lebrahenſe conſtruxit. Carolus M. enim ſilvam iſtam in dicti Fulradi gratiam novo Monaſterio tradiderat, *ex marca fiſco noſtro Quuingirhaim*, ut ipſe loquitur in Charta An. DCCLXXIV. quam Felibianus (m) dedit in lucem. Poſterior hæc lectio corrupta videtur, cui prior Lotharii præferenda, quum vicus *Kinsheim*, haud procul à Seleſtadio & S. Hippolyti oppido, intelligatur. Sed & alia nominis ejus orthographia in interpolato Ludovici Pii pro Hohenburgenſibus Privilegio reperitur, ubi locus iſte vocatur *Kinnenheim*.

Hiltesheim. Hiltesheim. Theodoricus III. villæ hujus regiæ facit mentionem in Diplomate, quod Novientenſi Monaſterio dedit circa An. DCLXXX. cuique manu propria ſe *Hiltesheim* tradidiſſe, & ab omni ſuorum judicum poteſtate teſtatur exemiſſe. Ab hoc ergo tempore Ebersheimenſibus ceſſit; in quorum Chartis, quas à Ludovico Pio & ſequentibus Alſatiæ moderatoribus acceperunt, ſub nomine *Hilzheim* non raro legitur. Nomen hoc vicus tuetur hodieque, vix leucæ ſpatio à Monaſterio ſejunctus.

CLXXVIII.

(g) In *Dagoberto* pag. 76.
(h) *De tribus Dagobertis* Lib. II. Cap. V. pag. 86.
(i) Scheuchzer in *Alphabeto ex Thuricens. Diplomat. & Codicibus*. Tab. III.
(k) Apud Eccard. *Orig. Habsburg.* pag. 122.
(l) Apud Mabillon *Act. Sanctor. Benedict.* ſec. III. Part. II. pag. 429.
(m) *Hiſt. de S. Denys, Preuves* num. 50.

§. CLXXVIII.

Sarameresheim curtis Regia quoque fuerat, uti ex Ottoniano Diplomate (n) An. DCCCCLXVIII. docemur; quo Adelheidi, conjugi ſuæ, Otto M. cum aliis hanc etiam curtem conceſſit, in Comitatu Hugonis Comitis ſitam. Scribitur in dicto Diplomate *Saramereshem*. Inferioris Alſatiæ vicus *Sermersheim*, ſupra Benfeldam ad Illum fluvium, ad Benfeldenſem præfecturam ſpectans, haud dubie intelligitur. Primam ejus mentionem reperio in Caroli M. Diplomate Ebersheim. circa An. DCCLXXVI. ubi *Sarmeresheim* inter plures Alſatiæ villas recenſetur, in quibus Monachi Ebersheimenſes bona poſſederunt. Ludovicus Pius illum in ſuis pro eodem Monaſterio Chartis aliquoties *Sarmenza villam* ſimpliciter ouncupat; uti & Teſtamentum S. Odiliæ nomine tenus tantum de illo loquitur, ubi *curia in Sermirsheim* Cœnobio Hohenburg inferiori adſcribitur. *Prædium Saramáresheim in Pago Alſatiæ ac Comitatu Eberhardi Com. ſitum*, Otto III. An. DCCCCXCII. Adelheidi, aviæ ſuæ, à qua in Mageooldi Comitis manus pervenerat, reddidit, ut Selzenſi Monaſterio traderetur; poſtquam Magenoldus, morte præventus, in ipſo Saramaresheim Monaſterium, quod inſtituerat, abſolvere oon potuiſſet. Sermersheim.

§. CLXXIX.

Ehinhemium, quod etiam *Ehenheim* in Traditionibus ſcribitur, *Hiſtoriæ Novientenſis* (o) & *Fragmenti Urſtiſiani* (p) fide inter villas Regias repono. Situm erat in Comitatu Troniæ, ſeu Kilicheim, in Pago Biſchovesheim. Nomen ſuum ab *Elm* fluviolo, qui locum perfluit, noo ab Etichone Duce, uti arbitratur Schilterus, (q) accepit. Eticho cum familia ſua ibi ſedem habuit, Urſtiſiano Anonymo (r) teſte. Duæ Fuldenſes Chartæ apud Schannatum (s) An. DCCLXXVIII. & DCCLXXXVIII. *Ehinhaim* faciunt mentionem. Prior his verbis: "vendidi in Pago Alſacinſe, in locis oominatis, in Ehinhaim, in Uualabu, in Eriogiuſashaim, io Rodasheim, & in Strasburga civitate." Poſterior ita: "Donatum in perpetuum eſſe volo, hoc eſt, in Pago Alſacinſe, io villa Scaftolfeshaim, in Strazburga civitate . . . in Ehinhaim; in Falahabu &c." Inter antiquiſſima ergo Alſatiæ reponendum eſt loca. In Diplomate Hohenburgenſi Ludovici Pii An. DCCCXXXVII. Ehenhemio *ſuperioris* epithetum jam adjectum reperitur, ut ab inferiore, quod etiamnum vicus eſt, diſtingueretur. Villæ Regiæ raro convertebantur in oppida: id honoſi adulta ſub Periodo Germanica aliquibus contigiſſe compertum eſt. Hinc Ehenhemium in Fuldenſibus Chartis, quas protulimus, alias inter villas, absque ullo diſcrimine, ponitur, Strazburga vero nominatim in illis *Civitas* appellatur. At Ludovici Pii Diploma ſuperius Ehenbeim cum Rodesheim à villis, quæ recenſentur, diſtinguit. Ita enim Diplomatis verba: "Reſignavit (Ethicus Dux) altari B. Virginis Mariæ ibidem omnia bona immobilia & alia, quæ habuit, ſpecialiter ſuperius Ehenheim, Rodesheim, cum quindecim villis." Ehenhemium itaqoe & Rodesheim cum pluribus villis Cœnobio Hohenburgenſi, ab Odilia inſtituto, veloti ab Attico Duce illi tradita, tribuuntur. Sed ſuſpectæ fidei charta eſt, haud unam ob cauſam, quas ſuo tempore proferemus. Hioc etiam de inferioris Ehenbeim vico, quod in Monumentis Germanicæ Periodi demum occurrit, heic nihil dicemus. Ehinheim.

§. CLXXX.

Bolsenheim. Quum Lotharius Imp. hoc in loco Abbatiæ S. Stephani An. DCCCXLV. dominicam curtem, capellam & decimam, cum ſalica terra, aſſignaverit, concludimus inde, Bolſenhemium curtem aut villam regiam fuiſſe, quæ ſuum ad bunc usque diem nomen ſervavit; nec procul ab Herinſteinio, Lumarsbein & Lupotheshen, Palatio & curtibus olim regiis, diſſita eſt. Omnis itaque hic tractus ipſi Regum vel Imperatorum ditioni fuit ſubjectus; donec pleraque ejus loca ſub Lothario I. ad Cœnobia tranſirent. Bolſenheim.

(n) Apud Meibomium *Scriptor. Rer. German.* Tom. I. pag. 752. & apud Freher. *Orig. Palatin.* Part. II. pag. 82.

(o) Apud Martene *Anecdotor.* Tom. III. pag. 1129.

(p) Apud Urstisium *Rer. Germ.* Part. II. pag. 75.

(q) *Obſervat.* XIX. *ad Kanigshov.* pag. 1066. ubi Ehenbeim contractum eſſe putatur ex *Echenheim* vel *Etichenheim*, quod ſedem Etichonis denotaret.

(r) In *Fragm. Hiſtor.* loco cit.

(s) *Trad. Fuld.* num. 56. & num. 84.

GEOGRAPH.

Lumersheim. LUMARSHEIN. Curtis hæc regia fuit, quam Lotharius Imp. Monaſterio San-Stephaniano An. DCCCXLV. cum curte *Liepotheshen*, *ad hunnaria concymmanda*, deſtinavit, uti in ſuo Diplomate loquitur. Vicus nunc *Liemmarsheim* dicitur, qui trium ab Argentorato leucarum ſpatio verſus meridiem diſtat.

§. CLXXXI.

Lipsheim. LIUTPOLESHAIM, LUPOTHESHEN, hodie *Lipsheim*. Ludovicus Pius ejus quidem jam mentionem facit in Diplomate, quod commutationem bonorum, inter Bernoldum, Epiſcopum Argent. & Erkingarium Comitem An. DCCCXXIII. factam, confirmat, ubi *areales duæ cum caſa ſua* &c. *in Liutpoleshaim* Bernoldo adſcriptæ leguntur; ſed locum ſimpliciter *villam* nuncupat. Villam aut curtem tamen regiam fuiſſe, nulli dubitamus, quod Lotharius Imp. illam Partheooni S. Stephani An. DCCCXLV. quoque tradidit, ad *hunnaria* itidem *concymmanda*.

Wibelsheim. WEIBILESHEIN curtis regia usque ad medium ſeculi IX. fuit, quo Lotharius Imp. illam Monaſterio S. Stephani donavit, his verbis: " cis Rhenum juxta fluvium Ylla, „ noncupante *Egeshem*, *Weibileshem* in ſimili jure, ſicut cetera ſupra dicta, baſilica, „ terminis usque ad fines Illekiriche & Ryno, & ſupra & inferius piſcatum. „ Indicant hæc non obſcure conditionem pariter illo tempore ac ſitum loci, qui bihorio ſupra Argentoratum, Ellum inter & Rhenum fluvios, eſt, vulgo nunc *Wibelsheim* dictus. Proxima curtis *Egeshein* vero, quæ ei adjungitur tanquam vicina, non amplius extat. Locum forte ejus occupat vicus *Eſchau*, qui Wibelshemio proximus. Nam Egishemium Alſatiæ ſuperioris huc referri nequit.

§. CLXXXII.

Wanga. WANGA. Lotharius Imp. locum hunc itidem Monaſterio S. Stephani An. DCCCXLV. tradit, teſtante ipſius Diplomate, ubi hæc verba: " In Pago Alſacinda, „ *Wanga* cum ſuis appendiciis, campis, ſilvis, vinetis, rivis, eorumque decurſibus, „ cunctisque juſticiis. „ Curtis ergo regia tum fuerat, Palatio Marilegienſi & Kirchheimenſi proxima, in qua vero & alia prædia fuerant, ad ſubditos Regis ſpectantia. Erckingarius enim Comes in *Uuangon* & *Marleya* triginta quatuor ſervos aluit, quos contra totidem alios in *Erboldisvillare* cum Abbatia Schwarzacenſi An. DCCCXXVIII. jam commutavit, uti Diploma Ludovici Pii, quo iſta commotatio confirmatur, nos docet. Sed & Abbatiam Honaugienſem bona quædam io *Wanga* poſſediſſe, ex Caroli Craſſi Privilegio An. DCCCLXXXIV. diſcimus. Interim tamen locus, qui nunc oppidulum, ad San-Stephanianum Parthenooem etiamnum ſpectat.

§. CLXXXIII.

Brumath. BRUOCHMAGAT cujusnam ſub Francico regimine conditionis fuerit, poſtquam ſub Romanæ Periodi finem Brocomagus à Barbaris fuiſſet deleta, an è ruinis paulatim reſurrexerit, an vero per omne illud tempus jacuerit ſepulta, oullo ex documento vere poſſumus definire. Silent bunc locum Diplomata & Annales Francorum univerſi, ad Arnolphum Imp. usque, ſub quo veram ejus conditionem paucis diſcimus ex *Chronico Laurishamenſi* (*t*) verbis, quod ita ſcribit: " Idem (Arnolphus Imp.) fiſcum „ proprii juris ſui, nominatum *Bruochmagat*, in Eliſatia, ad S. Nazarium (Monaſte- „ rium Laurishamenſe) donavit. „ Fuit itaque tum vetus Brocomagenſe caſtrum, de quo plura ſuperius, villa aut curtis regia; uti loca omnia fere, quæ ſub Romanis in Alſatia floruerant, Regibus vel Imperatoribus immediate diu ſubjecta fuiſſe obſervavimus.

A fiſco regio autem Bruochmagat avulſum quum eſſet, ac Arnulphi liberalitate transiviſſet ad Laurishamenſes, ab his ad ſeculum mox rediiſſe videtur, quum *Prumad* An. DCCCCLXXIII. inter Alſaticas Guntramni Comitis, cognomento Divitis, poſſeſſiones ab Ottone II. Imp. & An. DCCCCXCVII. ab ejus filio Ottone III. recenſeatur. (*u*)

§. CLXXXIV.

(*t*) In FREHERI *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. I. pag. 115.

(*u*) In duobus Diplomm. Paterniac. apud HERRGOTT *Cod. Probat. Genealog. Habsb.* pag. 86. num. 142. & pag. 93. num. 152.

§. CLXXXIV.

Hoch-felden.

HOCHFELDEN vocatur ab Ottone Magno *Curtis juris Regni noſtri in Eliſatium, in Comitatu Hugonis Comitis*, ubi illam Otto An. DCCCCLXVIII. Adelheidi, conjugi ſuæ, donavit. (w) Vicus *Hochfelden* inter Motram & Sornam fluviolos, Brocomagum & Alſaticas Tabernas, ſitus eſt. Inter quinque curtes Donationis Ottonianæ prima hæc ponitur. Reliquæ ſunt *Sarameresheim*, *Suechhuſen*, *Morinzanwiler*, atque *Salſe*. Ea inter Regales has curtes differentia fuerat, quod in duabus earum, Suechhuſo nempe & Saliſe, Regium quoque Palatium extiterat.

Gresweiler.

GRESWEILLER. Lotharius Imperator in Charta Erſteinenſi An. DCCCXLIX. ita de hoc loco: "Concedimus ad ſupra dictum locum (Monaſterium in Hernſtein) „ congregationemque Sanctimonialium, inibi per Dei adjutorium futuram, quandam „ villam juris noſtri, quæ vocatur *Greſweiler*, cum omnibus adjacentiis & appenditiis „ ſuis. „ (x) Vallis Bruſcanæ vicus eſt, haud procul à Muzecka atque Molshemio.

§. CLXXXV.

Francken-heim.

FRANKENHEIM. Duæ ejuſdem nominis Regiæ villæ, absque Palatio, quæ ad proprietatem Ludovici Pii pertinuerunt. Roboramus hoc ipſius Imperatoris teſtimonio, qui in Charta quadam, notis Tironianis ſcripta, (y) ita loquitur: "Libuit Celſitu- „ dini noſtræ quemdam fidelem noſtrum, nomine Ricbodonem, (z) de quibusdam „ rebus noſtræ proprietatis, quæ ſunt in Pago Alſacinſe, & in duabus villis, quæ uno „ vocabulo, id eſt, *Frankenheim* appellantur, honorare, & easdem res per hoc noſtræ „ largitionis conceſſum eidem Ricoodoni, fideli noſtro, perpetuo ad proprium conce- „ dere, id eſt in una villa, quæ Frankenhaim appellatur, manſos tres, & in altera, „ quæ ſimili modo Frankenhaim appellatur, dimidium manſum, cum ædificiis deſuper „ conſtructis, & de terra arabili bunnaria centum, & de prato, in quo poteſt colligi „ de ſœno carrada una, & mancipia tria &c. „ Villæ hæ ſuperſunt hodieque, quatuor circiter leucis Argentorato diſtantes. Altera *Hohen-Franckenheim*, ſive ſuperior, altera *Klein-Franckenheim*, ſive minor, nuncupatur; utraque Kochersbergenſis tractus partem conſtituit.

Merz-wiler.

MORINZANUUILER. Curtis quoque Regalis, ab Ottone I. Adelheidi conjugi ex Regiis bonis conceſſa, quam laudata modo Charta Ottoniana prodit. Nomen ejus hodieque ſupereſt in vico *Merzweiler*, qui haud procul à Neoburgenſi Ciſtercienſium Monaſterio abeſt.

Begge-lingen.

BEDDELINGEN. In Charta Inſtitutionis Monaſterii Blidefeld, ſeu *Clingen-Münſter*, quæ interpolata tribuitur Dagoberto & An. DCLV. quo nullus Dagobertus præfuit Regno, hæc leguntur: *Tradimus etiam regalem villam noſtram bene procuratam Beggelingen* &c. Forte *Belicken*, proxime à Clingenſi Monaſterio diſtans, hoc nomine intelligitur.

Ita laterculum Palatiorum villarumque Regiarum per Alſatiam abſolvimus. Viciniæ cauſa unicum exterum in Lotharingia quidem, at Vogeſianis ejus partibus, Alſatiæ proximis, eo magis ſubjungo, quod in Alſaticis rebus haud infrequens ejus mentio.

(w) Chartam vide apud FREHERUM *Origg. Palat.* Part. II. Cap. XVI. pag. 82. & apud MEIBOMIUM *Scriptor. Germ.* Tom. I. pag. 752. Poſt hos ECCARDUS eam dedit *Origg. Habsb.* pag. 169.

(x) Vide LAGUILLE *Hiſt. d'Alſace, Preuves*, pag. 20.

(y) CARPENTERIUS in *Alphabeto Tironiano* pag. 57.

(z) Nomen hoc frequens ſatis illa ætate occurrit. Senonienſis & Centulenſis Abbates ita appellati apud MABILLONIUM in *Annal. Benedict.* Tomo II.

HABENDUM
PALATIUM SIVE ROMARICI-MONTIS.

§. CLXXXVI.

Habendum.

IN Lotharingico Vogeſi latere Auſtraſiis & Carolingis Regibus frequentatum quoque fuit Palatium, in Calvimontenſi Pago, (*a*) amœniſſimo loco ſitum, quod *Caſtrum Avendum* (*b*) & *Habendum* primitus, inde *Romarica Mons* dicebatur. De hoc appendicis inſtar nobis agendum, non modo qood Alſatiæ noſtræ fuit vicinum, ſed etiam, quod Chartæ aliquot Alſaticæ, Murbacenſis ſpeciatim fundatio, in illo conditæ fuerunt. Adde, quod origines Habsburgo-Auſtriacas ex illo derivare olim conati ſunt multi. In Privilegio quodam Joannis Papæ anni incerti (*c*) hæc legimus: “ In loco, „ qui antiquitus vocabatur *Habendi Caſtrum*, nunc vero à modernis *Mons S. Romarici* „ vocitatur. „ Chartam hanc Reverendiſſ. CALMETUS Abbas, doctrina & ſcriptis multiplicibus clarus, in *Lotharingiæ Hiſtoria* (*d*) circa An. DCXLI. ponit, & Joanni IV. adſcribit. Hic vero quum An. DCXLI. jam mortuus fuerit, & S. Romaricus An. DCLIII. demum VIII. Dec. obierit, à quo *Mons S. Romarici* dicitur, uti ipſe Joannes Papa ſcribit, ad unum ex ſucceſſoribus Joannis IV. referenda Charta videtur. Amatus ſcilicet & Romaricus circa An. DCXX. in eodem monte, ubi caſtrum Habendum fuit, duplex Cœnobium, virorum nempe fœminarumque, condiderunt.

§. CLXXXVII.

Nomen duplex.

Poſt Romarici mortem duplex inde nomen, & *Habendi Caſtri*, & *Romarici Montis*, ſurrexit. Utrumque ſimul indicat Eberhardus, qui in Habendenſi caſtro verſatus eſt, quum An. DCCXXVIII. Monaſterium Murbacenſe inſtitueret. Charta ejus data ſcribitur: “ in *Habendo Caſtro* ſive *Romaſco* (*e*) *Monte*, Monaſterio publice, anno octavo regnante „ Domino noſtro Theodorico Rege. „ Septennio poſt, anno nimirum DCCXXXV. Precaria Charta Hildradi Murbacenſis quoque Abbatiæ data legitur: *Avendo Caſtro, ſive Romarico commorante Monaſterio.* (*f*) Sed & in *Vita S. Amati*, & *S. Adelphi*, Habendenſium Abbatum, (*g*) *Habendum Caſtellum*, ac *Monaſterium Habendenſe* memorantur. Carolingis *Rumrichi Caſtellum* appellabatur, uti ex duobus EGINHARDI locis (*h*) apparet. Priore in loco *Caſtellum*, poſteriore *Arx* dicitur. Ludovici Pii Charta anni incerti apud CARPENTERIUM (*i*) hæc enuntiat: *Ad fiſcum noſtrum, qui vocatur Romaricus Mons.* Lotharius Imp. Grandisvallenſe Monaſterium Liuthardo, Comiti illuſtri, confirmavit VIII. Kal. Sept. An. Chr. DCCCXLIX. *Romarici monte in Palatio publico.* (*k*) Charta Procaſpidana Partitionis Lotharingicæ An. DCCCLXX. (*l*) inter alia majoris momenti Monaſteria refert quoque *Romerici montem.* Unde inferimus, ante exſtructa ſeculo VII. Romarici Cœnobia, Franciæ Reges ibi jam habuiſſe Caſtrum ſive Palatium Habendum. Poſtea temporis Monaſteria duo ſimul in illo monte cum Palatio ſubſtiterunt.

§. CLXXXVIII.

Situs loci.

Venandi piſcandique cauſa Curtem hanc Ludovicus Pius ſæpe inviſit, ut indicant EGINHARDI *Annales* & ASTRONOMUS, Vitæ ejus Scriptor. (*m*) Regibus ex Alſatia, ubi frequentiſſimæ Curtes Regiæ fuerunt, in Lotharingicum Regnum tranſituris, opportunus fuit Romericiani Palatii ſitus. Sub Merovingis ergo *Caſtri Habendi*; ſub Carolidis *Caſtri Romarici* invaluit nomen.

Poſtquam

(*a*) *Le Chaumontois.* Vid. BENEDICTI PICART *Hiſt. de Toul*, pag. 52.

(*b*) Nomen hoc Romano ævo noſtris his oris ignotum. At in Itinere ab Aquileja per Liburniam occurrit *Avendo*, in *Itinerario* ANTONINI pag. 274. ubi Avendone Arupium X. M. P. ponuntur.

(*c*) CALMETUS *Hiſt. de Lorraine* Tom. I. Probat. pag. 253.

(*d*) Loco alleg.

(*e*) Ita quidem in Chartulario veteri Murbacenſi legitur. Charta enim primaria Eberhardi non extat; in qua, non dubito, quin ſcriptum fuerit *Romarico Monte.* Reliquæ duæ Chartæ, quæ fundationem Murbacenſem concernunt, Theodoricianum nempe Diploma & Widegerni Epiſcopi Argent. Conſenſus, adhucdum ſuperſunt.

(*f*) Precaria anecdota Chartularii Murbacenſis.

(*g*) *Vita S. Amati* apud MABILLON. *Acta Sanctor.* Tom. II. pag. 124. & *Vita S. Adelphi*, ibid. pag. 577.

(*h*) *Annales Rer. Francicar.* ad An. DCCCV. “ Poſt reverſionem exercitus ad Rumerici, (alii „ Rumrichi) Caſtellum profectus, ibi aliquantum „ temporis moratus eſt. „ Ibid. An. DCCCXXV. “ Ludovicus Pius in Vogeſum ad Rumerici montem „ venandi gratia profectus, filium ſuum Lotharium „ ibi ſuſcepit.

(*i*) In *Alphabeto Tyroniano* num. 49. pag. 79.

(*k*) DACHERII *Spicileg.* Tom. VII. pag. 184. ex quo ECCARDUS *Orig. Habsburg.* Probat. pag. 142. Adi quoque URSTISIUM *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. II. pag. 7.

(*l*) MIRÆI *Cod. Piar. Donat.* Tom. I. Opp.

(*m*) Ad annum DCCCXXXI ait: “ Imp. in parte „ Rumerici-Montis per Voſagum tranſiit, ibique „ piſcationi quamdiu libuit, indulſit. Quadriennio „ poſt, idem Ludovicus poſt ſanctæ Pentecoſtes „ feſtivitatem in partes Rumerici montis venationi „ atque piſcationi operam dedit.

Poſtquam Romaricenſes Canoniſſæ, Parthenone ab Hungaris deſtructo, in ſeculi X. decurſu deſcendiſſent in vallem, qua paucas fertiliores amœnioresque repenas, eoque in loco condidiſſent Eccleſiam, ubi hodie oppidum *Remiremont*, Monachi tamen, ſub Regula Benedictina, ad noſtrum usque tempus in primario loco ſubſtiterunt; qui vulgari ſermone *le Saint Mont*, (*n*) *Mons Sacer*, Germanis vero *Romersberg*, *Rumelsberg*, *Romberg*, dicitur. Sunt, qui à caſtro hoc Lotharingiæ *Habendo* celebris *Habsburgici* in Argovia caſtri origines nomenque derivant. Sententia hæc multis olim, Lazio (*o*) præeunte, placuerat, in quam manibus pedibusqoe concedit etiam Gabriel Bucelinus; quam tamen Franc. Guillimannus & poſt eum Bernh. Pezius jure meritoque deridiculo habent. (*p*)

§. CLXXXIX.

Sed & caſtrum aliud, eodem *Habendi* nomine clarum, in Briſgovia extitiſſe, nonnollis perſuaſum eſt. Errores aliorum. Fuggerus (*q*) ſane narrat, Romulphum in Briſgovia caſtrum hujus nominis exſtruxiſſe primitus; ejusque filium Romaricum, occiſo patre (*r*) in Lotharingiam profugum, Caſtrum ibi Monaſteriumque coodidiſſe; unde & Lotharienſe caſtrum, & Briſgovienſe, prope Friburgum, Fuggerianos Editor in Tabula repræſentat. Næniis & anachroniſmis plena hæc omnia; idoneorumque Scriptorum auctoritate deſtituta. Rosierius, (*s*) ſuſpectiſſimus Auctor, edidit Chartam, quæ ipſa ſuis ſe conficit telis. Data dicitur An. Chr. DCXX. ac memorat *Comitatum Avendum*, imo ipſum Romaricum Aveodi Comitem facit. Ita enim: "Ego Romaricus, Avendi Comes, ſecundum deſiderium meum paravi locum in monte Rombeech, juxta caſtrum meum in monte, ſilveſtri ſatis & horrido, haud procul à Moſellæ fluminis ripa . . . . . . Conſtruxi ibi Monaſterium Monialium Ordinis Benedicti &c. Quod ſcilicet Monaſterium à proprietate loci, congruum ſortitum nomen, Mons Sanctus vocatur. Tunc communi conſeoſu meorum, convocavi congregationem ſanctarum Monialium, quibus conceſſi præfatum Monaſterium, Abbatiſſam Gertruden, filiam meam primogenitam: cui & ſorori ſuæ Claræ, filiæ meæ &c. do & concedo libere totum patrimonium meum, videlicet totum *Comitatum Avendum*, eodem modo, forma, auctoritate, proprietate tenendum, qua pater meus & ego tenuimus. Factum eſt autem hoc donum quarto nouas Martii, anno ab Incarnatione Domini DCXX. Clothario glorioſo Francorum Rege regnante. &c." Tot nævis hæc ſe undique produnt, ut legiſſe, confutaſſe ſit. Ita Regium Habendenſe vel Romaricenſe Palatium firmo ſane ſtat talo, multa licet circa illud Lazius, Roſierius, Fuggerus aliique plures, fabulentur. Nemini ergo non mirum videbitur, quod *Prodromus Gottwicenſis* inter Palatia, quæ enumeravit, (*t*) locum ei nullum conceſſerit. At inter Ducatus Moſellanici Pagos (*u*) ei locum conceſſit; Pagum Habendenſem ſub Regibus Merovingis frequenter occurrere aſſerens.

Benedictus Picart, (*x*) Capucinorum ordinis Scriptor, eundem Pagum, imo & Comitatum conſtituit; verum Chartæ, ad quas provocant, non niſi de Habendo Caſtro Palatiove, minime autem de Pago Comitatuve Habendenſi loquuntur. Nec Prodromus apud Guillimannum, (*y*) aut apud Eccardum, (*z*) qoos in auxilium vocavit, præſidium invenit; quippe qui ambo de Caſtro & Palatio ſolo verba faciunt. Comitatus ergo Habendenſis Roſierii auctoritate; Pagus Habendenſis vero nullius idonei Scriptoris ſtat fide. Picartus, re non ſatis examinata, Geographum L'Islium; (*a*) hic vero Prodromi Auctorem in errorem induxit. Amarinam Alſatiæ

vallem

(*n*) Proprium montis nomen *Remiremont*, ad Eccleſiam oppidumque, quæ bihorio inde diſtant, translatum.

(*o*) *Migrat. Gentium* Lib. VIII. pag. 410.

(*p*) Guillimann. *Habsburgiac.* pag. 178. & 185. Edit. Ratisbon. Vide, quæ hac de re Bernardus Pezius in *Etymo nominis Habsburgici.* Part. I.

(*q*) *Oeſterreichiſcher Ehrenſpiegel* Lib. I. Cap. III. pag. 18. ſq. ubi nomen à Germanico *Haben*, habere, derivat, atque *Habendum*, *Habenthum*, proprietatem, exponit.

(*r*) Romaricus patrem habuiſſe creditur Romulphum, ut reliquæ circumſtantiæ fabuloſæ. Romaricus ex Magnatibus ſive Dynaſtis Auſtraſiæ fuit, multorum in Calmontenſi Pago, Alſatiæ contiguo, bonorum poſſeſſor. Theodeberto II. Auſtraſiæ Regi adhæſit, quem quum Theodericus Burgundiæ Rex frater occidiſſet, Romarici pater & ipſe Romaricus, Theodeberto fidi, mulctati ſunt bonis. Theoderico mox dein itidem interfecto, apud Clotharium II. totius Franciæ Monarcham, gratia florens, ſeculo valedixit. *Vita S. Amati & Euſtaſii* apud Mabillon. *Act. SS. Bened.* Tom. II.

(*s*) *Stemmatum Lotharingicor.* Tom. V. pag. 288. *b.*

(*t*) Lib. III.

(*u*) Lib. IV. pag. 617. num. 192.

(*x*) Benoit Picart *Hiſt. de Toul* Cap. XII. pag. 52. ubi Habedenſem Pagum & Habedenſem Comitatum memorat.

(*y*) *Habsburgiac.* Lib. III. Cap. I. pag. 80. ſq.

(*z*) *Origg. Habsburg.* pag. 22. 48. & 116.

(*a*) In eleganti Topographica Tabula, cui Tit. *Civitas Leucorum*, ſive *Pagus Tullenſis.*

TOPOGRAPH.

vallem tetigiſſet hic pagus, ſi unquam extitiſſet. Calmontenſis certe pagus eam tetigerat, in quo ſitus olim Romarici mons. Quodſi portentoſam Fuggeriani Speculi Auſtriaci, à Sigismundo Birckenio editi, ſententiam admittas, Comitatus ille Habendus Alſatiam, Briſgoviam, Ergoviamque complexus eſt. (*b*)

CAPUT X.

VICI ALSATIÆ.

§. CXC.

PAlatia Regia, Villasque fiſcales, natura & ordine rerum excipiunt *Vici*, quos Latinitas infima, uſu generatim recepto, *Villas* appellat. Vici ex villis paulatim exorti ſunt; nec dubito, quin ex Vicis, quos hoc Capite enumero, multi nonniſi Villæ extiterint. Quum autem Scriptores & Chartæ hanc diſtinctionem neglexerint, nec nobis divinare licuit, quænam ex locis, quorum Laterculum damus, Villæ, Vicive nomen meruerint. Quodſi in recenſendis his vicis Ducatuum, Comitatuumve rationem habere voluiſſem, ſubdiviſiones multiplices, in Geographicis partitionibus ſervandæ, Lectorem turbaſſent. Itaque Alphabeticus ordo præ reliquis placuit; ſecundum hunc exponimus Vicos Alſaticos Periodi Francicæ, ſive illi ſiti fuerint in ipſo Pago Alſatiæ, ſive in Pagi Spirenſis parte, quæ inter Lutarim & Quiſagam, Alſatiæ novæ poſtmodum acceſſit.

§. CXCI.

Appenweyer. AAAUNWILERI, hodie *Appenweyer*, Comitatus Horburgenſis in Superiore Alſatia viculum, Diploma Caroli Craſſi, quod An. DCCCLXXXIV. Monaſterio Honaugienſi dedit, plurima inter alia loca commemorat.

Egesheim. AGINESHEIM, *Egesheim*, ab Eberhardo Comite, qui circa An. DCCXLVII. obiit, inter Rufacum & Colmariam exſtructum, uti Ebersheimenſe Chronicon teſtatur, primum nobis in Gundicharii Traditione pro S. Gallonis Abbatia An. DCCLXX. occurrit. (*c*) Precaria quædam Maurobacenſis An. DCCLXXXIV. *Agasheim* ſcribit. Plura Caroli M. & ſucceſſoris ejus pro Ebersheimenſibus Diplomata, maximam partem interpolata, *Egensheim* & *Egenesheim* locum hunc nuncupant. Partem proprietatis ſuæ in villa *Egisheim* Monaſterio S. Gregorii An. DCCCXCVIII. tradidit Herimoutus quidam. Locus comprehenſus fuit ſub magno Comitatu Illiche, cujus Comes ſeculi IX. fine Bernhardus fuerat, teſtante Regis Zwenteboldi Charta Monaſterienſi An. DCCCXCVI. Topologus Novientenſis Egensheim, pro ejus ſuo tempore, id eſt, ſec. XIII. conditione, *Caſtrum* appellat. Villa forte extitit cum caſtro, quod Eberhardus Comes, ibi habitans, condiderat. (*d*)

Altbrunn. ALAARUNNEN, *Altbrunn*, quatuor ab Argentorato leucis verſus occaſum, duæ apud SCHANNATUM (*e*) Traditiones Fuldenſes An. DCCLXXXVIII. & DCCXCVIII. produnt.

§. CXCII.

Altheim. ALTHAIM, vicus olim Alſatiæ Superioris, qui inter Zellenberg & Oſthemium extitit. An. DCCXXVIII. in Eberhardi Comitis pro Maurobacenſi Abbatia, & anno DCCLXVIII. in Sigfridi, Dynaſtæ Alſatici, pro Altmanno filio, Chartis legitur. Forte & villa *Adalthaim*, in Precaria Hartubaldi ad Sindbertum, Maurobacenſem Epiſcopum, An. DCCXCII. memorata, eundem locum deſignat.

ALTORFF,

(*b*) Vide Lib. I. Cap. XIX. Fabulæ nimirum auctor eſt Jo. TRITHEMIUS in *Compend. de Orig. Francor.* & in *Breviario Annal.* I. quem Hiſtoriographus Lazius, aliique magno numero, ſed immutatis paulatim rationibus, ſecuti ſunt. Ex Trithemii placitis Theodeberti II. Auſtraſiæ Regis, filius fuit Sigebertus, qui patre occiſo cum fratribus exul factus genuit Ottobertum. Hunc Avendi caſtri poſſeſſorem conſtituit Lazius, a quo formatum *Avendsburg*, contracte *Habsburg*. Ottoberti poſteri tandem in Argovia condiderunt Habsburgum. Nubes auctorum, Petrus Matthæus, Verderius, Eſplinchardus, Waſſeburgius, Alphonſus Del Bene, Munſterus, Pieſpordius, aliique huic ſyſtemati ſubſcribunt.

(*c*) HERRGOTT *Probat. Geneal. Habsburg.* num. 11.

(*d*) Confer ſupra pag. 649. §. LVIII.

(*e*) *Tradit. Fuldenſ.* num. 84. & num. 127.

Altorff.

Altorff, vicus quatuor fere leucis Argentorato diſtans, Monaſterio Benedictino cognomini contiguus, & Epiſcopo Argentinenſi ſubjectus; in Herimouti'Inſtrumento pro Monaſterio Gregoriano An. DCCCXCVIII. occurrit.

Enſisheim.

Annoehiseshaim, Annohishaim. Inedita quatuor Maurobacenſis Chartularii Documenta annorum DCCXXXV. DCCLXVIII. DCCLXXII. & DCCLXXXIV. locum hunc produnt. Ex aliis, quæ ſimul eisdem in Chartis recenſentur, locis, quæque huic vicina fuiſſe videntur, colligeres vicum *Enſisheim*, bihorium ab Argentorato qui diſtat, his deſignari nominibus. Idem locus jam An. DCCXXXVI. in Precaria Hildefredi, quam Romano, Maurobacenſis Monaſterii Abbati, exhibuit, vocatur *Enſiſshaim*. Forte tamen hoc nomen ad oppidum Enſisheim Superioris Alſatiæ referendum.

§. CXCIII.

Anſolsheim.

Ansulfitshaim, *Anſolsheim*, prope Colmariam, in Diplomate Pipini Brevis, circa An. DCCLXVIII. Fulrado, Capellano Regis, à Widone quodam traditus ſcribitur. Fulradus eundem poſtea vicum, quem *Anſulſesheim* vocat, Abbatiæ Dionyſianæ prope Lutetiam circa An. DCCLXXVII. contulit; uti Chartæ apud Felibianum (*f*) teſtantur. Locus tractu temporis pars Comitatus Horburgenſis evaſit.

Arabacshaim, villa incerta, in Murbacenſis Abbatiæ Precaria Aſchirici.

Artzheim.

'Arcenheim, *Artzheim*. In Diplomate Ebersheimenſi interpolato, quod anno DCCCXXIV. Ludovicus Pius dedit, Curtis dominica aliaque huic Monaſterio jura iſtius loci aſſignantur. Vicus eſt Epiſcopatus Argentin. tribus circiter infra Colmariam leucis.

Arlisheim.

Arlisheim in Inſtrumento, quod Teſtamentum Odiliæ vocant, legitur. Vicum hujus nominis non in Alſatia, ſed in Baſilienſis Epiſcopatus terris, in veteri Alſatiæ Ducatu, reperimus. Curiam in Arlisheim ad Monaſterium Hohenburgenſe olim ſpectaſſe, inde quoque apparet, quod Walburgis, ejus Abbatiſſa, Baſilienſi Epiſcopo anno MCCXXXIX. illam pretio marcarum argenti octoginta vendidit. (*g*)

Artolsheim.

Artolvesheim, *Artolsheim*, inferioris Alſatiæ, Rhenum inter ac Seleſtadium, vicus, in Ebersheimenſis Abbatiæ, quæ diſtrictum ejus totum, cum omni utilitate &c. acceperat, Chartis Ludovici Pii commemoratur.

§. CXCIV.

S. Bilt.

Audaldovillare priſtinum, ſub Francica Periodo, nomen eſt hodierni oppiduli, quod à S. Hippolyto, ibi ſepulto, contracte *S. Bilt* vocatur. Patet hoc ex Donatione Fulradi, quam circa An. DCCLXXXVII. Monaſterio Dionyſiano fecit, ubi: « Similiter & alia Cella, quæ dicitur *Audaldovillare*, ubi S. Yppolitus requieſcit. » Itemque ex alio Caroli M. Diplomate anni DCCLXXIV. (*h*) in quo *Fulradovillare infra fines Audaldovillare* ſitum perhibetur. Fulradovillare enim, ſeu *Leberau*, à S. Hippolyto diſtat milliari. Eadem Caroli M. verba in Diplomatibus Lotharianis, patris nempe & filii, pro Lebrahenſi monaſterio An. DCCCLV. & DCCCLXVI. leguntur.

Aufholz.

Aufolous, *Aufholz*, vulgo *Uffholz*, vicus prope oppidum *Sennen*, Gallice *Cernay*, legitur in Carolomanni Regis pro monaſterio S. Gregorii Privilegio An. DCCLXIX. & in Ludovici Pii Charta pro Maſonis monaſterio An. DCCCXXIII. ubi jam forma hodie recepta, *Uffholz*, comparet. (*i*)

Azolveswilre.

Azolveswilre creditur idem eſſe locus ac *Eſchezweiler*, in Sundgovia prope Mulhuſium oppidum. Mentio ejus in inſtrumento Ludovici Pii Ebersheimenſi ad annum DCCCXXIV. pluribus aliis ejusdem Monaſterii Chartis, quæ ſequentibus ſeculis fuere conſcriptæ.

§. CXCV.

Baldenheim.

Baldenheim Ebersheimenſis Abbatiæ Diplomata An. DCCCXVII. & DCCCXXIV. cum capella ac dimidia decimarum parte, ad Abbatiam hanc traditis, referunt.

(*f*) *Hiſtoire de S. Denys*, *Preuves* pag. 30. & 38.

(*g*) Vid. *Gall. Chriſt.* Tom. V. pag. 841.

(*h*) Felibien *Hiſt. de S. Denys*, *Preuves* pag. 34. num. 50.

(*i*) Laguille *Hiſt. d'Alſace*, *Preuves* pag. 26.

Baltersdorff. BALDERICHESDORFF, *Baltersdorff*, vicus Suodgoviæ eſt, in Ludovici Pii pro Maſonis Monaſterio Charta An. DCCCXXIII.

Baltersheim. BALTERESHEIM, haud procul ab Enſishemio oppido vicum, Ludovici Pii Diploma interpolatum Ebersheimenſe Ao. DCCCXVII. & Hohenburgenſe An. DCCCXXXVII. memorant.

Bollweiler. BALTOWILER Eberhardus Comes in Fundatione Murbacenſis Cœnobii locum hunc nominat, qui in Wolfardi & Hadwini Charta venditionis pro eodem Monaſterio An. DCCLXXXVI. *Ballonevillare*, & in allegata modo Ebersheimenſi An. DCCCXVII. *Bollewibre*, hodie vero *Bollweiler* dicitur, vicus cum Caſtro bihorio ſupra Rufacum.

§. CXCVI.

Berſtett. BARDESTAT. Jn Honaugienſi Diplomate Carolus Craſſus vicum hunc ita vocat, qui hodie *Berſtett*, trihorii intervallo diſtans Argeotorato.

Barr. BARRU, BEARA, BARRA, Francica nomina hodierni oppiduli *Barr*, ditionis Argentoratenſis, à qua ſex leucis, Vogeſum verſus, diſtat. Occurrunt iſta in duabus Fuldenſis Abbatiæ Traditionibus An. DCCLXXXVIII. & DCCXCVIII. (k) ac in memorato Caroli Craſſi Diplomate.

Bartenheim. BARTENHAIM, vicus Sundgoviæ Baſiliam verſus, in Charta commutationis booorum, inter Monaſterium Maurobacenſe ac Geroldum Comitem An. DCCCXXIX. una cum *Flaboteshaim*, in ejus vicinia ſitum.

Bernweiler. BARUNWILARE, *Baronewilare*, *Bernweiler* in Sundgovia. Precaria Uſiterici anno DCCLXXXIV. & Traditio Folewini ad Eccleſiam Maurobac. An. DCCXCVI.

§. CXCVII.

Batenheim. BATENHEIM una cum vico vicino *Balteresheim*, in Ebersheimenſi Diplomate An. DCCCXVII.

BECKENSHEIM, Villa Alſacenſis Pagi incerta, in Ebersheimenſis Monaſterii Charta interpolata Ludovici Pii An. DCCCXXIX.

BEDEBUR locus quoque ignotus, Dagobertinæ Chartæ Weiſſenburgenſis interpolatæ, de quo vide ſupra. (l) Vox *Bothebur*, in Diplomate Lotharii Imp. pro Abbatia Stephaniana Argentoratenſi An. DCCCXLV. non locum, ſed jus aliquod denotat.

Beinheim. BEININHEIM Carolus Craſſus in Diplomate Honaugienſi An. DCCCLXXXIV. Beinhemium verſus Selzam, ad Marchionem Badenſem ounc ſpectat.

§. CXCVIII.

Eckirch. BELMONT, poſtea *Eckirch*, in valle Lebrahenſi, ſeculo IX. originem cœpit, quam RICHERIUS SENON. (m) ita exponit: " Quidam Mettenſis primicerius, Blidulfus „ nomine, vir juſtus & prudens, qui relictis omnibus, quæ poſſidebat, appetens locum, „ ſuæ converſioni aptum, quærere decrevit, quem diu quæſitum tandem in valle, quæ „ *Lebrath* dicitur, intra montes incluſam adiit valliculam, in qua in clivo montis ad meridiem cellam erexit, & eam *Bellum-Montem* appellavit: qui ibidem Eccleſiam ædificavit, & in ea novem altaria cum cancellis & cryptis inſtruxit. Officinas enim „ circa illam & clauſtrum propoſitione loci ad uſum Monachorum erexit. Aliquantos „ vero reditus ibidem acquiſivit, & adunatis fratribus Deo devotus cælibem duxit „ vitam. Audientes vero multi ſanctitatem viri Dei, ejus ſe converſationi ſociare „ ſtuduerunt; inter quos extiterunt duo genere & fide nobiles, Willelmus & Achericus, qui etiam ambo ipſius loci fundatori meritis coæquari potuiſſent . . . . „ Achericus aliquamdiu ipſam rexit eccleſiam & locum, qui tanta extitit fama, ut „ ipſum dimiſſo nomine Belli-Montis, quo prius nominabatur, *Achericum* appellarent „ locum, quod adhuc eo nomine ipſa villa nuncupatur, in qua poſtea nobiles extiterunt viri, quorum diebus argentariæ foſſæ repertæ ſunt . . . . de quorum progenie „ exierunt viri, qui temporibus noſtris (ſec. XIII.) in ipſa valle Lebrath caſtrum conſtruxerunt, quod nomine ſupradicto *Acherich* vocaverunt . . . . ipſa deinde cella „ Acherich Mediano-Monaſterio olim per dictos viros fuit attributa. „ Hæc Richerius.

MABIL-

(k) SCHANNAT *Tradit. Fuld.* num. 84. & 127.

(l) Pag. 650. Not. (i)

(m) *Chron. Senonens.* Lib. II. Cap. IX.

GEOGRAPH.

Mabillonius (n) non recte hæc ad An. DCCCCLXXIII. refert, ad medium ſec. IX. referenda, quo Achiricus cum ſociis vixerat; uti ex Diplomate Lotharii Regis, anno ejus regni IV. Indictione VII. ſeu An. Chr. DCCCLIX. dato *Strasburg*, *Palatio Regio*, apparet. (o) Hoc enim Diploma *venerabilis Ackrich & Heſſo Decanus* obtinuerunt, in confirmationem donationis, quam Lutardus Comes & Hugo frater ejus Eccleſiæ *Belmont* fecerunt. Sed & inde adverſus Mabillonium concludimus, diverſiſſimum fuiſſe Blidulſum, Eccleſiæ hujus conditorem, à Blidulfo, Metenſis Eccleſiæ Archidiacono, qui circa An. DCCCCLXXIII. cellulam quoque in Voſago exſtruxiſſe ſcribitur. (p) Caſtrum *Eckirch* itaque vico ejus nominis, à quo valle ſeparatur & rivo, quatuor ſeculis poſterius eſt, nec ante ſec. XIII. conditum.

§. CXCIX.

Beneveldim, *Benfelden*, mediæ nunc Alſatiæ oppidulum ad Ellum flumen, veteri Romanorum Helveto proximum, ſemel in Chartis ſub Francica Periodo legitur; in Teſtamento nimirum Eddonis, Epiſcopi Argent. quod pro Monaſterio Etinheimenſi trans Rhenum condidit An. XI. Pipini Regis, ſeu An. Chr. DCCLXIII. Verba Teſtamenti, quæ Benfeldam reſpiciunt, hæc ſunt : "In *Beneveldim* baſilicam ſanctorum „ Sixti & Laurentii, cum duabus hubis, & omnem decimationem earum, quæ illis „ ſubditæ videntur, in ſtipendium Monachorum conceſſimus. — Benfelden.

Bercholz, ad Mundatum ſuperius Epiſcopi Argent. nunc ſpectans. Diploma Ebersheimenſe Ludovici Pii An. DCCCXVII. — Bergholz.

Berenbach, à Weiſſenburgenſi civitate V. leucas diſtans, inter limites Emunitatis Monaſterii ejusdem civitatis recenſetur in Diplomate Dagobertino. — Berenbach.

§. CC.

Beroas villa, in qua Adala Chartam donationis pro Monaſterio Hornbacenſi An. DCCLIV. dedit, videtur eſſe vicus *Bergen*, prope Luteram, ubi Rheno miſcetur. — Bergen.

Beroldashaim, in Charta Fuldenſi Adalrichi cujusdam An. DCCXCVIII. cum quatuor aliis Alſatiæ vicis, occurrens, quatuor ab Argentorato, ultra vetus Brocomagum, leucis ſitum, nunc *Bertsheim* dicitur. — Bertsheim.

Beyssingen, *Biſchingen*, Gallice *Beſoncourt*, ſesqui leuca Befortio diſtans, in Diplomate Ludovici Pii pro Maſonis Monaſterio An. DCCCXXIII. Sed Abbatiæ nihil juris ibi jam ſupereſt. — Biſchingen.

Birenheim ſeu Binrenheim, in tribus Ebersheimenſis Monaſterii præceptis Ludovicianis reperimus; cui Capella & decimæ ibi traditæ. Locus ab aliquot jam ſeculis deſtructus videtur, eo quod in Raymundi Card. & Legati à Latere inſtrumento Incorporationis, ut vocant, Ebersheimenſi curia S. Georgii in *Birnheim mortua* dicitur. Forte tamen vicus *Bindern*, prope dictum Ebersheimenſe Monaſterium, referendus huc eſt. — Birenheim.

Biura, locus incertus, niſi *Bieren*, tribus fere ſupra Weiſſenburgum milliaribus, intelligatur. Caroli Craſſi Diploma Honaug. An. DCCCLXXXIV.

§. CCI.

Blienswilre, vicus inter Seleſtadium & Andelaviam. Teſtamentum Odiliæ, inferiori Hohenburgenſi Monaſterio curiam ibi aſſignat. Extitit olim quoque vicus *Blieſchweyr* prope Colmariam, belli tricennalis tempore plane deſtructus. Ad priorem horum locorum ſine dubio pertinet *Pleamnogovillare*, quod una cum *Bodoleſvillare* occurrit in Ludovici Pii Diplomate An. DCCCXXIII. quo Commutationem bonorum, ab Epiſcopo Argent. & Erkingario Com. factam, confirmat. — Blieſchweyer.

(n) *Acta Sanctor. Benedict.* ſeculi V. pag. 410.

(o) Apud Vignier *Origine des très illuſtres Maiſons d'Alſace*, pag. 77.

(p) In *Vita S. Joannis, Abbatis Gorzienſis*, apud Mabillonium Lib. cit. pag. 387.

Boden-haim. BODENHAIM; Precaria Hildefredi, qua An. DCCXXXVI. bona Maurobačenſis Abbatiæ, ab Eberhardo Com. ipſi tradita, pluribus in locis, tanquam beneficium ſibi expetit. Vicus ad Bruſcam, haud procul Argentorato, ſitus olim fuiſſe videtur. Quum vero ejus nominis nihil ibi ſuperſit, locum hunc periiſſe concludimus.

Balſch-weiler. BODOLESVILLARE villa Pagi Alſacenſis dicitur in Ludovici Pii Diplomate An. DCCCXXIII. quod modo adduximus; hodie *Balſchweiler*, inter Altkirch & Maſonis Monaſterium.

§. CCII.

Weyer. BONIFACII-VILLARE, Gregorianæ vallis oppidulum, ad Rappoltſteinenſem Dynaſtiam pertinens. Locus hic fine ſeculi IX. Monaſterio Gregoriano, à quo leuca diſtat, fuit ſubjectus, teſte Zwenteboldi Regis Diplomate An. DCCCXCVI. Nomen Bonifacii Toparchis Alſaticis tum haud infrequens fuit. Ita Fulradus noſter, Alſatiæ Dynaſta, poſteaque S. Dionyſii Abbas & in Aula Pipini ac Caroli M. potens, fratres habuit Gauſtbertum àc *Bonifacium*, quod ex ipſius Teſtamento diſcimus. Forte ab ipſo hoc Bonifacio, qui ſeculi VIII. medio vixerat, Villare iſtud originem & nomen accepit. Dicitur vèro à Zwenteboldo in Bernhardi Comitatu ſitum. Abjecto *Bonifacii* nomine ſola vox *Villare* (*Weiller-Weyer*) ſuperans, ſtylo vulgari, in his oris recepto, contracta in *Wihr*.

Breiten-heim. BREITENHEIM in Caroli Craſſi Charta An. DCCCLXXX. inter Alſatiæ loca occurrit, in quibus Curienſis Eccleſia manſos cum Capellis, uti Diploma loquitur, poſſedit. Situm loci non auſim definire, quod nomen ejus penes nos non ſupereſt. Extat autem vicus *Bretten*, haud procul Maſonis Monaſterio; olim *Breitenheim* forſan vocatus.

Brubach. BRUCHBACH, nunc *Brubach*, minor Sundgoviæ vicus. Diploma Ludovici Pii, An. DCCCXXIII. Maſonis Monaſterio datum.

§. CCIII.

Burn-haupten. BRUNNHORETUM, in eodem Diplomate, hodie *Burnhaupten*. Cujus nominis duæ in Sundgovia villæ, ſuperior & inferior; in utraque jus Patronatus exercet Maſonis Monaſterium, ibidemque decimas adhuc habet ac cenſus.

Brunſtat. BRUNSTAT, alius Sundgoviæ vicus prope Mulhuſium. In Teſtamento Odiliano & in Ludovici Pii Diplomate pro Hohenburgenſi Monaſterio ad An. DCCCXXXVII.

Buahc-giezo. BUAHCGIEZO, locus incertus, in Caroli Craſſi Honaugienſi Præcepto poſt *Munilhuſon*, vicum Alſatiæ Inferioris, refertur. *Geispolzheim*, vulgo *Geispitzen*, bihorio infra Argentoratum, non plane heic averſarer, quod Eccleſia Collegiata D. Petri Senioris, quæ Argentorati floret, quæque in Monaſterii Honaugienſis, jam pridem everſi, jura ſucceſſit; hodieque bona quædam ibi poſſidet.

Botzen. BUNZINSHEIM, in Teſtamento Odiliæ. Vicus ad Rhenum, è regione Seleſtadii, vulgo *Botzen* nuncupatus.

§. CCIV.

Burckheim. BURCHEIM, *Burckheim*, cujus nominis quoque loca trans Rhenum. Ebersheimenſe Monaſterium *Curtim dominicam cum Salica terra & decimis* &c. ab Attico Duce & Bereswinda, ejus conjuge, ibi acceperat. Prima Burchemii mentio in Diplomate Caroli M. anni DCCLXXVI. deinde in alio anni DCCCX. pro eodem Monaſterio. (*q*) Sed & binæ Ludovici Pii chartæ interpolatæ, ampliorem bonorum Ebersheimenſis Abbatiæ enumerationem continentes, quæ annos DCCCVII. & DCCCXXIV. præ ſe ferunt, *Burcheim* recenſent. Intelligitur vero vicus prope Ober-Ehenheim oppidum, ditioni civitatis Argent. ſubjectus. Singulare ejus nomen eſt in Caroli Craſſi Privilegio Honaug. An. DCCCLXXXIV. ubi *Burenheim* ſcribitur. Locum hunc omnia Documenta inter vicos villasve conſtanter reponunt. ICHTERSHEMIUS (*r*) tamen magnam ibi urbem extitiſſe, ex veteri fama refert.

§. CCV.

(*q*) *Galliæ Chriſt.* Tom. V. Inſtrumentor. pag. 461. (*r*.) *Topographia Alſatiæ Infer.* pag. 45.



OROGRAPH.

§. CCV.

Campinuna, Chambeti, Chambetz, tria unius loci in uno Inſtrumento ſunt nomina, vici nimirum, qui ſub Romanis *Cambes*, bodie *Kembs*. In Charta enim pro Monaſterio S. Galli An. DCCLVIII. (*r*) ita legimus: " In Pago Alſazas villas denominatas Habuhinasheim, Campiduna ſuper fluvium Rhino, ſive Chambeti &c. „ & in fine: *Actum in villa Chambetz publice.* Kembs.

Chilistat, *Kilchſtatt*, tribus fere infra Argentoratum leucis ad Rhenum. Honaugienſis Charta Caroli Craſſi. Kilchſtatt.

Chinzicha, forte *Kinzheim*, prope Seleſtadium, inter iſta loca memoratur, quæ in Ducatu Alſacenſi & in Pago Troningorum ſita, Eberhardus Comes Maurobaçenſi Eccleſiæ tradidit. Chinzicha.

Choneshaim in duplici pro Fuldenſi Abbatia Traditione Huchi cujusdam An. DCCLXXXV. (*s*) poſt villam *Oſthaim*, refertur, qui locus nunc in Alſatia ſuperiore *Kunenheim* appellatur. Kunenheim.

Chuntilingas, in Charta Murbac. Eberhardi Comitis; jam *Huntlingen*, Sundgoviæ ad Largam vicus. Huntlingen.

§. CCVI.

Cohchinheim, *Kauchenheim*, haud procul à Fortalitio Ludoviciano. Carolus Craſſus in Privilegio Honaug. An. DCCCLXXXIV. Kanchenheim.

Colobocishaim, *Kolbsheim*, duarum ab Argentorato leucarum ad Poruſſam vel Bruſcam. Hildefredi Precaria An. DCCXXXVI. Kolbsheim.

Creacheshaim, *Griesheim*, Ludovicus Pius An. DCCCXXIII. & DCCCXXVIII. in duplici Diplom. quibus concambium bonorum quorundam, tum inter Epiſcopum Argent. & Erckingarium Comitem, tum inter Abbatem Schwarzacenſem & eundem Comitem, confirmat. In priore *Creacheshaim*, in poſteriore *Creuheshem* ſcribitur. Griesheim.

Cundolteshaim, vicus prope Rufacum, in Murbacenſi Eberhardi fundatione; *Gundolveshem* in Ludovici Pii Diplom. Ebersheimenſi; in ejusdem Hohenburgenſi *Gundolſsheim*; hodie vero *Gundelsheim*. Gundelsheim.

Currelnesheim, locus incertus, à Ruthardo Comite Abbatiæ Schwarzacenſi collatus, circa An. DCCLVIII.

§. CCVII.

Dalaheim, *Thalenheim*, quatuor ab Argentorato leucis ſitus Vogeſum verſus. Vide Caroli Craſſi Honaugienſe Diploma. Thalheim.

Danckrazheim, *Danckelsheim*. Teſtamento ejusdem Ruthardi Abbatiæ Schwarzacenſi An. DCCLVIII. vicus hic traditus eſt. Danckelsheim.

Datika, in Eberhardi Com. Literis Murbacenſibus An. DCCXXVIII. nunc *Duttenriedt*, teſtante alia Murbacenſi charta, quam Conradus I. Germaniæ Rex dedit An. DCCCCXIII. ubi legitur: *Dadila*, *id eſt*, *Dadenried*. Oppidulum in extremitate Sundgoviæ cum arce, ſuperimpoſita monti. Dattenriedt.

Deosesheim, *Doſenheim*, Eberhardo quoque memoratum. Vicus olim Pagi Troningorum, & à Marilegia, nobili ejus Palatio, leucæ intervallo ſejunctus. Doſenheim.

(*r*) Apud Goldastum *Scriptor. Rer. Alamann.* Tom. III. pag. 41.

(*s*) Schannat *Trad. Fuld.* pag. 38. num. 75. & 76.

§. CCVIII.

Dine-heim. DIDENESHAIM An. DCCLXXI. cum Fridolfeſhaim & Ginoanheim, in Pago Spirenſi ponitur in charta Traditionis Fuldenſis. (*u*) Intelligitur vicus *Dinhenn*, qui in Epiſcopi Argent. Præfectura Kochersbergenſi ſitus. Pagum vero Spirenſem tam late nemo extendit; unde error Notarii. In alia ejusdem Abbatiæ Traditione (*x*) anni DCCLXXXVIII. locus iſte, nomine plane diverſo, *Tinchmaibaim* vocatur.

Damer-kirch. DOMNA MARIA, vicus Sundgoviæ ad Largam rivum, nunc *Dom-Marie*, German. *Damerkirch.* Ludovici Pii Diploma Maſonis Monaſterio An. DCCCXXIII. decimas ibi aliaque jura cum curia dominicali aſſignat.

Doren-heim. DORENHEIM, Ruthardi Teſtamentum An. DCCLVIII. pro Schwarzacenſi Abbatia. Vicus *Trenheim* intelligendus eſſe videtur, cujus inter Palatia Regia à nobis facta eſt mentio.

Dorlos-haim. DORLOSHAIM, quatuor leucarum ab Argentorato diſtantia, cujus ditioni ſubjectus eſt locus. Vide chartam Hildefredi, Beneficiati Abbatiæ Maurobacenſis ſub Theodorico IV. An. DCCXXXVI. In Bulla Leonis IX. An. ML. pro Hohenburgenſi Monaſt. appellatur *Torolfesheim*, ſed charta hæc referenda erit in ſequenti Periodo.

§. CCIX.

S. Amarin. DOROANGUS in Vogeſo Alſatico locus extitit, de quo Biologus S. *Prajecti*, (*y*) Arvernenſis Epiſcopi, ita: (*z*) "Per idem tempus evenit, ut vir Dei ad aulam „ Regis Hilderici pro conditione Eccleſiæ pergeret. Arrepto itinere cum jam per „ vaſtam eremum, Voſagum nomine, iter carperet, poſt laborioſum callem per juga „ montium & convallium, vix tandem venit ad locum, quem *Doroangus* gentili „ lingua Barbari vocitant, ubi haud procul cellulam beatæ recordationis & venerandus „ vir Amarinus, ex permiſſo & conniventia Warnecharii Optimatis, ſummo labore „ conſtruxerat." SAVARO pro *Doroangus* legit *Cloroangus*: in alia vita apud CHESNIUM *Claroangus in Voſaco*: apud BOLLANDUM, *Doroangus in Voſago*: apud WIONEM *Claroangus in Morago*. S. Amarini (*a*) oppidulum hoc ſub nomine latere videtur; cui à novo incola, famæ ſanctimoniæ claro, nova appellatio acceſſit, quæ paulatim ipſi valli impoſita. Ad hujus introitum, prope oppidum *Thann*, mons eſt, vitium vinique generoſi ferax, qui etiamnum nomen obtinet *Rangen*.

Druſen-heim. DRUSENHEIM in Teſtamento Ruthardi occurrit. Nomen à Druſo, qui unum ex quinquaginta Caſtellis ſuis ad Rhenum eo in loco poſuerit, ortum eſſe, multis perſuaſum. (*b*) *Villa* Ruthardi temporibus, id eſt, medio ſeculi VIII. fuit, nunc vicus, vallo cinctus.

Dunnen-heim. DUMINHEIM, in eodem, quo Creachesheim, Ludovici Pii Diplomate An. DCCCXXIII. Haud procul Argentorato remotum fuiſſe quum ex reliquis locis appareat, vicum *Dunnenheim* deſignari exiſtimo.

§. CCX.

Ebersheim. EBERSHEIM vicus, Monaſterio hujus nominis contiguus, in Ludoviciana charta An. DCCCXXIX. jam memoratur, hodieque & ad Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Argeot. hodieque ſpectat.

Eckbolz-heim. EGGIBOLDESHEIM, nunc *Eckbolzheim*, prope Argentoratum, ex Honaugienſi Caroli Craſſi Diplomate An. DCCCLXXXIV. jam nobis innoteſcit.

EISTATIS, locus Alſatiæ dubius, in Precaria Hildefredi An. DCCXXXVI. Vicus *Stetten*, prope Sierenziam in Sundgovia, videtur intelligi.

ENOHISE-

(*u*) Apud SCHANNAT *Tradit. Fuldens.* pag. 17. num. 32.
(*x*) Ibid. num. 84.
(*y*) Lingua vernacula *S. Priet*, *S. Prix*.
(*z*) Apud MABILLON. *Acta Sanctor. Ord. S. Bened.* Sec. II. pag. 116. BOUQUETUM *Script. Franc.* Tom. III. pag. 594.
(*a*) S. Amarin, quod multi corrupte *S. Damarin* appellant.
(*b*) Conf. Periodi Rom. pag. 226.

Enſisheim.

Enohisehaim, hodie *Enſisheim*, notiſſimum ſuperioris Alſatiæ oppidum, Charta Sigfridi Dynaſtæ An. DCCLXVIII. primum nobis inter Pagi Alſatiæ villas refert, ubi Sigfridus ille bona plurima poſſediſſe videtur, quæ Altmanno filio tradidit. Aliam nominis orthographiam in Ludovici Pii Diplomate, An. DCCCXXIII. pro Maſonis Abbatia reperimus, ubi ſimpliciter *Enſigesheim* ſcribitur.

§. CCXI.

Erboldis-villare.

Erboldisuillare vel pridem periit, vel ſaltem nomen, priore ejus parte abjecta, uti in Bonifacii-villare vidimus, mutavit. A Ludovico Pio io Diplomate An. DCCCXXVIII. memoratur; ubi commutationem bonorum, inter Abbatem Schwarzacenſem & Erckingarium Com. factam, confirmat. Hæc verba Diplomatis: „E contra „ in compenſatione iſtarum rerum dedit præfatus Uualdo Abba de rebus memorati „ Monaſterii memorato Erkingario Comiti . . . . . . in Pago Alſacinſe, in villa vel „ marca *Erboldisvillare*, in loco, qui appellatur Zinzila, manſos decim & ſeptem &c.

Ergers-heim.

Ercapetilshaim, hodie *Krut-Ergersheim*, ad rivum *Ergers*. Precaria Hildefredi pro Abbatia Maurobac. An. DCCXXXVI. Idem locus in charta Fuldenſi An. DCCLXXVIII. (c) ſcribitur *Eringinſasbaim*.

Erlebach.

Erlebach viculus, qui à Weiſſenburgenſi oppido tribus fere horis abeſt, inter limites quoque Emunitatis inferioris in Dagobertino Monaſterii ejusdem oppidi Diplomate refertur.

Esphenwilere, villa Pagi Alſacenſis, hodie incerta, una cum *Wazzelnheim*, in Charta Hornbacenſi Adalæ, filiæ Bodali, An. DCCLIV. legitur.

§. CCXII.

Falb.

Falabahu, ſeu *Walabahu*, duabus Fuldenſis Abbatiæ Traditionibus An. DCCLXXVIII. & DCCLXXXVIII. (d) memorata, vicum *Falb* ſive *Valf*, inter Benfeldam & Ober-Ehenheim oppida, deſignant. Chartæ Ludovici Pii Ebersheimenſes locum conſtanter *Valva* nuncupant.

Veſſen-heim.

Fedinheim ſeculo IX. ſcribebatur vicus, qui jam *Veſſenheim* Inferioris Alſatiæ (e) verſus Marilegium. Præceptum Ludovici Pii An. DCCCXXVIII. pro Coocambio bonorum Erkingarii Comitis & Abbatiæ Schwarzaci.

Feldkirch.

Felakircha, *Felakyrchium*, hodie *Feldkirch*, vicum Dynaſtiæ Bollwilerenſis ſupra Rufacum, tres Maurobacenſis Monaſterii Chartæ ſec. VIII. intra ſex annos ibidem conſcriptæ, & quidem prima circa An. DCCLXXX. loquuntur.

§. CCXIII.

Feſſen-heim.

Fetzenheim, *Feſſenheim* ſuperioris Alſatiæ, tribus ſupra Novum Briſacum leucis. Ita Sigfridus in Charta pro Altmanno filio Ao. DCCLXVIII. ſed Randolfus in Charta Maurobacenſi, decennio poſt data, *Fezenheim* ſcribit.

Flachsland.

Flachlantisse, *Flachsland*, una cum Zullineshaim, à quo proxime diſtat, in charta Traditionis Agilmari pro Maurobacenſi Monaſterio An. DCCXCII.

Blotz-heim.

Flobotesheim, *Blotzheim*, in extremitate Sundgoviæ, Baſiliam verſus, ſitum, ab Eberhardo Comite in charta ſua Murbacenſi An. DCCXXVIII. ut & in concambio bonorum inter Geroldum Comitem & Sigismarum, Abbatem Maurobacenſem, An. DCCCXXIX. commemoratur. In poſteriore ſcribitur *Flaboteshaim*.

Freoistatt ibidem, ubi Fedinheim, occurrit, quando Erckingarius Comes An. DCCCXXVIII. Abbatiæ Schwarzacenſi commutando aſſignat: *ad Fregiſtatt ſortes duas & Waltuaſta ad porcos saginandum DCCLXXII.* Situm hujus loci in Alſatia ignoramus & nomen.

Xxxx 3 §. CCXIV.

(c) Schannat. *Trad. Fuld.* num. 56. pag. 30.
(d) Ibid. num. 58. & 84.
(e) Alius vicus cognominis in ſuperiore quoque Alſatia eſt.

§. CCXIV.

Fridolzheim. FRIDOLFESHAIM, hodie *Fridolzheim*, vicus quatuor leucis Argentorato. Tabernas verſus Alſaticas diſtans. Fuldenſis quædam Traditio An. DCCLXXI. locum hunc in Pago Spirenſi ponit, (*f*) ſed haud dubio errore Notarii.

Fulradovillare. FULRADOVILLARE, priſcum vici nomen, qui nunc *Leberau*, Gall. *Liewre*, è regione Seleſtadii, in valle, quam *Leporacenſem* hinc dicunt. Carolus M. & Folradus, Dionyſianus Abbas, à quo nomen loco inditum eſt, in Chartis An. DCCLXXIV. & DCCLXXVII. quas FELIBIANUS (*g*) producit, illum commemorant. Prior Fulradum, "in ſoa proprietate, in Pago Alſacenſe, in loco, qui dicitur Fulradovillare, „ infra fines Audoldovillare, „ Cellam ædificaſſe teſtatur. Cella hæc Fulradi nunc eſt Prioratus S. Alexandri, in vico *Leberau*, qui à reliquiis S. Alexandri, ibidem olim reconditis, nomen babuit, uti Audoldovillare à reliquiis S. Hippolyti, Roma quoque allatis, hodie *S. Bilt* vocatur.

§. CCXV.

Kogenheim. GAGANHEIM & *Kaginheim*, quæ nomina Traditio Fuldenſis An. DCCLXXXVIII. (*h*) Teſtamentum Odilianum, & Ebersheimenſe Diploma Ludovicianum An. DCCCXXIX. referunt, vicum *Kogenheim*, paulo infra Novientenſe Monaſterium, deſignant. Mentio ejus quoqoe in Ludovici Pii charta pro Maſonis Monaſterio An. DCCCXXIII. ubi *Cagenheim* legendum, non *Langenheim*, uti LAGUILLIUS. (*i*) Fuldenſis, Maſoniana, Hohenburgenſis, Ebersheimenſis, atque Honaugienſis Abbatiæ omnes bona quædam in vico iſto habuerunt olim, ac etiamnum habent ex parte.

Gamsheim. GAMANESHEIM, *Gamsheim*. In Honaugienſi charta Caroli Craſſi An. DCCCLXXXIV. Vicus quarto infra Argentoratum lapide, Rheoo vicinus & Epiſcopo Argent. ſubjectus.

Gebweiler. GEBUNWILARE, *Gebenwilare*, oppidum Abbatiæ Maurobacenſis, *Gebweiler*; in ejuſdem Abbatiæ chartis ſeculi VIII. ſæpius, & quidem primum in Williarii Traditione An. DCCLXXIV. legitur.

Gertweiler. GERTEWILRE, haud procul Barrenſi oppidulo. Teſtamentum Odilianum Monaſterio Inferiori Hohenburg. curiam ibi aſſignat.

§. CCXVI.

Gemar. GHOSMARI oomen oppiduli, bihorio ſupra Seleſtadium, *Gemar*; in charta Pipini Brevis, pro Fulrado Capellano An. DCCLXVIII. (*k*) Villa tum fuerat, à Widone quodam, cum aliis Alſatiæ locis, in Fulradum translata, qui eandem Monaſterio Dionyſiano prope Lutetiam tradidit, anno DCCLXXVII. quo chartam juſſit conſcribi; (*l*) in qua *Guarmari* vocatur.

Ginsheim. GINNANHAIM, *Ginsheim*, quatuor ab Argentorato leucis Buxovillam verſus. Traditio Fuldenſis An. DCCLXXI. (*m*)

Gotſtall. GOTESTAL, nunc *Gotſtall* in Sundgovia, Caroli Craſſi Diploma Honaug.

Gœwenheim. GOEWENHEIM, itidem Sundgoviæ vicus, ad introitum vallis Maſonis, ubi cognomine Canoniſſarum Aſceterium floret. Locus ſub Francis non tantum ad Abbatiam Maſonis olim pertinuit, ſed & ſedes ejus judicaria fuit, uti Ludovicus Pius in Diplomate An. DCCCXXIII. teſtatur.

GONZOLINHUNS ab Hildefredo in Precaria ſua pro Monaſterio Maurobac. An. DCCXXXVI. commemoratur; locus jam plane ignotus.

§. CCXVII.

(*f*) SCHANNAT. Lib. cit. num. 32.
(*g*) *Hiſtoire de S. Denys*, *Preuves* pag. 30. & pag. 38
(*h*) SCHANNAT. ibid. num. 84.
(*i*) *Hiſt. d'Alſace*, *Preuves* pag. 16.
(*k*) FELIBIEN *Hiſt. de S. Denys*, *Preuves* pag 30.
(*l*) Ibidem pag. 38.
(*m*) SCHANNAT. *Trad. Fuld.* pag. 17. num. 32.

§. CCXVII.

Gotamereshaim, forte *Goteſheim* in Alſatia Inf. Charta Fuldenſis, ſine ſeculi VIII. vel initio ſeculi IX. apud Schannatum (*n*) recenſet. Goteshcim.

Grosinhaim, *Gruſenheim*, æquali fere à Seleſtadio & Colmaria intervallo, inter Rhenum & Ellum, Hildefredi Precaria An. DCCXXXVI. refert. Pipini Brevis & Fulradi chartæ *Grucinheim*, vel *Grutſinhaim* vocant. Locus eadem, quæ Ghosmari, fata habuit. In Ebersheimenſibus Caroli M. ac Ludovici Pii Diplomatibus *Gruzinheim*, itemque *Gruzenheim* appellatur. Gruſenheim.

Gunmareshaim, forte *Gunsheim*, in Fortalitii Ludoviciani vicinia. Traditio Fuldenſis anni incerti. Gunsheim.

Gyldulfoviler in Eberhardi Comitis Traditione Maurobac. An. DCCXXVIII. itemque *Giltevvilre* in Ludovici Pii Diplomate pro Maſonis Abbatia An. DCCCXXIII. vicum *Giltvveiler*, inter eandem Abbatiam & oppidum Altkirch, deſignant. Giltweiler.

§. CCXVIII.

Habuhinasheim, Sundgoviæ, Rhenum inter & Mulhuſium, vicus major, plebeja enuntiatione *Habſen*, à pio Alſatiæ Dynaſta Bodalo S. Gallonis apud Helvetios Abbatiæ traditus eſt circa An. DCCLVIII. (*o*) Habsheim.

Hachinhaim ſive *Hakinheim*, quorum illud in Hildefredi Precaria An. DCCXXXVI. hoc in Caroli Craſſi Diplomate Honaug. occurrit, nunc *Achenheim*, bileuca diſtans Argentorato. Achenheim.

Hadana, nunc *Hatten*, vicus princeps Hettgoviæ, inter bona Monaſterii Honaug. à Carolo Craſſo enumeratur. Hatten.

Hagenbach in Pago Spirenſi, ad Rhenum, non multum infra Luteræ confluentes. Diploma Ludovici Germ. pro Gebhardo, Eccleſiæ Spirenſis Epiſcopo, An. DCCCLXIV. locum hunc prodit. Hagenbach.

§. CCXIX.

Haimoneuuiler, *Muonweiler* prope Rufacum, Eberhardus Comes Monaſterio Murbacenſi, quum illud An. DCCXXVIII. inſtitueret, tradidit. Munweiler.

Hamarisstad in Charta itidem Murbacenſi An. DCCXXX. qua Theodo portionem ſuam in marca hujus loci Romano, Murbac. Abbati, ſe vendidiſſe teſtatur. Locus, quarto ſupra Novum Briſacum lapide ad Rhenum ſitus, nunc *Hamerſtatter-Hof*. Hamerſtatt.

Hanschoashaim, *Handſchuheim*, inter Argentoratum & Marilegium vicus; de quo Traditio Fuldenſis An. DCCCIV. (*p*) Handſchuheim.

Hassinga, vicus extremæ Sundgoviæ, haud procul Baſilienſi civitate, Pago Alſacenſi adſcribitur à Ludovico Germ. in Diplomate, quod Sigismaro, Abbati Murbacenſi, An. DCCCXLII. Serenicæ dedit. Haſingen.

§. CCXX.

Heiderheim *villa* Pagi Alſacenſis nominatur à Sigfrido, in Charta Monaſterienſi An. DCCLXVIII. pro Altmanno filio. Vicus, quem nunc *Heitern* vocant, paulo ſupra Novum Briſacum. Trans Rhenum jacet *Heitersheim*, Melitenſium ordini ſubjectum. Heitern.

Heifanheim, forte *Heſſen*, vicus prope Murbacum, in Traditione quadam Fuldenſi (*q*) occurrit.

Heimers-

(*n*) Lib. alleg. pag. 82. num. 167.

(*o*) Chartam vide in Goldasti *Rer. Alemann.* Tom. III. pag. 41.

(*p*) Schannat. *Trad. Fuld.* num. 193. pag. 91.

(*q*) Ibidem pag. 82. num. 167.

GEOGRAPH.

Heimersdorf.

HEIMERSDORF, prope Ferretenſe oppidum, in Teſtamento Odiliæ à curia in Arlisheim pependiſſe ſcribitur. Secundum Ludovici Pii Diploma Hohenburgenſe Atticus Dux villam *Hemersdorf* huic Monaſterio donavit.

Hœnheim.

HEINHAIM, *Hoenheim*, in Agro Argentoratenſi, Traditio Fuldenſis An. DCCCIV. (r) & Carolus Craſſus in Privilegio Honaug. An. DCCCLXXXIV. ſub nomine *Hohanheim*, produnt.

§. CCXXI.

Holzwihr.

HELOLDOWILARE, in Rudmundi Clerici charta Murbacenſi An. DCCLX. vicum *Holzwihr*, haud procul Colmaria, deſignat. Aliud præterea ejus nomen Charta hæc nobis prodit, quando ſcribitur: *Dono . . . in Pago Alſacenſi, in loco nuncupato, in villa Lielifine, quæ vocatur Heloldowilare* &c. Carolus M. in Privilegio An. DCCCX. pro Ebersheimenſibus, locum iſtum *Hollarwihre* appellat.

Herckheim.

HERUNKEIM, *Herckheim*, vicus Alſatiæ Sup. bihorio ſupra Colmariam, qui in marca ſua habuit villam *Tiungiusheim*, ſecundum Sigfridi Chartam Monaſterienſem An. DCCLXVIII. Occurrit quoque *Herinchaim* in Traditione Egilmari ad Monaſterium Maurobac. An. DCCCI. quæ ibi, uti prior Sigfridi, facta atque conſcripta eſt. Duo jam hujus nominis vici, *ſuperior* & *inferior*, brevi à ſe intervallo, extant. Sub Francis autem nonniſi ſuperior.

HETANNERLOH, villa Pagi Alzacenſis incerta, in Precaria Hartubaldi ad Sindbertum, quem Epiſcopum de Monaſterio Morbach vocat, An. DCCXCII. una cum *Achiltheim* recenſetur. *Hettenſchlag*, Ellum inter & Novi Briſaci munimentum viculus, ejus omnium proxime nomini accedit.

Hetwiler.

HETWILER, locum pariter incertum, Ludovicus Pius ab Attico Duce Hohenburgenſi Monaſterio traditum eſſe ſcribit in Diplomate interpolato, quod ſæpe jam allegavimus.

§. CCXXII.

Ellenwiler.

HILLONEVILER Eberhardus Comes Maurobacenſibus An. DCCXXVIII. obtulit. Vicus *Ellenwiler* prope Rappoltivillam intelligitur, qui belli tricennalis tempore deſtructus eſt.

Hirſching.

HIRSUNOE appendicium dicitur curiæ Arlisheimenſis in Teſtameoto Odiliæ. Deſignatur hic vicus Sundgoviæ *Hirſching*, inter Phirretum & Altkirchium oppida; quem Ludovicus Pius in ſua pro Hohenburgenſi Monaſterio Charta An. DCCCXXXVII. *Hirſingen* appellat.

Hirtigheim.

HIRTUNOHAIM An. DCCLXXXVIII. & DCCXCVIII. in duabus Fuldenſis Abbatiæ Traditionibus apud SCHANNATUM (s) reperitur, qui locus, jam *Hirtigheim* appellatus, bihorio diſtat Argentorato.

Hirzfeld.

HIRZFELD, vicus inter Novum Briſacum & Enſishemium oppida, cujus mentio in Eberhardina Murbacenſi Charta An. DCCXXVIII. Nomen ille ſuum, raro exemplo, ad hunc usque diem ſervavit.

§. CCXXIII.

Hittenheim.

HITTENHEIM ſeu *Hiddenheim* vicus, in eadem Murbacenſi & in Ebersheimenſi Ludoviciana ad An. DCCCXVII. aliisque poſterioribus Chartis obvius; nunc *Huttenheim*, duabus infra Ebershemium leucis. Honaugienſe Caroli Craſſi Diploma An. DCCCLXXXIV. *Hunduhenn* habet. Quum Paterniacenſe Monaſterium poſt ſec. X. medium à Bertha, Burgundiæ Regina, inſtitueretur, Rudolphus, filius ejus & Dux Alemanniæ, duas curtes *Colombra* & *Hitenheim* ei tradidit; (t) quarum illa in Comitatu Luitfridi Comitis, hæc autem in Comitatu Eberhardi Comitis An. DCCCCLXXXVI. poſita fuit. (u)

Hivatingheim.

HIVATINGHAIM, vicus Alſatiæ incertus, in eadem, quam modo allegavimus, Fuldenſi Charta An. DCCXCVIII. poſt Hirtunghaim legitur.

HIUHHILI-

(r) *Trad. Fuld.* pag. 86. num. 181.
(s) Ibid. num. 84 & num. 127.
(t) Docet hoc Diploma Ottonis II. Imp. An. DCCCCLXXIII. apud HERRGOTT. *Cod. Probat. Geneal. Habsburg.* num. 142.
(u) Ibidem num. 147.



Hiuhhilikeim, aliud ignoti vici nomen, Caroli Craſſi Diploma Honaugienſe habet. Forte *Kirchheim* prope Marilegium intelligitur.

Heidelsheim.

Hodulseshaim, in Charta Bodali pro Monaſterio Gregoriano An. DCCXLVIII. itemque *Haudulfeshaim* apud Schannatum (*w*) in Traditione Fuldenſi An. DCCCI. vicum *Heidelsheim*, Rhenum inter & Seleſtadienſe oppidum, deſignant.

§. CCXXIV.

Hourdaim.

Hourdaim, locus dubius, Palgowæ (*Balgau*) jungitur in Zwentebolti, Lotharingiæ Regis, Privilegio pro Monaſterio Gregorii An. DCCCXCVI. Extat hodieque Capella *Hurſt*, in ſilva, quæ prope Balgau; ubi forte Hourdaim fuerat. Paulo inferius vicum *Ursheim* reperis, qui non minus in cenſum venire hic poteſt.

Hogsbergen.

Huoesperoa, *Hausbergen* hodie, rectius *Hugsbergen*, agri Argentoratenſis vicus, in Eddonis Epiſcopi Teſtamento Etinheimenſi An. DCCLXIII. Nomen ſuum ab Hugone quodam, qui loci vel auctor vel poſſeſſor fuerat, accepiſſe videtur.

Hugelsheim.

Huoilaoishus, in Precaria Hildefredi An. DCCXXXVI. & *Hughilahaim*, in Traditione Fuldenſi An. DCCLXXXVIII. (*x*) unius ejuſdemque loci nomina eſſe videntur, olim in Alſatia, hodie trans Rhenum conſpicui. Vicus *Hugelsheim* enim, qui, Rheno alveum ſæpius mutante, in Germanica jam ejus ripa, è Fortalitii Ludoviciani regione, ſitus eſt, intelligitur. Ceterum veteres Germanos voculas *hus*, *huus*, *heim*, non raro inter ſe commutaſſe, pluribus compertum exemplis.

Hinsheim.

Hunishuns, *Hunzolveshaim*, *Hundentsheim*, vicum *Hinsheim*, tribus ſupra Argentoratum circiter leucis, indicant. Leguntur etiam in iiſdem, quas modo allegavimus, Chartis, & in Diplomate Caroli M. pro Novientenſi Monaſterio An. DCCCX. (*y*) Tempore S. Hildulfi portio villæ *Hundinisheim* Mediano Monaſterio tradita ſcribitur (*z*)

§. CCXXV.

Hunaweyr.

Hunonis-Villa, nunc *Hunawweyr*, vicus major, inter Rappoltivillenſe ac Richovillanum Alſatiæ ſuperioris oppida, nomen & originem circa medium ſec. VII. accepit ab Hunone quodam, viro nobili, cui Huna uxor fuerat, quemque S. Deodatus in ſuo per Alſatiam itinere inviſit, uti Richerius Senon. pluribus ſcribit. (*a*) Aliam Hunonis villæ ſub Francis mentionem non reperimus.

Hurenheim.

Huaenheim, quod Caroli Craſſi Diploma Honaug. recenſet, in Alſatia non amplius exiſtit. Videtur Librarii errore factum, ut Hurenheim ſcriberetur pro *Hutenheim*; quo nomine vicus *Uttenheim* infra Benfeldam intelligendus; unde Collegiatæ D. Petri Senioris Argentorati, quæ Honaugienſis Monaſterii bona poſſidet, hodieque reditus nonnulli obveniunt.

Hipsheim.

Hyppeneshaim in Eberhardina charta Murbac. An. DCCXXVIII. & *Hibodeshaim* In Traditione Fuldenſi An. DCCLXXXVIII. (*b*) vicum *Hipsheim* ad Ellum flumen, indicant. Villam *Hibodesheim* Dagobertus Rex Cœnobio Clingenſi cum omni utilitate contuliſſe ſcribitur in Diplomate Ludovici Pii An. DCCCXXVIII. quo ille Monaſterium hoc fere collapſum reſtituit.

§. CCXXVI.

Jebsheim.

Jeaineshein, duabus infra Colmariam leucis, Rhenum verſus, hodie *Jebsheim* dictum, in Monaſterienſi Zwenteboldi Regis Privilegio An. DCCCXCVI. occurrit, ubi Monaſterio S. Gregorii addicitur.

Ilfurt.

Ilfurt, ſiniſtræ paulo ſupra Mülhuſium Elli fluminis ripæ impoſitum, in Ludovici Pii Diplomate Hohenburgenſi ad An. DCCCXXXVII. reperimus.

Illkirch.

Illekiriche, agri Argentoratenſis vicum, Lotharius Imp. in Diplomate, quod Abbatiæ S. Stephani An. DCCCXLV. dedit, commemorat. Ab Illo fluvio, ad quem ſitus eſt, nomen pariter accepiſſe, nemo non videt.

(*w*) Ibidem pag. 75. num. 158.

(*x*) Ibid. pag. 42. num. 84.

(*y*) *Gall. Chriſt.* Tom. V. Inſtrument. pag. 461.

(*z*) *Vita S. Hildulfi* apud Belhomme *Hiſt. Mediani Monaſt.* Part. I. pag. 111.

(*a*) *Vita S. Deodati* apud Mabillon *Act. Sanct. Bened.* ſec. III. Part. II. pag. 429

(*b*) Schannat *Trad. Fuld.* num. 84.

GEOGRAPH.

ILLOBETABURE, ubi Uualto chartam Traditionis Fuld. An. DCCCIV. dedit, (c) ad Ellum flumen quoque ſitum olim, hodie ignoratur. De voce *Bedebur* ſupra jam actum.

Ingolsheim. INGOLDESHAHE, hodie *Ingolsheim*, vicus prope oppidum Weiſſenburgenſe, in charta Dagobertina Monaſterii Weiſſenburg. inter ejus Emunitatis fines recenſetur.

Karſtbach. KAROLDESBACH, hodie *Karſtbach*, ad illos vicos pertinet, quos Atticus, Alſatiæ Dux, Monaſterio in Hohenburg, quod fundaverat, contuliſſe ſcribitur in Privilegio Ludovici Pii pro eodem Monaſterio. Locus haud procul Altkirchio ſupereſt.

§. CCXXVII.

Logelnheim. LAGELENHEIM Caroli M. & Ludovici Pii Diplomata Ebersheimenſia interpolata An. DCCLXXVI. DCCCX. & DCCCXVII. produnt, qui vicus jam *Logelnheim* dicitur, ſeſquileuca ab oppido Colmarienſi ad Ellum flumen poſitus.

Lampertheim. LAMPARTHEIM, prope Argentoratum, Ludovicus Pius in Confirmatione commutationis bonorum Erkingarii Com. & Abbatis Schwarzacenſis An. DCCCXXVIII. inter alias hujus regionis villas recenſet.

Leimersheim. LEIDMARESHAIM, nunc *Leimersheim*, unius leucæ ſpatio infra Tabernas Rhenenſes, Traditio Fuldenſis anni incerti (d) in Pago Alſacinſe collocat, licet Pago potius Spirenſi tum fuerit annumeratum.

Leimen. LEIMONE, Ducatus Alſacenſis & Pagi Alsgaugenſis ſec. VIII. locus, ab Eberhardo Comite ad Monaſterium Murbacenſe ſub Theodorico IV. tranſiit, uti charta ſæpius allegata An. DCCXXVIII. docet. Dicitur hodie *Leimen*, in valle ejusdem nominis, quæ Baſilienſi Epiſcopo ſubdita.

§. CCXXVIII.

Luemsweiler. LIMMISWILER, nunc *Luemsweiler*, in Præfectura Sundgoviæ Altkirchenſi, Atticus Dux Parthenoni Hohenburgenſi, à ſe inſtituto, tradidit, Ludovici Pii Literarum auctoritate.

LUADLEICHESHAIM, in eadem cum Leidmareshaim Traditione Fuldenſi quum recenſeatur, in ejus olim vicinia prope Rhenum, cujus undis fortaſſe locus abreptus eſt, extitiſſe videtur.

Wihr. LUCELWILRE duos inter amnes, *Vachonam* ſeu Fachinam, & *Mulibach, in Comitatu Illichick*, in Epiſcopatu Argent. ſitum, referente Ebersheimenſi Diplomate An. DCCCXVII. Comitatum Illechick Alſatiæ ſuperioris maximam partem fuiſſe complexum, ſupra docuimus. Quum autem vici Mezerol & Scottenwilre, de quibus infra, ut loca vicina ibidem memorentur, Lucelwilre in valle Gregoriana prope oppidum Monaſterienſe quærendum haud dubie. Jam vero ſupereſt ibi paucorum ædificiorum viculus, qui vulgo *Wihr*, nonnunquam *Klein-Wihr*, appellatur; quod poſterius nomen idem eſt ac Lucelwilre. *Lutzel*, *Litzel* enim vetus Theotiſca vox, quæ *parvum*, vel *parvum* quid denotat. Ita *Lutzelſtein*, quæ arx Vogeſi, Gallis *Petite-pierre* vocatur.

§. CCXXIX.

Lutenbach. LUTENBACH terminus occiduus Mundati inferioris fuit, ſecundum Diploma Dagobertinum Fundationis Monaſterii Weiſſenburg. Extant hodie in Weiſſenburgi vicinia duo ejus nominis vici, ſuperior & inferior.

Luterbach. LUTERBACH, quod nomen pluribus Alſatiæ vicis inhæret, in Eberhardi charta Murbacenſi An. DCCXXVIII. legitur; ubi *Luterbach*, prope Mulhauſen oppidum, non Luttenbach prope Murbacum ipſum, intelligendum, ex verbis ipſius chartæ patet, quæ *Maurovviler*, (Morsweiler) *cum appendicus ſuis in Luterbach*, Murbacenſi Monaſterio tradit.

§. CCXXX.

(c) SCHANNAT. num. 193. pag. 91.

(d) Loco cit. num. 267.

§. CCXXX.

Matten-heim.

Matthinhaim, *Mattenheim*, *Matenheim*, Maurobacenſia monumenta, ut Precaria Hildradi An. DCCXXXV. Traditio Udalrici An DCCXC. & charta Commutationis inter Geroldum Comitem & Abbatem Sigismarum An. DCCCXXIX. referunt. Zwenteboldi Regis Diploma pro Monaſterio Gregoriano An. DCCCXCVI. *Matthunheim* in Comitatu Bernhardi Comitis, qui cum Comitatu Illechick idem erat, reponit; unde facile inferas, oon Matzenheim vicum prope Benſeldam intelligi, quod Comitatum Illechick nemo tam late extenderit. Interim tamen fieri potuit, ut Bernhardus Comes locum hunc poſſederit extra ſuum Comitatum, cui Judex nomine Regis præfuerat, adeoque Matthunhaim à Zwenteboldo improprie illius adſcriberetur Comitatui, quod ad Comitatum Kircheimenſem vel Troningorum pertinuit. Alium profecto locum ejus nominis in Alſatia non reperimus; quodſi extitit olim, iojuria temporum pridem periiſſe, neceſſe eſt.

Morsweiler.

Maurowiler, quod Eberhardus Comes Maurobacenſi Abbatiæ obtulit, à Ludovico Pio in ſuo pro Maſonis Abbatia Privilegio An. DCCCXXIII. dicitur *Morswilre*, vicus prope Mulbuſium. Præter hunc vero plures vici, *Morswiler*, vel *Morswilr* nuncupati, in Alſatia præſertim ſuperiore, ſuperſunt.

Meiſters-heim.

Meistresheim in Diplomate Caroli Craſſi An. DCCCLXXX. quo donationem Richardis, conjugis ſuæ, fœminæ cuidam factam, confirmat. Vicus hic ad rivum Andelaham, quinque ſupra Argentoratum leucis, ſupereſt.

Mustridisheim idem forte cum *Meiſtresheim* locus; Ludovici Pii charta An. DCCCXXIII. qua Commutatio bonorum Erkingarii Comitis & Abbatiæ Schwarzacenſis confirmatur, nomen hoc nobis ſubminiſtrat.

§. CCXXXI.

Melin.

Melin Eccleſiam habuit fine ſeculi IX. quæ ad Monaſterium Gregorianum ſpectavit, teſte charta Zwenteboldi Regis, modo allegata. Hac enim dictum Monaſterium *ad Melin Eccleſiam* poſſidere ſcribitur, quibus verbis vicus *Muhlbach* in valle S. Gregorii, leucæ ſpatio ab oppido & Abbatia ſitus, deſignari videtur; quæ hodieque Eccleſiam curat ac decimarum jus poſſidet.

Metzeral.

Mezerol *villula* in Ebersheimenſi Ludovici Pii Inſtrumento An. DCCCXVII. itemque in alio ejusdem Abbatiæ ac Imp. ad An. DCCCXXIV. *villa Meterol*, occurrit. Vicus eſt hodie inſignis & Gregorianæ vallis prope poſtremus, paulo ſupra vicum Mühlbach; quorum uterque ad oppidum Monaſterienſe, olim imperiale, pertinet. Vicum autem *Metzeral* in Diplomatibus iſtis intelligi, inde apparet, quod ad *Vachonam* ſeu Fachinam, quæ in montibus proximis oritur, illum collocant. In charta poſteriore enim legimus: " Medietas banni generalis & foreſtis à villa, quæ Meterol dicitur, in deſcenſu „ usque ad Scottenwilre, & fluvio, qui Vaconna dicitur, usque ad amnem, qui „ Mulebach nominatur. „ Patet inde, Ebersheimenſibus quoque partem ſilvæ iſtius, quæ ad fiſcum regium Columbariæ ſpectaverat, traditam fuiſſe,

Mietzdorff.

Mizdorff, hodie *Mietzdorff*, tribus infra Hagenoam leucis in Dynaſtia Liechtenbergenſi, apud Schannatum (*e*) io Fuldenſis Abbatiæ Traditione, cui nulla temporis oota ſubſcripta, quamque ſæpius allegavimus, recenſetur.

§. CCXXXII.

Munche-heim.

Monesensisheim, una cum Onenhaim, à Childerico II. jam in Diplomate, pro Monaſterio Gregoriano ad Confluentes An. DCLXXIII. memoratum, ſine dubio vicus *Muntzen* Horburgenſis Comitatus eſt, qui proprie *Munchsheim* ſcribitur. Abbatia Gregoriana nihil ibi juris amplius poſſidet. Eodem referendum *Moningesheim* Traditionis Fuldenſis apud Schannatum. (*f*)

Munch-hofen.

Morchinhoven, in Diplomate Weiſſenburgenſi Dagobertino inter limites Emunitatis inferioris occurrens, vicum *Munchhofen*, ſesqui leuca diſtantem à Weiſſenburgo, deſignare videtur.

(*e*) Pag. 82. num. 167.

(*f*) Ibidem. Charta fine ſeculi VIII. vel initio ſec. ſeq. data.

GEOGRAPH.

Mosbach. MOSBAH, *Mosbach*, viculus Alſatiæ ſuperioris in S. Amarini valle, Traditio Fuldenſis habet, cujus modo facta eſt mentio.

§. CCXXXIII.

Mülhuſen. MÜLENHUSEN, oppidum celebre, Helvetiis fœderatum, at in ſuperioris Alſatiæ & Sundgoviæ colimitio ſitum, inter plures iſtas villas, Diplomati Ludovici Pii, pro Maſonis Abbatia An. DCCCXXIII. inſertas, legitur.

Mulhauſen. MUNILHUSON, *Mulhauſen*, vicus inferioris Alſatiæ verſus Buxovillam. Vide Caroli Craſſi Diploma Honaug. An. DCCCLXXXIV.

Mieters-holz. MUTERESHOLZ, *Mietersholtz*, ſeſqui leuca à Seleſtadio, Rhenum verſus, Ludoviciana Eberheimenſis Abbatiæ Diplomata DCCCXVII. & DCCCXXIV. memorant, ubi Abbatiæ huic curtis dominica, ſalica terra, cum decimis, aſſignantur.

§. CCXXXIV.

S. Nabor. S. NABÓR, ad pedes Odiliani montis, haud procul Ober-Ehnheimenſi oppido, in Odiliæ Teſtamento, quod vocant, reperitur. Nomen ei à S. Nabore, cujus reliquias ſeculo VIII. Roma attulit Chrodegangus, Metenſis Epiſcopus, teſte SIGEBERTO GEMBLACENSI ad An. DCCLXIV.

Niffern. NIUFERA. Traditio Fuldenſis An. DCCLXXXVIII. (*f*) In Ebersheimenſibus An. DCCCXXIV. & DCCCXXIX. *Niveratsheim*, *Nivratesheim*, & in Honaugienſi An. DCCCLXXXIV. *Nivride*, hodie *Niffern*. Quatuor hujus nominis vici ſunt in Alſatia. Indicatu difficile, quinam in ſingulis chartis intelligatur, ſi Ebersheimenſes excipias; in his enim illud deſignatur *Niffern*, quod inter Ellum & Rhenum, in Ebersheimenſis Monaſterii vicinia, ſitum.

Nartz. NORTHUS, *Northauſen*, vulgo *Nartz*, vicus Epiſcopatus Argent. prope Erſtenium, in Ebersheimenſibus Carolinis & Ludovicianis Chartis pluries legitur. Alius ejusdem nominis locus haud procul Argentorato, & quidem prope Lingelshemium, olim extitit, qui autem tempore belli, quod Argentoratenſes ſeculo XIII. cum Walthero Geroldseckio, Epiſcopo ſuo, geſſerunt, deletus eſt.

§. CCXXXV.

Odersheim. ODRADESHEIM Caroli Craſſi Diploma Honaugienſe refert ad An. DCCCLXXXIV. Vicus prope Marlenhemium eſt, qui nunc *Odersheim* dicitur.

Offenbach. OFFENBACH, cis Queicham, prope Landavium, in Traditione Fuldenſi (*g*) ſeculi IX.

Offendorff. OFFONTHOROF, *Offendorff*, quatuor infra Argentoratum leucis ad Rhenum, in eadem charta Honaugienſi An. DCCCLXXXIV.

Onchiſas-haim. ONCHISASHAIM. Traditio Huchi pro Abbatia Fuldenſi An. DCCLXXXV. (*h*) haud obſcure indicat, locum in Horburgenſi Comitatu, vel in ejus vicinia, extitiſſe. Tradit enim Huchus Abbatiæ bona ſua in *Oſthaim*, & in *Choneshaim*, *cum omni adjacentia*, *in marca Onchiſashaim*, *in loco*, *qui dicitur Rigoltesberg*. Non à veroſimili, vicum *Durren-Enſisheim*, aucta ab initio voce, hic deſignari, quemadmodum Anngehiſeshaim ſub Francis vicum Enſisheim denotaſſe vidimus.

§. CCXXXVI.

Onen-heim. ONENHAIM in Childerici II. Diplomate Mônaſterienſi An. DCLXXIII. At in Zwenteboldino An. DCCCXCVI. pro eadem Abbatia *Hononheim*. In vico hoc, bileuca à Seleſtadio, Rhenum verſus, ſito, reditus in noſtrum usque diem habent Monaſterienſes Aſcetæ.

ONOIRN-

(*f*) SCHANNAT. *Trad. Fuld.* num. 84.

(*g*) Loco cit. num. 167.

(*h*) Idem pag. 38. num. 76.

Digitized by Google

Ongirnhaim, *Ongresheim*, duo ſunt nomina ejusdem vici, Rufacum inter & Enſishemium, qui jam *Ungersheim*, imo & à nonnullis *Ungriſchheim* appellatur. Occurrunt in charta Traditionis Waharii pro Abbatia Murbacenſi An. DCCXCIV. & in Ludovici Pii Diplomate pro Maſonis Monaſterio An. DCCCXXIII. Ungersheim.

Ossinhuns, locus incertus, in Precaria Hildefredi An. DCCXXXVI.

Osthaim, vicus bihorio infra Colmariam, in duplici Traditione Huchi, uno eodemque anno DCCLXXXV. Abbatiæ Fuldenſi facta, recenſetur. Traditio Ratlindis ad Abbatiam Maurobacenſem An. DCCCXI. ejusdem loci mentionem facit, illumque initio chartæ *Hoſtaim*, in fine *Oſtaim* appellat. Extitit etiam villa *Oſtein* prope Rufacum, quæ hodie deſtructa. Oſtheim.

§. CCXXXVII.

Osthova, *Oſthofen*, tertio ab Argentorato lapide, verſus occaſum, in Caroli M. An. DCCLXXXVIII. & Caroli Craſſi An. DCCCLXXXIV. Diplomatibus pro Honaugienſi Monaſterio, & in poſteriore quidem ſub nomine *Hoſthovon*. Oſthofen.

Otalesviler, *Olerwiler*, hodie per ſyncopen *Oswiler*. Vicus bihorio ſupra Rufacum. Prius nomen ex ſeculo VIII. poſterius ex ſec. IX. eſt; illud in Eberhardi Com. charta Murbacenſi, hoc in pluribus Ebersheimenſis Monaſterii Diplomatibus, & quidem primum in illo, quod Carolus M. circa An. DCCLXXVI. dedit, exprimitur. Osweiler.

Othmareshaim, vicus Alſatiæ ſuperioris prope Rhenum celebris, ob nobiliſſimum Parthenonem, ibi ſeculo XI. conditum, in Traditione Egilmari ad Abbatiam Maurobacenſem An. DCCCI. bis recenſetur. Othmarsheim.

Ottenrode, vicus ad montis Odiliani radices. De eo Teſtamentum Odiliæ. Ottenroth.

§. CCXXXVIII.

Palgouua, *Balgau*, prope Rhenum ſupra Novum Briſacum, memoratur in charta, quam Zuentiboldus, ſub initium fere Periodi Germanicæ, Monaſterio Gregorii conceſſit. Hoc jura ſua in Balgau ſeculo XIV. Parthenoni Alſpacenſi vendidit. Balgau.

Pancinhaim bis memoratur in Traditione Hutonis & Raginboldi, Abbatiæ Maurobacenſi An. DCCXCV. facta. Vicus in ſuperiore Alſatia prope Rhenum & Othmarshemium ſitus eſt. Pantzenheim.

Perchhaim, nunc *Berckheim*, oppidulum inter Rappoltivillam & Seleſtadium. Eberhardus Comes An. DCCXXVIII. locum Abbatiæ Maurobacenſi tradidit. Ab hac ad Epiſcopum Tullenſem Francica adhuc ſub Periodo transiiſſe videtur, quod Henricus II. Imp. illum Tullenſi Eccleſiæ, cui ablatus fuerat, cuique tum Bertholdus Epiſcopus præfuit, reddidiſſe legitur in *Chronico* (*i*) Scriptoris coætanei, ubi hæc verba: " Ipſe (Bertoldus) reimpetravit ab eodem Imperatore, (Henrico II.) reddi Eccleſiæ „ ſuæ villam in Halſatio ſitam, quæ vocatur *Berchem*, & teloneum, & diſtrictum minæ. „ Per *diſtrictum minæ* auctor metallifodinas Vogeſi intelligit. Mediani-Monaſterii Abbas Berckhemium ſibi vindicaverat; Tullenſi Epiſcopo, cui ereptum, Innocentii II. Papæ auctoritate mox reſtituendum, quod antiquiſſimum illud Eccleſiæ ſuæ patrimonium, à Regibus ipſi traditum, ex variis Documentis probaverat. (*k*) Alias *Berchein* in Sigfridi Dynaſtæ Inſtrumento An. DCCLXVIII. & Caroli Craſſi Diplomate, pro Donatione quadam Richardis Aug. confirmanda, anno DCCCLXXX. ſcribitur *villa*. Maximam prædii *Berchein* partem Hagio, vir illuſtris, novo Mediano Monaſterio contulit, vivente adhuc S. Hildulfo, ejus conditore, qui fine ſec. VII. floruit. (*l*) Berckheim.

Pereprangiis, locus dubius, Eberhardinæ Murbacenſis Chartæ. Forte *Bergholz* prope oppidum *Gebwiller*, cujus dominium ad Abbatiam Murbacenſem etiamnum pertinet, indicat.

(*i*) Calmet *Hiſt. de Lorraine* Tom. I. Probat. pag. 165. ubi Chronicon hoc Tullenſe integrum exhibetur.

(*k*) Vid. Benedictus Picart *Hiſtoire de la Ville & du Dioceſe de Toul*, Lib. IV. Cap. IV. pag. 345.

(*l*) *Vita S. Hildulfi* apud Belhomme *Hiſt. Mediani Monaſterii* Part. I. pag. 110.

Blobsheim. PLATPOTESHAIM, *Blobsheim*, inter Alſatiæ vicos in Diplomate Ludovici Pii An. DCCCXXIII. occurrit, in quibus Epiſcopus Argent. & Erkingarius Comes bona quædam invicem commutarunt.

§. CCXXXIX.

Rappolz-weiler. RASBERTOVILLARE. Pipinus Brevis in Diplomate, quod Fulrado Capellano ſuo circa An. DCCLXVIII. dedit, ita locum vocat, qui hodie *Rappolzweiler*, ſuperioris Alſatiæ oppidum. Fulradus ipſe in Teſtamento ſuo An. DCCLXXVII. eundem locum, quem à Widone quodam acceperat, Dionyſianæ Abbatiæ quum tranſcriberet, *Radberto-villare* nuncupat. Sed & alia ejus ſcriptura reperitur in Sigfridi charta Monaſterienſi circa An. DCCLXVIII. aliaque iterum in Zwenteboldi, Lotharingiæ Regis, pro Monaſterio S. Gregorii Diplomate An. DCCCXCVI. quum in priore *Rabaldo-villare*, in poſteriore *Rutpoldes-villare* appelletur.

Retersheim. RATHERISHAIM, *Retersheim*, paulo ſupra Rufacum. Traditio Williarii pro Murbacenſi Abbatia An. DCCLXXIV. At Herbolfi Traditio, eidem Monaſterio circa annum DCCLXXX. facta, *Rateshaim*, & Ebersheimenſe Ludovici Pii Diploma An. DCCCXVII. *Reteresheim*, ſcribunt.

Razenhuſen. RAZENHUSEN, prope Seleſtadium. Diploma Ludovicianum Ebersheimenſis Monaſterii ad annum DCCCXXIV.

Reckenhuſen. RECHENHUSEN in Carolingorum Ebersheimenſibus chartis. Locus inter Oſtheim & Hunonis-villam ſitus, hodie deſtructus eſt.

§. CCXL.

Rexheim. REGENESHEIM, *Rexheim*, prope Enſishemium, An. DCCCXVII. in Ludovici Pii Diplomate Ebersheimenſi, ut & Hohenburgenſi, ubi *Regesheim* ſcribitur. In poſteriore Atticus Dux Cœnobio huic villam iſtam dat dono.

Reiningen. REININGEN, leucæ ſpatio à Mulhuſio oppido, verſus occaſum, inter Hohenburgenſis quoque Parthenonis loca cum Regesheim à Ludovico Pio refertur.

Reudiba. REUDIBA, locus ignotus in Caroli Craſſi Honaugienſi Diplomate An. DCCCLXXXIV.

Rixen. RICHENESHEIM, *Rixen* vel *Richsheim*, vicus prope Mulhuſium oppidum. Ludovici Pii Diploma, Maſonis Monaſterio An. DCCCXXIII. datum.

Ringendorf. RINKINDOROF, *Ringendorf*, in oppidi Buxovillæ vicinia ſitum. Vide iterum Carolinum Honaugienſe Diploma.

§. CCXLI.

Rosheim. RODASHEIM, *Rosheim*, oppidum Inferioris Alſatiæ, Ober-Ehenheimenſi vicinum. Inter Pagi Alſacenſis vicos primum in charta Fuldenſi An. DCCLXXVIII. occurrit. Mentio ejus dein in Ludovici Pii Diplomate Hohenburgenſi ad An. DCCCXXXVII. ubi circa Rodesheim idem obſervandum, quod ſupra de Ehenhemio ad Diploma hoc annotavimus.

RÖLINGEN in Ludovici Pii Præcepto pro Maſonis Monaſterio recitatur, ſed nullibi in Alſatia nomen ejus jam ſupereſt. *Golfingen*, in Mulhuſii oppidi vicinia, ubi Maſonis Abbatia jus patronatus & decimas habet, forte trahi huc poſſet.

ROSUSAGO, incertum quoque locum, Hildefredi Precaria An. DCCXXXVI. prodit.

Roppach. ROTBACH, *Roppach*, Gall. *Roppe*, à Befortio leucæ majoris ſpatio diſtans, ut &

Rumersheim. ROTMARSHAIM, *Rumersheim*, Præfecturæ Kochersbergenſis vicus, in Precaria Maurobacenſi Hildefredi commemoratur.

RUADMUN-

Ruadmundesheim, hod. *Mundolzheim*, prope Argentoratum. Honaugienſe Caroli Craſſi Diploma. Mundolzheim.

Rudolfwilare, forte *Rietwilr*, infra Colmariam, locus eſt, in quo Monaſterium S. Galli bona quædam accepit à Bodalo, teſte Charta An. DCCLVIII. apud Goldastum. (*l*)

Rulrichesheim, quod in Ludoviciano Diplomate Ebersheim. ad An. DCCCXVII. ut & Hohenburgenſi circa An. DCCCXXXVII. legitur, ſine dubio vicus prope Enſisheimum eſt, quem *Rurelsheim* vocant. Poſterior Charta hoc ipſum ſatis diſtincte indicat; inter Regesheim & Baltersheim, ejusdem regionis vicos, locum reponens. Rurelsheim.

§. CCXLII.

Saxones in Charta Monaſterienſi Sigfridi An. DCCLXXVIII. hodie *Saſenheim*. Vicus verſus Rheonum, non multum ſupra Novum Briſacum, ubi Monaſterienſis Abbatia decimarum partem etiamnum habet. Saſenheim.

Scaferishaim, *Schæffersheim*, quatuor ſupra Argentoratum leucis prope Erſteinium, Fulradus An. DCCLXXVII. Monaſterio Dionyſiano in Gallia transſcripſit. (*m*) Schæffersheim.

Scaftolfeshaim, *Schæffolzheim*, ſesqui lapide ab Argentorato, ad Bruſcam amnem, in Fuldenſi cujusdam Votonis Traditione (*n*) anni DCCLXXXVIII. Schæfolzheim.

Scerenwilere, Ebersheimenſibus Carolingarum Chartis frequens, vicum *Scherwwiler*, è regione Seleſtadii ad Vogeſi pedes, in vallis Vilerianæ introitu, deſignat; ubi Monaſterii huic *curtis dominica*, *cum vineis & agris*, *& pratis*, tradita. Multis hodie placet, locum hunc *Carolovillam* vocare, at faciunt hoc monumentis invitis. Scherweiler.

Scottenwilre, *Storwilr*, prope oppidum Monaſterienſe Gregorianæ vallis, Diplomati Ebersheimenſi An. DCCCXXIV. memoratum; ubi Ludovicus Imp. ait: *& foreſtis. à villa, quæ Meterol dicitur, in deſcenſu uſque ad Scottenwilre.* Meterol vicum *Mezeral* expoſuimus, à *Storwilr*, ejusdem Gregorianæ vallis viculo, haud longe diſtantem. Prouti vero duo hi vici, ita & duo rivi, ad quos illi poſiti, Fachina ſcilicet & Mühlbach, (*o*) ſibi invicem opponuntur, tanquam limites foreſtis, Monaſterio Ebersheimenſi adſcriptæ. Stoswihr.

§. CCXLIII.

Sebach inter limites Emunitatis inferioris in Diplomate Dagobertino Weiſſenburgenſi. Duo jam ejusdem nominis ſunt vici, ſuperior & inferior, duabus circiter à Weiſſenburgenſi oppido verſus meridiem leucis. Sebach.

Sehsinheim, à Ludoviciano Fortalitio diſtans dimidia leuca, Dynaſtiæ Fleckenſteinenſis vicus, Teſtamento Ruthardi pro Abbatia Schwarzacenſi An. DCCLVIII. inſertus. Forte *Soeſſas* Precariæ Hildefredi An. DCCXXXVI. huc quoque referendus. Sehſenheim.

Selehoven liberalitate Dagoberti Regis ad Clingenſem Abbatiam pertinuit, uti Ludovicus Pius teſtatur in Diplomate, quod An. DCCCXXVIII. Monaſterio huic dedit. Vicus in Dynaſtia Lichtenbergenſi ad Vogeſum ſitus. Selehoven.

Sigeneshein Diploma Ludovici Pii pro Maſonis Monaſterio An. DCCCXXIII. Locus nobis ignotus.

§. CCXLIV.

(*l*) *Scriptor. Rer. Alemann.* Tom. III. pag. 41.

(*m*) Felibien *Hiſt. de S. Denys*, *Preuves* pag. 38.

(*n*) Schannat. *Trad. Fuld.* num. 84.

(*o*) Hodie vicus hujus nominis paulo infra Mezeral ad Fachinam quoque ſitus eſt; inſciis plane iſtius vallis incolis, quod rivus, quem *Kleinthalbach* vocant, eodem nomine gaudeat; uti nomen Fachinæ (*Fecht*) plerique ignorant, appellantes illam *Grossthal-bach*.

GEOGRAPH.

§. CCXLIV.

Sigolsheim.

Sigolt*, *Sigolsheim*, Gall. *Savamont*, Alſatiæ Superioris prope Kienshemium vicus eſt. Mentio ejus in Charta Sigfridi Dynaſtæ circa An. DCCLXVIII. ad quem locus cum vicinis aliis ſpectaſſe videtur. Sequuntur dein plura Ebersheimenſis ac Maſonis Monaſteriorum ex ſeculo IX. Inſtrumenta, quæ nomen ejus conſtanter *Sigoltesheim* exprimunt. *Mons-Sigoldus*, in Lotharii, Regis Lotharingiæ, & in Caroli Craſſi Diplomatibus, pro Monaſterio Grandivallenſi, memoratus, (*p*) æque huc pertinet; unde forte Gallicum *Savamont* ortum. Vir quidam locuples in his Alſatiæ partibus S. Deodato, cujus excitatus fama fuerat, partem prædiorum ſuorum, inter quæ ager vini peroptimi, in *villa Sigoltesſem* circa An. DCLXXX. donaſſe, ſcribitur à Richerio Senoniensi, (*q*) qui poſt medium ſeculi XIII. vixit.

Schiltigheim.

Skitingsdtbouhel, nomen ſingulare vici *Schiltigheim* prope Argentoratum, in Lotharii Imp. Diplomate, pro Parthenone Stephaniano An. DCCCXLV. Carolus Craſſus eundem locum diſtinctius *Scildincheim* vocat, in Diplomate Honaug. An. DCCCLXXXIV.

Schwobsheim.

Sowaneshaim & *Sowinashaim* Chartæ Maurobacenſes, ut Traditio Egilmari anni DCCCI. & Geroldi Comitis Commutatio quorundam bonorum, cum Sigismaro Abbate facta, referunt. Vicus dicitur *Schwobsheim*, duarum ſupra Mulhuſium Sundgoviæ leucarum intervallo; cujus nominis alius quoque vicus inter Rhenum & Seleſtadienſe oppidum. In *Sungawa in Schowinsheim* Luitfridus An. DCCCCIII. Monaſterio S. Trutperti fecit donationem, ut Charta ejus nos docet. (*r*)

§. CCXLV.

Spechtbach.

Spechtbach; duo hodie vici, ſuperior & inferior, prope Mulhuſinum oppidum, in Chartis Geographicis male *Spesbach* nuncupati; ut &

Steinbrunn.

Steinenbrunn, Maſonis Monaſterii Diploma Ludovicianum An. DCCCXXIII. prodit. Intelligitur ille vicus, qui duabus cum dimidia leucis ſupra Mulhuſium, Baſiliam verſus, conſpicitur, non qui ad Rhenum, tertio infra Novum Briſacum lapide.

Stotzen.

Stotesheim, *Stotzen*, inter Benfeldam & Barram, Ludovicianum pro Ebersheimenſibus Privilegium An. DCCCXXIV. nobis exponit.

Schwobsheim.

Suabesheim, locus Diplomati Ludoviciano Ebersheimenſi, quod annum Chriſti DCCCXXIX. præ ſe fert, inſertus, villam *Schwobsheim*, ſecundo à Seleſtadio lapide verſus Rhenum, non Sundgovianam cognominem, indicat.

Schwertz.

Suærza, *Schwertz*, tribus circiter à Brundruto leucis, in Diplomate Ludovici Pii pro Maſonis abbatia legitur. Abbatiæ jus patronatus & decimæ iſtius vici etiamnum competunt.

§. CCXLVI.

Sultz.

Sulza, nomen in Ebersheimenſibus Inſtrumentis frequens, utut Monaſterium nihil jam ibi poſſideat. Oppidulum hodie Mundati ſuperioris eſt. Vicus quoque *Sulz* prope Molshemium; imo & cognomine oppidum inter Hagenoam & Weiſſenburgum, Dynaſtiæ Fleckenſteinenſis, Alſatia poſſidet.

Suntor,

(*p*) Apud Eccardum *Orig. Habsb.* pag. 139. & Herrgott *Geneal. Habsburg.* Tom. II. pag. 51.

(*q*) *Vita S. Deodati* apud Mabillon *Act. Sanct. Benedict.* ſeculi III. Part. II. pag. 431.

(*r*) Apud Herrgott *Genealog. Habsb.* Tom. II. num. 247.

GEOGRAPH.

Suntor, in Charta Pipini pro Fulrado An. DCCLXVIII. ſine dubio Comitatus Horburgenſis vicum *Sundhofen*, leucæ ſpatio Colmaria diſtantem, deſignat; qui in Zwenteboldina Monaſterienſi An. DCCCXCVI. vocatur *Sundhova*. Prius inſtrumentum oſtendit, Fulradum à Widone quodam locum hunc accepiſſe, à quo forte ad Monaſterium Gregorianum transivit, quod ſine ſeculi IX. Sundhovam poſſedit, ut Zwenteboldi Privilegium docet. Sundhovam certe à Fulrado Abbatiæ S. Dionyſii traditam in Charta ipſius non legimus. Decimarum jus vero idem circa tempus Luitfridum Comitem poſſediſſe, ex ipſius Charta An. DCCCCIII. diſcimus, qua *decimationem in Sunthoven & in Gundolzheim*, inter alias res Monaſterio Trutpertino transſcripſit. (*s*) Sundhofen.

Swindratisheim An. DCCLVIII. in Donatione Ruthardi, Abbatiæ Schwarzacenſi facta, atque in Caroli Craſſi Diplomate Honaug. An. DCCCLXXXIV. occurrit. Vicus, quem nunc *Schwindratzheim* appellamus, ſitus inter Argentoratum & Buxovillam. Schwindratzheim.

§. CCXLVII.

Techinheim ad vicorum incertorum pertinet claſſem. In vicinia Argentorati locum eſſe quærendum, ex verbis Diplomatis, in quo refertur, apparet: *inter Fedinheim & Lampartheim & Techinheim manſos duos, & prata ad carrades triginta quatuor.* Diploma Ludovici Pii ad An. DCCCXXIII. intelligo, ſuper commutationem bonorum aliquot Erkingarii Comitis & Monaſterii Schwarzacenſis.

Terherdi, in Traditione Fuldenſi anni incerti, (*t*) poſtea *Herdt*, bihorio circiter infra Tabernas Rhenenſes, prope vicum Leidmaresheim ſive Leimersheim, qui eodem loco recenſetur, ad Rhenum conſpicuus. Herdt.

Testinheim, *Deſſenheim*, unius horæ ſpatio ſupra Novum Briſacum, Sigfridus in Charta Monaſterienſi circa An. DCCLXVIII. Deſſenheim.

Theotbertowilare, in charta Commutationis inter Geroldum Comitem & Abbatem Maurobacenſem An. DCCCXXIX. Videtur eſſe vicus *Dietweiler* in Sundgovia, qui ſesqui leuca verſus Rhenum diſtat Mulhuſio. Dietweiler.

§. CCXLVIII.

Thurincheim Zwenteboldus Rex in Monaſterienſi Diplomate memorat; quod jam oppidum regium, olim imperiale, Præfecturæ Hagenoenſi adſcriptum. Herimoutus *Duringheim* vocat, in Traditione, quam biennio poſt eidem Cœnobio fecit. Turckheim.

Tudinhaim, *Didenheim*, prope Mulhuſium oppidum, in Traditione Hichonis ad Maurobacenſe Monaſterium An. DCCXCVI. Didenheim.

Tunoinisheim *villam*, in marca *Herwicheim* ſitam, charta Sigfridi pro Altmanno filio An. DCCLXVIII. recenſet. Intelligi crederes *Dingsheim* illud, quod *Didenesham* & *Tunchinashaim* appellari, ſupra diximus, quodque vicum Hirtigheim habet vicinum. Sed locus hic à reliquis, in eadem charta memoratis, qui omnes vici Alſatiæ ſuperioris ſunt, nimium remotus eſt; ut adeo *Herwikeim* explicandum ſit per *Herckheim*; quo nomine duo vici, ſuperior & inferior, geminata ſupra Colmariam leuca, veniunt; licet nullam in hac regione *Tungnisheim* vel Dingsheim reperiam villam. Extitiſſe autem ſub Francica Periodo, eo magis credibile, quod ibi hodieque Capella hujus nominis, vulgariter *Dinſen* appellata, ſubſiſtit.

(*s*) Apud Herrgott *Genealog. Habsb.* loco cit. (*t*) Schannat. *Trad. Fuld.* pag. 82. num. 167.

§. CCXLIX.

Ursheim. VERATESHEIM, *Ursheim*, in Inſtrumento Ebersheimenſi Ludovici Pii An. DCCCXVII. Vicus inter Colmariam ſitus & Rhenum.

Firnen. VIRDENHEIM in Diplomate Dagobertino Monaſterii Haſelacenſis (*u*) & in Honaugienſi Caroli Craſſi An. DCCCLXXXIV. Locus trihorio diſtat Argentorato. Vulgo dicitur *Firnen*.

Wolcksheim. ULCISHAIM, *Wolckheim*, Dachſteinenſis juriſdictionis vicum, Hildefredi Preçaria An. DCCXXXVI. exhibet.

Wolfsheim. VOLFRIOESHAIM Traditio Uſiterici pro Abbatia Maurobac. An. DCCLXVIII. una cum *Anugelsſesbaim* refert. Idem ſine dubio locus, quem jam *Wolfsheim* appellant, unius ab Argentorato leucæ diſtantia.

Urbach. URSBACH, *Urbach*, vallis Vilerenſis locus, in Diplomate Ludovici Pii An. DCCCXXIII. pro Maſonis Monaſterio, cui jam nihil ibi ſupereſt juris.

Ittenheim. UTILINHAIM, in Diplomate ejusdem Ludovici Pii An. DCCCXXVIII. pro confirmanda commutatione bonorum, Erkingarii Comitis & Abbatis Schwarzacenſis. *Ittenheim* nunc dicitur, Argentorato diſtans bileuca.

§. CCL.

WALAHESHAIM, *Wallenheim*, quatuor infra Argentoratum horis, Acbutonis cujusdam Traditio Fuldenſis (*x*) refert.

Waltersberg. WALDARSES una cum *Baronewillare* legitur in Traditione Folcwini & Cremhildis ad Abbatiam Maurobac. An. DCCXCVI. quo nomine aut vicus *Waltersberg*, duabus ſupra Maſonis Monaſterium leucis in Sundgovia, aut *Baltersheim* prope Enſishemium, intelligitur. Literæ W & B ſæpius inter ſe commutantur.

Werdt. WARIDA, in Hildefredi Precaria Maurobac. An. DCCXXXVI. haud dubie nomen eſt vici *Werdt* prope Benfeldam.

Geberſweiler. WARANANGUS, *qui dicitur Villare Eberhardo*, hodie *Geberswailer*, ab Eberhardo Comite forte nomen hoc trahens, quem Legenda Landelini *Gebilicheswille* jam vocat, (*y*) ut &

Wattweiler. WATONEWILLER, vicus tum, hodie oppidulum, *Wattweiler*, vetus Murbacenſis Abbatiæ patrimonium, in charta Eberhardina occurrunt.

§. CCLI.

Waſſelnheim. WAZZELENEHEIM, *Waſſelnheim*, vicus major quinque ab Argentorato, ad quam hodie ſpectat, verſus occaſum, leucis, Bodalus moribundus filiæ ſuæ Adalæ cum alio loco *Eſpherwilere*; Adala vero, monaſticam vitam amplexa, Hornbacenſi Cœnobio tradidit, cum omni jure, quod ipſa poſſederat, circa An. DCCLIV. quo charta hujus Donationis conſcripta eſt.

WENL.

(*u*) Apud COCCIUM in *Dagoberto*, pag. 161.
(*x*) SCHANNAT *Trad. Fuld.* pag. 82. num. 167.
(*y*) Apud BEBELIUM in *Chron. Mſ. Alſatia ſup.*

GEOGRAPH.

WENILINGA, locus dubius Inſtrumenti Honaugienſis An. DCCCLXXXIV. forte *Welingen* trans Rhenum, è Seleſtadienſis oppidi regione, qui vicus olim in Alſatia exiſtere potuit.

WIERESHEIM, *Wiverſheim*, duarum cum dimidia ab Argentorato leucarum verſus Tres-Tabernas, ex eodem Honaugienſi Documento nobis innoteſcit. Wiversheim.

WIOFRIDASHAIM, An. DCCLXXXVIII. in Traditione Fuldenſi relatum, *Wickersheim* jurisdictionis Buxovillanæ deſignat, quem vicum allegatum modo Diploma Honaug. *Wicheresheim* nuncupat. Wickersheim.

CCLII.

WILRE, *Weiler*, oppidulum vallis hujus nominis, quæ lingua Romanica dicitur *Valancinay*, charta Ludoviciana Ebersheimenſis ad An. DCCCXXIX. Weiler.

WINOISHAIM, charta venditionis Murbacenſis An. DCCLXXXVI. Vicus eſt, Colmaria leucæ ſpatio remotus, qui jam *Winzenheim* dicitur, ubi Capella ſeculo IX. ad Eccleſiam Curienſem ſpectaverat, teſte Caroli Craſſi de An. DCCCLXXX. Diplomate, in quo hodiernum loci nomen jam legitur. Winzenheim.

WITANHAIM, *Wittenheim*, paulo infra Mulhuſium ad Ellum flumen, in charta Commutationis bonorum inter Monaſterium Murbacenſe & Geroldum Comitem An. DCCCXXIX. Wittenheim.

§. CCLIII.

WITTINISHEIM, vulgo *Witzen*; vicus haud procul Ebersheimenſi Monaſterio. Ludovicii Pii charta An. DCCCXXIII. pro Commutatione bonorum quorundam, inter Epiſcopum Arg. & Erkingarium Comitem; ut & ejusdem Imperatoris pro Abbatia Novientenſi Diplomata, locum recenſent. In his *Wittensheim* dicitur. Witzen.

ZEINHAIM, in vicinia Marilegii. Ludovicus Pius locum hunc in Diplomate An. DCCCXXVIII. refert, quo ſimilis Commutatio bonorum, ab Erkingario Comite cum Abbatia Schwarzacenſi inita, firmatur. Zeinheim.

ZULLINESHAIM, *Zullenesheim*. Traditio Maurobacenſis An. DCCXCII. & Ludovici Pii pro Maſonis Monaſterio Charta An. DCCCXXIII. nomine hoc vicum Sundgoviæ prope Mulhuſium deſignant, quem jam *Zillisheim* appellant. Zillisheim.

Laterculum hoc quartam circiter Alſatiæ hodiernæ partem vicorum nobis aperit, quam ex Francicæ Periodi Documentis, quæ ſuperſunt, eruimus. Quodſi Chartæ pagenſes, quas magno olim numero habuerat Alſatia, adhuc ſupereſſent, longe major ſane numerus innoteſceret nobis eorum, qui tum jam extiterant, imo & eorum, qui ab eo tempore perierunt.

CAPUT XI.

MONASTERIA ALSATIÆ.

§. CCLIV.

GEographiæ Alſato-Francicæ agmen Monaſteria claudunt, quæ nobilem ejus partem conficiunt. In enumerandis illis Chronologicus ſervatus eſt ordo, quod numerus eorum in hac Periodo modicus. Hiſtoriam eorum dabit Alſatiæ Illuſtratæ pars illa, quam *Alſatiam Sacram* inſcribimus. Monaſteria.

Omnium Alſatiæ Cœnobiorum antiquiſſimum eſt MAURI-MONASTERIUM, ad Vogeſi fere radices ſitum, nonniſi tribus paſſuum millibus à Tabernis Alſaticis diſtans. Childebertum Regem fundatorem omnia ejus Documenta clamant & Acta. Maurimonaſterium.

 Falluntur,

Falluntur, qui intelligunt primum, quum in Auſtraſiæ ille nunquam regnaverit. A primo Abbate S. Leobardo *Leobardi-Cella*, dein ſub Theodorico Calenſi circa An. DCCXXIV. à S. Mauro, Leobardi II. ſucceſſore ac Cœnobii reſtauratore, appellatum eſt *Mauri-Monaſterium*, quod nomen retinuit.

Monaſter. Confluentis. CONFLUENTIS MONASTERIUM, in valle Gregeriana, trium à Colmaria leucarum ſpatio, ſitum, nonnullis S. Gregorii Papæ diſcipulis, Roma circa ſec. VII. medium eo delatis, ſua initia debere creditur. Childericus II. regia auctoritate illud firmavit.

§. CCLV.

Hohenburgenſe. HOHENBURGENSE MONASTERIUM SUPERIUS auctorem habuit Etichonem, Ducem Alſatiæ, in gratiam S. Odiliæ, filiæ ſuæ, ſub Childerico II. fundatum. Regula S. Benedicti ſanctimonialibus præſcripta à multis creditur. At veriſimilius eſt, Canonicam S. Auguſtini ab initio ibi receptam fuiſſe.

Ebersheimenſe. EBERSHEIMENSE MONASTERIUM eundem, quem Hohenburgenſe ſuperius, auctorem Etichonem Ducem habuiſſe videtur, regnante quoque Childerico II. Theodoricus III. Childerici frater atque ſucceſſor, privilegiis illud contra Judices ſuos munivit circa An. DCLXXX. S. Deodatus, qui novum in Lotharingico Voſagi latere Cœnobium & ipſe exſtruxit, primus Ebersheimenſium quoque Abbas à multis cenſetur.

Weiſſenburgenſe. WEISSENBURGENSIS Abbatiæ, quæ nunc Collegiata ad Lutarim Eccleſia, origines Dagoberto primo adſcribuntur communiter, adſcribendæ ſecundo, prioris nepoti, qui Alſatiam ab An. DCLXXIV. usque ad DCLXXIX. rexit. In boreali olim Alſatiæ limite ſita, Diœceſeos, ut & Pagi, Spirenſis partem conſtituit. Pagus Spirenſis temporis progreſſu acceſſit Alſatiæ.

Blidenvelt. BLIDENVELT, quod deinceps *Clingenſe Monaſterium*, Germanice *Clingen-Munſter*, appellatum, eundem cum Weiſſenburgenſi auctorem, eadem jura ac privilegia habuit, in honorem S. Michaelis Archangeli conſtructum.

Surburgenſe. SURBURGENSIS Monaſterii, jam pridem Canonicis addicti, conditor fuit idem Dagobertus II. S. Arbogaſti, Argent. Præſulis, inductus conſilio. Extat in Pago ac ſilva Hagenoenſi, ad Suram rivum, à quo nomen accepit.

§. CCLVI.

Haſelacenſe. HASELACENSE Monaſterium S. Florentius ejusdem Dagoberti II. beneficio condidit, antequam ad Argentoratenſem, poſt S. Arbogaſti mortem, promoveretur Epiſcopatum. Inſtrumentum fundationis, quod maxime corruptum, emendavit HENSCHENIUS. (a) Collegium ibi Canonicorum ſupereſt hodieque.

D. Thomæ. Idem Florentius D. THOMÆ Cœnobium extra Strateburgum fundavit, quum ejus Epiſcopus eſſet, ſub eodem Dagoberti II. regimine. In Scotorum, vel Columbani, vel Benedicti regulam profitentium, gratiam circa An. DCLXXVI. id factum eſt. Sub Ludovico Pio An. DCCCXXX. ſeculari toga donatum jam fuiſſe creditur.

Cella S. Sigismundi. CELLA S. SIGISMUNDI, hodie *Prioratus S. Marci*, in Emunitate ſuperiore, haud procul Rubeaco, ſita in monte, Dagoberti II. liberalitati ſuos quoque natales debet, licet pro Dagoberto I. pugnarit olim recepta opinio.

Monaſt. Inferius. MONASTERIUM INFERIUS, vernacule *Nieder-Munſter*, ad radices montis, cui Hohenburgenſe vel Odilianum impoſitum, ipſa S. Odilia initio ſeculi VIII. ex paterna hæreditate conſtruxit, quod ruinis ſepultum.

§. CCLVII.

(a) *De tribus Dagobertis* Lib. II. Cap. VI.

§. CCLVII.

S.Stephani.

S. STEPHANI Parthenonem extra civitatis Argentorat. mœnia ſub Chilperico II. Adelbertus exſtruxit, Etichonis patris in Ducatu Alſatiæ ſucceſſor. (a) Primam ſimul Abbatiſſam ei dedit Attalam, filiam ſuam, quæ cum ſociis virginibus Canonicam D. Auguſtini regulam profeſſa.

Honaugienſe.

HONAUGIENSIS Abbatia, pariter ab Adelberto Duce pro Monachis Scotis inſtituta, perhibetur in Inſula Rheni circa An. DCCXX. bihorio infra Argentoratum.

Maſonis Monaſt.

MASONIS MONASTERIUM, in Sundgovia Diœceſeos Baſilienſis, ſub Theodorico IV. à Maſone, Adelberti Ducis filio, (b) conditum eſt.

Maurobacenſe.

MAUROBACENSI Abbatiæ condendæ occaſionem dedit Colonia Scotorum, quæ in hodierni Monaſterii vicinia fine ſeculi VII. conſedit. Locus hinc appellari cœpit *Vivarius Peregrinorum*. Poſtquam autem Monaſterium eo in loco, ubi adhuc ſedet, exſtructum eſt, ab alluente fluviolo *Maurobacus* dicebatur. Eberhardus Comes, Maſonis frater, Monaſterium exſtruxit, ſub eodem Rege Theodorico IV. circa An. DCCXXIV. illudque largiſſime dotavit.

Neovillarienſe.

NEOVILLARIENSE Cœnobium origines ſuas debet Sigebaldo, Metenſium Epiſcopo, deceſſore Chrodegangi. Sigebaldus quum ab An. DCCXX. ad Ao. DCCXLIV. Eccleſiæ ſuæ præfuerit, erectio Monaſterii hujus in hoc intervallo ponenda.

Arnolfesaugiæ.

ARNULFESAUGIÆ Abbatiæ fundamenta ſub Childerico III. jacta ſunt, inſtigante Pirminio. Ruthardus Comes, ex Ludovici Pii teſtimonio, ejus fundator fuit, circa An. DCCXLVIII. Ex Alſatiæ inſula Rheneuſi, trans Rhenum migravit, in illum Germaniæ locum, à quo *Schwarzach* appellatur; curante Ludovico Pio An. DCCCXXVI.

§. CCLVIII.

Lebrahenſe.

LEBRAHENSE Monaſterium à Fulrado, Alſatiæ Toparcha, S. Dionyſii dein Abbate, ſub Carolo M. circa An. DCCLXXII. fundatum eſt, in loco, qui tum *Fulradovilare*, nunc *Leberau* vocatur, in valle Lebrahenſi, quæ Seleſtadio adverſa.

Haſchovienſe.

HASCHOVIENSE Familiæ Benedictinæ Parthenium ſua initia vidit regnante Carolo M. An. DCCLXXVIII. auctore Remigio, Argentinenſi Antiſtite.

Hehrinſteinenſe.

HEHRINSTEINENSIS Partheno ſuam originem debuit Hirmengardæ, Lotharii I. Imp. conjugi; quæ quum illum in proprietate ſua, dotis loco accepta, vellet exſtruere, Confirmationem Imperatoris mariti obtinuit An. DCCCXLIX. Abbatia pridem extincta.

Monaſter. Eleonis.

ELEONIS Monaſterium Virginum Ord. Bened. Richardis, Caroli Craſſi Imp. uxor, in paterna ſua hæreditate conſtruxit, vivo marito. A rivo, illud alluente, nomen *Andlavia* ſortitum, in Canoniſſarum nobilium Collegium tractu temporis converſum.

Ex enumeratis his Alſatiæ virorum, fœminarumque Monaſteriis, ſub Francica Periodo nobiliora quæ fuerint, Regni Lothariani, ſæpe allegata, nos docet Partitio. In hac enim Ludovico Germ. adſcribuntur: *Morbach*, *S. Gregorii*, *Mauri Monaſterium*, *Eboresheim*, (Ebersheim) *Honowa*, (Honaugia) *Maſonis Monaſterium*, *Homburg*, (Hobenburg) *S. Stephani Stratsburch*, *Erenſtein*. Reliqua Alſatiæ Cœnobia eidem Ludovico ceſſerunt, ſed minus illuſtria quod eſſent, ſilentio præterita ſunt.

(a) Vide infra, ubi de Adelberto Duce agimus.

(b) Conf. quæ infra de Maſone, inter Comites Alſatiæ narrantur.

GEOGRAPH,

§. CCLIX.

Monaſt. Trans-Rhen. Coronidis loco accedit Laterculum Abbatiarum, in Argentoratenſi Diœceſi trans Rhenum ſitarum, quæ noſtris cum Alſatiæ rebus non parum cohærent.

Offonis Cella. OFFONIS-CELLA, ſeu *Schutteranſe* Monaſterium. Incunabula ejus ineunte ſeculo VII. quærenda ſunt. Auctor *Offo*, Princeps Angliæ habetur. S. Pirminius reſtaurator ejus, non fundator, ut à nonnullis traditum, dicendus.

Etinheimenſe. ETINHEIMENSE MONASTERIUM, in Brisgoviæ Mortinaviæque finibus, ad Nigræ ſilvæ pedes, conſtitutum, Widegernus, Argent. Epiſcopus, circa An. DCCXXX. ſub *Cella-Monachorum* nomine primus exſtruxit: reſtauravit vero & plurimum auxit An. DCCLXIII. Widegerni ſucceſſor Eddo, à cujus tempore frequentius Ettonianum Monaſterium (*Ettenheim-Munſter*) appellatur.

Gengenbacenſe. GENGENBACENSIS Abbatia ejusdem prope cum Etinheimenſi antiquitatis eſt, à Ruthardo Comite condita, inſtigante S. Pirminio. Ab his omnibus, una cum Schwarzacenſi, (de qua modo ſub *Arnulfesaugia* nomine inter Cis-Rhenana Monaſteria egimus) Diœceſis Argent. trans Rhenum Abbatiis, regula S. Benedicti ſervatur.

ALSA-

ALSATIÆ FRANCICÆ.

SECTIO SECUNDA, POLITICA,

SIVE

STATUS CIVILIS.

CAPUT I.

REGES AUSTRASIÆ.

§. I.

Alſatiæ Franciæ Rectores.

ALſatiæ Geographiam Francici ævi excipit Regimen civile; in cujus conſideratione Reges primum, quibus ſubjecta fuit Alſatia, dein Magiſtratus præcipui, Duces nempe enarrandi & Comites. Auſtraſiani Regni membrum fuit Alſatia, quamdiu ſub Merovingis Monarchia in Auſtriam, Neuſtriam, Burgundiamque divideretur. Poſtquam vero ſub Carolingis omnis Monarchia An. DCCCXLIII. diſtributione nova, in Franciam orientalem, occiduam, & Lotharianum regnum diſtinguebatur, Auſtraſianum nomen paulatim evanuit, atque Alſatia ex Auſtraſiana provincia, pars evaſit Lotharingiæ, donec & regno hoc inter Ludovicum & Carolum Calvum, fratres, DCCCLXX. diviſo, ad Franciam orientalem, Germaniamque tranſiret Alſatia. Ante omnia ergo Auſtraſiani, dein Lothariani enumerandi ſunt Reges, quod utriusque membrum Alſatia pedetentim evaſit; inde de Ducibus atque Comitibus, Miſſisque Dominicis, à quibus, ceu rectoribus, regia auctoritate conſtitutis, provinciæ regebantur, agendum. Comitibus ſubordinati fuerunt Vice-Comites, ſive Vicarii, Centenarii, Decani, Agentes, Sculteti, Scabini, quos tamen nonniſi generatim obiterque attingimus. Romanarum Galliæ provinciarum nec prima, nec poſtrema Monarchiæ Francorum acceſſit Alſatia. Alemanniæ, poſt Tulpiacenſem pugnam domitæ, eadem quæ ſubactæ Alſatiæ epocha eſt, quod hæc communem, cum Alemannis ſortem tum fuit experta.

§. II.

Initium Regiminis Francorum.

Clodoveus nimirum, verus Monarchiæ Francicæ conditor, inter Franciæ quoque Reges primus imperavit Alſatiæ. Pharamundum enim, in Lotharingicis Alſatiæ finibus, in monte Dononis, ſepultum, & ab eo *Framontis* (Pharamundi montis) nomen exortum eſſe, vulgaris traditionis fide qui credunt, eo minus audiendi ſunt, quod nondum

noodum expedita res eſt, Pharamundus Rex num extiterit unquam. (*a*) Mabillonius tamen traditionem non repudiandam exiſtimavit. *Chronicon* vetus Incerti, quod Chronico ſuo Mſc. Koenigshovius inſeruit, atque ex eo edidit Schilterus, (*b*) ſi audias, nec Pharamundus, nec Clodio, nec Meroveus, ſed Childericus I. Merovei ſucceſſor, omnium primus imperavit Alſatiæ. Et huic tamen opinioni Gregorius Turonicus, cæterique contrariantur Annales, qui nec in Sequanicis, nec in Germaniæ primæ ſupra Moguntiacum oris, ante pugnam Tulpiacenſem, ullum plane Imperium Francis adſcribunt. Utraque hæc Rheni ora ab Alemannis toto fere ſeculo V. occupata fuit, ut poſt reportatam demum victoriam in omnes Alemannorum terras, adeoqoe & in Alſatiam, Franci dominari potuerint. Clodoveana Monarchiæ inter filios diviſione Francica Tetrarchia quum exoriretur, Auſtraſianum quoque regnum ſuam cepit originem.

§. III.

Chronologia turbata.

Auſtraſiæ Regum Genealogicus & Chrooologicus ordo ab omnibus ſuperioris ævi Scriptoribus Francicis, ooſtriſque adeo Alſaticis, tam varie traditus eſt, ut ſuo quisque genio in ordinandis illis iodulſerit. Seculum eſt, ex quo tenebris his Valeſius, Henſchenius, Cointius, Mabillonius, Pagius, Longueruæus aliique critico ſuo judicio lucem affundere cœperunt. Merovingica hinc Hiſtoria, illa præſertim, quæ Chlotarii II. ſucceſſores reſpicit, miſere corrupta eſt, ubi nempe Gregorius & Fredegarius facem nobis præferre deſierunt.

Confuſionis cauſa.

Scilicet cum Dagoberto primo illa Chronologiæ Francicæ XL. annorum lacuna, ex Chronicorum & Annalium veterum defectu prognata, ſuum ſumit initium. In ipſo ſtatim Dagoberto I. erratum. Hujus regnandi initia quum non à morte patris, ſed ab inito primum Auſtraſiæ regno fuiſſent ſumenda, annus mortis DCXLIV. conſtitutus eſt; qoum DCXXXVIII. conſtituendus fuiſſet; adeoque totis ſex annis in unius Regis Chronologia peccatum. Errorem hunc Genealogicus error longe major comitatus eſt. Dagoberti I. ex Sigeberto filio nepos, Dagobertus II. qui à Grimoaldo, Majore Domus, An. DCLV. decenois in Scotiam ablegatus, circa An. DCLXXIV. redux, à Theodorico III. patrueli ſuo, totius Franciæ potito, partem Auſtraſiæ acceperat, ab omnibus mediæ ætatis Scriptoribus ſilentio preſſus eſt; geſtaque ejus primo tertiove Dagobertis aſſignata fuerunt. Dagobertorum confuſio oullos magis, quam Alſaticos, turbavit Annales. Hic ipſe enim Dagobertus II. iguoratus Annalibus, præcipuum ſexennii ſui tempus in Alſatia transegit; atque donis in Eccleſias effuſis, inſtitutis Cœnobiis, vel patrimonio auctis, tam liberalis in ſacrum ordinem fuit, ut nullius Fraociæ Regis munificentia Dagobertinam apud Alſatas ſuperaverit. Dagobertinas autem has largitiones non vetera Chronica modo, ſed & ipſa Alſatiæ Diplomata, quæ in hac rerum obſcuritate duces eſſe debuiſſent, obſcuriores reddiderunt. Poſtquam enim injuria temporum omnes illæ Dagoberti II. Chartæ authenticæ periiſſent, ſexcentis poſt annis reperti ſunt homines, Merovingicarum rerum, ſtylique illius ætatis ignari, qui uno omnes ore attribuerunt Dagoberto ſeniori, quod juniori tribuendum eſſe, certa hodie teſtimonia demonſtrant.

§. IV.

Confuſiones aliæ.

Eadem Dagoberti II. Chronologiæ turbatio primorum quoque Argentoratenſium Præſulum, Arbogaſti nempe atque Florentii, annos mire olim turbaverat. Wilfridus, Eboracenſis Epiſcopus, qui Dagobertum II. Francis ex Britannia remiſerat, quum Romam proficiſceretur, atque in Alſatia adiiſſet Dagobertum, hic Præſulatum Strateburgenſem, qui Arbogaſti morte vacaverat, Wilfrido obtulit. Iter Wilfridi, ejusque ex Italia reditus, Arbogaſti & Florentii annos ſtabiliunt.

Annorum Dagoberti II. confuſio in patruelium ejus, Childerici II. & Theodorici III. Auſtraſiæ Regum, Chronologiam influxit. Hi enim alternis vicibus quum præfuiſſent Auſtraſiæ, duranteque Theodorici imperio Dagobertus II. per ſexennium circiter apud Alſatas regnaſſet, violenta denique morte peremptus, viciſſitudines rerum, quibus Alſatia brevi temporis intervallo obnoxia fuit, Alſaticos Annaliſtas transverſos egerunt. Unde Etichonis quoque, Alſatiæ Ducis, turbata Hiſtoria. Omnem ergo ſeculi VII. ab An. DCXXXVIII. ad An. DCLXXX. Epocham, apud Topologum Novientenſem, Anonymum Urſtiſianum, Alberto Argent. præfixum, Kœnigshovium, Herzogium, corruptiſſimam eſſe nemo mirabitur. Nec Coccius prætereundus ſilentio eſt, qui Dagobertum

(*a*) Vide, quæ nos hac de re ſupra pag. 7. & pag. 451. (*b*) *Obſerv. V. ad Kœnigshov.* pag. 483.

Digitized by Google

GENEOGI

REGUM AU

SUB QUIBUS

CHLODOV
Childerico patri ſuccedit 481. ...
† ...

THEODERICVS I.
Rex Auſtraſiæ 511.
† 534.

CHLODOMERIS, Aurelianenſis,
occiſus in prœlio.

THEODEBERTVS I.
Rex Auſtraſiæ.
† 548.

CHARIBERTVS
Rex Pariſior.

GVNTRAMVS
Rex Aurelian.

Rex S...

THEODEBALDVS
Rex Auſtraſiæ. † 555.

Rex Sueſſion. ...
Mo...

DAGOBERTVS I.
Rex Auſtraſiæ 622. Monarcha 6...
† 638.

CHLODOVEVS II.
Rex Neuſtr. & Burgund. 638.
Monarcha 656. quo obiit.

SIGEBER...
à patre quadrim...
633. † Kal. Feb. 6...
Grimoaldus ...

CHLOTARIVS III.
Monarcha 656. † 671.
Huic Ebroinus,
Domus Major,
filium affinxit Clodoveum.

CHILDERICVS II.
Rex Auſtraſ. 660.
Fuit in Alſatia 668.
Monarcha 671.
occiſus 674.

THEODERICVS III.
Monarcha 679.
† 691. ſub ipſo
Pipinus Heriſt.
Major Domus.

DA...
Rex ...
Kriem...

cum ...

CHILPERICVS II.
Daniel antea dictus, Dagoberto III.
ſuccedit 715. Auſtraſiam amittit 717.
recuperat 719. † 720.
Carolus Martell. Major Domus.

CHLODOVÆVS III.
ſolus patri ſuccedit 691.
† 695. Pipinus Heriſt.
Major Domus.

CHILDEBERTV...
Monarcha 6...
† 711. ...
Pipinus Ma...
Domus.

CHILDERICVS III.
Theodorico IV. poſt interregnum 5. annor.
ſuccedit An. 742. à Pipino Brevi, Majore
Domus, exauctoratus in Monaſterium
Sithiu detruditur An. 752. ultimus
Merovingor.

DAGOBERTVS
patri ſuccedit 711. † 71...
Major Dom...

THEODERICVS IV.
Chilperico II. ſuccedit 72...
Carolus Martellus Præfect...

Digitized by Google

Ad Pag. 741.

APHIA

STRASIÆ,

ALSATIA

VS M.
Alemannos profligat 496.

CHILDEBERTVS I.
ſedet Pariſiis.

CHLOTARIVS I.
Rex Sueſſion. 511. Aurelian. 526.
Auſtraſiæ 555. Monarcha 558.
† 561.

CHILPERICVS I.
Sueſſion. Ux. Fredegunda.

SIGEBERTVS I.
Rex Auſtraſiæ, occiſus An. 575.
Ux. Brunehildis.

CHLOTARIVS II.
584. Monarcha An. 613. quo
arolegium veuit. † 628.

CHILDEBERTVS II.
Rex Auſtraſ. 575. Strateburgi fuit An. 589.
Marilegii 590. Rex Aurelian. 593. † 596.

CHARIBERTVS II.
Rex Aquitan. 628. † 630.

THEODEBERTVS II.
Rex Auſtraſ. 596. occiſus 612.

THEODERICVS II.
Rex Burgund. & Alſatiæ 596.
Saloiſſæ cum fratre transegit 610.
Auſtraſiam occupat 612. † 613.

SIGEBERTVS II.
à Chlothario II. interfect. 613.

RTVS III.
Auſtraſiam accipit
656. inter Sanctos.
Maj. Domus.

AGOBERTVS II.
is Auſtraſiæ 674. Sedes ejus
nii. Interfectus 679.

SIGEBERTVS
occiſus, & Divis adſcriptus.

II.

CHLOTARIVS IV.
pro Theodorici III.
filio habetur.
Chilperico II. opponitur
717. † 719.

III.
Pipinus Heriſtall.
as.

Calenſis,
o. † 737.
us Palatii.

* * * * * * *

PIPINVS, de Landis.
† 639.

GRIMOALDVS
Major Domus 639.
depoſit. 656.

BEGGA,
Uxor Anſegiſi, filii S. Arnulphi
Maj. Dom. ſub Dagob. I.
dein Epiſc. Metenſ.

CHILDEBERTVS
Auſtraſiæ Rex à patre
intruſus, 656. per 7.
menſes.

PIPINVS HERISTALLIVS,
Major Domus Auſtraſiæ
680. † 714.

CAROLVS MARTELLVS
Major Domus 715.
† 741.

CAROLOMANNVS
Major Domus
Auſtraſ. 741-747.

PIPINVS BREVIS
Major Domûs 741.
Rex Franciæ 752.
† 768.

CAROLVS MAGNVS.

CAROLOMANNVS
Rex Auſtraſiæ 768.
† 771. d. 4. Dec.

bertum Magnum Alſatis ſuis patronum , in Eccleſias munificentiſſimum proponens, avo encomia tribuit, quæ tribuenda nepoti. Tenebris iiſdem involuta fuit Sigebertorum Hiſtoria, qui Auſtraſios quoque noſtros reſpiciunt. Scilicet in anno obitus S. Sigeberti mire etiam variant Chronologi. Uterque Dagobertus filium habuit Sigebertum; quorum. poſterior cum Dagoberto II. occiſus eſt; hunc cum priore confuderunt Scriptores. Mos illorum temporum, ut innocens, quavis ex cauſa occiſus, martyr ſeu *Sanctus* diceretur. Inter quatuor Sigebertos Merovingorum primus, ſecundus & quartus, violenta morte perierunt. Tertius, qui Dagoberti II. pater morteque naturali occubuit, inter Divos quoque relatus eſt, forte quod poſteri avum cum nepote confuderant. In hac incertitudine rerum & diſcrepantia Hiſtoricorum Chronicus Regum Auſtraſiæ præmittendus eſt Canon, quem ex diverſis Chronologorum ſyſtematibus concinnavimus , ut Ducum, Comitum; Diplomatumque Alſaticorum Chronologia ad normam ejus poſſit conſtitui.

§. V.

CANON CHRONICUS
REGUM AUSTRASIÆ.

CHlodoveus M. Alſatiam Francico jungit Imperio , cui ipſe præeſt usque ad An. DXI. *An. Chr.* 496.

Theodericus I. quatuor Cblodovei filiorum natu maximus, at ex dubio ſanguine ortus, Regnum Auſtraſiæ, cui addita Alſatia, per viginti tres annos occupat, & ad poſteros ſuos transmittit. 511.

Theodebertus patri defuncto ſuccedit in Regno Auſtraſiæ , & anno regiminis ſui decimo quarto, vel Ær. Chriſt. DXLVIII. moritur. (*c*) 534.

Theodebaldus, filius ejus, & ex Theoderici ſanguine Regum poſtremus, diem ſupremum obut An. DLV. (*d*) 548.

§. VI.

Clotharius I. Rex Sueſſionenſis, Chlodovei M. filius natu minor, Theodebaldum, fratris ſui nepotem , apud Auſtraſios excipit; imo triennio poſt omnis Francorum Imperii, quaqua patuit, hæres fit atque Monarcha. Obiit ſub finem anni DLXI. 555.

Sigebertus I. ex ſciſſa iterum poſt patris obitum Monarchia quatuor in partes Auſtraſiam obtinet; cui ad An. DLXXV. usque præeſt, quo fratris ſui Chilperici I. vel uxoris ejus Fredegundæ, dolo interfectus eſt. Succeſſit ipſi 561.

Childebertus filius, qui Burgundiæ Regnum An. DXCIII. cum Auſtraſia junxit, & veneno petitus ſuccubuit An. DXCVI. 575.

Theodericus II. Childeberti filius natu minor, Burgundiæ noſtræque Alſatiæ hæres à patre conſtituitur. 596.

Theodebertus II. Rex Auſtraſiæ reliquæ, à fratre Theodorico II. Alſatiam per Pactum Selzenſe recipit, eamque per biennium, quo adhuc vixit, ſua ſub poteſtate retinet. 610.

(*c*) Doctiſſimi Auctores Libri: *L'Art de verifier les dates des faits hiſtoriques* &c. pag. 472. Theodeberti mortem ad An. DXLVII. ponunt; refragante GREGORIO TURON. qui *à tranſitu Clodovei M. usque in tranſitum Theodeberti annos triginta ſeptem* computari, hancque *anno regni ſui quarto decimo* obiiſſe, teſtatur, *Hiſtoria Francor.* Lib. III. Cap. XXXVII. Conſentit MARIUS AVENTICENSIS in *Chronico* apud DU CHESNE Tom. I. pag. 213. ubi ſcribit: *Poſt Conſulatum Baſilii An. VII. Indict. XI. Theudebertus Rex magnorum Francorum obiit.* Egregie hæc omnia conſpirant pro An. DXLVIII. unde ſi quæ in contrarium afferri poſſunt, ea his poſtponenda eſſe duco.

(*d*) Iidem cum BOUQUETO duorum iterum annorum defectu hic peccare nobis videntur , quando Theodebaldi mortem in An. DLIII. ponunt. Ex priore anachroniſmo poſterior ortus eſt. Ex TURONENSI & MARIO AVENT. medela iterum affertur. Ille Regem *ſeptimo regni ſui anno;* hic *poſt Conſulat. Baſilii anno XIV. Ind. III.* ad plures abiiſſe perhibent. Continuator *Chron.* MARCELLINI COM. apud CHESNIUM Tom. I. pag. 517. ſibi ipſe contradicit, quando Theodebaldi obitum ad Indict. I. P. C. Baſilii An. XII. & Clotharii I. An. XLIV. refert. Priora enim in An. Chr. DLIII. Clotharii vero epocha in An. DLV. incidunt.

§. VII.

An. Chr. 612. Theodericus II. victo fratre Theodeberto atque occiſo, Alſatia iterum cum omni Auſtraſiæ Regno potitur; ſed & ad breve temporis ſpatium, quod anno ſequenti præmatura quoque, at naturali, morte fuit extinctus.

613. Clotharius II. cognomento Magnus, Sigebertum, Theoderici filium, qui Auſtraſiæ hæres credebatur, ſtatim poſt patris obitum neci dedit, ſeque adeo totius Monarchiæ Francicæ, ad Clotharii I. inſtar, cujus per Chilpericum I. nepos erat, Regem conſtituit.

622. Dagobertus I. ſive Magnus, Regno Auſtraſiæ præficitur, quod ſeparatim ad An. DCXXVIII. menſem Sept. usque poſſedit, Franciam quo omnem patre Clotharii I. mortuo regendam accepit.

633. Sigebertum III. trimulum Dagobertus pater Auſtraſiæ imponit ſolio, quod ei moriens quoque An. DCXXXVIII. relinquit, traditis Neuſtriæ Burgundiæque regnis alteri filio Clodoveo II. Sigebertus vivere deſiit Kal. Febr. DCLVI. (*e*)

656. Childebertus, filius Grimoaldi, Majoris Domus, in locum Dagoberti II. quem Sigebertus filium reliquerat, ſolio Auſtraſiorum imponitur, ex quo tamen poſt VII. menſes iterum à Clodoveo II. Sigeberti fratre, dejicitur. (*f*)

§. VIII.

An. eod. Chlodoveus II. ergo, qui Neuſtriam hactenus & Burgundiam rexerat, Auſtraſiæ Regno imperare & cœpit & deſiit. Nam ante Kal. Nov. præmatura pariter morte ſublatus eſt. (*g*)

Clotharius III. filius Chlodovei II. natu maximus, quarto ſuæ ætatis anno patri univerſa in Monarchia ſuccedit. Quadriennio tamen poſt Auſtraſiam fratri ſuo Childerico II. matris auctoritate relinquit. (*h*)

Childe-

(*e*) Sigebertum III. An. DCXXXIII. Regem Auſtraſiæ factum, eodem ex fundamento aſſerimus, ex quo alii ad An. DCXXXII. vel DCXXXIV. id referunt. Res miratu digna ſane, quam paucis Lectori ponemus ob oculos. Conveniunt ſcilicet omnes in eo, quod Dagobertus I. filium Sigebertum ad Auſtraſiæ ſolium promoverit *anno XI. regni ſui*; uti Fredegarius *Chron.* Cap. LXXV. Geſta item Dagoberti I. (apud Du Chesne *Scriptor. Rer. Franc.* Tom. I. pag. 581.) & *Chronicon Divionenſe* (apud Dacherium *Spicileg.* Tom. I. pag. 384.) verbis diſertis produnt. Jam vero res pariter indubia eſt, Dagobertum I. An. DCXXII. regnare cœpiſſe, quibus ſi XI. addas, progreditur inde annus DCXXXIII. non DCXXXII. quem præter alios Gebhardi aſſumit in *Regib. Francor. Merovingr. documentorum autoritate aſſertis* pag. 119. neque etiam annus DCXXXIV. uti Longuemarius putat in *Diſſert. ſur la Chronologie des Rois Merovingiens* pag 6. His jam ſtabilitis, lux nobis oritur, quo verum mortis Sigeberti noſtri annum eruamus, de quo longe major inter Eruditos contentio. Plurimas hac ſuper re ſententias allegat Gebhardi Lib. cit. pag. 120. quas inter potiores, & à nobis examinandæ, ſunt tres. Quæritur Sigebertus II. num An. DCLIV. DCLV. an DCLVI. obierit? Cointius primam in *Annal. Eccleſ.* ad An. DCXLIX. num. 7. tuetur: Mabillonius *Analect. Vet.* Tom. I. pag. 530. Longuemarius loco cit. pag. 11. Gebhardi aliique defendunt ſecundam. Tertia Longuerueo *Annal. Francor.* Bouqueto, nuperisque *Artis Chronologicæ* Auctoribus placet. Pro hac ultima ſtandum nobis videtur. Rationes pro ea adverſarii ipſi ſubminiſtrant. I. Favet Sigeberti Gembl. *Chronicon.* II. *Chronicon Breviſſimum*, uti appellatur, (apud Du Chesne *Script. Franc.* Tom. I. pag 781.) hæc circa tempora conditum, quod Sigebertum annos XXIII. regnaſſe ſcribit. Jam initium ejus regiminis ab An. DCXXXIII. repetas, addasque hos XXIII. annos, quinquageſimus ſextus profecto poſt ſexcenteſimum inde prodibit. III. In *Vita S. Deſiderii*, Cadurcenſis Epiſcopi, cujus hac in re auctoritatem adverſarii admittunt, Deſiderius ad Albigenſes profectus ſcribitur *anno Sigeberti XVII. & Epiſcopatus ſui An. XXVI.* apud Labbeum *Biblioth. Mſ.* Tom. I. pag. 711. coll. Tomi II. Appendice, pag. 2. & Mabillonii *Supplem. Diplom.* Cap. VII. Art. III. Sigeberti vero annos à patris Dagoberti I. morte ſeu ab An. DCXXXVIII. & Deſiderii Epiſcopi ab An. DCXXIX. hic numerari, omnes pariter conſentiunt. Facile hinc patet, epochas has in An. DCLV. incidere, quo uterque illorum vixerat. Sed Deſiderius quum paulo poſt in itinere die XV. Nov. obierit, eadem ejus vita teſtante, ac Sigeberti dies emortualis Kal. Febr. celebretur, hunc menſibus aliquot vivendo illum ſuperaſſe, nec ante Kal. Febr. DCLVI. mortuum eſſe, manifeſto apparet. Fragmenta *Vitæ S. Deſiderii*, quæ Guillelmus de la Croix in *Serie & Actis Epiſcoporum Cadurcenſium* dedit pag. 31. ubi Deſiderius anno Epiſcopatus ſui vigeſimo tertio Albigenſes petiiſſe ac ſupremum obiiſſe diem legitur, non ex optimæ notæ Codice Moiſiacenſi deſumta ſunt.

(*f*) Ita Chronographi plerique tempus regni Childeberti hujus introſi ſupputant; ac *Chron. Breviſſ.* corrigunt, quod annos VII. ei aſſignat. Ignoro rationes, cur in Libro: *L'Art de verifier les dates &c.* pag. 481. ſcribatur, regnum iſtud VII. tantum dierum fuiſſe; quum ex Flodoardo tamen conſtet, Childebertum regiam poteſtatem exercuiſſe, & Eccleſiæ Rhemenſi Diploma immunitatis à tributis conceſſiſſe.

(*g*) Vid. Jo. Lud. Lev. Gebhardi *Reges Francor. Merovingr. documentorum autoritate aſſerti*, pag. 141.

(*h*) Cel. Longuemarius in *Diſſert. ſur la Chronologie des Rois Merov.* pag. 38. hoc An. DCLXI. demum factum contendit. Admitti ejus ſententia poteſt, ſi initium iſtius anni Auctor intelligat. Malumus tamen communi ſententiæ inhærere, quæ finem anni DCLX. præfert.

Childericus II. Auſtraſiæ ſoli præeſt usque in An. DCLXXI. quo Neuſtriæ & Burgundiæ regna, poſt Clotharii III. mortem, Theodorico fratre inde ejecto, ſibi quoque vindicat; trucidatus initio An. DCLXXIV. (*i*) *An. Chr.* 660.

Dagobertus II. circa idem tempus, quo Clodoveus, filius Clotharii III. ſuppoſititius, promovente Ebroino, à magna Auſtraſiorum parte Rex ſuſcipitur, ex Hibernia, ubi à patris Sigeberti II. obitu per octodecim annos exul vixerat, in Auſtraſiam reducitur, & ex ſuo tandem patrimonio aliquam partem, Alſatiam potiſſimum, recuperat. Quinquennio poſt morte violenta, una cum Sigeberto filio, periit die XXIII. Dec. An. DCLXXIX. (*l*) 674.

§. IX.

Theodericus III. eam, quam Dagobertus tenuerat, Auſtraſiæ partem occupat, totius Francorum Imperii Monarcha. Deceſſit initio anni DCXCI. 679.

Clodoveus III. patrem in Monarchia quum excepiſſet, poſt IV. annos moritur, initio ſcilicet An. DCXCV. 691.

Childebertus III. ſucceſſor fratris, ſolium occupavit ad diem XIV. April. usque DCCXI. 695.

Dagobertus III. filius atque ſucceſſor Childeberti III. obiit menſe Junio DCCXV. 711.

 Chilpe-

(*i*) Levem Scriptorum diſſenſum eſſe judico, qui Childerici II. regimen mox XIII. mox XIV. annorum faciunt, ejusque mortem vel ad An. DCLXXIII. vel DCLXXIV. referunt. Non enim de annis integris, ſed de menſibus, vel & diebus, poteſt eſſe quæſtio, quos vero hactenus nemo definiverit. Childericum vero menſe Mart. DCLXXIII. adhuc inter mortales verſatum eſſe, teſtimonium longe certiſſimum Diploma ipſius, Monaſterio S. Gregorii datum An. XIII. regni, exhibet, de quo ſub Dagoberto II. prolixius dicendi erit occaſio. Si initium vero ejus regni ad An. DCLXI. ponas, quod facit Longuemarius, dubitare non poteris, illum An. DCLXXIV. demum obiiſſe.

(*l*) Regnum Dagoberti II. maxime, ſi quod unquam, tenebris obvolutum, imo per plura olim ſecula plane ignoratum fuiſſe, norunt omnes, qui vel obiter Hiſtoriam Francicam inſpexerunt. Noſtram Alſatiam proxime quum ſpectet, chronologia ejus paulo accuratius a nobis examinanda erit; ubi lubens quidem fateor, difficillimum id fore, neque facile dubitaturum, quænam Criticorum ſententia mihi ſit præferenda, niſi domeſticum quoddam documentum, omni exceptione majus, ad manum haberem. Servatur in Monaſterio S. Gregorii Diploma Childerici II. autographum, quod *Chadicho* ſeu Attico *Duci & Rodeberto Comiti* inſcriptum, quodque Lunigius pridem, & ex Mabillonii ſchedis nuper Rev. Bouquetus Tom. IV. *Scriptor. Franc.* pag. 652. ediderunt; at multis in locis vitioſum. In fine ejus hæc legimus: *Childericus Rex recognovit. Datum ſub die quarto quod facit menſis Marcius anno XIII. regni noſtri.* Incidit hæc epocha in An. DCLXXIII. initio Childerici Regis ab An. DCLX. deducto, vel & in An. DCLXXIV. ſi cum Longuemario initium regni ejus ad annum ſequentem referas. Quidquid ſit, illorum profecto ſententia teſtimonio hoc prorſus evertitur, qui Dagobertum II. ſub Childerico jam circa An. DCLXXI. ex Hibernis reducem, & Auſtraſiæ ſolio impoſitum eſſe volunt. Extant inter hos potiores Labbeus, Mabillonius, P. Daniel & dictus modo Longuemarius; quibus vero adverſati ſunt Valesius, Henschenius, Pagius, Cointius, Gerardi, aliique magno numero; Dagobertum poſt Childerici II. mortem demum regimini admotum ſtatuentes. Æquo utrimque argumentorum pondere quum pugnari videretur, quid mirum, maximos utramque ſententiam Viros nactam eſſe ſequaces? Facile autem diſſenſum iſtum caveri potuiſſe arbitror, ſi Diploma noſtrum cuique inſpicere licuiſſet. Childericus II. enim ſi brevi ante obitum ſuum tempore regiam adhuc in Alſatia poteſtatem exercuit, dum privilegia Monaſteriis concederet, & Alſatiæ Duci mandata ſua injungeret, quid evidentius, quam Dagobertum II. nondum tum in Alſatia imperaſſe, quæ tamen præcipua regni ejus provincia fuerat? Hujus itaque initium recte ad An. DCLXXIV. ponitur; quo turbæ illæ in Auſtraſia poſt Childericum occiſum exortæ, Theodoricum III. inter ſcilicet ac Ebroinum, qui Clodoveum Auſtraſiis Regem obtruſerat. Tum enim Dagobertus, ab amicis domum revocatus, inſignem Auſtraſiæ partem obtinuit, conſentiente ſine dubio Theodorico III. cum quo tamen poſtea bellum geſſit, ut in Annalibus Francicis dicetur. Annum mortis Dagoberti II. ex *Vita S. Wilfridi*, Eboracenſis Epiſcopi, qui illum paulo ante adierat, definiendum eſſe, omnes conſtanter aſſerunt. Reliquerunt eam nobis deſcriptam Fridegodus, qui circa medium ſec. X. vixit, & Eadmerus, ſeculi XII. auctor, in Bollandi *Actis SS.* Menſ. April. Tom. III. pag. 293. & apud Mabillon *Act. SS. Bened.* Sec. III. Part. I. pag. 152. ſqq. Scilicet Wilfridus, è patria navi, quum Romam peteret, in Auſtraſiæ tranſitu Dagobertum II. adiit, quem in Hibernia olim exulem benigne ſuſceperat, & multum curaverat, quo ſalvum domum rediret, ibique ſolium patris in Auſtraſia conſcenderet. Wilfridus, inde Romam profectus, in ſuo ad Auſtraſios poſt aliquot menſes reditu, Dagobertum per ſicarios è medio ſublatum invenit, ſicuti in ejus vita uberius exponitur. Eo itaque difficultas redit, ut tempus hujus Wilfridi itineris accurate evolvatur, quod alii in An. DCLXXVII. & ſequentem, alii DCLXXIX. & DCLXXX. ponunt. Priores id mihi non ſatis attendiſſe videntur, quod Agatho tum ſedi Romanæ præfuerit, teſtante verbis expreſſis Eadmero, cui Pontifici Wilfridus cauſam ſuam expoſuit, eamque in Synodo, menſe Octobri, Indict. VII. ſeu An. DCLXXIX. coacta, publice defendit. Hæc nobis perſuadent, ut cum Mabillonio & Longuemario diem Dagoberti ſupremum in eundem annum DCLXXIX. rejiciamus, poſthabitis iis, quæ Pagius & ejus ſequaces in medium proferunt. Imo & diem XXIII. Dec. dicti anni cum iisdem placet admittere, quippe quo apud nonnullos Dagobertus martyr & ſanctus colitur.

POLITICA.

An. Chr. 715. Chilpericus II. filius Childerici II. Daniel antea dictus, poſt XLI. annorum à patris morte intervallum, quo à ſucceſſione excluſus fuerat, Rex Franciæ ſalutatur; mox tamen à Carolo Martello iterum è ſolio, Auſtraſiorum ſaltem, dejiciendus, quod factum ſine anni DCCXVII.

717. Clotharius IV. de cujus patre inter Criticos multum diſquiritur, plerisque illum Theodorico III. filium aſſignantibus, à Carolo Martello in locum Chilperici II. Rex Auſtraſiæ ſurrogatur, donec poſt anni & aliquot menſium qualecunque regimen obiret An. DCCXIX.

719. Idem Chilpericus II. denuo Rex Auſtraſiæ aſſumitur, morte ſublatus exeunte An. DCCXX.

§. X.

720. Theodericus IV cognomento *Calenſis*, Dagoberti III. filius, poſt regimen XVII. annorum obiit An. DCCXXXVII. (*m*) Interregnum inde in Monarchia Francica ſecutum, quod quinque circiter annos duravit. (*n*)

742. Childericus III. qui maxima probabilitate filius Chilperici II. creditur, ſeriem Regum Meroveadum claudit An. DCCLII. cujus menſe Martio à Pipino, Majore hactenus Domus, & Caroli Martelli filio, depoſitus ac in Monaſterium S. Bertini Sithunenſe detruſus eſt. (*o*)

752. Pipinus Brevis, Caroli Martelli filius, ex Majoratu Domus tranſit in ſolium, conſenſu Procerum in Regem coronatus. Obiit VIII. Kal. Octobr. anno regni ſui decimo ſeptimo. (*p*)

768. Carolomannus, Pipini filius natu minor, Auſtraſiam regendam obtinet, cui nonniſi III. annorum, totidemque fere menſium ſpatio præeſt. Deceſſit enim pridie Non. Decembr. DCCLXXI. (*q*)

771. Carolus M. cum Neuſtriæ & Burgundiæ Regnis, quæ vivo patre tenuerat, Auſtraſiam conjungit, totique adeo Monarchiæ per integros XLII. annos feliciſſime imperat, mortuus Aquisgrani V. Kal. Febr. DCCCXIV. (*r*)

(*m*) Quanquam nullas, obſervante MABILLONIO, de Theodorico IV. Chartas poſt Murbacenſem habemus, quæ An. VII. regni ejus vel An. Chr. DCCXXVII. data; plures tamen huic poſteriores in Codice Diplomatico producemus, quæ en fine annos regni hujus Principis ſignant: ut adeo ex defectu Diplomatum ipſius Theodorici nihil ad mortem ejus poſſit concludi. Poſtrema ex Chartis illis Precaria eſt Hildofredi cujusdam ad Romanum, Maurobac. Abbatem, in cujus fine legitur: *Factas precarias anno ſexto decimo regnante Theoderico Rege.* Certum itaque eſt, Theodorici regimen XVI. annos ſuperaſſe, decimumque ſeptimum attigiſſe, uti *Chronicon Breviſſimum* vel *Tilianum*, atque *Rhemenſe*, teſtantur apud CHESNIUM Tom. I. pag. 781.

(*n*) LONGUERUANIUS interregno huic ſeptem annos aſſignat conſtanter, quum ipſa tamen, quæ profert, argumenta ei aperte contrarientur. Acta Concilii Sueſſionenſis allegat, quod habitum *V. Nonas Mart. Luna XIV. anno Chr. DCXLIV. in anno II. Childerici Regis*; & Diploma ipſius Childerici, quod datum *VII. Id. Sept. anno X. Regni Domni noſtri Ildrici Regis*, apud GOLDASTUM *Rer. Alemannicar.* Tom. II. num. 40. Hæc docent, Childericum III. jam ante menſem Mart. An. DCCXLII. ſolium conſcendiſſe, adeoque interregnum nonniſi quinque fuiſſe annorum, ſi à Theodorici IV. morte initium ejus ducas, unde omnes ſentiunt eſſe ducendum.

(*o*) De celebri hac converſionis rerum Francicarum epocha vide omnino GEBHARDI *Reges Franc. Merov. documentorum authoritate aſſertos* pag. 154 ſeq. Nos invictam & certiſſimam illorum ſententiam eſſe credimus, qui regnum Childerici III. decennio ab An. DCCXLII. usque ad DCCLII. includunt; cujus vero fundamenta hic recenſere non opus eſt. Ita malumus etiam Childericum filium cum junioribus aſſignare Chilperico II. quam Theodorico IV.

(*p*) *Annales Nazariani* ac *Petaviani*, & *Chronicon Breve*, quæ omnia ſub Carolo M. exarata, apud BOUQUET. *Scriptor. Francicor.* Tom. V. pag. 11. 13. & 29. Non deſunt quidem & inter Alſatica monumenta Chartæ pagenſes, quæ decimo octavo, imo & decimo nono, regni Pipiniani anno ſignatæ leguntur. Traditio Uſterici ad Monaſt. Murbac. facta *ſub medio menſe Aprilis, anno XVIII. regnante Domino noſtro Pipino Rege.* Sigfridi Dynaſtæ pro Altmanno filio Charta in fine hæc habet: *Datum quod fecit die dominico VIII. Kal. Auguſti An. XVIIII. regnante Domino Pippino, glorioſiſſimo Rege.* Sed initium hi ejus Regni altius, quam à Childerici III. in Cœnobium detruſione, repetunt, quod jam An. DCCL. directa legatio ad Zachariam Papam, de Pipino in Childerici locum ſubſtituenda. Anno ſequenti Francorum ad Pipini coronationem compoſiti ſunt pedetentim animi, quæ An. DCCLII. ineunte facta.

(*q*) *Annales Nazariani* & *Petaviani* loco allegat.

(*r*) *Chron. Breviſſ.* S. Galli, quod circa hoc tempus conditum, in BOUQUETI *Scriptor. Franc.* Tom. V. pag. 31. *Annales Francor.* ibid. pag. 62. &c.

POLITICA.

§. XI.

Ludovicus Pius triennio poſt, quam ſolium occupaſſet, Imperii ſocium ſib junxit Lotharium, filium natu majorem, (s) quæ res Noviomagi à proceribus Regni firmata An. DCCXXI. Vita plures inter motus domeſticos miſere tranſacta, diem ſupremum obiit XII. Kal. Julii An. DCCCXL. (t) *An. Chr.* 814.

Extincto Ludovico Pio, Alſatia per triennium in dubio relicta, quemnam ejus filiorum habitura ſit Regem. Lotharium, natu majorem, qui omnia ad ſe trahere ſtuduit, eodem, quo pater defunctus erat, anno jus Alſatis dixiſſe reperio, usque ad initium ſequentis. (u) 840.

Mutata rerum in Alſatia facies, quum Ludovicus Germ. menſe Majo Rhenum tranſiret, Galliam armatus invaderet, ſibique magnam Auſtraſiæ Gallicæ partem ſubjiceret. Paruit illi Alſatia dein usque ad pacem Virodunenſem, quæ menſe Auguſt. An. DCCCXLIII. inita. (x) 841.

Lotharius Imp. Pace Virodunenſi cum ampliſſima illa Francici Regni parte, quæ Lotharii Regnum dein appellata, noſtram quoque Alſatiam accepit, eamque jure hæreditario ad poſteros ſuos tranſmiſit. 843.

Lotharius Junior, filius Lotharii Imp. natu ſecundus, à patre, paucis ante mortem diebus ſolio valedicente, maximam Lothariani Regni portionem, cui attributa Alſatia, gubernandam obtinet. (y) Superfuit inter mortales usque in menſem Aug. An. DCCCLXIX. quo Placentiæ obiit, Regum ante Periodum Germanicam in Alſatia poſtremus; (z) quæ Ludovici, Germaniæ Regis, & ſucceſſorum ejus imperio deinceps conſtanter fuit ſubjecta. 855.

(s) Auctor Anonymus *Vita Ludovici Pii* Cap. XIX. EGINHARDUS *de Geſtis Ludovici Pii* ad An. DCCCXVII. apud BOUQUET. Tom. VI. pag. 101. & 177. Lotharii cum patre Co-imperium plures etiam Chartæ Alſaticæ teſtantur, in quibus vero anni ejus regni non ab An. DCCCXVII. ſed à Conventu Noviomagenſi, qui quadriennio poſt habitus eſt, ut plurimum computantur.

(t) ANNALES BERTINIANI ad An. DCCCXL. NITHARDUS *Hiſtoria* Lib. I. Cap. VIII.

(u) Lotharius Sigismaro, Murbacenſium Abbati, Diploma dedit *VIII. Kalend. Auguſti, anno Imperii Domni Hlotharii pii Imperatoris XXI. Indict. III. Actum Stratzburc civitate.* Venit tum cum exercitu ex Italia, & per Alſatiam ad Moguntiacum usque progreſſus eſt, ubi cum fratre Ludovico Germ. pactum iniit. Vid. *Annales Fuldenſes* ad An. DCCCXL. apud BOUQUETUM Tom. VII. pag. 159. A partibus Lotharii ſtabant præter alios Archiepiſcopus Mogunt. & Adelbertus, Auſtraſiorum Dux, qui paulo poſt in prœlio cecidit. NITHARDUS *Hiſtor.* Lib. II. Cap. VII. & IX. Non tantum Imperatoris, ſed & Franciæ Regis hinc titulum uſurpavit Lotharius, cujus rei epocham à patris obitu ipſe deduxit. Conf. Diploma ejus, quod Moguntiæ dedit, anno Imperii in Italia XXII. in Francia II. Indict. IV. apud SCHANNATUM in *Vindic. Archivi Fuld.* pag. 67.

(x) Rudolphus, Argent. Epiſcopus, hanc ſine dubio converſionem præviderat, quum Ludovici appropinquantis gratiam ambiret, ac Francofurti Privilegium Confirmationis ab ipſo obtineret, *III. Cal. April. An. XXIII. Hludowici Regis in Orientali Francia, Indict. IV.* Firmatum his in partibus Ludovici regimen prœlio Fontanetenſi, quod VII. Kal. Julii ejusdem anni commiſſum, quoque Lotharius in fugam converſus. Licet enim hic paulo poſt ad Rhenum, & Moguntiæ quidem, Wormatiæ, imo & Spiræ, comparuerit iterum, brevi tamen interiorem Galliam repetiit, populosque adeo Rhenenſes Ludovici ſub ditione ſecuros reliquit. ANNALES FULD. Dein An. DCCCXLII. menſe Febr. celebris ille Conventus duorum fratrum, inter ſe junctorum, Ludovici Germ. nempe & Caroli Calvi, inſtitutus Argentorati. Ille etiam IIII. Cal. Junias in Sundgovia *Serencia* verſatus eſt, ubi Murbacenſibus Diploma dedit.

(y) Privilegium dedit Monaſterio S. Gregorii *IIII. Februar. anno Chriſto propitio regni Domni Hlotharii glorioſi Regis primo, Indict. IV. Actum Aquisgrani Palatio Regio.*

(z) *Chron. Breve* ANDREÆ Presbyteri, apud BOUQUET. Tom. VII. pag. 204. *Chron. S. Galli* ibid. pag. 208. *Annales Bertiniani, Metenſes* &c. VI. Idus Aug. Lotharium obiiſſe ſcribunt, non menſe Julio, quem *Annales Fuld.* male produnt.

CAPUT II.

DUCES ALEMANNIÆ, SUB QUIBUS ALSATIA.

§. XII.

Duces in genere.

ALemannia, poſt Tulbiacenſem victoriam, à Francis ſubacta, rectorem accepit Ducem; unde Alemanniæ Ducatus, ſub quo comprehendebatur Alſatia. Hæc ab Alemannis, poſt Romanos ejectos, poſſeſſa, cum Alemannis devicta, communem dein cum omni Alemannia ſortem experta eſt. Romanis veteribus Dux fuit *Adminiſtrator belli gerendi*; cujus poteſtas vocabatur *imperium*, Conſulibus atque Prætoribus, ſub Republ. libera, commiſſum. Sub Cæſaribus Ducum nomen paulatim ad Provinciarum limitanearum Præfectos cœpit transferri. Poſtumum, antequam affectaret Imperium, Trans-Rhenani limitis, qui hodiernam fere Alemanniam complexus eſt, Ducem fuiſſe, annotat TREBELLIUS POLLIO. (*a*) Sub Imperatoribus Chriſtianis Rhætiarum, aliosque Duces reperimus. Formula hæc Ducum à Romanis ad Francos, & per eos in Germaniam, uti in Italia ad Gothos Longobardosque, transivit. Apud Italos-Longobardico ævo majores minoresque Duces reperio. Illis plures Civitates, ſeu integra Provincia, his una Civitas regenda tradebatur. (*b*) Urbani Duces apud Francos rariores; (*c*) qui urbes crediderunt Comitibus; idemque, occupato Longobardico Regno, apud Italós introduxerunt. Moris ergo Francici fuit, toti Provinciæ plerumque ut Dux præficeretur. Sub Duce Comites plures, ad arbitrium Regum, conſtituti. Turonicæ atque Pictavæ urbium Comites à Childeberto Rege obtinuerunt, ut Ennodius Dux, cui obnoxii erant, removeretur. (*d*) Quæ de XII. Comitibus, uni Duci ſubjectis, PETRUS PITHOEUS, (*e*) conjecit, fundamento deſtituuntur. ANNALISTA FULDENSIS, (*f*) cum REGINONE & SIGEBERTO, (*g*) ſcribit, Pipinum Grifoni fratri, in partibus Neuſtriæ, duodecim Comitatus dediſſe, ubi nonnulli *more Ducum* addiderunt. Ab exemplo hoc ad cætera cave concludas. Formula Ducatus, apud Marculfum, Ducibus mandat, ut populos, ſibi creditos, Francos, Romanos, (*h*) Burgundiones, ſecundum legem & conſuetudinem ſingulorum regerent.

§. XIII.

Alemanniæ Duces.

Alemanniam poſt Tulbiacenſe prœlium, ſi non omnem, magnam tamen ejus partem, omniumque primum Alſatiam, Clodoveus ſubegit; reliqua, cum Bajuvariis vicinis, filio Theoderico, Auſtraſiorum Regi, debellanda relinquens. Hic Alemannis, adeoque & Alſatis, Legem præſcripſit, non novam, ſed ex ipſis eorum moribus & inſtitutis collectam; quam Childebertus dein atque Chlotarius, Franciæ Reges, emendarunt, uti ipſe Prologus Legis fatetur. Ex Lege hac Alemannos Ducibus ſubfuiſſe, intelligimus, qui hæreditario veluti jure ſibi ſuccedebant. Titulus ejus XXXV. ita loquitur: "Si quis Dux filium habet contumacem & malum, qui rebellare conetur contra ipſum patrem ſuum, & hoſtiliter ſurrexerit contra ipſum patrem ſuum, dum adhuc pater ejus potens eſt, & utilitatem Regis poteſt facere, & filius ejus vult eum dishonorare, & per raptum regnum ejus poſſidere, non obtineat, quod inchoavit." Eadem ergo formula Alemannici, quæ Bajuvariorum Ducatus, quem Duces, ex gente Agilolfingica genus ducentes, regere ſolebant. Uti vero Alemannos & Bajuvarios priſcis moribus ſuis frui, permiſerunt Reges Francorum, ita in cæteris Ducatibus libera Regis circa Duces diſpoſitio fuit; nulla hæreditarii Ducatus alicubi proſtant exempla. ANNALES METENSES ad An. DCCCLXVII. ita loquuntur: "Odo & Robertus, filii Roberti, adhuc parvuli erant, quando pater extinctus eſt, & iccirco non eſt illis Ducatus commiſſus.

Alemannia

(*a*) De *triginta Tyrannis* Cap. III. Adi ſupra pag. 384. ſq.

(*b*) MURATORII *Antiquit. Eſtens.* Cap. V. Item *Differt. de Ducibus ac Principibus antiquis Italiæ* Tom. I. *Antiquitatum Ital.* pag. 149.

(*c*) Ennodius Dux datus eſt Turonicis atque Pictavis, apud GREGORIUM Lib. VIII. Cap. XXVI. verum hic totus diſtrictus cum urbe intelligitur.

(*d*) GREGOR. TURON. Lib. VIII. Cap. XXVI.

(*e*) *Adverſarior.* Lib. I. Cap. VIII.

(*f*) An. DCCL.

(*g*) An. DCCXLVIII.

(*h*) Romanos vocat priſcos Galliæ incolas, Romana olim lingua & lege viventes, qui autem ſub Francico tum vivebant Imperio.

POLITICA.

Alemannia temporis progreſſu latius patere viſa eſt, quam ut uni Duci univerſa crederetur. Hinc plures eodem tempore Duces in una provincia quandoque reperimus, qui Alemanniæ Duces vocantur, partem modo ejus licet adminiſtraverint ſinguli. Veteribus Alemanniæ Regulis, quos ſupra ex Ammiano (*i*) retulimus, ſimiles reputares hos Duces, niſi Regibus noſtris ipſi paruiſſent.

Magna inter Alſatiam Romanam & Alſatiam Francicam diverſitas hinc clare elucet. Quum enim ſub Chriſtianis Imperatoribus Alſatia, in duas partes diſtracta, à duobus diverſarum Provinciarum, Sequanicæ nimirum & Germaniæ Primæ, Ducibus regeretur, unius jam Alemanniæ Ducis poteſtati Alſatia ſubdita fuit, donec proprium denique Ducem acciperet. Ceterum nec Alemannici Ducatus inſtituti annum, nec primu Alemanniæ Ducis nomen, veterum ulli conſignarunt Scriptorum.

LEUTHARIUS ET BUCELINUS.

§. XIV.

Hi duo, in memoria rerum nobis primi occurrentes, ut Agathias (*k*) teſtatur, gente erant Alemanni, ſed apud Francos eximie honorati, quippe & ſuæ nationis Duces jam pridem facti, Theudeberto volente. A Rege hoc, Theodorici filio, in auxilium Regibus Oſtrogothorum, adverſus Beliſarium atque Narſetem, miſſi, omni peragrata Italia, in Siciliam usque graſſantes, tributa ubivis exegere, *magnosque ad Theodebertum Regem theſauros devexere.* Sed exigui temporis illa fuit felicitas. Partem exercitus abſumſit peſtis; reliquias, ſub Bucelino adhuc militantes, Narſes, Juſtinianei exercitus Dux, prœliis diverſis cum ipſo eorum Duce Bucelino, anno circiter DLV. (*l*) oppreſſit. Hæc fata duorum fratrum fuerunt, quos Alemanniæ præfecerat Theodebertus, qui An. DXXXIV. Auſtraſii regni habenas tenere cœpit. Expeditio Italica autem anno DXXXIX. fuit ſuſcepta; unde Ducatus eorum initia initiis fere Theodeberti reſpondere, neceſſe eſt. Gregorius Turonenſis Bucelini meminit; Leutharium ex Agathia Byzantino cognoſcimus. Leutharius & Bucelinus.

LEUDEFRIDUS.

§. XV.

Leudefridus, Dux Alemannorum, An. DLXXXVIII. (*m*) cum aliis Regni Auſtraſiorum primatibus adverſus Childebertum II. Regem conſpiraverat. Conjuratione detecta, reliqui optimates, jubente Rege, interempti fuere; " Leudefredus autem, „ Alemannorum Dux, fuga elapſus, ne itidem morti adjudicaretur, latuit, & Uncelinus loco ipſius Dux ordinatus eſt. „ (*n*) Hunc Leudefridum Eccardus filium Leutharii, Ducis præcedentis, conſtituit. Leudefridus.

UNCELINUS.

§. XVI.

Uncelinus Ducatum Alemanniæ dio adminiſtravit; adminiſtraturus diutius, niſi Reginæ Brunehildis odium incurriſſet. Induxerat nempe exercitum Theoderici II. adverſus Theodebertum, fratrem ſuum, armati, ut Protadium, Domus Majorem, qui una cum Brunehilde turbarum auctor fuerat, interficeret. (*o*) Brunehildis autem, Protadii ſui mortem ultura, res omnes ita diſpoſuit, ut Uncelinus biennio poſt, pedibus truncatus, opibus & Ducatu ſpoliatus, redigeretur ad incitas. (*p*) Uncelinus.

GUNZO.

(*i*) Lib. XVI. Cap. XII.

(*k*) De *Bello Goth.* Lib. I. pag. 536. edit. Grotianæ.

(*l*) De hoc bello Agathias loco cit. Gregor. Turon. Lib. III. 32. & IV. 9. Aimoinus II. Cap. V. ſq. 31. 33. 34. *Geſta Francor.* Cap. XXVI. Hinc ſibi Juſtinianus nomina Alemannici & Francici adſcivit. Aimoinus III. 8.

(*m*) Fredegarius Cap. VII. pag. 598. hæc ad An. XXVIII. Guntchramni Regis refert, conſentiente Aimoino Lib. III. Cap. LXXVII.

(*n*) Verba Aimoini loco alleg.

(*o*) Fredegar. Cap. XXVII. Aimoin. III. 98.

(*p*) Fredegar. Cap. XXVIII. Aimoin. III. 93.

POLITICA.

GUNZO.

§. XVII.

Gunzo.

GUnzo, Uncelini, uti videtur, in Alemanniæ Ducatu ſucceſſor, WALAFRIDO STRABO, (q) RATPERTO (r) & THEODORO, Abbati Campidunenſi, (s) memoratur. Referunt hi, Gunzonem Ducem S. Gallo, ejusque ſocio Columbano, ex Hibernia adventantibus, primitus fuiſſe contrarium, ipſumque Columbanum ex eremo, quam incolere cœperat, expuliſſe. Septima vero die poſt filiam Ducis, Fredeburgam nomine, Sigeberti, Auſtraſiorum Regis, Theoderici II. filii, ſponſam, à dæmone fuiſſe obſeſſam; quo eam quum liberaſſet S. Gallus, à Gunzone honoribus donisque cumulatus, Conſtantienſem Epiſcopatum, morte Gaudentii tunc forte vacantem, ab eodem Gunzone ſibi oblatum, recuſaſſe; unde Johanni, S. Galli diſcipulo, eum conceſſum fuiſſe volunt. Interea vero Frideburga, quum jam in thalamos regios duceretur, comitum manibus elapſa, in Abbatia S. Petri Metenſis monaſticum votum emiſit. Hæc auctores allegati, pari fere conſenſu, enarrant. Equidem non negabo, circa hæc tempora Gunzonem Ducem, S. Gallo primum infenſum, deinceps autem ipſi conciliatum, vixiſſe Addunt, ſub Gunzone cuſam fuiſſe monetam, quam ab ejus nomine *Cunzenpfennig* vocarint. (t) Pleraque hæc ſubleſtæ fidei ſunt.

§. XVIII.

Fabulæ confutatæ.

1) Walafridus Strabus ipſe fatetur, S. Gallum An. DCXIII. eremum ingreſſum eſſe, & ſeptimo die poſt Fredeburgam à dæmone liberaſſe; à Gunzone vero Epiſcopatum Conſtantienſem, morte Gaudentii vacantem, illi fuiſſe oblatum. Verum enimvero urbs Conſtantia An. DCXL. demum cœpit eſſe epiſcopalis, quum Maximus Vindoniſſa transmigraret Conſtantiam. (u) Gaudentius Epiſcopus, ſecundum ANNALES CONSTANTIENSES, (x) An. demum DCL. obiit, quo ipſi ſucceſſit Johannes, S. Galli diſcipulus. 2) Ducibus eo tempore oondum fuit Epiſcopos coottituendi poteſtas, quam Walafridus tribuit Gunzoni. Auſtraſiæ Reges nominabant Epiſcopos. DITMARUS (y) Arnolpho, Bavariæ Duci, *ſingularem* ab Henrico Aucupe traditam, ait, poteſtatem, Epiſcopos Bavariæ creandi, quam oulli ſucceſſorum reliquerit. 3) Sigebertus, Theodorici II. filius, An. DCII. qui regni patris ſui erat ſeptimus, natus eſt. (z) An. DCXIII. ergo puer erat undecim annorum. Hunc tamen Sigebertum Walafridus ait, "voluiſſe „ ſuis ſociare thalamis Frideburgam, hincque celebri edicto Sacerdotum & Principum „ ſenatum noptiarum adeſſe ſolenniis„ præcepiſſe. Ut taceam, Sigebertum, bellis civilibus morte patris implicitum, aliarum potius rerum, quam matrimonii, curam habuiſſe. (a) 4) Sigebertus exquiſiviſſe dicitur conſilium Cypriani, Epiſcopi Arelatenſis. Verum An. DCXVI. florebat adhuc S. Virgilius, qui An. DLXXXVIII. Epiſcopatui Arelatenſi jam fuerat præfectus. (b) Nec ulla Arelatenſis Eccleſiæ monumenta Cyprianum hunc norunt. 5) BARONIUS (c) Frideburgam à Sigeberto Rege Abbatiſſam Metenſis Monaſterii S. Petri conſtitutam fuiſſe ſcribit; verum hoc tempore Monaſterio iſti adhuc præfuit ipſa ejus fundatrix *Waldrada*. (d) Alia plura, quæ in Walafridi narratione, aut falſa, aut incongrua, occurrunt, præterimus. MEURISSIUS (e) tradit, in Abbatiæ S. Martini Chartis omnia hæc ad Sigebertum, Dagoberti I. filium, referri, qui nempe An. DCXXXIII. Rex Auſtraſiæ à patre creatus, & An. DCLVI. mortuus eſt. Ita ſane conveniret tempus Gaudentii atque Johannis, Conſtantienſium Epiſcoporum. At ex altera parte corrueret Walafridi narratio, Gunzoque ooſter idem omnino cum Gundonio foret, qui circa annum DCL. Abbatiam Grandvallenſem inſtituit. MABILLONIUS conjicit, intelligendum hic eſſe Sigebertum, orientalium Anglorum Regem, qui tum in Francia exul. (f) Expeditior res foret, ſi Meuriſſius unam alteramve Chartarum, de quibus loquitur, produxiſſet.

CHRODO-

(q) *Vita S. Galli* Lib. XV. apud GOLDAST. *Script. Rer. Alemann.* Tom. I. Part. II. pag. 150.
(r) De *Caſib. S. Galli* Cap. I. ibid. pag. 1.
(s) In *Vita S. Magnoaldi* Cap. IX. apud CANISIUM *Lection. Antiquar.* Tom. I.
(t) *Chron. Conſtant.* apud PISTORIUM Tom. III. pag. 702. GOLDAST. *de Nummis Germanorum vetuſtiſſimis*
(u) *Chron. Conſtant.* apud PISTOR. Tom. III. pag. 701.
(x) Ibid. pag. 702.
(y) DITMAR. MERSEB. Lib. I. pag. 329. adde LUITPRAND. II. 7. ANNAL. SAXO ad An. DCCCCXX.
(z) FREDEGAR. Cap. XXI.
(a) VALESIUS *Rer. Franc.* Lib. XVII. Tom. II. pag. 570. MABILLON. *Annal. Bened.* Tom. I. Lib. XI. pag. 302. ſq.
(b) PETRI SAXII *Pontificium Arelatenſe*, ſub Floriano, Epiſcopo Arelat. XXXIX.
(c) *Annal.* An. DCXIV.
(d) Vide Chartam Abbatiæ S. Petri apud MEURISSIUM *Eveques de Metz* Lib. II. pag. 103. ſq.
(e) Loco allegato.
(f) BEDA *Hiſtor. Eccleſ.* III. 18.

CHRODOBERTUS.

CHrodobertus Alemannorum exercitum, juſſu Dagoberti Regis, anno DCXXX. adverſus Sclavorum vel Winidorum Regem eduxit, inſignemque ab illo reportavit victoriam. (*g*) Chrodobertus.

LEUTHARIUS II.

§. XIX.

LEutharius, quem ECCARDUS filium Leudefridi Ducis, An. DLXXXVIII. depoſiti, conſtituit, anno decimo Sigeberti II. Regis, æræ noſtræ DCXLII. occurrit. Leutharius II. Vixerat illa ætate Grimoaldus, Pipini Landenſis, Majoris Domus, filius, cujus æmulum Ottonem, Beronis filium, Leutharius noſter occidit. (*h*) Grimoaldus, æmulo ſublato, patri in Palatii præfectura ſucceſſit; qui deinceps Dagobertum II. Sigeberti II. filium, in Scotiam juſſit auferri, ut paterno Auſtraſiæ regno eum privaret. Sub hoc Grimoaldo Rudolphus, Thuringiæ Dux, (*i*) rebellavit, ægre ad officium redigendus. Ejusdem exemplum plures alii Auſtraſiæ optimates ſecuti ſunt; unde civilibus bellis Regnum miſere afflictum, ipſis quoque Proceribus inter ſe de primatu certantibus; donec Ebroinus, ſub Chlotario III. Chlodovei II. filio, Majoris Palatii titulo, tyrannidem invaderet. Leudeſius quidem, Erchinoaldi filius, Childerico II. An. DCLXXIV. occiſo, majoratum non anni ſpatio in Neuſtria retinuit, inſidiis Ebroini oppreſſus, qui ad An. DCLXXXI. Franciam gubernavit; (*k*) quo occiſus ſucceſſorem habuit Pipinum Heriſtallium, Grimoaldi affinem, Anſegiſi filium, qui Auſtraſiæ proceres ſæpe rebelles in officio cohibuit. Hæ ipſæ vero Auſtraſiæ Ducum rebelliones occaſionem præbuiſſe videntur inſtituto novo, ſed ſalubri, quo Ducatui Alemanniæ plures ſimul Duces præfecti fuere. Avulſa ab hoc tempore à reliqua Alemannia noſtra fuit Alſatia, peculiari Duci ſubjecta. Alemanniæ & Auſtraſiæ Duces, quibus Præfectorum Palatii in ipſos Reges tyrannis intolerabilis viſa, quod Regibus, non Præfectis, vellent parere, converſioni rerum occaſionem dederunt. Majores Domus enim politicæ prudentiæ eſſe crediderunt, Alſatiam, nobilem Alemanniæ partem, ſibi obnoxiam devotamque habere, ut per Voſagi clauſtra & Rheni ripas apertus in Alemanniam illis ſemper transitus eſſet. Hac ducti ratione Auſtraſiæ Reges, vel potius Præfecti Palatii, Heliſatiam noſtram reliquæ Alemanniæ detraxiſſe, atque peculiarem ei Ducem præpoſuiſſe, videntur. Leutharius ergo, de quo hactenus locuti ſumus, pro ultimo Duce, qui Alemanniæ univerſæ, cum adjuncta Alſatia, præfuerit, habendus. Antequam vero Alſatiæ Ducum perſtringamus Hiſtoriam, expedienda ſunt brevibus reliquorum Alemanniæ Ducum fata, eorum nempe, qui Alemanniam, ab Alſatia ſeparatam, rexerunt.

GOTHEFRIDUS.

§. XX.

GOthefridus, Dux Alemanniæ, is ipſe eſt, qui defectionis Thuringorum exemplum Gothefridus. ſecutus, occaſionem dediſſe videtur, ut Alſatia ab Alemannici Ducatus corpore ſecerneretur. Rebellionem ejus memorat ERCHAMBERTUS; (*l*) qui ait: "Eum „ Ducibus Francorum obtemperare noluiſſe, eo quod non potuit Regibus Meroveis „ ſervire, ſicut antea ſolitus fuerat, ideo ipſum ſe ſecum tenuiſſe, donec poſt mortem „ Goteſridi Ducis Carlus, cæterique principes Francorum, paulatim rebelles, omnes ad „ ſe revocaverint. „ Rebellio ipſa quum ſub Pipino Heriſtallio maxima fuerit, facile erit, Gothefridi noſtri ætatem indicare; quod Pipinus An. DCLXXXI. mortuo Ebroino, Regni habenas capeſſere cœpit. Ex hujus Gothefridi ſanguine nata Hildegardis, Caroli M. conjux, quam THEGANUS (*m*) " nobiliſſimi generis Suevorum puellam, ait, „ quæ erat de cognatione Gothefridi, Ducis Alemannorum. Goteſridus Dux genuit „ Houchingum; Houchingus genuit Nebi; Nebi genuit Immam; Imma vero peperit „ Hilthegardem, beatiſſimam Reginam. „ Goteſridus ſeculo VIII. ineunte obiiſſe videtur.

(*g*) FREDEGARIUS Cap. LXVIII. hæc ad annum nonum Dagoberti, qui Chariberto ipſius fratri emortualis fuit, refert, ut annus ille convenit cum An. DCXXX. Æræ Chriſtianæ.

(*h*) FREDEGAR. Cap. LXXXVIII. AIMOINUS IV. 38. *Vita Pipini Ducis* apud DU CHESNE Tom. I. *Script. Rer. Franc.* pag. 598.

(*i*) FREDEGAR. Cap. LXXXVII.

(*k*) FREDEG. loco alleg.

(*l*) *Breviar. Regum Francorum & Majorum Dom.* apud DU CHESNE Tom. I. pag. 780. FREHERUS *Scriptor. Rer. Franc.* pag. 167. & RUINARTE *Append. ad Gregor. Turon.* pag. 1353.

(*m*) *Vita Ludovici Pii.*

POLITICA.

WILCHARIUS.

§. XXI.

Wilcharius.

Wilcharius, aliis Wilarius, Gothefrido in Ducatu & rebellione ſucceſſit. Quum ipſe vero animi dotibus minor eſſet Gothefrido, Pipinus Heriſtallius tempus hoc. reducendis in priſtinum ſtatum Alemanniæ rebus, opportunum exiſtimavit. Hinc Alemanniam magna manu ingreſſus, cum Wilchario, novo Duce, An. DCCX. armis certavit, & repetitis inſequenti tempore expeditionibus, igne ferroque eam vaſtavit; magna præda in Franciam redux. Tertiam expeditionem Walerico cuidam commiſerat Pipinus. Ille in finibus Alemanniæ cum exercitu verſatus, nuntio de morte Childeberti accepto, in Franciam An. DCCXI. reverſus eſt. Sequente anno, qui primus Dagoberti III. fuit, quarta in Wilcharium, juſſa præfracte aſpernantem, ſuſcepta eſt expeditio. Ado Viennensis (n) Epiſcopum quendam, cui Anepos nomen, Ducem exercitus fuiſſe, magnamque in hoc bello cædem factam perſcribit: qua ex parte autem victoria ſteterit, altum in Chronico ſilentium eſt. In alia omnia diſcedit Annalista Metensis; Pipinum, Alemannorum contumacia commotum, tertiam in eos expeditionem ſuſcepiſſe, totamque regionem armis ditioni ſuæ ſubjeciſſe, commemorans. (o) Auctor *Vitæ Pipini* aſſerit, (p) eum in omnibus bellis, ſpeciatim in eo, quod contra Suevos geſſit, extitiſſe victorem: ſequentia tamen tempora contrarium docent.

LANTFRIDUS I.

§. XXII.

Lantfredus.

Wilcharii ſucceſſor fuit Lantfridus Dux, quem Hepidannus in *Annalibus* (q) Luitfridum vocat, Eccardum inducens, ut Lantfridum hunc, Alemanniæ propriæ Ducem, cum Luitfrido, qui his ipſis temporibus Dux Alſatiæ fuit, confunderet. Idem vero Hepidannus An. DCCXV. Luitfridum, ſeu Lantfridum, Alemanniæ Ducem rebellem, à Carolo Martello domitum haud recte perſcribit. Expeditionem enim iſtam Scriptores omnes uno ore in annum DCCXXV. rejiciunt. Nec ſanevideo, quomodo Martellus hoc jam tempore ſubigendis Alemannis exercitum ducere potuerit, quum eo tempore, vixdum ex carcere profugus, Plectrudem, Pipini priorem conjugem, cum nepote ejus Theudoaldo, infeſtos expertus ſit; Principatumque ſuum nondum ſatis firmaverit; imo nec omnem tunc obtinebat Auſtraſiam; Plectrude Coloniam Ubiorum, cum magna Auſtraſiæ parte, adhuc tenente; quam partem ipſe anno demum DCCXVII. occupavit; ubi Plectrudem, cum Theudoaldo, Arnoldo & Hugone, fratrum ſuorum filiis, in poteſtatem redegit. Hoc ipſo anno cum Ratbodo, Friſiorum Duce, pugna infelici conflixit. (r) Anno demum DCCXXII. Pipinus in Alemannos, conſtanter rebelles, perrexit; eosque An. DCCXXV. DCCXXVII. & DCCXXX. prœliis internecinis deletos, in obſequium reduxit. (s) In prœlio An. DCCXXX. cecidiſſe videtur ipſe Lantfridus noſter. Annales Nazariani enim & Hermannus Contractus obitum ejus in annum hunc referunt. Errores Eccardi circa Lantfridum, quem cum Luitfrido Alſatiæ Duce confundit, patremque facit Theobaldi, inferius notabimus.

THEODEBALDUS.

§. XXIII.

Theodebaldus.

Theodebaldus, Thietbaldus, vel Theobaldus, Lantfridi ſucceſſor, filius fuit Gothefredi Ducis, quem ſupra recenſuimus. Teſtatur id Annalista Metensis & Continuator Fredegarii, (t) Hermannus Contractus, (u) Siegbertus Gem-

blac.

(n) In *Chron.* pag. 196. De bello ipſo vide *Chron. Lauresheimenſe* ad An. DCCIX. apud Labbeum *Bibl. nov. Mſc.* pag. 332. Annal. Petaviani ad An. DCCXII. apud Du Chesne Tom. II. pag. 6. Annal. Tiliani ibid. pag. 11.

(o) Apud Du Chesne Tom. II.

(p) Ibidem Tom. I. pag. 599.

(q) Apud Goldast. Tom. I. Part. I. *Script. Rer. Alemann.*

(r) Ado Viennensis in *Breviario* ad hunc annum.

(s) Annal. Franc. Pithoeani ad An. DCCXXII. Annal. Fuldens. An. eod. Iidem An. DCCXXIII. Siger. Gemblac. ad An. DCCXXV. DCCXXVII. Chronogr. Saxo ad An. DCCXXVII. Hermannus Contract. ad annos eosd. Annales Francor. Labbeani ad An. DCCXXX. Tom. II. *Biblioth. Mſc.* pag. 731. Annal. *Petav.* & *Tiliani* apud Du Chesne Tom. II. bellum cum Lantfrido in An. DCCXXX. rejiciunt. Add. Libellus de *Major. Domus* apud Du Chesne Tom. II. pag. 2.

(t) Ad An. DCCXLIV. & DCCXLV.

(u) Ad An. DCCXXVII.

Digitized by Google

BLAC. (*x*) HEPIDANNUS tamen (*y*) eum perperam vocat filium *Luitfridi Ducis*; qua in re ſequacem nactus ECCARDUM, qui ipſe deinceps in *Commentariis Rerum Francicarum* (*z*) ſuam mutavit ſententiam. Theobaldus, vivente adhuc Lantfrido, auctoritate in Alemannia pollebat, ita quidem, ut S. Pirminium, Augiæ Divitis Abbatem, qui ipſi diſplicuerat, Monaſterio ejectum, in Alſatiam abire adigeret. (*a*) Mortuo autem Lantfrido, Alemanniæ univerſæ præfectus, ad mortem usque Theodorici IV. quæ in An. DCCXXXVII. incidit, quievit. Tum fœdum annorum quinque interceſſit interregnum, usque ad Childerici III. Regis tempora, quo intervallo Carolus Martellus, An. DCCXLI. defunctus, Theobaldo Alemanniam denuo turbandi occaſionem dedit. Reliquerat nimirum Martellus, ex conjuge priore, Carlomannum atque Pipinum, ex poſteriore vero Gripponem. Huic fratres de paterna hæreditate nihil reliquerunt; Carlomannus Auſtraſiam, Pipinus Neuſtriam atque Burgundiam, ſibi vindicavere. Germaniæ populos adverſus Carlomannum ſuſcitaturus Grippo, Theobaldum noſtrum & Odilonem, Bavariæ Ducem, haud ægre in partes ſuas pertraxit. Theobaldus ergo anno DCCXLII. arma capeſſivit, ſed eodem à Carlomanno victus & ſubjugatus fuit. (*b*) Anno ſequente ſociata Odiloni arma adverſus Carlomannum iterum induit; iterumque Alemanniam Carlomanno ſubjicere fuit coactus; (*c*) non niſi ad tempus obſequens futurus. Quum enim ille ſeculo valedicturus, & Pipino Auſtraſiæ regimen jamjam traditurus eſſet, Theodebaldus novas res molitus eſt, Alſatiamque, Carlomanno ſemper fidelem, vaſtavit. (*d*) Pipinus Alemannos aggreſſus vincit, & conventu in Condiſtat (*Canſtatt*) celebrato, in fidem recipit; rebellium Duces capitis damnat, & peſſimorum cæde, quos inter & Theodebaldus fuiſſe videtur, Alemanniam pacat. (*e*)

LANTFRIDUS II.

§. XXIV.

Lantfridus II. (margin: Lantfridus II.)

LAntfridus II. primi, uti credibile, filius, poſt Theodebaldum Ducatum Alemanniæ accepit. Sed nec iſte tranquillus eſſe potuit. Sociatis enim cum Grippone armis, contra Pipinum denuo ſurrexit; Pipinus vero An. DCCXLIX. Gripponem, Lantfridum, Bajoariosque devicit; Gripponem cum Lantfrido ſecum abducens. (*f*) Nec diu libertati ſuæ fuit ſuperſtes Lantfridus, An. DCCLI. defunctus. (*g*)

GUNTZO II.

§. XXV.

Gunzo II. (margin)

PIpinus detonſo Childerico III. ex Majore Domus Rex factus, Alemanniam, toties rebellem, in plures provincias diviſiſſe videtur, quarum ſingulis ſinguli Duces præfecti fuerunt. Ducum ejusmodi provincialium ex numero fuit Cuntzo II. qui provinciis Auguſtenſi & Rhætiæ præerat. THEODORUS Eremita in *Vita S. Magni*, quam deinceps emendavit ERMENRICUS, Elewangenſis Monachus, (*h*) memorat, Pipinum Regem, conatus pios S. Magni commendatione Wichperti Epiſcopi, & fratris ſui Carlomanni, ſublevaturum, *Proceres ſuos ex Alemannia* quæſiviſſe de regione, quam Wichpertus pro Magno petierat, hacque occaſione *Guntzo Dux*, *ex provinciis Auguſtenſi & Retiæ*, reſpondiſſe Regi ſcribitur. (*i*) Hæc docent profecto, plures tum in Alemannia Duces extitiſſe, qui Pipini Regis majeſtatem coluerint, eandemque adeo Alemanniam ad obſequium ejus fuiſſe perductam. Guntzo Dux Alemanniæ, in partes diviſæ, fuit poſtremus.

(*x*) Ad An. DCCXLVII.
(*y*) Ad An. DCCXV.
(*z*) Tom. I. pag. 349.
(*a*) HEPIDANNUS ad An. DCCXV. HERMANNUS CONTRACTUS ad An. DCCXXVII. DCCXXXII.
(*b*) ANNAL. FRANC. *Pithoeani*, *Reuberiani*, *Fuldenſes*, *Lambeciani*, *Engolismenſes*, ADELMUS, ADEMARUS, REGINO, ad hunc annum.
(*c*) ANNAL. *Metenſes*, *Nazariani*, *Tiliani*, *Petaviani*, hoc anno.
(*d*) ANNAL. *Petaviani* ad An. DCCXLIV.
(*e*) ANNAL. *Metenſes*, *Fuld.* SIGEB. GEMBLAC. HERM. CONTR. ad An. DCCXLVI. Contin. FREDEGARII apud CHESNIUM Tom. I. pag. 773.
(*f*) ANNAL. *Metens. Fuldens. Loiſeliani*, &c. ad An. DCCXLIX. REGINO DCCXLVIII.
(*g*) ANNAL. *Nazariani*, *Petaviani* &c. ad An. DCCLI.
(*h*) Apud GOLDAST. *Script. Rer. Alem.* Tom. I. Part. II.
(*i*) Loco cit. Lib. II. Cap. X. pag. 199.

GOTOFREDUS II.

§. XXVI.

Gotofredus. II.

GOtofredus mortuo Pipino Rege Ducatum Alemanniæ, ſicut Otilo, ſeu Hoſtilo quidam Bavariam, invaſit, omnia late populatus. Carolus M. autem, imperio in Gallicis firmato, ſibi quoque Francicas in Germania vindicavit Provincias, formulamque Ducum paulatim aboluit. (k) His ergo temporibus ponendus eſt finis Alemannici Ducatus, à Theodorico Rege inſtaurati, ſub Pipino Caroloque, ob frequentes Ducum rebelliones, extincti. Nullum deinceps invenimus Alemanniæ Ducem, ad tempora usque Conradi I. Regis Germaniæ, ſub quo An. DCCCCXVII. reſtauratum Alemanniæ Ducatum primus adminiſtravit *Burcardus*. Diploma Caroli M. An. DCCCII. Freſonibus datum, in quo poſt Wenceslaum, Bohemiæ Regem, Bernardum Bavariæ, Lutolphum Moraviæ, & Heinricum Auſtriæ Ducem, *Otto Hertoch von Swaben* memoratur, quis genuinum reputaret, Germanica lingua conſcriptum? (l) Nec curamus ea, quæ CRANZIUS, (m) & ex eo SAGITTARIUS, (n) de Heroldo, Sueviæ Duce juniore, habent; à quo Witekindum Ducem occiſum fuiſſe memorat; quæ genuinæ ignorata antiquitati. Nec obſtat Conradus ille Alemanniæ Dux, qui in Charta Alemannica VII. apud GOLDASTUM (o) ſub Ludovico Germanico occurrit. Eum enim fuiſſe Ducem Burgundiæ, atque illius Alemanniæ partis, quæ inter Rhenum & Arolam patebat, jam ante me monuit TENTZELIUS. (p)

NUNTII CAMERÆ.

§. XXVII.

Nuntii Cameræ.

ALemannia, abolitis Ducibus, paruit Nuntiis Cameræ, quibus Provinciarum & locorum, ad fiſcum Regium ſeu Cameram ſpectantium, cura erat demandata; quique æquam fere cum Ducibus poteſtatem habuerunt. Nuntii hi dicti ſunt etiam *Miſſi Cameræ*; duoque eorum ſimul adminiſtrarunt Alemanniam. Hos inter primi fuerunt *Warinus* & *Ruthardus* Comites, qui eodem tempore, quo Gothofredus II. Ducatum invaſerat, totius fere Alemanniæ curam gerebant. Teſtem habemus laudatum jam Auctorem *Vitæ S. Magni* THEODORUM, ejusque Continuatorem ERMENRICUM, (q) qui Gotafretum vaſtata Alemannia perſecutiones plurimas exercuiſſe in loca ſacra perhibens, diſerte perſcribit: " Hæc audiens B. Otmarus, dolens de tanta perſecutione, ſeu & " jam de ſua, quam à peſſimis Comitibus Warino & Ruthardo patiebatur &c.

Munia vero Warini & Ruthardi clarius indicat WALAFRIDUS STRABUS, (r) eandem B. Otmari perſecutionem narrans, cujus auctores fuiſſe ait, Comites quosdam Warinum & Ruothardum, qui totius tunc Alemanniæ curam adminiſtrabant. Cum Bertholdo & Erchangero comparat eos EKKEHARDUS Junior. (s) Hæc ipſa Warini, ſeu Wernheri, uti eum EKKEHARDUS vocat, & Ruothardi potentia, Vadianum aliosque induxit, ut Warinum & Ruthardum Alemanniæ Duces conſtituerent. BUCELINUS (t) utrumque filium facit Eberhardi, Alſatiæ, uti loquitur, Ducis, Murbaci fundatoris: ac Warinum *Alemanniæ & Alſatiæ Ducem*, Ruthardum vero *Principem Alemanniæ*, *Comitem Palatii*, *Landgravium Alſatiæ*, appellat. Tituli hi partim poſterioris ſunt ævi, partim ab omnibus Antiquitatis monumentis confutantur. STUMPFIUS Warinum Hegoviæ, Ruthardum Turgoviæ Comites facit; ob id ipſum à GOLDASTO in *Notis ad Ratpertum* (u) reprehenſus. Ipſe tamen Goldaſtus paulo poſt (x) Warinum Hegoviæ Comitem fuiſſe, & ut talem Caſtrum Potamum incoluiſſe, tradit. Comites hi totius Alemanniæ curam adminiſtraſſe dicuntur; quæ verba non niſi in Cameræ Nuntios quadrare poſſunt, quorum poſtremi fuere Bertholdus ille & Erkangerus, ſub Conrado I. capitis damnati. An Warini & Ruodhardi poteſtati noſtra quoque ſubjecta fuerit Alſatia, paulo poſt in Alſatiæ Ducibus examinabitur. Warini & Ruothardi ſucceſſores nullibi reperimus.

Memo-

(k) ERMENRICUS Monachus in *Supplemento ad Theodorum in Vita S. Magni*, Lib. II. Cap. XIV. apud GOLDAST. loco cit. pag. 201.

(l) LUNIG *Archiv Imper.* Parte Spec. Contin. II. IV. *Abtheilung*, XXIV. *Alſatia*, num. 1. pag. 490.

(m) *Saxonia* Lib. II. Cap. XXIV.

(n) *Antiquitat. Thuring.* pag. 107.

(o) *Rer. Alem.* Tom. II. Part. I. pag. 27.

(p) *Vindic. Cenſuræ Contingianæ Diplom. Lindaviens.* Cap. XIV. §. II. pag. 116.

(q) Lib. II. Cap. XIV. apud GOLDAST. *Rer. Alem.* Tom. I. pag. 2. & 202.

(r) De *Vita S. Galli* Lib. II. Cap. XV. apud GOLDAST. loco cit. pag. 168. eadem verba repetens in *Vita B. Otmar.* Cap. IV. apud eundem loco cit. pag. 178.

(s) *De Caſibus S. Galli* Cap. I. *Vita Salomonis* pag. 15. apud GOLDAST. loco cit.

(t) *Hiſtor. Agiloljing. in Germania Topo-ſtemmatograph.* Part. II. pag. 360. ſq.

(u) *Rer. Alem.* loco cit. pag. 105.

(x) Ibidem in *Not. ad Ekkehard.* pag. 109.

ETICHON

IN FAMILIA

SUB PERIOD

ETIC
Dux Alſatiæ orc
† circa
Uxor Berswinda, m

ADELBERTUS,
Dux Alſatiæ,
cujus poſteri Ducatum & bona
in ſup. Alſatia, trans Rhenum,
ac in Juraſſo, obtinuerunt.
† circa 720.
Ux. 1. Gerlindis, 2. Bathildis.
Sator *Luitfridigenarum.*

N.
à patre occiſus.

ODILI
Abbatiſſa Hohenbu
† circa 7c

LUITFRIDUS I.
Dux Alſatiæ
An. 720.
† circa 750.

EUORNIA,
Abbatiſſa
Hohenburg.
anno 723.

ATTALA,
Abbatiſſa
S. Stephani
circa 718.

MASO,
fundator
Maſonis
Monaſterii.

GUNDELINDIS,
Abbatiſſa
Inf. Monaſt.

EBERHARD
Comes,
fundator Abati
Murbacens.
† circa 74
Ux. Emelindis.

LUITFRIDUS II. Comes,
† circa 800.

N. filius,
in flumine Tolra perit.

N. filius
ante patrem defuncti

LEUTARDUS Comes.
† circa 830.
Ux. Grimildis.

BASILLA, Abbatiſſa
S. Stephani 845. & 871.
ab aliis male RUATRUD,
Mabillonio RUOTBADA, dicta.

HUGO III.
Comes. † 83
Ux. Bava.

GERHARDUS
DE ROSSILIONE,
Comes Pariſinus, ſec. IX.
celeberr. † poſt 872.
Ux. Bertha, Pipini,
Regis Aquitaniæ, filia.

ERMENGARDIS,
nupta Lothario I. Imp.
fundatrix Monaſterii
Erſtein. Hujus filius
Lotharius Hugonem, filium
naturalem, creavit Ducem
Alſatiæ.

LUITFRIDUS III.
Comes.
† 864.

ADALARDUS
Comes.
† circa 876.

Hu
puer, †
in Ita
circa 9

THEODORICUS
† puer.

EVA puella
An. 865.

HUGO IV.
Comes 866.
† circa 880. improlis.

LUITFRIDUS IV.
Comes 884.
Advocatus Trudpertinus 903.
† circa 910.

HUNFRIDUS Comes
903. in Nord-
govia potens.

LUITFRIDUS V.
Comes Sundgoviæ
912. 925. pater
Luitfridi VI. & avus
Luitfridi VII.

HUGO V. Com
Egisheim. 90

Ad pag. 753.

EA GENS,
SUBDIVISA,
FRANCICA.

*

IO,
a annum *666*.
690.
tertera S. Leodegarii.

A,
argenſis.
o.

HUGO I. Comes,
obiit ante patrem.
Sator *Hugonidarum*

ETICHO II. Dux,
cujus poſteri, Comites tantum,
bona in Alſatia inf. accepere.
Sator *Eberhardigenarum*

US

LUITGARDIS
& SAVINA, ex
2. matrimonio.

itiæ

BORONUS
vir illuſter 723.
† poſt 750.

HAICHO,
ſive ETICHO,
Comes.
† poſt 723.

BLEONUS
Comes,
† ante 750.

ALBERICUS
Comes.
† circa 760.

EDDO
Epiſc. Argent.
† 765.

is.

nctus.

HUGO II. Comes 723.
† ante 750.

HUGO Comes,
circa 750.

EBERHARDUS I.
Comes, † circa 800.

BODALUS Comes 750.
† circa 754.

REMEDIUS
Epiſc. Argent.

EBERHARDUS II.
Comes,
ex Alemanniæ proceribus.
† 864.

ADELHAYDIS
nupta 1. Conrado,
Antiſſiodor. Comiti:
2. Roberto Forti,
Andegavienſium Duci,
Capetingorum Satori.

EGEBHARDUS
† ante 754.

ADALA Monialis,
& RADUNA, ſorores;
una poſt alteram præfuerunt
Aſchaugienſi Monaſterio.

EBERHARDUS III.
Comes. † circa 900.
Ux. Adelindis.
Concub. N. Monial. Erſtein.
Lutrenſe Monaſt. occupat,
à Waldrada, pellice Lotharii
jun. conſanguinea ſua,
invitatus.

es

Memorabili Ekkehardi Junioris (*y*) loco hoc argumentum concludimus, qui ſub Conrado I. Rege ita ſcribit: „ Nondum adhuc illo tempore Suevia in Ducatum „ erat redacta, ſed fiſco Regio peculiariter parebat, ſicut hodie & Francia. Procu- „ rabant ambas Cameræ, quos ſic vocabant, Nuncii. „ Suevia autem, ſive Alemannia, ab eodem Conrado An. DCCCCXVII. novum Ducem accepit Burcardum, ab Alemanniæ Principibus ortum, qui & Alſatiam rexit. Ab hoc tempore, ad extinctum usque ſec. XIII. Ducatum, Alemannia Alſatiaque junctæ, cum Duce communi, communia quoque fata expertæ ſunt, ut Germanica docebit Periodus.

CAPUT III.

ALSATIÆ DUCES.

§. XXVIII.

ALſatiam ab Alemanniæ Ducatu ſeculo VII. avulſam varia rerum documenta loquuntur. (*z*) Eodem enim tempore, quo Alemannia Leutharium II. & Gotofredum Duces vidit, Gundonius, Boniſacius, Eticho, Adelbertus, apud Alſatas Ducatum obtinuiſſe leguntur. In diverſis Alemanniæ partibus plures ſimul extitiſſe Duces, Valesius, (*a*) Cointiusque (*b*) probaturi, duplicem rei allegarunt rationem. Earum alteram admitto, quod Alemannia major viſa, quam ut uni Duci committeretur; alteri, quod Alemanniæ Duce mortuo filii Ducatum juxta beneplacitum Regis inter ſe dividerent, haudquaquam ſubſcribo. Adelbertum, Etichonis filium, Cointius Ducatum in ea Alemanniæ parte, ubi Epiſcopatus Argentoratenſis, obtinuiſſe exiſtimat. Etichonem univerſæ Alſatiæ præfuiſſe Ducem, & ex filiis ejus Adelbertum ſolum Ducis munere functum, oſtenſurus ſum infra. Alſatiam ergo ſub Clodoveo II. & poſteris Franciæ Regibus, peculiares habuiſſe Duces, extra aleam poſitum: quo autem anno hæc epocha cœperit, illiquidum eſt. Alſatiæ Duces.

GUNDONIUS.

§. XXIX.

PRimus inter Alſatiæ Duces, quem novimus, fuit Gundonius. Hunc Ducem Bobolenus in *S. Germani*, Abbatiæ Grandvallenſis conditoris, *Vita* (*c*) narrat, traditque, eum Germano aſſignaſſe locum, ubi Monaſterium conſtrueret. Eundem Alſatiæ Ducem fuiſſe, inde colligimus, quod Monaſterium Grandvallenſe in ipſius ſitum fuit Ducatu. Cœnobium hoc autem non modo Diploma Lotharii Imp. An. DCCCXLIX. in Ducatu Heliſacenſi (*d*) collocat, ſed & *S. Wandregiſili Vitæ* Auctor (*e*) Monaſterium S. Urſicini eodem tempore, quo Grandvallenſe, conditum, eidemque S. Germano commiſſum, in *Elſangio* territorio exſtructum, memorat. Adde, quod Gundonii hujus ſucceſſores, à Boboleno expreſſi, Duces Alſatiæ ſine dubio fuerunt, atque adeo indicare videntur, Gundonium itidem Alſatiæ Ducem extitiſſe. Mortuus aſt circa An. DCLX. quo ipſi jam ſucceſſerat Bonifacius. Gundonius.

BONIFACIUS.

§. XXX.

GUndonii ſucceſſor à Boboleno Bonifacius vocatur. Sic enim ille: (*ſ*) *Contigit, ut moreretur Gundonius Dux, & Bonifacius Dux ſive Chaticus in locum ejus ſuccederet.* Ex male intellecto hoc loco ortus eſt error Mabillonii, quo *Bonifacium* noſtrum cum *Chatico* eundem putavit; ſed diverſos eſſe, nec voculam *ſive* ſenſu nativo eſſe intel- Bonifacius.

 ligendam,

(*y*) *De Caſibus Monaſterii S. Galli* Cap. I.

(*z*) Jam ante, ſub Dagoberto I. vel Clotario II. ab Alemannia vetere & proprie dicta, pars circa ripas Nicri ac Mœni diſtracta, quæ Oſtro-Francia, ſeu Francia orientalis fuit appellata.

(*a*) *Rer. Francicar.* Lib. XXIV. ad An. DCCXXX.

(*b*) *Annal. Eccl. Franc.* Tom. IV. ad An. DCXCIII. pag. 295. & ad An. DCCXII. pag. 507. Mabt. Zeilerus in *Chron. Sueviæ* idem ſtatuit, ſed probationes non affert.

(*c*) Apud Mabillon. *Act. Sanctor. Benedictin.* Tom. II. pag. 491. Vide Cap. XI.

(*d*) Dacherii *Spicileg.* Tom. III. pag. 339.

(*e*) Mabillon. loco cit. pag. 514.

(*ſ*) Apud Mabillon. loco cit. pag. 492.

POLITICA.

ligendam, animadvertit jam COINTIUS, (g) & *Baſilea ſacræ* Auctor NICOL. SUDANUS. (h) Mabillonianam hypotheſin evertunt duæ Chartæ, quas Childericus II. Monaſterio Gregoriano noſtro conceſſit; quorum altera ad *Bonifacium Ducem*, altera ad Chadichum Ducem dirigitur. Baſilea ſacra Boboleni verba hunc in modum emendat: *Contigit, ut moreretur Gundonius Dux; huic Chaticus in locum ejus ſuccedere &c.* Bonifacio hoc Alſatiam regente, adeoque circa An. DCLX. fundata eſt Abbatia Monaſterienſis in valle Gregoriana. Teſtem habeo pervetuſtum Chronici Gregorianæ Abbatiæ auctorem Anonymum, qui in membranaceo Codice ita ſcribit: „ Circa Dominicæ Incarnationis „ DCLX. annum, ſub Vitaliano Papa, Imperatoreque Conſtantino, filio Conſtantini, „ (filii Heraclii triumphatoris) ſub Hilderico, filio Clodovei, Rege tunc Francorum, „ Rhotarioque Argentinæ Civitatis Epiſcopo & *Duce Bonifacio*, inceptus hic locus à „ Monachis habitari. „ Ad eundem hunc *Bonifacium Ducem* ab Hilderico Rege Confirmatio fundationis hujus Abbatiæ ſcripta; cujus initium eidem Chronico Monaſter. inſertum eſt. Ipſum authenticum cum omnibus apographis periit, nec aliud niſi proœmium Diplomatis ſupereſt. Bonifacius rebus humanis ultra An. DCLXVI. non interfuit: in hunc enim annum conjiciatur cædes S. Germani, à Chatico Duce, Bonifacii ſucceſſore, perpetrata. Relicta eſt Bonifacii hujus memoria in vico, cui nomen *Bonifacii-Villare*, qui olim ad Monaſterium Gregorianum pertinuit, atque in Charta anni DCCCXCVI. memoratur; quem locum hodieque cum nomine in vicino oppidulo *Wibr* ſupereſſe, veriſimile eſt. Ex qua ſtirpe prodierit Bonifacius, numque maſculam prolem reliquerit, nulla produnt monumenta.

E T I C H O.

§. XXXI.

Etichonis nomen.

CHaticus ergo Bonifacii ſucceſſor ex BOBOLENI (i) ſententia fuit; quem eundem cum Etichone extitiſſe, & nomen, & tempus, cæteræque circumſtantiæ rerum, perſuadent. Ducis hujus nomen in veteribus monumentis exprimitur varie. Theotiſca, ſeu originaria appellatione, *Edith*, (k) *Etich*, (l) *Edichon*; (m) Latina vero forma *Athicus*, *Atticus*, (n) *Adalricus*, (o) *Athelricus*, *Ethico*, (p) *Etticus*, (q) & aſpiratione, quæ Francis frequens, præmiſſa, *Chadichus*, (r) pro Notarii & ſcriptoris cujusque arbitrio exprimitur. Nos venerabilis illius ſtelæ lapideæ, quam Herrada, Hohenburgenſis Abbatiſſa, Monaſterii ſui conditori erexit, auctoritate inducti, *Etichonem* appellabimus. *Etich*, Theotiſca vox, (Alemannus enim vel certe Francus fuit origine Eticho) ex *Edelrich* contracta, quæ prænobilem, uti *Adelbert* nobilitate clarum, deſignat. Veriſimile eſt, Ettones, Heddones, quorum inter poſteros Etichonis mentio, nomen quoque ſuum cum ſanguine ab hoc Duce derivaſſe.

Annus natalis.

Nativitatis Etichonis tempus varie definitur. CAROLUS HUGO (s) annum DXCV. huc retulit. Sed cur ei ſeptuagenario ſeni Childericus Ducatum obtuliſſet? Etichoneæ ætatis chronici characteres perpauci ſuperſunt. Hohenburgenſis & Ebersheimenſis Monaſteriorum, ab eo inſtitutorum, Chartæ, quæ magnam rei lucem attuliſſent,

(g) *Annal. Eccleſ.* Tom. III. ad An. DCLXII. num. 34. pag. 542.

(h) Pag. 68.

(i) BOBOLENUS in *Vita S. Germani* Cap. II. apud MABILLONIUM *Act. SS. Ord. Benedict.* Tom. II. pag. 492.

(k) THEGANUS Cap. XXVIII. Simile fere nomen legitur in Charta Ludovici Pii apud CARPENTERIUM in *Alphabeto Tiron.* pag. 79. ubi *Archiepiſcopus Etti.*

(l) In *Diplomat. Ebersheim.* An. DCCCXVII. & DCCCXXIV. quæ Ludovico Pio adſcribuntur.

(m) In *Vita S. Odiliæ* Cap. I. apud MABILLON Lib. cit. Tom. IV. ubi *Adalricus, qui alio etiam nomine Edichon dicebatur.*

(n) In Diplom. Theodorici III. Regis pro Novient. Monaſterio An. DCLXXX. quod inſcriptum eſt: *Attico Duce & Adelberto Comite.*

(o) Carolus M. in Novientenſi quoque Diplom. An. DCCLXXVI ab interpolatoribus quidem corrupto, & in alio DCCCX. ſcribit: *Vir illuſter Adalricus ſive Athicus Dux & conjux ejus Berſuinda.* Conf. *Vitam S. Odiliæ* loco cit. COINTIUS *Annal. Eccleſ.* Tom. IV. ad An. DCXC. num. 48. ſq. neſcio cur Athicum ab Adalrico diſtinguat, atque illum, non hunc, S. Odiliæ patrem aſſignet. *Lombardica Hiſt.* apud SCHILTER. *Obſervat. VIII.* ad *Koenigshov.* §. V. ait: *Ein Hertzoge genant Adelricus oder Ettich.* KOENIGSHOVIUS ipſe pag. 238. ſcribit: *Ein Hertzoge genant Athicus oder Adelricus, das iſt zu dutſche geſprochen Ettich.* In *Vita S. Odiliæ*, HISTORIÆ LOMBARDICÆ Cap. CLXXXIX. addita, vocatur Adalricus ſive Athicus; ubi quoque *totius Burgundiæ ſive Alſaciæ ſub Childerico rege principatum habuiſſe* dicitur.

(p) *Vita S. Hildulfi* apud MABILLON. *Act. Sanct. Bened.* Tom. IV. pag. 434. & in *Vita S. Odiliæ* Piſtoriana.

(q) Diploma interpolatum Ludovici Pii Hohenburgenſe ad An. DCCCXXXVII.

(r) Diploma Childerici II. pro Monaſterio S. Gregorii An. DCLXXIII. ita: *Chadicho Duce, Rodeberto Comite.* Hunc Chadichum a Bonifacio fuiſſe diverſum, præter ea, quæ jam annotavimus, innuit ipſa Boboleni narratio; in qua Bonifacii nomen ſemel, Chatici vero plus vicies legitur.

(s) *Annal. Præmonſtrat.* Tom. II. 410.

liſſent, perierunt jam pridem. Quodſi Attala, Etichonis ex filio Adelberto neptis, circa An. DCCXVI. Stephaniani Monaſterii Abbatiſſa creata eſt, computatis more ſolito in ſingulas generationes annis triginta, totidemque ipſi Attalæ, Abbatiſſa quum fieret, adſcriptis, oriuntur inde XC. anni, unde retrogrediendo in An. DCXXVI. incidimus, qui Etichonis præter propter potuit extitiſſe annus natalis.

§. XXXII.

Dux Alſatiæ.

Ducatus Alſatiæ, ab Etichone initi, tempus à Bonifacii, Ducis deceſſoris obitu, quem circa An. DCLXVI. poſuimus, pendet. Opem heic præſtant Childerici II. & Theodorici III. Regum Diplomata, quorum illud Abbatiæ Gregorianæ, anno regni XIII. (*t*) Æræ noſtræ DCLXXIII. hoc autem Ebersheimenſi An. X. regni ſeu An. Chr. DCLXXX. conceſſum. Utrumque Etichoni noſtro inſcriptum eſt; prius *Chadicho Duce, Rodeberto Comite;* poſterius *Attico Duci & Adelberto Comiti.* Etichonem ad Ducatum Alſatiæ à Childerico II. promotum, Odilianus Encomiaſtes, Chronicon Novientenſe & Fragmentum Hiſtoricum Urſtiſii prædicant. Bucelinus (*u*) ergo male hoc Theodorico III. adſcripſit. Simili metachroniſmo peccavit Koenigshovius, (*x*) Etichonem nonniſi circa An. DCLXXX. Alſatiæ Ducem conſtitutum perſcribens. Sub tribus illum Auſtraſiæ Regibus, Childerico II. Dagoberto II. & Theodorico III. Alſaticum adminiſtraſſe Ducatum, omnes rerum circumſtantiæ probant. Ducatus eo tempore hæreditarios nondum fuiſſe, res cognita eſt. Childericus Etichonem libere & jure ſuo Ducem conſtituit; ſive pater ejus & ipſe Dux fuerit, ſive modo Dynaſta. Ex Alemannicis moribus in ipſo Alemanniæ Ducatu filius Ducis non facile præteritus eſt, niſi officio ſe reddidiſſet indignum. (*y*) Ducatum Etichoni traditum, quod Leudeſii, Majoris Domus, filius eſſet, quodque Reginæ Bilihildis ſororem in matrimonio habuiſſet, Topologus Novientenſis, Fragmentum Urſtiſianum, Kœnigshovius, atque ex his juniores plurimi tradunt; qua de opinione quid ſentiendum, ex infra dicendis patebit, ubi Leudeſium Etichoni abjudicaturi ſumus parentem.

§. XXXIII.

Non Alemanniæ.

Etichonis noſtri tempore Alemanniæ Ducatum rexit Godefridus Dux, ut Capite præcedenti evici. Gebvilerus (*z*) tamen, Lazius, (*a*) Vignierius, (*b*) Chifletius, (*c*) Obrechtus, (*d*) Schilterus, (*e*) Eccardus, (*f*) Carolus Hugo, (*g*) Herrgottus, (*h*) aliique Etichonem & Alemanniæ & Alſatiæ Ducatum ſimul geſſiſſe volunt; non idonea auctoritate inducti. Tam perſuaſus hac de re fuit Obrechtus, ut ſcriberet: " Ab hoc, (Athico) tanquam à certiore origine, veteres Alemanniæ & " Alſatiæ Duces, qui ſub Merovingis Francorum Regibus fuerunt, merito deducit " Wolfgangus Lazius." Obrechtianam ſententiam confutant, quæ ſupra de Alemanniæ Ducibus diſſerui; ubi Alemanniam refractariam ſuos ſibi tum Duces habuiſſe, & à Francis deſeciſſe, oſtenſum. Id porro certum eſt, nec Biologum Odilianum, nec Chronicon Novientenſe, nec Fragmentum Urſtiſianum, ad quorum teſtimonia provocatur, de Alemannico Etichonis Ducatu verbum proferre. A Biologo Odiliano ſimpliciter *Dux illuſtris Adalricus* appellatur: Chronicon Novientenſe eum à Rege *Ducatum Germaniæ* fuiſſe adeptum ait. Koenigshovius, (*i*) Alſatiæ & circumjacentium regionum Ducem Etichonem conſtituens, ſeduxit alios, ut Alemannicum inde Ducatum procuderent. In Chronicon Latinum Mſ. (*k*) ipſa Chronici Novientenſis verba Kœnigshovius tranſcripſit. Quam improprie autem loquatur hoc Chronicon, mecum nemo non videt. Sub generica *Ducatus Germaniæ* appellatione, noſter profecto Alſatiæ, non minus, quam Alemanniæ, imo qualiscunque alius Germaniæ Ducatus, intelligi potuit.

§. XXXIV.

(*t*) Humb. Belhomme, malo uſus apographo, An. XII. regni Childerici poſuit, in *Hiſt. Mediani Monaſt.* pag. 14.
(*u*) *German.* Tom. I. Part. III. pag. 15.
(*x*) *Chron. Alſatiæ* Cap. IV. §. XIX. pag. 238.
(*y*) *Lex Alemann.* Tit. XXXV. in Lindenbrogii *Legib. Antiq.* pag. 371.
(*z*) *Vita S. Odiliæ* pag. 29.
(*a*) *Migrat. Gent.* Lib. VIII. pag. 391.
(*b*) *Origine des Maiſons d'Alſace.*
(*c*) *Stemmat. Auſtriac.* Cap. V. pag. 48.
(*d*) *Prodrom. Rer. Alſat.* Cap. X. pag. 215.
(*e*) Kœnigshovii verba ſua facit & approbat Schilterus in *Obſervat.* pag. 1066.
(*f*) *Origin. Habsburgo-Auſtr.* Lib. I.
(*g*) *Annal. Præmonſtr.* Tom. II. pag. 410.
(*h*) *Genealog. Habsb.* Tom. I.
(*i*) *Chron. Alſat.* pag. 238.
(*k*) Fol. 67.

§. XXXIV.

Monaſteria ſtructa.

Alſatia ſub Etichone, quieto & pio Principe, tranquilla fuiſſe videtur; bellis civilibus dum Alemannia ſerveret. Ex tenebris tum ſuis, quibus toto ſeculo V. immerſa fuit, emerſit Alſatia; ſub filiis & nepotibus ejus, quibus Eccleſiarum exſtruendarum ac dotandarum præcipua cura, magis magisque inclareſcens; poſtquam illi ampliſſimas terras, quas Etichn cis & trans Rhenum, cis & trans Juram, poſſederat, ad Eccleſias transtuliſſent.

Pietatem Etichonis duo potiſſimum Monumenta, Hohenburgenſis Parthenn, & Ebersheimenſe virorum Cœnobium, teſtantur. Illum pro Odilia, nata ſua, inſtituit; Caſtro ſun montano in Monaſterium converſo, ditatoque reditibus. Ibi vitam ipſe denique ſenex devotus finivit, ubi juvenis eam ſæpe lætus transegerat; nunc Ehenhemii, nunc Hohenburgi moratus. (*l*) Dolendom, neutrius Monaſterii, ab Etichone inſtituti, à Rege confirmati, Literas ſupereſſe. De Hohenburgenſi tamen Scriptorum idoneorum, ut & Diplomatum, per inſequentis ævi decurſum, conſenſus, nos dubitare non ſinit. Ebersheimenſis autem Abbatiæ ſimilibus documentis Eticho auctor adſtrui nequit. Carolina enim & Ludoviciana Diplomata interpolata ſunt. Res ſola ſtat fide Novientenſis Topologi, qui S. Deodati inſtinctu Etichonem id feciſſe commemorat; hunc ſecuti ſunt reliqui. De Etichnne fundatore ſubdubitat Eccardus. (*m*) Quidquid ſit, Ebersheimenſium dotator fuit Eticho, ſi non extitit auctor.

§. XXXV.

Annus mortis.

Annus ejus mortis non minus, ac nativitatis, incertus eſt. Encomiaſtes S. Odiliæ Piſtorianus, ævo illi proximus, obſervat, eum in Hnhenburgenſe denique, quod condiderat, Monaſterium cum uxore ſeceſſiſſe, ubi paulo poſt mortuus atque ſepultus. (*n*) Eticho adhuc erat ſuperſtes An. DCLXXX. uti ex Ebersheimenſi Theodorici III. Diplomate, quod ſuperius allegavimus, conſtat. Adelbertum, filium ejus, An. DCCXXII. jam defunctum, infra docebitur. Quodſi ergo, ex Canone, apud Chronologos & Genealogos recepto, in ſingulas generationes triginta computes annos, Eticho circa An. DCXC. obiiſſe credendus, poſtquàm circa XXIV. annos Alſatiæ adminiſtraſſet Ducatum. Illuſtris Ohlenschlaoerus epocham mortis ejus in An. DCXCVIII. & Dionysius Albrechtus, Regularium Præmonſtratenſium, qui Odilianum Montem nunc occupant, Prior, in An. DCXCIX. vel ſequentem, conjiciunt. Sepultus eſt, una cum Berswinda conjuge, paucis poſt maritum diebus mortua, in eadem Eccleſia. Sarcophagus Etichonis, ex lapide ipſius montis paratus eſt; quem æri inciſum, inter Monumenta Francica damus. Etichonem Chartæ Librique plures inter Divos poſuerunt. Conradus Argent. Epiſcopus, in Literis An. MCXC. (*o*) elogium *Sancti* ei tribuit; exemplum ſequuntur Catharina, Hohenburgenſis Abbatiſſa, & Suſanna ab Hohenſtein, An. MCCCXII. & MCCCCLXXXV. In veteri Hohenburg. Directorio Canoniſſis injunctum, ut S. Athici memoria celebraretur quotannis. (*p*) Receptio tamen ejus inter Cœlites ooo generatim agnita eſt.

Tab I. num. 5.

§. XXXVI.

Character.

Plerique Scriptores duri, ferocis, imo & crudelis animi, ingeniique Etichonem accuſant. Bobolenus (*q*) annotat, Chadicum ægre tuliſſe, quod pagenſes, Grandivallenſi Monaſterio vicini, plus obſequii Abbati, quam ſibimet Duci exhiberent; atque hinc à militibus ſuis Abbatem trucidari juſſiſſe. Abbas hic ipſe fuit Germanus, cujus vitam Bobolenus deſcripſit. Dubitatur tameo, Etichoni patri, an filio ejus cognomini, hæc cædes tribuenda. Nomen quidem, ſed oon facile annus DCLXII. circa quem occiſum fuiſſe Germanum Cointius monuit, patri applicari poteſt & filio. Etichonem quoque noſtrum in mandatis dediſſe volunt, ut Odilia, cœca quum in lucem prodiiſſet, poſt partum occideretur. Addunt denique, eum manu ſua interfeciſſe filium anonymum,

---

(*l*) *Biologus S. Odiliæ* apud Mabillonium & Topologus Novient.

(*m*) *Origin. Habsburg.* Lib. I. Cap. III. ubi: *Tribuatur vulgo Athico fundatio Monaſterii Ebersheimenſis &c.* In hnc Capitis: *De ea* (fundatione) *ferme dubito, quanquam benefactorem, & reſtauratorem fuiſſe, certum ſit.*

(*n*) *Fragmenta Piſtor. Vita S. Odiliæ*, ab initio.

(*o*) Galliæ Christ. Tom. V. Inſtrumentor. pag. 490. ubi: *Hohenburgenſis Eccleſia, ſcilicet Sancto Adalrico*, patre S. Odiliæ, initiata.

(*p*) Hugo Peltre *Vie de S. Odile*, Cap. X. pag. 102. Dionysius Albrecht *in Manuduct. ad Odiliæ montem*, pag. 133. ſq.

(*q*) *Vita S. Germani* Cap. II. & XII.

POLITICA.

anonymum, cujus conſilio Odilia ex Palmenſi Cœnobio ad parentes redierit. (r) Cum ætate animus Etichonis mitior evaſit. Ludovicus Pius in Hohenburgenſi Diplomate, ſed interpolato, ait: "Athicus, pater S. Odiliæ virginis, Princeps honoroſus, „ actu generoſus, mente virtuoſus, devotione glorioſus.„ Quodſi ergo tempora diſtinguas, & vituperatores, & Encomiaſtæ Etichonis, locum habere poſſunt. Hieronymus Gebvilerus, (s) aliique vix poſſunt admitti, qui conſtantem per omnes vitæ periodos pietatem ei adſcribunt.

§. XXXVII.

Alii ejusdem nominis.

Ceterum Eticho, ſeu Adalricus noſter, ab alio Adalrico diſtinguendus eſt probe; quem Diploma Theoderici III. Regis, Monaſterio Besvenſi datum, (t) Burgundiæ Ducem memorat, quique Amalgarii filius, in Burgundia natus, cum Alemanno-Alſatico Etichone nihil habet commune: ſuppar, vel idem cum Adalrico illo Duce, qui inter B. Leodegarii perſecutores à Leodegariano Biologo recenſetur. (u) Hericus quidam Dux noſtro Etichoni ſynchronus extitit, cui, & Chareicivo Comiti, Clodoveus III. Præceptum pro Stabulenſi & Malmundarienſi Monaſteriis, anno ſecundo regni ſui, ſeu An. Chr. DCXCIII. inſcripſit. Henschenius, qui Chartam hanc ex Bambergenſi Codice protulit, (x) pro Herico habet *Aerico* & *Charevio* Comiti. Mabillonius, (y) qui Henſchenianum modo vidit exemplum, nomen *Aericus* corruptum exiſtimans, ſubſtituit *Æticus*, quem eundem cum Etichone noſtro, Duce Alſatiæ, judicat; judicaturus aliter, ſi ipſum Stabulenſe Cartularium, & Malmundarienſem Codicem Mſ. inſpexiſſet, ex quo Martenius (z) deinceps Diploma genuinum dedit, in quo *Hericus* diſerte, non Æticus, exprimitur. Enimvero Arduennæ ſilvæ, ad quam Stabulenſe & Malmundarienſe pertinuerunt Cœnobia, quid cum Alſatia ejusque Duce fuit commune? Bouquetus (a) ex Marteniana Collectione ſuum exemplum deſcribens, Mabillonii tamen auctoritate impulſus, pro Herico, *Æticum* dedit; quem pariter Alſatiæ Ducem, Etichonem, exiſtimat.

Alius porro apud Gallos Atticus fuit, cui Venantius Fortunatus, (b) ſeculo VI. finiente, epitaphium ſcripſit, eumque à nobilitate, eloquio & à liberalitate commendavit. Etichones, qui poſt noſtrum in Annalibus occurrunt, enarramus inferius.

§. XXXVIII.

Majores Etichonis.

Poſteritas Etichonis, ex qua tot illuſtres prodierunt Familiæ, Genealogos induxit, ut in Majores Etichonis ſollicite inquirerent. Wolfg. Lazius, Henningeſius, Gabr. Bucelinus, aliique hujus generis Scriptores, heic non veniunt in cenſum, quod in ſtemmatibus formandis audaces, conjecturas ſuas plerumque pro documentis ediderunt. Poſtquam vero in hoc genere nugari deſitum, & Andreas Cheſnius, Francicarum familiarum Deſcriptionibus ſuis, modum Genealogica enucleandi monſtraſſet, eo adhuc vivente, Hieronymus Vignierius (c) eruendæ Etichonis Genealogiæ methodum veriorem primus ingreſſus eſt; Vir haud vulgaris doctrinæ, Congregationis Patrum Oratorii ad S. Maglorium Presbyter, patria Bleſenſis; cujus Liber, (d) quem hoc ſuper argumento in lucem emiſit, magno cum applauſu fuit exceptus. Jacobus Chifletius, Veſontinus origine, atque David Blondellus, Franco-Campanus, acerrimis licet inter ſe ſcriptis, pro Rege ſuo uterque, digladiati, in Vignieriano tamen, circa Majores Etichonis, ſyſtemate fuerunt concordes. Prior novis illud documentis firmare ſategit; (e) poſterior Habsburgo-Auſtriacam gentem *Erchinoaldinam* inde vocavit, (f) quod Vignierius Erchinoaldum, Regiæ Domus Majorem, Etichoni avum, Leudeſiumque patrem aſſignat. Nos *Leudeſianum Syſtema* appellabimus, quoniam præcipua de Leudeſio lis eſt, cardoque rei in patre Etichonis vertitur, num ille à Leudeſio

Ccccc ex

(r) Biologus Odilianus apud Mabillonium.
(s) *Vita S. Odiliæ* pag. 30.
(t) *Chron. Beſvenſe* in Dacherii *Spicileg.* Tom. II. pag. 403.
(u) *Vita S. Leodegarii* apud Mabillon. *Acta* Tom. II. pag. 659.
(x) De *trib. Dagobertis* pag. 148.
(y) *Annal. Benedict.* Tom. I. pag. 599.
(z) *Ampliſſ. Collect.* Tom. II. Col. 14.
(a) *Scriptor. Rer. Franc.* Tom. IV. pag. 669.
(b) In *Carminibus Hiſtor.* apud Chesnium *Scriptor. Franc.* Tom. I. pag. 481.

(c) Nepos Nicolai Vignierii, cujus *Bibliotheca Hiſtorica*, Gallice ſcripta, eruditum opus, notiſſima eſt. Noſter An. MDCLXI. ætatis LV. obiit, quum junioribus annis Eccleſiæ Reformatorum Bleſenſis fuiſſet Miniſter.
(d) Rubrum Libri: *La veritable origine de trois illuſtres Maiſons d'Alſace*, fol. Paris 1649.
(e) In *Stemmate Auſtriaco*, quod Antverpiæ editum 1650.
(f) In *Præfat. Apologet.* ad *Genealog. Franc.* num. 30. fol. 1. ac deinceps paſſim.

POLITICA.

ex Neuſtria, an à Leuthario, ex Auſtriæ repetendus ſit regno. Pro Leudeſio Vignierius, pro Leuthario Cointius pugnarunt: uterque ſuos nactus eſt aſſeclas. Scriptorum poſteriorum, quantum novimus, omnes in alterutrum horum ſyſtematum tranſierunt. Vignierius, ut ſuam cauſam defenderet, Odilianum Biologum, (g) ſeculi X. Scriptorem, teſtem adducit; apud quem hæc legimus: "Temporibus Hildrici Imperatoris „ erat quidam Dux illuſtris, nomine Adalricus, qui etiam Edichin.... ex nobiliſſimis „ parentibus generis nomen ſortiens, Gallienſium territorio oriundus. Pater illius, „ nomine Luithericus, (h) in Palatio prædicti Imperatoris honore Majoris-Domus „ ſublimatus erat." At vero teſtis hic Vignierio contrariatur magis, quam favet. Luithericus enim, qui pater Etichonis heic dicitur, Leuthario Alemannico, quam Leudeſio Neuſtrio, ſane ſimilior eſt. Imo &, ex altera parte, Biologus hic Leutherianæ contrariatur hypotheſi, quando Leutharium non Alemanniæ Ducem, ſed regiæ Domus Majorem ſub Childerico II. diſerte conſtituit.

§. XXXIX.

Syſtema Leudeſianum.

Primus Leudeſium Etichoni patrem aſſignat Annaliſta Ebersheimenſis, Monaſterii illius Cœnobita, qui ſeculo XIII. Chronicon, *Novientenſe* (i) quod vocat, compilare cœpit. Is ita diſſerit: "Leodeſius, (Erchinoaldi filius) Major Domus exiſtens, duxit uxorem nobiliſſimam de proſapia Sigiſmundi & Gothmari, Regum „ Burgundiæ, genuitque ex ea filium, nomine Athicum ſeu Adalricum." Paulo poſt pergit: "Athicus autem filius ejus, patre adhuc ſuperſtite & Childerico regnante, „ uxorem duxit Berswindam, filiam ſororis S. Leodegarii Epiſcopi & Guarini, Comitis „ Pictavienſis, ſororem videlicet Reginæ. Ob hanc itaque cauſam conſanguinitatis ſeu „ propinquitatis à præfato Rege Ducatum Germaniæ adeptus eſt, habuitque ſedem in „ villa Regia, quæ Ehenheim vocatur, vel in Caſtro, in vertice montis ſito, quod „ olim.... Altitona fuerat nuncupatum, nunc vero eadem etymologia Hohenburc „ nominatur." Urſtiſianus Anonymus (k) pleraque hæc iisdem verbis enuntiat; id quod & Koenigshovius (l) noſter fecit, tum ipſa Chronici Novientenſis, tum Fragmenti Urſtiſiani verba, quæ Etichonem reſpiciunt, deſcribens; adeoque neuter horum Scriptorum numerum teſtium, pro Leudeſio Etichonis patre pugnantium, auget. Omnium ergo Leudeſio faventium primus eſt Novientenſis Topologus, quem cæteri omnes ſuo ordine, poſtremis autem his ſeculis Sebastianus Munsterus, (m) Gaspar Bruschius, (n) Joannes Bucelinus (o) & Nic. Vignierius, (p) Hieronymi noſtri avus, ſecuti ſunt. His conſentientibus Etichonis pater Neuſtraſius, mater Burgunda, filius apud Auſtrios Alemanniæ conſtitutus eſt Dux.

§. XL.

Difficultates ejus.

Verum enimvero Leudeſiana hypotheſis plena nodorum eſt, plena difficultatum, quas expedire vix licet. I. Leudeſius nonniſi poſt mortem Childerici II. Major Regiæ Domus effectus eſt, ſub Theodorico III. Rege rebus adhuc ubique commotis, uti *Geſta Regum Francorum*, (q) & Continuator Fredegarii, (r) teſtantur. Qui ergo Major Domus potuit ſub Childerico II. filium gignere, quem idem Childericus conſtitueret Ducem? Childericus quatuordecim annos, in Auſtria partim, partimque in omni Francia, regnavit.

II. Topo-

(g) In *Actis Sanctor. Bened.* Mabillonii, Tom. IV. pag. 441.

(h) Aliis *Liutbericus* legitur.

(i) Apud Martene *Theſaur. Anecdotor.* Tom. III. pag. 1128. Hermann. Schminckius in *Diſſert. de Adelrico* §. XV. Novientenſe Chronicon ab Ebersheimenſi diſtinxit, quod tamen unum idemque. Traditio vetus, ſed nullo nixa fundamento, ubi Ebersheimenſe Monaſterium eſt, ibi ante & ſub Romanis extitiſſe Novientum.

(k) Urstisii *Scriptor. Rer. German.* Tom. II. pag. 75. Idem Fragmentum dedit Chesnius *Script. Franc.* Tom. I. pag. 782.

(l) *Chron. Alſat. Lat.* MS. fol. 67. in *Obſervat.* Schilteri pag. 508.

(m) *Coſmograph.* Lib. III. Cap. CXXXVI.

(n) *Chronologia Monaſt. Germaniæ* pag. 375.

(o) *Annal. Gallo-Flandriæ* Lib. II. pag. 76.

(p) *Chron. Burgundiæ* pag. 40.

(q) Cap. XLV.

(r) Cap. XCV.

II. Topologus Novient. Leudeſium non modo ſub Childerico II. ſed & ſub patre ejus Clodoveo II. Majorem Dumus, omni refragante Hiſtoria, conſtituit. (*s*)

III. Leudeſius hrevi poſt Childericum occiſum & ipſe interfectus eſt, poſtquam non anni unius ſpatio Præfectus Palatii fuiſſet. Obſervat hoc SIGEBERTUS GEMBLAC. (*t*) innuunt CONTINUATOR FREDEGARII, (*u*) *Geſta Regum Francorum*, (*w*) Auctorque coævus *Vitæ S. Leodegarii.* (*x*) Qui ergo Leudeſius, durante ſua Præfectura Palatii, quæ non unius anni fuit, filium & gigoere, & Ducem Germaniæ videre potuit?

IV. Leudeſius & Luithericus, diverſiſſima nomina, inter ſe confunduntur.

§. XLI.

V. Childericus II. Etichoni Ducatum, *conſanguinitatis cauſa*, conceſſiſſe ſcribitur, quod Childerici & Etichonis uxores fuerint ſorores. Affinitati occaſionem dedit Leudeſius, Major Domus, qui filio Etichoni conciliaverat has nuptias. Atqui ſub Childerico II. Major Domus non fuit Leudeſius. Aliæ difficultates.

VI. Bilihildis, Childerici II. conjux, filia fuit Sigeberti II. Auſtraſiorum Regis, qui patruus erat Childerici. Apparet hoc ex *Vita S. Leodegarii*, à coætaneo ſcripta, (*y*) qui ait, Leodegarium increpaſſe Childericum, quod Regina, quam habebat conjugem, *filia ſui eſſet avunculi.* (*z*) Quo pacto autem Berswinda, Etichônis conjux, ſoror eſſe potuit Bilihildis, matertera quum Leodegarii fuerit? Soror enim erat Sigradæ, matris Leodegarii, non filia ſororis ejus, quod *Vita Odiliæ Mabillonea* (*a*) teſtatur.

VII. Topologus Novientenſis, narrationis ſuæ fidem ut imminueret magis, fabulam filii unici, à patre Etickone occiſi, annectit; unde Eticho ſua bona, in quatuor partes diviſa, Eccleſiis reliquerit. Quam falſum hoc ſit, Piſtorianus Odiliæ Biologus probat, apud quem tres Etichonis I. filios legimus, Adelbertum, Etichonem II. & Hugonem; quurum duo priores patri ſuperſtites fuerunt, ejusque inter ſe terras diviſerunt. De *Altitona* monte nihil addo, quem eadem Topologia cum Odiliano monte confundit. Ille enim in Lotharingica Vogeſi parte jacet. In ſcopulos hos incidunt, qui Etichoni patrem Leudeſium, Erchinoaldum avum, aſſignant. Etichonem à Childerico II. Ducatum Alſatiæ accepiſſe, haud equidem dubito, quippe qui An. DCLX. Rex Auſtraſiæ factus. Ducatum autem ei conceſſum, quod Leudeſii, Majoris Domus, filius atque affinis Childerici fuerit, id nego conſtanter. COINTIUS (*b*) Fragmenti Urſtiſiani [Chronicon enim Novientenſe tum ineditum] ſalvaturus fidem, præter Athici nomen, has quoque voces: *cum Major Domus eſſet*, atque iſtas: *ſororem videlicet Reginæ*, delendas exiſtimat; violento remedio, quod præ omnibus Novientenſi adhibendum eſt Chronico; ex quo Fragmenti Urſtiſiani Anonymus ſua deſumſit. Inferimus hinc, Etichonem Leudeſii, Majoris Domus in Neuſtria, filium idoneo ſatis teſtimonio non poſſe probari; adeoque Leudeſianum Vignierii ſtemma debilibus fulcris inniti. Præter Chiffletium tamen atque Blondellum, de quibus

ſupra,

(*s*) Majoratus Leudeſiani Chronologia, à multis male tradita, facit, ut eam paucis exponere cogamur. Dignitas hæc brevi tempore in Leudeſii manibus fuit. Ebroinus, tenera Clotharii III. ætate ebuſus, proceres vexavit, mortuoque Clothario, inconſultis optimatibus, Theodoricum III. Regem conſtituit. Hi Regem, vitio creatum, Dionyſiano Monaſterio, Ebroinum vero Luxovienſi, includunt. Tum Childericus II. in locum fratris, quo vivo jam Auſtraſiam rexerat, Neuſtriæ quoque ſolium conſcendit, & Uulfoaldum ex Auſtria ſecum Majorem Domus adduxit. Childerico autem An. DCLXXIV. occiſo, Uulfoaldus, totius nuper Monarchiæ Major Domus, in Auſtraſiam fugit, Neuſtriæque pars procerum Leudeſio Majoratum contulit. Sed Theodoricus III. quum ſtatim e Monaſterio reduceretur in ſolium, & ipſe Ebroinus inde prodit, Leudeſio ſtruxit inſidias, eundemque occidit. Hæc ex *Continuatore* FREDEGARII Cap. CXVIII. *Geſtis Francorum* Cap. XLVII. *Vita S. Leodegarii* Cap. VIII. & ex AIMOINI Lib. IV. Cap. XLVI. ſq. Errat ergo BOLLANDUS, quando Leudeſium An. DCLXVII. jam Palatii honores accepiſſe exiſtimat, in *Notis* ad Januar. pag. 534. §. VIII.

(*t*) *Chron.* ad An. DCLXXIX. & DCLXXX.

(*u*) Cap. XCVI.

(*w*) Cap. XLV.

(*x*) Apud MABILLON. *Acta SS. Benedict.* Tom. II. pag. 656.

(*y*) Apud MABILLON. *Acta SS. Benedict.* Sec. II. pag. 653.

(*z*) Avunculus *patruum* heic indubie deſignat. Quum enim Batildis, Childerici matris, genus Hiſtoricis ejus temporis ignotum ſit, utpote quæ de *tranſmarinis partibus*, *vili pretio venumdata*, *in Galliam venerat*, *receptaque ab Erchinoaldo*, *in cujus miniſterio diu verſata eſt*, uti in vita ejus apud BOLLANDUM die XXVI. Januar. legitur: cuilibet apparebit, S. Leodegarium nonniſi de fratre Chlodovei II. locutum fuiſſe, quum diceret, Childericum duxiſſe avunculi ſui filiam. Vid. COINTIUS, MABILLONIUS, VALESIUS *Rer. Franc.* Tom. III pag. 282. Ceterum eadem verba Leodegariani Biologi quidam de Leodegarii, non de Regis, avunculo, male intellexerunt; unde affinitatis inter Leodegarium & Regem nata opinio. Vide, quæ infra de Berehſinda diſſerimus.

(*a*) *Act. SS. Benedictin.* Tom. IV. pag. 443.

(*b*) *Annal. Francor.* Tom. III. pag. 650. ad annum DCLXXIII.

POLITICA.

ſupra, Car. Ludovicus Tolnerus, (c) Conr. Sam. Schurzfleischius (d) noſtraque ætate Reverendiſſ. Calmetus, (e) Rev. Marquardus Herggott, (f) ac ouperrime Illuſtris Olenschlauerus, (g) quoad Majores Etichonis, calculo quoque ſuo probarunt hoc ſtemma.

§. XLII.

Syſtema Leutherianum.

Veruntamen ex altera quoque parte oon defuerunt, qui Leudeſium Etichoni Duci patrem præfracte negarent. Primus hoc fecit Pariſienſium quoque Oratorii Presbyter, Carolus Cointius, (b) *Eccleſiaſticis Francorum Annalibus*, An. MDCLXVIII. Lutetiæ editis, clarus. Hic veriſimiliore coojectura Etichouis Ducis patrem [quem Odilianus Biographus ſimpliciter *Luthericum*, Anooymus vero Urſtiſianus *Leuthericum* appellat, eundemqoe cum Leudeſio facit] Leuthericum Alemanniæ Ducem conſtituit, Ulricum Obrechtum, (i) Jo. Marillonium aſſeclam nactus, qui in *Annalibus* ſuis (k) & in prævia Diſſertatione ad Vitam Odiliæ, (l) eandem in ſententiam ivit. Horum veſtigia deinceps Hermannus Schminckius, apud Marburgenſes Hiſtoriam & Eloquentiam profeſſus; (m) Georoius Eccarous; Carolus Hugo, Ptolemaidis Epiſcopus, Stivagienſis Abbas; (n) Gilbertus Car. le Gendre, (o) legerunt. Hi omnes in eo conſentiunt, Leutharium, Etichonis patrem, eum ipſum eſſe Alemanniæ Ducem, qui io Ducum hujus nominis ordine comparet ſecundus; (p) qui in *Chronico* Freoegarii (q) laudatur, quique ſub Sigeberto II. Rege Auſtraſiæ, An. DCXLII. Ottonem, Beronis filium, Majorem Domus, Grimoaldi æmulum, obtruncavit. Beneoictus Picartus (r) autem, Capucinus Tullenſis, atque Ludovicus Laouillius, (s) inter Leudeſium atque Leutharium hærent ſuſpenſi. In ſyſtemate Leuthariano, ſive Alemannico, melius inter ſe cohærere circumſtantias non equidem diffiteor. Evitatur difficultas, quæ omnibus ſe facile objicit, cur Childericus II. hominem ex Neuſtria Alſatiæ præfecerit Ducem. Eticho quum Alemannus ſtatuitur, nemini mirum videbitur, quod latiſſima per Alemanniam, ſpeciatim Brisgoviam, Mortinaviam, Alſatiam, imo & per vicinam Trans-Juranam Burgundiam, prædia & latifundia poſſederit. Quod vero Cointius, Mabillonius, Eccardus, Etichonem Leutharij, Alemanniæ Ducis, filium, atque Alemanniæ & Alſatiæ Ducem ſimul conſtituunt, in eo ſane aberrant à vero. Monumenta enim rerum teſtantur, eodem tempore Leutharium II. apud Alemannos Ducem extitiſſe, quo Ducatum apud Alſatas geſſerat Eticho; Childerico II. Dagoberto II. & Theodorico III. Regibus fidus; apud Alemannos omnia quum fuiſſent motibus plena. In Etichonæo itaque ſtemmate Leudeſium, Erchinoaldumque, Præfectos Palatii, ut admittere non poſſumus, ita ab altera quoque parte Leutharius Etichonis pater non poteſt conſtitui; at conſtitui poteſt propinquus. Ex communi forte Alemannica ſtirpe Leutharius & Eticho prognati fuerunt.

§. XLIII.

Conjecturæ aliæ.

Etichonis certe pater dives & potens circa Alemanniam Rhenenſem Dynaſta extitit, quippe qui filio tantas opes reliquit. Quodſi autem ex ſimilitudine nominis Liutherici & Leutharii Cointius & Mabillonius patrem Etichonis produxerunt, cur non ex ipſo quoque *Etichonis* nomine, apud Guelfos frequenti, conjicias, ex potente Guelforum Alemannica ſtirpe Etichonem, Alſatiæ Ducem, ſuas origines trahere? Ex Guelfico ſanguine Eticho Alſatiæ, & Leutharius Alemanniæ Dux, prodire potuerunt: propinquitas inter eos, ooo filiatio quærenda. Nec porro obſtare quid video, quin Etichonis

(c) *Hiſt. Genealogica Haſſiæ Landgraviorum*, apud Schminckium in Diſſert. *de Adalrico* &c. pag. 3.

(d) In Diſſert. cui titulus: *Principium Moſellæ Auſonii*, §. XIII.

(e) *Hiſt. de Lorraine* Tom. I. *Diſſert. preliminaire* Col. CXL.

(f) *Genealog. Habsburg.* Lib. II. Cap. XIX. pag. 199.

(g) Sub rubro: *Unterſuchung des wahren Urſprungs Herzogs Athici*, An. MDCCXLVII. fol.

(h) *Annal. Eccleſ.* Tom. III. pag. 692. num. 4 5. Hadrianus Valeſius *Rer. Franc.* Tom. III. Lib. XXI. pag. 283. ante Cointium jam dubitavit, an Leudeſio unquam Adalricus filius fuerit; argumentum hoc tamen non complexus eſt totum. Valeſii Liber An. MDCLVIII. prodiit.

(i) *Prodromo Rerum Alſat.* qui anno 1681. prodiit, Cap. X. pag. 215. ait: "Patrem ei (Athico) „ Leudeſium Major-Domum . . . tribuit communis „ ſcriptorum ſententia, quam nec hic ſollicitare „ animus eſt: licet non leves ſuſpicandi cauſas ha„ beam, patre potius Leutherio ſive Leuthario na„ tum eſſe &c. „ Et pag. 196. "Leudeſium, quem „ ei (Adelberto) avum conſenſus Scriptorum, vulgo „ tribuit.

(k) *Annal. Ord. S. Benedicti*, An. MDCCIII. editis, Tom. I. Lib. XV. Cap. LXI. pag. 489.

(l) *Acta Sanctor. Benedict.* Tom. IV. pag. 440.

(m) In Diſſertatione, cui titulus: *Num Adalricus ſive Athicus, Dux Alſatiæ, Leudeſii Majoris Domus, fuerit filius*, 4to 1720. Annexa quoque eſt *Originibus Habsburgicis* Eccardi.

(n) *Annal. Præmonſtrat.* Tom. II. pag. 407.

(o) *Antiquités de la Maiſon de France* pag. 358.

(p) Vide Caput præcedens.

(q) Cap. LXXXVIII.

(r) *Origine de la Maiſon de Lorraine*, Cap. XII.

(s) *Hiſt. d'Alſace* Tom. I. Lib. VII. pag. 79.

Etichonis noſtri genitorem, cum Biologo Odiliano & Anonymo Urſtiſiano, *Luitbericum*, *Leutericum* appellem, ita tamen, ut eum nec Alemanniæ Ducem, nec Præfectum Palatii, nec Erchinoaldi filium, extitiſſe cenſeam. Luitberici & Etichonis nomina apud Alemannos frequentia. Juditha, quæ Ludovico Pio nupſerat, origine Alemanna, fratrem habuit Etichonem, (*t*) ex Guelfico genere. Hujus ex filio Henrico nepos Eticho Conſtantiæ cælebs obiit. Frater ejus Conradus, Conſtantienſis Epiſcopus, cum tertio fratre Rudolpho patrimonii partem, ſibi adjudicatam, quum commutaſſet, ab ipſo *Colmar* in Alſatia accepit; (*u*) haud infirmo documento, Guelfos poſſeſſiones in Alſatia habuiſſe. Eticho de Altorff, incerto patre genitus, anno DCCCCLXXXIII. factus eſt Epiſcopus Auguſtanus, & per quinquennium dein fuit ſuperſtes. (*x*) Factum hinc, ut Gabriel Bucelinus (*y*) Guelphos ſuos ex Alſatia, ſtirpeque Etichonis I. derivaret. Guelphi I. patrem, Etichonis I. Guelphici avum, vocat Iſenbartum, & huic patrem aſſignat Warinum quendam Comitem, Eberhardi Alſatici, Murbacenſis Abbatiæ fundatoris, filium. At vero Eberhardus ille mortuus eſt improlis, unde Guelphica gens Alſaticæ ſtirpi alio modo inſerenda, vel Alſaticus potius ramus ex Alemanno-Guelphica derivandus eſt ſtirpe. Ex Altorfenſibus illis Alemanniæ Guelfis Etichonem derivamus facilius, quam ex Etichonis ſanguine origines Guelforum deducimus. Ceterum Cointius (*z*) male imputavit Vignierio, Leudeſium ab eo habitum fuiſſe Alemanniæ Ducem, quum nihil hujus rei Vignierius dixerit. Nec Cointianæ alteri conjecturæ ſubſcribo, qua ille Adelricum ab Athico noſtro diſtinguit; illum Leudeſii, hunc vero Leutharii, filium extitiſſe conjectans. Gundonius atque Bonifacius, Etichonis in Alſatiæ Ducatu deceſſores, unde prodierint, conjectura non aſſequor. In omni argumenti hujus diſquiſitione facilius refellimus, quam certi quid ſtabilimus.

§. XLIV.

Berehſinda Uxor Etichonis.

Uxor Etichonis fuit *Berehſinda*, uti Biologus Odilianus apud Mabillonium, eam appellat. In Piſtoriano Fragmento *Bruswinda*; in Ebersheimenſibus Chartis, ut & in Topologia Novientenſi, atque Fragmento Urſtiſiano, *Berſuinda*, à Kœnigshovio *Berswinda*, vocatur; à qua vicus *Berſch*, poſtea oppidulum, Odiliano monti vicinum, nomen ſuum trahere creditur. Stirpem ejus Odilianus Encomiaſtes (*a*) ita exponit: " Adalrici thalamis venerabilis conjux adhærebat, ex nobiliſſimis progenitoribus orta, " nomine Berehſinda, ſicuti adſertione plurimorum didicimus, adfinitate S. Leodegarii " redimita, ſoror B. Sigrandæ, matris ipſius S. Leodegarii. " Contrarius huic aſſerto Topologus Novientenſis, & Fragmenti Urſtiſiani Auctor, qui Berswindam filiam ſororis S. Leodegarii, & Bilichildis Reginæ, Childerico II. nuptæ, faciunt ſororem. Hi nimirum, quum in Vita S. Leodegarii, à coætaneo quodam ſcripta, legiſſent, Leodegarium arguiſſe Regem Childericum, quod *Regina, quam habebat conjugem, filia ſui eſſet avunculi*, hoc eſt avunculi Childerici, verba de Leodegarii avunculo perperam interpretati ſunt. (*b*) Nec majore veriſimilitudine Cointius Berſuindam noſtram uxorem fuiſſe putat Adelrici illius, quem Leudeſio, Majori Domus, filium aſſignat, & ab Etichone noſtro diſtinguit. Chartæ enim Ebersheimenſes, à Carolo M. & Ludovico Pio datæ, Attico, Alſatiæ Duci, conjugem Berswindam conſtanter attribuunt. Berswinda hæc, brevi ante mortem, cum Etichone marito, in Hohenburgenſe Cœnobium ad Odiliam ſe contulit, ibique nono poſt maritum die exſpiravit. (*c*)

§. XLV.

Etichonis Liberi.

Circa liberos Etichonis, ex Berehſinda natos, variant Scriptores. Vignierius & Mabillonius, Ruyrii (*d*) auctoritate fulfulti, & Ruyrius à Gebwilero (*e*) ſeductus, filios ipſi aſſignant ſex: Etichonem II. Adelbertum, Hugonem, Batachonem, Haichonem & Anonymum. Exceſſu hi procul dubio peccarunt; uti Topologus Novienti & Auctor Vitæ S. Hildulphi peccant defectu; qui unicum ei dant filium, quem à patre, ob Odiliam ſervatam, ajunt occiſum. Unde bona, in quatuor partes diviſa,

(*t*) *Chron. Weingart. de Guelfis* Cap. III. Item Auctor Anonymus apud Maderum in *Antiquitat. Brunsvic.* pag. 14.

(*u*) *Chron. Weingart.* loco alleg.

(*x*) Velserus *Chron. Auguſt.* Part. II. Cap. III. pag. 35.

(*y*) *Germania* Tom. I. Part. III. pag. 31.

(*z*) *Annal. Eccleſ.* Tom. III. pag. 692.

(*a*) Mabillon *Acta SS. Benedict.* Seculi III. Part. II. pag. 443.

(*b*) Adi ea, quæ ſupra in Etichone hac de re jam diſſerui pag. 759.

(*c*) Fragmentum Piſtorianum *Vita S. Odiliæ*, ab initio.

(*d*) *Antiquités de la Voge* Lib. IV. Cap. XVI.

(*e*) *Commentar.* de *Vita S. Odiliæ.*

POLITICA.

diviſa, Etichonem ita diſtribuiſſe, vult Topologus, ut quartam Abbatiæ S. Stephani, quartam Novientenſibus, quartam Hohenburgenſi Cœnobio, quartam cognatis ſuis relinqueret. Meliora edocti, cum Gebwilero Ruyrium, non minus ac Topologum, deſerimus, ex genuinis monumentis expoſituri Etichonis propaginem. Piſtorianus *Vitæ Odiliæ* Scriptor, qui ipſemet ſe profitetur coævum, filios Adelbertum, Etichonem II. & Hugonem recenſet. En ejus verba: " Venerunt ad exequias parentum Ethico „ Dux & Adalbertus Dux pariter, Ethiconis & Bruswindæ glorioſiſſima progenies. „ Et paulo poſt: " Præfatos Duces ita Domino ſubjugavit, (Odilia) ut non tantum illi „ bona ſua fundandis Monaſteriis impenderent, ſed illius nepotes, tam Ethiconis, cujus „ filii fuerunt Epiſcopus Argent. æquivocus, & Albericus Comes, quam Adalberti „ liberi, Eberhardus ſcilicet & Luitfridus, ſed etiam Hugonis, qui ante parentes ſuos „ defunctus erat, largiter Monaſteria dotaverint & conſtruxerint. „ Habes hic tres Etichonis filios, Ethiconem Ducem, Adelbertum Ducem, atque Hugonem. Ethico *Ducis* nomine venit, nullum licet adminiſtraverit Ducatum. Hugo ante patrem obiit, ſed minime improlis. Adelbertus, patre mortuo, Ducatum Alſatiæ à Rege accepit, quem & ipſe Luitfrido, filio ſuo, moriens reliquit. Cæteri omnes Etichonis nepotes in Comitum claſſe conſtituti. Genealogiam eorum expoſiturus ſum, poſtquam de nata Etichonis Odilia, & de patris filiæque monumentis pauca protulero.

§. XLVI.

Odilia. Odilia, Othilia, Hohenburgenſis Parthenonis, ab Etichone patre inſtituti atque dotati, Abbatiſſa, natu major ejus filiarum fuit atque illuſtrior. Carolus Hugo (*f*) circa An. DCXX. adeoque ſub Chlotario II. alii ſub Sigeberto & Clodoveo II. Regibus; alii denique ſub Childerico II. qui ab An. DCLX. uſque ad DCLXXIV. regnavit, in lucem editam crediderunt. Hohenburgenſis Cœnobii natalium ſi innoteſceret tempus, Odiliæ nativitatis epocham præter propter conjectura aſſequeremur. Ad Stephaniani ergo Monaſterii recurrendum natales, cui prima Abbatiſſa præfuit Attala, filia Adelberti, fratris Odiliæ. Hos autem Pancharta firmaſſe Chilpericum II. qui ab An. DCCXV. ad DCCXX. regnavit, infra docebitur. Attala, quæ tum Abbatiſſa creata, minimum triginta, & amita ejus Odilia ſeptuaginta circiter debuit eſſe annorum. Nec ſeptuagenarium vitæ annum ſuperare multum potuit Odilia, ſi cum Mabillonio, (*g*) Eccardo (*h*) & aliis circa An. DCCXX. ejus obitum figas, uti figendus profecto. Illi, qui eam annum DCCLX. vitæque centeſimum attigiſſe contendunt, Gebwilerus (*i*) nempe, Ruyrius, (*k*) Cointius, (*l*) Peltreus, (*m*) opinionem ſuam defendant. Induxit eos Piſtorianus Vitæ Odiliæ Scriptor. Sed allegata Luitfridi & Eberhardi, Odiliæ ex Adelberto fratre nepotum, Charta Honaugienſis repugnat; Theodorici Calenſis anno III. Æræ Chr. DCCXXIII. data, cui Eugenia, Odiliæ ex Adelberto fratre neptis, quæ amitæ in regimine Abbatiæ ſucceſſit, ut Abbatiſſa Hohenburgenſis ſubſcripſit. Ex Charta hac elucet, Odiliam ac Adelbertum fratrem, jam An. DCCXXIII. fuiſſe defunctos; niſi Odiliam ante mortem munus ſuum depoſuiſſe credas, qua de re tamen nihil conſtat. Idus Decembris, quibus memoria ejus colitur, diem verum Odiliæ emortualem omnes admittunt. Summa rerum ejus ex Encomiaſte huc redit: Pater vix natam, luminibus orbam, juſſit exponi. A matre ſervata, in Monaſterio Palma apud Burgundos educata, & per S. Erhardum, vel, uti Mediani Monaſterii Scriptores volunt, per S. Hildulphum, præſente Erhardo, in Mediano Monaſterio baptizata, viſum recepit. Intercedente pro ea apud patrem fratre anonymo, qui ob id ipſum à patre interfectus dicitur, reſtituta parentibus, Parthenoni Hohenburgenſi, in ſuam gratiam exſtructo, à patre præficitur; quem tanta religione, tanta pietate rexit, ut mortua albo inſcriberetur Divarum. Maximilianus I. ſe felicem exiſtimavit, quod ex Odiliæ proſapia ſuas origines traheret. (*n*)

§. XLVII.

(*f*) *Annal. Præmonſtrat.* Tom. II. pag. 410.

(*g*) *Annal. Benedict.* Tom. I. & *Obſervat. præv. ad Vitam S. Odiliæ in Actis Sanctor. Benedict.*

(*h*) *Origines Auſtriaco-Habsburg.* pag. 16.

(*i*) In *Vita S. Odiliæ*, Germ. ſcripta, pag. 57.

(*k*) *Antiquitez des Voges*, Part. II. Lib. IV. Cap. X.

(*l*) *Annal. Eccleſ.* An. DCXC. num. 75. & An. DCCXII. pag. 509. Cointius Odiliam An. DCLXII. natam & An. DCCLXV. defunctam arbitratur.

(*m*) *Vie de S. Odile.*

(*n*) Ruyr *Antiquitez des Voges* Part. II. Lib. IV. Cap. XIV. Chiffletii *Origo Auſtr. aſſerta* Cap. V. pag. 49.

Digitized by Google

§. XLVII.

Monumenta Etichonis.

Tria Etichonis Ducis Monumenta ad noſtram uſque pervenerunt ætatem; I. Sarcophagus ejus, II. Effigies lapidi inciſa, III. Imago ejusdem cælata thecæ argenteæ tabula. Priora duo in Monaſterio Hohenburgenſi, quod Præmonſtratenſes jam habitant, etiamnum viſuntur: poſtremam vero Medianenſes Benedictini in Vogeſo aſſervant.

Sarcophagus. Tab. I. num. 5.

Sarcophagus, quem Monumenta noſtra Francica exhibent, ex duro cinericii coloris lapide, plusquam ſenipedali, ſculptus eſt, nulla operis arte commendabilis, rudi minerva. Hic in Eccleſia Hohenburgenſi, ad ſeculum uſque XVII. perſtiterat. Poſtquam autem Monaſterium An. MDXLVI. periiſſet incendio, omnia in ruinis jacuerunt, ad annum uſqoe MDCXVII. quo Leopoldus Archidux, Argentinenſis Epiſcopus, Cœnobium reſtauraverat. Tum vero ſarcophagus ex loco ſuo 10 Capellam Angelicam, ad præcipitium poſitam, translatus, eximo, ubi etiamnum viſitur, inſertus eſt muro. (*o*) Succeſſu temporis, neſcio quo fato, evenit, ut magna pars oſſium Etichonis ex illo ſarcophago in Ebersheimenſe Monaſterium transferrentur, ubi in Sacrario ſunt. Quam venerabile Mooumentum hic Sarcophagus ſit, illi facile intelliguot, quibus haud ignotum, quot auguſtæ per orbem Chriſtianum Familiæ ex cineribus, quos ille continet, paulatim propullularint; quod ex Germanica noſtra pateſcet Periodo.

§. XLVIII.

Etichonis imago. *Monum. Francicor. Tab. II. num. 1.*

Etichooeo Sarcophago, qui ſeculi VII. opus eſt, aliud ex ſeculo XII. ejusdem Etichonis Monumentum longe memorabilius ſuccedit; quadrilatera trium cum dimidio pedum, ſtela lapidea. Hujus uno latere Eticho barbatus, coronatus, cinctus tunica fluitante ad pedes, chlamydeque indutus, anaglyptico opere exhibetur, ſed rudi. Calceatus in ſella brachiata ſedens, natæ ſuæ Odiliæ dextra porrigit librum. Corona ejus depreſſa atque aperta eſt, quales Regum Merovingorum erant pleræque, vel omnes. (*p*) Mabillonius, (*q*) qui ante me Monumentum hoc edidit, coronam non diligenter ſatis expreſſit; eumque Eccardus (*r*) & Laguillius (*s*) ſecuti ſunt. Antequam ipſe inſpexeram Lapidem, cogitatio ſubiit, Etichonem origine Alemannum, vel Suevum, crinium forte ſuorum partem, veterum Suevorum inſtar, ſupra caput religaſſe. De Suevis enim annotat Tacitus: (*t*) *Capillum in ipſo vertice religant; & principes & ornatiorem habent.* Inſpecto autem Monumento, non faſcias innodatas, ſed coronam deprehendi; indeque judicavi, nec ad Merovingicum, qoo Eticho vixit, nec ad inſequens Carolingicum ævum, Lapidem hunc referri debere, quo Regiæ Ducibus coronæ nondum dabantur. Hæ demum invaleſcere cœperunt, poſtquam Ducatus proprio poſſidere jure Duces conſueverant.

§. XLIX.

Capilli.

Implicatos Eticho capillos habet, qui ad humeros defluunt. Jus capillitii Regalia apud Francos præſertim innotuit; quorum Principes cæſariem longam, in ſummitate capitis diviſam, per humeros fluitantem diſperſamque geſtabant; unde appellati Reges criniti. Quandoque tamen illos cirris implicare ſolebant. (*u*) Cirros Germanorum Tertullianus (*x*) jam annotat: hos longiores Sidonius Apollinaris (*y*) *flagella crinium* dixit. Gregorius Turonenſis (*z*) ait: "Ut Regum iſtorum (Francorum) „ mos eſt, crinium flagellis per terga demiſſis. „ Item de capillitio Clodovei: (*a*) " Una tantum pars capillorum, quæ ſubter fuerat, jam defluxerat, alia vero cum „ ipſis crinium flagellis intacta durabat. „ Deniqoe in Libro de *Vita Patrum*: (*b*) " Nec tamen ille, ut quidam, dimiſſis capillorum flagellis aut barbarum demiſſione „ plandebat.

Coma

(*o*) Hugo Peltre *Vie de S. Odile* Cap. X. pag. 101.

(*p*) Montfaucon *Monumens de la Monarchie Françoiſe* Tom. I. Præfat.

(*q*) *Annal. Benedict.* Tom. I. pag. 490.

(*r*) *Origg. Habsburg.* pag. 11.

(*s*) *Hiſtoire d'Alſace* pag. 84.

(*t*) *Germania* Cap. XXXVIII.

(*u*) Salmasius de *Caſarie Virorum* pag. 281.

(*x*) *De Velandis Virginibus.*

(*y*) Lib. I. Epiſt. II.

(*z*) Lib. VI. Cap. XXIV.

(*a*) Lib. VIII. Cap. X.

(*b*) Cap. XII.

POLIVICA.

Coma promiſſa, non Regum modo, ſed & Regalium, hoc eſt, Regiæ familiæ principum, peculiaris fuit prærogativa, cum ipſis Ducibus & perſonis illuſtribus ex fœmineo quoque ſexu, communicata; unde in Lapide noſtro cirrata Odilia. AGATHIAS (c) Francorum Reges longa, intonſa, propexa & defluente coma, in ſummo capitis duas in partes, ſulco veluti intermiſſo, diviſa, decoratos fuiſſe obſervat; quod ex Childerici I. annulo patet. (d) Capillos autem cirratos Clotharii I. Regis & Ultrogothæ, Childeberti I. conjugis, imagines in aditu Eccleſiæ S. Germani Lutetienſis poſitæ exhibent. (e) Quodſi ad ævum usque aſcendas Romanum, Gallica Druias, in Montis Morillonis templo, (f) & in Monumeoto Civitatis Cabillooenſis ad Ararim, (g) cirros, decuſſatim implexos, peodentes ab bumeris, geſtans, exhibetur. TACITUS, (h) Paulini Suetonii expeditionem in inſulam Monam deſcribens, promiſſas mulierum fatidicarum comas ejusdem inſulæ enarrat. SENECA (i) "Quid capillum, (inquit) " iogenti diligentia comis? cum illum vel effuderis, more Parthorum, vel Germa„ norum nodo vinxeris, vel ut Scythæ ſolent, ſparſeris. „ Etichonis cirri longiores vegetam ejus ætatem indicant, in qua conſtitutus, quum Monaſterium conderet.

§. L.

Odiliæ crines.

Odiliæ crines miratur ECCARDUS; (k) Monaſticam regulam Hobenburgi ab ea introductam plurimis cum aliis exiſtimans: moniales autem, voto ſuſcepto, crines deponere ſolebant. (l) At vero regularem, S. Auguſtini Canonibus conformem, vivendi ratiooem, præ Monaſtica elegit, ſuisque ſociis præſcripſit Odilia; ut in Alſatia Sacra videbimus. Rationibus, quæ id evincunt, bæc ipſa cirrata Odiliæ imago accenſeri meretur. Pronus erat Mabillonius, ut crederet, crinium cirris virginitatem Odiliæ denotari; qui mos apud Argentoratenſes hodieque obtinet. Similes tamen cirri, in Etichone conſpicui, eum facile retinuerunt, ne conjecturæ locum concederet. Odiliæ veſtitum quod attinet, velum ea habet in capite, pallium oblongum ad pectus, fibula adſtrictum, revulſumque ſupra manum ſiniſtram, cum toga talari & calceis acuminatis. Mabillonius, qni monaſticæ, non canonicæ, Regulæ Odiliam addictam fuiſſe exiſtimaverat, ut Odilianum veſtitum, à Monaſtico diſcrepantem, excuſaret, Virginum Hohenburgenſium veſtitum decimo ſeculo, cui Lapidem aſſignavit, formæ iſtius fuiſſe, perſcripſit; quo nempe Virgines illas à Monaſtica Regula jam deſciviſſe fatetur.

Liber.

Eticho Odiliæ ſuæ porrigit librum, quæ inveſtituræ ſpecies eſt. Uſus ſequioribus ſeculis in Hohenburgenſi duravit Eccleſia. Io Charta Friderici, Sueviæ Ducis, qua *Elizatii Ducem & Hohenburgenſis Eccleſiæ Advocatum* ſe vocat, An. MCLXXVIII. ubi agitur de inveſtitura, quam Stivagienſis Abbas ab Hobemburgenſi Abbatiſſa, ratione loci S. Gorgonii, accipere debet, hæc legimus: "Abbas Stivagienſis eadem beneficia, cum „ omnibus ad prædictum locum collatis & collaturis de manu Abbatiſſæ . . . . absque „ ulla contradictione primo aditu per librum gratis recipiat. „ (m) In Lucii, Pontificis Maximi, Literis fundationis Monaſterii Trutenhuſen Ao. MCLXXXV. (n) ordinatur, ut "Præpoſito in Trutenbuſen, à præſenti vita decedente, vel mutato, Fratres „ inibi commorantes idoneam & religioſam ordinis ſui perſonam eligant, & ipſe electus „ inveſtituram Præpoſituræ de manu Hohenburgenſis Abbatiſſæ absque ulla contradi„ ctione primo aditu per librum gratis accipiat. „ Monaſterium Trutenhuſanum enim, ab Herrade, Abbatiſſa Hohenburgenſi fundatum, patrocinio perpetuo Abbatiæ hujus fuit ſubjecta.

§. LI.

Leodegarii imago.

Leodegarius, Auguſtodunenſis Epiſcopus, (o) in eodem lapide, retro Odiliam, viſitur; conſobrinus ejus, ſecundum alios, Aviæ frater. Caſula, qua induitur, veterum caſularum more, undiquaque diffluit, brachiisque relevatur, quum hodiernæ verſus

(c) Lib. I.
(d) CHIFLETII *Anaſtaſis Childerici.*
(e) Vid. GREGORIUM TURON. Ruinarti, pag. 1371. MABILLONIUM in *Annal.* Tom. I. pag. 170. MONTFAUCON *Monumens de la Monarchie Françoiſe* Tom. I. Tab. VII.
(f) MARTIN *Hiſt. de la Religion des Gaulois,* Tom. I. pag. 219.
(g) *L'Orbandale, ou l'Hiſt. de Chalon ſur Saone,* Tom. I. Fig. VII. in fine.
(h) *Annal.* Lib. XIV. Cap. XXIX.
(i) *Epiſtola* ultima.
(k) *Origg. Habsburg.* Lib. I. Cap. IV.
(l) *Concil. Liptin.* An. DCCXLIII. Can. VI. " Nonnæ velatæ eadem pœnitentia contineantur, & „ radantur omnes capilli capitis ejus. „ Add. HIERONYMUS *Epiſt.* XLVIII.
(m) HUGO in *Annalibus Præmonſtrat.* Tom. II. Probat. pag. 251.
(n) *Gall. Chriſt.* Tom. V. pag. 488. in Probat.
(o) *Vitam* ejus Urſinus ætate æqualis, aliusque Anonymus, Auguſtodunenſis Monachus coætaneus, ſcripſerunt. Utrumque MABILLONIUS dedit in *Actis Sanctor.* Tom. II. pag. 650. ſqq. Tertius vitæ Leodegarianæ auctor nonniſi interpolator eſt.

POLITICA.

verſus humeros aperiantur. Sub caſula tunica eſt. Stola pendet à collo; cujus duo extrema ad imam pene oram deſcendunt. In brachio ſiniſtro manipulus. Manu autem ſiniſtra tenet librum, dextra virgam paſtoralem aut pedum: conſueta Epiſcoporum inſignia. Epiſcopalis Leodegarii mitra, quam vittam quoque apicemque appellant, fuit demiſſa, minusque acuminata; quod ſeculo XII. quo Lapis exſculptus, adhuc fuit in uſu. Leodegarii Odiliæque propinquitas fecit, ut Alſaticæ Eccleſiæ plures Divo huic ſacrarentur. Murbacenſe & Maſonianum Monaſteria, & parochialis Monaſterii, Gregorianæ vallis oppidi, Eccleſia, Leodegario dicatæ ſunt. Ut autem Leodegarii & Odiliæ conſanguinitas eo clarius pateat, en duo ejus ſchemata, quorum prius veritati conſentiens eſt. (p)

Sigrada . . . . . . Berehſinda
| |
Leodegarius Odilia

Topologus autem Novientenſis ita:

Sigrada
|
Leodegarius . . . . Anonyma
|
Berehſinda
|
Odilia.

§. LII.

Reſtat, ut de marmoris Odiliani ætate verbum addamus. Eruditos enim diverſas in ſententias hac ſuper re diſtractos comperior. Mabillonius, (q) ultra ſexcentos antiquitatis annos ei adſcribens, decimo illud ſeculo aſſignat; eumque neutiquam dubitans ſecutus eſt Georgius Eccardus. (r) Laouillius (s) contra ad ſeculum VII. usque monumenti hujus antiquitatem refigit; Theodorici Ruinarti auctoritate inductus, qui Germanianas ſuburbii Lutetienſis imagines eidem ſeculo aliorum fide aſſignat, quas Hohenburgenſibus ſimulacris noſtris cenſet eſſe conformes. Verum enimvero dubia bujus Marmoris ætas nuper demum certo definita indicio eſt. Quum enim murus, in quo latus imaginibus ſculptis oppoſitum latebat, An. MDCCXLVII. Rev. Præmonſtratenſium Odiliani Aſceterii Prioris, Dionysii Albrechti, juſſu aperiretur, abſconditum latus prodiit in lucem, nobisque duas Abbatiſſas, ad B. Virginis pedes, aperuit, *Relindem* nimirum atque *Herradam*; quarum prior ſub medium, poſterior verſus finem ſeculi XII. Hohenburgenſem Parthenonem, ut Abbatiſſæ, rexerunt. Neutra earum caſulam habet, nec cirros; librum apertum porrectis manibus tenent; quo laudes Virginis, Chriſtum ſuſtinentis, quam crinibus quoque cirratis ornarunt, contineri, indicat Herratis. In aprico ergo jam eſt, Etichoneum hoc marmor ſeculi XII. partum eſſe, contra quam huc usque creditum. Neque tamen negaverim, Etichonis Odiliæque imagines ex vetuſtiore quodam lapide, qui tum adhuc extiterat, in poſterius hoc marmor fuiſſe translatas. Hæc de Etichonis Monumentis, in Alſatia conſpicuis: quæ enim in Oberehnheimenſi Curia imago ejus picta cernitur, ætatis junioris eſt.

Ætas Monumenti.

Monum. Francicor. Tab. II. num. 3.

§. LIII.

Tertium atque poſtremum Etichonis monumentum, Hohenburgenſi noſtro fere ſynchronum, non lapideum, ſed argenteum, non Vogeſiano-Alſaticum, ſed Vogeſiano-Lotharingicum, Mediani Monaſterii, (t) eſt. Mabillonio (u) ac Humberto Belhomme (x) ſeculi XII. opus redolere viſum; nec ſine ratione. Richerius, (y) vicinæ Senonienſium Abbatiæ ſeculo XIII. Monachus, Hildulfi reliquias in ſcrinio

Monumentum argenteum.

(p) Adi ea, quæ ſupra hac de re in Etichone & Berehſinda. Confutat hæc tamen Valesius *Rer. Francicar.* Tom. III. pag. 283.

(q) *Annal. Benedict.* Tom. I. pag. 490.

(r) *Origg. Habsburg.* pag. 14.

(s) *Hiſt. d'Alſace* pag. 85.

(t) *Moyen-Moutier*, inter Senonienſem, Stivagienſem Abbatias, & Collegiatam S. Deodati ſitum.

(u) *Annal. Benedict.* Tom. I. Lib. XVI. num. 15. & Tom. III. Lib. XXXV. num. 74.

(x) *Hiſtoria Mediani Monaſt.* pag. 47.

(y) Lib. I. Cap. XV.

ſcrinio argenteo recooditas jam fuiſſe anootavit. JOANNES BAYONUS (z) vero ad An. MCXXX. obſervat, Hildulfum in ſcrinio novo tum fuiſſe repoſitum. Veriſimile ergo, eo tempore argentearum tabularum ornamentum accepiſſe thecam Hildulfi. Ex argenteis his tabulis,. quarum figuræ ſemiextantes ſunt, eas tantum expreſſimus ære, quæ Etichonem, Odiliam atque Hildulfum concernunt. Eticho oudo capite, ſtans & flens, Odiliam cœcam ſiſtit Hildulfo; quæ genibus flexis, ut cœcitatem ejus tollat, precatur. Odilia non infans, ſed puella jam ſiſtitur; quod Medianenſibus creditum, Odiliam, quum baptizaretur, uſumque oculorum acciperet, jam extitiſſe puellam. Traditio quidem eſt, eam in Medianenſi Monaſterio ab Hildulfo, Trevirenſi Epiſcopo, fratre hujus Erhardo Ratisponenſi Antitiſte præſente, baptizatam, in ſacro fonte viſum recepiſſe, ſed cæteræ circumſtantiæ refragantur. Alii enim in Palmenſi Monaſterio Burgundiæ ab Erhardo baptizatam memorarunt.

Monum. Franc. Tab. I. num. 2.

ADELBERTUS DUX.

§. LIV.

Adelbertus Etichonis primogenitus.

ADelbertus ab Odiliano Encomiaſte *Adalardus*, in vetuſtis Abbatiæ Stephanianæ Periſtromatis, nomine in vulgus recepto, *Obrebt* appellatur. (a) Primogenitus ille filiorum Etichonis I. fuit, licet plerique hactenus Etichoni II. jus primogenituræ tribuerint; quod in Fragmento Piſtoriano (b) *Ducis* elogio ornatur, & in narratione Adelberto præponitur. Longe graviora pro Adelberto pugnant. In Præcepto Theodorici III. Novientenſi An. DCLXXX. Athico Duci, patri ſuo, ſubjungitur Comes, his verbis: *Attico Duci & Adalberto Comiti, ceterisque fiſci exactoribus.* Patri vivo Comes ſubjunctus; patri defuncto in Ducatu Alſatiæ datus ſucceſſor, cur non primogenitus habeatur? Quanquam enim Ducatus illo tempore hæreditarii non fuerint, uti ſæpius annotatum, primogeniti tamen habita plerumque ratio eſt. Itaque à Theodorico III. Rege Adelbertus noſter, vivo patre, Comes inferioris, (c) mortuo patre creatus eſt univerſæ Alſatiæ Dux. Neſcio ergo, qui Mabillonius ſibi perſuadere potuerit, filium, quem pro Odilia deprecantem Eticho occidit, ipſum Adelbertum fuiſſe.

Stephan. Monaſterii fundator.

Ceterum Stephaniani apud Argentoratenſes Parthenonis origines, quæ Adelberto noſtro debentur, (d) memoriam ejus præſertim illuſtrarunt ad poſteros. Has Lotharius I. Imp. An. DCCCXLV. Diplomate ſuo recenſuit. Sed nec Adelberti fundatoris, nec Regis, peculiari Privilegio dotationem confirmantis, Literæ ſuperſunt. Lotharius, Ludovicus Germanicus, imo & Wernherus, ſec. XI. initio Argentinenſis Antiſtes, utrasque inſpexerant. Ita enim Lotharius: " Abbatiſſa S. Prothomartiris Stephani „ Baſilla, in ambitu infra muros Argeotoraco, Majeſtatem noſtram adiit, offerens obtu- „ tibus noſtris auctoritates & munimina Chartarum illuſtris pareotelæ noſtræ progeni- „ toris Ducis Adelberti; qui fundavit jam dictum locum in parte ſuæ hæreditatis, quæ „ ſibi pertinuit inter ruinas veteris Argentoraci &c. Et quemadmodum in eisdem „ inſertum continebatur auctoritatibus, eundem locum per pragmaticam Regii Childerici „ conſtitutionem prærogativa emunitatis libertate communiri impetravit. „ Ludovicus Germ. in Privilegio, eidem Baſillæ An. DCCCLXXI. dato, ait: " Prædictus locus „ S. Stephani à Duce Alberto fundatus erat, & per conſtitutionem Chylderici Regis „ emunitatus, & per Pipinum Majordomum locupletatus & munitus, creſcebat.

§. LV.

An ſub Childerico II. Rege.

Utrobique Adelbertus Dux ſub Childerico Rege Abbatiam Stephanianam exſtruxiſſe perhibetur. Sunt qui Childericum II. ſunt qui Chilpericum II. ſunt etiam, qui Childericum III. in Diplomatibus his deſignari exiſtimant. Priorem qui tuentur ſententiam, multis difficultatum nodis implicantur. Quum enim Childericus II. ab anno DCLX. ad DCLXXIV. regnarit in Auſtraſia, oeceſſe eſt, Attalam, Abbatiſſam hujus Cœnobii primam, in iſto quatuordecim annorum intervallo vixiſſe. Sumamus medium inter extremos annum DCLXVII. Attalæ viginti quinque minimum tribuendi ſunt anni, Abbatiſſa quum fieret; atque adeo An. DCXLII. nata jam fuit. Attalæ pater Adelbertus, ex recepto apud Genealogos canone, triginta annos habuiſſe cenſendus eſt,

(z) Lib. II. Cap. XCVI.

(a) SCHILTERUS ad *Chron. Kœnigshovii* pag. 520.

(b) Apud VIGNIERIUM pag. 63.

(c) Adelbertus An. DCLXXX. Comes Fiſci, & quidem Nordgoviæ fuerat, unde poſt Ducem & ante exactores fiſci in Diplomate Theodoriciano, Ebersheimenſibus dato, ponitur; Abbatia enim hæc ad Nordgoviam pertinuit.

(d) Teſtatur hoc inter alia quoque *Vita Attalæ*, quæ Adelberti filia & prima Monaſterii Abbatiſſa fuit, apud SCHILTERUM in *Obſervat. VIII. ad Kœnigshovium.*

eſt, quum Attalam genuiſſet, totidemque Eticho, quum procreaſſet Adelbertum. Unde Adelberto nativitatis annus DCXII. & Etichoni annus DLXXXII. proćuditur. Ex computo hoc, quem arctius contrahere non poſſumus, dilatare forſan magis deberemus, conſequitur, Etichonem LXXIV. annos jam natum fuiſſe, quum Alſatiæ Ducatum obtinuiſſet; conſequitur, Adelbertum cum ſorore Odilis ad centeſimum ætatis annum perveniſſe, quod de Odilia quidem Biologus Piſtorianus aſſeruit, de fratre autem patreque nemo unquam auſus eſt dicere. Adde unanimem Scriptorum conſenſum, Odiliam Childerici II. temporibus prodiiſſe in lucem. Quodſi hæc ita ſe habent, quomodo ſub Regno ejus quatuordecim annorum Odilia potuit naſci, Hobenburgenſis Abbatiſſa fieri, Attalam, fratris Adelberti filiam, diſciplinis Monaſticis imbuere, eamque Stephaniani Parthenonis Præſidem videre?

§. LVI.

His difficultatibus premitur opinio, quæ Childericum II. Chartæ Stephanianæ aſſignat. Sentiens eas fortaſſis Obrechtus, (*e*) ſoluturum ſe credidit, ſi Childerico II. ſubſtitueret tertium; ſed ex Scylla in Charybdim incidit, non memor ſatis, Childericum III. Adelberto viginti annis jam mortuo, regnare cœpiſſe. Carolus Hugo (*f*) & Hums. Belhomme, (*g*) neſcio quibus auctoribus, produnt, errorem poſtea ſuum agnoviſſe Obrechtum; & cur in re tam manifeſta non agnoviſſet? Guillimannus, (*h*) Childerico II. quem ipſe primum vocat, (quod Clodovei M. pater Childericus I. paganus fuerat) Chartam Stephanianam adſcribens, eosque confutans, qui pro Childerico III. pugnant, cauſam ſuam male defendit, ubi aſſerit, ſolum Childerici III. nomen, nulla autem ejus decreta vel facta extare. Ex Diplomatibus, per decennium, quo præfuit Regno, ab hoc Rege conceſſis, quinque produxit Bouquetus. (*i*) Obrechtus ergo, Guillimannum aggreſſus, ex hoc præſertim capite erroris illum poſtulare debuiſſet, uti Guillimannus contra meliore ratione Childericum III. ex Stephaniana Charta expuliſſet, ſi Adelbertum Ducem multis jam annis mortuum fuiſſe dixiſſet, quum Childericus III. ſolio imponeretur.

An ſub Childerico III.

§. LVII.

Ita, Childericis dimiſſis, alius in Stephaniano Diplomate ſubſtituendus eſt Franciæ Rex. Carolus Cointius (*k*) in Lothariana & Ludoviciana Charta *Childerici* nomen in *Chilperici* convertendum exiſtimat: qui ab An. DCCXV. ad DCCXX. regnavit; unde Stephaniani Parthenonis origo huic includenda quinquennio. Nec diffitendum profecto, in epocham hanc omnia conſpirare egregie; nodosque, quibus Childericum II. de quo præcipue quæritur, implicari modo vidimus, ſponte ſua reſolvi. Adelbertus ſub Theodorico III. Alſatiæ Comes, ſub filiis Clodoveo III. & Childeberto III. itidemque ſub filio hujus Dagoberto III. ſub Chilperico II. denique, Childerici II. filio, Alſatiæ adminiſtravit Ducatum; vel ſub ipſo Chilperico II. vel ſub ejus ſucceſſore, Theodorico IV. Calenſi, tranſiturus ad plures. Ex Lothariani autem Diplomatis verbis apparet, Adelbertum jam Ducem, mortuoque adeo patre, ac paterna hæreditate accepta, D. Stephani ſtruxiſſe Cœnobium. Dicitur enim, *in parte ſuæ hæreditatis, quæ ſibi pertinuit, dictum locum* fundaſſe. Accedit, quod ſub Chilperico II. filiam Adelbertus habere potuit Attalam, quam, ab Odilia vitæ Monaſticæ in Hohenburgenſi Parthenone aſſuetam, Abbatiæ novæ præficeret, ipſe provectioris ætatis, piisque donationibus faciendis pronior. Unius ergo inverſione literulæ res omnis componitur. Quodſi vero tres Chartas, Lotharianam nempe, Ludovicianam ac Wernherianam, quæ ſingulæ *Childericum* memorant, ſcriptorii ſphalmatis accuſare quis dubitaverit, ille ſecum perpendat, ætate illa factum eſſe non ſemel, ut Childerici cum Chilpericis confunderentur; uti eidem ævo contra Clodoveos à Ludovicis diſtinguere libuit, qui unum tamen idemque nomen, diverſimode pronuntiatum, geſſerunt. Chartam pro Monaſterio Sangallenſi exhibet Goldastus; (*l*) quæ data ſcribitur *XVII. Kal. Febr. ſub Regno Domni noſtri Elperici Regis.* Per *Elpericum* heic intelligi Childericum III. Goldaſtus ipſe & Gebhardi (*m*) profitentur. Simile exemplum Chartæ, *Chilpericum* pro *Childerico* ponentis,

An ſub Chilperico II.

(*e*) *Prodrom. Rer. Alſat.* Cap. IX. pag. 195. ſq.
(*f*) *Annal. Præmonſtrat.* Tom. II. pag. 433.
(*g*) *Hiſt. Mediani Monaſterii*, pag. 15.
(*h*) *Epiſc. Argent.* Cap. IV.
(*i*) *Scriptor. Rer. Franc.* Tom. IV. pag. 708. ſqq.
(*k*) *Annal. Eccleſ.* Tom. IV. ad An. DCCXII. Cointium ſequitur Humbertus Belhomme, Mediani Monaſterii hoc ſeculo Abbas; cui nuper demum Vir illuſtris, Jo. Daniel. Ohlenschlager acceſſit, in *Diatriba de Attici Ducis origine*, Germ. ſcripta, §. X.
(*l*) *Scriptor. Rer. Alemann.* Tom. II. pag. 38.
(*m*) *Reges Francor. Merowing. documentorum auctoritate aſſerti*, pag. 155.

ponentis, Mabillonius (*n*) produxit, & ex eo Bouquetus. (*o*) Si Chilpericus autem pro Childerico, quidni & vice verſa Lotharius Imp. per Childericum in Charta Stephaniana intellexerit Chilpericum? Notarii errore quam facile litera p in d immutari, invertique potuerat? Cointianæ ergo conjecturæ locum denegare vix licet; quæ Stephanianas origines non ad Childerici II. ſed ad Chilperici II. tempora retulit primum. Sequitur hinc, non diu ante mortem ab Adelberto Monaſterium hoc fuiſſe conditum, quo tempore Attala XXX. annorum eſſe potuerat.

§. LVIII.

Honaug. Abbatiæ origines.

Eidem Adelberto Honaugienſis quoque Abbatiæ adſcribuntur (*p*) origines; quod ex Chartis filiorum ejus veriſimile. Annus autem fundationis, non minus ac Stephanianæ, incertus eſt. Lazius & Ruyrius (*q*) annum DCCXXI. afferunt. Non deſunt, qui & Honaugienſe & San-Stephanianum Cœnobia uno eodemque anno inſtituta crediderunt.

Villa Regia.

Ceterum (*r*) Adelbertus noſter novo opere villam Regiam exſtruxit in curte, quæ in ſuburbano novo Civitatis Strateburgi fuerat; uti verba Chartæ, quæ Coccius (*s*) deſcripſit, teſtantur.

Annus mortis.

Tempus obitus Adelberti colligimus, ſi Stephaniani Cœnobii origines cum Charta, Luitfridi Ducis & Eberhardi Comitis, Adelberti filiorum, anno III. Theodorici Regis, hoc eſt, An. Chr. DCCXXIII. data, inter ſe conferamus. Stephanianæ Chartæ ſub Chilperico II. Adelbertum adhuc vivum quum ſiſtant, Luitfridiana Charta ſub regiminis Theodorici IV. initio rebus humanis jam exceſſiſſe, oſtendit. Adelbertus ergo inter DCCXX. & DCCXXIII. vivere deſiit.

§. LIX.

Monumenta Adelberti.

Monum. Francic. Tab. I. num. 3. Tab. II. num. 6.

Adelberti Ducis Monumenta duo, alterum lapideum, alterum numiſmaticum in denario argenteo, ſupereſſe veriſimile eſt. Haud procul à Stephaniano Parthenio, in viculo S. Medardi, lapidea protome inſerta eſt muro, rudi plane expreſſa ſcalpello. Antiquitas operis, crinium flagella, Etichoneis ſimilia; vicinitas Abbatiæ Stephanianæ, cujus conditor Adelbertus, inducere nos poſſunt, ut crederemus, imaginem ejus hac protome exprimi, quam eandem ob cauſam Monumentorum Francicorum Tabula prima exhibet. Denarium argenteum, in Alſatia inferiore repertum, mihi oblatum, Tabula ſecunda expreſſi. Antica pars nummi literis Romanis, male ſculptis, nomen exhibet ADALBERTO, ſine effigie: Ducum enim, Comitumque icones tum nondum in nummis expreſſæ. Protomes loco cor cum cruce, quæ in omnibus nummis Merovingorum comparet. Characteres conformes Merovingicis. Figuræ partis poſticæ inextricabiles videntur. Blancius (*t*) nummum Pipinianum edidit, qui noſtro in aliquibus ſimilis: ſed nec ipſe conjectare auſus eſt, quid de figuris illis conſtituendum; tanta eſt operis ruditas. Clypeos duos, ſibi oppoſitos, crederes, quos inter baculus recurvus. Hic ſi Epiſcopalis eſſet, ex ſeculo rejiciendus octavo, quo jus monetandi Epiſcopis nondum conceſſum.

§. LX.

Adelberti uxores & filiæ.

Biologus Attalæ (*u*) Adelberto Duci Gerlindem, hacque mortua Batildem, ſeu Bachildem, uxores aſſignat. Ex Batilde Lutgarden & Savinam filias ſuſcepit, tradente Koenigshovio; (*x*) quæ cum parentibus in Stephanianæ Eccleſiæ odeo ſepultæ creduntur. (*y*) Odilianus Encomiaſtes, præter tres filios, Luitfridum I. Eberhardum & Maſonem, tres quoque Adelberto filias; Eugeniam, Attalam & Gundelindem, ex priore matrimonio natas, adſcribit, cum quo *Vitæ Attalæ* Scriptor conſentit. Dicit enim: " Genitores Attalæ filiam ſuam Attalam, cum duabus ſororibus ejus, Eugenia „ & Gundelinde, ſub diſciplina Dei erudierunt; quæ audientes devotionem B. virginis „ Odiliæ, quæ tunc conventum ancillarum Dei Hohenburc regebat, ad ipſam confugerunt. „ Eugenia poſtea Odiliæ, amitæ ſuæ, in Hohenburgenſi Abbatia ſucceſſit, & An.

(*n*) *Analector. Veterum* Tom. III. pag. 234.
(*o*) *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. IV. pag. 714.
(*p*) Guillimannus *de Epiſcopis Argent.* Cap. VI. Wimphelingius in Prologo ad *Catalogum Epiſcopor. Argent.* pag. 7. Obrechtus *Prodrom.* pag. 217.
(*q*) *Antiquités des Voges*, Part. II. Lib. IV. Cap. XIII.
(*r*) Idem loco cit. & Cointius *Annal.* Tom. IV. pag. 510.
(*s*) *Dagobert.* pag. 132.
(*t*) *Monnoyes de France* pag. 89.
(*u*) Apud Schilterum *Obſervat. ad Kœnigshov.* pag. 513.
(*x*) *Chron. Alſat.* pag. 508.
(*y*) *Galliæ Chriſt.* Tom. V. pag. 833.

An. DCCXXIII. Chartæ fratrum ſuorum, Luitfridi & Eberardi, ſubſcripſit: *Ego Eugenia, ac ſi indigna Abbatiſſa, conſenſi.* Attala Aſceterium D. Stephani, à patre inſtitutum, regendum accepit, in Divarum dein album relata. Lipſana ejus, ut & pallium, in eodem Argentoratenſi Parthenio religioſe aſſervantur. Vetuſta Periſtromata, ſuperioribus ſeculis confecta, corporis ejus fata depicta exhibent, quæ æri inciſa apud SCHILTERUM. (z) Poſt Odiliæ diſceſſum, quæ Superius & Inferius Hohenburgenſe Monaſterium ſimul gubernaverat, Gundeliodis Inferius gubernandum accepit; quum ſoror ejus Eugenia Superiori præeſſet, ibique obiit. Seculo XVI. GEBVILERUS (a) Gerlindis corpus in altari expoſitum vidit. Reliquiarum ejus particulas quaſdam Einſidlenſis Abbatia & Molsheimenſis Jeſuitarum aſſervat Eccleſia. (b) Neſcio ergo, qui GEORGIUS ECCARDUS (c) ſibi perſuadere potuerit, Gundelindem Bernardo Comiti, Pipini Regis fratri, nupſiſſe. Opinionis cauſam allegat, quia Lotharius Imp. in Stephaniano Diplomate An. DCCCXLV. Adelbertum Ducem, Gundeliodis patrem, *parentelæ ſuæ* progenitorem appellaverit. Lotharianæ Chartæ ſenſum in Luitfridigenarum, ab Adelberto Duce deſcendentium, Genealogia expono.

LUITFRIDUS DUX.

§. LXI.

Luitfridus, vel Liutfridus, Adelberti Ducis filius, in Alſatiæ Ducatu indubius fuit patris ſucceſſor. At, ex BUCELINI, (d) Blondelli & Obrechti, ſententia, *Eberhardus* Adelberto in Ducatu ſucceſſit; *quem unicum ex Etichonis proſapia* BLONDELLUS & OBRECHTUS (e) admittunt Alſatiæ Ducem. Verum enimvero Eberhardus Dux non fuit, uti & alii plures, ex Etichonis proſapia, nonniſi Comites fuerunt: Eberhardus nullibi *Dux*, ubique dicitur *Comes*. Teſtis eſt Diploma Theoderici IV. quod An. Regni VII. fundationem Murbacenſis Abbatiæ confirmat. Sed & teſtis eſt Charta Widegerni, Epiſcopi Argentin. anno Theoderici VIII. eidem Abbatiæ Murbac. data; ubi *Comes* appellatur. Comitem denique ipſe ſe vocat An. Theoderici XI. ſeu DCCXXXI. in Murbacenſis Abbatiæ Diplomate, quod Monnomacho, vico publico, datum. Sed & idem Theodericus Præceptum ſuum, pro Honaugienſi Abbatia, apud COCCIUM, (f) *Luitfrido Duci & Eberhardo Domeſtico* inſcribit; qui ambo Præceptum eodem modo ſignarunt. Eberhardum hæc non Ducem, ſed Comitem profecto ſatis evincunt. Eadem Honaugienſis Charta evincit, Luitfridum, Adalberti Ducis filium, patri in Alſatiæ ſucceſſiſſe Ducatu, non Eberhardum. Sic An. DCCXXIII. Donationi, (g) quam ipſe Liutfridus cum fratre ſuo, Eberhardo Comite, Abbatiæ Honaugienſi fecit, adjectum *S. Luitfridi Ducis, S. Eberhardus Domeſticus.* In Charta Abbatiæ Murbacenſis An. DCCXXVIII. *Eberhardus Comes* teſtatur ſe Murbacum cum *germano ſuo, Leudofredo Duce*, fundaſſe. Idem anno DCCXXXI. *Leudefridi Ducis, germani ſui*, in alia Murbacenſium Charta memoriam repetit. Præterea in Theodorici IV. Diplomate An. DCCXXV. pro Cella S. Leobardi (h) *Vir illuſtris Luitfridus* occurrit, ubi Alſatiæ Ducem intelligendum eſſe, omnia ſuadent. Luitfridus Dux & Eberhardus Comes.

§. LXII.

Quouſque Luitfridus hic vixerit, ex Monumentis non liquet. Quum autem frater ejus Eberhardus annum DCCXLVII. attigerit, Luitfridum quoque circa medium ſeculi VIII. obiiſſe concludimus. Eccardus in An. DCCXXX. mortem ejus ponit, quod hoc anno obierat Lantfridus, Alemanniæ Dux; quem ille cum Luitfrido noſtro, Alſatiæ Duce, confundit. Scilicet Luitfridi nomen Eccardum in devia abduxit. Quum enim in ea conſtanter fuiſſet ſententia, Etichonem I. & ejus poſteros utrumque, & Alemanniæ & Alſatiæ, adminiſtraſſe Ducatum, Leodefridum eundem Alemanniæ Ducem eſſe putat, qui contra Pipinum Heriſtallium & Carolum Martellum rebellavit; quemque Scriptores, diſtorto Leodefridi nomine, *Godefridum* appellaverint. Hinc de Luitfrido interpretatur, quicquid illi de Godofredo dixere; ſed & ea, quæ Lantfridus Dux Luitfridi ætas.

(z) *Obſervat. VIII. ad Kœnigshovii Chron.*
(a) In *Vitâ S. Odiliæ*, ab eo conſcripta, pag. 61. ibique nota SCHUTTENHEIMERI pag. 73.
(b) *Hiſtoria S. Crucis Molsheim* pag. 18.
(c) *Origin. Auſtriaco-Habsburg.*
(d) *Hiſtor. Agilolfing.* pag. 300. & *Notit. Germ. General.* pag. 16. Oper. Tom. I. Parte III.
(e) *Prodrom.* Cap. XII. pag. 262. & Cap. X. pag. 218. ait: "In Eberhardo abrupta prima „ ſeries Ducum Alſatiæ; cæteris, qui de ſtirpe Athici „ ſupererant, intra Comitum dignationem ſubſiſten„ tibus.
(f) *Dagobert.* pag. 132.
(g) Chart. Honaug. III. An. III. Regni Theodorici Regis, apud Mabillon. loco alleg. ubi Luitfridus & Eberhardus dicunt: *Genitor Noſter Adelbertus Dux.*
(h) Diploma interpolatum apud COCCIUM in *Dagoberto* Cap. VI. ubi nomini *Luitfridus* addidit *Dux Alemannorum.*

POLITICA.

Alemanniæ, Luitfrido noſtro ſuppar, feciſſe dicitur, ut rebellio contra Carolum Martellum, infelicia prœlia, finisque vitæ An. DCCXXX. hæc omnia, inquam, ad noſtrum Leodefridum applicuit. Verum debili hæc omnia fundamento nituntur. I. Diverſos inter ſe, à ſeculi VII. medio, Ducatus Alemanniæ & Alſatiæ fuiſſe, ſuperius oſtendi. II. *Godefridus*, *Dux Alemanniæ*, exeunte ſeculo VII. vivens, graviſſimorum Scriptorum nititur conſenſu. III. Lantfridi & Luitfridi nomina inter ſe multum diverſa ſunt: nec denique IV. Luitfridus, ſive Leudefredus noſter, Dux Alſatiæ, idem eſſe potuit cum Lantfrido Alemanno; quum eo ipſo tempore, quo Lantfridus perduellionis reus fiebat, Leudefredus noſter tranquillus gubernavit Alſatiam; Abbatiæ Murbacenſis erectioni cum Eberhardo fratre curas impendit; imo & in Chartis omnibus cum honore memoratur. Idem ſine Reſcripta Franciæ Regum, contra quos rebellaverat Lantfridus, teſtis ſubſcripſit; uti patet ex Literis Regis Theoderici, in gratiam Maurimonaſterienſis Abbatiæ conſcriptis. Fundamento everſo, omne ædificium, quod Eccardus ſuperſtruxerat, corruit; Leudefridum nempe An. DCCXXX. obiiſſe.

§. LXIII.

Leudefredi filii fictitii.

Eccardus porro Leudefrido noſtro, Alſatiæ Duci, filios aſſignat duos, Theodebaldum & Luitfridum II. utrumque Alemanniæ quoque conſtituens Ducem. Theodebaldus, Alemanniæ Dux, filius erat Godefredi Ducis, quem Eccardus cum Leudefredo noſtro eundem putaverat. At Godefridi filium fuiſſe, diſertis verbis tradunt Continuator FREDEGARII, (*i*) Continuator *Geſtorum Francorum*, (*k*) HERMANNUS CONTRACTUS (*l*) & SIGEBERTUS GEMBLACENSIS. (*m*) Nec movet nos, quod HEPIDANNUS, (*n*) Hermanno Contracto ſuppar, in Annalibus ſuis Theodebaldum Leodefridi Ducis conſtituat filium. Scriptorum, quos enumeravi, auctoritas præferenda ſane Hepidanno, ætate his plerisque minori. Neque porro Theodebaldum filium Leudefridi fuiſſe veriſimile eſt. I. Theodebaldus Pirminium Augienſi Aſceterio expulit; Luitfridus noſter Alſaticus vero eum lætus excepit, & una cum fratre ſuo Eberhardo Murbacum ei incolendum conceſſit. II. Theodebaldus in Alſatiam venit animo hoſtili, quam anno DCCXLV. vaſtavit; quo pacto igitur Alſata & Alſatiæ Dux eſſe potuerat?

De Lantfrido II. Alemanniæ Duce, An. DCCLI. defuncto, eadem fere dicenda ſunt. Nullum in Alſatia rebellionis cuntra Pipinum, Palatii Præfectum, deprehendo veſtigium; cujus tamen hoſtis ad cineres uſque fuit Lantfridus, Alemanniæ Dux. Concidit ergo Eccardianum ſyſtema, quod Theodebaldum & Lantfridum filios facit Luitfridi, Alſatiæ Ducis; quum illi inter Alemanniæ Duces referendi ſint, qui nihil cum Alſatia tum habuerunt commune.

§. LXIV.

Duces aboliti.

Ceterum Luitfridus noſter non tantum Etichonidarum poſtremus fuit Alſatiæ Dux, ſed & oullus alius poſt eum ad hanc dignitatem à Carolidis, Franciæ Regibus, fuit promotus. Cognominis certe filius ejus Luitfridus, *Comitis* tantum titulo claruit. Comitibus nimirum ſuis tum Alſatia ſuberat; formula licet Alſatici Ducatus non fuerit abolita. Simile fatum ſub Carolo M. experta eſt Bavaria, Alemanniæ vicina; quum victo Taſſilone, Ducatus ille pluribus Comitibus à Carolo cummitteretur regendus. Alemanniæ Ducatus ergo, abolitis eodem circiter tempore Ducibus, quo in Alſatia deſierunt, demandatus eſt *Nuntiis Cameræ*; quibus deinceps ad annum uſque DCCCCXVII. ſuberat, quo novus iterum Alemanniæ Dux creatus eſt Burcardus, cui & Alſatia paruit. Apud Alemannos, abolitis Ducibus, inter Nuntios Cameræ primi cumparuerunt Warinus & Ruthardus, ſed apud Alſatas nullibi eorum mentio occurrit. Bucelinus quidem, pluresque recentiorum, eos Alſatiæ haud minus ac reliquæ Alemanniæ præfuiſſe, imo neſcio queis Ducum & Landgraviorum Alſatiæ titulis inſignitos, Eberhardoque, Murbaci fundatore, natos eſſe putant. Sed Eberhardum improlem obiiſſe, omni dubio caret; uti infra oſtendam. Warinum quidem Alſatiam ſuperiorem rexiſſe crederes, eo quod Carlomannus Rex, Pipini filius, anno regni primo, Reſcriptum ad *Warinum*, quondam Comitem, emiſerit; quo certiorem eum reddit, ſe homines fiſcalinos in Aufoldus (*Uffholz*) Abbatiæ Monaſterii S. Gregorii donaſſe: ſed Warinus iſte ex ipſis Alſatiæ Superioris, ſeu Sundgoviæ,

(*i*) Cap. X. apud DU CHESNE Tom. I. pag. 771.
(*k*) Cap. LVI. apud DU CHESNE loco cit. pag. 728.
(*l*) Ad An. DCCXXVII.
(*m*) Ad An. DCCXLV.
(*n*) Apud GOLDAST. Tom. I. Part. I. *Rer. Alemann.* præfixus.

goviæ, Comitibus Dynaſtisve fuiſſe videtur, cum Alemannico Warino, Cameræ Nuncio, nihil habens commune. Idem de *Ruotbardo* Comite dicendum, quem Schwarzacenſis & Gengenbacenſis Abbatiarum fundatorem fuiſſe dicunt. Id quidem neqnit negari, Arnolfesaugienſe Cœnobium in Alſatia à Ruthardo quodam Comite, hæc ipſa circa tempora, fuiſſe conſtructum, unde centum poſt annos Schwarzacum translatum eſt. Arnolfesaugianæ origines verſus An. DCCL. ponendæ; quod non ſolum ex Teſtamento Ruthardi circa An. DCCLVI. facto, (*o*) ſed etiam ex Confirmationis Charta, ab Ettone Epiſcnpo Argentin. An. DCCLI. emiſſa, (*p*) manifeſtum. Rnthardus ille in Alſatia & in Briſgovia bona multa pretio ſibi comparaverat, aut permutatinne facta, acquiſiverat. Ex his Monaſterio Arnolfesaugiæ Alſatica dedit; Briſgovienſia Pipini Regis An. XIII. Æræ Chriſt. DCCLXIV. Fulrado, Abbati Dionyſiano, ex Dynaſtis Alſatis orto, vendidit. (*q*) An vero Ruthardus hic idem cum Ruthardo, Cameræ Nuntio, fuerit, illud ego nec affirmare, nec negare ſum auſus.

§. LXV.

Ut vero ad noſtram redeamus Alſatiam, heic loci repetendum, extinctis Alſatiæ & Alemanniæ Ducibus, Alemannici tamen Alſaticique Ducatuum formulas manſiſſe diſtinctas; communes licet Cameræ utrumque adminiſtrarent Ducatum. Ludnvicus Pius Alſatiam appellavit Ducatum in Chartis Murbacenſibus anni DCCCXVI. in quarum utraque *Murbacum* ad *Ducatum Alſacenſem* refertur. (Nomen Ducatus ſervatum.)

Lotharius Imp. An. DCCCXLIX. Abbatiam Grandvallenſem in *Ducatu* Heliſacenſi ſitam eſſe ait. In Bertinianis Annalibus Ludnvicus Pius recepiſſe dicitur, quæ Ludovicus filius ipſius uſurpaverat: *Heliſatiam*, Saxoniam, Turingiam, Auſtriam & *Alamanniam*. (*r*)

Anno DCCCXXXIX. quum Ludovicus Pi[illegible] regnum Burgundicum inter Lotharium & Carolum filios ſuos divideret, Lotharius accepit: Ducatum Ribuariorum, Wormazfeldam, Sperohgnvi, *Ducatum Heliſatiæ*, *Ducatum Alamanniæ*, Curiam, Ducatum Turingubæ cum Marchis ſuis. (*s*)

Anno DCCCXLI. Ludovicus German. Auſtraſios, Turingos atque Alemannos, ſuæ ſubjeciſſe dicitur ditioni. Eodem tamen tempore Lotharius, Alſatiam obtinens, Rhenum transmittere paravit, ut impediret Ludovicum. Alemanniæ ergo non adnumerata tum Alſatia fuit.

Anno DCCCXLIII. Alſatia Lothario Imp. Alemannia vero Ludovico Germanico tranſcriptæ. Ceſſit deinde Alſatia noſtra An. DCCCLV. Lothario Jun. Lotharii Imp. filio, qui eam quidem An. DCCCLXI. Ludovico Germanico, patruo ſun, tradidiſſe, (*t*) legitur; ſed aut ſpes modo ei facta, aut Lotharius Alſatiam ſtatim recepit, quod ſubſequentibus annis eandem poſſedit.

H U G O.

§. LXVI.

QUodſi autem à Luitfridi Ducis morte, hoc eſt, à medio ſeculi VIII. Alſatia caruit Duce, vel nullus certe in Monumentis rerum, quæ ſuperſunt, occurrit; inſequentis tamen ſeculi fine novum ei præpoluit Ducem Lotharius, Lotharii Imp. filius. Hic enim ſecundus Regni Lotharingiæ Rex atque poſtremus, An. DCCCLXVII. Hugoni, filio ſuo, ex Waldrada pellice, *Ducatum Eliſazium donavit*, ut Annales Bertiniani (*u*) loquuntur. Inordinatus Regis hujus in pellicem amor, qui tantos in Eccleſia & in Republica motus excitavit, novum Alſatiæ Ducem obtrufit; qui haud dubie ampliore, quam ullus præcedentium Ducum, cum poteſtate hanc Provinciam rexerat, qund illam pater ei donavit. Conjectandi locus eſt, Ducis nomine Regia jura apud (Hugo.)

Alſatas

(*o*) DANSEN, *Deductio pro Schwarzach contra Baden.*

(*p*) *Gall. Chriſtian.* Tom. V. Probat. pag. 458.

(*q*) FELIBIEN *Hiſt. de S. Denys*, *Preuves* pag. 29.

(*r*) ANNAL. BERTIN. ad An. DCCCXXXVIII.

(*s*) Ibidem ad An. DCCCXXXIX.

(*t*) Idem ad An. DCCCLXI.

(*u*) An. DCCCLXVIII. REGINO PRUMIENSIS *Chron.* Lib. II. ad An. DCCCLXXXIII-DCCCLXXXV. ANNAL. FULDENSES ad An. DCCCLXXIX. DCCCLXXXI. DCCCLXXXV. CHRONOGRAPHUS Lambecianus ad eosdem annos.

POLITICA.

Alſatas exercuiſſe Hugonem; effuſus enim Lotharii in Waldradam filiumque affectus ignoraverat modum. Inſequens annus DCCCLXIX. Lothario fatalis, Ducalem Hugonis poteſtatem intra limites coercuit. Quum enim An. DCCCLXX. Procaſpidana Transactione ad Ludovicum Germanicum perveniſſet Alſatia, Hogoni frena impoſita ſunt, quæ ille tandem momordit. Poſtquam enim per XVII. annos Ducatum tenuiſſet, anno DCCCLXXXV. rebellis adverſus Carolum Craſſum, captus oculisque orbatus, in Monaſterium S. Galli detruſus, indeque ad Prumienſes Monachos ductus, Zwendibolchi Regis tempore, ipſa Reginonis, Abbatis Prumienſis, qui hæc in *Chronico* ſuo (x) deſcripſit, manu attonſus eſt: poſtremus ſub Periodo Francica, primusque ſub Germanica, Alſatiæ Dux; ſucceſſor tamen ei à Carolo Craſſo datus non eſt. Arnulphus in Caroli Craſſi locum à Germanis electus, ſimili in filium nothum Zuentibolchum amore, Lotharingiæ Regnum, cujus pars fuit Alſatia, adminiſtrandum ei conceſſit. Zuentibolchiani apud Alſatas imperii nobile monumentum apud Gregorianos noſtros Monachos, Diploma nempe authenticum, quod, ut Lothariani regni Rex, An. DCCCXCVI. illis impertitus eſt, ſuperat.

FICTITII ALSATIÆ DUCES.

§. LXVII.

Hermannus & Udo.

ANtequam Duces ſeponamus Alſatiæ, de Hermanno & Udone fratribus, quibus Baſilicæ Wetzlarienſis inſtitutio adſcribitur, differendum eſt paucis; quoniam à Celeberrimis Viris inter Alſatiæ Duces computantur. In Baſilica hac olim Epitaphium extitit, quod Maximilianus I. Cæſar, Genealogicarum gentis ſuæ rerum apprime curioſus, Oenipontum transferri curavit; Duces hos ad ſtirpem ſuam pertinere exiſtimans, eo quod Alſatæ fuerint. Epitaphium exhibet Schilterus, (y) qui Eybenio retulit acceptum.

Illuſtres Duces ab Elſaſſen meliores,
Gaudent in cœlis hoc conſtruxiſſe fidelis,
Templum, quo Domini laus exercetur ab omni.
Anno ter deno LX. cum ſeptingento,
Clerus cum populo gaudens utrique patroon,
Publice collati requieſcunt luce beati,
Hermannus, Vdo, quivis hoc corpore nudo,
Herman Aprili moritur, ſic Vdo Novembri.
Codice velati ſunt anni conveterati.

At plenius idem hoc Epitaphium legitur apud Gabrielem Bucelinum, (z) ab Othone Reinholdo, ejus loci adminiſtratore & Epiſcopo Diœceſano, communicatum:

Hoc Saxo Habsburius frater eſt hic uterque ſepultus
Illuſtres Heroes in Alſaſſen meliores
Hermannus & Vdo, quivis nunc corpore nudo
Gaudeat in cœlis: hoc conſtruxiſſe fidelis
Templum, quo Domini laus exerceretur ab omni.
Anno terdeno LX. cum ſeptingento.
Herman Aprili moritur, ſic Vdo Novembri.
Clerus cum populo gaudens utroque Patrono
Codice velati ſunt anni conveterati
Publice collati, requieſcunt luce beati.

Bucelinianum exemplum ob id præferendum videtur, quod prima linea, apud Schilterum omiſſa, Maximiliano Auguſto anſam ſola præbere potuit, ut monumentum hoc, Wetzlariæ repertum, transmitteret Oenipontum. Ut taceam, ipſum ordinem verſuum apud Bucelinum convenientiorem videri. Sed & Bucelinianum exemplum habet *Heroes in Alſaſſen*; quum Eybenianum legat *Duces ab Elſaſſen*, quod veritati minus conveniens.

§. LXVIII.

(x) An. DCCCLXXXV. Adi quoque Scriptores modo allegatos. Hugonis hujus, Ducis Alſatiæ, ſoror Gisla Godfrido, Normannorum Regi, deinceps in matrimonium ceſſit. Regino An. DCCCLXXXIII. & DCCCLXXXV.

(y) In *Notis ad Kœnigshovium* pag. 1067.

(z) In *Germania Stemmatographica* Tom. IV. in *Monaſteriologia* pag. 32.

POLITICA.

§. LXVIII.

Epitaphium hoc non ad Carolingicam, quam tamen præfert, ætatem aſcendit. Quodſi enim Baſilicæ Wetzlarienſis ſtructores ſeculo jam exeunte VIII. tranſiviſſent ad plures, Inſcriptio tamen tempore hoc poſterior eſt; id quod vox *Habsburii* præſertim indicat, uti paulo poſt videbimus. Nihil ergo aliud Inſcriptio probat, niſi quod ſequioribus ſeculis, quibus Epitaphium conditum, apud Wetzflarienſes creditum ſit, Baſilicam à duobus fratribus, ex Alſatia ortis, quos auctor Inſcriptionis ad Habsburgenſes retulit, fuiſſe exſtructam. Quam parum fidei huic Epitaphio tribuendum, ſequentia docebunt. I. Hermannum iſtum ac Udonem nulla memorant Monumenta. II. Auctor Inſcriptionis fratres, An. DCCXC. mortuos, *Habsburios* vocat; quum Habsburgici nominis origines ſeculo XI. antiquiores non ſint. Wernherum, Argentinenſem Epiſcopum, caſtri & nominis Habsburgici fuiſſe auctorem, in confeſſo jam eſt. Wernherus autem obiit An. MXXIX. III. Fundatores Baſilicæ anno DCCXC. obiiſſe Epitaphium docet; Baſilica autem anno DCCCXCVII. conſecrata fuit, uti ex Documentis demonſtravit BROWERUS. (*a*) Hoc pacto centum amplius anni inter exſtructionem & conſecrationem effluxiſſent Baſilicæ. IV. Fundatores eſſe dicuntur *illuſtres Heroes in Elſaſſen.* Difficile eſt aſſequi, quo pacto in regionibus illis fratres duo, ex Alſatia oriundi, ſplendidam Wetzflariæ Eccleſiam exſtruere, largiterque potuerint voluerintve dotare. V. Neque ultimo loco tranſeundum ſilentio, in univerſa Etichonis, Ducis Alſatiæ, gente, unde Habsburgii orti ſunt, nec Hermannum ullum, nec Udonem reperiri. Cautior hac in re Brouuerus Hermannum & Udonem *par fratrum Alſatiæ* vocat. Ad Dynaſtarum Alſatiæ claſſem forte poſſent referri.

Epitaphii novitas.

Ex hac ergo Inſcriptione inferre non licet, quod infert Schilterus. Octavo jam ſeculo *Ducis* titulum honoris cauſa quandoque conceſſum Comitibus. Udonem nimirum & Hermannum Alſatiæ Duces conſtituere non auſus, conſtituit Comites, LUDOLPHUS (*b*) Hermannum atque Udonem ex Comitum Franconiæ, unde Conradus I. Rex Germaniæ prognatus, derivat. Hinc fide TOLNERI (*c*) fratres hos à Gebehardo Comite, fratre Conradi Frizlarienſis, qui pater Conradi I. Regis, deducit; ut adeo Hermannus & Udo Conradi hujus patrueles fuiſſent, qui circa medium ſeculi X. obiere. Id ſatis conſtat, dedicationem Wezflarienſis Eccleſiæ rogatu Gebehardi Comitis factam; quod BROWERUS (*d*) adſtruxit. Nec diffitebor, Gebhardum hunc eum ipſum Conradi I. Regis patruum eſſe, qui pater Comitum Hermanni & Udonis. Gebhardus tamen Comes An. DCCCCX. adhuc fuit in vivis, ipſeque conſecrationem Eccleſiæ expetiit; ut mirum ſane, filios ejus ampliſſima jam bona poſſediſſe, quæ in Eccleſiam larga manu effunderent.

CAPUT IV.

COMITES ALSATIÆ ET RELIQUI MAGISTRATUS.

§. LXIX.

PRæſides Judiciorum veteris Germaniæ TACITO (*e*) *Principes*, Principum aſſeſſores autem *Comites*, dicuntur. Qui Præſidem Romanum olim officii vel amicitiæ gratia in provinciam comitabantur, dicti ſunt *Comites.* (*f*) Auguſtus ex Senatu; Gallienus ex aliis quoque ordinibus, Comites, qui in conſilio ſibi eſſent, elegit. (*g*) Conſtantinus M. & ſucceſſores officialibus, qui in ſacro Principis comitatu fuerunt, ut & Magiſtratibus, ex comitatu in Provincias miſſis, Comitis nomen liberaliter commu-

Comites.

(*a*) *Annal. Trevirens.* Lib. IX. Cap. XXXVI. pag. 439.

(*b*) In *Sicilimentis ad Hiſtor. Civitatis Imperialis Wezflar.* à JOHANNE PHILIPPO CHELIO, Syndico Wezflarienſi, An. MDCLXIV. Gieſſæ editis, pag. 220. Sicilimenta hæc appendicis loco adjuncta fuerunt Tom. II. *Obſervat. Forenſ.*

(*c*) *Hiſtor. Palat.* pagg. 165. 183. 184. 203. & 209.

(*d*) Loco alleg. Cap. XXXVII.

(*e*) *Germania* Cap. XII. & XIII.

(*f*) SPARTIANUS in *Adriano* Cap. XVIII. SALMASIUS ad hunc locum. LAMPRIDIUS in *Alex. Severo.*

(*g*) AURELIUS VICTOR in *Gallieno & Probo.*

POLITICA.

communicaverunt. (*h*) Hinc pro Duce aut Principe Latinis & Græcis (*i*) mediæ ætatis ſumtus eſt *Comes*. (*k*) Sequiore hac ætate Romani Imperii & Provinciis & Civitatibus Comites præficiebantur, uti ex Imperii utriusque Rationario patet. Comitum, Ducumque formulam à Romanis Burgundiones, (*l*) Gothi, & Franci, acceperant. Francos alia quoque inſtituta à Romanis ſumſiſſe, AGATHIAS, Græcus ſeculi VI. Scriptor, obſervat. Unde factum, ut Gallia, Romanis ablata, eodem fere modo regeretur à Francis, quo nuper eam rexerant Romani; niſi quod illis Centenarios, Decanos, Scabinos, Rachinburgios, Sculdaſios, Germanicæ originis officia, adderent. Gallia ab antiquo oppidis conſita fuit, quæ ignoravit Germania. Ibi ergo Comites Urbici Comitesque Pagenſes innotuerunt. De Gothis in Galliæ multis id conſtat exemplis, apud SIDONIUM APOLLINAREM. (*m*) Alarici, Viſigothorum in Gallia Regis, commonitorium, quod Theodoſiani Codicis Breviario præfixum eſt, ad Goiaricum & Timotheom Comites fuit emiſſum, ut Provincialibus ex eo jus diceretur. Gundebadæ Burgundionum Legi XXXII. Comites ſubſcripſerunt. Errat ergo OTTO FAISINGENSIS, (*n*) qui Comitatus à *commmandi* poteſtate nomen traxiſſe ſtatuit. Falluntur etiam, qui Galliæ Francicæ Comites ab illis Germaniæ Comitibus, de quibus TACITUS, derivant. "Eliguntur in iisdem conciliis (inquit) „ & Principes, qui jura per pagos vicosque reddunt. Centeni ſingulis ex plebe Comites, „ conſilium ſimul & auctoritas, adſunt. „ Comites hi nonniſi aſſeſſores judiciorum fuerunt, cum Comitibus Romanis & Francicis, judiciorum Præſidibus, haud quaquam comparandi. Francici Scabinos ſuos habebant ad latus, quos Tacitus *Comites* appellat; qui nimirum Principibus, per pagos vicosque jura dicentibus, ex plebe adjuncti ſunt. Comites autem, de quibus nos agimus, illis æqoiparandi ſunt Germaniæ Principibus, de quibus CÆSAR: (*o*) *Principes regionum atque pagorum inter ſuos jus dicunt.*

§. LXX.

Graven. Principes hi à veteribus Germanis *Graven* appellati, unde latiniſantibus *Graviones*. Vix ulla vox Theotiſca, (fabulantur enim, qui à Græco *γράφειν* derivant) Criticorum ingenia magis exercuit. Germani, ut alii populi plures, adminiſtrationem judiciorum viris plusquam maturæ ætatis committere ſoliti, tribunalium præſides Theotiſce *Graven*, hoc eſt, *Canos* ſenioresve vocarunt, uti Romani *Senatores*, Angli *Aldermannos* ſuos appellarunt à ſenio. Anglo-Saxonum Annales vocem *Comites* ſua lingua *Aldermann* reddere, obſervat SELDENUS. (*p*) Sub Athelſtano Rege Aluuinus, Edgari Regis cognatus, totius Angliæ *Aldermannus* dictus eſt, quia ſummus juſtitiarius Regni, uti Comes Palatinus apud Francos, extiterat. *Aldermanni* Senatorum vel Scabinorum, *Mairius* (*q*) Comitis officio apud Londinenſes hodieque funguntur. (*r*). In Pacto Legis Salicæ *Gravio* non ſemel occurrit. (*s*) Vocabulum *Sherif*, apud Britannos notiſſimum, à *Shire-Gerefa*, (Comitatus judex) derivant. (*t*) Graviones, qui Pago majori, ex minoribus compoſito, ſeu toti Provinciæ præerant, ſicut reliqui, ſimpliciter dicti ſunt Comites. *Comitum Provincialium* & Landgraviorum nomina tum nondum innotuerunt. Comites Palatinos, Comites Pagorum & Marcæ Francica Periodus novit; non alios. (*u*) Inſequentia ſecula majorem Comitum varietatem viderunt.

Comites

(*h*) OLIVAR. VREDIUS *Hiſt. Comitum Flandriæ* pag. 2.

(*i*) HESYCHIUS in *Lex.* Κόμης. ἄρχων, ἡγεμών. SUIDAS: Κόμης ὁ λαοῦ ἄρχων, *Comes populi Princeps.* MEURSIUS *Gloſſar. Græco Barb.* pag. 257. CANGIUS in *Gloſſario med. Græcitatis.*

(*k*) In comitatu Principis eſſe honorificum erat; unde Palatinis non modo, ſed & Provinciarum militumque præfectis appellatio Comitis, ut titulus honorarius, conceſſa eſt. Præfectus ſeu Magiſter ſacrarum Largitionum *Comes* quoque honoris cauſa dicebatur. Poſtea brevitatis ergo, nomenclatura Præfecti vel Magiſtri omiſſa, *Comes ſacrarum Largitionum* ſimpliciter dictus. Et ita de reliquis Comitibus.

(*l*) Burgundiones jurisdictionem exercuerunt per Comites. In Præfatione Legis Burgundionum apud LINDENBROGIUM *Cod. Legg. Antiqq.* pag. 266. hæc leguntur: "Sciant Optimates, Comites, Conſiliarii, „ Domeſtici & Majores Domus noſtræ, Cancellarii, „ & tam Burgundiones, quam Romani Civitatum „ aut Pagorum Comites, vel Judices deputati omnes, „ etiam militantes. &c. „ Probant hæc, apud Burgundiones fuiſſe Comites Civitatum, Comites Pagorum, Comites Romanos, Comites Burgundiones. Comites Romani dicti ſunt illi, qui ex priſcis Galliæ incolis ſumpti; Burgundiones vero, quos ex gente ſua Reges Burgundiæ conſtituerunt.

(*m*) Lib. VII. Epiſt. XVII.

(*n*) De *Reb. Geſt. Frid.* I. Lib. II. Cap. XIII.

(*o*) *De Bello Gall.* Lib. VI. Cap. XXIII.

(*p*) *Tit. honorum* Part. II. Cap. V. pag. 343. ſqq.

(*q*) *Maire*, à Germanico *Meyer*, unde Major, Major Domus.

(*r*) SMITH *de Republ. Anglorum* pag. 35. edit. Elzivir.

(*s*) Tit. LIII. 3. item LIV. 1. 2.

(*t*) Sunt, qui à *Shreeve*, *Vice-Comes*, deducunt. COUUELL *Interpreter of Words*, in voce: *Shire.*

(*u*) Giſlebertus *Comes Mantuariorum* apud NITHARDUM occurrit Lib. III. qui in *Annalibus Metenſibus* An. DCCCXCV. *Comes Manſionarii* dicitur.

Comites Palatini, qui in Aula Regis præſedere judiciis, primum omnium locum occuparunt. Formula eorum apud MARCULFUM. (*w*) Plures eodem tempore in Palatio degebant. (*x*) Nobis neque de his, neque de Comitibus Marcæ heic ſermo. Reliqui ſolo & ſimplici *Comitis* nomine illa ætate ita venerunt, (*y*) ut nulla diſtrictus, in quo Comitivam exercuerant, addita mentio fuerit; id quod unanimi ſuffragio veteres Chartæ teſtantur.

§. LXXI.

Comitatus temporar.

Publicus hic Merovingicæ & Carolingicæ Cancellariæ ſtylus juniores Rerum Alſaticarum Scriptores in errorem induxit; quos & ipſe Kœnigshovius in errore firmavit. Huc usque enim creditum, Comitatum Wuorandi, Comitatum Hugonis, Comitatum Eberhardi &c. diverſos extitiſſe Comitatus, quum diverſa modo Comitum, diverſis temporibus Kirchheimenſem Comitatum in Nordgoviæ Pago adminiſtrantium, hæc fuerint nomina. Tranſitoriæ ergo, non perpetuæ & inhærentes, Comitatuum appellationes iſtæ fuerunt; cum ſingulis novis Comitibus, qui ſibi invicem ſucceſſerunt, mutatæ. Irrefragabilem rei teſtem produco Fridericum I. Imperatorem, qui in Altorfino Alſatiæ Diplomate An. MCLIII. ita loquitur: " Otto Imperator Eberhardo „ quondam Comiti, conceſſit .... poteſtatem, mercatum, monetam, tabernam & „ teloneum publicum habendi .... in quodam ſuæ proprietatis allodio, quod dicitur „ Altorph, in quo avus & pater ipſius Hugo Abbatiam in honore ſacratiſſimi Marthiris „ Chriſti conſtruxit Cyriaci, in Provincia Alſatia, in Pago quoque Northgowe, in „ Comitatu prædicti quondam Eberhardi, nunc autem hæredis ſui Hugonis ſito. „ Duplex ergo Comitatibus Alſatiæ nomen tum dari ſolebat; alterum Geographicum, quod permanens, alterum politicum, quod tranſitorium, à Comite, in Comitatu jurisdictionem exercente, prognatum. Ita Comitatus *Illiche*, Comitatus *Troniæ*, permanentia nomina fuerunt: at Comitatus Wuorandi, Comitatus Eberhardi, dicebatur ad tempus. Vernaculo ſtylo diceres, *le Baillage de Worand*, *le Baillage d'Eberard*. Enuntiatio hæc temporaria Comitatuum Alſaticorum notitiam turbat. Nec affirmaverim, Comitatus eodem modo, ut Pagi, uno omnes tractu fuiſſe continuos; quippe qui ex vicis, per varios Pagos diſperſis, jam tum componi potuerunt, quemadmodum in hodiernis id Comitatibus obvium eſt. Quousque veteri more adminiſtrati ſunt Pagi, Reges Comitum Ducumque nomina Diplomatibus ſuis addiderunt. Unde Childericiana Gregoriani Cœnobii charta Chadico Duci, Rodeberto Comiti; Ebersheimenſis vero Theodoriciana Attico Duci & Adelberto Comiti, inſcriptæ fuerunt. Poſtquam autem Comitatus in hæreditatem tranſierunt, ceſſavit hæc furmula, Comitesque à Pagis & Provinciis, quas ſucceſſionis jure tenebant, aut à caſtris, dominiorum ſuorum capitibus, ſua quoque nomina duxerunt; quod ſec. XI. inceptum, XII. invaluit. Unde Comites provinciales & Landgravii Alſatiæ, Comites Egisheimenſes, Tagisburgenſes, Ferretenſes, aliique in memoriis rerum occurrunt; quo ſtylo Alſaticis rebus lux major exorta.

§. LXXII.

Prærogativæ Comitum.

Francici ævi Comites plerumque ex nobilitate, vel ex Miniſterialibus (*z*) delecti, rebusque in Comitatu præclare geſtis, creati ſunt Duces. De Galactorio Comite VENANTIUS FORTUNATUS, (*a*) Pictav. Epiſcopus, Gregorio Turon. ſynchronus, ita canit:

> Ante Comes merito, quam datus eſſet honor.
> Judicio Regis valuiſti creſcere Judex,
> Famaque quod meruit, regia lingua dedit.
> Debet & ipſe potens, ut adhuc bene creſcere poſſis,
> Præſtet ut arma Ducis, qui tibi reſtat ſpex.

Comites ergo conſtituti & revocati ſunt arbitrio Regis. Revocatos GREGORIUS (*b*) *Ex Comite* vocat. In Capitularibus Francicis ſub generico Principum, Optimatum; in Scriptoribus ſub Procerum, Primorumque nomine Comites comprehenduntur. Axioma *Illuſtris*, quo Duces, imo & Reges, ornati, Comitibus quoque datum comperimus.

(*w*) Cap. IX.

(*x*) Novem numerat MABILLONIUS *de Re Diplom.* Lib. II. Cap. XII. num. 14.

(*y*) Sub ſimplici Comitis nomine Provinciales Comites ſæpe intellectos fuiſſe, probat CONR. SAM. SCHURZFLEISCH. in Diſſert. *Principum Moſellæ Anſonis*, §. XIII. Not.

(*z*) De quibus lancem ſaturam Illuſtris ESTOR atque GLAFEYUS.

(*a*) *Carm. Hiſtor.* Lib. X. num. 22. apud BOUQUET. *Scriptor. Franc.* Tom. II. pag. 529.

(*b*) *Hiſtor. Francor.* Lib. VII. Cap. XXIII. ubi: " Injurioſus ex Vicario, ex Comite vero Eunomius.

perimus. Carolus M. in Charta de partibus Saxoniæ: *Trutmannum, virum illuſtrem, Comitem ordinamus.* In Murbacenſi Charta concambii, An. DCCCXXIX. conſcripta, *Geroldus Comes, vir illuſtris*, occurrit. Nec minus ad honorarios Comitum titulos formulam *magnitudo ſeu utilitas veſtra* referimus. Ad ſuſtentationem dignitatis ſuæ, certis reditibus fiſci Comites fruebantur, qui temporis progreſſu illos ſibi proprios reddiderunt. Queritur jam hac de re Carolus M. in *Capitularibus*; (c) "Auditum habemus, „ (inquiens) qualiter & Comites, & alii homines, qui noſtra beneficia habere videntur, „ comparant ſibi proprietates de ipſo noſtro beneficio.

§. LXXIII.

Munus Comitum.

Præcipuum Comitis munus, uti jam dictum, erat jus dicere. Officium ipſum *Comitia*, *Cometia*, *Cometiana*, dicebatur; Comes & Judex ſæpe promiſcuum nomen. Acceſſit tributorum, fiſci regii, vectigalium (d) cura. Sed & inſpectio eorum ad Epiſcopatus & Monaſteria ſe extendit, donec privilegiis Regum proviſum, ut à poteſtate eorum & Epiſcopi, & Abbates, eximerentur; (e) id quod ad Eccleſiarum inſtantiam factum, quum Comites, non minus ac Duces, jure ſuo abuterentur. In Charta Ludovici Germ. An. DCCCLVIII. pro Wormatienſi Eccleſia (f) Epiſcopus queſtus eſt, "quod regiæ poteſtatis procuratores & exactores atque Comites frequens „ incommodum ſibi facerent. Nos igitur . . . ſub integra emunitatis tuitione dona- „ vimus atque conceſſimus, ut nullus noſter, aut ſucceſſorum noſtrorum, Comes „ aut aliquis publicus judex . . . nec ad cauſas audiendas &c. „ Advocatia tamen Monaſteriorum atque Epiſcopatuum Comitibus, non minus ac Ducibus, à Rege, poſt exemptionem quoque, non raro commiſſa fuit, uti *Alſatia Sacra* docebit. Auctoritas Comitum noſtrorum major evaſit, quum ſub ipſis Carolingorum initiis formula Ducum Alſatiæ ſupprimeretur. Alemannia quidem, Ducibus ejus tum quoque abolitis, per Nuntios Cameræ recta eſt; horum autem veſtigia apud Alſatas nulla reperio.

Claſſes Comitum auctæ.

Comitum quas enumeravimus claſſes, ſub Periodo Germanica, mire adauctæ ſunt. Poſtquam enim pleraque jura Regum in civitatibus paulatim obtinuiſſent Epiſcopi, in Regiis illis civitatibus ſuam ſedem habentes, civitatenſes hi Comites Regii in epiſcopales converſi ſunt; quo Cameracenſes, Atrebatenſes, Trevirenſes, Metenſes, (ff) Virodunenſes, Genevenſes, referendi. Ita Henricus Sanctus An. MVII. Erloino, Cameracenſi Epiſcopo, Comitatum Cameracenſem conceſſit. (g) Quum autem & ipſi hi Comites epiſcopales tractu temporis inſoleſcerent, plerique Epiſcopi urbium Comitivam ad ſe traxerunt. Unde Cameracenſis Antiſtes hodieque appellatur: *Archiepiſcopus & Dux Cameracenſis, S. R. I. Princeps, Comes Cameracenſis.* Idem intelligendum de reliquis. Burcardus II. Epiſcopus Wormatienſis, in Charta quadam ſua An. MCXXXVII. ſcribit: *In Comitatu præfectura civitatis noſtræ.* (h) Coloniæ Agrippinæ etiamnum Comes, (*Greve*) ab Archiepiſcopo conſtitutus, jus gladii exercet. Sed jam ad Alſatiæ Comitum enumerationem progredimur.

COMITES ETICHONIDÆ.

§. LXXIV.

Etichonis familia.

NUlla Francici ævi Alſatiæ familia Comitum fertilior fuit, quam Etichonea. Illuſtris ille Alſatiæ Dux Eticho, pater Odiliæ, præter Adelbertum filium & Luitfridum, ex Adelberto nepotem, qui Alſatiæ Ducatum obtinuerunt, numeroſam Comitum poſteritatem reliquit, quæ ſeculo VIII. præſertim multitudine floruit. Tum enim trium Etichonis filiorum, Adelberti, Etichonis, atque Hugonis, nepotes per Alſatiam omnem ſub Comitum titulo late floruerunt; ita, ut nonnulli eorum re ipſa Comites eſſent, cum exercitio Comitivæ, alii honoris tantum cauſa *Comites* appellarentur, quod ex Ducali prodirent familia; (i) ut nimirum axiomate hoc à promiſcua Nobilitate diſtinguerentur:

(c) *Capitular.* Lib. III. Cap. XIX.
(d) GREGOR. TUR. Lib. V. Cap. XV. Lib. VI. Cap. XLI. Lib. VII. Cap. XXIII.
(e) Lege ſupra pag. 647.
(f) SCHANNAT *Hiſtor. Wormat.* Probat. pag. 8.
(ff) In Charta Carolina An. DCCLXXXIII. pro Monaſterio S. Arnulphi ad Metas, memoratur jam Comitatus Metenſis. ANDR. VALLADIER *Baſilique de l'Abbaye Royale de S. Arnoul* pag. 200.
(g) MIRÆI *Diplomata Belgica* Tom. I. pag. 148.
(h) SCHANNAT *Hiſt. Wormat.* Probat. pag. 68.
(i) Ita in Anglia Ducum filii Comites, Comitum filii Vice Comites dicuntur. THOMAS SMITH *de Republ. Anglor.* Cap. XVII.

guerentur : nomine tenus Comites, re ipſa Dynaſtæ. Illos ergo, qui ex priore ſunt claſſe, *Comites Fiſci*, qui ex poſteriore, *Comites Fundi*, haud improprie appellaveris. Paucitas monumentorum & publicus illius ævi ſtylus, qui non diſtinguit has claſſes, faciunt, ut easdem in Comitibus Etichonidis non ſatis ſemper diſtinguere liceat. Hos ergo recenſiturus, Adelberti, natu maximi filiorum & in Alſatiæ Ducatu ſucceſſoris, poſteros primo loco expono, eosque, ob frequens inter illos Luitfridi nomen, *Luitfridigenas* voco. Inde ad alterum Etichonis Ducis filium, qui patris nomine Eticho quoque dictus, progredior, ejusque deſcendentes *Eberhardigenas* nuncupo, quod Eberhardi nomen inter eos obvium fuit. Tertio denique loco ponuntur *Hugonidæ*, qui ab Hugone, ante patrem mortuo, deſcendunt. Hi ſeculo VIII. perierunt. Luitfridigenæ autem & Eberhardigenæ longam poſteritatem reliquerunt, quam Germanica noſtra Periodus exponet uberius.

I. LUITFRIDIGENÆ.

§. LXXV.

INter Adelberti, Ducis Alſatiæ, filios, qui Duces non fuerunt, primum locum Masoni concedimus. Maſo in Fragmento Vitæ S. Odiliæ Piſtoriano non legitur; ideo fortaſſis, quod abſque ſobole ante ſororem obierat. Eum tamen Adelberti Ducis, Odiliæ fratris, filium fuiſſe, Diploma Ludovici Pii An. DCCCXXIII. pro Abbatia Maſonis Monaſterii probat. (k) Dicitur in eo, Abbatiam hanc in parte Voſagi, à quondam Principe Viro nobili *Maſone*, unde etiam nomen traxit, fratre videlicet Ducis *Luitfridi* & *Eberhardi*, qui Morbach conſtruxit, fundatam &c. Conſentit omnino Topologus Novientenſis, filium Maſoni natum, referens, qui in Olrunna, ſeu Tolra fluvio, gurgitibus hauſtus, aquis ſuffocatus fuit. Sarcophagus ejus in Monaſterii Maſoniani Eccleſia oſtenditur, hoc Epitaphio ornatus: *Hic jacet filius Regis Maſonis, qui hoc Monaſterium conſtruxit.* Sed poſterioris longe ævi opus hic Sarcophagus cum ſua Epigraphe eſt; quo nempe Legenda de Regio Maſonis titulo procuſa jam fuerat, ut ficta fundatoris gloria Monaſterii dignitas magis augeretur. Maſo ex Toparchis Alſatiæ fuit, quos Ducum, Comitum, Principum, Regulorum elogiis ſæpiſſime ornatos reperimus. Childericum II. Franciæ Regem, Odilianus Biologus *Imperatorem* appellat. Maſo Comes.

§. LXXVI.

EBERHARDUS Comes in Fragmento Piſtoriano *filius Adelberti Ducis* nominatur: accedit Charta Honaugiæ An. DCCXXIII. qua Luitfridus & Eberhardus Abbatiæ donaverunt *de parte*, inquiunt, *noſtra*, inſulæ Honaugiæ, *quantumcunque genitor noſter Adalbertus Dux moriens nobis dereliquit.* Hunc Eberhardum Obrechtus, (l) Blondellum ſecutus, unicum ex Adelberti proſapia inter Alemanniæ Duces duplici errore admittit. Nec enim Dux unquam fuit Eberhardus noſter, qui in allegata Honaugienſi Charta ſe *Domeſticum* vocat, & à Theodorico IV. Rege in Confirmatione fundationis Abbatiæ Murbacenſis non niſi *Comes* audit; nec ſi vel maxime Dux fuiſſet, ſolus ex Adelberti proſapia fuiſſet, quum Adelberti filius Luitfridus haud dubie fuerit Alſatiæ Dux. Alemanniæ Ducatum vero Etichonidum nullus adminiſtravit. Eberhardus noſter Caſtrum *Egenesheim* (m) ædificavit, gentilibus ſuis ſedem nomenque præbiturum. Præcipue vero memoriam ejus illuſtravit inſtituta ab eo Murbacenſis Abbatia anno DCCXXVII. Theodoricus IV. in Diplomate, anno regni ſui VII. Abbatiæ huic dato, Monaſterium *in loco, qui dicitur Vivarius peregrinorum, noſtris temporibus in alodo fidelis noſtro Eborhardo Comite, cum ipſius adjutorio*, conſtitutum fuiſſe tradit. Sed & ipſe Eberhardus in Charta dotationis, data anno Theodorici IV. octavo, ita loquitur: Eberhardus.
„ Ego Eberhardus, filius Adalberti quondam Ducis, ante hos annos cum Germano „ meo Leudofreudo Duce & conjuge mea Emeltrude, in re mea propria, in loco, „ qui dicitur Maurobaccus.... à novo meo opere.... Monaſterium edificavi, & illis „ diebus, juxta quod in illo priore Teſtamento continetur, de rebus meis aliquid „ ditavi. Nunc autem Salvator... me in corpore viſitare dignatus eſt, & fallax „ temporaleque lumen ſubtraxit.... eciam ſua providentia .... ex proprio corpore „ legiti-

(k) Apud Laguille *Hiſtoire d'Alſace*, inter Probat. pag. 15.

(l) *Prodrom.* Cap. X. pag. 217.

(m) Vid. Topolog. Novientens.

„ legitimum heredem, qui mihi ſucceſſor exiſteret, ſimiliter ſubtraxit. &c. (*n*) Convenit cum hac Charta Topologus Novientenſis in eo, quod Eberhardum, cæcitate percuſſum, Murbacum fundaſſe ſcribat: in eo autem à vero aberrat, quod eum *ſine uxore & liberis* remanſiſſe ait.

§. LXXVII.

Conjux & filius ejus.

Conjugem ei fuiſſe *Emeltrudem*, filiumque, qui ante patrem obiit, Charta hac ipſe Eberhardus fatetur. Errant ergo & illi, (*o*) qui Eberhardi hujus filium conſtituunt *Ruthardum* iſtum *Comitem*, qui circa An. DCCXXX. Abbatiam fundavit in *Arnolfesau*, ſub Ludovico Pio Schwarzacum translatam, & Gengenbacenſis quoque Monaſterii conditor celebratur. Inducti ſunt fortaſſis eo, quod ex Ludovici Pii pro Schwarzacenſibus Charta Ruthardus Comes plurima in Alſatia bona Arnolfesaugiæ Cœnobio donavit; quæ ille, uti in Teſtamento ſuo (*p*) An. DCCLVIII. fatetur, dato pretio comparaverat, quæque ipſi de comparatu & concambiatu obvenerant. Quum tamen ex acquiſitis bonis ſive coemptis Etichonides Monaſterium extruere potuerit, Ruthardum Etichonis proſapiæ nec addo, nec demo. GUILLIMANNUS (*q*) Ruthardum hunc Luitfridi I. filium conſtituit. Sed & poſt abrogatos Alemanniæ Duces inter Comites illius Ducatus occurrit Ruthardus, uti ex ERMENRICI Supplemento ad vitam B. Magni, Campiduuenſis Abbatis, diſcimus; (*r*) ubi poſt obitum Pipini Regis, adeoque circa An. DCCLXIX. Othmarus, S. Galli Abbas, dolens ſiſtitur de perſecutione, *quam à peſſimis Comitibus, Warino & Ruthardo patiebatur*, &c. Adde WALAFRIDUM STRABUM, qui Comites Warinum & Ruthardum totius Alemanniæ curam adminiſtraſſe ait. (*s*) In interiore hic Suevia Cameræ Nuncius fuit, quem ad Etichonis noſtri proſapiam referre non poſſum. Sed redeamus ad Eberhardum. Obiit is An. DCCXLVII. filio unico orbatus, in Murbacenſi Abbatia ſepultus. Sepulcrum ejus in Eccleſia Murbacenſis Monaſterii hodieque conſpicitur, ſed reſtitutum, quum Eccleſia ante D. annos reſtitueretur. Damus illud inter Francica Monumenta. Hæredem reliquit fratrem Luitfridum I. qui agnatis ſuis, Etichonis II. poſteris, partem aliquam hæreditatis ejus conceſſiſſe videtur, quum memorati Etichonis II. poſteri ſeculo ſequente poſſeſſores fuerint caſtri Egesheim, ab Eberhardo noſtro fundati.

Tab. I. num. 4.

§. LXXVIII.

Luitfridus II.

Adelberti filius Luitfridus, Alſatiæ Dux, quem inter Duces recenſui, non improlis deceſſit. Filium habuit LUITFRIDUM II. Alſatiæ Comitem, quod probatur I. ex nomine Luitfridi, in gente Adelberti Ducis frequenti. II. Ex bonis, quæ Luitfridus II. ejusque liberi in Alſatia poſſedere. III. Hujus Luitfridi neptis Ermengardis à Thegano de *ſtirpe Ducis Edith* fuiſſe ſcribitur, ipſeque Lotharius Imp. in Diplomate pro Stephaniana Abbatia de An. DCCCXLV. *Adelbertum Ducem parentelæ* (conjugis) *ſuæ progenitorem* vocat; evidente indicio, Luitfridum noſtrum II. cujus neptis iſta fuit Ermengardis, ab Etichone I. per Adelbertum filium ejus deſcendiſſe. Sed Adelberti filius non fuit Luitfridus II. noſter, ſolo Comitis titulo inſignitus, quum filius Adelberti Luitfridus Dux Alſatiæ fuerit. Conſequitur inde, Luitfridum II. filium Leudefridi I. & Adelberti nepotem extitiſſe. Luitfridi II. viventis mentionem non reperio; at Charta Lotharii Jun. Lotharingiæ Regis, An. DCCCLIX. (*t*) pro Eccleſia Belmontana nos docet, eum filios habuiſſe *Leutardum* & *Hugonem*. Confirmat enim Rex præfatus dicto Monaſterio " bona, quæ à Leutardo Comite & Hugone fratre

(*n*) Utramque & Theodorici & Eberhardi Chartam dabit Codex noſter Diplom.

(*o*) LAZIUS de *Migrat. Gentium* Lib. VIII. pag. 391. ex quo HERZOG. *Chron. Alſat.* Lib. I. Cap. XC. pag. 145. & BUCELIN. *German. S. & Prof.* Tom. I. qui inſuper Ruthardum hunc ſatorem Comitum Kyburgenſium facit; imo ut liberalior eſſet, alium præterea Eberhardo filium dat, *Warumum* nempe, Habsburgenſium ſatorem; ſed hæc Bucelinus pro more ſuo ex ingenio, contra omnem monumentorum fidem, aſſerunt. Cautior hac in re fuit JAC. KOENIGSHOVIUS, qui in *Chron. Alſat.* Cap. V. pag. 287. Ruthardum ſimpliciter Ducem Alſatiæ vocat, eique Irmenſindam uxorem aſſignat, at de majoribus Ruthardi ſilet. Ruthardum Herzogius Enſishemii ſedem, & Falconoram conjugem habuiſſe, putat.

(*p*) DEUBENII *Deductio in Cauſſa Schwarzach contra Baden-Baden* pag. 23.

(*q*) De *Epiſcop. Argent.* pag. 82. HUGO *Annal. Præmonſtratenſ.* Tom. II. pag. 428.

(*r*) Cap. XIV. apud GOLDAST. *Scriptor. Rer. Alemannic.* Tom. I. Part. II. pag. 202.

(*s*) De *Miraculis S. Galli* Lib. II. Cap. XV. apud GOLDAST. loco cit. pag. 168. add. RATPERTUS *de Caſibus S. Galli* Cap. II. apud GOLDAST. loco cit. Tom. I. Part. I. pag. 2. EKKEHART. Jun. Cap. I. pag. 16. *Chrodardus* vocatur in Diplom. apud MABILLON. de *Re Diplom.* pag. 494. conf. ſupra pag. 669.

(*t*) VIGNIER *Preuves de la Genealogie des Maiſons d'Alſace* pag. 77.

„ fratre donata fuerant & quæ jure hæreditario ad eos per obitum Luitfridi Comitis, „ eorum patris, pervenerant. „ *Hiltrudem* conjugem ejus vocat Chesnius. (*u*) Filiis Hugoni & Leutardo addenda erit filia *Baſilla*, ab An. DCCCXLV. ad DCCCLXXI. Stephaniana Argentinenſis Abbatiſſa, quam cognatam ſuam nuncupat Lotharius Imp. (*w*) quia uxoris ſuæ amita fuerat.

§. LXXIX.

Leutardus
&
Gerhardus.

Leutardus Comes, Luitfridi II. filius, Hugonis III. frater, in Diplomate Belmontano productus, (*x*) uxorem habuit *Grimildim*. Hæc occurrit in Charta fundationis Pultarienſis ac Vizeliacenſis Aſceteriorum, circa An. DCCCLX. à filio ipſorum *Gerhardo* factæ, qui dignam *honorificentiam genitoribus atque parentibus, id eſt, Leutardi & Grimildis*, (*y*) ſe rependere ait. Barbara hæc verba indicant, *Gerhardum* illum *de Roſſilione*, in Hiſtoria Francica ſeculi IX. celebrem, Leutardi filium fuiſſe. Hiſtoriam ejus fuſe exſequitur Chesnius. (*z*) Provinciales Galliæ medii ævi Poetæ, vulgo *Troubadours* dicti, verſibus & cantilenis ſuis eum celebravere. (*a*) In Aula Ludovici Pii educatus ſub Comitis Burgundiæ nomine, Cæſari ſe An. DCCCXXXIV. egregie commendavit, quum filios ejus, contra Patrem inſurgentes, " mitigatis eorum animis, paternos in amplexus „ revocaret, patremque reſtitueret. „ (*b*) Hanc ipſius pietatem agnoſcens Ludovicus Imp. *Comitem* eum *Pariſienſem* creavit; qui inter cæteros Regni proceres An. DCCCXXXVIII. Carolo Calvo, Neuſtriæ Regi, fidelitatis jusjurandum præſtitit, (*c*) fidemque integram ſervavit An. DCCCXL. quum Aquitani adverſus ipſum rebellarent, ac Pipini, Aquitaniæ Regis, filium cognominem in Regem aſſumerent. (*d*) Poſtea vero quum Ludovico Pio mortuo Lotharius Neuſtriam invaderet, Gerhardus à Carolo defecit, (*e*) Pariſina hinc Comitiva exutus. In gratiam tamen cum Carolo Calvo eum rediiſſe neceſſe eſt, quod deinceps Bituricenſium (*f*) provinciæ præfectus legitur. Suſpectum eum Carolo Calvo reddidere bona ampliſſima, quæ in Burgundiæ Regno ex liberalitate Lotharii Imp. poſſidebat. (*g*) Hinc Ao. DCCCLXVII. Comitatu ſuo Bituricenſi ſpoliatus, (*h*) in Regnum Provinciæ ſe recepit; ejusque, uti quidem videtur, gubernationem ſuſcepit; (*i*) quo tempore Carolus Calvus Regnum illud invaſurus erat; cui fortiſſime reſtitit, nonniſi ultima neceſſitate eidem ceſſurus. (*k*) Fundator fuit Monaſteriorum Vizeliacenſis & Pultarienſis, in Diœceſi Lingonica. Cognomen de *Roſſilione* nactus eſt à caſtro quodam hujus nominis, in quo frequenter commorabatur. Ruinas ejus inter Muſſiacum & Caſtellum ad Sequanam hodieque videri, teſtatur Chesnius. (*l*) Annum ei emortualem DCCCLXVII. aſſignat Chronicon Vizeliacense, (*m*) Bertham conjugem ejus An. DCCCXLIV. præmortuam affirmans; quod falſum eſſe patet ex iis,

---

(*u*) Fragmentum Genealog. apud Vignier loco cit. pag. 78.

(*w*) In Diplom. pro Abbatia S. Stephani An. DCCCXLV. dato, ubi falſarius nomen *Baſilla* corrupit, quod plerique *Rendrut*, Mabillonius autem *Rentbada* legerunt. Veſtigia deletæ vocis *Baſilla* non effugiunt aciem lectoris ſagacis.

(*x*) Bona quæ Belmontanæ Eccleſiæ à *Leutardo Comite & Hugone fratre* conceſſa fuerunt, Lotharius Rex An. DCCCLIX. Straſburgi, palatio Regio firmavit; uti Charta Belmontana apud Vignerium loco cit. pag. 77. exponit.

(*y*) Apud Dacherium *Spicileg.* Tom. II. pag. 498. In *Hugonis Pictaviani Hiſtoria Vizeliacenſis* Abbatiæ, apud Dacherium *Spicilegii* Tom. III. pag. 446. Novæ edit. Tom. II. pag. 498.

(*z*) *Hiſtoire de Bourgogne* Lib. II. Cap. LIII.

(*a*) Sub rubro: *Roman de Gerard de Rouſſillon.* Liber Mſc. latet, teſte Lenglet du Fresnoy *Bibliotheque des Romans*, pag. 244. allegat eum quoque Borel *Treſor des Antiquités Gauloiſes & Françoiſes*; in Catalogo Auctorum, ſub rubrica: *Roman de Gerard de Rouſſillon.*

(*b*) Albericus Triumfont. ad An. DCCCXXXIV.

(*c*) Nithardus Lib. I. apud Du Chesne Tom. II. pag. 362.

(*d*) Astronomus in *Vita Ludovici Pii* apud Du Chesne Tom. II. pag. 317.

(*e*) Nithardus Lib. II. pag. 365.

(*f*) Errant ergo recentiores omnes, Altserra *Rer. Aquitanicar.* VIII. 2. pag. 211. Du Chesne loco cit. & cum eis Eccardus, qui Lemovicenſium Comitem etiam fuiſſe autumant, de quo Lupus Ferrariens. Epiſt. XXVIII. Nam Lupus hic Epiſtolam ſuam ſcripſit An. DCCCXL. quum Carolus in Aquitaniam exercitum duxiſſet; at eodem tempore Gerhardus noſter Comes Pariſienſis erat, quod ex Nithardi loco cit. pag. 365. patet. De Gerhardo, Lemovicenſi Comite, mox plura dicentur.

(*g*) Vid. Diplom. Caroli, Burgundiæ Regis, Lotharii Imp. filii, apud Baluz. *Capitular. Regum Francor.* Tom. II. Append. Document. num. 81.

(*h*) Annal. Bertinian. ad An. DCCCLXVII.

(*i*) Vid. Frodoard. *Hiſt. Rhem.* Lib. III. Cap. XXVI. pag. 516. ſqq. ubi Hincmarus, Rhem. Archiepiſcopus, bona Eccleſiæ ſuæ, in Provincia ſita, ipſi commendat.

(*k*) Vid. Annal. Bertin. ad An. DCCCLXX. DCCCLXXI. & DCCCLXXII. Add. Alberic. Triumfont. ad An. DCCCLXVI. qui eum potentiſſimum Burgundiæ Ducem vocat, quum tamen non niſi Comes fuerit; prouti à Carolo, Burgundiæ Rege, in Diplom. citato, à Carolo Calvo in Confirmat. Fundat. Abbatiæ Vizeliacenſis, & ab omnibus coævis vocatur. Ipſe in Charta Fundat. Vizeliac. Abbatiæ ſe vocat: " Divinæ pietatis munere apud glorioſam regalem „ manſuetudinem Comitis honore ſublimatum; „ & in Epiſt. ad Nicolaum Papam ſuper eandem fundationem dicitur: " Miſericordia omnipotentis Dei apud „ Regalem clementiam Comitis honore ſublimatum. Utraque Charta extat apud Dacherium *Spicil.* Tom. II. pag. 498.

(*l*) *Hiſtoire de Bourgogne* Tom. I. Lib. II. Cap. LIII. pag. 212. ubi: " *Les ruines de ſon Chateau* „ *de Rouſſillon ſe voyent encore entre Muſſy l'Eveſque & Chaſtillon ſur Seine.*

(*m*) Apud Labb. *Biblioth. nov. Mſc.* Tom. I. pag. 394.

iis, quæ modo narravimus. Uterque ſane, & Gerhardus & Bertha, An. DCCCLXXII. ſuperſtites adhuc in Annal. Bertinianis leguntur. Sepultus eſt in Abbatia Vizeliacenſi; ubi Epitaphium ejus, & Berthæ conjugis, & Evæ ac Theodorici liberorum, legiſſe ſe teſtatur VIGNIERIUS. (*n*)

§. LXXX.

Gerhardi uxor & liberi.

Uxorem *Bertham* ipſemet prodit in Charta fundationis Vizeliacenſis Abbatiæ, & in Epiſtola ad Nicolaum Papam de fundatione Pultarienſis Cœnobii. (*o*) In priore dicit: "communi voto dilectiſſimæ & amantiſſimæ conjugis meæ Berthæ:„ in altera conjugem ſuam *gratiſſimam Bertham* vocat. Eam Pipini Aquitaniæ Regis filiam fuiſſe, viſum eſt omnibus, qui de ipſa locuti ſunt, quoniam ASTRONOMUS in *Vita Ludovici Pii* Gerhardum Comitem, Pipini Regis Aquitaniæ generum, memorat, adjiciens alium Comitem Hraterium, qui itidem Pipini gener fuit. (*p*) STEPHANUS BALUZIUS (*q*) autem hæc de alio quodam Gerhardo interpretatur, qui Comes erat Lemovicenſis LUPO FERRARIENSI in *Epiſtolis* ſuis laudatus; (*r*) ubi Gerhardus ille Pipino Regi charus fuiſſe traditur. ADEMARUS CHABANNENSIS *Chronico* (*s*) ſuo in prœlio Fontanetenſi occiſos refert: *Girhardum & Raterium Comites, quorum uterque genere* . . . . . . Deploranda hic reperitur lacuna; dubium enim eſt, an Ademarus genus utriusque indicare voluerit, an vero indicaturus fuerit, Girhardum & Raterium *generos* fuiſſe Pipini Regis; nomina ſane eadem ſunt, quæ Aſtronomus, modo citatus, annotavit. BESLIUS (*t*) nihil decidere auſus eſt. Ex Bertha, quocunque tandem patre nata, ſuſcepit Gerhardus filiam, nomine *Evam*, quæ in Charta Vizeliacenſi & in Epiſtola ad Nicolaum Papam memoratur. In utriusque fine: S. *Evæ filiæ eorum*, (Gerhardi & Berthæ) *quæ voluntatem Parentum conſentiendo firmavit*. Filium Theodoricum VIONIERIUS addit, utut nullum extet documentum, ex quo ſtirpem à Gerhardo propagatam fuiſſe, eluceat.

§. LXXXI.

Hugo III.

Redimus ergo ad patruum ejus HUGONEM III. quem Leutardi fratrem & Luitfridi II. Comitis filium fuiſſe, ex Diplomate Belmontano, ſuperius allegato, novimus; ubi *Leutardus & Hugo fratres* verbis diſertis *filii Luitfridi Comitis* vocantur. THEOANO ſuffecit, eum de *ſtirpe Ducis Edith* natum indicare. (*u*) Obitum Hugonis in annum DCCCXXXVII. Annales Bertiniani & Fuldenſes referunt. Uxor ejus *Bava* in Charta Vizeliacenſi vocatur; ubi Gerhardus fundationem ſe facere ait "ooo immemorem benevolentiæ gratiſſimorum „ *Hugonis atque Bavæ*, amabilibusque filiis & filiabus eorum, conſanguinitate, affini- „ tate (*x*) & propinquitate etiam oobis junctis, id eſt Leufredi & Adalardi Comitum „ præclariſſimorum. „ Suſcepit ergo Hugo ex Bava filios *Leufredum & Adalardum*, ex Charta Vezeliacenſi cognitos. Sed ſuſcepit etiam ex ea filium tertium *Hugonem*, filiasque duas *Ermengarden & Adelhayden*. Hugonem, Ermengardis fratrem, ex Diplomate Lotharii Imp. anno Imperii XII. Æræ noſtræ DCCCXXXV. dato, cognoſcimus, quo curtem Limootam Eccleſiæ S. Ambroſii dare ſe aſſerit; inſtinctu, inquit, "dilectæ „ conjugis noſtræ Hirmingardis, occaſione actuata ex dilectione *fratris ſui*, puerili „ elegantia delati, *Hugonis* nomine; pro remedio ejusdem pueri . . . . . ut ejusdem „ Eccleſiæ gubernantes attentius prædicti pueri exoreot veniam &c.. (*y*)

Ermengarda.

Ermengardem prodit THEOANUS, (*z*) qui nupſiſſe ait Lothario Imp. *Ermengardem, filiam Hugonis Comitis de ſtirpe Ducis Edith*. Hinc Lotharius, Lotharingiæ Rex, Lotharii Imp. & Ermengardis filius, Leutfridum III. Comitem Alſatiæ, Hugonis & Bavæ filium, vocat

(*n*) *Preuves de la Genealogie de la Maiſon d'Alſace* pag. 91.

(*o*) Apud DACHERIUM loco cit. ANNALES BERTINIAN. An. DCCCLXXI. & ſq.

(*p*) Pag. 317. apud DU CHESNE *Scriptor. Rer. Francicar.* Tom. II.

(*q*) In *Notis* ad LUPI FERRARIENS. *Epiſt* XXVIII. pag. 360.

(*r*) Epiſtola XXVIII. pag. 51. edit. Baluzianæ.

(*s*) Apud LABB. *Biblioth. nov. Mſc.* Tom. II. pag. 161.

(*t*) *Hiſt. de Guienne & de Poitou* pag. 9.

(*u*) Cap. XXVIII.

(*x*) Verba hæc *affinitate junctis* aut impropriè omnino poſita ſunt: aut ſane probant Gerhardum de Roſſilione Pipini *Aquitaniæ Regis generum* fuiſſe. En tibi ſchema breviſſimum

LVDOVICVS PIVS

LOTHARIVS Imp. Ux. Ermengardis Soror Leufredi & Adalardi, qui hinc Gerhardo affinitate juncti fuere.	PIPINVS, Rex Aquitaniæ
	BERTHA nupta Gerhardo de Roſſilione, qui hinc affinitate junctus fuit Leufredo & Adalardo.

(*y*) Vid. UGHELLI *Ital. Sacra*, Tom. IV. pag. 80. edit. recent.

(*z*) Cap. XXVIII.

vocat *avunculum ſuum.* (a) Lotharius Imp. ipſe in Diplom. pro Abbatia S. Stephani, Adelbertum Ducem vocat *parentelæ*, id eſt, conjugis ſuæ, *progenitorem*; & Baſillam Abbatiſſam, quæ Ermengardis amita fuerat, ſuam *cognatam.*

§. LXXXII.

Adelhaydis.

Adelhayden indicant Annales Bertiniani, (b) annotantque "Lotharium Jun. „ Archiepiſcopatum Colonienſem ademiſſe Gunthario, atque dediſſe Hugoni, dicto Abbas, „ filio Conradi, Caroli (Calvi) Regis avunculi, & materteræ ſuæ. „ Sororem ergo habuit Ermengardis, quæ Lotharii Jun. matertera fuerat. Nuptam hanc patet Conrado, Comiti Antiſſiodorenſi, Caroli Calvi avunculo, fratrique Eudonis, Ducis Aurelianenſis, qui pater fuerat Irmentrudis, Caroli Calvi uxoris. (c) Ermengardis vero Imperatricis ſororem, Conradi Antiſſiodor. conjugem, nomen habuiſſe *Adelhaydis*, ex Herico Monacho (d) novimus. Mortuo hoc Conrado, Adelhaydis, ad ſecunda vota tranſiens, nupſit Roberto Forti, Comiti Andegavenſi, Auguſtæ gentis Capetingorum ſatori. Hinc eſt, quod Aimoinus Floriacensis (e) Hugonem Abbatem, quem Annaliſta Bertinianus verbis diſertis Conradi Antiſſiodorenſis & Adelhaydis noſtræ filium vocavit, filium Roberti Fortis appellat, quem privignum dicere ſatius fuiſſet. Hinc etiam filii Roberti Fortis Otto & Robertus, ex Adelhayde ſuſcepti, fratres vocantur Hugonis Abbatis, (f) quod matrem habuerunt eandem, at patres diverſos; fratresque adeo uterini fuerunt. (g) Videamus jam Adelardum & Luitfridum III. quos ex liberis Hugonis III. & Bavæ primos nominaveram.

§. LXXXIII.

Adelardus.

Adelardus Comes in aula Ludovici Germanici clarus fuit, (h) ejusdemque Legatus ad Carolum, ſuper negotio hercifcundæ familiæ Ludovici II. Imp. (i) An conjugem, an liberos habuerit, incertum; Ermeltrudis ſane, quam filiam ejus fuiſſe putat Vignierus, nullibi in noſtris reperitur monumentis.

Luitfridus III.

Reſtat ergo Luitfridus III. Hic à Lothario Imp. affine ſuo, impetravit confirmationem jurium omnium, queis Abbatia Grandvallenſis hactenus gaviſa fuerat. Diploma datum eſt An. DCCCXLIX. Luitfridus noſter in eo vocatur: *Illuſtris Comes, Dominusque Monaſterii Grandvallenſis.* (k) Annalista Bertinianus (l) eum ſiſtit, ut unum ex familiaribus Lotharii Jun. quem pro legitima conjuge Theotberga adſciviſſe (ait) Waldradam, "faventibus ſibi *Luitfrido, avunculo ſuo*, & Vultario, qui vel „ ob hoc illi erant familiares &c. Eundem Luitfridum, avunculum ſuum, deinceps „ in Italiam miſit legatum, ad Ludovicum II. Imp. fratrem ſuum, petens illum, apud „ Apoſtolicum obtinere, quatenus pro eo patruis ſuis Epiſtolas mitteret, ut pacem „ ſervantes, de Regno ſuo nullum ei impedimentum facerent. „ Anno DCCCLXIV. diem clauſit extremum, uti ex vetuſto *Chronico* Monaſterii S. Galli (m) patet, quod mortem Luitfridi, regni [Alemannici] *Principis*, in hunc annum rejicit. An uxorem habuerit unam ex ſororibus & hæredibus Landolai, Epiſcopi Darvienſis, qui ſeculo IX. medio vixit, & Vindoniſſæ Dominus fuit, (n) id ob monumentorum defectum nec cum Chesnio (o) affirmabimus, nec prorſus negabimus. Hoc certum eſt, filios eum reliquiſſe duos, Hugonem IV. & Luitfridum IV.

§. LXXXIV.

Hugo IV.

Hugo IV. in Alſatia, imo univerſa Alemannia, pollebat auctoritate. Hinc quum Carolus Calvus An. DCCCLXIX. falſum accepiſſet nuntium de fratre ſuo Ludovico Germanico, in agone conſtituto, Carolus regno ipſius inhians, " iter in Eliſacias „ „ partes

(a) In Diplom. An. DCCCLXVI. Grandvallenſ. dato, apud Dacherium *Spicil.* Tom. III. pag. 378.

(b) Ad An. DCCCLXIV.

(c) En Schema:

* 3 *	
Conradus Antiſſiodorenſis. Uxor Adelhaydis.	Eudo, Dux Aurelian.
	Irmentrudis, nupta Carolo Calvo.

(d) De *Miracul. S. Germani*, Epiſcopi Antiſſiodor. Lib. II. Cap. II. apud Labbeum *Biblioth. nov. Mſc.* Tom. I. pag. 556.

(e) De *Miraculis S. Benedicti*, apud Duchesne Tom. III. pag. 449.

(f) *Chron. S. Benigni Divionens.* apud Dacherium *Spicil.* Tom. I. pag. 417.

(g) Confer. Epernonius *Veritable Origine de la derniere race des Roys de France* Part. II. pag. 57. ſqq.

(h) Annal. Bertiniani ad An. DCCCLXXIII.

(i) Ibidem ad An. DCCCLXXVI.

(k) Apud Dacherium *Spicil.* Tom. III. pag. 139.

(l) Ad An. DCCCLXII. add. Adventii, Epiſcopi Metenſ. *Relatio de divortio Lotharii Regis*, apud Brower. *Annal. Treverenſ.* Lib. VIII. pag. 115.

(m) Apud Du Chesne Tom. III. pag. 469.

(n) Ekkehart. Jun. *de Caſibus S. Galli* Cap. I. apud Goldast. *Rer. Alemannic.* Tom. I. Part. I. pag. 15.

(o) *Hiſtoire de Bourgogne* Lib. II. Cap. LIII. pag. 533.

„ partes arripuit, ut Hugonem, Luitfridi filium, obtineret, quod & fecit. „ (*p*) Hic idem Hugo à Lothario, conſobrino ſuo, Lotharingiæ Rege, confirmationem privilegiorum Abbatiæ Grandvallenſis obtinuit. Diploma datum eſt An. DCCCLXVI. Lotharius ibi ita loquitur: " Quia Hugo, Comes illuſtris, avunculi noſtri Ludfridi filius, „ deprecatus eſſet manſuetudinem noſtram &c. „ (*q*) Hugo hic improlis obiit: indicat id frater ipſius, Luitfridus IV. qui in Charta ſua, Trutpertinæ Abbatiæ conceſſa, profitetur, ſe Monaſterium illud à fratre ſuo Hugone in partem hæreditariam poſſidere. (*r*) Sequitur inde Hugonem IV. alium hæredem non habuiſſe, quam fratrem. Diſſentit quidem Eccardus, eique filium attribuit Luitfridum; ſed conjectura ipſius hac Charta omnino refellitur. Obiiſſe eum circa An. DCCCLXXX. inde conjicimus, quod frater ipſius Luitfridus quadriennio poſt Advocatiam Grandvallenſem jam obtinuerat.

§. LXXXIV.

Luitfridus IV.

Luitfridus IV. itaque Hugoni IV. fratri, ut in cæteris bonis, ita in Advocatia Grandvallenſi & Trutpertina ſucceſſit. Grandvallenſem quod attinet, pateſcit illud ex Diplomate Caroli Craſſi Imp. de An. DCCCLXXXIV. qui, rogatu *Comitis Luitfridi*, privilegium Lotharii Imp. pro Grandvallenſibus confirmavit. (*s*) Advocatia Trutpertina celebri illi Chartæ An. DCCCCIII. dedit occaſionem, qua Luitfridus noſter, cum filiis ſuis Hunfrido, Luitfrido V. & Hugone V. jura Trutpertinæ Abbatiæ ſtabilivit, terraſque plurimas de ſuo donavit. (*t*) Quando obierit Luitfridus quartus, ignoramus: ignoramus etiam nomen conjugis. Ermentrudem vocat & Bertholdi ac Erchangeri, Cameræ Nunciorum in Alemannia, ſororem conſtituit Eccardus; fide Epitaphii in Abbatia Trutpertina, ex Lazio & Guillimanno (*u*) deſcripti, qui illud tamen genuinum non dedere: unde Eccardus Pezio (*x*) vapulat. Omnium optime expreſſit Bucelinus: (*y*) *Hic requieſcunt fundatores hujus loci Comites de Habsburg, Otpertus, Rampertus & Luitfridus, Landgravii Alſatiæ. Item Hunfridus, Luitfridus & Hugo: Domna Ermentruda.* Seculo XII. poſterius eſſe Epitaphium, adjicialia verba *Landgravii Alſatiæ* indicant, quæ ab Habsburgicis An. demum MCLXXXVI. uſurpari cœperunt. Hinc nullius, aut exiguæ, auctoritatis eſt Monumentum, quod Bucelinus tot laudibus extulit. Filiorum Luitfridi IV. nomina expreſſit quoque Charta Trutpertina: " Hunfridus, qui major eſt in illis natu, dedit in Norgauwe unam curtim, quæ dicitur „ Kunigishova, Luitfridus in Sungauua in Schowinsheim, Hugo in Eginsheim.

Hunfridus.

Hunfridus nonniſi in Charta hac An. DCCCIII. legitur, & ab Herrgotto conſtituitur pater Guntrami divitis, Habsburgenſium ſatoris.

Hugo.

Hugo, ad inſtar fratris, hac ſola in Charta occurrit; Herrgottus Egisheimenſium gentem ab eo deducit.

§. LXXXV.

Luitfridus V.

Luitfridi V. autem mentio ſæpius adhuc infertur. Nec opus eſt, ut eum poſt Eccardum eundem dicamus cum Luitfrido iſto, qui avunculis ſuis Erkangero & Bertholdo ſocius fuit in vexando Salomone, Conſtantienſi Epiſcopo; quique à Conrado I. Germaniæ Rege, ob id perduellionis damnatus, capiteque truncatus. (*z*) In noſtrum Luitfridum V. minus hæc quadrare videntur: quippe qui An. DCCCCXXV. adhuc ſuperſtes, Ungaros, Alſatiam populantes, aggreſſus, poſt ingentem utrinque ſtragem victus atque fugatus fuit. (*a*) Quandonam obierit, incertum. Hæc ſunt, quæ de tribus Luitfridi IV. filiis produnt monumenta. Stirpem eos propagaſſe, contra Eccardum demonſtravit Herrgottus. Hoc profecto vel ex ſola Charta Grandvallenſi An. DCCCCLXVII. (*b*) evincitur, qua Conradus, Burgundiæ Rex, progeniem Luitfridi

(*p*) Annal. Bertin. ad An. DCCCLXIX. Continuat. Aimoini ad An. DCCCLXVIII.

(*q*) Apud Dacherium *Spicileg.* Tom. III. pag. 378.

(*r*) Vide hanc Chart. apud Herrgott. Tom. II. pag. 197.

(*s*) Apud Dacher. *Spicil.* Tom. III. pag. 365.

(*t*) Chartam hanc ſinceram dedit Herrgott. *Geneal. Habsb.* Tom. II. pag. 197.

(*u*) *Habsburgic.* Lib. III. Cap. VII. pag. 136.

(*x*) De *Etymo vocis Habsburg.* pag. 44.

(*y*) In *Germania* Tom. I. Part. III. pag. 16.

(*z*) Ekkehart. Jun. de *Caſib. S. Galli* Cap. I. apud Goldast. *Rer. Alemann.* Tom. I. Part. I. pag. 17. ſqq. Hepidannus in *Annal.* ad An. DCCCCXVI. ibid.

(*a*) Ekkehart. loco cit. Cap. V. pag. 34.

(*b*) Dacherii *Spicil.* Tom. III. pag. 175. & Herrgott. Tom. II. pag. 77. De induſtria poſuimus An. DCCCCLXVII. licet in Inſtrumento ipſo legatur An. DCCCCLVII. manifeſto Librarii errore. Nam Otto M. in eo jam vocatur Imperator, qui tamen An. demum DCCCCLXII. Imp. factus eſt. Mentio quoque fit ipſius filii Ottonis II. Regis, qui An. DCCCCLV natus, nonniſi anno DCCCCLXI. ſucceſſor deſignatus eſt.

Luitfridi creſcendo multiplicatam, inque eam Monaſterium Grandvalleoſe diviſum fuiſſe teſtatur, quare Luitfridi filium ad Palatium ſuum legaliter vocaverit, & ab eo Monaſterium illud acquiſiverit &c. Ex hoc Inſtrumento patet 1.) Luitfridi poſteros circa An. DCCCCLXVII. in diverſos ramos diviſos fuiſſe; ſic enim progenies creſcendo multiplicata, ſicque Monaſterium Grandvallenſe inter eam diviſum. 2.) Infirmam eſſe conjecturam Marchionis S. Aubin, (c) qui Alſaticam Habsburgenſium originem everſurus, verba citata de tribus Luitfridi IV. filiis Hunfrido, Luitfrido V. & Hugone interpretatur. Quum enim Conradus filium Luitfridi illius, cujus progenies creſcendo multiplicata fuerat, ad Palatium ſuum vocarat; ex ejus hypotheſi neceſſario aut Hunfridus, aut Luitfridus, aut Hugo, ad Palatium Conradi citatus fuiſſet: at illi An. DCCCCIII. ea ætate erant, ut patri conſilium dare, & de parte propriæ hæreditatis, quæ ſe contingebat, donationem facere potuerint, (d) adeoque XXV. ad minimum annos nati. Sequeretur inde illum, quem Conradus ad ſe citaverat, nonagenarium tunc omnino fuiſſe, quod veriſimile non eſt. Quin potius dicendum, Luitfridum V. Luitfridi IV. filium, eum eſſe, cujus progenies creſcendo multiplicata fuit.

Filium habuit Luitfridum VI. qui is ipſe procul dubio, quem Cooradus, Burgundiæ Rex, ad Palatium ſuum vocavit. Idem Luitfridus VI. An. DCCCCLXXIII. in Diplomate Ottonis II. pro Paterniacenſibus, (e) iterum memoratur, dum recenſentur bona, in Alſatis, in *Comitatu Luitfredi Comitis* ſita. An. DCCCCLXXVII. Godefridus quidam Murbacenſi Abbatiæ donavit bona nonnulla in *Comitatu Luitfridi Comitis*. Haud longe poſt obiiſſe videtur; relicto filio Luitfrido VII. qui vixit An. DCCCCLXXXVI. & ſecundum Paterniacenſe Diploma Ottonis III. (f) Columbram villam in ſuo Comitatu habuit. Superfuit adhuc An. DCCCCXCVII. quo in alia ejusdem Ottonis III. Charta Paterniacenſi, *Columbra* iterum in Comitatu Luitfridi Comitis ſita ſcribitur. An. DCCCCXCIX. teſtis legitur in Diplomate Ottonis III. Altorfenſibus dato. Annum vero milleſimum non multum ſuperaſſe videtur; quod quadriennio poſt occurrit jam Otto Comes, in cujus Comitatu ſita memoratur, quæ Luitfridus antea in ſuo Comitatu habuerat. Heic denique ceſſat Luitfridorum nomen; unde conjectura haud levis, extinctum eorum cum Luitfrido VII. ramum, non vero gentem Adelberti univerſam, uti viſum Eccardo. Luitfridus VI. & VII.

II. EBERHARDIGENÆ.

§. LXXXVI.

Eticho filius, cognominis patri, ab Eccardo primogenitus & Dux Alemanniæ creditus eſt. Utramque hypotheſin confutavimus ſupra. (g) Nec Alemanniæ enim Eticho, nec Alſatiæ Dux, vel certe Dux fuit ſine Ducatu, ſi modo à Fragmento Piſtoriano recte appellatus eſt *Dux*; quod nomen ipſis ſubinde Comitibus datum, præſertim quum Ducum filii fuiſſent; uti filii Regum Francorum vivis patribus *Reges*, filiæ *Reginæ*, vocabantur. (h) Breve ejus regimen fuiſſe, & filios impuberes ab eo relictos, inde concludit Eccardus, quod Adelbertus frater ei in Ducatus honore ſucceſſerit. Quicquid hujus rei ſit, Eticho junior poſteritatem, in Comitum claſſe habitam, reliquit. Teſtis eſt rurſus Piſtorianum Vitæ Odilianæ Fragmentum, quod ait: *Ejus*, Etichonis junioris, *filii fuerunt Epiſcopus Argentinenſis æquivocus, & Albericus Comes.* Eticho junior.

Eddonem, Heddonem, Antiſtitem Argentinenſis Eccleſiæ, heic intelligendum eſſe, Chronologia & reliquæ circumſtantiæ ſuadent. Hic Monachus Augienſis primum, Pirminiique diſcipulus, ejusdem Monaſterii An. DCCXXVII. conſtitutus eſt Abbas; An. DCCXXXII. à Theobaldo, Alemanniæ Duce, relegatus Muraniam; à Carolo Martello revocatus, An. DCCXXXIV. denique factus eſt Strateburgi Antiſtes. Dignitati diutiſſime præfuit; anno enim Pipini XI. Æræ Chriſt. DCCLXIII. Teſtamentum condidit, quod ad noſtra tempora pervenit. Patet ex illo, Eddonem plura ex paterna hæreditate bona poſſediſſe in Sueviæ Ducatu, imo & in vicina Ergovia ac Lotharingia. Placito Attiniacenſi adhuc ſubſcripſit An. DCCLXV. Reliqua ejus diſcutimus in Alſatia Sacra.

Albericus Comes, Eddonis frater, interea genus propagavit, utut uxorem ejus, annumque obitus ignoremus. Major natu quum fuiſſe videatur, ante An. DCCLXV. eum obiiſſe, veriſimile eſt. Albericus.

(c) *Antiquités de la Maiſon de France* pag. 389.
(d) Verba Chartæ Trudpertinæ.
(e) Apud Herrgott. Tom. II. num. 142.
(f) Ibidem num. 147. pag. 89.
(g) Cap. III. pag. 766.
(h) Patet hoc ex Gregorii Turon. Lib. IV. Cap. XIII. Lib. IX. Cap. X. Lib. X. Cap. XV.

§. LXXXVII.

Eberhardus I. & poſteri.

Alberico filium fuiſſe Eberhardum, ex eodem Fragmento Piſtoriano elucet, ubi hæc legimus: "Eberhardus, Alberici Comitis filius, qui licet leone & urſo ferocior, „ aliquando io ſervos Dei ſævierit, & bona noſtra uſurpaverit, tamen favente Deo „ & per merita B. Odiliæ, non tantum arrepta reſtituit, ſed & de ſuo largiter con- „ ſtituit habenda. „ (i) Fatetur alicubi hic Anonymus Scriptor, Odiliam ſe videre potuiſſe, utut eam noo viderit. Hæc autem circa An. DCCXX. obiit. Idem Anonymus etiam vidit Eberhardum hunc, qui circiter XXV. annis poſt Heddonem, Epiſcopum patruum, adeoque circa An. DCCC. exſpiravit. Ita nec à veriſimilitudine alienum, *Harihardum Comitem*, qui Fulradi, Abbatis Dionyſiani, origine Alſatæ, teſtamento apud Felibianum (l) An. DCCLXXVII. ſubſcripſit, ad Eberhardum noſtrum referre. Cœnobita quidam Lutrenſis, *S. Deicoli* Biologus, (m) Eberhardum quendam, Comitem de Alſatiæ partibus, Waldradæ, Lotharii Regis pellicis, amicum & cognatum fuiſſe ſcribit, cui ea Lutrenſe tradiderit Cœnobium. Hic jus Advocati, ſibi collatum, acrius forte, quam Cœnobitis placebat, exercens, Herodis, & ſi quid Herode pejus dici poteſt, oomine paſſim inſignitur; qui ut in mortis quoque genere ſimilis ſiſteretur, à vermibus devoratus ſcribitur. Eberhardus An. DCCCXCVIII. adhuc Chartæ Herimuoti pro Monaſterio S. Gregorii ſubſcripſit, quæ facta *præſente Illuſtriſſimo Comite Eberhardo*. Uxor ipſi fuerat Adelindis, quam deinceps repudiavit, applicata ſibi quadam Nonna Monaſterii Erſteinenſis, ut S. Deicoli Biographus loquitur. Haud difficulter perſpicit Lector, Eberhardum hunc, Waldradæ conſanguineum, ab Eberhardo noſtro I. Alberici filio, plane fuiſſe diverſum. Obſtat enim temporis ratio, quæ ne quidem permittit, ot Eberhardum, Waldradæ cognatum, qui nonniſi circa An. DCCCC. obiit, Eberhardi I. filium, Alberici nepotem, conſtituamus; Eberhardus I. enim circiter An. DCCC. deceſſit. Medius ergo inter primum tertiumque, hoc eſt ſecundus quidam Eberhardus, vel alius cujuſcunque nominis, inter duos hos Eberhardos ponendus. Vignierius tamen Eberardum I. Alberici filium, illum ipſum eſſe credit, qui An. DCCCLXIX. vixit, conſanguineus Waldradæ, adeoque Eberhardum ſecundum tertiumque omittit.

§. LXXXVIII.

Hiatum non ſenſit Jacobus Chifletius, (n) ſyſtematis Vignieriani defenſor; at ſenſit Blondellus, qui malo allaturus remedium, Vignieriani Libri exemplo, quod Vignierius ei miſerat dooo, ſua manu Adelindam, quæ Eberhardo I. conjux à Vignierio data eſt, delevit, atque Eberhardo II. primi filio, eam adſcripſit. Liber, neſcio quo fato, Romam delatus, nunc in manibus meis eſt, plurimis Blondellianis notis & emendationibus auctus. Non ſatis tamen malo proſpectum. Utut enim ſchemati accedat Eberhardus II. res tamen nondum confecta eſt: unus adhuc reſtat hiatus, quem Eccardus (o) explere dum ſtudet, duas generationes Lutetia Pariſiorum petivit: Comitem illum nempe Pariſienſem Begonem, cujus uxor Alpais, Ludovici Pii filia, cum Eberhardo filio eorum, præter omnem veriſimilitudinem, obtorto collo huc traxit; (p) quia apud Frodoardum (q) legerat, Ebrardum & Letardum filios fuiſſe Begonis; nomenque Ebrardi, Etichonis II. poſteris commune, opportunum crediderat, quod ſtemmati ooſtro insereretur: remedium violentum nimis, & nimis longe petitum. Equidem Eccardum, oon recte ſupplentem, dum corrigo, oon reperio ullibi Comitem, quem in alterius ejecti locum opportune ſubſtituam. Hiatum tamen obturare tentabo. Eberhardum quendam San-Gallense nobis Chronicon (r) ad An. DCCCLXIV. ſuggerit. Inter alios enim Proceres Regni, qui in Alemanniæ partibus eo tempore obierunt, Annaliſta primo loco ponit *Ebrachardum* quendam atque *Liutfridum*. Synchroniſmus & origo Etichonis I. Alemannica, quam ampliſſimæ terræ, à poſteris ejus in Alemannia poſſeſſæ, teſtantur, oobis permittunt, ut Ebrachardum hunc conſtituamus noſtrum Eberhardum ſecundum. Hæc ſtemmatis Etichoois II. facies ad Eberhardum III. usque, qui Francicam noſtram Periodum concludit. Poſteritatem ejus Germanica exhibebit Periodus. Ex Eberhardi III. poſteris Vignierius atque Eccardus Habsburgenſem & Lotharingicam Gentes derivant, qua de re ſuo loco uberius.

III. HU-

(i) Apud Vignierium pag. 76.
(l) *Hiſtoire de S. Denys, Pieces juſtif.* num. 56.
(m) Cap. XX. apud Mabillon. *Act. SS. Benedict. Ord.* Tom. II. pag. 95.
(n) *Stemmatis Auſtraſici* pag. 15.
(o) *Orig. Habsburg.* pag. 44. & in *Addendis*.
(p) Eccardi veſtigia alii quoque ſequuntur. Hos inter Schannat. in *Hiſtoria Palat. Epiſc.* Tab. Geneal.

(q) *Hiſt. Remenſ.* Lib. IV. Cap. XLVI.

(r) Apud Chesnium *Scriptor. Rer. Franc.* Tom. III. pag. 469. ubi: "DCCCLXIV. Ebachard, Liutolf, Erchanker, Liutfrid, Ruddolf, Regni Principes, obierunt." Primum nomen male expreſſum eſſe, atque *Ebrachardum* legi debere, quilibet facile videt.

III. HUGONIDÆ.

§. LXXXIX.

Hugonis poſteritas.

TErtia Etichonidarum gentis familia enarranda jam ſupereſt, quæ *Hugonis* Comitis deſcendentes complectitur. Hic ante parentes mortuus, liberos tamen reliquit, ſed anonymos omnes, quos ex harmonia locorum & temporum, ex fide Chartarum & veriſimilitudine rerum, ſumus ordinaturi. Circumſtantiæ ſuadent, ut Hugoni filios aſſignemus Boronum, Haichonem ſen Etichonem, atque Bleonum; quibus GUILLIMANNUS (s) Remedium, Argentinenſem Antitiſtem & Haſcovienſis Aſceterii fundatorem, adjungit. Remedii quoque ab Hugone filiationem, quam ECCARDUS (t) in dubium vocavit, HUGO, Stivagienſis Abbas, (u) acriter, ſed non valide ſatis, defendit.

Ceteros tres ab Hugone genitos eſſe, rationes ſequentes haud leviter probant. 1.) Boronus & Haicho, An. DCCXXIII. Honaugienſi Aſceterio donationem facientes, eo tempore vixerunt, quo Hugonis filii eſſe potuerunt. 2.) Boronus Abbatiæ Honaugienſi donavit, ut ipſius verbis utar; " de ipſa inſula Hohenaugia, quam genitor „ meus mihi dereliquit, & ad me pervenit, de parte mea &c. „ Haicho in ſuæ donationis Charta inquit: " de ipſa inſula, quæ dicitur Hohenaugia, de parte mea, ad ipſum „ Monaſterium (Honaugiæ) condonare &c. „ At vero Luitfridus I. & Eberhardus, Adelberti filii, in ſua donatione dicunt: " de ipſa inſula Hohenaug, de parte noſtra, quan- „ tumcunque genitor noſterAdalbertus Dux nobis moriens dereliquit &c. „ Ergo inſula Honaugiæ inter Adelbertum Ducem & patrem Boroni ac Haichonis diviſa erat. Annon veroſimili conjectura inducimus, Adelbertum Ducem & Boroni Haichoniſque patrem, fratres fuiſſe? 3.) Boronus in alia Charta Honaugienſi An. DCCL. vocatur *Vir Illuſter*; quod elogium, Ducibus alias tributum, eum ex nobiliſſima & Ducali familia progreſſum indicat. 4.) Haicho ipſe, nomine Ethichonis inſignitus, ad ejusdem proſapiam haud dubie ſpectat; Hugonem vero ejus patrem inde deducimus, quod Haichonis filius, *Hugonis* nomine, avum ſuum haud dubie referat; quodque præterea Vita S. Odiliæ Piſtoriana filiis Hugonis elogium præbet, eos largiter Monaſteria dotaſſe; id quod ad hos noſtros jure applicandum videtur. 5.) Idem dicendum de *Bleono*, qui itidem partem Honaugiæ poſſedit; & filium Hugonem, An. DCCL. Honaugiæ donationem quandam, uti mox videbimus, facientem, reliquit.

§. XC.

Boronus.

BORONUS, Hugonis I. filius, anno Theodorici IV. Regis tertio, qui Chriſti eſt DCCXXIII. Honaugienſi Abbatiæ, uti modo monuimus, donationem fecit partis ſuæ de inſula Hohenaugia. (x) Anno Childerici III. Regis ſexto, qui Æræ noſtræ eſt DCCXLVIII. alia eidem Abbatiæ bona donavit in marcha *Joabbagine*. (y) Boronum hunc Gebwilerus, Ruyrius, Guillimannus, fundatorem ajunt Beronenſis Cœnobii, in Lenzburgenſi Comitatu, quod ab inſtitutore ſuo nomen trahere exiſtimant. Iidem Borono patrem Batacoonem, filios Albertum & Hugonem, Hugshovienſis Abbatiæ fundatores, adſcribunt; qui tamen, ut in Alſatia Sacra docebitur, diu poſt Boronum noſtrum vixerunt.

Haicho.

HAICHO, Honaugienſi Abbatiæ ſuam quoque de inſula Honaugia partem anno DCCXXIII. donavit. (z) Eadem munificentia Abbatiæ Mediani Monaſterii, *maximam partem prædii Bergheim* contulit. (a)

Hugo II.

Filium Haicho habuit HUGONEM II. qui in præcedenti Charta memoratur cum patre. Additum enim: " S. Haichonis, qui hanc Donationem fieri rogavit. S. Hu- „ gonis, filii ſui, qui conſentit.„ Hugo hic medium ſeculi VIII. non ſuperavit. Obiit relicto filio Bodalo.

(s) De *Epiſcopis Argentin.*
(t) *Origg. Habsburg.* pag. 18.
(u) *Annal. Præmonſtrat.* Tom. II. pag. 429.
(x) Charta Hohenaugienſis I. Chartas Honaugienſes XIV. edidit MABILLON. *Annal. Benedictin.* Tom. II. Appendice pag. 695. ſqq.
(y) Chart. Honaug. IV. apud MABILLON. loco cit. num. 4.
(z) Charta Honaug. II. loco cit.
(a) *Hiſtor. Median. Monaſter.* Cap. XVI. apud MARTENE *Theſaur. Anecdot.* Tom. III. pag. 1105.

§. XCI.

Bodalus.

Bodalus ipſe filium Hugonis II. ſe profitetur in Charta Honaugienſi, anno ſeptimo regni Childerici Regis, ſeu DCCXLIX. data; ubi Honaugienſi Abbatiæ donat: " In inſula. Hohenaug. quantumcunque genitor meus, nomine Hugo, quondam mihi „ ibidem moriens dereliquit. „ In Charta alia de anno ſexto Childerici III. Regis, ſeu DCCXLVIII. Monaſterio Gregorianæ vallis bona ſua in Hodulfesheim (*b*) donavit, ubi ita loquitur: *Ego itaque Bodalus, filius Hugone quondam.* (*c*) Donationi ſuæ haud diu ſuperſtes fuit; An. enim DCCLIV. in Charta Attalæ filiæ anecdota, mortuus jam dicitur. A Bodalo vicum Blodelsheim nomen accepiſſe, conjecerunt nonnulli. Filium genuerat Egerhardum, filiamque Attalam.

Egerhardus.

Egerhardum Bodalus ipſe nominat in citata modo Charta Monaſterienſi; ubi donationem hanc feciſſe ſe ait: " Pro animæ meæ remedio, & pro anima filii mei „ Egerhardi. „ Ipſe tamen ſuperſtes patri fuiſſe non videtur.

Attala.

Attala, Monialis facta An. DCCLIV. Hornbacenſi Monaſterio donavit villas Wazzelenheim & Eſphenwilere, dicens: " Quantum in ipſis marcis genitor meus „ Bodalus quondam michi moriens dereliquit .... „ Actum villa Bergas An. III. Pippini. (*d*) In principio hujus Chartæ ita: *Ego Adala, filia Bodali, Deo ſacrata;* unde Monialem eam fuiſſe, conjicimus. Extinctum hic vides Haichonis ramum.

Bleonus.

Ex filiis ergo Hugonis I. reſtat **Bleonus**, cujus viventis memoriam nullibi reperio. Id novimus, filium eum habuiſſe **Hugonem**, qui anno pariter ſexto Hilderici Regis eam inſulæ Honaugiæ partem ejusdem nominis Abbatiæ donavit, quam (inquit) *genitor* (*e*) *meus Bleonus michi moriens dereliquit.* Poſt hæc nec Hugonis hujus, nec deſcendentium ab eo, ulla mentio recurrit. Unde Hugonidum ſanguis ſeculo VIII. decurrente exaruit; quum Adelberti & Etichonis II. poſteritas per ſequentem Periodum conſtanter floreret. Sequuntur jam Comites Fiſci, ex Familiis promiſcuis, quibus inter Etichonidas locus nequit concedi.

COMITES FISCI EX FAMILIIS PROMISCUIS.

§. XCII.

Comites fiſci.

COmites hi ex ignotis familiis dupliciter exprimuntur in Chartis. Alii hac forma: *Comitatus Wuorandi*, *Comitatus Ruthelini*, *Comitatus Bernhardi* &c. Veri hi erant Comites Fiſci, à quibus temporaria nomina Comitatibus indita, quamdiu nempe iisdem præfuerunt. Sed & alii Comites in Chartis ſub hac forma comparent: *Rodebertus Comes*, *Adelbertus Comes*, *Ruthardus Comes*, *Garinus Comes* &c. à quibus poſterioribus, *Comitis* axiomate inſignitis, initium ducimus; eosque excipient illi, quos axioma *Comitatus* præcedit.

RODEBERTUS COMES.

Rodebertus.

PRimum omnium inter Comites Alſatiæ, quos novimus, locum ratione temporis obtinet Rodebertus, quem Diploma pro Gregoriano Confluentis Monaſterio, An. DCLXXIII. datum, nobis manifeſtat. Childericus enim An. XIII. regni ſui ad Chadichum Ducem & *Rodebertum Comitem* illud direxit. Comitatus licet ejus non exprimatur, perſpicimus tamen, Comitivam Sundgoviæ, ſeu Alſatiæ Superioris, ſub Etichone, univerſæ Alſatiæ Duce, ab eo adminiſtratam fuiſſe. Gregorianum enim Monaſterium, cui Charta conceſſa, in majore illo Sundgoviæ Pago & in Comitatu Illiche conſtitutum fuerat.

De Adelberto, ſub Theodorico III. & Etichone I. Nordgoviæ Comite, poſteaque patris in Alſatiæ Ducatu ſucceſſore, inter Duces ſuperius actum.

RUTHAR-

(*b*) *Hodie Holtzheim* vel *Hittelsheim.*

(*c*) Chartam ex Tabular. Monaſterienſ. dabimus in Cod. Diplomat.

(*d*) Chartam anecdotam ex Hornbacenſi Chartulario in Codice Diplom. dabimus.

(*e*) Vid. Chart. Honaugiens. V. apud Mabillon. loco cit.

RUTHARDUS COMES.

§. XCIII.

COmes Ruthardus Monaſterii Arnolfsaugiæ conditor fuit; teſte Charta Ludovici Pii, qua Monaſterium hoc An. DCCCXXVI. ob Ruthelini Comitis vexationes in Germanicam Rheni ripam translatum, eique Schwarzaci nomen impoſitum. Exſtructio facta An. VII. Childerici III. Æræque Chriſt. An. DCCXLVIII. uti Heddo, Argentinenſis Epiſcopus, aſſerit in Præcepto, quo illam ſuo approbavit conſenſu. Legitur ibi: " Nos comperti, quod Vir inluſter Rothardus Quomes in inſola, qui vocatur Arnulfo- " Auga . . . , Monaſterio in ſuo proprio à novo ædificare conatus eſt &c. " (f) Morti forte proximus, Teſtamentum condidit cum Hyrmenſinda conjuge, An. VI. Pipini Regis, quo eidem Cœnobio, à ſe condito, bona ſua donavit in Marca Romanisheim, & in villis Sehſinheim, Swindratisheim, Druſenheim, Danckrazheim &c. quæ dato pretio comparaverat. De Rudhardo & Warino Comitibus, qui totius Alemanniæ curam ſub Caroli M. initiis adminiſtraverant, quique Comitum pariter axiomate ornantur, multa Rerum Alemannicarum Scriptores ejus temporis referunt. (g) Ruthardum hunc à noſtro, de quo loquimur, fuiſſe diverſum, vel inde apparet, quod prior cum ſocio Comite Eccleſiarum & Monachorum infenſiſſimus hoſtis, poſterior vero illuſtrium duarum Abbatiarum, Arnolfesaugiæ nempe & Gengenbacenſis, conditor fuit. Alios errores, Ruthardum noſtrum, quem Necrologium Schutterenſe falſo *illuſtrem Ducem* appellat, reſpicientes, ſupra (h) notavi; jamque alibi (i) oſtendi, Chrodhardum & Rudhardum idem nomen, forte & eundem Comitem fuiſſe. Alſatiæ Inferioris, ſeu & Kircheimenſis Comitatus, quia illum Comitem pronuntiemus, nullæ rationes impediunt. Ruthardus.

GARINUS COMES.

§. XCIV.

GArinum, Sundgoviæ Comitem, Gregoriani Monaſterii Privilegium indicat, quod Carlomannus, Francorum Rex, anno regni ſui primo, ſeu Ær. Chriſt. DCCLXIX. ad eum his verbis direxit: *Vir Inluſter Garinus Comes . . . . cognoſcat magnitudo ſeu utilitas.* Reſtoinus eo tempore Gregoriani Monaſterii Abbas fuerat. Childericus II. formula hac *magnitudo ſeu utilitas veſtra* de Chadicho Duce & Rodeberto Comite ſimul, Carlomannus autem de ſolo Garino Comite uſus eſt. *Magnitudo* honorarius non tantum Regni Francici Primatum, ſed & ipſorum Regum Merovingorum & Carolingorum titulus fuerat, quod multis exemplis conſtat. Garinus ergo prioris Comitum claſſis unus fuerat, omnem pro tempore curans Alſatiam Superiorem. Garinus.

UDALRICHUS COMES.

§. XCV.

TRes Fuldenſis Abbatiæ Chartæ hujus Udalrichi, in Alſatia Comitis, nobis memoriam ſervarunt. Subſcripſit ille primum Chartæ, qua Imma, nobilis fœmina, filio ſuo bona vendidit in Ehinheim, in Rodasheim, in Strazburga civitate &c. quæque data An. DCCLXXVIII. (k) Vicennio poſt in Traditione Adalrichi., pro remedio Utonis facta Cœnobio Fuldenſi, *Vodalrichus Comis* ad donationem illam contuliſſe ſcribitur terras in Beara, Alabrunnen, Hirtunghaim &c. Uto quod frater ipſius fuiſſet. (l) Tandem Udalrichus ipſe ſenex pro ſuo ac Utunis fratris remedio inſigne eidem Abbatiæ donum obtulit An. DCCCIV. & quidem in villa Heinhaim, quæ prope Argentoratum, ubi triginta trium mancipiorum, Abbatiæ traditorum, nomina recenſentur. (m) Sequitur inde, potentem Udalrichum Alſatiæ Inferioris Dynaſtam, ejuſdemque procul dubio Comitem ſub Carolo M. fuiſſe. Vodalricum Comitem Turgovienſis quoque Pagus ſub Ludovico Germ. & Carolo Craſſo habuit, quem plures Chartæ S. Galli, à GOLDASTO (n) editæ in lucem, produnt. Udalrichus.

ERCHAN-

(f) *Gallia Chriſt.* Tom. V.
(g) Collegit illa PFEFFINGER *ad Vitriarium* Tom. II. pag. 301.
(h) Ubi de Eberhardo Comite, Adelberti Ducis filio, agitur, pag. 777.
(i) Pag. 668. §. XCV.
(k) SCHANNAT *Tradit. Fuld.* pag. 30. num. 56.
(l) Ibidem pag. 62. num. 127.
(m) Ibidem pag. 86. num. 181.
(n) *Scriptor. Rer. Alemann.* Tom II. Part. I. num. 8. 26. 79. &c.

POLITICA.

ERCHANGARIUS COMES.

§. XCVI.

Erchangarius. SUb Ludovico Pio Sigifridus quidam in *villa Chirihaim* piam traditionem fecit, " VIII. Id. April. anno VI. regnante Domno Hlodvico Imp. & ſub Erchangario „ Comite. „ (*o*) Tempus hoc in An. Chr. DCCCXIX. incidit, quo Kircheimenſem Comitatum adminiſtravit Erchangarius. Forte & Superioris ſimul Alſatiæ Comitatui præfuit; quod novennio poſt aliam pro S. Galli Monaſterio Chartam donationis reperimus, quæ data " Huninga villa, IV. Kal. Madii, anno XV. regnante Ludovico „ Imp. & ſub Erchangario Comite.„ (*p*) Appellatur ille in noſtris Ludovici Pii Diplomatibus, quæ Tabularium Andlavienſe ſervat anecdota, ad An. DCCCXXIII. & DCCCXXVIII. *Vir inluſter Erkingarius Comes.* Potentiſſimum Comitem, multorum patrimoniorum poſſeſſorem, illum fuiſſe, inde colligimus, quod cum Bernoldo, Epiſcopo Argentorat. & Waldone, Schwarzacenſis Monaſterii Abbate, commutationem bonorum iniit, per quatuordecim Alſatiæ villas, & in Argentorati quidem maxime vicinia, diſperſorum. Nonnullæ villarum iſtarum integræ ad Erckingarium forte ſpectarunt; de aliis certum, ipſum nonniſi prædia quædam ibi poſſediſſe. Recenſentur vero in duabus, quas allegavimus, Chartis, Duminheim, Liutpoleshaim, Wittinisham, Creacheshaim, Platpoteshaim, Utilinhaim, Fedinheim, Lampertheim, Techinheim, Muſtridisheim, Fregiſtatt, Zeinhaim, Wangon & Marleya. De his omnibus ſuo loco jam actum. In poſteriore Schwarzacenſi Charta An. DCCCXXVIII. tres Erkingarii fratres, Woradus, Bernaldus & Bernardus, cum matre Rotdrudi, narrantur. In authentico Privilegii, quod Lotharius Imp. An. DCCCLV. Monaſterio Fulradi in Lebraha dedit, veteri manu inſcriptum: " Confirmatio Hlotharii Imp. de ſilva, pertinente ad „ Folradivillare, quam abſtraxit *Erkengarius Comes* de Audoldiſvillare. „ Idem hic cum Erchangario quoque, Inferioris Alſatiæ Comite, habendus eſt, de quo loquimur.

§. XCVII.

Erchangarius alius. Sed & eodem tempore Erchangarius quidam in Mortinavia Comitis munus exercuit. Mentio ſane ejus in Charta Ludovici Pii An. DCCCXXVI. occurrit, qua Monaſterium Arnolfesaugiæ ex Ruthelini Comitatu Alſatiæ trans Rhenum in Erchangarii Comitatum transferri permiſit. Subſcripſit inter alios Diplomati ipſe *Erchengarius Comes.* Sita in ejus Comitatu fuerunt loca, quæ Charta memorat, Schwarzacenſi Abbatiæ vicina, Ulmena, Greferen, Valletor, Onzenhurſt. *Greferen* ad Rhenum vicus ſubſiſtit. *Valletor* (*q*) locus eſt, ubi vicus olim ſtetit, qui nunc *Felderen* dicitur, haud procul Stolhova, pertinens adhuc ad Monaſterium Schwarzach. *Onzenhurſt* vicus cum nomine ſupereſt. Erchangeriorum horum ſynchroniſmus nonnullos induxit, ut eundem Comitem, vel duos Comitatus, vel unum certe, qui cis & trans Rhenum late ſeſe extenderet, adminiſtraſſe ſuſpicentur. Quodſi unum eundemque Comitem fuiſſe decernas, veriſimilius eſt, duos diverſos eum Comitatus tenuiſſe, quam unum continuum. In eodem enim Diplomate Ludovicus Pius indicat, è regione Comitatus Erchangarii extitiſſe Comitatum Ruthelini, ex quo Arnolfsaugiæ Monaſterium in Comitatum Erchangarii translatum eſt. Obiit *Erchanker* quidam, Princeps Alemanniæ, An. DCCCLXIV. Chronico San-Gallenſi teſte, quod & alios quatuor Principes memorat, eodem anno demortuos. Scilicet Erchangeri nomen olim in Ducatu Suevico celebre. Quum Suevia, Ducibus extinctis, à Cameræ Nuntiis regeretur, inter eos Erchangerus & Bertholdus fratres innotuerunt; (*r*) quibus ſub Conrado I. capite plexis, Nuntiisque Cameræ poſt eos abrogatis, in Suevia denuo conſtituti ſunt Duces. Carolus Craſſus ante Richardem in matrimonio habuiſſe filiam Erchangeri Comitis anonymam, ANNALES BERTINIANI (*s*) teſtantur.

GEROL-

(*o*) GOLDASTUS *Rer. Alemann* Tom. II. Part. I. pag. 52. num. 51.

(*p*) Ibidem pag. 42. num. 51.

(*q*) Hujus loci *Valletor* mentio quoque fit in Codice Mſ. Legum municipalium Civitatis Argentinenſis ex ſec. XIII. quem edidit SCHILTERUS ad *Kœnigshoven* pag. 727. ubi Cap. LVII. legitur: " Molendinarii & piſcatores debent Epiſcopum in „ aqua vehere, quocunque voluerit, inter Ruſt ſuperius & Velletor inferius. „ Vid. *Schwarzachiſche Geſchichts-Erzehlung contra Baden*, pag. 28. & 42.

(*r*) EKKEHARTUS Junior de *Caſib. Monaſterii S. Galli* Cap. I.

(*s*) Ad annum DCCCLXII.

GEROLDUS COMES.

§. XCVIII.

Geroldus.

APerit Geroldum hunc nobis, *Virum illuſtrem*, una cum Bebone filio, Charta quædam inedita Maurobacenſis; quæ An. XVI. Ludovici Pii, ſeu An. Chr. DCCCXXIX. conſcripta in villa ſeu marca *Flaboteshaim*. Dicitur ibi, Geroldum dediſſe quædam Sigismaro, Abbati Maurobacenſi, in Alſatiæ villis Theotbertowilare, Sowinashaim, Bartenhaim &c. jure commutationis, quo ille jurnales CCXL. in villa Witanhaim receperit ab Abbate. In fine legimus: " Signum Geroldi Comitis, una cum Bebone, „ filio ſuo, qui hanc cartulam fieri & firmare rogaverunt. „ Traditionem in Rimolteswilare ad Monaſterium S. Galli, ſub Geroldo Comite, An. XXIV. Ludovici Imp. & anno V. Ludovici junioris, Regis Alamannorum, id eſt, circa An. DCCCXXXVII. factam, GOLDASTUS inter plura S. Galli Inſtrumenta (*t*) exhibet. Alia donatio, anno XXIV. Ludovici Germ. ſub *Kerolto* Comite, in *Coniprati* eidem Monaſterio facta, recenſetur ibidem. (*u*) Sub Germanici ergo ditione, ante Regni Lothariani diviſionem, loca iſta fuiſſe, quum ex ſubſcriptionibus pateat, Geroldus hic Comes à priore, quem Charta Murbacenſis memorat, diverſus, at coætaneus ei, videtur; niſi credere velimus, Geroldum, Alſatiæ Dynaſtam, à Ludovico Pio Comitatum Fiſci extra Alſatiam obtinuiſſe, & à Germanico poſtea, filio ejus, in hoc munere confirmatum eſſe. Sub Carolo M. Geroldus quoque Comes maxime floruit, Hildegardis Reginæ frater, adeoque ex Alemanniæ Ducum ſanguine ortus. Laudes ejus WALAFRIDUS STRABUS (*x*) celebrat, illumque in bello, quod Carolus M. fine ſeculi VIII. Hunnicæ genti intulit, cecidiſſe, ac in Alemanniæ Augienſi Monaſterio ſepultum declarat. EGINHARDUS (*y*) Geroldum Bajoariæ Præfectum teſtatur, ubi illum Herico, Forojulienſium Duci, mortis in bello Hunnico ſocium jungit.

WUORANDUS COMES.

§. XCIX.

Wuorandus.

COmitatus Wuorandi mentio in Charta Ludovici Pii, Monaſterio Ebersheimenſi circa An. DCCCXVII. in Palatio Alſatico Troniæ ſeu Kirchhemii data; ubi legimus in fine: " Actum Trhonie ſeu Kilikheim, in Comitatu Domni Wuorandi Comitis, „ in concione Imperatoris & Principum. „ Locus hic docet, Wuorandum Comitem fuiſſe Nordgoviæ, vel ſaltem Comitatus Kircheimenſis, qui & Pagus Troningorum vocabatur. De Kirchemio Palatio, in quo Ludovicus Pius tum verſatus eſt, quodque Comitatui nomen dedit, ſupra (*z*) pluribus actum.

RUTHELINUS COMES.

§. C.

Ruthelinus.

COmitatus Ruthelini mentionem facit Ludovicus Pius, in Diplomate anni DCCCXXVI. pro Monaſterio Schwarzach, (*a*) qoo illud ex Alſatia in Ortenaviam trans Rhenum, & ſpeciatim ex Comitatu Ruthelini in Comitatum Erchangarii tranſtulit. Primum Schwarzacenſis Cœnobii Benedictini oomen fuit *Arnolfesouua*, quod, uti Honaugienſe vicinum, in inſula Rheni erat exſtructum; more primorum ſeculorum, quibus Monaſteria in collibus, vallibus, ſilvis, inſulis, aliisve locis ſolitariis, exſtruebantur, ot ab hominum cœtu ſegregati, tranquillius Deo ſervirent. Ouua hæc vel Augia, ſive Inſula, ab Arnulpho quodam, vel poſſeſſore ejus, vel primo Eremita, qui ibi habitaverat, nomen accepit. Comitatus Ruthelini ſitum ex Arnolfsaugiæ, in Comitatu illo conſtitutæ, ſitu facile cognoſcimus. Haud procul Druſenhemio veteris Monaſterii *Arnolfesouua* rudera in inſula Rheni conſpiciuntur; locusque nomen *Kotzenhauſen* (*b*) ex Germanico

(*t*) *Scriptor. Rer. Alemann.* Tom. II. Part. I. num. 64.

(*u*) Pag. 42. num. 54.

(*x*) Apud CANISIUM *Lection. Antiq.* Tom. VI. & apud BOUQUET. *Scriptor. Franc.* Tom. V. pag. 399.

(*y*) In *Vita Caroli M.* Cap. XIII.

(*z*) Pag. 704. & 725.

(*a*) Diploma hoc edidit Perilluſtris GUDENUS in *Sylloge Diplomatariorum Monumentorumque veterum*, pag. 446. & ipſi Schwarzacenſes in ſcripto, quod nomine eorum Wetzlariæ edidit Dn. DAVERN, Cameræ Imperialis Advocatus celeberr. ſub rubro: *Acten-mæſige Geſchichts-Erzehlung in Sachen Schwarzach* contra *Baden* fol. An. 1728. pag. 33.

(*b*) GUILLIMANNUS de *Epiſcopis Argentin.* pag. 96. Errat ergo ſcriptum contra Badenſes, modo allegatum pag. 9. quando primam Monaſterii ſedem fuiſſe dicit in tractu prope *Kamſtemmen*. Præterquam enim, quod vicus, quem exprimere voluit, *Rontzenheim* ſcribitur, à vero veteris Monaſterii *Arnolfesouua* loco duabus leucis vicus ille diſtat.

POLITICA.

manico *Gotteshaus*, *Domus Dei*, ſuperſtes, etiamnum retinet. In Druſenheimenſi ergo tractu nobis quærendus eſt Ruthelini Comitatus, qui verſus Hattgoviæ Pagum ſe extendiſſe videtur.

BERNHARDUS COMES.

§. CI.

Bernhardus.

COmitatus Bernhardi memoriam nobis ſervavit Zwentiboldus, Lotharingiæ, adeoque & Alſatiæ Rex, in Charta ſua pro Gregoriano Monaſterio An. DCCCXCVI. Poountur in illo " Bonifacii-Villare, cum toto, quod illuc pertinet; Thurincheim, „ cum ejus appendiciis; Hononheim, cum ejus adjacentiis; ad Melin Eccleſiam I. „ Iebinesheim; Sundhovam, cum ejus appendiciis; Palgouua ſimul & Hourdaim, ejus „ ſimiliter adjacentiis; Matthunheim; quæ omnia ſunt in Comitatu Bernhardi Comitis, „ in Pago Alſacenſi. „ Horum quædam locorum proxima quum ſint illis, quæ in Comitatu Illiche vel Illechick, à Dagoberto II. & alibi memorato, extitiſſe, ſupra (*c*) oſtenſum, Comitatum Bernhardi ipſum eſſe Comitatum illum Illiche, à Comite ſuo Fiſcali nuncupatum, nulli dubitamus. Imo totam ſub Zwentiboldo Rege Alſatiam Superiorem, quæ tum Sundgovia dicebatur, Bernhardus hic adminiſtraſſe videtur Comes. Zwentiboldus Chartam iſtam, quæ anecdota, anno regiminis ſui primo dedit in *Argentaria civitate*.

HUGO COMES.

§. CII.

Hugo.

COmitatus Hugonis notitiam Ottoni M. debemus, qui in Donatiooe, anno DCCCCLXVIII. Adelheidi conjugi ſuæ facta, in proprium ei donat " juris regni „ noſtri (ut loquitur) quaſdam curtes, ita nuncupatas, Hochfeldon & Sarameresheim, „ Suechhuſen & Morinzanwiler, atque Saliſe, ſitas in Eliſazium, in Comitatu Hugonis Comitis. „ Vaſtiſſimus hic Comitatus Nordgovienſis intelligitur, quem tum adminiſtraverat Hugo. Sermershemium enim infra Seleſtadium, ubi Nordgovia incepit, ſitum eſt, Saliſe vero ſive Selza verſus finem Nordgoviæ jacet. Quodſi loca, in Comitatu Eberhardi ſita, examines, patebit, loca iſta noſtris fuiſſe vicina, (*d*) adeoque Ottonis III. & Henrici II. tempore Eberhardum adminiſtraſſe Comitatum Nordgoviæ, quem Ottonis M. ætate adminiſtraverat Hugo. Sub Conrado II. anno MXXXV. iterum occurrit Comitatus Hugonis, KOENIGSHOVIO (*e*) teſte, qui Chartam vidit, in cujus fine legebatur: " In Ducatu Conradi, in Pago Hagenowa, in Abbatia „ Surburg, in Comitatu Hugonis, Principis Alſatiæ.

EBERHARDUS COMES.

§. CIII.

Eberhardus.

COmitatus Eberhardi dicitur ille ipſe Comitatus Nordgoviæ, qui ſub Ottone I. vocatus eſt Comitatus Hugonis. In Paterniacenſi Ottonis III. Diplomate anno DCCCCLXXXVI. (*f*) itemque Salzenſi An. DCCCCXCII. Hitenheim & Sarameresheim in Pago Alſatiæ & in *Comitatu Eberhardi Comitis* ponuntur. Sarameresheim enim modo inter Comitatus Hugonis loca vidimus. Mentionem ejus quoque facit Henricus Sanctus Imp. in Diplomate, quod An. MXVI. Indict. XIV. Abbatiæ Offonisweiler, hoc eſt, Schutterenſi, dedit Bambergæ; ubi legitur: " VI. manſus io villa, quæ „ dicitur Blabodesheim, in Comitatu Eberhardi, in Pago Alſatiæ &c. „ Diplomatis autheoticum extat in Tabulario Schutterenſi. Blabodesheim, hodie *Plobsheim*, villa eſt, duabus leucis Argentorato diſtans; unde diſcimus, Comitatum hunc ſub Ottone III. & Henrico II. in eodem vigore fuiſſe.

JUDICES

(*c*) Pag. 661. §. LXXVIII.

(*d*) Huttenheim haud procul Sermershemio eſt.

(*e*) *Chron. Alſatia* Lat. MC. fol. 136.

(*f*) Diploma hoc Ottonis III. pro Paterniacenſi Monaſterio Rev. HERRGOTTUS in *Cod. Probat. Genealog. Habsburg.* num. CXLVII. non dedit exacte; pro Comitatu *Eberhardi* legens *Diethardi*. JO. JAC. SCHEUCHZERUS ex autographo illud ipſe deſcripſit, ejusque exemplum pro conſueta humanitate ſua mecum communicavit Doctiſſ. BODMERUS, apud Turicenſes Hiſtoriæ Patriæ Profeſſor. In exemplo hoc autem diſtincte legitur: *Hitenheim in Comitatu Eberhardi Comitis.*

POLITICA.

JUDICES SUBSTITUTI COMITIBUS.

VICECOMITES.

§. CIV.

Vice-Comites.

VIce-Comites vel Vicarii, Scabini, Centenarii, Decani, Villici, Comitibus ſubordinati fuerunt; quorum priores Comiti aſſederunt; poſteriores inferiora in Ceotenis & Vicis exercuerunt judicia. *Capitulare* Caroli M. (*g*) ait: “ Habeat unusquisque Comes communes Vicarios & Centenarios ſuos ſecum, nec non & de primis Sca- „ bineis ſuis tres aut quatuor. „ Vicecomes, Comite abſente, in Civitatibus & Pagis „ judiciis præerat: præſente, primus poſt Comitem ſedebat. Vicecomitatus & Vicariatus oomina in variis Galliæ Provinciis adhucdum vigent. (*h*)

CENTENARII.

§. CV.

Centenarii.

CEntenarius nobis non pro Centurione, oti apud Veoetium; (*i*) nec pro Centenario, qualis in *Codice Theodoſiano*, (*l*) ubi exactorem deſignat; ſed Francico ſenſu, ſumitur pro judice inferiore, qui per *Centenam* (*m*) jus dicit. Cauſas graviores quandoque dijudicavit cum Comite. (*n*) Unde formula: (*o*) “ Regnante D. Hludo- „ vico .... ſub Pabone Comite & ſub Hunoldo Centenario. &c. „ Centena centum familias, non, uti Schilterus, centum villas, (*p*) complexa eſt. Centenariorum medii ævi originem Freherus, (*q*) Berneoderus, (*r*) Knichenius, (*s*) Besoldus, (*t*) aliique plurimi, in centenis illis Comitibus Taciti, (*u*) ex Pago ſelectis, perperam quæſiverunt. Hi enim Judicis principis aſſeſſores centumviralis judicii ſpeciem repræſentarunt; Centenarius autem unus & ſolus fuit judex Ceotenæ. Non vana eſt conjectura Reinesii, (*x*) qui vocabulum *centeni* apud Tacitum expungit, & in *certi* convertit. (*y*)

Scriptores Germani, Latine ſcribentes, Latinis *Centena* & *Centenarii* vocibus expreſſerunt Germanicas, quarum uſus apud Germanos hodiernos intercidit. Comitum & Aſſeſſorum Francica nomina erant *Graven* & *Schaffen*. Quidni Centenarios *Hundreter* (*z*) vel *Hundredrichter*, Decuriones *Zehender* vel *Zehndrichter*, vocatos fuiſſe cenſeamus? In Saxonica verſione N. Teſt. Centurio ad crucem Chriſti *an Hundredes-ealdor* dicitur. Sueci, in Præfecturis Uplandiæ, centenarium tale judicium in Centuria ruſticorum *Hundærit*, *Hundæris-ting*, centenarium vero Præfectum *Hundæris-hæfding*, appellant. (*a*) Miror ergo, Etymologos & Gloſſatores Germanos (*b*) Germanicum vocabulum *Zent* à Latina Centena, adeoque *Zentgrau* à Centenario deducere. Cur ad exteras ſe ori-

(*g*) Lib. II. Cap. XXVIII.
(*h*) In Occitania hodieque Vicariæ, *Vigueries*; in Normannia Vice-Comitatus, *Vicomtés*, ſuperſunt.
(*i*) Lib. II. Cap. VIII. & XIII.
(*l*) Leg. I. *Cod. Theod* de *Exact.* Ducenariorum judicum quoque mentio fit apud Suetonium in *Aug.* Cap. XXXII.
(*m*) De Centenis jam actum eſt pag. 624.
(*n*) *Capitular. Car. M.* Lib. II. Cap. XXVIII.
(*o*) Apud Goldast. *Alemann. Rer.* Charta LXX.
(*p*) Opinionem de centum villis rejicit Spelmannus in voce: *Hundredus.*
(*q*) *Orig. Palat.* Part. I. Cap. V.
(*r*) *Quæſt. Miſcell. ex Tacito* LXIV.
(*s*) *De ſublimi & Regio territorii jure* Cap. III. pag. 198.
(*t*) Besoldus in *Theſauro* voce: *Centbare Gerichte.* Meinders *de Judiciis Centenariis* pag. 12.
(*u*) *German.* Cap. XII.
(*x*) Apud Brunnerum de *Scabinis* Cap. II. §. IV. qui ex Reineſii ore hanc emendationem accepit.
(*y*) Tacitus *German.* Cap. XII. “Eliguntur in „ iisdem Conciliis & principes, qui jura per Pagos „ vicosque reddunt. Centeni ſingulis ex plebe Co- „ mites, conſilium ſimul & auctoritas, adſunt. „ Veriſimilius eſt cum Reineſio legere: *Certi ſingulis ex plebe Comites* &c. Vox *Centeni* ex Cap. VI. forſan in Caput XII. irrepſit. Agitur ibi de centenis delectis militibus ex quolibet Pago.
(*z*) Hundredus & pro Centena Geographice, & pro conventu Centenæ, ſive Centenarii mallo, juris dicundi cauſa inſtituto, ſumitur. Hundredarius Hundredi ſive Centenæ incolam, & Hundredi judicem ſeu Centenarium denotat. Hundredus reſpectu Hundredarii fuit, quod Comitatus reſpectu Comitis. Spelmannus in *Gloſſario* pag. 303. ait: “ Hundre- „ dariis & toti Hundredo præfuit ex antiquo unus, „ qui Dominus Hundredi appellatus eſt; Germanis „ Centgravius, alias Centurio, Centenarius & Hun- „ dredarius ſimpliciter. „ Thomas Smith *de Republica Anglor.* Lib. II. Cap. IX. hæc ſcribit: “ Cen- „ turia (vulgo *Hundredum*) pars eſt Comitatus in- „ terdum decima, interdum duodecima, decima „ tertia, decima ſexta, vigeſima aut trigeſima, quæ „ ex eo nomen invenit: ſive quod centum oppida „ quævis centuria primo continebat, redacto nunc „ ad pauciora numero; ſive quod centum milites, „ tum ubi opus erat, Regi ſuppeditabant.
(*a*) Loccenius in *Lexico Juris Sueo-Gothici*, pag. 79. Idem in *Antiquitatibus Sueo-Gothicis* pag. 57. Stiernhookius *de Jure Sueonum & Gothorum vetuſto* Lib. I. Cap. II. qui vocem apud Alemannos & Francos uſitatam exiſtimat.
(*b*) Wachterus, Schilterus, Frischius.

POLITICA.

gines vertunt, qui domeſticas habent? Adde quod hybrida vox, ſemi-theotiſca & ſemi-latina, medii ævi Germanis citra neceſſitatem affingitur. Veteri Theotiſca voce conventus omnis, & ſpeciatim de capitalibus cauſis, (*c*) *Zent*, *Sent*, *Send*, dicebatur. Unde judicii hujus præſes *Zentgrav*, (*d*) *Zentrichter*, judicium ipſum *Zentgericht*, *Cent-Halsgericht*. (*e*) Vocum ſimilitudo effecit, ut Theotiſcam à Latina ortam exiſtimarent. Fridericus II. Imp. judicium hoc *Centam*, (*f*) non Centenam, appellavit.

DECANI.

§. CVI.

Decani. DEcanus (*g*) per Decanias, Decennas, Decimas, Decurias, uti Centenarius per Centenas, jus dicebat, fere infimus judex, Germanice *Zehnd-richter* vel *Zehnder*. WALAFRIDUS STRABUS, (*h*) Decanos hos Decuriones appellans, minoribus eos Presbyteris comparat. Formula vetus apud HIERON. BIGNONIUM, (*i*) quæ *Ducibus*, *Comitibus*, *Vigariis*, *Centenariis* & *Decanis* inſcribitur.

SCABINI.

§. CVII.

Scabini. VOx Francica Scabinus judicem arbitrumque denotat. Veteres Gloſſæ *Scepeno*, judex, apud FREHERUM; (*l*) quod ipſum eſt Theotiſcum *Scheffen*, *Schuffen*, (*m*) *Schoppen*; unde Franco-Gallorum *Echevins*. Saxonum vocabulo *Scheppen* ſignificat *ordinare*, *decernere*, *jubere*, LOCCENIO (*n*) & GRYPHIANDRO (*o*) teſtibus. Ex nomenclatura Germanica Barbaro-Latiniſmus *Scabinos* formavit. Aſſeſſores ergo Comitum dicebantur Scabini. Hos TACITUS (*p*) nomine *Comitum*, Comitem vero nomine *Principis* enuntiavit: annotans ſimul, ſingulis Principibus, vel ſtylo noſtro, Comitibus, *Centenos*, aut ſi mavis, *certos ex plebe*, ut conſilium, adfuiſſe. Hi ipſi fuerunt noſtri Scabini. Sed & à Scabinis diverſi non fuiſſe videntur *Rachinburgii*, (*q*) in tribunali quoque Comitum aſſeſſores, à veteri Theotiſco *Rachten*, judicare, tranſigere. A Rachimburgiis, per aphæreſin, *Heimburgios* noſtros originem & nomen cepiſſe, BRUMMERUS (*r*) exiſtimat.

SCULDASII.

§. CVIII.

Sculdaſii. NOmen in noſtris oris hodieque notiſſimum, origine Theotiſcum. Apud Langobardos frequentius, imo & prius, quam apud Francos occurrit, qui domitis Langobardis vocem apud Saxones & Alemannos frequentiorem reddiderunt. In Alſaticis Francici ævi monumentis rarior ejus memoria. OTFRIDUS Alſata Centurionem, qui ſupplicio Chriſti præerat, appellat *Sculdheizo*. (*s*) Antiquiſſimum Germaniæ vocabulum *Scelto* judicem denotare, BOXHORNIUS (*t*) ſcribit. Langobardis frequentior forma *Scultais*, *Sculdahis*,

(*c*) ACTA LINDAVIENSIA fol. 580. oſtendunt, vocem in Franconia & locis vicinis ita degeneraſſe, ut non judicium civile, ſed criminale ſignificaret. *Zana* in LONGOBARDICA LEGE Lib. I. Tit. XVIII. 2. ſignificat *cætum*.

(*d*) Vocem hanc recte quidem ex idiomate Germanico, at non recte à numero denario *Zehen*, ſive à *Decaniis* illis, in quas ſubdiviſæ erant Centenæ, deducit SCHILTERUS *Gloſſar. Teuton.* pag. 59. confutatus ab ECCARDO in *Leg. Sal.* pag. 88. & DITHMARO *in Tacitum* pag. 80. Major enim erat poteſtas Centenariorum, quam Decanorum. Eccardus *Zent* & *Send* diſtinguit, poſterius vocabulum derivans à *Synodo*; ſed confutat eum WACHTERUS in *Gloſſario* pag. 1510.

(*e*) GOLDASTI *Reichs-Handel*, Part. XXV. pag. 991.

(*f*) "Ad Centas nemo ſynodalis vocetur." Aurea Bulla Friderici II. apud LUDEWIG *Reliquiarum Mſc.* Tom. VII. pag. 534. Synodalis Theotiſce *Sentbar*, unde corrupte *Semperlent*, *Sempermann*, homo aptus, ut ad Conventum mittatur.

(*g*) Romanis militari ſignificatu manipulo decem militum præerat *Decanus*. Conſtantinopoli humandorum corporum cura quibus demandata, dicebantur quoque *Decani*.

(*h*) De *Reb. Eccleſiaſt.* Cap. ult.

(*i*) Formula X. inter veteres, *Marculfianis* adjectas, pag. 124. inter *Lindebrogianas* num. 33.

(*l*) FREHERUS in notis Diſſert. de *ſecretis Weſtphaliæ Judiciis* pag. 42. Nec diſſentit GERH. JO. VOSSIUS de *Vitiis Sermonis* pag. 274. HADR. JUNIUS in *Batavia* pag. 202. à voce Germanica *Schaff-lein*; RAGUEAU à verbo Germanico *Schaffen*, curare, derivant.

(*m*) Ita Argentoratenſes ſuo idiomate vocem exprimunt; penes quos nomen & res adhuc in uſu eſt.

(*n*) *Antiquitat. Sueo-Goth.* Cap. VI.

(*o*) De *Weichbildis Saxonicis* Cap. LXIV. num. 7.

(*p*) *German.* Cap. VI.

(*q*) *Rachinburgii* & *Rathinburgii* promiſcue ſcribuntur; poſteriorem orthographiam à Theotiſco *rath*, conſilio, derivant, quod in conſilio Comitis fuerant. Vid. VOSSIUS de *Vitiis Sermonis* II. 16. SAGITTARII *Antiquit. Thuring.* Cap. IX.

(*r*) De *Scabinis* Cap. V. §. XIII.

(*s*) Lib. IV. Cap. XXXIV. 29. Adde Lib. III. Cap. III. 9. 19.

(*t*) *Origg. Gallic.* pag. 87.

Digitized by Google

POLITICA.

Sculdaſius, Latino-barbare *Scultetus*, *Sculdaſius*; quod in Gloſſa veteri exponitur *pedaneus judex*, qui non ſedens, ſed ſtans è veſtigio judicis munus exercet. Grotius (*u*) vocem dividit in *Scult*, debitum, & *Ais*, judicem, qui non de capite, ſed de pecunia judicat. Sculdaſiorum, tum urbanorum, tum ruſticorum, in Alſaticis Periodi Germanicæ rebus mentio frequens.

VILLICI.

§. CIX.

VIllarum œconomi ſtylo veteri Romano *Villici* dicebantur. Sequioribus ſeculis villa ſumpta pro vico; unde judex vici *Villicus*, qui eodem ævo, multis in locis, *Major* villæ, Germanis *Meyer*, Gallis & Anglis *Maire*, nuncupatur. Vox tamen & ad urbium judices tranſlata. Ita apud Joannem Hocsemium: (*x*) *Villicus & Scabini Leodienſes* &c. Villici.

PATRICII.

§. CX.

PRæter ordinarios Magiſtratus Alſatiæ, alia quoque honoris ac officiorum nomina in Alſaticis Chartis occurrunt, quæ exponenda ſunt paucis. Theodericus Calenſis An. DCCXXVII. Murbacenſem Chartam: " Inluſtribus Viris, Ducibus, Patriciis, Comi-„ tibus, vel omnibus Agentibus „ inſcripſit. Patriciatus apud Romanos, in Oriente & Occidente, varius fuit. Ab Anaſtaſio Imp. Clodoveus ornatus fuit *Patricii* titulo. Carolus M. ut & pater ac avus, à Romanis *Patriciatum* acceperunt; quæ cumulus fuit honorum, primaque poſt Regem dignitas. Præfectura urbis Romæ Patriciis commiſſa; unde factum, ut aliarum etiam urbium Præfecti quandoque dicerentur Patricii. Indicat hoc nobis Chronicon Farfense. (*y*) Apud Marculfum (*z*) legimus: " Ideo tibi „ actionem Comitatus, Ducatus, Patriciatus in Pago illo . . . ad agendum regendumque „ commiſimus. „ Fuerunt ergo Provinciæ, quæ à Patriciis, ut aliæ à Ducibus & Comitibus, rectæ. Formula generali uſus eſt Notarius, Theodericianum Murbacenſe quum conderet Diploma, utut Rectores Patricios non habuerit Alſatia. Patricii.

DOMESTICI.

§. CXI.

PIpinianum Diploma, Honaugiæ noſtræ conceſſum, in Magiſtratuum ſerie *Domeſticos* (*a*) quoque, uti jam dictum, enumerat. Eberhardus Comes, Adelberti filius, in Charta pro iisdem Honaugienſibus, una cum Luitfrido, fratre Duce, An. DCCXXIII. condita, ipſe ſe *Domeſticum* vocat. In Carolomanni Diplomate An. DCCLXX. pro Grandvallenſibus *Domeſtici* ita ponuntur: " Notum ſit omnibus Epiſcopis, Ducibus, „ Abbatibus, Comitibus, Domeſticis, Vicariis, Centenariis. „ Varios *Domeſtici* ſignificatus evolvit Canosius. Singula Palatia Regum commiſſa Domeſtico. Inferiores Domeſtici & villarum Regiarum Villici Domeſtico majori ſubfuerant. Marculfus in *Formulis*: (*b*) " Ego in Dei nomine ille Domeſticus, acſi indignus, glorioſiſſimi Domini illius Regis, ſuper villas ipſius „ &c. Chronicon Fontanellense (*c*) " Teut-„ giſto Domeſtico & cuſtodi ſaltuum villarumque Regalium. „ Eberhardus ergo Comes, Murbaci conditor, fuerat Domeſticus major Regii Alſatiæ Palatii, quorum frequentior, quam ullibi, numerus. Patrem Eberhardi, Adelbertum Ducem, Stratburgenſe ſuburbanum Palatium, quod eminenter *Kunigshova* dicebatur, funditus extruxiſſe, in ſuperioribus dictum. Domeſtici.

(*u*) *Hiſt. Gothor. & Langobard.* in Indice.

(*x*) *Geſta Pontif. Leodienſ.* Cap. X. apud Chapeavillum Tom. II. pag. 305.

(*y*) Muratorii *Scriptor. Rer. Ital.* Tom. II. Part. II. Col. 640.

(*z*) *Form.* VIII. Lib. I. adde *Legem Francorum Ripuar.* Tit. L. §. I.

(*a*) De Domeſticis ſupra, pag. 691.

(*b*) Lib. II. Formula LII.

(*c*) Cap. I.

AGENTES vel ACTIONARII.

§. CXII.

Agentes. HIs omnibus *Agentes* vel *Actionarii* in Charta Theodericiana Murbacenſi, uti vidimus, ſubjunguntur. Gloſſæ veteres: " Actionarii, qui res noſtras agunt. „ Sub claſſe hac omnes, cujuſcunque generis, homines Fiſcales, qui res Principis procurabant, comprehenſi ſunt; unde reliquis ſubjunguntur officiis. *Actionarii* autem, quum ante Comites ponuntur, tum voce hac omnes pro Rege in Provincia agentes, adeoque & ipſi Comites, denotantur; generica enuntiatio præcedit, ſinguli dein Officialium Regis ordines ſequuntur.

MISSI DOMINICI.

§. CXIII.

Miſſi Dominici. FRanciam omnem in certa Miſſatica diviſam, quæ Regis nomine *Miſſi Dominici* obierunt, in Geographicis docui. (*d*) Ultimum his locum deſtinavi, quod non ordinarius eſſent Magiſtratus Provinciæ: quippe qui extra ordinem cum ampliſſima poteſtate conſtituti fuerunt à Rege; ut in Ducum, Comitum, ceterorumque Magiſtratuum provincialium, imo & in ſacri ordinis, mores atque acta, inquirerent. Reges Francorum commune nomen *Domni* illis temporibus proprium ſibi reddiderunt; quare vaſalli, agri, decimæ, pertinentes ad Regem, homines dominicati, prædia dominicata, decimæ dominicatæ, dicebantur; accedente & hac cauſa, ut ab Epiſcoporum Comitumque Miſſis diſtinguerentur. Homonyma ſunt *Miſſi Regales*, *Miſſi Imperiales*, *Miſſi Palatii*, *Miſſi ex Latere Imperatoris*, imo & *Legati Regii*. (*e*) Pro ſingulis Miſſaticis duo Miſſi ſolebant à Rege conſtitui, alter ex ſacro, alter ex laico ordine; quia officii eorum erat, in Conventibus publicis Epiſcoporum, Ducum, Comitumque acta examinare, querelas cleri & civium contra eos audire & ad Regem referre. Formula eorum ſparſim in Capitularibus legitur; inter quæ eminet Ludovici Pii Capitulare, An. DCCCXXVIII. editum. Lotharius Imp. in *Capitulari* An. DCCCXXIV. (*f*) pro Italia ait: " Volumus, ut Miſſi conſtituantur à Domno Apoſtolico & à nobis, qui „ annuatim nobis renuntient, qualiter ſinguli Duces & Judices juſtitiam populo „ faciant. „ Carolus M. ſuis Miſſis mandavit, (*g*) " ut inquirant de Epiſcopis & „ Sacerdotibus, de Abbatibus & Monaſteriis, de decimis, de concordia Epiſcoporum „ & Comitum & vaſſallorum Dominicorum. „ Majores hi Miſſi à minoribus diſtinguendi, qui Miſſi *diſcurrentes*, *decurrentes*, (*h*) *itinerantes* dicuntur, quoniam ad exequendum aliquod conſtitutum Regium cum celeritate mittebantur. Hi in Reſcriptis Regiis poſtpoſiti ſunt Comitibus & Vicariis, apud MARCULFUM (*i*) dicti *juniores*. Pipinus Rex in Charta pro Fulrado noſtro Alſatico (*l*) ait: " Omnibus Epiſcopis, „ Abbatibus, ſeu Comitibus vel Proceribus noſtris atque Miſſis, à Palatio noſtro ubique „ diſcurrentibus. „ Eadem formula uſus eſt Carolomannus in Diplomate Grandvallenſi An.° DCCLXIX. (*m*) Nonnullorum primi ordinis Miſſorum, qui Alſatiam obierunt, nomina Anſegiſus Abbas nobis ſervavit. Perſcripta ſunt in Capitularibus Caroli M. & Ludovici Pii (*n*) his verbis: " In Veſontio, quæ eſt Diœceſis Bernoini Archi„ epiſcopi, Heiminus Epiſcopus & Monogoldus Comes. In Mogontia, quæ eſt Diœ„ ceſis Heiſtulfi Archiepiſcopi, idem Heiſtulfus Epiſcopus & Rhuotbertus Comes. „ Veſontini Metropolitani provincia ſub ſe comprehendit ſuperiorem Alſatiam; Moguntiacenſis vero Archidiœceſeos pars fuit Alſatia inferior; Miſſos ergo hos Alſatiam quoque noſtram obiiſſe cenſendum eſt. Nemini autem non ſingulare videbitur, Heiſtulfo (*o*) Præſuli Miſſi Dominici munus fuiſſe datum à Rege, ut in ſua ipſe provincia abuſus corrigeret. Plerumque enim res ita comparata fuit, ut Epiſcopus & Comes in alterius provincia obiret Miſſaticum, querelas populi Clerive examinaret atque

(*d*) Pag. 669. §. XCVIII.
(*e*) ROYE de *Miſſis Dominicis* Cap. I. FLORIS VAN DER HARR *les Chaſtellains de Lille*, Lib. I. pag. 18.
(*f*) Tit. I. Cap. IV.
(*g*) SIRMONDUS Tom. II. *Concil. Gall.* pag. 244.
(*h*) CAROLUS M. in Epigraphe *Epiſtola* XXXII. ſcribit: " Junioribus noſtris ſeu Miſſis decurrentibus. „ Juniores non ab ætate, ſed à minore conditione & dignitate.
(*i*) *Formular.* Lib. I.
(*l*) FELIBIEN *Hiſt. de S. Denys*, *Preuves* pag. 30.
(*m*) LABBEUS in *Miſcellaneis* Cap. VI. §4.
(*n*) Lib. II. Cap. XXV. apud BALUZIUM Tom. I. pag. 743.
(*o*) Haiſtulfus Archiepiſcopatum Moguntiacum iniit An. DCCCXV. eumque ſub Ludovico Pio integre prudenterque adminiſtravit ad An. DCCCXXVII. Vitam & mores ejus laudat RABANUS MAURUS in Præf. Librorum de *Inſtitutione Clericorum*, quos ei dedicavit, poſt Organum, Haiſtulfi ſucceſſorem, ipſe Moguntinus Præſul futurus.

atque deferret ad Regem. Formulas, ſecundum quas judicium à Miſſis inſtitutum inter litigantes, quave ratione jus in provinciis, quas obierunt, ab eis fuerit adminiſtratum, Chartæ nooouIlæ Monaſteri S. Galli, à Goldasto (p) pridem editæ, nos quoque docent.

DYNASTÆ.

§. CXIV.

Dynaſtæ.

DYnaſtiarum Alſatiæ ſyllabum in Geographicis (q) dedimus. Nunc & Dynaſtas quosdam heic loci ſubjungimus, ex quibus, quod auctoritate, opibus & clientelis pollerent, Magiſtratus à Regibus eligi plerumque ſolebant. *Jus Provinciale Alemannicum* (r) & *Speculum Saxonicum* (s) in quarto clypei militaris gradu eos reponunt: Germanis antiqua voce *Herren* (t) dicuntur.

Warnecharius.

Warnecharium *Optimatem*, ſub Childerico II. in illa Sundgoviæ parte florentem, ubi S. Amarini oppidulum nunc extat, ex Anonymo *Vitæ S. Præjecti* Scriptore (u) novimus. In ejus nimirum territorio B. Amarinus, S. Præjecti amicus, conſentiente Warnechario, cellulam conſtruxit multo labore circa An. DCLXVIII.

Huno & Hagio.

Poſt Hunonem, Hunonis-villæ poſſeſſorem & S. Deodati amicum, qui ſub Theodorico III. circa An. DCLXXX. floruit, in eadem Alſatiæ ſuperioris regione floruit Hagio, Vir illuſtris; qui circa initium ſec. VIII. nobilis ſui prædii *Berchem* maximam partem Mediano Monaſterio contulit, quum S. Hildulfus, conditor ejus, adhuc eſſet in vivis. (w) Videtur idem eſſe cum Haichone, de quo ſupra (x) inter Comites Etichonidas.

Uſitericus.

Uſitericus, conſenſu *Holdaſinde* conjugis, terras, cum mancipiis utriusque ſexus, Abbatiæ Murbacenſi tradidit in villis *Aungebiſesbaim* & *Volfrigesbaim*, Argentorato vicinis, An. XVIII. Pipini Regis, Ær. Chr. DCCLXVIII.

§. CXV.

Sighifridus.

Coævus Uſiterico fuit Sighifridus, qui Altmanno filio res ſuas, inter quas mancipia, ſilvæ &c. memorantur, in XI. circa Colmariam villis, ut in *Sigolt*, *Rabaldovillare*, *Berchem*, *Altheim*, *Saxones* &c. obtulit, An. XIX. Pipini Regis. Villa *Herinicheim*, ubi Traditio conſcripta, ſedes ejus ſine dubio fuit. Vetus Chartularium Monaſterii Gregoriani Siglufridum hunc *Comitem*, at ſine teſte, nuncupat.

Irminolfus.

Irminolfus in villis *Fridolfesbaim*, *Didenesbaim* & *Ginnanbaim*, ædificia, accolas, mancipia, ſilvas &c. Folcrado & Agilolfo moribundus reliquit, Abbatiæ Fuldenſi circa An. DCCLXXI. pro ejus animæ remedio aſſignatos. (y)

Wido.

Widonem, Riculfum, ejusque filios, inter quos Fulradus, Abbas San-Dionyſianus, potentes Alſatiæ Dynaſtas, ſuperius (z) enarratos vide.

Iſanbertho.

Isanbertho *Dominus feliciſſimus* audit in Charta Murbacenſi An. DCCLXXVIII. qua ille Randolfi cujusdam res in *Fezenbaim*, qui prope Novum Briſacum vicus, emiſſe ſcribitur.

§. CXVI.

(p) *Scriptor. Rer. Alem.* Tom. II. Part. I. pag. 55. ſq.

(q) Pag. 665. ſqq.

(r) Cap. III.

(s) Lib. I. Art. III.

(t) *Herr* vox vetus Theotiſca, priorem vel magnatem, principemve deſignans. Uno & duplici r ſcriptum reperitur, variosque ſignificatus apud Germanos obtinuit, nunc altum, celſum & eminens; nunc ſanctum, ſacrum, imo & terribile quid, denotans.

(u) Vide ſupra pag. 720. §. CCIX.

(w) In *Vita S. Hildulfi*, apud Belhomme *Hiſt. Med. Monaſt.* pag. 110.

(x) Pag. 785. §. XC.

(y) Schannat *Trad. Fuld.* pag. 17. num. 32.

(z) Pag. 667. §. XCII. & XCIII.

§. CXVI.

Huchus. HUCHUS ex duplici Traditionis Fuldenſis inſtrumento (*a*) ad An. DCCLXXXV. nobis innoteſcit. Villæ *Oſthaim* & *Choneshaim*, ibidem memoratæ, Toparchiæ ejus ſitum indicant. Beneficium autem Baturico, homini ſuo, collatum; mancipia item, Fuldenſibus cum latifundio adſcripta, & filius Hahico, reliquarum poſſeſſionum hæres, amplam ſatis Huchi Dynaſtiam produnt.

Voto. VOTO eidem Fuldenſi Monaſterio terras ſuas atque mancipia, quæ in XIV. Alſatiæ Inferioris locis poſſederat, conceſſit An. DCCLXXXVIII. Inter loca hæc poſt *Scafrolfeshaim* villam ipſa *Strazburga* civitas, *Tunchinashaim* poſtea, *Wigfridashaim*, *Gaganhaim* &c. recenſentur. (*b*)

Acbuto. ACBUTO fine ſeculi VIII. vel initio ſequentis Baugolfo, Fuldenſium Abbati, ex allodio ſuo donavit in *Leidnareshaim* homines XII. in *Heiſanhaim* Eccleſiam unam, hominesque XIII. in *Wilare* pariter homines XII. in *Uualabeshaim* homines VI. &c. (*c*) manifeſto indicio, Acbutonem inſignem inter Nordgoviæ noſtræ Toparchas locum obtinuiſſe.

Imma. Dynaſtis maſculis liceat quoque fœminam ſubjungere, IMMAM ſcilicet, quæ filio ſuo anonymo, quem *Domnum filium* appellat, bona ſuæ proprietatis vendidit An. DCCLXXVIII. in *Ebinheim*, in *Uualahu*, in *Eringinſashaim* & in *Strazburga civitate*. (*d*) Reperitur ex Ducum Alemannorum ſanguine Imma, cujus filia Hildegardis Carolo M. hæc circa tempora nupſit, THEGANO (*e*) memorata. Nec video, quid obſtet, Immam noſtram eandem cum Hildegardis matre reputare. Chartæ ejus ſubſcripſit Vodalrichus Comes, de quo ſupra. Hæc de Politico ſeu Civili Alſatiæ Franciacæ ſtatu; nunc de Moribus.

ALSA-

(*a*) Apud SCHANNATUM pag. 38. num. 75. & 76.

(*b*) Ibidem pag. 42. num. 84.


(*c*) Ibidem pag. 82. num. 167.


(*d*) Ibidem pag. 30. num. 56.

(*e*) *De Geſtis Ludovici Pii*, Cap. II. Verba Thegani, huc ſpectantia, jam ſupra, ubi de Alemanniæ Ducibus actum, retulimus. Ex Hildegarde Ludovicus Pius ipſe natus eſt.

Digitized by Google

ETICHONIS ALSAT. DVCIS MONVM.




N. I.
Monast. Gregor.
II.
III.
Argentorati.
IV.
Murbaci
V.
In Odil. Monte



ALSATIÆ FRANCICÆ

SECTIO TERTIA.

MORES.

§. I.

ROmanis ex Alſatia Alemannorum virtute ejectis, ora hæc noſtra Rhenenſis, per quingentos fere annos variis Romanorum artibus polita & culta, ſummam in barbariem ſubito delapſa eſt; urbibus everſis, civibus maximam partem vel deletis, vel abductis, novaque incolarum barbarorum colonia hanc oram occupante. Triſtior hinc Alſatiæ, quam cæterarum Imperii Romani provinciarum, conditio devenit. Apud cæteros enim Gallos, ut & apud Italos, Hiſpanos, Britannos, Germanicæ quoque nationes, Burgundiones, Vandali, Alani, Suevi, Gothi, Anglo-Saxones, dominati ſunt; at plerisque veterum incolarum ſervatis, quum in regionibus noſtris civium plerique periiſſent. Alemannica ergo inſtituta ſucceſſerunt Romanis; Alemannicis fine ſeculi V. Francica ſupervenerunt; adeoque tota, quam tractamus, Periodo moribus Franco-Alemannicis Alſatia recta eſt. Franci ſua ſingulis, quos domuerant, populis jura, mores & inſtituta relinquere ſoliti, ipſas Alemannicas Leges, confuſas prius atque diſperſas, & ſola obſervantia notas, redegerunt in ordinem, ſuasque deinceps, Capitularium nomine, notas addiderunt. Legibus his, ut & Monumentis lapideis, metallicis, membranaceis, chartaceis, Hiſtoricorumque fragmentis muniti, præcipua, quæ ad Alſatiæ Francicæ mores pertinere videntur, expediemus ſuccincte. Morum mutatio.

JURA REGIS.

§. II.

INitium ducendum à Regibus, ſive à Regio jure. Meroveadæ nec ſacrati, (*f*) nec coronati fuerunt; ſed veterum Germanorum more tantum ſcuto impoſiti, atque in altum ſublati. De Clodoveo I. poſt mortem Sigeberti, Coloniensium Reguli, TURONICUS noſter ita: (*g*) "Populi, Sigeberto ſubjecti, plaudentes tam palmis, quam „ vocibus, cum clypeo evectum ſuper ſe Regem conſtituunt. „ Franci armati in campo novis Regibus præſtiterunt obſequium. Primus Regum eorum Pipinus Brevis, poſteriores Viſigothorum, imo & veteres Judæorum Reges imitaturus, ſemel iterumque voluit inungi, ut venerabiliorem ſe in poſterum redderet. Unctus eſt manu Bonifacii, Maguntiacenſis Archiepiſcopi, in civitate Sueſſionum. (*h*) Utut autem Meroviogi Reges non coronarentur, Diademata tamen Coronasque geſtarunt, quod varia eorum Monumenta demonſtrant. Regum inauguratio.

§. III.

Inter priſca Alſatiæ Francicæ Monumenta Corona Dagoberti II. quam Tab. I. expreſſi, inprimis cenſetur. Conſtans apud Aſcetas Monaſterienſes Gregorianæ vallis traditio eſt, actis eorum, at ſequioris ævi, conſignata: Dagobertum Regem Cœnobio illi coronam ſuam cum ſceptro gladioque ante mortem tradidiſſe, privilegio addito, ut Monaſterienſis Abbas in ſolennibus ſacris coronam hanc, alternis vicibus, cum Mitra ſua geſtaret; duobus Abbatiæ officialibus ſceptrum enſemque ferentibus. Corona Dagoberti II. Corona. *Tab. I. num. 1.*

 ſola

(*f*) Contrarium operoſe defendere conatur MARLOT in Libro; *Theatre d'Honneur* Lib. II. Recal-citrat CHIFLETIUS de *Ampulla Remensi* Cap. III.

(*g*) *Hiſt.* Lib. II. Cap. XL. Adde Lib. IV. Cap. XLVI. Lib. VII. Cap. X.

(*h*) *Annales*, quos EGINHARTO Cheſnius, Sirmondus, Marca, Lambecius adſcribunt, ad An. DCCL.

MORES.

ſola adhuc ex his inſignibus ſupereſt, quam capite fert Abbas, prima vice quum oppidum Monaſterienſe ſolenni cerimonia intrat. Chriſtophorus de Monte Juſtini, qui An. MCCCCLXXXV. Abbatiam Monaſterienſem regere cœpit, in Lapide ſepulcrali, qui in navi Eccleſiæ cernitur, cum corona hac ſculptus eſt. Circulus, ex argentea inaurata lamina, unum pollicem latus, diadematis inſtar, infimam partem coronæ componit. Duæ ſimiles laminæ ex circulo aſcendunt atque in ſummitate decuſſantur, ita, ut circulus in quatuor partes æquales devidatur; laminæ rudibus gemmis, mediocris pretii, ornatæ ſunt. Diameter coronæ VI. pollicum, altitudo IX. pollicum eſt. Singulare cenſendum, quod Dagobertus ſecundus, (primus enim & tertius heic non veniunt in cenſum) tot illuſtrium cœnobiorum, Suraburgenſis, Haſelacenſis, Weiſſenburgenſis, Clingenſis in Inferiore Alſatia conditor, non uni ex his potius, quam Gregoriano Monaſterio, quod Childericus II. exſtruxit, hæc inſignia tradiderit. De cetero multi illius ævi Franciæ Reges regia inſignia ſua Monaſteriis tradiderunt. Vel ſolus Dionyſianus Theſaurus plures veterum Regum coronas aliaque inſignia oſtentat. Clodoveus regnum cum gemmis pretioſis Petro Apoſtolo miſit, ut ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS (*i*) ſcribit. *Regnum* pro corona frequentiſſime ſumtum.

§. IV.

Coronarum forma.

Antiquiſſimi rerum Francicarum Scriptores, Gregorius atque Fredegarius, Coronarum Merovingicarum formam ſilentio premunt. Meroveadum nummos autem qui tractant, obſervarunt jam pridem, Reges hos diademate uſos eſſe, quod una vel duplici linea margaritarum ornatum. Quandoque & corona laurea, primis Imperatoribus Rom. tam frequens, in his nummis Merovingicis occurrit. Præter diademata apud Francos & occurrunt coronæ; ſed pleræque apertæ; id quod ex antiquiſſimis lapideis Regum illorum imaginibus San-Germanenſis Pariſienſium, San Dionyſianæ ut & San-Medardianæ apud Sueſſiones, Eccleſiarum perſpicimus. Sed & Coronæ nonnullæ caſſidis vel galeri inſtar formatæ, atque adeo ſuperius clauſæ fuerunt. Ex Maximini Trevirenſis ſcrinio ſigillum protulit JAC. MASENIUS, (*l*) in quo Dagobertus coronam clauſam, noſtræ huic in multis ſimilem, gerit. Dolendum, nullorum Regum Diplomata magis, quam Dagobertorum, eſſe ſuſpecta.

§. V.

Diverſæ ſpecies.

CANGIUS (*m*) quatuor coronarum ſpecies Meroveadis attribuit, quas inter ſecundo loco ponit *Camelaucum.* (*n*) Uſum ejus Conſtantinus M. introduxit, quod caſſidis ſpecies eſt, quæ in nummis Gratiani, Valentiniani Junioris, Majoriani, aliorumque comparet. (*o*) Dagobertina Monaſterienſis corona camelaucio ſimile quid habet. Laminæ enim duæ, quæ arcuatim aſcendunt, haud dubie pileum texerunt. Imperatorum Orientis camelaucum ex diademate, frontem cingente, retroque caput, in modum arcus, aſcendente, fuit compoſitum, atque una duplicive ſerie margaritarum ornatum. Monaſterienſe noſtrum ex laminis inauratis, quas gemmæ varii coloris exornant, conſtructum, pileum cinxit, qui caput undique texit. Ceterum coronarum uſum ab Imperatoribus Orientis ad Francos perveniſſe, nemo facile dubitat. Anaſtaſius Clodoveo I. diadema, TURONICO (*p*) teſte, transmiſit. Vetus Biologus *S. Remigii* (*q*) diſtinctius: „ Cum codicellis Anaſtaſius coronam auream cum gemmis „ & tunicam blatteam miſit. „ Clauſa, an aperta fuerit, ex Scriptoribus non liquet. Sub Carolidis Regiæ quoque coronæ variarunt. In Monumento Petaviano (*r*) ſimplici circulo aureo, quæ Patricialis corona fuit, ornatus comparet Carolus M. niſi coronam Longobardicam dixeris, quæ Modoetiæ noſtris adhuc temporibus ſervatur, ferreo Chriſti clavo celebrata, unde *ferrea.* Circuli-formis eſt, deſuper plane aperta. (*s*) Sed & in ſigillo Carolino, quod apud Franciſcum Blanchinum Romæ conſpexi, (*t*) circulus ille trifoliis conſpicuus. Romæ proclamatus Imperator, coronam clauſam pileiformem geſtavit, qui Orientalium Imperatorum tum quoque capitis fuit ornatus. Talem

(*i*) In *Hormisda.*
(*l*) *Not.* ad BROWERI *Annal. Trevir.* pag. 609. & ex eo MONTFAUCON, *Monuments de la Monarchie Françoiſe* Tom. I. Tab. XII.
(*m*) *Diſſert.* XXIV. *ſur Joinville* pag. 290.
(*n*) *Calamaucus*, *Calamaucion*, *Camelaucium*, *Calamaurus*, à diverſis diverſimode ſcribitur.
(*o*) OCTAVIUS STRADA de *Vitis Impp.* pag. 198. 200. &c. Adde HENRICI SPELMANNI *Aſpilogium* pag. 20.
(*p*) Lib. II. Cap. XXXVIII.
(*q*) CHESNII Tom. I. *Scriptor. Franc.* pag. 530.
(*r*) PAULI PETAVII *Antiquariæ Supellectilis Portiuncula*, ex qua transtulit CHIFLETIUS in *Anaſtaſin Childerici* pag. 130.
(*s*) Expreſſa cernitur in JUSTI FONTANINI *Diſſert. de Corona Ferrea Langobardorum*, in ipſo Libri rubro.
(*t*) Cujus ectypum vide apud MONTFAUCON in *Monum. Francicis*, Tom. I. Tab. II. lin. 5. num. 6.

Talem exhibet vermiculati operis pictura in Triclinio Leonis III. quod non ſemel Romæ inſpexi. Monumentum hoc illuſtre prope Baſilicam Lateranenſem, Carolo vivo concinnatum, ære expreſſit Nicol. Alemannus. (*u*) Ex hoc Caroli M. imaginem cum corona clauſa in Geographicam Alſatiæ Franciçæ Tabulam tranſcripſi. Coronæ Ducum Caroli Calvi tempore jam notæ; (*x*) quod hic Boſoni, affini ſuo, quem in Papiæ partibus Ducem conſtituerat, coronam impoſuit.

R E D I T U S.

§. VI.

Reditus.

PRæter proventus ex villis Dominicis Alſatiæ, quas ſupra enumeravimus, Fiſcum quoque adauxit cenſus Regius, à perſonis atque rebus exactus; ille ſpeciatim, qui *Inferenda* vocabatur, à quo nec ipſe Clerus fuerat liber. (*y*) Bannus Dominicus, (*z*) ſive mulcta ex gravioribus delictis; Heribannus, (*a*) mulcta ex neglectu militiæ: acceſſiit multiplex vectigalium ſpecies, quæ ipſe Ludovicus Pius maximam partem enumerat in Diplomate, quod An. DCCCXXXI. Bernaldo, Epiſcopo Argentinenſi, conceſſit. " Nullus veſtrum, inquit, de rebus, quas navigio aut terreno, id eſt, „ cum carris & ſaumariis, per regna noſtra homines Strazburgenſis Eccleſiæ negotiandi „ gratia duxerint, ubicunque acceſſum habuerint, nullum teloneum, aut ripaticum, (*b*) „ aut portaticum, (*c*) aut pontaticum, (*d*) aut ſalutaticum, (*e*) aut ceſpitaticum, (*f*) „ aut rotaticum, (*g*) aut cenaticum, (*h*) aut paſtionem, (*i*) aut laudaticum, (*k*) „ aut trabaticum, (*l*) aut pulveraticum, (*m*) aut ullum occurſum, vel ullum cenſum „ aut ullam reddibitionem, accipere vel exactare audeat. „ His ex aliis quoque Chartis accedunt manſionaticum, (*n*) ſaumaticum, (*o*) paratæ. (*p*) Patet hinc, viis Regiis plura illis temporibus vectigalia fuiſſe impoſita. *Regia ſtrata* per vallem Bruſcanam, ex Alſatia in Galliam ducentis, mentionem facit Ludovicus Pius in Diplomate, (*q*) Adelocho, Argentoratenſi Antiſtiti, dato An. III. Imperii, Chriſti An. DCCCXVII. ubi: " Per loca denominata, id eſt, per Regia ſtrata, quæ pergit ſuper rivolum, „ qui dicitur Stilla &c. inde totum montem, qui vocatur Aslegisbergo, usque ubi rivolus „ ſurgit, qui dicitur Hasla, deinde ubi Wichia ſurgit, usque quo in Bruſca ingreditur. „ Inter antiquiſſima Regum Franciæ jura, apud Alſatas exercita, jus quoque Albinagii reperio. Nomen quidem Chartæ noſtræ ignorant, res ipſa autem ſeculo VIII. noſtris in oris jam cognita, uti ipſe Carolus M. in Diplomate Honaugienſi circa An. DCCLXXII. teſtis eſt, ubi ſcribit: " Res Peregrinorum propriæ ſunt Regis.

B E N E F I C I A.

§. VII.

Beneficia.

SEcularia *Beneficia* quod attinet, illa quoque ſub Periodo Francica apud Alſatas jam invaleſcere cœperunt. Franci Gallis devictis partem quandam abſtulerunt terrarum, (*r*) quas Reges vel ſibi in *Domanium* ſervarunt, vel belli Ducibus & militibus in *beneficium* (*s*) ad tempus, aut ad vitam, dederunt. Periodus noſtra non modo vocem

 Feudum,

(*u*) Peculiari Libro, Romæ edito An. MDCXXV. cujus Tit. *De Lateranenſibus Parietinis*; conf. pag. 70.

(*x*) Aimoini Continuator Cap. XXXII.

(*y*) *Capitular.* Additio IV. Cap. LXXXIV. " Tributum, quod Inferenda vocatur . . . hoc eſt, „ duo ſolidi pro vacca.

(*z*) *Capitular.* Lib. III. Cap. LXIV. Lib. IV. Cap. XIV. 18. ſqq.

(*a*) *Capitular.* Caroli M. Lib. III. Cap. LXVII.

(*b*) *Ripaticum*, telonium ad ripas.

(*c*) *Portaticum*, telonium in portuum aut portarum tranſitu.

(*d*) *Pontaticum* vel *Pontagium*, vectigal Pontium.

(*e*) *Salutaticum*; jus exigendi *Salutes*, ſive Xenia, quæ ultra debitum cenſum dabantur.

(*f*) *Ceſpitaticum*, tributum pro via ceſpitibus munienda.

(*g*) *Rotaticum* vel *Rotagium*, vectigal pro damno in viis publicis, quæ *Rotabiles* dicuntur.

(*h*) *Cenaticum*, pro Cœnaticum, idem, quod Cœna, refectio.

(*i*) *Paſtio*, *Paſtionaticum*, *Paſnagium*, cenſus pro jure paſcendi.

(*k*) *Laudaticum*, vectigal obſcurum, forte à *Lode*.

(*l*) *Trabaticum*, tributum, uti videtur, pro trabibus ad publica opera præſtandis.

(*m*) *Pulveraticum*, tributum pro pulvere vel arena in viam publicam vecta.

(*n*) *Manſionaticum*, expenſæ pro hoſpitibus ſuſcipiendis. Provincialibus incubuit, Miſſos Regis recipere.

(*o*) *Saumaticum*, præſtatio ſive telonium de ſarcinis equorum, qui ſagmarii vel clitellarii dicebantur.

(*p*) *Parata*, expenſæ in præparationes ad Duces, Comites &c. recipiendos.

(*q*) Guillimannus *de Epiſc. Argent.* pag. 118.

(*r*) Gothi tertiam incolis devictis abſtulerunt, uti ex Caſſiodoro Lib. II. Epiſt. XVI. *ad Senatum* elucet; quod quidam de agris terrisque, alii ad tertiam redituum reſtringunt; Gothicæ & Romanæ ſortes hinc natæ. L'Oisel *Divers Opuſcules* pag. 82.

(*s*) Aimoinus Lib. I. Cap. XIV. Beneficia quandoque etiam *Fiſcus* appellantur. Vox *Feudum* ſeculo IX. innoteſcere cœpit. Struv. *Hiſt. Jur.* Cap. VIII. §. I.

MORES.

Feudum, ſed & feudorum hæreditatem, ignorat. Prædia, incolis priſcis relicta, dicebantur *Alode*, *Alodus*, *Alodis*, *Alodium*, junioribus Gallis *Franc-alleu.* (*t*) Beneficiati vocabantur *Vaſſi*; Vaſſos non tantum Rex, ſed & Comites ac Dynaſtæ habuerunt. Charta Murbaco-Eberhardina: (*u*) " Vel ad Vaſſos noſtros beneficiatum habui. „ Bodalus in Charta pro Monaſterio S. Galli An. DCCLVIII. " Et Vaſſi mei, nomine „ Amalghiſus & Wunefridus, in beneficio noſtro ibi detinuerunt. „ Ex eadem Eberhardina Charta addiſcimus, factum quandoque, ut plebejæ conditionis homines beneficia Nobilibus atque Comitibus obtulerint. Fatetur enim Eberhardus, " ſe Mauroviler „ cum appendenciis ſuis in Luterbach ab Amalo, & bona in Hilloneviler ab Haime„ rico, *in beneficiatum* habuiſſe. „ Imo & ex Charta hac patet, nec ſervilis conditionis homines à beneficiis fuiſſe excluſos. Eberhardus enim continuat: " Seu quod ſervus „ noſter Bertoinus per beneficium noſtrum viſus eſt habere, hoc eſt, in Figo Dele„ monte & in Althaim. „ Beneficia hæc tractu temporis in hæreditatem tranſierunt; cujus rei exempla ſub Ludovico Pio jam proſtant. (*x*) Sed & bona fiſcalia à Regibus in alode conceſſa ſunt. Ludovicus Pius in charta apud Cel. CARPENTERIUM (*y*) ita loquitur: " Quia nos morem parentum noſtrorum, Regum ſcilicet Francorum, ſequentes, „ libuit Celſitudini noſtræ quemdam fidelem noſtrum, nomine Ricbodonem, de qui„ buſdam rebus noſtræ proprietatis, quæ ſunt in Pago Alſacinſe, & in duabus villis, „ quæ uno vocabulo, id eſt, Franckenheim appellantur, honorare, & eaſdem res „ per hoc noſtræ largitionis conceſſum eidem Ricbodoni, fideli noſtro, perpetuo ad „ proprium concedere.

E P I S C O P A T U S.

§. VIII.

Epiſcopatus. REgiones, quæ hodiernam Alſatiam compoount, Baſilienſis, Argentoratenſis atque Spirenſis Dioeceſibus ſubfuerunt; quorum ille Veſontino, duo reliqui Moguntiacenſi, Metropolitano ſubordinati. Spirenſis Dioeceſeos limitibus ſua jam tum conſtitit ratio; at Baſilienſis & Argentinenſis Epiſcopatuum dubitatior limes, quod laterculum Epiſcoporum Baſilienſium, ante Walanum ſub Pipino, vacillat. Id certum eſt, Widegernum, Argentinenſem Præſulem, An. DCCXXVIII. Murbacenſis Abbatiæ inſtitutionem ſuo conſenſu roboraſſe. Widegernus & Anteceſſores duo, Arbogaſtus atque Florentius, origine Scoti, tres primos, genuinos & veros Argentoratenſium Præſules conſtituerunt. Ceterum ut Monaſterium Gregorianum Argentorato, ita Weiſenburgenſe Nemidonæ vel Spiræ, plures ſuppeditavit Epiſcopos. Singulos enumerabit Alſatia Sacra. Conſtitutio eorum à Rege pependit. Unde Wilfrido Eboracenſi, in Itinere ſuo Romano, Dagobertum II. qui in Alſatia tum vixerat, inviſenti, Strateburgenſe Antiſtitium, Arbogaſti morte vacans, Rex, beneficiorum Wilfridi memor, huic obtulit, tulitque repulſam. Epiſcoporum poteſtas ſacra in Abbatias, quas ſupra enumeravimus, ſeſe extendit.

MONASTERIA.

§. IX.

Monaſteria. IN ſilveſtribus planis & montuoſis Alſatiæ locis Aſcetarum omnia illo ævo jam plena fuerunt. *Foreſta* hinc *Sancta* nomen inditum ſilvæ, quæ cingit Hagenoam. Pars Vogeſi aliqua, Lotharingiam reſpiciens, ubi S. Romaricus vixit, etiamnum *Mons Sanctus* (*z*) vocatur. Aſcetæ nimirum tales ſolitudines quærebant, quarum gleba ad fertilitatem proclivis, ut circum Cellas ſuas, dumetis exciſis, manuum labore ſibi victum pararent. Hinc prope rivulos conſedebant plerumque. Ex Cellis Cœnobia. His addita paulatim tuguria; unde villæ, vici plures, imo & oppida apud Alſatas, progreſſu temporis, prodierunt. Fertile ſolum ex Scotia Hiberniaque Monachos in has oras allexit; à quibus Suraburgenſe, Haſelacenſe, Thomanum, Ebersheimenſe, aliaque Monaſteria originem cœperunt. (*a*) Tria Monachorum genera HIERONYMUS (*b*) & CASSIANUS

(*t*) Vocis *Alode* origo tam incerta, ac olim Nili origines. Eruditiſſimus quisque Criticorum novam etymologiam effinxit, qua de re Gloſſatores.

(*u*) ECCARD. *Origines Habsburgo-Auſtr.* pag. 115.

(*x*) THEGANUS Cap. XIX.

(*y*) In *Alphabeto Tiron.* pag. 57.

(*z*) *Le Saint Mont.*

(*a*) Inſula Scotorum tum dicebatur Hibernia. SIGEBERTUS GEMBLAC. *Script. Eccleſ.* Cap. LX. Unde Hibernia & Scotia adventantes dicti ſunt *Scoti*, quod Scotia non minus pro Hibernia, quam pro Scotia tum ſumebatur. MABILLON *Annal. Bened.* Tom. I. pag. 206.

(*b*) Ad Euſtach. *de virginitate ſervanda.*

Google

MOSSE.

Cassianus (*c*) conſtituunt: I. Anachoretarum, qui horrida & impervia ſoli loca incolebant: II. Eorum, qui bini, teroi, aut paulo plures, ſecedebant, nulli regulæ, oulli Præpoſito ſubjecti, ex operis mannum lucro in commune viventes, in cellulis conglutinati, quibus ipſi Monaſteriorum nomen impoſuerunt. Hi in Ægypto frequentes, *Remoboth* & *Sarabaitæ* appellati ſunt. III. Monachorum, in communi Monaſterio ſub rectore viventium, quæ ordinaria ſignificatio. Cellulæ quoque plures, aliæ ab aliis ſejunctæ, ſolebant conſtitui, quæ *Lauræ* (*d*) dicebantur. In has ſe contulerunt Monachi, qui jam per aliquod tempus immoderatas animi cupiditates in Monaſterio fregerant, ut ad perfectiorem vitam promoverentur; unde Lauræ non raro Monaſteriis adjunctæ. Lauris iſtis Recluſoria ſubſtituta ſunt, in quibus Recluſi & Recluſæ vixerunt, ab omni hominum ſocietate ſejuncti. Hujus generis Recluſoria in ſequentibus ſeculis plura habuit Argentoratus. Regulæ ab initio per Galliam variæ, Caſſiani, Baſilii, Pachonii, Leronis, Cæſarii, Aureliani, Macarii, Columbani, Benedicti; quarum poſtremæ cæteris celebriores fuerunt. Harum plures ſimul in eodem Monaſterio nonnunquam receptæ ſunt; uti ex Aredii inſtituto apud Turonenſem colligimus. Columbaniana (*e*) tamen primum prævaluit, uti Jonas (*f*) teſtatur, inde Benedictina, reliquis quod eſſet perfectior. (*g*)

§. X.

Privilegia eorum.

Circa Monaſteria Alſatiæ Regiam conſtitutionem Capitularia quoque nobis offerunt. Ludovicus Pius tres Monaſteriorum claſſes conſtituit. (*h*) Primam eorum, quæ dona & militiam darent; ſecundam eorum, quæ dona ſine militia: ad hanc Schwarzacenſe, quod paulo ante Arnolfsangienſe, ex Alſatia in alteram partem Rheni translatum, refertur. Tertiam, quæ nec dona, nec militiam, ſed ſolam orationem pro Imperatore præſtarent. In hac claſſe Monaſteria S. Gregorii, S. Mauri & Ebersheimenſe ponebantur. Reges porro non Protectores modo vel Advocati perpetui Monaſteriorum fuerunt, ſed &, mortuo Abbate, munus ejus devolutum ad Regem, ita ſane, ut Rex Monaſterii Abbas diceretur. Theodoricus IV. circa An. DCCXXII. in Diplomate Honaugienſi ita loquitur: (*i*) " Convenit nobis, pro voluntate noſtra, vel Antiſtitis „ noſtri, ſeu Ducum, Comitum, Domeſticorum, vel Pagiſorum, vel mei ipſius, ut „ in locum noſtrum aliquem eligere debeamus, ad onus Abbatis; ideo, venerabilis „ frater, Tubane, commendamus ſanctitati tuæ hanc venerabilem regulam &c. „ Carolus M. duobus annis Abbatiæ Maurobacenſi, poſt mortem Sindberti Abbatis, ab An. DCCXCII. uſque ad An. DCCXCIV. præfuit, ita ut, abſente Rege, cura & inſpectio Monaſterii Decano vel Præpoſito, ab ipſo Rege conſtituto, demandaretur. Traditio Murbacenſis, An DCCXCII. " Sacroſancto Monaſterio, quod vocatur „ Morbach, conſtructum in honore Dei & S. Leodegarii, ubi Domnus Rex Karolus „ paſtor eo tempore eſſe videtur, cum Ingermegilmaro Decano ſive Præpoſito, à „ Domno Rege conſtituto. „ Alia An. DCCXCIV. " Ego in Dei nomine Wahaarius dono Domno noſtro S. Leodegario, donatumque in perpetuum eſſe volo, ubi „ Domnus Rex Karolus paſtor noſter preeſſe videtur. „ Notandum tamen, Reges non Abbates, ſed *Paſtores*, appellari. Hinc factum, ut Reges ſæpius Abbatias Laicis adminiſtrandas committereot. Annales Fuldenſes An. DCCCLXXXI. de Hugone, Duce Alſatiæ, Lotharii ex pellice filio, ſcribunt, Carolum Craſſum ei *Abbatias & Comitatus in beneficium* dediſſe. Progreſſu temporis jus eligendi Abbatem conceſſum Monachis. Carolus M. id jam Murbacenſibus, teſte Craſſo in Privilegio An. DCCCLXXVII. conceſſit. Jus hoc *Regaliam* appellant Pragmatici, quam in temporalem & ſpiritualem diſtinguunt. Ad illam referunt fruitionem temporalium redituum; ad iſtam vero collationem beneficiorum, quæ literis regiis fieri conſuevit; de hac paucis agendum.

REGALIA.

§. XI.

Regalia.

Beneficia eccleſiaſtica conferendi jus Merovingi minus ſortiter, quam Caroliogi, exercuerunt. In Epiſcoporum & Abbatum conſtitutione electio, confirmatio & conſecratio diſtinguuntur. De duabus prioribus nobis eſt ſermo. Snb Merovingis plerumque penes clerum & populum fuit electio, penes Regem confirmatio. Utram-

que

(*c*) *Collat.* XVIII. Cap. VII.

(*d*) Evagrius *Hiſt. Eccleſ.* Lib. I. Cap. XXI. Cyrillus in *Vita S. Euthymii* num. 45. 48.

(*e*) S. Columbani regulam exhibet Lucas Holstenius in *Codice Regularum*, Romæ An. MDCLXI. edito, pag. 143.

(*f*) In *Vita S. Euſtaſii*, Abbatis Luxov. apud Mabillon *Act. SS. Benedict.*

(*g*) Vid. Ludov. Thomasinus in *vet. & nova Eccleſiæ diſciplina* Tom. I. Part. I. Lib. III. Cap. XXIV. num. 10. pag. 705.

(*h*) Vid. Baluzii *Capitularia Reg. Francor.* Tom. I. pag. 590. & notas ejuſdem Tom. II. pag. 1094. Adde Aquiſgranenſis Conventus decretum An. DCCCXVII.

(*i*) Coccius *Dagob.* pag. 132.

que tamen à Regibus exercitam, pluribus quoque conſtat exemplis. Certus ergo & definitus nondum invaluerat uſus. Epiſcopi Franciæ nunc electione Cleri & plebis, regio tamen accedente decreto, nunc mero Principis ſunt conſtituti imperio. Palatina hæc electio, quæ opponebatur Canonicæ. Carolus Martellus autem, Francorum Dux, de bonis eccleſiaſticis omnibus liberrime diſpoſuit: Epiſcopos & Abbates pro lubitu deſignavit. Filius ejus Pipinus, Childerico depoſito ſolium quum occupaſſet, ſecutus eſt patris exemplum; patrem vero Pipinum imitatus eſt Carolus Magnus. At Ludovicus Pius in exordio Regni extinctam electionum formam An. DCCCXVI. Aquisgranenſi Edicto reſtituit; (k) regio tamen non excluſo aſſenſu, quem Concilia Galliarum, ſub Carolo Calvo & Lothario Imp. habita, probarunt. (l) Confirmatio hæc, annulo baculoque à Regibus facta, electiones dein iterum abſorpſit. Unde nata ſeculo XI. illa Imperii Sacerdotiique diſcordia, quam Germanica indicabit Periodus.

STATUS HOMINUM.

§. XII.

Status hominum.

REgi, Regiæque familiæ proximi ordine uti fuerunt Epiſcopi atque Abbates, ita inter Laicos primi extiterunt Duces & Comites, quibus reliquæ hominum claſſes ſubordinabantur. De Ducibus & Comitibus actum; nunc agendum de reliquis. Alſatas poſt prœlium Tolbiacenſe, una cum reliqua Alemannia, à Clodoveo in ſervitutem redactos eſſe, BEATI RHENANI, (m) Jo. STUMPFII, (n) MART. CRUSII, (o) LEHMANNI, (p) qui magno numero diſcipulos nacti ſunt, ſententia eſt. Ex monumentis tamen noſtris perſpicimus, liberos in Alſatia fuiſſe Dynaſtas, (q) qui Nobilium ordinem compoſuerunt, uti ſupra oſtendi; fuiſſe item ingenuos vel liberos (r) atque libertos: (s) fuiſſe denique ſervos; (t) quas claſſes Nithardus quoque apud Saxones annotat. Ex Nobilibus ſive Dynaſtis Comites Ducesque electi ſunt. Ingenui, ſive Frilingi, Nobilibus non erant ſubjecti, ſed ſuo jure, uti nunc oppidani, utebantur. Unde res eorum *ingenuiles*, *Manſus ingenuilis*. De Liberis & Servis multa habet Lex Alamannorum. Ingenui facinoribus ad decus Nobilitatis aſcendere poterant; Ingenuis opes ſuas legare aut transferre permiſſum. (u) Unde effuſæ illæ in Eccleſias donationes à divitibus Ingenuis factæ, quæ *Traditiones* vocantur. Sed & *Precariæ* atque *Præſtariæ*, quas Chartæ noſtræ Alſaticæ numero haud exiguo exhibent, Ingenuos plerumque reſpiciunt.

PRECARIÆ.

§. XIII.

Precariæ.

ABbates enim ſæpe, ad exemplum Laicorum, bona quædam non in beneficium, ſed in emphytheoſin, certis hominibus contulerunt, quæ vocantur *Precariæ*. Concedebantur hæc bona, uti beneficia, donec viveret Preciſta, vel etiam poſteris ejus, hisque vel numero graduque definitis, vel indefinitis, ſeu ad extinctionem uſque familiæ. Emphiteuta eadem ſæpe bona recepit, quæ ipſe Monaſterio tradiderat, quod inſequenti ævo circa feuda oblata factum fuiſſe videbimus. *Precariæ* & *Præſtariæ* ejusdem rei appellationes diverſæ ſunt. Precaria eſt Charta, qua quis prædium ſive alodium ab Eccleſia ſub annuo cenſu utendum accipit, poſſeſſurus illud precario. (x) Libellus talis *Epiſtola* quoque *Precaria* & *Precatoria* dicitur, quod precibus obtinebatur; item *Præſtaria*, *Præſtarium*, *Præſtatio*, *Præſtitura*, quod alodii Eccleſiaſtici uſusfructus, ſub annuo cenſu præſtando, per ſimilem obtinebatur libellum. Unde prædium in jus præſtationis recipere,

(k) *Capitularium* Lib. I. Cap. LXXXV.
(l) PETRUS DE MARCA in *Concordia Sacerdotii & Imperii* Lib. VIII. Cap. XVI.
(m) *Rer. German.* Lib. II.
(n) *Chron. Helvet.* Lib. IV. Cap. XXVII.
(o) *Annal. Suev.* Lib. VIII. Part. I. Cap. IX. pag. 212.
(p) *Chron. Spir.* Lib. II. Cap. XX.
(q) Quorum breviculum in *Alſatia Politica* dedimus.
(r) Charta Murbacenſis Ludovici Pii anno III. " Homines liberos, qui ad prædictum Monaſterium " tempore avi noſtri, Pippini Regis, obedientes " fuerunt
(s) Manumiſſio ſervorum in judiciis fieri ſolebat. Exemplum extat in Diplomate Andlavienſi An. DCCCLXXVII. quo Carolus Craſſus ſervum conjugis ſuæ Richardis, nomine Bernhohum, " manumittere " ſe dicit, ſecundum legem Salicam, id eſt, propria " manu noſtra de manu illius excutientes denarium.
(t) In Murbacenſi Charta Ludovici Germ. An. DCCCXLII lego: " Terra dominicata, caſa, caſale " cum mancipiis decem. " Servitutis antiquæ veſtigia in Ferretenſibus, Vroburgenſibus, aliisque Alſatiæ terris ſuperſunt. Burgundiam & Lotharingiam taceo, quæ plenæ mancipiorum. Jus, quod *Vall* appellatur, ſervitutis reliquiæ ſunt.
(u) *Capitular.* Lib. IV. Cap. XIX.
(x) *Capitular.* CAROLI M. Lib. VII. Cap. CIV. Teſtamentum Precariæ occurrit.

recipere, dicitur in Murenſibus Actis. (y) Precariarum, Præſtariarumque formulas ſuppeditat Chartulare vetus Murbacenſe, quas in Codice Diplomatico dabimus. Aliæ erant conſtitutæ ad vitam, aliæ ad filios, aliæ ad nepotes, aliæ ad omnes in perpetuum ſe extendebant hæredes. (z) In Traditionibus, Eccleſiæ factis, ſubinde vetitum, ne hæc vel illa villa in Precariam præberetur. (a) Hildefredus An. XVI. regnante Theoderico Rege, *Precariam* accepit à Romano, Abbate Maurobacenſi, " in uſum bene- „ ficii Eccleſiæ, rem Eccleſiæ, ſitam in Pago Alſacenſi, in locis nuncupatis, hoc eſt, Dorlos- „ haim, Colobocishaim, Bodenhaim, Ulcishaim, Hunishuns, Hachinhaim, Ercafetilshaim, „ Enſuſshaim, Rotmarshaim, Eiſtatis, Groſinhaim, Roſuſago, in Gonzolinhuns „ &c.

TERRA SALICA.

§. XIV.

Terra Salica.

PRecariæ nos alius generis agrorum admonent, quæ in Chartis noſtris Alſaticis, ſpeciatim Ebersheimenſibus, frequenter memorantur. *Terras Salicas* intelligo. Ludovici Pii Charta Novientenſis: " In Sulza manſum unum; in Egisheim curtim „ dominicam cum Salica terra . . . In Rechenhuſen curtim dominicam cum Salica „ terra, vineis ſcilicet & agris & Capella ipſius loci „ &c. In San-Stephaniano Argentinenſi anni DCCCXLV. Diplomate Lotharius Imp. ait: " In Bolſenheim domini- „ cam curtem, Capellam & decimam cum Salica terra & ſuis appenſibus. „ Diplomatis hujus vetus Theotiſcus interpres, qui in Stephanienſi Tabulario ſervatur, à *Salicibus* arboribus barbare vocem derivat, terramque adeo Salicam *Wilgenbuſche* interpretatur. Receptior ſententia, quæ *Legis Salicæ* ductu, (b) terram Salicam alodiali opponit; quarum illa fœminas excluſit, hæc eas admiſit. Salii nobiliſſimus inter Francos populus quum eſſent, (c) Francica Lex appellata eſt Salica. Unde conjectura nonnullis, Salica terra francam liberamque intelligi terram, ab omni onere immunem. (d) Schannatus (e) terram Salicam interpretatur terram paternam ſive domeſticam, à Sala, quam ſimpliciter domum ſignificare cenſet. Alii ſpecialius *Salam Regiam* heic afferunt, & Salica bona, Salicas curtes, Salicas terras, ab ea derivant, quod terræ illæ à Regia Sala, ut beneficia vel feuda, penderent. *Sala* Francico idiomate denotavit Palatium Regis, unde Palatini ſubinde dicti ſunt *Salici*: (f) quum alii contra bona aviatica, alodialia, *Salicorum* nomine deſignata exiſtiment. Rem penitius examinanti viſum eſt, voces has non unius ſignificationis fuiſſe capaces.

§. XV.

Variæ vocis ſignificationes.

Sala vox præter alia *traditionem* (g) quoque apud Francos denotavit; unde Libri Traditionum (h) ſive Donationum, Eccleſiis factarum, *Libri Salici* dicebantur, qui uſus hodieque in Collegiata noſtra Thomana Argentorati obtinet. Terra Salica ergo terram Monaſterio traditam ſignificare potuit, ut diſtingueretur à terris, quæ emtione aliove modo ad Monaſterium perveniſſent. Præter hæc obſervo, Monachos Germanos alodia, quæ pro *remedio animæ*, ut loqui ſolebant, à piis hominibus Monaſteriis tradita, *Selgut*, *Seelgut*, *Selegelende*, (i) bona Salica, librum etiam, in quo commemorationes mortuorum

(y) *Acta Monaſterii Murenſis* pag. 57.

(z) *Novella VII. Juſtiniani* ad filios & nepotes Precarias has tranſire permittit.

(a) In Meurisii *Hiſt. Epiſc. Met.* pag. 181. Charta Caroli M. hujus generis extat.

(b) Tit. LXII. *de Alode.* Terra Salica hoc in loco eſt terra libera militaris, quæ nonniſi cum onere militiæ faciendæ conceduntur, adeoque filias non admittunt. Nata hinc quibusdam opinio, ut Salicam terram Alodialem crederent, ita ut hæreditario jure ad filios, ſed non ad filias, tranſiret, quum pure alodiales utrumque ſexum admitterent.

(c) Cangius *ad Joinvillam* Diſſert. XVII. pag. 243. ſqq.

(d) Utramque ſententiam protulit Schilterus: priorem in *Obſervat.* VIII. ad *Koenigshov. Chron.* pag. 532. poſteriorem in *Gloſſario Teutonico*, voce *Freygut*.

(e) *Buchonia vet.* pag. 323. Doctiſſimus Estor, quem cum honoris præfatione compello, in erudito *Syntagmate de Miniſterialibus* pag. 336. non diffitetur, *terras Salicas* ſpeciem fuiſſe Alodiorum.

(f) *Perſona Salica* memoratur in Placito quodam An. DCCCLX. apud Mabillon *Rei Diplom.* Lib. VI. num. 93. pag. 533.

(g) Hludovici & Hlotharii Lex apud Brouuerum *Annal. Trevir. Proparaſceve* Cap. X. ait: *ther thie Sala intfahet*, qui traditionem illam accipit. Paulo poſt: *in de athert'hra Sala ſo getan wirt bit*, & poſtquam hæc traditio ita facta fuerit. Otfridus *in Evangeliis* Lib II. Cap. IX. verſ. 152. *Salta* tradebat. Unde forte *Salman*, *Salleut*, teſtes, qui traditionibus interveniunt; niſi *Salicos homines*, *Salmann*, à Sala Regia, de qua modo dictum, derivare malueris. In *Jure ſtatutario Argentinenſi* Lib. III. Cap. CCLXXXIII. hæc occurrunt: " *Mag er weder* „ *Brief*, *noch Gezeugen han*, *nennet er denn ſine Saal-lute*, *und behept an den Heiligen* &c.

(h) *Traditiones Fuldenſes* apud Pistorium & à Schannato editæ.

(i) Imo & *Seelgerath*, *Seelgerett*. Wehner in *Obſervat.* ſub hac voce. In Traditionum Altorfenſium Libro Mſ. hæc lego: " Hugo ſanxit ad Altare „ S. Cyriaci in hujus Templi dedicatione ex ſepdecim manſis decimas, quæ dicuntur Selegelende, „ ſive prædia eſſent Comitis Eberhardi, ſive Comitis „ Hugonis &c. „ Vox *Selguot* in Charta Trutpertina Alberti, Comitis Alſatiæ, An. MCCXV. legitur. Herrgott. Tom. II. pag. 281.

MORES.

mortuorum perſcriptæ, *das Seelbuch* (*k*) appellaſſe; quæ vox Latine *Liber Salicus*, alio ſignificatu, reddita eſt. Eodem modo *Selehove* curtem Salicam dixerunt. Sed & alius denique peculiaris vocum harum ſenſus in Alſaticis quibusdam Chartis ſeſe mihi obtulit, quo bona Monaſterii, ad Curiam Abbatis vel Menſam, uti loquuntur, ſpectantia, *Terra Salica* audiunt. Inſignis eam in rem locus eſt in Charta Bertholdi, Epiſcopi Argent. An. MCCXXXV. quæ Laudum cootinet inter Abbatem Schutteranum & Advocatum; ubi hæc leguntur: " Preterea bona illa, que hereditario jure poſſidentur, nomine „ Clauſtri, ſi propter cenſum neglectum vel alia cauſa rationabili per manum Advocati „ ad querimoniam ipſius Abbatis ipſi Monaſterio fuerint adjudicata, ſi Abbas eadem „ bona *cum terra ſua Salica* vel coluerit, vel alii colenda conceſſerit. Talis colonus „ ſicut nec de terra Salica, ita nec etiam de talibus bonis Eccleſie, taliter adjudicatis „ in aliquo ſerviet Advocato. Si autem alicui alteri perſone colenda jam dicta bona „ quocunque modo contulerit, cultor de eisdem bonis Advocato ſervire tenetur. „ Scilicet in Monaſteriis reditus diverſi, diverſis rebus deſtinati fuerunt. In Altorfini Monaſterii Necrologio ſec. XIII. Mſ. legitur: " Werman dedit Fratribus, dedit Con- „ ventui „ &c. " Hiltegunt dedit vineam ad opus Eccleſiæ. „ In Libro Traditionum ejusdem Abbatiæ: " Juta filia Sculteti de Altorf karrata vini ad Hoſpitale „ noſtrum. „ Denique: " Cenſus de Wolfgangesheim ad Curiam Abbatis. „ Enimvero, uti Sala Regia, ita & Sala Abbatialis fuit, ad quam reditus pertinebant Abbatis. Wehnerus (*l*) prædia vel bona Salica laudemialibus bonis opponi exiſtimavit; quorum illa propria & libera feuda, hæc ſubjecta laudemiis.

MANSUS.

§. XVI.

Manſus.

TErræ Salicæ, ut & reliqui agri, in *Manſos* diviſæ fuerunt. Vox *Manſus* Chartis noſtris familiaris, neque tamen propterea minus obſcura. An. DCCCLXV. Richinus quidam Gregoriano-Monaſterienſi Abbatiæ donum his verbis conceſſit: " Manſum, cum caſis, caſalis, terris, campis, pratis, vineis, ſylvis, aquis, aquarumque decurſibus. „ &c. Novientenſe Ludovicianum ſupra allegatum: " In Sulza „ manſum unum; in Egesheim curtim dominicam cum Salica terra; in Lagelenheim „ manſum uoum; in Burcheim unum; in Sigoltesheim unum; in Rechenhuſen curtim „ dominicam cum Salica terra, vineis ſcilicet & agris & capella ipſius loci; in Gru- „ zenheim manſum unum; in Stotesheim duos; in Hiddenheim unum; in Northus „ duos. „ *Manſus*, *Manſum*, imo & *Manſa*, agrorum certa portio, cum manſione vel villa coloni; idem plerumque, quod *Curia* & *Curtis*. Papias duodecim terræ jugeribus; aliter Burgundicæ Chartæ; (*m*) aliæque iterum diverſo modo definiunt. Plerique conveniunt, Manſum comprehendiſſe tantum agrorum, quantum villicus uno aratro colere poteſt. Ebersheimenſis Abbatia in Onenheim habet CIV. agros, (*acker*) qui in Honorii III. Bulla duobus manſis ſignantur. Manſorum ergo dimenſio mire variavit. A manſo vocem *Maſnadæ* derivat Fontaninius; (*n*) familiam ſervorum manſo addictam interpretatus. Muratorius (*o*) eos medium quodammodo genus inter liberos & ſervos fuiſſe arbitratur. Manſi tamen in ingenuiles ſervilesque (*p*) dividebantur; illos coloni ſervi, hos ingenui coluerunt. Sed & manſi erant *hidales*, *letales*, quorum poſſeſſores oneribus militiæ obnoxii, quos nonnulli cum ſervilibus confundunt. Manſus Germanis dicebatur *Huobe*; Latina item terminatione *Hoba*, *Hobunna*, *Haſinna*: (*q*) Anglis *Hida*; unde terræ *hidatæ* & non hidatæ; quarum & in illo regno nulla certa dimenſio eſt. (*r*)

LEGES.

(*k*) Hubrrus *in Templo Wilhelm. Argentor. reſtaurato* pag. 112. allegat *Das Seelbuch S. Claræ.*

(*l*) *Obſervat. Pract.* pag. 105. Adde Goldastum *Alamannic. Rer.* Tom. III. pag. 55.

(*m*) Apud Burgundiones paulatim in *Mete*, apud Normannos in *Mees*, apud Provinciales decurtatum in *Mas.*

(*n*) In Opuſculo *Delle Maſnade.*

(*o*) *Antiquitatum Italiæ medii Ævi Diſſert.* XIV. pag. 801. ſqq. Gobel. *de Jure & Judicio Ruſticorum ſive Germanico* Cap. I. §. XIV.

(*p*) Breviarium Caroli M. apud Leibnitium *in Collectaneis Etymologicis* pag. 323. Annales Bertiniani ad An. DCCCLXVI.

(*q*) Schannat. *Buchonia Vetus* pag. 323.

(*r*) Seldenus *in Titulis Honorum* Part. II. Cap. V. pag. 364.

LEGES.

§. XVII.

Leges.

AB hominibus & terris ad *Leges* progredimur, quibus omnia reguntur. Felici tum Alſatiæ fato breves Alemannorum & Francorum Leges in his oris regnarunt. Populis devictis ſuas Leges confirmare vetus Francicus mos eſt. Alemannia ergo ſubacta, cujus pars tum Alſatia fuerat, Alemannicæ Leges in his oris non abolitæ, ſed Capitulationes Regum Francorum, toti regno communes, ſuperadditæ ſunt. Formula eſt apud Marculphum: (s) " Omnes populi ibidem commanentes, tam Franci, „ Burgundiones, Romani, vel reliquæ nationes, ſub tuo regimine & gubernatione „ degant, & moderentur, & eos recto tramite ſecundum legem & conſuetudinem „ eorum regas. „ In lege Salica & Gundebada Francus Burgundioque frequenter opponuntur Romano. Veteres nempe incolæ Galli, Romana lingua & moribus uſi, quibus etiam Romana lege vivere permiſſum, tum dicebantur Romani, ut à Francis, Burgundionibus & Gothis advenis, qui ſine contumelia *Barbari* appellati ſunt, diſtinguerentur. Alaricus, Viſigothorum Rex, in regno ſuo, cujus ſedes Toloſa, Leges Romanas, per Anianum in novum corpus redigi juſſit. (t) Unde Galli Narbonenſes à Lege ſua *Romani*, Franci à Lege ſua *Salici*, Burgundiones *Gundebadingi*, (u) appellati ſunt. Alemanni ergo, quum Rheni ſuperioris oram eripuiſſent Romanis, Alemannicos mores & Leges introduxerunt; quas Franci, ſucceſſores Clodovei, redegerunt in Codicem, qui ad noſtra uſque tempora pervenit. (w) Hic cum Capitularibus Regum Francorum Alſatici Ducatus, ad Lutarim uſque extenſi, jura conſtituit. Reliqua hodiernæ Alſatiæ pars, inter Lutarim & Quiſacam, Lege Salica vixit, quod ad Franciæ Ducatum pertinuit. Capitularia autem Regum Francorum non modo ad Francicum Alemannicumque Ducatus, ſed & ad omnes Monarchiæ Francicæ cives ſeſe extenderant. Apud Alſatas Romana Lex omnis cum Romano Imperio ab Alemannis abolita fuit, quod maxima pars eorum, qui ſub Romanis incoluerant tractus, ex quibus Alſatia componitur, vel in Germaniam translata, vel ferro ſuccubuit. Unde nulla in Chartis noſtris illius ævi Romanæ Legis, aut Romani hominis, mentio occurrit. Seculo XII. Romanæ Legis in Alſatiam, à Germanis, Italiæ dominis, paulatim reductæ, veſtigia comparere incipiunt. Imperatores ex Suevica gente, quum Alemanniæ atque Alſatiæ Ducatus hæreditarie poſſederint, Romani juris apices introduxerunt paulatim. Apud Italos hujus Juris cultores quantopere coluerit Fridericus Barbaroſſa, ignotum eſt nemini. (x) Gundebuda autem, ſive Burgundica, Lex nunquam in Alſatia invaluit, quod Burgundiones nunquam Domini extiterunt Alſatiæ, uti ſupra (y) oſtendi.

JUDICIA.

§. XVIII.

Judicia.

JUriſdictionem ordinariam à Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis adminiſtratam fuiſſe, paulo ante dictum. Reges tamen & ipſi frequentius pro tribunali ſederunt. Exemplum nobis præbet Seleſtadium noſtrum, ubi in Palatio ſuo An. DCCLXXVIII. inter Honaugienſes noſtros & Corbejenſes, ſuper bona quædam Alſatica, Carolus M. ſolemni judicio litem diremit. Is ipſe in Inſtrumento (z) ita loquitur: " Cum „ nos . . . Scladiſtati villa in Palatio noſtro, ad univerſorum cauſas judicandum . . . „ reſideremus, ibique veniens Advocatus S. Michaelis vel Beati Abbatis, (in Honau) „ nomine Otbertus, interpellabat homines aliquos &c. Nos taliter cum fidelibus noſtris, „ ii ſunt Uuidrigo, Odrigo, Theodrico, Bernchardo, Albuino, Aginhardo, Berengario, Comitibus, & Anſelmo Comite Palatii noſtri, vel reliquis quam pluribus „ viſi ſumus judicaſſe &c. „ Rex ergo ſeptem Comitibus, Scabinorum (a) inſtar, aſſidentibus,

(s) Formula VIII. quæ *de Ducatu, Patriciatu vel Comitatu.*

(t) Jac. Gothofredus in *Proleg. Cod. Theod.* Cap. V. num. 8.

(u) Casenuve *Inſtructions pour le Franc-Alleu de la Province de Languedoc* Cap. I. pag. 22.

(w) Lindenbrogii *Codex Legum Antiquarum.*

(x) Sigonius *de Regno Italiæ* Lib. XV. ad An. MCLXXXIX. Radevicus Lib. II. Cap. V. Otto & Acerbus Morena de *Reb. Laudenſibus*, apud Leibnit. *Script. Brunswic.* Tom. I. pag. 818. Guido Pancirollus *de Claris Legum Interpretib.* Lib. II. Cap. XIV. Bumaldus *de Doctoribus Bononienſib.* pag. 4.

(y) Period. Rom. pag. 258.

(z) Mabillonius Chartam hanc dedit in *Annal. Bened.* Tom. II. pag. 699. num. 13. nos ex Codice Urſtiſiano dabimus ſinceriorem, in Cod. Diplom. Alſatiæ.

(a) Aſſeſſorum Comitis numerus non ubique definitus. Duodenarium Judicum numerum, apud plurimas gentes receptum, erudite, uti omnia ſua, expoſuit Vir Celeb. Christ. Gottlieb Buderus, Jenenſis Academiæ decus, in Diſſert. de *Judiciis Duodecimviral. popular. ſeptentrionalium.*

MORES.

dentibus, cum pluribus aliis, præſenteque Palatii Comite, cauſam ipſe dijudicavit, ac Inſtrumentum ſolenne hac ſuper re confici juſſit. Uti leges ſuccinctæ, ita litium brevis proceſſus, promta deciſio. Judicia in templis olim habita, dein ſub Jove dio, in campo patente, quo omnibus liber aditus eſſet. Judicii conſeſſus *mallum* (*b*) ſeu *placitum*, (*c*) vocatio in jus *mallare*, *mannire*, ubi reus comparuit, niſi eum *ſunnis*, (*d*) juſtum impedimentum, detinuiſſet. Actor aut reus adjurabat judices, ut juſtitiam redderent, quod in SALICA LEGE (*e*) *Tangano* dicitur. Advocati aderant, qui *Clamatores* (*f*) nuncupantur. In criminalibus reus cauſam ipſe ſuam dixit.

ORDALIA.

§. XIX.

Ordalia.

QUum autem teſtimonia aliæque probationes deeſſent, ſuperſtitio illius ævi remedia effinxit, quibus veritas pateret, per judicium Dei, quod *Ordalium*, *Urtellam*, (*g*) vocarunt. Purgationem illam vulgarem intelligo, quæ per duellum, per ferrum candens, per aquam &c. fieri ſolebat. Canonica enim per jusjurandum purgatio apud omnes adhuc gentes in uſu eſt, niſi quod majoribus tum ceremoniis peragebatur. (*h*) Duelli vel campionis (*i*) judicium apud Francos, (*k*) Alemannos, Burgundiones, Longobardos, (*l*) Saxones & Anglos, invaluit. ALEMANNICA LEX, (*m*) apud Alſatas recepta: "Si quis liber libero crimen aliquod mortale impoſuerit, & ad Regem vel „ Ducem eum accuſaverit, & inde probata res non eſt, niſi quod ipſe dicit, liceat „ illi alii, cui crimen impoſuit, cum tracta ſpatha ſe idoneare contra illum alium. „ Initia hæc juris manuarii, quod per omnem Germaniam inſequentibus ſeculis frequens. Aquinum judicium duplex, ferventis nempe aquæ & frigidæ. Purgationem hanc Ludovicus Pius Capitulari ſuo prohibuit, ſed fruſtra. In Alſatici enim Conventus, ſub Henrico III. An. MCLI. Hagenoæ, uti videtur, habiti, Receſſu (*n*) hæc de pace publica leguntur: *Plebejus & minoris teſtimonii ruſticus aquæ frigidæ ſe expurget judicio.* Sed & in Magiæ crimine aquæ frigidæ probatio multis ſeculis adhibita fuit. Ferri candentis qui ſubierunt judicium, non manibus modo, ſed & pedibus illud nudis premere cogebantur. Hoc Ordalii genus Pontifices, Principes, Viri, fœminæque ſacratæ ſubierunt. (*o*) Richardis, Caroli Craſſi conjux, adulterii ſuſpecta, quum in Alſatiam, ad Monaſterium Andlahenſe, quod maritus & ipſa paulo ante extruxerant, ſe recepiſſet, innocentiæ probandæ ordalium ſubituram ſe obtulit. REGINO: (*p*) "Imperatrix de „ virginitatis integritate gloriatur, idque ſe adprobare Dei omnipotentis judicio, ſi „ marito placeret, aut ſingulari certamine, aut ignitorum vomerum examine, fidu- „ cialiter affirmat. „ HERMANNUS CONTRACTUS (*q*) probationem factam eſſe ait, ſed genus probationis non exprimit. "Divino judicio (inquit) ab omni ſe virorum „ commixtione integram & eatenus virginem ſe comprobavit, quamvis jam duodecim „ annis in conjugio Imperatoris apparuerit. „ A veriſimilitudine adhuc magis recedit KOENIGSHOVIUS (*r*) noſter, Richardim, cerato induſio amictam, per ignem tranſiviſſe illæſam affirmans. Traditio apud Andlavienſes ſtat pro ignitis vomeribus: Reginonis tamen relatio, antiquiſſima omnium, ceteris præferenda videtur. Cum ea ANNALES METENSES & ANNALISTA SAXO concordant. Reliquas ordaliorum ſpecies, ut judicium

(*b*) *Mal*, Theotiſca vox *ſignum*; *Malſtatt* locus ſigni, *Maltag* dies judicii; quod pertica, crux vel aliud ſignum, in loco judicii ponebatur ante diem judicii. Unde vocatio in jus *mallatio*, à *mallare*, *admallare*. SORBERUS *de Comitiis veterum Germanor.* Cap. V.

(*c*) Unde Franco-Gallicum *plaid*, *plaider*.

(*d*) *Sunnis*, *Sonia*, *exonia*, denotat impedimentum. LEX SALICA Tit. I. §. I.

(*e*) Tit. LX. §. I.

(*f*) Ibidem Cap. III. §. VI. *Capitular.* II. An. DCCCV. Cap. VIII.

(*g*) A Theotiſco *Urtel.* Dicebatur etiam hoc judicium Dei *Lex apparens*, *aperta*, *paribilis*, *ſimplex*.

(*h*) Sacramentum vocabant. Alemanni ſpathæ ſeu gladii capulo prehenſo jurabant. Apud Francos juraturus ſtipulas, ſive faſciculum ſegetum, manu dextra tenebat, iisque cœlum verſus projectis, Deo & Angelis innocentiam commendavit. Poſtea ſuper Sanctorum reliquias & tumulum, aut poſitis ſuper altare manibus, jusjurandum fiebat. TURONENSIS Lib. III. Cap XIV. *Capitular.* Lib. VI. Cap. CCIX. Reus erat *jurator* ac *ſacramentalis*, qui accedebant, *compurgatores* & *conjuratores* appellati; plerumque XII. numero.

(*i*) In duello actor & reus ipſi certarunt; campiones certarunt pro aliis.

(*k*) Exemplum apud TURONENSEM Lib. VII. Cap. XIV.

(*l*) Luitprandus tamen, Longobardorum Rex ſec. VIII. conſuetudinem impiam vocat.

(*m*) Cap. XLIV. Adde *Gundebadam Legem.*

(*n*) Apud GOLDASTUM in *Conſtitutionibus Imperial.* Tom. II. pag. 48. num. 6.

(*o*) Cum Chriſtianiſmo probationis hujus uſus quoque tranſivit ad Hungaros, apud quos ab An. DCCCCLXIX. ad An. MCCCIX. continuatus eſt uſus. Adi MATHIAM BELIUM (cui Viro plurimum debet Hungaria, ab illo docte deſcripta) in *Adparatu ad Hiſtor. Hungariæ* pag. 191.

(*p*) *Chron.* Lib. II. An. DCCCLXXXVIII.

(*q*) An. DCCCLXXXVII. ſecundum Caniſianam editionem, quæ optima. Urſtiſiana autem pro *divino judicio* male habet *aquino judicio*.

(*r*) *Chron. Alſat.* Cap. II. § CLI. & Cap. V. §. LIX. pag. 105.



cium crucis, (*s*) Judicium Euchariſtiæ, (*t*) Judicium panis conſecrati, caſeive, quod Anglis *Cornod*, (*u*) Judicium fortis, (*x*) nominaſſe ſufficiat; quod uſus earum apud univerſas Europæ Nationes, adeoque apud Alſatas quoque forſan, viguerat. Probationibus vulgaribus pleriſque Eccleſiaſtici quidam titus immixti fuerunt, à Canonibus tamen non ſunt admiſſi. Alemannicæ & Francicæ Leges Latina quidem lingua ſcriptæ fuerunt, quod Theotiſce ſcribendi uſus nonniſi Periodo noſtra finiente incepit. Judicis tamen lingua habebantur vulgari; de qua paulo uberius differendum eſt nobis, quod jam tum duplex apud Alſatas vernaculum idioma invaluit, Theotiſcum nempe, ſive Alemanno-Francicum, atque Latino-Barbarum, quorum utrumque viget hodieque.

LINGUÆ.

§. XX.

CUm Romana dominatione Alſatia, ut omnes Galli, imo & Germani cis Rhenum, Romanæ quoque linguæ uſum in vulgus acceperat. (*y*) STRABO Gallos & Hiſpanos, ſuo jam ævo, lingua vitaque in Romanum morem ita mutàtos fuiſſe ait, ut ne veteris quidem patrii ſui moris meminerint. Alſatiam ergo ſub Romanis *unilinguem* nos certo modo dixiſſe, (*z*) mirabitur nemo. Rsuraci & Sequaoi nativo ſuo Celtico, Triboci atque Nemetes vernsculo ſuo Teutonico valedixerunt ſermoni, ut uterentur Latino. (*a*) Alemanni, ſeculo V. ineunte, ab ora ſuperiore Rhenenſi rejecerunt Romanos & Teutonismum reduxerunt ad Alſatas; veteribus incolis partim occiſis, partim ex ſua ſede in Germaniam Trans-Rhenanam sbductis. (*b*) Sic Alemannicis Coloniis, Teudiſce loquentibus, repleta Alſatia. Reſidui ex cladibus incolæ in Juraſſi Vogeſique ſe abdiderunt montana; spud quos idioma Romanum, à Rheni ripa relegatum, permanſit; quod ad ea loca Alemannicæ non penetrarunt Coloniæ. Hic barbarici idiomatis abortus in occiduo Alſatiæ limite, Orbeana nempe, Lebrahenſi, (*c*) Vilerenſi vallibus, Lotharingiæ contiguis; præſertim vero verſus Epiſcopatus Baſilienſis, ut & Montisbelgardenſis, Burgundicique Comitatuum confinia, ſub *Romanicæ Linguæ* (*Roman*, *Romance*) nomine durat hodieque, & à purioris Gallicæ linguæ cultoribus *Patois* (*d*) appellatur. Hæc & ipſa in diverſas iterum dialectos, io ditionibus memoratis uſitatas, diſcedit. (*e*) Neque vero Romanorum linguam spud Alſatos veteres, ſub Romanis licet viventes, ullo tempore puram ſinceramque viguiſſe exiſtimo.

§. XXI.

Celtica Sequanorum, Theotiſca Tribocorum, Nemetumque linguæ vernaculæ, quum à Romanis introduceretur Latina, non potuerunt non plurimos ei affricare barbariſmos, quod omnibus, exteram linguam diſcentibus, evenire videmus; unde latiniſabant, non loquebantur Latine. Hæc ipſa autem lingus provincialis Latina, poſt

Iiiii 2 ejectos

(*s*) Carolus M. in *Capitulari* An. DCCLXXVIII. ait. "Quodſi accuſator contendere voluerit de ipſo perjurio, ſtent ad crucem, & ſi jurator vicerit &c." Inter varias de probatione hac opiniones veriſimilior, quæ reum expanſis in crucis formam brachiis ad crucem ſteriſſe ſtatuit, donec recitaret vel Evangelium, vel Orationem dominicam, qui ſi immobilis permaneret, innocuus habebatur. Multa hac de re GRETSERUS *de cruce* Lib. II. Cap. XXI. EBELINGIUS *de Provocatione ad judicium Dei*. Cap. VII.

(*t*) GREGOR. TURON. Lib. X. Cap. VIII. DELRIO *Disquiſit. Magicæ* Cap. IV.

(*u*) SPELMANNUS *Gloſſar.* in hac voce. Vocatur etiam *offa judicialis.*

(*x*) Pactum Childeberti & Chlotarii in *Capitular.*

(*y*) Idem fatum Rhætia, Noricum, Pannoniaque ſubierant.

(*z*) Supra pag. 320.

(*a*) Latina lingua jus populis ac reſponſa Principum reddi, publicas tabulas confici, legatorum poſtulata perferri, Senatum conſuli, judicia peragi, Romanæ majeſtatis interfuit; quo ſcilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur, ut VALERIUS MAX. ait Lib. II. Cap. II. num. 2. Ita, accedente aſſentatione, populi ſubjecti in mores & in loquelam regnantium migrarunt. Unde in *Platonicis Quæſtion.* Opp. Tom. II. pag. 1010. ſcribit PLUTARCHUS, Trajani temporibus viventes, jam tum univerſos fere mortales uſos eſſe Romanorum ſermone. Imo LIBANIUS in Libro *de ſua Fortuna*, vereri ſe ait, ne uſus Græcæ linguæ brevi deficiat.

(*b*) Confer ea, quæ diximus pag. 217.

(*c*) In valle hac vicus *Eckirch* ſitus, qui ſec. IX. nomen hoc à S. Acherico accepit; ante *Belmont* dictus; quod vetus nomen Romanæ linguæ, jam tum in illa valle receptæ; teſtis eſt. Vide ſupra pag. 716.

(*d*) Uti hodierna Franco-Gallica lingua, ita & Romanica, per omnem Galliam, in plures dialectos ſubdividitur.

(*e*) Numerus locorum Sundgoviæ & ſuperioris Alſatiæ, in quibus lingua Romanica viget, ad CLVIII. inferioris autem Alſatiæ ad XVIII. vicos, hac partitione aſcendit:

In Præfectura Belfortenſi - -	66.
- - Dellenſi, *Dattenried* - -	65.
- - Rubrimontana ſive *Rougemont* -	6.
- - Thannenſi - - - - -	4.
In valle Orbeana - - - -	17.
- - Vilerenſi - - - - -	9.
- - Rupenſi, *Ban de la Roche.* -	9.
Summa -	176.

Jam vero Alſatia ad Lutarim uſque MLXXX. vicos & oppida continet.

MORES.

ejectos ex oris noſtris Romanos, quotidiano cum Alemannis & Burgundionibus commercio, tantopere corrupta eſt, ut Ruſticæ denique linguæ, ex Romana Germanicaque corruptæ, induerit formam; ita tamen, ut prævaluerit Romana; unde factum, ut magno ſatis Alſatiæ tractui, verſus Belfortum & Dellam, *Romaniæ* ſive *Pagi Romani* [*Pays Romain*] (*f*) nomen, vulgari appellatione, hodieque inhæreat. In maxima autem & nobiliore Alſatiæ parte, per omnem hanc Francicam, ſequentesque Periodos ad noſtrum usque tempus, Teutoniſmus regnavit, adeoque ultra mille ducentos jam annos bilinguis Alſatia eſt. Alius rerum ſtatus in reliqua Gallia fuit, ubi Gothi, Burgundiones & Franci, eodem tempore nova quidem regna condiderant, ſed ita, ut vetus in illis incola viveret, & cum illis vetus quoque lingua Romana perſtaret. Hanc vero novi hi hoſpites, dominique Galliarum & ipſi quum diſcerent, jam antea corruptam omnino corruperunt; ut adeo Gallia omnis novis idiotiſmis, quos illi Gothici, Burgundici, Francicique ſermonis (*g*) paulatim obliti, induxerunt, inficeretur. Sic lingua Latina, quæ à primis transitus ſui in Galliam Transalpinam temporibus, Celticiſmos contraxerat, ſeculo quinto per tot gentium transfuſa canales, tantum fæcis accepit, ut peregrina inflexione phraſique aſſumta, genium fere omnem, priſtinumque vultum amitteret; quod ipſum & de Italica, Hiſpanicaque (*h*) linguis ſtatuendum; quæ nothæ Latii veteris filiæ, receptis Herulorum, Oſtrogothorum, Longobardorum, Vandalorum, Viſigothorum, Suevorumque idiotiſmis, eodem contagio vitiatæ fuerunt. Nova hæc lingua, (*i*) ut à matre diſtingueretur Latina, novo ſenſu *Romana*, quandoque *Ruſtica*, (*k*) imo & *Romana-ruſtica* dicebatur, provincialibus vulgaris, & nativo Francorum dominantium Theotiſco ſermoni, quo Reges & proceres Regni utebantur, oppoſita. Accedit, quod veteres Galliæ incolæ, jure & idiomate Romano utentes, ut à novis hoſpitibus Germanis diſtinguerentur, *Romani* vocabantur; qui ipſos illos hoſpites, dominosque ſuos, nominare conſueverant *Barbaros*, non indignantibus appellationem Germanis. Hujus ergo linguæ Romanæ, apud Alſatas, ceterosque Galliæ populos ortæ, à ſeculo V. ſunt repetendi natales. Germanici enim populi Rhenanum primo limitem, (*l*) inde Gallias invaſerant reliquas.

§. XXII.

Teſtimonia Auctorum.

APOLLINARIS SIDONIUS (*m*) ſquamam hanc Latini ſermonis *trivialium barbariſmorum rubiginem* vocat, Heſperio ſuo quum ſcribit: " Niſi vel pauciſſimi quique meram „ Latiaris linguæ proprietatem de trivialium barbariſmorum rubigine vindicaveritis, eam „ brevi abolitam defleamus, interitamque: ſic omnes nobiscum ſermonum purpuræ „ per incuriam vulgi decolorabuntur. „ Gallia ergo dicta Romania, cui Barbariem ſive Germaniam (*n*) FORTUNATUS opponit, ad Chilpericum ſcribens:

Hinc tibi Barbaries, illuc Romania plaudit.

Latini

(*f*) Vide, quæ hac de re ſupra pag. 91.

(*g*) Gothos, Burgundos & Francos, Germanico idiomate uſos eſſe, inter Eruditos jam conſtat. De Gothica teſtis eſt WALAFRIDUS STRABUS, homo, ut ipſe de ſe loquitur, Theotiſcus, ſec. IX. Abbas Augienſis; qui in Libro *de Eccleſiaſticis rebus* ita: " Præ„ cipue à Gothis, qui & Guttoni, cum eo tempore, „ quo ad fidem Chriſti, licet non recto itinere, per„ ducti ſunt, in Græcorum provinciis commorantes, „ noſtrum, id eſt, Theotiſcum, ſermonem habue„ rint. „ Ulphilæ verſionem indicat Strabus, quæ Gothica fuit, adeoque Teudiſca, ſed peculiaris Dialecti. Vid. GROTII *Hiſt. Gothorum* &c. in Prolegom. pag. 19. Burgundiones inter Germanos referuntur à PLINIO Lib. IV. Cap. XIV.

(*h*) ED. BRERREWOOD *Recherches ſur la diverſité des Langues* Cap. V. incunabula hodiernæ Hiſp. linguæ ad Vandalorum in Hiſpaniam transitum An. CCCCX. origines Italicæ linguæ ad Herulorum adventum An. CCCCLXXX. Francicæ autem linguæ initia ad An. CCCCL. reponit, à quo Burgundiones & Franci Galliæ poſſeſſores manſerunt tranquilli.

(*i*) PASCASIUS RADBERTUS, qui An. DCCCLI. obiit, in *Vita* præceptoris ſui *S. Adalhardi*, Abbatis Corbejenſis, Romanam a Latina lingua diſerte diſtinguit: " Qui ſi vulgari, id eſt, Romana lingua lo„ queretur, omnium aliarum putaretur inſcius . . . „ ſi vero Theutonica, enitebat perfectius: ſi Latina, „ nulla omnino abſolutius. „ MABILLON. *Act. Sanct. Bened.* ſec. IV. Part. I. pag. 335.

(*k*) Quod in ruſticorum etiam ore verſabatur, barbaris aſperſa vocabulis, à bonæ latinitatis regulis prorſus abſona.

(*l*) Notatu digna APOLLINARIS SIDONII verba in *Epiſtola ad Arbogaſtum* virum inluſtrem, militiæque armatæ, ex Arbogaſti Comitis, natione Franci, proſapia natum, Lib. IV. Epiſt. XVII. ubi: " Potor „ Moſellæ, Tiberim ructas: ſic barbarorum familia„ ris, quod tamen neſcius barbariſmorum: par Du„ cibus antiquis lingua manuque . . . Quocirca „ ſermonis pompa Romani, ſi qua adhuc uſpiam eſt, „ Belgicis olim ſive Rhenanis abolita terris, in te „ reſedit. „ Hæc Arvernenſis Epiſcopus, origine Lugdunenſis, qui circa An. CCCCLXXXII. deceſſit; Literarum Latinarum, in Gallia ruentium, vindex.

(*m*) Lib. II. Epiſt. X. coll. Lib. III. Epiſt. III.

(*n*) Apud PAULINUM in Carmine, quod Herico, Forojulienſium Duci, ex Alſatia orto, compoſuit, legimus: *Barbara lingua Stratiburgus diceris.* Adi Doctiſſ. Abbatem LEBEUF *Diſſert. ſur l'Hiſt. Eccleſ. & Civile de France*, Tom. I. pag. 426.

Latini Romanique idiomatum diverſitatem clarius indicat Turonensis Antiſtes, (o) in Præfatione Hiſtoriæ ſuæ: " Philoſophantem (inquit) Rhetorem intelligunt pauci, „ loquentem ruſticum multi. „ Idem Chilpericus, Francus licet fuerit, adeoque Theudiſcus, novæ tamen linguæ Gallorum Romanæ, nuper exortæ, novas literas w, ѱ, z, n, addidit, eodem referente Gregorio, (p) miſitque epiſtolas in univerſas Civitates Regni ſui, ut ſic pueri docerentur, ac libri antiquitus ſcripti, planati pumice reſcriberentur, quod circa An. DLXXX. factum. Turonenſis, enarrans hæc, ait: *Addidit literas literis noſtris* &c. Morhofius (q) ad Teudiſcam Francorum linguam hæc trahit; Turonenſis autem Epiſcopus, ex veteri Familia Gallica ortus, quod nomen ejus & omnia docent, *literis noſtris* Theotiſcas num intellexiſſe credendus eſt? Succedunt ſeculi IX. *Concilia*, Turonenſe An. DCCCXIII. (r) & Arelatenſe An. DCCCLI. quæ jubent, ut " Homilias quisque Epiſcopus transferre ſtudeat in „ ruſticam Romanam linguam, aut Theotiſcam, quo facilius cuncti poſſint intelligere, „ quæ dicuntur. „ Novus ergo ſermo Ruſtico-Romanus, à Latino tot paraſangis diſtans, Patres Conciliorum induxit, ut decernerent, Homilias, Latino ſermone ſcriptas, vel in Romano-Ruſticam, vel in Theodiſcam linguam, prouti alterutra in diverſis Provinciis invaluiſſet, in uſum plebis, quæ linguam Latinam non amplius intellexerat, transferri debere. (s) Nec dubitandum, quin & oræ noſtræ Epiſcopi, (t) eorumque vicini, Canonum auctoritate inducti, Homilias in Romanam & Theotiſcam linguam verti curaverint. Fragmentum hujus generis ſcripti, ab Adalberone, Metenſium Epiſcopo circa An. DCCCCXL. compoſiti, ſuperſtes, producit Borellus. (u) Regino, qui circa An. DCCCCVIII. obiit, Abbas Prumienſis, in manibus habuit Librum hiſtoricum, *plebejo*, ut ait, *& ruſticano ſermone compoſitum*, quem ille ad Latinam regulam correxit, indeque multa in *Chronicon* ſuum transtulit; (x) ſed nulla hujus Libri fragmenta ſuperſunt.

(o) Gregorius ſeculo VI. Hiſtoriam ipſe ſuam corrupto ſermone Latino, at non ruſtico, ſcripſit. Merovingorum vero Regum Diplomata, Leges Salicas, ex quinto, Andegavenſes formulas ex ſexto, Marculphi formulas ex ſec. ſeptimo, ſi legas, ipſius Cancellariæ ſtylum Romanæ illæ ruſticæ, quam Latinæ, ſimiliorem eſſe intelliges. Formulas Andegavenſes ex Codice Weingart. protulit Mabillonius in *Analectis Vet.* pag. 388. Sed & ex ſeculo VIII. apud Mabillonium *Annal. Bened.* Tom. II. Lib. XXI. Cap. X. epitaphium Euſebiæ, Maſſilienſis Abbatiſſæ, extat, quod linguæ ruſticæ, quam Latinæ, propius. Unde, ſi dicendum quod res eſt, duæ linguæ Romano-barbaræ illo tempore viguerunt. Altera Literatorum ſive Scriptorum, quæ Latinitas illa ferrea ſexti & ſequentium ſeculorum; unde Cangius Gloſſarium ſuum compoſuit: altera plebeja & ruſtica Romaniſca, multis modis corruptior, de qua nobis eſt ſermo. Ipſi ſane Scriptores illi, ſi paucos excipias, Latinis vix accenſeri merentur. Mabillonius *de re Diplom.* Lib. II. Cap. I. num. 2.

(p) Lib. V. Cap. XLV. ubi meliorum Codicum lectionem ſumus ſecuti. Sed literæ hæ eandem fortunam expertæ ſunt, atque illæ, quas Claudius Imp. olim alphabeto addiderat, id eſt, cum ſuo auctore perierunt.

(q) Morhofius in Libro: *Unterricht von der Teutſchen Sprach* &c. pag. 283.

(r) Canoon XVIII. Anonymus auctor *Vitæ S. Faronis* ait; "Clotharianæ victoriæ, à Saxonibus „ reportatæ, cauſa Carmen publicum juxta Ruſtici- „ tatem, (hoc eſt, Ruſtico ſermone) per omnium „ ora volitaſſe. „ Bouquetus *Scriptor. Franc.* III. pag. 505.

(s) Jacobus I. Aragonum Rex, in Conſtit. Catalaniæ ſec. XIII. contrariam viam inivit. ſtatuens, *ne quis libros veteris vel novi Teſtamenti in Romancio habeat.* Cangius in voce *Romancium.*

(t) Metenſis Diœceſis ſermo unilinguis Romanus: Argentoratenſis, Spirenſis Diœceſes itidem unilingues, ſed Teodiſci ſermonis, ſi aliquot villas in Argentorat. excipias: Baſilienſis vero utramque jam tum linguam apud Diœceſanos ſuos uſitatam conſpexit. De Metenſi memorabilis locus eſt in Annal. Fuld. An. LXXXVII. ubi ſcribitur: " qui Latino ſermone utun- „ tur Eccleſiaſtica Cantilena dicitur Metenſis: apud „ nos vero, qui Teutonica ſeu Teutiſca lingua lo- „ quimur: *Mete*, vel ſecundum Græcam derivatio- „ nem uſitato vocabulo, *Metiſca* nominatur.

(u) *Treſor des Recherches Gauloiſes*, in fine Præfat.

(x) *Chronic.* Lib. I. ad An. DCCCXIV.

MORES.

§. XXIII.

Specimina hujus linguæ.

Primum omnium ergo veræ & genuinæ Romanicæ linguæ documentum Argentoratenſi Hiſtoriæ debet Gallia Literata. (*y*) Formulam fœderis intelligo, quod Ludovicus Germanicus & Carolus Calvus, fratres, An. DCCCXLII. XVI. Kal. Martii, præſentibus ex utroque Regno Proceribus atque militibus, Argentorati contra Lotharium Imp. fratrem iniverunt; cui utriusque nationis ſacramentum ſubjunctum. Scilicet & Reges & cives reciprocum ſibi jusjurandum præſtiterant. Ludovicus Caroli uſus eſt Lingua [quam Nithardus vocat *Romanam*] ut Galli, Carolum Calvum comitantes, Ludovici Germ. jusjurandum intelligerent. Carolus, eadem ex cauſa, Ludovici lingua locutus eſt, quæ Nithardo *Teudiſca.* Illuſtris hic ſynchronus Scriptor, qui utriusque linguæ formulam ſuo Libro inſeruit, ex Carolingica familia, (*z*) cujus nativus ſermo Theotiſcus erat, genus ducebat: (*a*) Romanam tamen linguam ignorare non potuit, quod ipſe ſcripſit Latina, unde ſpurium genus ſuum nova Romana traxerat. Sed & uterque Rex Romanæ ac Teudiſcæ Linguæ gnarus eſſe debuerat; uterque enim alterius populi locutus eſt lingua. En Tibi, Lector, ipſam Fœderis Formulam, in Theotiſco & Romano idiomate.

Sacra-

(*y*) Eccartus quidem in *Commentar. Rer. Franc.* Tom. I. pag. 853. Gloſſarium aliquod vetus Romanæ & Theotiſcæ Linguarum, ex Codice Fuldenſis olim, nunc Haſſo-Caſſellanæ Bibliothecæ, prolatum, ſeculo VIII. adſcribit, ſed & ſeculi IX. partus poſſet haberi.

(*z*) De *Diſſenſionibus filior. Ludovici Pii* Lib. III. apud Pithoeum, Chesnium, Bouquetum atque Schilterum. Ex Nithardo formulas has primas edidit Bodinus de *Republica* . Lib. V. Cap. VI. Isaacus Pontanus *Originum Francicarum* Lib. VI. pag. 605. Octavius Ferrarius in *Originibus Linguæ Italicæ* Præfat. Joannes Henricus Boecle-rus in *Hiſtoria ſeculi* IX. pag. 98. Marquardus Freherus utrumque jusjurandum peculiari Commentario illuſtravit, edidítque ſeorſim; quem Chesnius *Scriptorum Rerum Francicarum* Tom. II. pag. 382. ſq. Bouquetus Tom. VII. pag. 35. Joannes Schilterus *Scriptorum Rerum Germanicarum* pag. 884. & in *Jure Publico* Tom. II. pag. 38. ediderunt.

(*a*) Nithardus, Angilberti, Abbatis poſtea Centulenſis, filius, Caroli Magni ex Bertha filia nepos; Abbas denique S. Richarii factus, Obiiſſe creditur circa annum DCCCLIII. De Nithardi proſapia Paulus Petavius ſyntagma breve ſcripſit, quod extat apud Chesnium *Scriptorum Rerum Francicarum* Tom. II. pag. 358. ſqq.

Sacramentum Regum. (†)

Romanice

PRO (1) DON AMUR, ET PRO CHRISTIAN POBLO, ET NOSTRO COMMUN (2) SALVAMENT, DIST DI (3) EN AVANT, IN QUANT (4) DEUS SAVIR ET (5) POTIR ME DUNAT, SI (6) SALVARAI EO (7) CEST MEON (8) FRADRA KARLO, ET IN ADJUDHA ET IN CADHUNA COSA, SI CUM (9) HOM PER DREIT SON (10) FRADRA SALVAR DIST (11) INO QUID IL (12) IMI ALTRE SI (13) FARET, ET AB LUDHER NUL PLAID (14) NUNQUAM PRINDRAI QUI MEON VOL, CIST MEON FRADRE IN DAMNO SIT.

Alſato-Romanice vulgo Patois (*)

Por Due Aimoue & por lou Chretien peuple & noëtre commun ſavement da ci en aivent à tant que Duë lou ſçaivois & lou pouvois me denerė ce ſaverai-je mon fraire Karlot & en l'aidant & en chaique choſe, tout comme in homme par droit ſon fraire ſavai dait, ouy que me achi lu atre ſeret & de Lothaire acun plaid y ne preindrai que ai ma velentay ci mon fraire Karlot pouñai eter en dam.

Sacramentum Populi.

SI LODUUIGS (15) SACRAMENT, QUE SON FRATRE KARLO JURAT, CONSERVAT, ET KARLUS (16) MEO SENDRA DE SUO PART NON (17) LOS TENET, SI JO RETURNAR NON (18) LINT POIS, NE JO, NE (19) NEULS CUI EO RETURNAR NIT POIS, IN NULLA (20) ADJUDHA CONTRA LODHUWIG NUN LI IVER.

Si Louis lou ſerment que ſon fraire Karlot ai jurié conſerve & Karlot mon chire de ſai pai ne lou tint, ſi ne lou po detouenai ne io ne gnon que lou detournai pos en acune aide contre Louis y ne vierai.

Sacramentum Regum.

Theotiſce

IN GODES MINNA [1] IND DURH TES XRISTIANES FOLCHES IND UNSER BEDHERO [2] GEHALTNISSI, FON [3] THESEMO DAGE [4] FRAMMORDES, SO FRAM SO MIR GOT [5] GEUUIZZEI INDI MADH FURGIBIT, SO HALD IH [6] TISAN MINAN [7] BRUODHER . . . . soso MAN MIT REHTUM SINAN BRUHER SCAL . . . . . INTHI UTHAZ [8] ER MIG SO SIN MADH [9] INDI MIT [10] LUHEREM [11] INNO THEINNI DING NE GEGANGO, [12] ZHE MINAM UUILLON, IMO . . . . . . [13] CE SCADHEN UUERHEN.

Latine

Pro Dei amore & pro Chriſtiano populo & noſtra communi conſervatione de iſto die in poſterum, in quantum Deus ſcire & poſſe mihi donat, ſic ſervabo ego iſtum meum fratrem Karolum & in adjuvando, & in quacunque cauſa, ſic ut homo jure ſuum fratrem ſervare debet, niſi quid ille mihi aliter ſi faceret & cum Lothario nullum placitum unquam inibo, quod mea voluntate, huic meo fratri Karolo in damno ſit.

Sacramentum Populi.

OBA KARL THEN EID, THEN ER [14] SINEMO BRUODHER LUDHUWIGE GESUOR, [15] GELEISTIT, [16] INDI LUDHUWIG MIN HERRO, THEN ER IMO GESUOR, [17] FORBRIHCHIT, [18] OB IH INA NES' [19] ARWENDENNE MAG, NOH IH, NOH THERO THENIHES, IRUUENDEN MAG, IMO CE [20] FOLLUS TINE WIDHAR KARLE WIRDHIT.

Si Ludovicus Sacramentum quod ſuo Fratri Karolo jurat conſervat & Karolus meus ſenior de ſua parte non illud tenet, ſi ego divertere non illum poſſum nec ego, nec ullus aliquis eum divertere non poteſt in ullum adjumentum contra Ludovicum non illi ibo.

§. XXIV.

(†) Formulæ hujus Editiones, à Pithœo, Cheſnio atque Frehero, editæ, differunt. Cheſnium preſſo pede ſequitur Mart. Bouquetus, in nova *Scriptor. Franc.* editione. Nos Freherianam, ex Codice Mſc. veteri editam, ſequimur.

(1) Chesnius *Deo.* (2) Idem *ſalvamento.* (3) Idem *in avant.* (4) Pithoeus *Des.* (5) Idem & Chesn. *podir.* (6) Idem *ſalvareio.* (7) Pith. & Chesn. *ciſt.* (8) Iidem *fradre.* (9) Iidem *om.* (10) Chesn. *fradre*; Pith. *frada.* (11) Chesn. *in o quid*; forte legendum *imo.* (12) Pith. & Chesn. *mi.* (13) Iidem *fazet.* (14) Chesn. *nunquam.* (15) Pith. & Chesn. *ſagrament.* (16) Iidem *meos.* (17) Chesn. *lo ſtanit.* (18) Librarius *lint* forte poſuit pro *lim*, illum. (19) Chesn. *veuls.* (20) Pith. & Chesn. *ajudba.*

[1] Pith. & Chesn. *indnithes*; alii corruptius *indintbes.* [2] Iidem *gealtniſi*; alii corruptius *gealtjnſi.* [3] Chesn. male *theſenioda ge.* [4] Pith. *frammordeſſo*; Chesn. *frammor deſſo.* [5] Pith. & Chesn. *genuiz ei.* [6] Pith. *ibtis an*; Chesn. *ibtes an.* [7] Pith. *bruber.* Verba ſex ſequentia in Cod. Pith. deſuerunt; Cheſnius autem ea habet. [8] Pith. *zernigſoſo.* [9] Idem *indimit*; Chesn. *in dimit.* [10] Chesn *Luberen.* [11] Pith. *in nothe in mit bing nege gango*; Chesn. *in nothe in vit binc nege gango.* [12] Pith. *theminam*; Chesn. *zheminam.* [13] Chesn. *ces cadhen.* [14] Pith. *ſinemo*; Chesn. *ſine no.* [15] Chesn. *gele iſtit.* [16] Idem *ind.* [17] Idem *forbrib chit.* [18] Idem *obi hina.* [19] Idem *iou ven denne.* [20] Idem *folus.*

(*) Astruc *Memoires pour l'Hiſt. Nat. de Languedoc* pag. 505. hujus fœderis formulam lingua, apud Occitanos hodie uſitata, ita exprimit: *Per Dieou amor & per lou Chriſtian pople & noſtre commun Salvament, deſſé jour en avant, en tant que Dieou Sabé & poudé me dounat, ſe ſauvarai aqueſté micou frairé Carlé & en ajudo & en cadūno cauſo, ſe connno on per drės ſon fairė ſouva deu, emo quiquon el me autrė ſi fariė, & à Lothaire nul plais oncques prendrai, quė à aqueſtė micou frairė Carlė in damn ſiė.* Sacramentum populi. *Sė Louis lou Carment, que à ſoun frairė Carlė ajurat conſervo, & que Carlė mon ſeniou de ſa part nou lou tenié, ſe iou deſtourنar nou lou poi, ni icou ni degus, quė icou deſtournar en pioiſſo en nullo ajudo contro Louis nou li iren.*

§. XXIV.

Occitanica lingua.

Romana hæc ſeculi IX. lingua Romanicæ hodiernæ vulgari, quæ non apud Rhætos tantum, ſed & apud Gallos in Provincia, in Occitania, in Lemovicis; apud Hiſpanos in Catalaunia, (*b*) uſitatur, ſatis conformis eſt; id quod ex collatione ejus cum Occitanica plebeja, quam Clar. ASTRUC, Vir humanarum Literarum cultura non minus, quam Medica Arte illuſtris, haud ita pridem inſtituit, (*c*) ſatis elucet. Unde illi, prouti & Alſatæ noſtri Romaniſantes, linguam hanc *Romanicam* (*d*) vocant. Hæc ſub Arelatenſibus, Provinciæ, Toloſæ & Barcinonis Comitibus, à Poëtis illis, qui *Troubadours* (*e*) appellati, quos inter Fridericus Barbaroſſa, (*f*) Germanorum Imp. quoque ponitur, in ſequentibus ſeculis exculta, Certaminibus illis Poeticis, quæ *Ludi Florales* (*g*) dicebantur, apud Toloſates An. MCCCXXIII. inſtitutis, dedit occaſionem; ad quos omnes illi Troubadores Poetæ ex tractibus Occitanicæ linguæ (*Langue d'Oc*) invitati fuerunt; (*h*) qui agones poetici ab eo tempore quotannis Kalendis Maji continuantur. (*i*) Sed & à proſaicis Scriptoribus lingua hæc ita fuit exculta, ut *Romanenſium Fabularum* (*k*) nomen inde oriretur, hodieque receptum. Populorum, Galliam interiorem habitantium, alia plane ratio fuit; qui à Gallia Narbonenſi diſtincti, communiſque Franciæ Regni participes, linguæ ſuæ, quæ ſimilis olim fuit Romanæ, rationes ita immutarunt paulatim, ut circa ſeculum XIII. Gallia in duas linguas *Oc* & *Oui* divideretur; quod Galliæ meridionalis trans Ligerim incolæ voculam Latinam *ita* Romanico idiomate *Oc* (*l*) redderent, quæ Cis-Ligeritanis enuntiata eſt *Oui*.

§. XXV.

(*b*) BERNHARDUS GOMEZIUS *in Hiſt. Jacobi Aragoniæ Regis* Lib. XII. ait: "Catalaunos Aquitana „ ſeu Lemovica verba uſurpantes. „ GASPAR ESCOLANA *Hiſt. de la Ciudad y Reyno de Valencia* Lib. I. Cap. XIV. PUJADES *Chronica del Principat de Cataluna*. Lib. VI. Cap. LV. CASENEUVE *la Catalogne Françoiſe* Cap. IV. pag. 61.

(*c*) ASTRUC loco cit. Romana hæc tamen lingua nihil commune habet cum illa Vaſconica vel Cantabrica, (*Langue Basque*) quæ toti olim Hiſpaniæ, antequam à Romanis ſubigeretur, fuit vernacula; de qua ſupra quædam tetigi pag. 96. Adi L. MARINEUM SICULUM *de Reb. Hiſpan.* Lib. IV. pag. 328. *Hiſpania Illuſtr.* ANDR. SCHOTT. Tom. I. & GARIBAY *Hiſtoria de Eſpanna* Tom. I.

(*d*) Lingua Romanenſis provincialium, ſeculo XII. à ſorore ſua Francica jam valde abludens, tanti facta eſt, ut in conſcribendis verſibus ſtudioſius eam amplecterentur exteræ nationes; ut videre licet ex Collectione Poetarum, quorum vitas, Provinciali lingua deſcriptas, Noſtradamus Francicas reddidit. Codicem Provinciali lingua manuſcriptum poſſedit ANT. DOMINICUS, ut ipſe in *Aſſertore Gallo* pag. 852. prodidit, ſubjungens: "Inde factum eſt, ut, cum „ hæc lingua, cujus ſtudium ad Philippi Auguſti „ tempora & ultra duravit, ruſtica Romana & vul„ garis Romana diceretur; quicquid patrio Franco„ rum ſermone ſcriberetur, Romanum etiam voca„ verint: unde vocabulum *enromanſer*. „ JO. NOSTRADAMUS LXXVI. Poetarum provincialium, qui Romana lingua ſcripſerunt, vitas compilavit, Tit. *Vies des plus celebres & anciens Poetes Provenſaux*, Lyon 1575. 8vo. In Codice Mſ. Card. BEMBI XCVI. Poetarum provincialium nomina legebantur. PASQUIER *loco cit.* CLAUDE FAUCHET *Recueil de l'Orig. de la Langue & Poeſie Françoiſe*, & ex eo VERDIER in *Bibliotheca* ante An. MCCC. Poetas Gallos CXXVII. enumerat. Occitanica linguæ dialectus eſt linguæ provincialis Romanæ. Hac ſeculo ſuperiore PETRUS GUDELINUS, elegantiſſimus Poeta Toloſanus, ſcripſit, qui cum aliis ſimilibus editus ſub rubro: *Las Obras de Pierre Goudelin*, Amſterdam 1700.

(*e*) Nomen hoc *Troubadours*, *Trombadours*, *Trompadour*, *Trouvere*, diverſimode ſcribitur. PASQUIER *Recherches de la France* Lib. VII. Cap. IV. In veteribus Mſſ. Provincialibus legitur paſſim: *Los Trobadors de Proença.*

(*f*) JO. NOSTRADAMUS Fridericum hunc Imp. inter Poetas Trovatores ordine ponit ſecundum, quod ille An. MCLXII. poſtquam Auguſtæ Taurinorum Raymundum, Barcinonis & Provinciæ Comitem, inveſtiviſſet, à Poetis, Raymundi comitibus, laudatus, & ipſe Epigramma in laudem aliquot Europæ gentium & Provincialis linguæ compoſuerat; quod ex Noſtradami Vitis illuſtrium Poetarum Provincialium num. 2. ſubjungo:

Piace mil Cavalier Franceſe
E la donna Catalana,
E l'ouchar del Genoveſe,
E la corta Caſtelana,
Il cantar Provenzaleſe;
E la danza Triviſiana,
E il corpo Arragoneſe,
E la Perla Giuliana,
Mano, & faccia dell' Ingleſe
E il Giovan di Toſcana.

(*g*) *Jeux Floraux.*

(*h*) Epiſtola invitatoria An. MCCCXXVII. verſibus Romana hac lingua Provinciali concepta, extat hodieque in Actis Mſſ. Ludorum. LA FAILLE *Annales de Toulouſe.* Clementiæ Iſauræ, Virgini Toloſanæ, hoc inſtitutum deberi, monumentum ejus teſtatur. FABRI *Agonisticon* Lib. III. Cap. XX. pag. 597 ſqq. Præmium victori primario decretum *Leucoion*, luteum, Romana vulgari lingua *la joya de la Violetta*. CASENEUVE *Origine des Jeux Floraux.*

(*i*) Ab his Romanicæ linguæ Poetis Troveris originem ſuam traxiſſe Poeſin Italicam, ipſi Itali, Gyraldus, Bembus, Cavalcantus, Equicola, Dulcis, (*Dolce*) Speronus, ingenue fatentur. Idem de Poeſi Hiſpanorum dicendum eſt. HUET *Origine des Romans* pag. 167. Imo & à Romana Provinciali Galliæ proſaica lingua, (*Provençale*) Romanam Italicam, (*Romanzo* quod & *Volgar Latino*) ſuos natales ducere fatetur JUSTUS FONTANINIUS *della Eloquenza Italiana* Lib. II. pag. 63. & 104.

(*k*) HUET ibidem pag. 160. ſqq.

(*l*) Languedociæ nomen inde ortum eſſe, facile judicamus, quum prius *Septimania* atque *Gothia* appellaretur. Latini juniores hinc linguam Occitanam, Populos Occitanos, & Provinciam Occitaniam, appellant. PETR. DE MARCA *in Marca Hiſp.* Lib. III. Cap. XIV. Languedociæ etymologiam tamen nonnulli à Teudiſco *Lande-Goth* derivare maluerunt, quos inter HONORE' BOUCHE, in excellenti ſuo opere, *Hiſtoire de Provence* Lib. II. Sect. III. pag. 558. ubi illam quoque ſententiam rejicit, quæ à Gallico *Langue de Goths* vocem derivat. Conjecturam tamen de *Langua Oc* præferunt CASENEUVE in *Diſſert.* Goudelini operibus præfixa; LONGUERUE *Deſcript. de la France* Lib. II. pag. 227. CL. DE VIC & JOSEPH VAISSETTE *Hiſt. de Languedoc* Tom. I. aliique plures.

NOTÆ.

§. XXV.

Joinvilla in *Vita S. Ludovici* militem quendam, patria Narbonenſem, *Equitem linguæ Tortæ* (*Chevalier de la Langue Torte*) appellat; cujus linguæ caput Toloſa, uti alterius Lutetia, fuit. Poſterior hæc tandem linguæ Francicæ nomen obtinuit, quum Francica vetus nativa mere Theotiſca fuiſſet. Otfridus, Teudiſcis verſibus ſeculo IX. Evangelia ſcribens, *Francice* ſe profeſſus eſt ſcribere. (*m*) Eadem nempe fata nomen Francicæ linguæ, quæ Francicæ terræ appellatio, ſubierat. Francia primitiva, inter Mœnum, Rhenum & Viſurgim ſita, cum Francorum victoriis nomen ſuum ſeptentrionali & occiduæ (*n*) primo, dein univerſæ communicaverat Galliæ; poſtquam Burgundia & Aquitania, cum reliqua Narbonenſi, Francicum ſubiiſſent imperium. Vetus autem Francorum patria, quam Thendoſiana quoque Tabula ad dextram inferioris Rheni ripam ponit, imo & omnis Germania, quæ ſub Carolidis Francia Orientalis dicebatur, ſuum *Franciæ* nomen paulatim amiſerunt. Sic ex Latino idiomate, ſub Merovingis corrupto, Romana denique illa lingua propullulavit, quæ per maximam Galliæ partem in Latinæ locum ſucceſſit, quamque in Ludovici Carolique Regum formula fœderis vidimus. Hæc in meridionalibus Galliæ oris manſit intacta; in interioribus adeo immutata fuit, temporis progreſſu, ut ſeculo XIII. denique in idioma peculiare diſtinctumve abierit, quod *Francicum* dicebatur, & opponebatur *Romanico*; inter quæ duo idiomata jam tum major diverſitas, quam inter Romanicum & Latinum interceſſerat vetus. (*o*) Hoc ipſum tamen Francicum idioma novum ad ſeculum uſque XVII. rude quid & barbarum habuit, quod hodie *Gaulois* appellamus; donec depoſito omni habitu ruſtico, ſub poſtremis Ludovicis, facie appareret pulcherrima, omnium Europæ Procerum fere lingua communis. (*p*) Francica lingua.

Fœdus, Argentoratenſi analogum, apud Confluentes An. DCCCLX. inter eosdem Reges fratres & Lotharii Imp. defuncti filios initum eſt, ſed formula nonniſi in Latinum idioma translata ſupereſt, quam Baluzius (*q*) exhibet. Ex adnuntiationibus Regum in illo fœdere apparet, eos Theotiſca quoque & Romana lingua locutos.

(*m*) In Prologo ad Liutbertum, Moguntiacenſem Archiep. ubi ait: "Scripſi eorum precum ſuffultus „ juvamine Evangeliorum partem, Franciſce compoſitam. „ Ita Codex Vindob. at in Codice Vaticano legitur *Francarae*. Lingua tamen hæc Francica, ſive rectius, Franco-Gallica, ſeculo XI. nomine Romanæ, imo & *Ruſticæ*, *Gallicæ*que à quibusdam appellata eſt. Primum nomen adhuc habet Dudo, *de geſtis Normanniæ Ducum*, inter *Scriptores Normannicos* Lib. III. pag. 112. ſecundum Helgaldus, Monachus Floriacenſis, *in Vita Roberti Gall. Regis*: tertium *Chronica S. Michaelis*. Vid. *Analect.* Tom. II. Linguæ hujus ſpecimina ex ſeculo X. videre qui cupit, adeat Cl. Viri Lebeuf Differt. *ſur l'Hiſtoire de Paris*, Tom. II. pag. 127. Ex ſec. XI. ſuperſunt Guilielmi Bastardi *Leges*, ſermone hoc ſcriptæ, apud Seldenum *in notis ad Eadmerium* pag. 173.

(*n*) Hæc Francia occidentalis, nunc Francia *Romana*, nunc *Latina*, nunc ſimpliciter *Romania*, dicebatur.

(*o*) Inter varias has Gallici ſermonis mutationes retentæ ſunt tamen vocum radices Latinæ; declinatio autem & conſtructio Germanicam induit; præterita more Germanorum formata; atque adeo Theotiſca conſtruendi ratio pedetentim Gallicæ ſeſe linguæ immiſcuit, quam in illa Carolingici ævi Romana non reperimus. Gallus paulo poſt, ut Germanus, animi ſui ſenſa per *ſum* & *habeo*, & per articulos, ſubſtantivis additos, cœpit effari. Itaque Latinum illud, *tu hoc feciſti*, ita reddidit: *tu l'as fait*, tu habes hoc factum, imitatus Theotiſcum, *du haſt es gethan*. Sic denique evenit, ut Franco-Gallicus ſermo, veluti tertius ſermo, nec à Latinis, nec a Germanis intelligeretur. Vid. Goropius Becanus in *Atuaticis*; Schottelius *von der Teutſchen Hauptſprach* pag. 127. Quod de Franco-Gallica lingua differui, id de Italia & Hiſpanis quoque intelligendom. Nulla tamen ex his tribus ad genitricem Latinam propius accedit Hiſpana, Romani ſermonis faſtu & ſono; Gothi Maurique peregrina licet multa eidem illeverint. Julius Cæsar Scaliger apud Pontanum *Origg. Francicar.* Lib. VI. pag. 600. ſqq. Primum Articuli, nomini Gallo-Francico præfixi, exemplum in Litaniis Carolinis apud Mabillonium *Analector.* pag 171. reperio. Enimvero ſingulis fere ſeculis in Francica lingua mutationem aliquam Critici obſervant. Conſulantur Auctores Diſſertationis, quæ prævia eſt Tomo VII. *Hiſtoriæ Literariæ Franc.* lingua Gallica ſcriptæ pag 31. ſqq. Subjungenda Diſſertatio elegans Dn. L'Evesque de la Ravaliere, Academiæ Inſcript. ſocii, cui tit. *Revolutions de la Langue Françoiſe.* Legitur in fine *Poematum* Regis Navarræ, Gallice editorum, Tom. II.

(*p*) De præſtantia Franco-Gallicæ linguæ multi diſſeruerunt, quos omnes recenſet Goujetus *Bibliotheque Françoiſe* Tom. I. Cap. I. Primus in hoc argumento diligens fuit Henr. Stephanus, in peculiari Diatriba. Omnium vero optimus Charpentier *de l'Excellence de la Langue Françoiſe.* Add. Laboureur *Avantages de la Langue Françoiſe ſur la Langue Latine.*

(*q*) *Capitular.* Tom. II. pag. 138. ubi *Sacramentum Firmitatis Hludowici Regis* hoc legitur: "A „ modo & quamdiu vixero, illum fratrem meum „ Carolum & nepotes meos Hludovicum, Hlotharium atque Karolum .... ad noſtram communem ſalutem & honorem, & ad populi Chriſtiani „ nobis commiſſi ſalvamentum & pacem ..... „ quantum mihi Deus ſcire & poſſe donaverit, & „ ſincero auxilio adjutor ero ad regnum illorum „ continendum, & nec in vita, nec in membris, „ neque in regno illorum, eos forconſiliabo.

NOTES.

§. XXVI.

Theotiſca lingua.

Ceterum Theotiſca, non minus ac Franco-Gallica, lingua ſuas incrementorum periodos habuit. Prima ad Carolum M. uſque, patrii ſui ſermonis emendatorem, (*r*) progreditur. Ad hanc Carmina illa Theotiſca referuntur, quæ unum annalium genus apud Germanos extitiſſe, Tacitus (*s*) auctor eſt. Hunc utut de Suecica modo lingua intelligendum arbitretur Rudbeckius; (*t*) eo ipſo tamen linguæ Theotiſcæ cauſam agit, quod hæc Gothicæ ſoror eſt. (*u*) Ex primis illis carminibus, Tacito memoratis, nulla noſtram attigerunt ætatem. Volumen eorum, quod Carolus M. ipſe collegerat, (*x*) temporis injuria abſtulit. Frequentem in illis obſcœnitatem Otfridus conqueritur. (*y*) Hunibaldum quendam, Clodovei I. temporibus, ex priſcis Germanorum Carminibus Hiſtoriam Francicam concinnaſſe, Trithemius, Beroaldus, Lazius, aliique nobis perſuadere conantur; ſed ex illis carminibus nullum à Trithemio (*z*) prolatum in lucem. Gratam Literaturæ Teutonicæ operam facturus fuiſſet Olaus Rudbeckius, ſi præſtitiſſet, quod præſtare ſe poſſe, profeſſus eſt; " Germanis, „ inquiens, Carmina, Tacito memorata, prorſus deſunt, quorum aliquot centurias ex „ monumentis noſtris, ſi ita uſus exiget, eruemus; talium vero carminum, qualia in „ lucem protulerunt Ottofredus & Taubmannus, daturi erimus myriadas. „ Vetus hæc Teutonica lingua aliquando *Barbara* ſimpliciter dicta eſt, uti Franci, Burgundiones, Gothi &c. qui ea utebantur, *Barbari* quoque generatim appellati ſunt. Ea vix ante ſeculum VIII. literis expreſſa reperitur.

§. XXVII.

Quando literis conſignata.

Ex omni illa Antiquitate Theotiſca primus nobis notus eſt Kero, Cœnobita S. Galli, qui circa An. DCCXX. S. Othmari tempore floruit. (*a*) Interlinearem hic Regulæ S. Benedicti verſionem Teudiſcam conſcripſit; (*b*) vetuſtiſſimum Germanicæ linguæ Monumentum; cui Commentariolus ejusdem Theotiſcus in Orationem Dominicam jungendus, quem profert Eccardus. (*c*) Nec ab hac ætate abludit fragmentum illud Romanticæ fabulæ, lingua Saxonica ſcriptæ, quod idem Eccardus alibi (*d*) in lucem emiſit.

Keronem Carolus M. Imperator excepit; patriæ ſuæ linguæ, hoc eſt, Theotiſcæ, ſi quis unquam, ſtudioſus. Hic plura quidem proſa & ligata oratione ſcripſit Latine, quæ etiamnum ſuperſunt; ex Theotiſcis vero ejus præter menſium ventorumque nomina, ab Eoinharto (*e*) prodita, nihil ad noſtram pervenit ætatem. Nec Carolinæ expeditionis Hiſpanicæ Scriptor Strickerus (*f*) coævus eſt Carolo, ſed ad ſec. XI. referendus. Ludovici Pii juſſu & tempore tota Scriptura Sacra in linguam Theotiſcam converſa eſt, quæ verſio quoque tulit naufragium. In Teutonicorum ergo Monumentorum

(*r*) Morhofius in Libro *de Lingua German.* fata ejus in tres periodos: Carolus Ortlob in Diſſert. *de variis Germanicæ poëſeos ætatibus*, linguæ hujus progreſſus in quinque periodos dividit.

(*s*) *Germau.* Cap. I. Adeoque poëſis apud Germanos prior ipſa Hiſtoria eſt; quod & apud alias gentes verum eſſe Torquatus Tassus de *Poemate Heroico* & Augustinus Mascardi *dell' Arte Hiſtorica Tratt.* V. Cap. IV. obſervant. Castelvetro in *Not.* ad *Ariſtotelis Poeticam* huic contrariatur ſententiæ. Apud Græcos certe & Romanos Poetæ Hiſtoricis anteriores fuerunt. Garcilasso de la Vega de *Peruuianis* ſuis, Mart. Martinius de *Sinenſibus* idem, quod Tacitus de Germanis, affirmant.

(*t*) *Atlantica* Lib. IV. Cap. XXIV.

(*u*) Diedericus von Stade in *Specimine Lectionum antiquar. Francicar. ex Otfrido* in *Præfat.* Francicam linguam Otfridi linguarum ſeptentrionalium ſororem germanam appellat.

(*x*) Eginhartus in *Vita Caroli* Cap. XXIX. " Barbara & antiquiſſima carmina quibus veterum „ Regum actus & bella canebantur, ſcripſit, memo„ riæque mandavit.

(*y*) *Præfat.* ad *Liutbertum*, Archiepiſc. Moguntinum.

(*z*) De *Orig. Francor.* ubi ait: " Ex carmini„ bus & ſcriptis Flaminum ſuæ gentis continuavit „ Waſthali hiſtoriam „ Hunibaldus, fabuloſus & barbarus auctor, XVIII. libros Hiſtoriarum ſcripſit, quorum VI. de rebus Trojanis; ſex alii ad Pharamundum uſque Regem; ſex ultimi ad tempora uſque Clodovei. Duodecim poſtremos Trithemius in Compendium redegit. Ferrei oris, plumbei cordis, ſcriptorem appellat Vossius de *Hiſtor. Lat.* Lib. II. Cap. XXII. Fictum auctoris nomen, ficta Hiſtoria. Mediæ ætatis impoſtor anonymus hoc ſibi nomen affinxit.

(*a*) Bernhardi Franckii, Monachi & Bibliothecarii Sangallenſis, *præfatio ad Keronem.*

(*b*) Extat in Schilteriano *Theſauro Antiquit. Teuton.* Tom. I. in fine. Keronis voces Teudiſcas, in verſione hac adhibitas, Alphabetico ordine digeſtas dedit Goldastus *Rer. Alemann.* Tom. II. pag. 69.

(*c*) Cum Catecheſi Theotiſca Monachi Weſſoburgenſis anonymi pag. 81.

(*d*) *Commentar. Rer. Franc.* Tom. I. pag. 864.

(*e*) *Vita Caroli M.* Cap. XXIX.

(*f*) Strickeri *Carolus*, ſeu Rhythmus Germanicus *de expeditione* ejus *Hiſpanica*, Tom. II. *Theſauri* Schilteriani legitur. Goldastus *in notis ad Pareneticos*, quos An. MDCIV. edidit, ante D. annos Strickerum ſcripſiſſe putat.

Digitized by Google

NOTÆ.

torum ſuperſtitum ordine fœderis noſtri Ludoviciani formula Teudiſca Keroni ſuccedit. Paulo poſt eidem Ludovico Germanico Teutonici idiomatis innge majus opus dedicavit Monachus Alſato-Weiſenburgenſis Otfriδus, qui Evangelia quatuor libris quinque in Teutonicos verſus redegit; at in ſua Præfatione ad Liutbertum, Præſulem Moguntiacenſem, de duritie idiomatis, quo ſcripſit, conqueritur: " Theotiſcæ linguæ barbaries, inquit, ut eſt inculta & indiſciplinabilis, atque inſueta capi regulari freno Grammaticæ artis, ſic etiam in multis dictis ſcriptu eſt propter literarum aut congeriem, aut incognitam ſonoritatem, difficilis. " De veteri hoc Scriptore Alſatico duo ætatis noſtræ Alſati præclare meriti ſunt. (g) Otfrido ſuppar ætate eſt *Catecheſis Theotiſca*, ab ejusdem Monaſterii Weiſenburgenſis Cœnobita Anooymo compoſita, (h) qui opuſculum hoc ſcripſiſſe videtur, ut Moguntiacenſis Concilii II. ſatisfieret Decreto, quo ordinatum, ut catechiſatio populari lingua inſtitueretur. Ludovici Germanici filium, Ludovicum Juniorem, carmen illud Teutonicum reſpicit, quod Germani ei acclamarunt, quum An. DCCCLXXXIII. memorabilem à Normannis reportaſſet victoriam. (i) Carminis hujus Auctor ignoratur & patria.

§. XXVIII.

Seculo X. Notkerus Labeo, (k) Monachus Sangallenſis, *Paraphraſin* Theotiſcam *Pſalterii* conſcripſit, quam Petrus Lambecius (l) Otfrido qnoque noſtro adſcribit, Mabillonium, Hertium, & aliqua ex parte Schilterum, (m) alioſque aſſeclas nactus. Verumtamen ipſa Pſalterii hujus cum Evangeliis Otfridianis collatio obloquitur; ex qua facile intelligimus, idiomatis multo minus aſperi eſſe Pſalterium, nec ævi noſtri vernaculo tantum obluctari, quantum Otfridiana obluctatur locutio: quæ Francicum illud idioma, vetus ac durum, à noſtris auribus alienom, ſonat ubique. (n) Franckianæ ergo noo poſſum non ſubſcribere ſententiæ, quæ Alſato Scriptori hanc Paraphraſin denegat, eamque ad tempora Ottoniana reponit. Scriptores ſeculi X.

Seculo XI. Willeramus, ex Monacho Fuldenſi Eberſpergenſis Abbas, (o) qui An. MLXXXV. obiit, *Paraphraſin in Canticum Canticorum* conſcripſit; quam P. Merula primus edidit: Franciscus Junius Commentario inſtruxit. (p) Seculi XI.

§. XXIX.

Seculo XII. Winsbeckius & Winsbeckia, ex Nobilibus orti. (q) Tum vero Heroica illa Poëſis apud Proceres Germanorum (r) invaluit, qui Gallorum inſtar, Romanica lingua poetiſantium, Theotiſca certatim poemata, in certaminibus muſicis decantata, compoſuerunt. Ex Teutonicis his XII. & XIII. ſeculorum Poetis CXLII. continet præſtantiſſimus ille membranaceus Codex, à Maneſſiis, quæ Tigurina familia fuit, ſec. XIII. & XIV. collectus, curaque eorum exaratus, qui Tiguro in Hohenſaxiam gentem, ex hac An. MDCVII. in Bibliothecam Heidelbergenſem, cura Marq. Seculi XII.

 Freheri,

(g) Schilterus, origine Saxo, apud Argentoratenſes Profeſſor; qui doctrinæ ſuæ in Teutonica Antiquitate heredi, D. Jo. Georgio Schertzio, ejuſdem Academiæ noſtræ nunc Antecesſori Juris celeberrimo, opus perficiendum reliquit; quod hic in *Theſauro Teutonico*, An. MDCCXXVIII. edito, magna cum ſolertia acumineque ingenii præſtitit: Schilteriano quoque Gloſſario novum additurus de ſuo.

(h) Catechetica hæc Fragmenta Theotiſca ab Eccardo & in *Schilteriano Theſauro* edita ſunt.

(i) Schilterus illud à Mabillonio accepit, ediditque ſub rubro *Ἐπινίκιον, rhythmo Teutonico Ludovico Regi acclamatum* &c.

(k) Reperitur in *Theſauro Teutonico* Schilteri Tom. I. Notkeri quatuor minimum in Alemannicis Goldaſti Rebus occurrunt. Noſter nec Balbulus, nec Abbas, ſed Labeo, ſive tertius eſt.

(l) *Comment. Biblioth. Vindobon.* Lib. II. Cap. V. & VIII.

(m) In *Præfatione ad Notkerum*, ubi Otfrido primas in condenda verſione Pſalterii partes ita tribuit, ut ſecundas tenuerit Notkerus.

(n) Franckius in *Diſſert. Hiſtorico-Critica de Auctore Theotiſca Paraphraſis Pſalterii*, quæ in Theſauro Schilteri legitur. Adde Jo. Frickii *præfationem* ad eundem Scriptorem.

(o) Trithemius in *Catalogo Viror. Illuſtr. Germ.* & in Libro de *Scriptor. Eccleſiaſt.* pro Eberſpergenſi ſcripſit *Merſburgenſis*; atque ita Morhofium Lib. alleg. Cap. VII. pag. 391. alioſque in errorem induxit.

(p) Extat in *Schilteriani Theſauri* Tomo I.

(q) Poemata eorum extant in Libro Goldasti: *Paranetici veteres* &c. Excerpta ſunt ex Codice Mſ. nunc regio, Teutonicorum Poetarum, de quibus infra. Allegat quoque plures ex illis idem Goldastus in *Replicatione pro Imperio contra Gretſerum*.

(r) In Codice illo Regio Carmina Henrici Imp. Chuonradi Regis Rom. Wenceslai Bohemiæ Regis, Henrici Ducis Vratislavienſis, Ottonis Marchionis Brandeburgenſis, Henrici Marchionis Misniæ, Johannis Ducis Brabantiæ, aliarumque perſonarum illuſtrium continentur.

MORES.

Freheri, (r) indeque in Regiam Lutetienſem translatus eſt. (s) In Codice hoc, quem diligenter evolvi, inter Alſatas Nobiles & vicinos occurrit *Heſſe von Rinach*, *Rügger Walsmut von Mulhuſen*, *Goeli von Ehenhein*. Ex civium ordine vero *Meiſter Walter von Priſach*, *Meiſter Gottfrit von Strasburg*, *Chunz von Rosheim*.

Phonaſci.

Poeſin hanc Proceres deſeruerunt paulatim; unde à Principibus devoluta ad vulgus illud Poetaſtrorum, qui *Rhapſodi* & *Phonaſci*, Germ. *Meiſter-Sænger*, dicuntur, quorum chorus adhuc Argentorati ſuperſtes, quorumque originem ad magni illius interregni tempora ponit Morhofius; (u) poſtquam nempe immanis ille diffidationum abuſus, inter Nobiles invaleſcens, eos à Poeſi devocaſſet ad arma. Suas ergo origines ab Ottonis M. temporibus repetere fruſtra conantur Phonaſci; id quod & noſtri Argentoratenſes (x) faciunt; Acta licet eorum ſeculi XVI. ætatem non ſuperent. Nec transeunda heic loci ſilentio eſt nova illa, medio quoque ævo exorta, Poeſeos ſpecies, quam Teutonicorum & Latinorum verſuum mixtura. quædam compoſuit. Rhythmus talis Latino-Germanicus An. MCCLIX. in Monaſterio quodam prope Argentoratum (Carthuſiam haud dubie intelligit) repertus eſt, quem Caspar Barthius (y) in lucem emiſit.

§. XXX.

Nomina propria.

Alemannos, incolis veteribus Alſatiæ partim exciſis, partim in Germaniam miſſis, novas in oram noſtram introduxiſſe colonias, præter rationes, quas protuli, idiomatis quoque Alemannici, apud nos introducti, documenta demonſtrant. Evidentius rei teſtimonium vix eſſe poteſt, quam nomina propria virorum & mulierum; quæ in Chartis pagenſibus & Traditionum Alſaticis ſat magno numero occurrunt. Nomina hæc inſignem cum illis ſimilitudinem habent, quæ ex Alemanniæ Chartis excerpſit Goldastus, (z) certumque Theotiſcæ linguæ, omni hac Periodo Francica, apud Alſatas uſum teſtantur.

Nominum iſtorum, & quidem virilium primo, dein fœmininorum, ſpecimen, alphabetico ordine ſubjungimus. *Adalbard. Adalbard. Adalman. Adalrich. Adolf. Amalbert. Angilman. Anbert. Balafrid. Baldwin. Blidulf. Cachibard. Chonbert. Cramar. Eberhard. Egilolf. Emhard. Faganulf. Folcwin. Fulrad. Gamalbert. Ganebald. Ganzfrid. Gerbart. Gerwond. Gerwin. Giſalrich. Grosbert. Guntfred. Gunthelm. Hadwon. Hagibert. Haribold. Hartmann. Herich. Hildefred. Hildwin. Hucbert. Hurolf. Iſanbart. Landolf. Ludrm. Luitgher. Luntbert. Magobard. Megnifrid. Megnold. Northert. Nordold. Odilbard. Otfrid. Otwin. Perghum. Ragobold. Ratberth. Reginger. Riculf. Rodbert. Rudmund. Richard. Sichibard. Siglufrid. Sighmund. Sigolf. Tegenbart. Theganmond. Theodard. Theudofrid. Teutbert. Udalbar. Walbert. Waldmann. Werdolf. Wideger. Willifrid. Wolfcant. Wolfgund. Wolfleig. Wolfmar. Wolfrand. Wolfwin. Wolfchard. Wunefrid.*

Nomina mulierum variæ conditionis hæc ſunt: *Adala. Adalind. Altrad. Amalhild. Baldrvvind. Berahtlind. Berahtrat. Crembild. Eberbild. Ercalind. Ermingard. Haitrat. Hemiltrud. Herchenild. Herirat. Heriwvind. Herarad. Hildrad. Holdoſind. Hyrmenſind. Imma. Maglind. Otbharda. Puoba. Ratlind. Ratswind. Starchild. Svvanahilt. Theotbirghit. Theotlind. Waglind. Waldrad. Wolfberd. Wolflind.*

ÆDIFICIA.

(r) Vid. *Epiſtola Claror. Viror. ad Melch. Goldaſtum* ex Bibliotheca Thulemarii, An. MDCLXXXVIII.

(s) Uti Goldastus ex Codice hoc Poetas illos veteres, quos *Paræneticos* vocat, in lucem emiſit, ita nuper ex eodem Celeberrimi Academiæ Turicenſium Profeſſores Jo. Jacobus Bodmerus & Jo. Jacobus Breitingerus, Viri de Republica Literaria meritiſſimi, ſelecta ediderunt ſpecimina, ſub rubro: *Proben der alten Schwabiſchen Poeſie des XIII. Jahrhunderts*. 1748. 8vo ubi in Præloquio Codicis hujus fata egregie illuſtrant. Schobingerus & Goldaſtus eum per aliquod tempus quum manibus tractaſſent, partem ejus deſcripſerunt, quæ cum cætera Goldaſtina libraria ſupellectile in Bibliothecam Bremenſem translata, ſed nonniſi LIX. Poetas continet, teſte quoque Eccardo in *Hiſt. Studii Etymolog. linguæ Germ.* pag. 167.

(u) Lib. alleg. Cap. VII. pag. 306.

(x) Præter Argentoratum Phonaſcorum reliquiæ adhuc Norbergæ atque Auguſtæ Vindelicorum reſtant. Uberius hac de re Wagenseil in *Diſſert. de Phonaſcis Germaniæ* Cap. IV. pag. 503. Harsdorffer in *Præfat.* ad *Specimen Philologiæ Teutonicæ*; Dresigius de *Rhapſodis*.

(y) *Adverſarior.* Lib. XXXIV. Cap. XVII. Carminis initium hoc eſt:

" Gens ſine capite, *mag keinen Rath geſchaffen*,
" Imperium vacat capite, *ſo hant kein hopt die Pfaffen.*
" Propter quod ſcisma vertitur, *in der Chriſtenheit.*
" Chrisma per hoc deſtruitur, *jedermann lugt an wem ehr bret.*

(z) *Rer. Alamannicar.* Tom. II. pag. 92. ſqq.

ÆDIFICIA.

§. XXXI.

Ædificia.

SUpereſt ut de Architectonica & de Numiſmatica re hujus ætatis obſervemus nonnulla. Ædificia, uti omnia reliqua Francicæ noſtræ Periodi Monumenta, ubique ſunt rariora Romanis. Indubitatius Carolingicæ ætatis ædificium ſupereſt nullum, quam Aquiſgranenſis Baſilica. Apud Alſatas vetus Traditio, Baſilicæ Argentoratenſis Odeum à Pipino inchoatum, à Carolo M. finitum, atque in magno illo incendio An. MVII. quo Baſilica hæc & Thomana Eccleſia, fulmine tactæ, (*a*) perierunt, ſervatum fuiſſe. Vetuſtiorem DAN. SPECKLINO, (*b*) atque poſt eum, OSEA SCHADÆO (*c*) teſtem producere non licet. Hic ipſe tamen in Chronologiam impingit, quando à Pipino, cum omni familia ſua Argentorati degente, An. DCCLXIX. Baſilicam condi cœptam, affirmat, quum An. DCCLXVIII. Lutetiæ jam Pipinus deceſſerit. Thomanum quoque Argentoratenſe Odeum ab Adelocho Epiſcopo, Ludovici Pii tempore conditum, ex incendio illo ſervatum fuiſſe, idem annotavit SPECKLINUS. (*d*) San-Stephaniani apud Argentoratenſes, ſub Merovingis noſtris, ut & Lebrahenſis, à Fulrado Carolina ætate conditorum Monaſteriorum Eccleſias venerandæ antiquitatis ædificia eſſe, diffitebitur nemo; ad Periodum tamen noſtram ea nollem referre. Quodſi ergo nummos, quos jam producturus ſum, ut & Merovingicas & Carolingicas Chartas authenticas, illo ævo ſcriptas, exceperis, de reliquis Monumentis, eidem Periodo adſcribendis, pronuntiandum eſt caute. Adelochianum ſarcophagum, quem Thomana noſtra aſſervat Eccleſia, poſterioris ævi opus eſſe, characteres ejus ſive literæ clamant. Sed & ipſa ejus dimenſio, quæ nonniſi quinque pedum eſt, clamat. Reliquiæ ejus ex ſarcophago majore, in quo depoſitus fuerat, ſucceſſu temporis in minorem translatæ ſunt.

MONETA.

§. XXXII.

Nummi Francorum Regum.

NUmmos denique quod attinet, nullam Franciæ Regum, ante Pipinum, (*e*) de re Monetaria conſtitutionem ſupereſſe comperior. Carolus M. An. DCCCV. & DCCCVIII. conſtituit, "ut in nullo loco moneta percutiatur, niſi ad curtem, & illi denarii Pala- „ tini mercentur & per omnia diſcurrant. „ (*f*) Hoc jus Epiſcopis & Abbatibus prius, quam Ducibus & Comitibus, impertiti ſunt Reges. Dagobertinum autem Weiſenburgenſis Monaſterii Diploma interpolatum ſi audias, quod TRITHEMIUS, (*g*) & ex eo *Cangiani Gloſſarii* Editores nuperi, (*h*) admiſerunt, jus cudendæ monetæ Aſceterio huic jam conceſſit An. XXIII. regni ſui Dagobertus. Rariſſimum in Auſtrio-Merovingorum Hiſtoria hoc extaret exemplum, ſi firmiore fundamento niteretur. S. Medardi apud Sueſſiones Monaſterium à Ludovico Pio, adeoque longe ſerius, *Monetagium* obtinuit. (*i*) Rataldo, Strazburgenſi Antiſtiti, Ludovicus Germanicus An. DCCCLXXIII. jus monetæ ſcripto conceſſit; cujus authenticum in Tabulario Epiſcopali adhuc ſervatur: (*l*) " Conceſſimus quoque venerabili Epiſcopo Ratoldo, vel ſucceſſoribus ejus, Recto- „ „ ribus

(*a*) Incendium hoc à fulmine ortum tradit KOENIGSHOVIUS Cap. V. pag. 274. eumque ſecutus DAN. SPECKLINUS in *Collectan.* MSſ. Chronicon autem MS. quo uſus eſt CRUSIUS *Annal. Suevicor.* Part. II. Lib. VI. Cap. I. exponit, An. MII. quo Hermannus, Sueviæ & Alſatiæ Dux, in urbem Argentinam, quæ Henrico II. Regi Germaniæ, adhæſerat, Henrici hoſtis irrupit, Cathedralem noſtram Eccleſiam igne jam fuiſſe conſumptam. ADELBOLDUS in *Vita S. Henrici* violationem Eccleſiæ memorat, ſed incendium ſilet.

(*b*) *Collectanea* SPECKLINI fol. 19. SCHILTER. *Obſervat. ad Kœnigshov.* pag. 557.

(*c*) *Summi Argentorat. Templi Deſcriptio*, Cap. II. pag. 9.

(*d*) Apud SCHILTER. loco alleg.

(*e*) Pipinus An. DCCLV. in Conventu Vernogilenſi (*Verneuil*) ita: *de Moneta conſtituimus &c.*

(*f*) *Capitular. Reg. Franc.* BALUZ. Tom. I. pag. 433. & pag. 464. *Curtis* heic curtem Regiam ſive Palatium denotat.

(*g*) *Annal. Hirſaug.* pag. 52. Ibidem Nemetenſis monetæ mentio eſt.

(*h*) In voce *Moneta*, pag. 1007.

(*i*) CLAUDE DORMAY *Hiſt. de Soiſſons*, Tom. II. Lib. V. Cap. II. Literæ Joannis Papæ An. DLXII. quibus Monaſterium S. Medardi omnium Galliæ Monaſteriorum caput conſtituitur, falſæ ſunt. Profert eas MELCHIOR REGNAULT in Libro: *Abregé de l'Hiſt. de l'ancienne ville de Soiſſons*, inter Probat. fol. 1. JOAN. LAUNOIUS in *Aſſertione inquiſitionis in Privil. Sanmedardenſe*, Cap. LXXVII. pag. 170.

(*l*) Editum eſt in Collectione Kulpiſio-Schilteriana *Scriptorum Germaniæ*, pag. 111.

MORES.

„ ribus ſcilicet jam dictæ Eccleſiæ, ut in quacunque placuerit villa Epiſcopii ſui „ monetam ſtatuat. „ Iſaacus, Lingonenſis Antiſtes, An. DCCCLXXIV. à Carolo Calvo ſimile privilegium obtinuit; (*m*) ante hos Galliæ Antiſtitum pauci.

§. XXXIII.

Alſatici nummi.

Nummum, in Alſatica officina ſub Merovingis percuſſum, fruſtra quæſivi. In Carolingicis fato feliciore uſus, Caroli Magni, Ludovici Pii, atque Lotharii denarios quinariosque argenteos, in Alſatia repertos, *Argentorati*, *Strateburgi* (utrumque enim nomen referunt) cuſos, numariæ meæ ſupellectili addidi, quorum nonnullos quoque viderat Blancius. (*n*) Junctim eos ſecunda Monumentorum Franciæ Tabula exprimit. In his Argentinæ & Strateburgi mentio, at nulla Alſaticæ cujusdam villæ fiſcalis; uti in quibusdam denariis legimus: *Attiniaco Palatio*, *Raugio Palatio*, *Compendio Palatio*, *Leptinas Fiſco* &c. (*o*) In Alſatico Marilegienſi, ubi Reges ſæpe commorati ſunt, nummos fuiſſe percuſſos, dubitare vix poſſum. Ceterum omnes Francici ætatis illius nummi, cujuscunque metalli (*p*) & moduli, non poſſunt non eſſe rari, quod Franci nummos non cuderent frequentes; ſummæ majores auro argentoque non ſignato ſolvebantur. Hinc factum, ut mulctæ in legibus per libras marcasque dictarentur. (*q*) Ita Lotharius Imp. in Charta Argentino-Stephaniana anni DCCCXLV. " Si quis „ contra hanc noſtram auctoritatem venire temptaverit, prædicto loco triginta libras „ argenti examinati exolvere, & fiſco regio totidem auri puriſſimi cogatur. „ In Charta Gregoriano-Monaſterienſi, ſub Pipino Rege, Sighifridus quidam mulctæ loco dictat: *Auri uncias III. & de argento pondera V.* Romanos ergo nummos in Alſatia obvios eſſe, uti minime miror, ita ex altera quoque parte non fieri non potuit, ut Francici, Romanis licet longe poſteriores, rari comparerent. Idem de Anglo-Saxonicis apud Britannos, (*r*) de Oſtro-Gothicis & Langobardicis apud Italos, obſervamus. Sed & Danorum, (*s*) Suecorumque (*t*) nummi illius ætatis, in ipſa patria eorum, eandem ob cauſam, rariſſimi ſunt.

§. XXXIV.

Monum. Franc. Tab. II.

Ex nummis Argentinenſibus quinque, quos æri repræſento inciſos, ſecundus ex quinariorum claſſe eſt, ceteri omnes ſunt denarii argentei, argenti puri. Nulli effigies impreſſa eſt, quod Carolingi imaginis loco, nomen Regis, vel monogramma ejus, exprimere contenti; Merovingi autem imaginem expreſſerant. In primi noſtri numismatis antica legitur CARoLVS, in poſtica *Stratburc.* Secundus imaginis loco crucem habet, cum epigraphe KARoLVS R. IMP. REX, *Karolus Romanorum Imperator Rex.* In averſa parte ARGENTINA CIVIT. *Argentina Civitas.* Nummus hic Karolum Imperatorem appellans, poſt An. DCCC. cuſus, junior eſt altero, ubi ſimpliciter *Carolus.* Monetarios in Caroli M. nummis, circa primam nominis ejus literam, ſibi non conſtitiſſe, vel ex noſtris his conſtat, in quorum priore C, in poſteriore K, præfigitur. Chartas Carolinas, ante initum ab eo Imperium, elemento C, poſt Imperium quandoque K, uti, Mabillonius (*u*) obſervat. De initio & ſubſcriptione, non de monogrammate, hæc intelligenda ſunt, in quo adhibita eſt litera K. qua etiam ſucceſſores ejus cognomines plerumque ſunt uſi.

Tertius

(*m*) Datum Diploma *Pontiliaco Palatio Regis, XII. Kal. Sept. Indict. ſecunda, anno XXXIV. regnante Carolo Rege.* Perardus notas has chronicas ad An. Chr. DCCCLXIII. refert; ſed nec annus regni, nec Indictio cum illo conſpirant. Initium regni enim Caroli Calvi quum ab An. DCCCXL. ſit repetendum, annus XXXIV. ejus in DCCCLXXIV. incidit; Indictio vero, quæ corrupta, ſeptima tum fuit. Conſentit nobiscum Claudius Robertus *in Gallia Chriſt.* pag. 368. & Cel. Hermannus *de Re Diplomat. Imperator.* pag. 409. Argentinenſis ergo Eccleſiæ monetandi jus, Lingonicæ Eccleſiæ jure, anno uno antiquius eſt. Arelatenſi Eccleſiæ Ludovicus Boſonides, pro Imperatore ſe gerens, An. DCCCCXXI. in gratiam Manaſſis Archiepiſcopi, jus monetandi conceſſit. *Gallia Chriſt.* Tom. I. inter *Inſtrum.* pag. 95. Artaldo, Archiepiſcopo Rhemenſi, Ludovicus Ultramarinus idem privilegium impertitus eſt, teſte Frodoardo. Lugdunenſis Archiepiſcopus à Friderico I. Imp. jus iſtud obtinuit.

(*n*) *Monnoyes de France* pag. 108. edit. Amſtel.

(*o*) Blancius pag. 49. *Denarios Palatinos* vocat Carolus M. in Capitulari An. DCCCV. Theodonis Villæ. Palatina moneta, quæ in Palatiis Regum cuſa.

(*p*) Aurei nummi ſub Merovingis frequentiores, quam ſub Carolingis, quorum plerique argentei.

(*q*) Blancius Lib. alleg. pag. 40.

(*r*) Andr. Fountaine in *Numismatibus Anglo-Saxonicis* apud Hickesium in *Theſauro Linguar. Septentr.* Tom. II. pag. 161.

(*s*) Birckerod *Specimen Antiquæ rei Monet. Danor.* pag. 36. ſqq.

(*t*) Brennerus in *Theſauro Nummorum Sueo-Gothicor.*

(*u*) *Rei Diplom.* Lib. II. Cap. III. num. 12. pag. 75. & 390. Adde Jo. Hermannum, Altorfinæ Academiæ decus, in Commentariis eruditis *de Re Diplomatica Imperatorum ac Regum Germanorum* Cap. II. §. XLVII. pag. 27. Obſervatio hæc tamen ratione Carolini nominis non placet Eccardo, *Franciæ Orientalis* Tom. II. pag. 19.

Tertius quartusque Tabulæ noſtræ nummorum ſub Ludovico Pio ſunt cuſi. Prior habet HLVDoVVICVS IMP. poſterior HLVDoVVICVHIVS, pro *Hludouuichius*, fabrili errore. In unius averſa STRATBVRGVS, in alterius ARGENTINA CIVITAS. In poſteriore tres literæ IVI, in unam compoſitæ, monogramma conſtituunt; quæ ratio in Carolingicis numiſmatibus frequens. Prior, *Imperatoris* titulum præferens, paulo junior eſt altero; axiomate enim hoc ante annum DCCCXIV. non uſus eſt Ludovicus Pius, quo Carolus M. pater ejus obierat.

Quintus nummus Lotharii, Regis Lotharingiæ eſt, qui filius Imperatoris Lotharii; HLOTHARIVS REX, in averſa parte STRAZB. CIVITA, *Strazburgenſis Civitas.* Lotharius hic Junior, patre An. DCCCLV. abdicante, regnum, quod inter Moſam & Rhenum erat, medius fratrum, accepit; unde Lotharingici regni nomen exortum. Obiit An. DCCCLXIX. Intra hoc temporis intervallum ergo Argentorati cuſus eſt nummus, quæ Lotharingici regni urbs fuit, donec illud anno DCCCLXX. inter Ludovicum Germ. & Carolum Calvum divideretur; qua diviſione Argentoratus Germanici regni membrum evaſit. Ceterum Lotharii Regis denarii Lotharianis Imperatoriis ſunt multo rariores. Adelbertinum nummum, qui ordine ſextus eſt, Adelberto, Alſatiæ Duci, adſcribi poſſe, ſupra annotavi. Quodſi autem baculus geniculatus, inter duos clypeos poſitus, pedum eſt, nummus iſte Epiſcopalis cenſendus, atque adeo ex Merovingico detrudendus ævo.

In transcurſu obſervo, Merovingorum nummos Carolingicis eſſe paulo rudiores. Nummi, quos recenſui, bilaterales ſunt omnes, utrimque percuſſi. Cavos bracteatos Periodus noſtra Francica non vidit, at Germanica vidit. (x) Hi Caroli M. ætate apud Suecos (y) jam ſub Biornone, primo eorum Rege Chriſtiano, & apud Danos (z) ſub Rege Haraldo, ſub quo Chriſtianismus denique illis in oris firmatus eſt, innotuerunt. Dubitatior eorum ætas apud Germanos.

Hæc de Alſatiæ Francicæ inſtitutis & moribus. Eccleſiaſticum & Literarium hujus Periodi ſtatum exhibebit *Alſatia Sacra.* Annales autem Alſatiæ Francicæ cum Periodi Germanicæ Annalibus ſecundo Volumine daturus ſum junctim.

(x) Alex. Doederlinus *de Nummis Germaniæ Mediæ* §. XXVI. pag. 31. Slegelius *de Nummis antiquis Iſenacenſibus* pag. 175. Tentzelius *Hiſtor. Gothanæ* Supplem. II. pag. 33. Tilemannus Friesius in *Müntz-Spiegel* pag. 133.

(y) Brenneri *Theſaur. nummorum Sueo-Gothicor.* pag. 2.

(z) Birckenrod apud Sperlingium *de nummis non cuſis* pag. 130. Idem Birckenrod *Specimen antiquæ rei monetariæ Danorum* ipſe edidit Hafniæ 1701.

INDEX TABULARUM

QUÆ INCISÆ SUNT ÆRI.

Alſatia Antiqua usque ad ſec. V.		Pag. 123.
Tabulæ Theodoſianæ Fragmentum,		pag. 149.
Ichnographia veteris Auguſtæ Rauracorum,		pag. 161.
Rudera Mœnium & Theatri Raurici, ex ſec. XVI.		pag. 161.
Rudera hodierna Theatri Raurici & Ichnographia,		pag. 161.
Inſignia Magiſtratuum Alſatiæ Romanæ,		pag. 309.
Monumenta Romano-Alſatica,	Tab. I.	pag. 437.
Monumenta Dononis,	Tab. II.	pag. 437.
- - - - - - -	Tab. III.	pag. 437.
Mercurius, Pallas, Veſta,	Tab. IV.	pag. 437.
Ara Quadrilatera Helveti,	Tab. V.	pag. 437.
Apollo, Mars, Cybele, Venus,	Tab. VI.	pag. 461.
Jupiter, Juno,	Tab. VII.	pag. 472.
Hercules Argentoratenſes,	Tab. VIII.	pag. 483.
Mithra, Neptunus,	Tab. IX.	pag. 491.
Numina-Ægyptio Alſatica,	Tab. X.	pag. 494.
Templum Othmarshemianum,	Tab. XI.	pag. 505.
Sepulcra Romano-Argentoratenſia,	Tab. XII.	pag. 509.
Monumenta Dagisburgenſia,	Tab. XIII.	pag. 529.
Odiliani Montis Monumenta,	Tab. XIV.	pag. 533.
Laconica & Balnea,	Tab. XV.	pag. 539.
Columnæ Leugares,	Tab. XVI.	pag. 553.
Ducatus Alſatiæ Tabula Geographica,		pag. 619.
Monumenta Francica,	Tab. I.	pag. 797.
Monumenta Francica,.	Tab. II.	pag. 797.

Google

INDEX AUCTORUM.

Signum (*), numero paginæ hujus operis præmiſſum, Auctorem ibidem explicatum vel illuſtratum; ſignum (†) vero Auctoris emendationem vel confutationem, denotat.

A.

Academia Etruſca, (*Saggi di Diſſertazioni Academiche*) pag. 495.
Academie des Inſcriptions, (*Hiſtoire & Memoires*) 7. 53. 110. 460. 473. 478. 480. 486. 488. 498. 508. 511. 533. 545. 548. 550. † 563. ſq. 566. 575.
Academie des Sciences, (*Hiſtoire*) 30.
Acherius, vid. Dachery.
Acta Eruditorum Lipſienſia 514.
Acta Lindavienſia, vid. Vindiciæ.
Acta Monaſterii Murenſis, vid. Koppius.
Acta Sanctorum, vid. Bollandus.
Ado Viennenſis 750.
Agventius de divortin Lotharii Regis 781.
Æliani Hiſtoria animalium 476.
Agathemeri Geographia, apud *Hudſon.* 141. 144.
Agathias de Bello Goth. in corpore *Hiſt. Byzant.* 747. &c.
Agobardi Opera 522.
Agricola de Subterraneis 29.
Aimoinus, apud *Ducheſne* 19. &c. * 384.
Albericus Monachus, apud *Leibnizium* 678. &c. † 779.
Albrecht *vom Odilienberg* * 756.
Albertus Argentinenſis, apud *Urſtiſium* 18. &c.
Albertus Stadeoſis † 332.
Alchuini Opera 686.
Aldenbruck de Religione antiquorum Ubiorum 81. 491.
Aldrovandus de Piſcibus 449.
Aleandri Explicatio Tabulæ Heliacæ, apud *Grævium* 502.
Alemannus de Lateranenſibus parietinis 799.
Alexandri ab Alexandro Dies geniales 167.
Allioti Epiſtola Mſc. † 84. 453. ſq. † 455.
Almeloveen Faſti Conſulares 153.
Alstorphius de Lectis veterum 546.
Alteserræ Res Aquitanicæ 90. † 779.
Althamerus in Tacitum, apud *Schardium* 145.
Altinoii notitia Germaniæ inferioris 145. &c.
Altorfienſe Necrologium Mſ. * 702.
S. Ambrosii Opera * 190. 407. * 544. * 611.
Amerbachii Deſcriptio Theatri Raurici Mſc. 164. ſq.
Ammianus, vid. Marcellinus.
Anastasius Bibliothecarius 667. * 798.
Andreæ Presbyteri Chronicon breve, apud *Bouquetum* 745.
Angeloni Hiſtoria Auguſta 471.
Annales Bertiniani 33. † 36. 184. &c. * 645. * 781.
Annales Colmarienſes, vid. Colmar. Chronicon.
- - Fuldenſes, apud *Ducheſne* 33. &c. * 697.
- - Hildesheimenſes, vid. Hildesh. Chron.
- - Lambeciani, vid. Lambecius.
- - Metenſes 184. &c.
- - Nazariani, apud *Freherum* 630. &c.
- - Petaviani, apud *Ducheſne* 750. &c.
- - Tiliani, ibidem 750. ſq.
Annius Viterbienſis in Catonem &c. † 100.
Anthologia Græca, vid. Epigrammata.
Antiquarius des Rheinſtroms 8. † 234.
Antonini Itinerarium 20. &c. * 54. * 172. * 188. * 189. * 191. * 198. * 200. * 204. * 215. * 226. * 231. * 549. * 570. * 574. * 612.
d'Anville *Eclairciſſemens Geographiques ſur l'ancienne Gaule* 172. 574. ſq.
Apiani Inſcriptiones Romanæ 132. &c. † 490. † 516. † 571. † 573.
Apicius de Arte Coquinaria 449.
Apollinaris, vid. Sidonius.
Apollonius Dyſcolus 514.
Appianus 110. &c. † 118. * 274.
Apulejus 82. &c.
Argolus, vid. Panvinius.
Aringhi Roma ſubterranea 95. &c.
Aristides 288.
Aristotelis Opera * 112. 114.
Arnkiel *Cimbriſche Heyden Religion* 505.
Arnobius adverſus gentes 497.
Arnoldi Vita S. Godehardi, apud *Bollandum* 680.
Arrianus * 113. 114.
Art de verifier les dattes des faits Hiſtoriques † 741. ſq.
Astruc *Memoires pour l'Hiſtoire naturelle de Languedoc* 54. 505. * 812.
Athanasii Opera * 334. 336.
Athenæus 73. * 449. 465. &c.
S. Aubin, vid. le Gendre.
Audoeni Vita S. Eligii, apud *Dacherium* * 480. 487.
Aventini Annales Bojorum 82. † 83. † 101. 179. &c. † 483.
Auguſtenſe Chronicon 706.
Augustini Opera 93. &c.
Augustini (Anton) *Diſcorſi ſopra le medaglie* 100. &c.
- - de Legibus 254.
- - Emendationes & opiniones 577.
Ausonii Opera 104. &c. * 212. * 302. * 391. * 544.

B.

Bacchinus de Siſtris apud *Græviu*m 501.
Baccius de Thermis apud *Gronovium* 538.
Bacheri Diſſ. de Balneis Watwilerenſibus 14.
Baillet *Vies des Saints* 334.
Balderici Chronicon Cameracenſe * 613. ſq.
Balduinus de Calceo antiquo 65. &c.
- - notæ ad Eumenium 321.
Baleicourt, vid. Hugo.
Baltheri Vita Fridolini, apud *Bouquetum* 681.
Baluzii notæ ad Lupum Ferrarienſem 78.
Bandurii numiſmata Imperatorum 422. &c.
Banier, in *Academie des Inſcript.* † 478. † 480. ſq.
Baronii Annales Eccleſiaſtici 334. &c. † 340.
- - Martyrologium Rom. 333. † 340.
Bartolo (Santes) Columna Trajana 535.
- - *Pitture antiche* 507.
Barthii Adverſaria 433. &c. † 490. † 596.
- - notæ ad Rutilii Itinerarium 573.
Bartholini Auſtria * 569.
Baſilea Sacra, vid. Sudanus.
Basilii M. Opera 476.
Baudelot *utilité des voyages* 458.
Baudrandi Lexicon Geographicum † 61. † 104. † 187. 231. &c.
Bauhini Hiſtoria de Balneo Bollenſi 14.
Baxteri Gloſſarium Antiq. Britann. 53. &c.
Bayfius de re navali, veſtiaria &c. 316.
Bazin *ſur l'acier d'Alſace* 12.
Bebelii (Balth.) Antiquitates Germaniæ primæ 73. &c. † 75. † 138. † 147. † 222. † 258. † 331. † 335. * 508.
- - (Henr.) de Pagis, apud *Schardium* 623.
Becani (Goropii) Origines Antwerpianæ † 82. 436. &c.
Becheri Phyſica ſubterranea 31.
Beckii Introductio in Hiſtoriam Helvetiorum 265.
Bedæ Hiſtoria Eccleſiaſtica Anglorum 178. &c.
- - de numerorum diviſione 573.
Beeck Aquisgranum 465.
Begeri Theſaurus Brandenburgicus 497. † 514. 609.
Belhomme Hiſtoria Mediani Monaſterii 452. &c. * 725. † 755.
Belii Apparatus ad Hiſtoriam Hungariæ 806.
S. Benigni Chronicon, apud *Bouquetum* † 621. 742.
Benoit, vid. Picart.
Berain *Memoires Hiſtoriques ſur le regne des trois Dagoberts* 703.
Bergerus (Chriſt. Henr.) de Maſcheris 501.
Beroier *Hiſtoire des Grands chemins de l'Empire Romain* 7. 172. &c.
Berleri Chronicon Mſc. * 734.
Berneggeri Diſſertatio de Regno Hungariæ † 222. ſq.
- - Quæſtiones Miſcellaneæ † 791.
Bernhardi Antiquitates Wetteraviæ 651. ſq.
Berosi Antiquitates † 99.
Bertherii πῶϑαιῶν Diatribæ 303. &c.
Bertii Commentarii Rerum Germanicarum † 204. † 216. 696.
Bertiniani Annales, vid. Annales.
Besly *Hiſtoire des Comtes de Poitou* * 780.
Besoldi Documenta Monaſteriorum in Ducatu Wurtembergico 623.
- - Theſaurus practicus 32. † 791.
Beyellii Collectanea, apud *Barthium* 433. &c.
Besselii Prodromus Chronici Gottwicenſis 2. &c. † 633. ſq. † 636. † 638. † 640. † 642. * 644. † 658. † 661. ſq. † 671. † 674. ſqq. † 700. † 705. † 713.
Bianchini *Camera & Inſcrizioni ſepulcrali* 507.
Biblia ſacra 235. 290. 494. * 576.
Bionon (Hier.) ad Marculfi formulas 647.
Bimardi Diſſertationes, apud *Muratorium* 605.
Binghami Origines & antiquit. Eccleſiaſticæ 350.
Binii notæ ad Concilia † 335.
Bircherod ſpecimen antiquæ rei Monetariæ Danorum 818. &c.
Birrii Excurſus in Hiſtoriam Helveticam 421.
Blaeu Theatrum orbis Terrarum ſive Atlas 695.
le Blanc *Traité Hiſtorique des monnoyes de France* 208. 210. &c. * 768.
Blondelli apologia pro Hieronymo 148. 342.
- - Genealogia Francica † 677. † 757.
- - *Primauté de l'Egliſe* 130. &c.
- - Pſeudo-Iſidorus 148.
Blondi Roma 450. &c.
Boboleni vita S. Germani, apud *Mabillon* 628. &c. * 753. * 756.
Bocharti Phaleg & Canaan † 94.
Bochat *memoires pour l'Hiſtoire ancienne de la Suiſſe* 121. 199. † 578. † 580. 584. 599. 634.
Bodini methodus Hiſtoriarum † 43. † 94. † 119.
- - de Republica 810.
Bodmeri *Schwæbiſche Poeſie* 816.
Boecleri (Jo. Henr.) Hiſtoria ſeculi IX. & X. 810.
- - (Jo.) Cynoſura materiæ medicæ 13. 23.
- - (Jo.) Diſſertatio de uſu remediorum circa Argentoratum 9.
Boethii Hiſtoria Scotica 244.
Boiſſardi Topographia urbis Romæ 538. &c.
Boldetti *Oſſervazioni ſopra i Cimiteri* 608.
Bollandi Acta Sanctorum 330. † 331. 337. 340. * 622. * 647. 654. 680. * 694. 743. † 759.
Bonanni Muſeum Kircherianum 609.
Bonarotæ *Oſſervazioni ſopra frammenti di vetro* 604. 608.
S. Bonifacii Epiſtolæ 347. ſq.
Borel *Treſor des antiquités Gauloiſes* † 94. 779. &c.
Borrichii de antiqua Romæ facie, in *Theſ. Græv.* 511.
du Bos *Hiſtorie de l'etabliſſement de la Monarchie Françoiſe* 390. 429. ſq. † 431.
Bosco Bibliotheca Floriacenſis 478.
Bouche *Chorographie & Hiſtoire de Provence* 321. 521. 812.
Bouhier *Diſſertation ſur le grand pontificat des Empereurs Romains* 555.
Bovillus de Ling. Vulg. differentia † 94. 104.
Bouquet Scriptores Rerum Gallicarum & Francicarum 221. 382. 621. 654. 665. 670. 680. ſq. 687. 689. 695. ſq. 698. 703. * 720. 742. † 743. 744. ſq. 767. * 768. 775. 789. 809. ſq.

Bourdieu *Diſſertation ſur le martyre de la Legion Thebeene* 339.
Bouteroue *Recherches des monoyes de France* 44. 91. 596. ſq. 599.
Boxhornii Lexicon Antiquit. 91.
- - Origines Gallicæ 50. &c.
- - Quæſtiones Romanæ 491.
Braunii Selecta ſacra 502.
Breitingeri Muſeum Helveticum 197.
- - *Alterthum der Stadt Zurich* 442. † 604.
Brenneri Theſaurus nummorum Sueo-Gothicorum 818.
Brerewood *Recherches ſur la diverſité des langues* 90. 808.
le Bret *Oeuvres* 691.
Breviarium Argent. Eccleſiæ 693.
du Breul *Theatre des antiquités de Paris* 77. 498.
Brietii parallela Geographiæ veteris & novæ 20. † 187.
Briſſonius de Formulis populi Romani 313. &c.
Brodæi Miſcellanea 651.
Broelmanni ſpecimen Hiſtoriæ veteris civitatis Ubiorum 71. &c.
Broweri Antiquitates & Annales Trevirorum † 68. 80. &c. † 110. † 333. † 341. * 349. † 524. * 803.
- - Antiquitates Fuldenſes 683.
Bruckner *Merckwurdigkeiten der Landſchafft Baſel* 182. 187.
Brummeri opuſcula 791. ſq.
Bruſchius de Monaſteriis Germaniæ 7. † 758.
- - Catalogus Epiſcopatuum Germaniæ † 336. 337. ſq.
le Bruyn *voyages au Levant* 504.
Bucelini Germania Topo-chrono-ſtemmatographica ſacra & profana † 121. 337. * 740. † 752. † 755. † 758. † 761. † 769. † 778. 782.
Buchanani Rerum Scoticarum Hiſt. 46. &c.
Bucherii Belgium Romanum † 126. 143. &c. † 144. † 147. ſq. † 221. † 258. † 328. † 333. † 335. † 341. † 362. † 381. † 384. † 395. † 417. † 427. ſq.
- - Diſſertatio de primis Tungrorum Epiſcopis † 333.
Budæus de Aſſe 577.
Budelius de Monetis & Re nummaria 32. 577.
Buderus de Judiciis duodecimviralibus Septentrionalium 805.
Bulengerus de Imperio Romano 306. &c.
- - Opuſculorum ſyſtema 167.
Bumalous de Doctis Bononienſibus 805.
a Bunau *Teutſche Kayſer- und Reichs-Hiſtorie* † 110. † 384. † 408. † 411. 412.
Burgermeister *Grafen und Ritterſaal* † 626. † 669.
Burmanni Jupiter Καταιβ. in Cyrrheſtarum nummis 475.
- - de vectigalibus populi Romani, apud *Grævium* 501.
Byzantinæ Hiſtoriæ Scriptores 410. 428. 509. 747. 764.

C.

Cæsar vid. Julius.
Calliachus de Ludis ſcenicis mimorum, apud *Salengre* 501.
Callimachus 477.
Calmet *Hiſtoire de Lorraine* 11. 35. † 451. * 694. † 712. * 729. † 760.
- - *Diſſertation ſur les grands chemins de Lorraine* 79.
- - *Remarques ſur les premiers Eveques de Strasbourg* Mſc. † 338.
Calvoer Rituale Eccleſiaſticum 505.
Camdeni Britannia 48. &c.
du Cange, vid. du Fresne.
Canini *Images des Heros de l'Antiquité* 471.
Caniſii Theſaurus monumentorum ſive Lectiones antiquæ. 177. 218. 259. 262. 425. 629. 695. ſq. 707. 748. 761. 789.
Cannegieter Brittenburgum &c. 481.
Canones Apoſtolici 342. * 505.
Capaccii Antiq. Neapolit. apud *Gronovium* 502.
Capella Satyricon 487. &c.
Capitolini Vitæ Imperatorum 243. &c. * 373. ſq. † 379. ſq. * 587.
Capitularia Regum Franc. Ed. Baluz. 36. &c. * 656. * 776. * 799. * 809.
Carmen de providentia divina 426.
Caroli M. Epiſtolæ, apud *Du chesne* * 794.
Carpenterii Alphabetum Tironianum 10. &c.
Caſalius de Thermis & Balneis veterum, apud *Gronovium* 538.
Caſatus de Igne 514.
Caſaubonus in Suetonium 316. &c.
- - ad Vopiſcum 389.
- - Exercitationes in Baronium 320.
Caseneuve *Catalogne Françoiſe* 812.
- - *fragment de Diſſertation* in *Recueil des Poetes Gaſcons* ibid.
- - *Inſtructions pour le Franc Alleu* 805.
- - *Origine des Jeux floraux* 812.
Caſſiani Opera 801.
Caſſiodori Opera 177. &c. * 262. † 421.
Caſtelvetro ad Ariſtotelis Poeticam 814.
Catanei notæ ad Plinii Epiſtolas 450.
Catel *Memoires de l'Hiſt. de Languedoc* 315. &c.
Cato de Re ruſtica 539.
Cavei Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum 304. &c.
Cauſei Muſeum Romanum 497. &c.
- - de æneis antiquorum Lucernis, apud *Grævium* 514.
- - de Signis militaribus, apud eundem 522.
Cedreni Annales, in *Hiſtoria Byzant.* 509.
Cellarii Notitia orbis antiqui Geographica 20. &c. † 38. † 41. † 45. † 128. † 140. † 145. † 147. † 202. † 223. ſq. † 229.
- - curæ poſteriores 623.
- - Diſſertationes 107.
- - Orthographia Latina 563. † 616.
Cenſorinus de die natali 154.
Centuriatores Magdeburgenſes † 222.
Chapeauville Auctores de Geſtis Pontificum Tungrenſium &c. 330. 333.

Digitized by Google

Chardin *Voyages en Perſe* 504.
Charisii Initit. Gramm. apud *Putſchium* 66. &c.
Charleton Chorea gigantum 531.
Charondas *Pandectes du droit François* 691.
de la Chausse *Gemme antiche figurate* 487.
Charpentier *deffenſe de la langue Françoiſe* 813.
Chenu Hiſtoria Archiepiſc. & Epiſc. Gall. 327.
Chesnius, vid. Duchesne.
Chifletii (Jo. Jac.) Opera Politico Hiſtorica † 2. † 755. † 757. 762. † 784. 797.
- - Anaſtaſis Childerici primi 764. &c.
- - Veſontio 40. &c. † 131. † 306. † 322. † 467.
- - (Petr. Franc.) *Hiſtoire de l'Abbaye de Tournus* 705.
Chimentellii Marmor Piſanum 527.
Choppin de Domanio Franciæ 691.
Chorier *Hiſtoire du Dauphiné* 260. &c.
- - *Recherches des Antiquités de Vienne* 438. &c.
du Choul *Diſcours de la Religion, des bains &c. des anciens Romains* 538.
Chronicon Auguſtenſe, vid. Auguſtenſe.
Chronicon Breviſſimum, apud *Ducheſne* 742.
- - S. Benigni, vid. S. Benigni.
- - S. Michaelis, apud *Labbeum* 813.
- - Colmarienſe &c. vid. Colmarienſe.
- - Conſtantienſe, vid. Conſtantienſe.
- - Fontanellenſe, vid. Fontanellenſe.
- - Gottwicenſe, vid. Besselius.
- - Hildesheimenſe, vid. Hildesheimenſe.
- - Laurishamenſe, vid. Laurishamenſe.
- - Lemovicenſe, vid. Lemovicenſe.
- - Montis Serenii, vid. Montis.
- - Weingartenſe, vid. Weingartenſe.
Ciacconii notæ ad Jul. Cæſarem 107.
Ciampini Monumenta vetera 514.
Ciceronis Opera 65. &c. * 268. * 484. ſq. * 542. * 603.
Cilicii Deſcriptio Belli Dithmarſici 533.
Claudiani Opera * 17. 219. &c.
Clef du Cabinet † 462.
Clemens Alexandrinus 86. &c. * 542.
Cluverii Germania antiqua 4. &c. † 45. † 67. † 94. † 106. † 115. † 136. ſq. † 145. † 150. † 155. † 175. † 182. † 185. † 190. ſq. † 202. ſq. † 216. † 233. † 235. † 246. † 486. † 612. ſq.
- - Italia antiqua 486.
- - Comment. de Rheni alveis 213. † 215.
Cocceji Juris publici prudentia 110.
Coccii Dagobertus * 1. ſq. † 7. 19. &c. † 34. † 37. † 213. † 228. † 643. † 645. † 648. † 650. † 652. † 660. † 693. † 701. * 734.
- - Oratio inauguralis Molsheim. Academ. * 110.
- - Panegyricus Leopoldo Auſtriaco dictus 109. &c. † 524. ſq.
Codex Theodoſianus 52. &c. * 394. * 791.
Cognati Deſcriptio Burgundiæ ſuperioris 55.
Cointii Annales Eccleſiaſtici Francorum † 335. † 338. 347. &c. † 381. † 636. † 640. ſq. † 742. † 752. † 754. † 759. * 760. † 761. ſq. * 767. † 768.
Coleri notæ ad Taciti Germaniam † 134.
Colmarienſe Chronicon, apud *Urſtiſium* 18. 191.
Colonia *Antiquité de Lion* 160. &c.
Columella 537.
Comitis (Natalis) Mythologia 450. &c.
Commodiani Inſtructiones per literas verſuum primas * 503.
Conradus Urſpergenſis, apud *Reineccium* 191. * 632.
Conringios de finibus Imperii 36. &c. † 671. † 700.
- - de habitus corporum Germanicorum cauſis 63.
- - de Urbibus Germaniæ † 684. 685.
Conſtantienſe Chronicon, apud *Piſtorium* 673.
Constantini excerpta ex Dione 269.
Contelorius de Præfecto Urbis 299.
Corippus de laudibus Juſtini Aug. min. 321.
Cornelius, vid. Nepos.
Corpus Juris Canonici † 148.
Corpus Juris Civilis 95. &c. * 273. † 301. † 303. * 321. * 519. * 540. * 577. * 689. * 691.
Corradini vetus Latium 249. ſq.
Corrasii Miſcellanea 593.
Correſpondance des Sçavans 81.
Coſe piu memorabili di Pozzoli 584.
Covarruvias Collatio veterum nomism. 577.
Couuel (Theod.) *Interpreter the ſignification of Words* 775.
Cranzii, vid. Kranzii.
Crauus de Vitis Imper. apud *Maderum* † 55.
de la Croix Series Epiſcoporum Cadurcenſium 742.
Crollii Oratio de Biponto 521.
Cromrachii Urſula vindicata 339. † 341. † 380. ſq.
Crusii Annales Suevici 55. &c. † 121. † 208. † 222. † 417. † 443. † 557. † 560. † 573. † 802.
Cujacii Obſervationes 63. &c.
Cuperi Apotheoſis Homerica, apud *Græviam* † 479. 481. &c.
- - Inſcriptiones, ibidem 81. &c.
- - Harpocrates, ibidem † 441. † 443. &c.
- - Obſervationes 259.
Cusani Concordantiæ Catholicæ † 185.
Cyrillus de differentiis vocum Græcarum 544.
- - Vita S. Euthymii * 801.
Cysat *Beſchreibung des Lucerner Sees* 64.

D.

Daceriæ notæ ad Aurelium Victorem † 195.
Dachery Spicilegium 1. 11. 340. * 480. 487. † 657. † 704. * 757. * 781. ſq.
von Dale Diſſertationes antiquitatibus inſervientes 555.
Dalecampii notæ ad Plinii Hiſtoriam naturalem † 511.
Danckwerth *Schleswickiſche und Holſteiniſche Chronica* 533.
Danville, vid. Anville.

Darnal

INDEX AUCTORUM.

Darnal, vid. l'Urbe.
Daviesii linguæ Britann. Dictionar. 51. &c.
- - notæ ad Julium Cæſarem 20.
Dausqurji Orthographia 465. &c.
- - notæ ad Silium Italicum 522.
Deiron *Antiquités de Nimes* 505.
Delices de la Suiſſe 7. 457. † 583. † 585.
Delrio Disquiſitiones magicæ 807.
Dempsterus ad Roſinum 593.
Deſcrizione di Roma antica 511.
Dictionnaire universel de Trevoux † 707.
Deseine *Rome ancienne & moderne* 511.
Desgodez *Edifices antiques de Rome* 167.
Deuren *Actenmaſſige Geſchichte in cauſa Baden contra Schwarzach* 778. † 789.
Diarium Europæum † 227.
Dicuil Hibernus, apud *Cangium* 613.
Digbæus de animæ rationalis immortalitate 514.
Dio Cassius 108. &c. † 118. * 277. ſq. * 295. * 360.
Diodorus Siculus 29. &c. * 455.
Dionysius Halicarnaſſenſis 114. &c.
- - Periegetes 111. &c.
Dithmarus in Tacitum 792.
Ditmarus Merſeburgenſis, apud *Reineccium* 11. &c. † 707.
Divionenſe Chronicon, vid. S. Benigni Chronicon.
Doowelli Diſſertationes in Irenæum 327.
Doederlini Antiquitates in Nordgavia Romanæ 244. 533.
- - de Imperatorum Adriani & Probi vallo 244.
- - de nummis Germaniæ mediæ bracteatis 818.
Dominici Aſſertor Gallicus contra Chifletium 812.
Donaldsoni Synopſis œconomica 519.
Donati Commentarius in Virgilium 214.
- - Roma vetus & nova 167. &c.
Dormay *Hiſtoire de Soiſſons* 817.
Doublet *Hiſtoire de l'Abbaye de S. Denys* 667. &c. * 704.
Drackenborch notæ ad Livium † 486.
- - ad Silium Italicum 522.
Dresio de Rhapſodis 816.
Du chesne *Antiquités & Recherches des Villes & places de France* 79. &c.
- - *Hiſtoire des Rois, Ducs & Comtes, de Bourgogne* 179. &c.
- - Scriptores Rerum Francicarum 4. 10. 19. 33. † 36. 92. 132. 150. 184. ſq. 193. 207. 384. 430. ſq. 620. ſq. 625. 627. 630. ſq. * 645. 680. 689. 694. 745. ſq. 771. 779. * 781. 782. 788. 804.
Dudo de Geſtis Ducum Normann. * 813.
Dunod *Decouverte de la Ville d'Antre* † 2. 42. &c. † 151. † 187. † 189. † 195. † 583.
- - *Lettres ſur des Decouvertes ſur le Rhin* 4. &c. † 104. † 106. † 579.
- - *Hiſtoire de l'Egliſe de Beſançon* 330.
- - *Hiſtoire des Sequanois & des Bourguignons* † 39. † 43. 44. &c. † 258. † 578. † 580.
Du Pin Scriptores Eccleſiaſtici 334. 336.
Durandi Rationale divinorum officiorum 505.
Dyhlini Diſcurſus de Thermis Marchio-Badenſibus 552. † 568. † 571.

E.

Eadmeri Vita S. Anſelmi 436.
Eberlindius de provocat. ad judicium Dei 807.
Eccardi Catecheſis Theotiſca Monachi Weiſſenburgenſis 72.
- - Hiſtoria ſtudii Etymologici linguæ Germanicæ 96. 816.
- - Commentarius de rebus Franciæ Orientalis 243. &c. † 620. † 627. † 809.
- - Leges Francorum Salicæ & Ripuariorum † 645. 689. † 792.
- - Corpus Hiſtoricor. medii ævi 100. &c.
- - notæ ad Leibnizium de orig. Franc. 707.
- - de origine Germanorum 531.
- - Origines Familiæ Habsburgo-Auſtriacæ † 627. 637. &c. † 657. † 704. * 731. † 755. * 760. † 763. * 764. † 765. ſq. 784.
Ekhart Diſſertatio de Apolline Granno Mogouno 19. &c. † 54. † 56. † 189. † 195. † 462. † 465. † 696.
Eggelingii Miſcell. Germ. Antiq. 689.
Eginhardi Annales apud *Duchesne* 4. &c.
- - Vita Caroli M. 634. &c.
Eisenschmidt de ponderibus & menſuris veterum 576.
Ekkehardus junior de caſibus Monaſterii S. Galli 629. * 638. 666. &c.
Electa juris publici curioſa 673.
Eligius de rectitudine Cathol. * 483.
Ennodii Opera 305. &c.
Epernon *Origine de la derniere race des Roys de France* 781.
Epigrammata Græca 17. &c.
Epiphanii Hæreſes 327. &c.
Erasmi Deſiderii adagia 505.
Erchamberti Breviarium Regum Francorum, apud *Duchesne* 749.
Ermenricus ad S. Theodorum de Vita S. Magni 752.
Ernesti Clavis Ciceroniana 546.
- - proluſiones 538.
Ernstii notæ ad Valerium Probum 473. &c.
Ertel *Chur-Bayeriſcher Atlas* 246.
Esculana *Hiſt. de la Ciudad de Valencia* 812.
Estor de ſtatu & origine Landgraviatus Haſſiæ 652.
- - de Miniſterialibus * 803.
Etschenreuterus de Balneis 14.
Etterlin *Kronica von der Loblichen Eydtgnoſchafft* † 121.
Evagrii Hiſtoria Eccleſiaſtica 259. * 801.
Eveque, *de la Ravaliere, Revolutions de la Langue Françoiſe* 814.
Eugippii Vita S. Severini 430.
Eumenius Rhetor, apud *la Baune* 247. &c. * 392.

INDEX AUCTORUM.

EUNAPIUS Sardianus de Vitis Philoſophorum 150. &c.
- - de Legationibus, in *Script. Hiſt. Byzantinæ* 410.
EURIPIDIS Opera * 604.
EUSEBII Opera 84. &c.
EUTROPIUS 37. &c. * 385.
EYSENGREIN Chronicon Spirenſe † 318. † 331. † 336.

F.

FABARIA de Caſibus S. Galli, apud *Goldaſtum* 679.
FABRETTI de Aquæductibus 81. &c.
- - Explicatio Inſcriptionum Antiquarum 484. &c. * 509.
FABRI Agoniſticon 606. &c.
FABRICII (Seob.) Lutrea Cæſarea 8. † 15.
- - (Alb.) Bibliotheca Latina † 222. 502. &c.
- - (Georg.) Deſcriptio veteris urbis Romæ 567.
Factum pour les Princes d'Oettingen 664.
LA FAILLE *Annales de Toulouſe* 812.
FALCKENSTEIN Antiquit. Nordgavienſes 244. &c.
FALCONETI *Diſſertation ſur les Batyles*, in *Hiſtoire de l'Academie des Inſcriptions* 486.
FANNIVS de ponderibus & menſuris * 577.
FAUCHET *Recueil de Poeſie Françoiſe* 812.
FAUNI Antiquitates Urbis Romæ 567.
FELIBIEN *Hiſtoire de l'Abbaye de S. Denys* 649. &c. * 672. * 715. * 722. * 731. * 794.
FERRARII (Octavii) Opera varia 501. &c.
- - Origines linguæ Italiæ 810.
FERRETII Muſæ Lapidariæ antiquorum 600.
FESTUS de ſignificatione Verborum 436. &c.
FICORONI *Maſchere Sceniche* 501.
- - *la Bolla d'Oro* 519.
FIGRELIUS de ſtatuis illuſtrium Romanorum 450.
FIRMICUS Julius 454. &c.
FISCHARTUS, in Deſcriptione Territorii Argentoratenſis † 22. † 56.
FLACCUS Siculus de conditione agrorum, apud *Gœſium* 249.
FLACCI Verrii Opera 65.
FLEETWOOD ſylloge Inſcriptionum antiquarum 524. &c.
FLODOARDI Hiſtoria Remenſis Eccleſiæ * 8. * 614. † 643. * 644. 689. &c.
FLORUS 63. &c.
Fontanellenſe Chronicon apud *Ducheſne* * 793.
FONTANINI de Antiquitatibus Hortæ Coloniæ Etruſcorum 559.
- - Diſſ. de corona ferrea 798.
- - *della Eloquenza Italiana* 812.
- - *della Maſnade* 804.
FONTENU *Diſſertation ſur quelques Camps, connus en France ſous le nom de Camps de Ceſar*, in *Hiſt. de l'Academie des Inſcript.* 533.
Formulæ Alſaticæ, apud *Marculphum* † 680. 694.
FORTUNATI Carmina, apud *Ducheſne* 10. &c.
FOUNTAINE numiſmata Anglo-Saxonica 818.
FRANCKII Diſſ. de Vaſ. vitreis &c. 319.
- - ad Keronem 814.
FRECULPHI Chronicon 582.
FREDEGARIUS Scholaſticus, apud *Ducheſne* 1. &c. * 431. * 622. * 640. * 676. * 749.
FREHERI Origines Palatinæ 5. &c. * 644.
- - Corpus Franciæ Hiſt. veteris 178. &c.
- - Scriptores Rerum Germanicarum 710.
- - Theatrum Virorum eruditione clarorum 610.
- - de ſecretis Judiciis olim in Weſtphalia uſitatis 792.
- - notæ ad Auſonii Moſellam 32. &c. * 349.
- - Lupodunum 679.
DU FRESNE (du Cange) Gloſſarium mediæ & infimæ Latinitatis 70. &c. † 688. † 698. † 704. † 817.
- - Gloſſarium Græcitatis 774.
- - ad Joinvillam 687. &c.
- - Conſtantinopolis Chriſtiana 422. &c. † 613.
FRIESEN *Muntzſpiegel* 30. &c.
FRISCH *Teutſch - Lateiniſches Wœrterbuch* 5. † 35. 57.
Friſingenſe Chronicon, vid. MEICHELBECK.
FRODOARDUS, vid FLODOARDUS.
FRONTINUS 159. &c.
FUGGER *Spiegel der Ehren des Erzhauſes Oeſterreich* 651. † 713. ſq.
FULGENTII Opera 472. &c.
FURSTENBERGIUS, vid. Monumenta Paderbornenſia.
FYOT *Hiſtoire de l'Egliſe de St. Etienne de Dijon* † 699.

G.

GÆBELIUS de Balneis 14.
GALE Scriptores Hiſtoriæ Anglicanæ 624. &c.
GALENI Opera * 538.
GALFREDI Monumentenſis Hiſt. Reg. Britann. in *Script. Rer. Britann.* † 340.
GALLAND *du Franc Alleu & Origine des droits Seigneuriaux* 666.
Gallia Chriſtiana vid. SAMMARTHANI.
GARIBAY *Compendio Hiſtorial de todos los Reynos de Eſpanna* 812.
GASSENDI Vita Fabricii de Peireſc. 64.
GEBHARDI Reges Francorum Merovingici † 742. 744. &c.
GEBVILERI Panegyris Carolina † 1. 6. &c. † 55. † 207. † 224. * 706.
- - Vita S. Odiliæ † 755. † 757. † 761. ſq. 769.
- - Commentarius de Domo Habsburgica Mſc. 73. &c. † 660.
GEDOYN *Recherches ſur les Hyperboreens* 110.
GEILERI à Keyſersberg Poſtilla 653.
GELENIUS de Colonia Agrippina 157. † 333.
GELLII Noctes Atticæ 65. &c.
LE GENDRE *Antiquités de la Nation & de la Monarchie Françoiſe* 103. &c. * 760. † 783.
Geographus Ravennas vid. GUIDO.
GEORGII Explan. Inſcriptionis de Locator. Scæn. * 602.

GESNERI

INDEX AUCTORUM.

GESNERI (Conr.) Ornithologia 10.
- - ad Ovidii Halieuticon 27.
- - (Matth.) Theſaurus novus linguæ & Eruditionis Romanæ † 445.
- - ad Columellam 497.
Geſta Regum Francorum 758. ſq.
- - Trevirorum, apud *Eccardum* † 319.
GEWOLDI addit. ad Hundii Metrop. Saliſb. 634.
GIRALDI Itinerarium Cambrienſe 46.
GLANDORPII Onomaſticon Hiſtoriæ Romanæ 154. &c.
GLAREANI panegyricus Araris 629.
- - Comment. German. pop. apud *Schardium* † 37. † 49. † 110.
GOARUS ad Euchologium Græcorum 505.
GODEFREDI Annales, apud *Freherum* 625.
GOEBEL de jure & judicio Ruſticorum 804.
GOELNIZ Itinerarium 478.
GOESII Auctores Legesque rei agrariæ 160. &c.
GOLDASTI Catholicon rei monetariæ 748.
- - Conſtitut. Imperial. 621. * 806.
- - de juribus Regni Bohemiæ † 49.
- - Parænetici veteres 815.
- - *Reichs - Handel* 792.
- - Rerum Alemannicarum Scriptores 263. &c. * 723. * 731. * 752. † 770. * 788.
GOLLUT *Memoires Hiſt. de la Republique Sequanoiſe* 39. &c. † 44. † 106. † 121. † 187. † 330.
GOLSCHERI Geſta Trevirorum, apud *Leibnitium* † 100. † 331.
GOLZII Theſaurus rei antiquariæ † 150. † 290. 442. &c. † 582. † 598.
GOMEZII Hiſtoria Jacobi Regis Arragon. 812.
GORDONI Itinerarium Septentr. 462.
GORE Nomenclator Geographicus Latino-Anglicus 531.
GORII Inſcriptiones antiquæ Græcæ & Romanæ 325. 438. 454. 503. * 606.
- - Columbarium Libertor. Liviæ 502. &c.
GOTFRIDI Viterbienſis Chronicon, apud *Piſtorium* † 43. † 99. † 332. 627.
GOTHOFREDI Chronologia Codicis Theodoſiani 192. &c. † 249. † 394. † 613.
Gottwicenſe Chronicon, vid. BESSELIUS.
GOUDELINI *Obros* 812.
GOUJET *Bibliotheque Françoiſe* 813.
GRABII notæ ad Irenæum † 328.
GRÆVII Theſaurus Antiquitatum Rom. 81. † 208. † 225. 249. &c.
GRANGÆI notæ ad Juvenalem † 500.
GRAPALDUS de partibus ædium 542.
GRASSER de antiquitatibus Nemauſenſibus 80. &c.
GREGORII M. Epiſtolæ 345.
- - Thaumaturgi Opera 291.
GREGORIUS Turonenſis 10. &c. * 263. † 426. * 430. * 620. † 703. * 704. * 775.
GRETSERUS de Divis Bambergenſibus 648.
- - de Cruce 807.
GRONOVII Antiquitatum Græcarum Theſaurus 81. 486. &c. † 498. 502. &c.
- - de Seſtertiis 577.
- - notæ ad Tacitum 62.
- - Obſervata in Scriptoribus Eccleſiaſticis 306.
GROTII Hiſtoria Gothorum, Vandalorum & Longobardorum 435. &c.
GRYPHIANDER de Weichbildis Saxonicis 792.
GRUTERI Corpus Inſcriptionum 4. &c. † 247. * 273. * 277. * 305. † 445. † 472. * 486. * 526. † 571. † 576. † 579. † 585. * 604. † 608.
GUALTERI Siculæ 556.
GUDENI Codex Diplomaticus Moguntiacus * 663.
- - Sylloge Diplomatariorum 789.
GUDII notæ ad Gruteri Inſcript. 527 ſq.
GUESNAY Annales Maſſilienſes 321.
GUICHART *Harmonie Etymologique des Langues* † 94.
GUICHENON *Hiſtoire de Breſſe & de Bugey* 438.
- - *Hiſtoire de la Maiſon de Savoye* 486. &c. † 516.
GUIDO Ravennas † 19. 151. &c. † 191. * 201. * 205. † 208. * 570. * 612. † 680.
GUILARDINI Papyrus 514.
GUILLIMANNUS de Epiſcopis Argentinenſibus 207. &c. 213. † 648. † 680. ſqq. † 767. † 778.
- - Habsburgiaca † 2. 3. &c. † 19. † 34. † 36. † 42. † 59. † 62. † 187. † 191. ſq. † 199. ſq. † 258. † 265. † 330. † 669. † 782.
- - de rebus Helvetiorum 37. &c. † 49. † 142. ſq. † 158. † 185. † 258. † 262. † 330. † 408. † 421. † 584. † 660.
GUINTHERII Commentarius de Balneis 74.
GUNTHERI Ligurinus 55.
GUTHERIUS de Officiis Dom. Aug. 300. &c. † 305.
- - de jure Manium, apud *Grævium* 511. &c.
- - de veteri jure Pontificis Urbis Romæ, apud eundem 466.
GYRALDI Opera 72. &c.

H.

VAN DER HAER *les Chatelains de Lille* 497.
HAFFNER *Solothurner Hiſtoriſcher Schauplatz* 82. &c.
HAGENBUCHII Epiſtolæ Epigraphicæ 173.
- - de Dyptycho Brixiano Boethii 563.
HALTAUSII Calendarium medii ævi 435.
HAMMONDI annotationes in novum Teſtamentum 350.
HAHNII *Elſaſs* † 61.
HARÆI Annales Ducum Brabantiæ totiusque Belgii 621.
HARDUINI nummi antiqui populorum & urbium illuſtrati 598.
- - notæ ad Plinium † 110.
HARIGERI Geſta Pontificum Tungrenſium, apud *Chapeauville* † 330.
HARSDOERFER ſpecimen philol. Teuton. 816.
HARTMANNI Annales Heremi Deiparæ Matris Monaſterii in Helvetia 629. &c.
HARZHEIM, vid. ALDENBRUCK.
HAVERCAMPI notæ ad Oroſium 44. &c. † 599.
HEERERI Ægyptiaca ſervitus 31.
HECHTII Germania ſacra & literata 82.
HEDÆ Epiſcopi Ultrajectenſes † 675.

HEOIONIS Chronicon 490.
HEIDERUE *von den Reichs-Vogteyen* 685.
HELOANDI Vita Roberti * 813.
HENNINII notæ ad *Bergier.* de viis militaribus † 208. † 225. 249. &c. † 563.
HENSCHENIUS, vid. Bollandi Acta Sanctorum.
- - de tribus Dagobertis Francorum Regibus † 636. † 648. 657. &c. † 757.
HEPIDANNI Annales, apud *Duchene* 750. † 751. † 770.
- - Vita S. Wiboradæ 629. &c. † 706.
HERALDUS ad Arnobium 623.
HERICUS Monachus de miraculis S. Germani 781.
HERMANNI Contracti Chronicon, apud *Piſtorium* 180. &c. * 806.
HERMANNUS de miraculis S. Mariæ Laudunenſis 4.
HERODIANUS 285. &c. * 377.
HERODOTUS 103. * 112. 450. &c.
HEROLDUS de Rom. in Rhætia ſtationibus 241. &c. † 466.
HERRGOTT Genealogia Diplomatica gentis Habsburgicæ 2. 629. 633. 635. &c. † 659. † 668. † 674. * 732. † 755. † 760. * 782. † 790. * 803.
AB HERTENSTEIN Diſſert. de Ducatu Sueviæ 627.
HERTII notitia veteris Francorum Regni † 381. 705.
- - notitia veteris Germaniæ populorum † 261. 265.
- - Opuſcula 30. &c.
Hervarar Saga 481.
HERWARTI Ethnicæ Theologiæ myſteria 497.
HERZOG *Elſaſſiſche Chronic* † 2. 13. &c. † 61. † 222. † 224. † 240. † 341. † 445. † 682. † 778.
HESYCHIUS 489. &c.
HEUMANNUS de Re Diplom. Imp. 818.
HICKESII Theſaurus linguarum Septentrionalium 818.
HIERONYMI Opera 67. &c. * 217. * 262. † 419. ſq. † 502.
Hieroſolymitanum Itinerarium 234. ſq.
HILARII Opera 321.
Hildesheimenſe Chronic. apud *Duchene* 621. &c.
HINCMARI Opera 345. &c.
HIRTIUS Panſa, vid. JULIUS CÆSAR.
Hiſtoire Literaire de la France 321. &c.
Hiſtoire Critique de la Republique des Lettres 583.
Hiſtoria S. Crucis Molsheimenſis 769.
Hiſtoriſches Lexicon † 181. ſq. † 655.
HOCSEMIUS, apud *Chapeauvillon* 793.
HOEFFEL Hiſtoria Balſami mineralis Alſatici 13.
HOENN Lexicum Topographicum Circuli Franconici 702.
HOFFMANNI Lexicon univerſale Hiſtoricum 40. &c. † 61. † 110.
HOLSTENII adnot. Geographicæ in Geographiam ſacram Caroli à S. Paulo &c. * 610.
- - Codex Regularum Monachis & Sanctimonialibus præſcriptarum 801.
HOMERUS 450.
HORATIUS * 448. 462. &c.
HORSTIUS de Menſuris 573.
DE L'HOSPITAL (Marq.) *Lettre ſur Herculaneum* 322.
HOTOMANNI Franco-Gallia 691.
- - nota ad Julium Cæſarem 107.
HOTTINGERI (Jo. Henr.) Pentas Diſſertationum † 49.
- - (Jo. Jac.) *Helvetiſche Kirchengeſchichte* † 49. 336. † 472.
HURERI *Berichte von den Wilhelmitern* &c. *in Straſburg* * 804.
HUETII Demonſtratio Evangelica 454. &c.
- - *Origine des Romans* 812.
HUGONIS (Car.) Monumenta Hiſtorica Sacræ Antiquitatis 11. &c.
- - Chronicon Virdunenſe Ivonis, apud *Labbeum* * 264. 614.
- - *Origine de la Maiſon de Lorraine* 669.
- - Annales Præmonſtratenſis Ordinis † 754. ſq. * 760. * 762. 764. &c. † 785.
- - (Herm.) de militia Equeſtri 522.
HUNDII Metropolis Salisburgenſis 634. &c.
HUNIBALDI Annales, vid. TRITHEMIUS.
HUTTICHII Collectanea Antiquitatum Moguntiæ 46. &c. * 444.
HYDE Hiſtoria Religionis veterum Perſarum 324. &c.
HYGINUS 157. &c. * 505.

I.

JAMBLICHUS de Myſteriis 495. &c.
DE JANUA (Jo.) Catholicon 698.
ICHTERSHEIM *Elſaſſiſche Topographia* 8. &c. † 80. † 718.
IOATII Chronicon & Faſti * 177. 179. &c.
Inſtrumentum jurium Abbatiæ Selzenſis 24.
JOANNIS (Georg. Chriſt.) Tabularum Integrumque veterum Spicilegium 492. ſq.
- - notæ ad Bartholini Auſtriadem † 696.
JOBERT *Science des Medailles* 322. &c.
JONAE (Arngrim) Res Islandicæ 531.
- - (Ignat.) *Antiquity of great Britain* 531.
JONÆ Vita S. Columbani, apud *Mabillon* 10.
- - Bobienſis Vita S. Euſtaſii † 151.
JONSTON Hiſtoria naturalis 449.
JORNANDES de Rebus Gothorum 177. &c. * 264.
JOSEPHI (Flavii) Opera 292. &c.
Journal Helvetique 659.
Journal des Sçavans 452.
IRENÆI Opera 95. &c.
IRENICI Exegeſis Germaniæ * 6. 14. &c. † 36. 55. † 101. † 213. † 222. † 255. † 493. † 688. † 696.
ISELIUS, vid. *Hiſtoriſches Lexicon.*
ISIDORI Hiſpalenſis Origines 225. &c. † 263.
Island Saga 481.
ISONIS Magiſtri Vita S. Othmari 677.
- - Gloſſa ad Prudentium 305. &c.
JULIUS CÆSAR 3. &c. † 15. * 20. * 324. * 593. * 598.
Itinerarium Antonini vid. ANTONINI.
Itinerarium Burdegalenſe * 257.
JUENII *Hiſtoire de l'Abbaye de Tournus* 705.
JULIANI Imp. Opera 17. &c. † 207. * 400. * 544.

INDEX AUCTORUM.

Junckeri *Geographie der mittlern Zeiten* 244. &c. † 645. † 658. † 675.
Junii (Franc.) Animadverſiones in Bellarminum † 225.
- - (Hadr.) Batavia † 216. 592. &c. † 613.
- - Gloſſarium Gothicum 623.
Juretus ad Symmachi Epiſtolas 303. &c.
Justini Epitome 48. &c.
Justinus Martyr 503.
Juvenalis 166. &c. * 447. * 604.

K.

Kemmerich Introductio ad jus publicum Imperii 627.
Keysleri Antiquitates Septentrionales & Celticæ 79. &c. † 83. † 481.
- - Itinerarium 608.
- - de mulieribus fatidicis 81.
Kiliani Etymologicum Teutonicæ linguæ 573.
Kyppingi Antiquitates Romanæ 510. † 514.
Kircheri mundus ſubterraneus 64. &c.
- - Oedypus Ægyptiacus 497.
Kirchmannus (Georg.) de annulis 448.
- - (Joh.) de funeribus Romanorum 510. &c. † 513.
Klockius de ærario 321.
Knaut Antiquitates Principatus Anhaltini 623.
Knichenius de jure ſuper. territor. † 791.
Knipschild de juribus civitatum Imperialium † 61. † 222. † 224. 245. &c. † 687. † 696.
Koeleri Fata Ducatus Alemanniæ † 629.
- - de Germanis Chriſtianis 328.
- - notæ ad Imhoffii notitiam Procerum 672.
Koenigii Regnum minerale 13.
Koenigshoven Chronicon Alſatiæ Mſc. † 55. † 213. 336. &c. * 641. † 693. † 755.
- - *Elſaſſiſche Chronick* † 73. 78. &c. † 100. † 210. † 213. † 222. † 332. † 341. † 642. † 682. † 700. † 755. † 806.
- - Gloſſarium Mſc. 18. &c.
Koppii (Fridol.) vindiciæ Act. Murenſium 803.
- - (Jo. Ad.) de Differentia inter S. R. I. Comites & Nobiles immediatos 669.
Krantzii (Alb.) Saxonia, Wandalia &c. 533. † 751.
- - Hiſtoria Eccleſiaſtica † 101.
Kufferus de Thermis Badenſibus 568. &c.
Kundmanni rariora naturæ & artis 64.
Kyllinger de Ganerbiis Caſtrorum 652.
Kyriandri Auguſtæ Treverorum Annales † 101. † 349.

L.

Labbei Concordia Chronologica * 219. † 220.
- - Concilia 180. &c. † 207. † 333. ſqq.
- - nova Bibliotheca Manuſcriptorum Librorum 614. &c. † 779. * 809.
- - *melange de pluſieurs Titres.* 699. &c.
Laboureur *avantages de la langue Françoiſe* 813.
Lacarry Hiſtoria Coloniarum Gallicarum 120. † 155. † 157. † 187. † 201.
- - Hiſtoria Galliarum ſub Præfectis Prætorio 300. &c. † 306.
Lactantii Opera 73. &c. * 329.
Laertius (Diog.) de vitis Philoſophorum 70.
Lætii Gloſſarium Vitruvianum 526. &c.
Laguille *Hiſtoire d'Alſace* 8. 18. † 59. 62. &c. † 75. † 77. ſq. † 221. † 258. † 331. † 333. † 338. 393. † 406. † 537. † 640. † 642. † 655. 700. † 722. * 760. † 763. † 765.
Lambecii Bibliotheca Vindobonenſis 512. &c. 695. † 815.
Lampe de Cymbalis veterum 476.
Lampridius 84. &c. * 611.
Lancelot, in *Hiſtoire de l'Acad. des Inſcript.* 53.
Langii (Jo.) Epiſtolæ medicinales † 568.
Lasena *dell'antico Ginnaſio Napolitano* 606.
Laufferi *Beſchreibung Helvetiſcher Geſchichte* 265.
Launoy Opera 333. &c.
Laurenbergii (Jani Guil.) Antiquarius 482.
- - (Jo.) Gromatica 535.
Laurentii varia ſacra Gentilium, in Theſ. Gronoviano 450.
- - de funeribus antiquorum, in eodem 509.
- - Polymathia 519. &c.
Laurishamenſe Chronicon, apud *Freherum* 232. * 648.
Lazius de migrationibus gentium † 93. † 121. † 713. † 755. † 778.
- - de Republica Romana 522. &c.
- - de Genealogia Auſtriaca † 224. † 679.
Leandri Deſcriptio Italiæ 15. &c.
Lebeuf *Diſſert. ſur l'Hiſtoire de Paris* 667. 680. 686. 809. 813.
Lehmanni *Chronicon der Stadt Speyer* 2. &c. † 222. † 336. † 392. † 589. † 802.
Leibnitii Acceſſiones Hiſtoricæ 100. &c. † 739.
- - Codex Juris Gentium Diplomaticus 664.
- - Scriptores Rerum Brunswicenſium † 110. 486. &c.
- - Collectanea Etymologica † 110. 690.
- - Origo Franc. apud *Eccardum* 620. &c.
Leichii Sepulcralia Carmina 600.
Lemovicenſe Chronicon, apud *Labbeum* 750.
Lenglet de Fresnoy *Bibliotheque des Romans* 779.
Leonis M. Opera 345.
- - Oſtienſis Chronicon Caſſinenſe 706.
Lerch Nobilitas Sacr. Rom. Imperii † 626. 644.
Lersneri *Franckfurter Chronica* 689.
Leu *Helvetiſches Lexicon* 172. 180.
Leyseri Jus Georgicum 30.
Libanii Sophiſtæ Opera 300. &c. * 395. * 399. † 401. † 405. * 411.
Licetus de Lucernis Antiquorum reconditis † 514.
Limnæi Jus publicum Imperii Romano-Germanici † 61. † 222. 625. &c.
Lindenbrogii Codex Legum antiquarum * 323. 621. &c. * 792. ſq. * 774. * 803. * 806.
Lindenspur ad Ordinat. Ducatus Würtemberg. 31.

a Lindern Hortus Alſaticus 9.
Lipsii Opera 140. &c. † 290. † 546. * 603.
Litzelii *Beſchreibung der Ramiſchen Todten-Topffe* 319. 518. † 589.
Livius 16. &c. † 486. * 547.
Loaisr Garsias de inſtitutione Primatis Toloſani 350.
Loccenii Lexicon Juris Suegothicum 435. &c.
Lombardica Hiſtoria * 754.
Longuemare *ſur la Chronologie des Rois Merovingiens* † 742.
Longuerur *Deſcription de la France* † 206. † 220. † 222. ſq. 742.
Longus de Annulis ſignatoriis antiq. † 449.
Lucæ *Fürſtenſaal* 244. &c.
Lucani Pharſalia 4. &c. * 315. * 353. ſq. * 469. * 536. ſq.
Luciani Opera 75. &c. * 483. * 510.
Lucilii Satyræ 436.
Luctatius in Statium 502.
Ludewio ſingularia Juris publici † 36.
- - Germania princeps † 258.
- - formula Brandenburgici Ducatus 651.
- - Reliquiæ Manuſcriptorum 792.
- - *Geſchichte von Wurzburg* 702.
Ludolphi Sicilimenta * 773.
Luitprandi Opera * 191. * 632. 678. &c.
Lunio *Teutſches Reichs-Archiv* 575. &c. † 752.
Lupi Ferrarienſis Epiſtolæ 779. ſq.
Lurbe *Chronique Burdeloiſe* 321.
Lyserus (Wilh.) de Landſaſſiis, Schrifftſaſſiis &c. 35.
Lyncker de Ganerbiatibus 652.

M.

Masillon Acta Sanctorum Ordinis S Benedicti 11. &c. † 661. * 667. ſq. † 717. * 720. * 732. * 753. * 756. * 758. ſqq. * 784.
- - Annales Ordinis S. Benedicti 520. &c. † 757. * 760. † 763. † 765.
- - Analecta vetera 629. &c. † 742.
- - de Re Diplomatica 668. &c. † 693. † 699. † 704.
- - Iter Italicum 95. &c.
- - *Ouvrages poſthumes* 7. &c. † 451. † 455.
Macari Abraxas Proteus 503.
Macri Hierolexicon 342.
Macrobii Opera 448. &c.
Maderi Antiquitates Brunswicenſes 55. &c.
Maffei Galliæ antiquitates ſelectæ 474. &c.
- - Verona illuſtrata 602.
- - Muſeum Veronenſe 486. &c.
- - *Gemme antiche di Leonardo Agoſtini* 502.
Magius de Tintinnabulis 543.
Maji Vita Jo. Reuchlini 517. &c. † 557. † 560.
le Maire *Illuſtrations de Gaule* 92.
Malingre *Antiquités de Paris* 498.
Malleolus de nobilitate * 613.
Mamertini panegyricus 226. &c.
Manlii Luſatia 36.
Manutii Orthographiæ ratio 487.
- - de Legibus Romanis 593.
Mappi Hiſtoria plantarum Alſaticarum 9.
Masci deciſiones 32.
Marca de Concordia Sacerdotii & Imperii † 131. 350. &c.
- - Marca Hiſpanica 190. &c.
- - *Hiſtoire de Bearn* 666.
- - Diſſertationes poſthumæ 298.
- - Epiſtolæ 328. &c.
Marcel *Hiſtoire de la Monarchie Françoiſe* † 94. 597.
Marcellinus Ammianus 15. &c. * 61. * 175. * 213. * 228. † 271. † 313. * 397. * 400. † 404. * 408. * 417. * 605. * 622.
Marcianus Heracleota * 142. * 145.
Marculfi formulæ 691. &c. * 793. ſq.
la Mare *Traité de la Police* 685.
Mariani Scoti Chronicon, apud *Piſtorium* † 101. † 331. 706. &c.
Marii Aventicenſis Chronicon, apud *Duchesne* 741.
Marliani, (Barth.) Topographia Urbis Romæ 502. &c.
- - (Raym.) Deſcriptio locorum Galliæ † 2. 33. &c.
Marlot *Theatre d'Honneur* † 797.
- - Hiſtoria Metropolis Rhemenſis 643.
Marmora Oxonienſia Arundellianorum &c. 463.
Marshami Canon Chronicus 495.
Martene Theſaurus Anecdotorum 58. &c. † 705. † 758.
- - Collectio veterum Scriptorum ampliſſima 757.
- - *Voyage literaire de France* 566.
Martialis * 315. ſq. 500. &c. * 518. * 537. * 545. * 547.
Martin *Religion des Gaulois* † 65. 73. &c. † 75. ſq. † 85. † 454. ſq. † 481.
- - *Origines Celtiques* 103.
Martini (Em.) Epiſtolæ 164.
- - Turonenſis Chronicon † 687.
Martiniere *Dictionnaire Geographique* 8. &c. † 144. † 578.
Martinii Lexicon Philologicum † 67.
Martyrologium Baſilienſe † 339.
- - Colonienſe † 339.
- - Eccleſiæ Germanicæ 333.
Mascardi *dell'Arte Hiſtorica* 814.
Masenii notæ ad Browerum 102. &c.
Massoni notitia Epiſcopatuum Galliæ 132.
Massueti Diſſ. in Irenæum 327.
Mathoud Senonum origo Chriſtiana 328.
Maximus Tyrius 71. &c.
Matthiæ Weſtmonaſterienſis flores Hiſtoriarum 435.
Mautour *Obſervations ſur les Monumens de l'Egliſe Cathedrale de Paris* 491.
Mediobarbi Numiſmata Imperatorum Romanorum 17. &c. * 323. † 571. ſq.
Meibomii Introductio ad Hiſtoriam Saxon. 625.
- - Pagi Saxoniæ 623.
- - Script. Rerum Germanicarum 651. &c.
Meichelbeck Hiſtoria Friſingenſis * 623.
Meinders de Judiciis Centenariis † 791.
Mela Pomponius 65. &c.

Melecius ſive Melek *Beſchreibung des Elſaſs und Brisgau* 61. † 234.
Menckenii Script. Rerum Germanicarum 689.
Menestrier *Hiſtoire Conſulaire de Lion* 81. &c. † 156.
Mercatoris Atlas 4. &c.
Mercurialis de arte gymnaſtica 538.
Mercure Suiſſe 658.
Meriani Topographia Alſatiæ † 682. * 695.
- - Sueviæ 688.
Merulæ Cosmographia generalis 4. &c. † 579.
Messala Corvinus 139.
Metzger Hiſtoria Salisburgenſis 337.
Meurisse *Hiſtoire des Eveques de Metz* † 46. 47. &c. * 314. * 325. † 648.
Meursii Auctores Hiſtoriarum mirabilium 514.
- - de funere, apud *Gronovium* 509. &c.
- - de Regibus Athen. apud eundem 73.
- - Exercitationes criticæ 519.
- - Gloſſarium Græco-Barbarum 774.
Mezeray *Hiſtoire de France* 110.
Mezius *vom Sulzbacher Sauerbrunnen* 14.
Minutius Felix 70. &c.
Miræi Codex donationum piarum & Opera Diplomatica 36. 643. &c. * 646. † 671.
- - Chronici Scriptores 340.
Miſcellanea naturæ curioſorum 64.
Modii Pandectæ Triumphales † 687.
Molani natales Sanctorum Belgii 333.
Mollerus de vita patris ſui 36.
Monstrelet *Chroniques* 18.
Monumenta Paderboroeoſia * 625.
Montfaucon *Antiquité expliqué* † 65. 66. &c. † 75. † 78. † 84. † 454. ſq. † 483. † 490.
- - *Monumens de la Monarchie Françoiſe* 763. &c.
- - Paleographia Græca 600.
- - Diarium Italicum 505.
Montis Sereni Chronicon, apud *Hoffmannum* 680.
Morales *Antiquedades de las Ciudad* 480.
Morelli ſpecimen rei nummariæ 559. * 587.
- - Theſaurus famil. Roman. 154.
Morena de rebus Laudenſibus 805.
Morhofii *Unterricht von der Teutſchen Sprach* † 110. † 809. 814. † 815. ſq.
- - de Patavinitate Livii 320.
Motte Acta Societatis Anglicanæ 545.
Munier *Hiſtoire d'Autun* 321.
Munsteri Cosmographia 1. &c. † 4. † 8. † 41. † 60. † 93. † 161. † 178. † 202. † 230. ſq. † 297. † 309. * 470. † 579. † 758.
- - Deſcriptio Germaniæ † 101. 145.
Muratorii Italicarum Rer. Scriptores 570. &c.
- - Antiquitates Italicæ medii ævi 440. &c.
- - Theſaurus veter. Inſcript. 140. 270. &c. † 437. † 458. † 490. † 524. † 607.
- - notæ ad Paulum Diaconum 435.
Murer Helvetia Sancta 330.
Murneri nova Germania † 141.

N.

Napleri Comment. ad Apocalypſin 464.
Nardini *Roma antica* 511. 559.
de Natalibus (Petri) Catalogus Sanctorum † 339. * 341.
Naucleri Chronici Commentarii † 110.
Necrologium Altorfienſe, vid. Altorfienſe.
Nepos (Cornelius) * 249.
Nicephori Hiſtoria Eccleſiaſtica * 329.
Nigellii Carmen Elegiacum 680. &c.
Nigronius de Caliga veterum 65. &c.
Nithardus de Diſſenſione filiorum Ludovici Pii 4. &c. * 193. † 208. * 654. * 665. † 680.
Nizolii Theſaurus Ciceron. 538.
Nonius (Marcellus) de priſco ſermone 510. &c.
Noppii *Aacher Chronick* 465.
Noris Cenotaphia Piſana, in Theſ. Antiq. Ital. 155. &c.
- - de votis decennalibus Imperator. apud *Salengre* 572.
- - Orthographia 530.
Nostrodamus *Vie des Poetes Provenſaux* 812.
Notitia Imperii Occident. 2. &c. * 186. * 221. * 227. * 230. * 305. † 309.
- - Imperii Orient. 491.
- - Provinciarum Galliæ 132. &c. * 177.
Notkeri Martyrologium 329. &c.
- - de bellis Caroli M. 695. * 696.
- - Paraphraſis * 815.
Novientenſe Chronicon 34. &c. † 73. † 100. † 451. * 661.
Noviomagus de Zelandiæ ſitu * 491.
Nunninghii ſepulcretum gentile 531.

O.

Obrechti Prodromus Rer. Alſaticarum † 57. † 94. † 110. 134. &c. † 259. † 429. † 660. † 682. ſq. † 755. † 767. † 769. † 777.
- - de Philoſophia Celtica † 57. † 75. † 94. † 110.
- - *Antiquité de la Ville de Strasbourg* MS. † 196. † 220. † 222.
Odilonis Vita S. Adelhaydis 635. &c.
Oihenarti Notitia utriusque Vaſconiæ 81. &c.
l'Oisel *Memoires des Pays de Beauvais* 327.
- - Theſaurus ſelectorum Numiſmatum 422. &c.
- - *Opuſcules Divers* 799.
Olahi (Nic.) Attila 179.
Olenschlager *Urſprung Attici* † 760. 767.
Olympiodorus † 427.
Optatus Milevitanus * 190.
Ordonnances des Rois de France 648.
Orosius 107. &c. † 354. * 385. † 420.
Ortelii Theſaurus Geographicus 42. &c. † 158. † 187. † 198. † 201. † 204.
Ortlob de German. Poeſ. ætatibus 814.
Othloni Vita S. Bonifacii † 680.
- - Vita S. Pirminii 665.
Otfridi Evangelia 30. &c. * 623. * 691. * 792. * 803. * 813.
Ott (Jo. Bapt.) *von denen zu Cloten gefundenen Antiquitaeten* 512.
Otto Friſingenſis 11. &c. † 263. † 331. † 341. † 774.
- - ad Beatum Rhenanum † 61.
Oudendorpii Deſcriptio veterum Monumentorum Papenbroeckii 481. 595.

Oudinus (Caſim.) de Scriptoribus Eccleſiæ antiquis 330. ſq.
Ovidius 73. &c. * 315. * 448. * 496. * 510.

P.

Paoii Critica Annalium Baronii 328. &c. † 335. † 340. † 554. † 588.
Pancirolli (Guid.) Commentarius in Notitiam Imperii Occident. 50. &c. † 221. † 231. † 293. † 307. † 309. † 312.
- - Res deperditæ 514.
- - de legum interpretibus 805.
Panegyrici Veteres 390. &c.
Panvinii Commentarii Reip. Rom. † 131. 293. &c. † 588.
- - Faſti & Triumphi Romani * 153. * 369.
- - Antiquitates Veronenſes 594. &c.
- - de Ludis Circenſibus 538.
- - Romani Principes † 588.
Paradin *Hiſtoire de Lion* 75. &c.
Parerga ſive Acceſſiones Gœtting. 664.
Pasquier *Recherches de la France* 436. &c.
Passeratius de Literarum cognatione 479.
Patini Theſaurus Numismatum * 323. 586.
- - Familiæ Romanæ † 155. 581.
- - *Relations Hiſtoriques des Voyages* 152. &c. † 186. † 557. † 560. † 585.
Patricius (Franc.) de Re milit. Rom. 535.
Pauli Diaconi Hiſtoriæ Miſcellæ † 195. 206. &c. † 264. † 421.
- - de Epiſcopis Metenſibus 178. &c.
- - Geſta Longobardorum 435. &c.
Paulini Carmen in Herici obitum 680. &c.
Paulinus de Pagis antiquæ præſertim Germaniæ 623. &c. † 636. † 640. † 657.
- - Hiſtoria Collegii Visbecenſis 639.
- - de Advocatis Monaſticis 625.
a S. Paulo (Caroli) Geographia Sacra 298. &c. * 345. † 347. ſq. * 349.
Pausanias 110. &c.
Pearsonii Annales Cyprianici 326.
Pellicani (Conradi) Deſcriptio Rubeaci † 80. † 202.
Pelloutier *Hiſtoire des Celtes* 110. † 115.
Peltre *Vie de S. Odile* * 756. † 762. 763.
Perard *Recueil des pieces ſervant à l'Hiſtoire de Bourgogne* 695. ſq. † 699.
Perionii Dialogi de Orig. linguæ Gall. † 94.
Persius * 519.
Petavii (Dion.) Doctrina Temporum 156. * 219.
- - notæ ad Julianum Apoſtatam 236. † 413.
- - (Pauli) antiquariæ ſupellectilis portiuncula 489. &c.
- - de Nithardi proſapia 810.
Petrus Cluniacenſis † 331.
Petri (Franc.) Suevia Eccleſiaſtica 489.
Petronius 497. * 507.
Peutingeri (Conradi) Inſcriptiones Auguſtæ Vind. 433. &c.
- - Sermones convivales 134. &c.
Pez (Bernh.) de Etymo nominis Habſpurgici 713. &c.
Pez (Hieron.) Scriptores Rer. Auſtriacarum 623.
Pezron *Antiquités des Celtes* 90. &c. † 95. † 115.
Phavorini Dictionarium Græcum 505.
Philesius 7. 35.
Philonis Judæi Opera 476.
Philostratus 316.
Phlegon Trallianus de Longævis * 184.
Photii Bibliotheca † 427.
Phurnutus de Natura Deorum 488.
Picardus (Jo.) de priſca Celtopædia † 83. † 94.
Picart (Benoit) *Hiſtoire de Toul* 5. &c. † 671. † 713.
- - *Origine de la Maiſon de Lorraine* * 760.
Piccardi Antiquitates provinciarum &c. 531.
Pioaniol *de la Force, Deſcription de la France* * 695.
Piohii Annales Magiſtratuum & provinciarum Roman. 152. ſqq.
- - Hercules Prodicius 81. &c.
Pionorii Menſa Græca 497.
- - Commentarius de ſervis veter. 501. &c.
du Pin de antiqua Eccleſiæ diſciplina 350.
- - Scriptores Eccleſiaſt. 334. &c.
Pirckheimer 46. &c. † 191. † 193. † 203.
de la Pise (Joſeph.) *Hiſtoire d'Orange* 86. &c.
Pistorii Scriptores Rer. Germ. 101. &c.
Pithoei (Petri) Hiſtoriæ Francor. Scriptores 621. 688. &c.
- - Opera Miſcellanea † 746.
Pitisci Lexicon Antiquitatum Romanar. † 542.
Plantini Helvetia antiqua & nova 4. &c. † 24. † 142. † 175. † 442. † 529. † 571.
Plato 113. &c.
Plautus * 509. * 519.
Pleinfesini Hiſtoria vallis Galilææ 4. 11. &c.
Plinii Hiſt. naturalis 15. &c. † 82. * 115. † 125. ſq. † 129. * 137. * 216. * 511. * 545. * 582.
- - Epiſtolæ 286. &c. * 541. * 544.
- - Panegyricus Trajani 370.
Plot (Rob.) de Lampadibus ſepulcralibus 514.
Plutarchus * 44. 82. &c. * 116. * 544.
Poemata Regis Navarræ 813.
Pogoii Florentini Opera 573.
Poimander 496.
Pollio (Trebell.) 263. &c. * 379. † 387.
Pollucis Onomaſticum 66. &c.
Polyæni Strategemata 95.
Polybii Hiſtoriæ 111. &c.
Pontani (Jo. Iſaacii) Origines Francicæ 813.
- - Rerum Danicarum Hiſtoria 533.
- - Itinerarium Galliæ Narbon. 90. &c.
- - Diſceptationes Chorographicæ † 216.
Popma (Titus) de Operis ſervorum 519.
Porcheron (Placid.) ad Geographum Ravennat. 190.
Potteri Archæologia Græca 505.
Pregizeri (Jo. Ulr.) Suevia & Wirtenbergia Sacra 138. &c.
Pricæi (Jo.) Commentarius in Apuleji Apolog. * 501.
Procopii Hiſtoria Gothica 169. &c. † 266.
- - de ædificiis 148. &c.
Prosperi Aquitani Chronicon 177. &c. † 218. † 262.
Prudentii Opera 500.

INDEX AUCTORUM.

Ptolomæi Geographia † 34. 37. &c. † 38. * 42. † 54. * 57. † 125. * 142. * 145. † 193. * 202. ſq. † 206. * 245. * 464.
Pujades *Chronica del principat de Cattaluinia* 812.
Puteanus (Erycus) de ſtipendio militari Romaoor. apud *Grævium* 593.
Putschii Grammat. Lat. Auctores antiqui 66. &c.

Q.

Quenstedt, (Jo. Andr.) de patriis illuſtrium Virorum † 494.
- - de ſepultura veterum, apud *Gronov.* 525.
Quinctilianus 63. &c. * 547.
Quoatqueveran (Auffret) *Catholicon, qui contient trois langages* 89.

R.

Rabanus Maurus de Inſtitut. Cleri 794.
Radevicus 805.
Ramus (Petr.) de moribus vet. Gallorum 67. &c.
- - Baſilea † 175. 183. &c.
Ratbertus de caſibus Monaſterii S. Galli 629. &c.
- - Vita S. Adelhardi 808.
Rau Monumenta vetuſtatis Germanicæ 158. &c.
- - de Ara Ubiorum 445.
Ravennas Geographus, vid. Guido.
Reaumur *Diſſert. des Rivieres, qui roulent des paillettes d'or* 30.
Regino de Eccleſiaſticis diſciplinis 698.
- - Chronicon † 621. 771. &c.
Regnault *abregé de l'Hiſtoire de Soiſſons* 817.
Reineccii Hiſtoria Julia 651.
Reinesii Inſcriptiones antiquæ 14. &c. † 225. † 325. * 473. † 475. † 563.
Reiselius de Niderbronnenſis Balnei natura 14.
Remenſe Chronicon † 621.
Rettenbacher Annal. Monaſterii Cremifan. 651.
Reuchlinus de verbo mirifico † 494.
Reusnerus (Nicol.) de Urbibus Imperial. † 61. † 222. † 224. 678. &c.
Rhenani (Beati) Res Germaniæ † 2. 18. &c. † 34. † 40. † 41. † 60. † 62. † 94. † 106. † 134. † 137. † 145. † 161. † 180. † 187. ſq. † 190. † 204. † 220. † 222. † 224. † 228. ſq. † 233. † 236. † 265. † 297. † 309. † 333. * 349. † 401. † 417. * 492. † 527. * 610. † 638. † 640. † 642. † 647. † 684. † 702. † 802.
- - Epiſtola ad Matthiam Erbium 197. † 208.
Rhodigini antiquarum Lectionum Commentarii † 544.
Rhodius (Jo.) de Acia, de ponderibus &c. † 502.
- - notæ ad Scribonium Largum 439. &c.
Richerii Senon. Chronic. 5. &c. † 667. * 671. ſq.
Richteri (Jo. Godofr.) Exegeſis Inſcriptionis antiquæ in agro Auguſt. 517.
Roberti (Claud.) Gallia Chriſtiana 327. &c.
- - Altiſſiodor. Chronicon. 179.
Roeslinus *von Elſaſs und Waſgauiſchen Gebürg* 8. &c. † 20. † 240. † 445. † 447.
Rondeletius de piſcibus 449.
Roriconis Monachi Geſta Francorum 430.
de Rosieres (Franc.) Stemmata Lotharingiæ 713.
Rossi (Octavio) *Memorie Breſciane* 469. ſq.
de Rostrenen (Greg.) *Dictionnaire François-Celtique* 52. &c.
Rota Temporum Anonymi 244.
Rothius de Imagunculis Germanorum magicis 81.
Roussel *Hiſtoire de Verdun* 656.
Rouverov. *Traite des Eaux de Plombierre* 14.
de Roye (Franc.) de Miſſis Dominicis 794.
Rubenius (Alb.) de calceo ſenatorio 470.
de Rubis (Claude) *Hiſtoire de la Ville de Lion* 155.
Rudbeckii Atlantica 456. &c.
Rufi (Sexti) Breviarum Imper. 130.
Ruinarti Acta primorum Martyrum 339. &c.
- - notæ ad Gregorium Turon. 265. &c.
- - Iter Literarium † 451. † 455.
Ruperti Diſſert. ad Valerium Maximum 463.
Russinger (Jac.) de vetuſtate urbis Baſileæ † 38.
Rutgersii variæ Lectiones 450.
Rutilii Itinerarium * 547. 694.
Ruxneri (Georg.) *Thurnierbuch* 34. † 208. † 687.
Ruyr *Recherche des Saintes Antiquites de la Vosge* 4. * 644. † 761. ſq. † 768.
Ruyschii Theatrum animalium 10.
Ryckii (Theod.) de Gigantibus Oratio 64.

S.

Sacci (Bernh.) Res Italicæ 621.
Sagittarii (Caſp.) Antiquitates Regni Thuringici 623. &c. † 752.
- - Hiſtoria urbis Bardevici * 625.
Sallengre Theſaurus Antiquitat. Roman. 572. &c.
Sallustius 67. &c.
Salmasii Exercitationes Plinianæ † 249. 614.
- - de cæſarie virorum & mulierum 763.
- - notæ ad Script. Hiſt. Aug. 82. 501. &c.
- - notæ ad Solinum 447. &c.
de Salvaing (Denys) Miſcella 478. &c.
Salvianus Maſſil. 140. &c.
San-Juliani Antiquit. Burgundiæ 105.
San-Marthanorum Gallia Chriſtiana 334. &c. † 338. * 534. * 694. † 699. * 715. * 725. * 787.
Sanson *Remarque ſur la Carte de l'ancienne Gaule* 41. † 104.
Savaro ad Sidonium Apollinarem 465.
Savary *Dictionnaire de Commerce* 29.
Savot *Diſcours ſur les Medailles Antiques* 497.
Saxii (Petri) Pontificium Arelatenſe 748.
Saxonis Grammatici Hiſtoria Danica 531. &c.
Scaliger (Joſ.) de Emendatione Temporum 176. ſq. &c.
- - Epiſtolæ 110.
- - de Europæorum Linguis 90. &c.
- - notæ ad Manilium 519.
- - notæ ad Euſebium 502.
- - notæ ad Auſonii Moſellam 19. &c. † 237.
- - (Jul. Cæſ.) de re Poetica 501.
Scardeonius (Bernh.) Hiſt. Pataviana 467. &c.
Schadæi (Oſeæ) ſummum Argentorat. Templum 74. &c. † 75. † 87. † 685. † 817.
Schannat Hiſtoria Wormatienſis Epiſcopatus 91. &c. * 776.
- - *Hiſtoire de la Maiſon Palatine* † 784.

d Schannat

INDEX AUCTORUM.

SCHANNAT Traditiones Fuldenſes 625. &c. * 720. ſqq. * 723. * 725. ſq. * 731. * 733. * 803.
- - Vindemiæ Literariæ 650. ſq. &c.
- - Vindiciæ Archivi Fuldenſis 745.
- - Buchonia vetus * 803. 804.
SCHARDII Scriptores Rerum German. 101. &c. vid. Althammerus, Bebelius, &c.
SCHATENII Hiſtoria Weſtphaliæ 531.
SCHEDEL Complementum ſpeculi Hiſtoriarum † 186.
SCHEGIUS de Diis Germanis 81. &c.
SCHEFFERUS de re vehiculari, apud *Gravium* 257. &c.
SCHELHORNII Amœnitates Eccleſiaſt. & Literariæ † 604.
SCHELIUS ad Hyginum 243. &c.
SCHERBII *Sulzbacher Sauerbrunnen* 14.
SCHEUCHZERI Itinera Alpina 12.
- - ſpecimen Alphabeti ex Diplom. & Codicibus Turicenſ. 708.
- - *Unterſuchung des Bads zu Baden* 80. &c.
- - *Natur Geſchichten* 30.
SCHILTERI Theſaurus Antiquit. Teuton. 35. &c. † 57. † 82. † 94. † 110. † 655. * 802. * 815.
- - Inſtitutiones Juris publici Romano-Germ. 646. &c. † 661. † 671.
- - Obſervationes ad Kœnigshovii Chron. Alſat. 18. &c. † 55. † 75. ſq. † 87. † 110. † 636. † 648. † 658. † 661. † 682. ſq. † 709. † 755. † 772. * 802.
- - Obſervat. ad monumenta Montis ferrati Mſ. † 84. † 454. † 457.
SCHMINCK Diſſ. de Adelrico † 758. 760.
SCHOEPFLINI Commentationes Hiſtoricæ & Cri- 179. &c. † 248.
- - *Diſſert. ſur un Monument de la VIII. Leg.* in *Hiſt. de l'Acad. des Inſc.* 53.
SCHOTTELIUS de ſingularibus in Germ. jurib. 623.
- - *von der Teutſchen Haupt-Sprach* 813.
SCHOTTI Hiſpania illuſtrata 812.
- - notæ ad Aurel. Victorem † 195.
SCHURER Diſſertatio de Balneo Sulzenſi 14.
SCHURZFLEISCHII Opera Hiſtorico-Politica 84.
- - notæ in Auſonii Moſellam † 213. † 760. 775.
- - Orthographia Romana 573.
Schutterenſe Chronicon * 674.
SCRIVERII Batavia illuſtrata 491.
Scriptores Hiſtoriæ Byzantinæ, vid. Byzantinæ.
Scriptores Rerum Francicarum, vid. Duchesne Bouquetus, Freherus, Pithoeus.
Scriptores Rerum Germanicarum, vid. Eccardus, Freherus, Goldaſtus, Piſtorius, Schardius, Schilterus, Urſtiſius.
SEBIZIUS de Alimentorum facultatibus 27.
SEGUINI Selecta Numiſmata antiqua 598.
SELDENUS de Diis Syris 81. &c.
- - Tituli honorum 313. &c.
- - notæ ad Eadmerum 813.
SENECA Philoſ. 84. &c. * 447. * 540. * 544. ſq.
SERARII Res Moguntiacæ 48. &c. † 330. † 347. ſq.
SERVII notæ ad Virgilium 66. &c. † 263. † 486.
SEUFERTI (Jo. Henr.) Programma 246.
SHERINGHAM de Anglorum gentis origine 531.
SICULUS de Rebus Hiſpanicis 812.
SIDONIUS Apollinaris 178. &c. * 221. * 259. † 407. * 545. * 763.
SIGEBERTUS Gemblac. 11. &c. * 342. † 620. * 632. * 746.
SIGONIUS de antiquo jure civium Romanor. † 160. † 287. 325. &c.
- - de Regno Italiæ 621. &c.
SILIUS Italicus 15. &c.
SIMLERUS de Republica Helvetiorum 651.
- - Valeſiæ & Alpium deſcriptio 152.
- - Scholia ad Itinerarium † 204. † 233. ſq.
SIMONIS (Philip.) *Hiſtori der Biſchoffen von Speyer* † 336.
SIRMONDI Opera varia 430. &c.
- - Notæ ad Sidonium 303.
SLEGELIUS de nummis antiquis 818.
SMETII (Jo.) Antiquitates Neomagenſes 81. &c.
- - Oppidum Batavorum 479.
SMITH de Republica Angl. * 774. 776. &c.
SOCRATIS Hiſtoria Eccleſ. * 262. * 395. 397. &c.
SORBERUS de Comitiis veterum Germanorum 806.
SOZOMENI Hiſtoria Eccleſ. * 262. 300. &c.
SPANGENBERGIUS † 121.
SPANHEMIUS de præſtantia & uſu Numiſmatum 250. &c.
- - Orbis Romanus † 287.
- - notæ in Juliani Imp. Opera 542.
SPARTIANUS 242. &c. * 371. * 440.
SPECKLINI Collectanea Mſ. &c. 76. † 100. † 134.
- - Architectura 239. † 240. † 455. † 534.
SPELMANNI Gloſſarium Archæologicum 689. &c.
SPENERI (Jac. Car.) Notitia Germaniæ antiquæ 51. &c. † 110. † 136. † 138. † 145. † 201. † 209. † 245. † 645.
SPERLINGIUS de Nummis non cuſis 596. &c.
SPONII Miſcellanea Eruditæ Antiquitatis 71. &c.
- - *Recherches des Antiquités de Lyon* 81. &c.
- - *Hiſtoire de Geneve* 438. &c. * 491.
SPRENGII Commentarius Rerum Rauracorum 38. 49. † 182.
VAN STADE Lect. Antiq. Franc. 814.
STANGEFOLII Annales Circuli Weſtphal. † 333.
STATIUS 249. &c. * 502. * 510. * 543.
STROER de viis militaribus Romanorum 255. &c. † 563. ſqq.
STEPHANUS Byzantinus 114. &c.
STEWECHIUS in Vegetium † 440.
STIERNHOEK de jure Sueonum & Gothorum vetuſto 791.
STOSCHII Gemmæ antiquæ celatæ 511.
STRABO 3. &. † 40. * 44. † 185. * 315. * 521. ſq.
STRABUS (Walafr.) * 263. † 628. † 748.
STRADA (Octav.) de vitis Imperatorum & Cæſar. Rom. 798.
STRICKERI Carolus * 814.
STRUVII Corpus Hiſtoriæ Germanicæ † 82.
- - Hiſtoria Juris 799.
- - Corpus Juris publici Germaniæ 627.
- - Notitia Sueviæ antiquæ † 259. † 261. † 264.
STRYCKII Diſſertationes 625.
STUMPFII *Schweitzer-Chronica* † 37. 40. &c. † 49. † 121. † 142. ſq. † 182. † 265.

SUARESII

Suaresii Explicatio Arcus Sept. Severi 559.
Sudani Baſilea Sacra † 333. 334. &c. † 336. † 341.
Suetonius 66. &c. * 86. * 268. * 273. * 278. * 546.
Suiceri Theſaurus Eccleſiaſticus 298.
Suidas 70. &c.
Summonte *Hyſtoria della citte è Regno di Napoli* 502.
Sundheimii Familia Welphorum 665. ſq.
Surii Vitæ Sanctorum 19. &c.
Suritæ Emendationes in Itinerarium Anton. † 149. † 574.
Sweertii Deorum Dearumque Capita 472.
Sylvii (Æneæ) Epiſtolæ 18.
- - Europa 34. † 206.
- - Germania 30. † 101.
Symeoni *Illuſtratione de gli Epitaffi & Medaglie antiche* 516.
Symmachi Epiſtolæ 298. &c.
Syncellus 495.

T.

Tabernæmontani Theſaurus aquarum 14.
Tacitus * 3. 15. &c. * 62. * 137. * 147. * 242. * 249. * 316. * 324. * 440. * 464. * 498. * 547. * 554. * 568. * 665. † 791. * 792.
Taſſus de Poemate Heroico 814.
Tenzelii Hiſtoria Gothana 818.
- - Vindiciæ cenſuræ Conring. 752.
Terentius 479.
Tertulianus 84. &c. * 510.
Theatrum Europæum † 227.
Theganus de geſtis Ludovici Pii, apud *Duchesne* 184. &c. * 193. * 749. * 780.
Theodoretus 328.
Theophili (Paraphr.) Inſtitut. 249. &c.
Theodoſianus Codex, vid. Codex.
Theophrastus 497.
Theſaurus Italiæ & Siciliæ antiquitatum 526. &c.
Thomasini Eccleſiæ diſciplina circa beneficia 348. &c.
Thulemarius de Octoviratu 651.
Tibullus 497. &c.
Tiliani Annales, vid. Annales.
Tillemont *Hyſtoire Eccleſiaſtique* 327. &c.
- - *Hiſtoire des Empereurs* 323. &c.
Tollii Diſſ. de Siſtro 496.
Tollneri Hiſtoria Palatina 32. * 773.
- - Hiſt. Geneal. Haſſiæ Landgrav. † 760.
Tomasinus de Donariis 450.
Topologia Novientenſis, vid. Novientenſe Chron.
Toroeamentorum Liber, vid. Ruxner.
Tradition d'Arlon 86.
Transactiones philoſophicæ Anglorum 514.
Tristan *Commentaires Hyſtoriques* 323. &c.
Trithemii Opera 7. &c. † 714. † 817.
Tschudii (Ægid.) veter. Helvetiæ delineatio Mſc. 1. &c. † 59. † 62. † 93. † 143. † 182. † 199. ſq.
- - (Domin.) origo Comitum de Habſp. 52.
Turkii Diſſ. de Geograph. medii ævi 265.
Turnebi Adverſaria † 450. 544.
a Turre Opera 74. &c. † 438.

V.

Vaillant Numiſmata Imperatorum 126. &c.
- - Nummi Familiarum Rom. 152. &c.
- - Nummi Coloniarum 152. &c.
- - Nummi Conſulares 153.
Vaissette *Hyſtoire de Languedoc* 812.
Valentini muſeum muſeorum 13.
Valeriani Hieroglyphica 496.
Valerius Maximus 275. &c.
Valesii (Hadr.) Notitia Galliarum † 18. 19. &c. † 45. † 54. † 62. † 128. † 133. † 136. † 150. † 202. ſqq. † 225. † 231. † 234. † 236. † 260. † 263. † 465. † 582. † 634. † 641. † 645. ſq. † 670. ſq. † 677. † 699. † 706.
- - Res Franciæ 178. &c. † 262. ſq. † 265. * 760. † 765.
- - (Henr.) notæ ad Ammianum Marcellinum 228. &c. † 229. † 234. † 400. * 401.
Valladier *Baſilique de l'Abbaye de S. Arnoul de Mez.* * 776.
Varro de Lingua Latina 66. &c.
- - de Re ruſtica 81. &c.
de la Vega *Hiſtoire des Ingas Rois du Perou* 814.
Vegetius de Re militari 63. &c. * 611.
Vellejus Paterculus 153. &c. † 320. * 354. * 359.
Velseri Opera 110. &c. † 115. † 119.
Verdier *Bibliotheque* 812.
Verelii notæ ad *Hervarar Saga* 55.
- - Index linguæ Scytho-Scandicæ 481.
Ughelli Italia Sacra 780.
Victor Aurelius 84. &c. † 370. † 407. † 420.
Victoris Tununenſis Chron. apud *Caniſium* 259.
Vignerii notæ ad Jul. Cæſarem 104.
Vignier Chron. Rerum Burgundionum † 758.
- - *Origine des Maiſons d'Alſace* 681. &c. † 755. † 757.
Vignoli Inſcriptiones Selectæ 502.
Vindiciæ Hiſtoricæ pro Cenſura Conringii 792.
Vinet Comment. in Florum 40.
Vinetus ad Auſonium † 213. 237.
Virgilius 17. &c. * 249. * 455. * 500. * 510.
Vita S. Arbogaſti, apud *Bollandum* * 622. 694.
- - S. Agili † 151.
- - S. Deicoli, apud *Bollandum* 700.
- - S. Florentii 693.
- - Henrici IV. 694.
- - Ludovici Pii, apud *Duchesne* 10. &c. * 654.
- - S. Odiliæ, apud *Mabillon* † 451.
- - S. Præjecti 696.
Vitruvius 49. &c. * 505. * 526. * 543.
Vives notæ ad Auguſtin. de Civitate Dei † 514.
Volaterrani Geographia † 110.
Volsius Paulus, apud *Guilimannum* 675.
Vopiscus de Cæſaribus 68. &c. † 243. * 382. * 389. ſq.
Vossii Opera 72. &c. † 82.
Vredii Flandria vetus 623.
- - de Dea Nehalenia 71.
Ursatus de notis Romanorum 308. &c.
- - Monumenta Patavina 438.
Ursenson *Elſaſs und Brisgau* † 61.
Ursinus de Eccleſiarum Germ. origine 148. &c.

INDEX AUCTORUM.

Urstisii Chronicon Baſilienſe 6. &c. † 41. † 181. †336. †579.
- - Hiſtoriæ Baſilienſis Epitome † 37. 163. &c. † 341. †579.
- - Scriptores Rerum German. 208. &c.
- - Scheda Mſc. 38.
Usuardi Martyrologium 329.

W.

Wachteri Gloſſarium Teutonicum 57. † 24. 456. 546. 651. 792.
Waoemann *von dem Druidenfuſs am Haynen Kamm* 246.
Wagenseil Commentatio de civitate Noribergenſi 497.
- - de Phonaſcis Germaniæ 816.
Waoneri *Mercure Suiſſe* † 460. † 472. † 578. ſq. † 583. 585. 658.
Walchii Decas Fabularum 26.
Waldschmidt de pactis ganerbiatuum 652.
Warburthon *Hieroglyphes des Egyptiens* 495.
Warmanni vita Pirminii 665.
Waſſebourg *Antiquités de la Gaule Belgique* † 101. † 121. 145.
Wattwilius de Orig. Zaringenſium 638.
Wehneri Obſervationes practicæ † 648. * 804.
Weingartenſe Chronicon, apud *Caniſium* 761.
Wendelini Gloſſarium ad Leges Salicas 689.
Wesselinoii notæ ad Itinerarium Antonini 190. † 199. 201. 216.
Wetstenii Diſſert. de Urſula & XI. M. Virgin. † 50. 178. &c.
Wioandi *Staats-Geographie* 644.
Wilde *Apologie pour la cite d'Avenche* 71. &c.
Wilhelmus Malmesbur. de geſtis Regum Anglorum 435.
Willielmi Regis Angl. Leges, apud *Seldenum ad Eadmerum* 813.
Willerami paraphraſes Cantici Canticorum 815.
Willichii notæ ad Taciti Germaniam † 101. 134. &c. † 142.
Wimphelingii Epitome Rerum Germanicarum 27.
- - Catalogus Epiſcoporum Argentinenſium 47. &c. † 524. ſq. † 642.
- - Germania cis Rhenum † 34. † 141. † 206.
Winckelmanni *Beſchreibung der Fürſtenthümer Heſſen* 244. &c.
Winsbeckii & Winsbeckiæ poemata * 815.
Wipponis Vita Conradi Salici, apud *Piſtorium* 621.
Witichindus 11. &c.
Witsii Ægyptiaca 496.
Wittichii Collectio Antiquitatum Moguntiæ 75. &c.
Wolfhardi Deſcriptio Rubiaci in Munſteri Coſmogr. † 80. † 202.
Wormii Antiquitates Danicæ 435. &c.

X.

Xenophontis Opera 457.
Xiphilini Hiſtoriæ à Dione excerptæ 277. †369.

Z.

Zamoscii Analecta Antiq. Daciæ 606.
Zeileri Chronicon Sueviæ 627. † 753.
- - Itinerarium Germaniæ † 36.
- - Topographia Alſatiæ † 36. 73. &c. † 191. † 220. † 647.
- - Topographia Palatinatus Rheni 19. &c. † 230.
- - Topographia Sueviæ 245. † 674.
- - de X. circulis Imperii Romano Germanici 644.
Zonaræ Annales 383. ſq.
Zosimi Hiſtoria 206. &c. * 385. † 394. * 395. † 405. † 411. ſqq. † 415. ſq. † 427.
Zwinoeri Theatrum humanæ vitæ 505.

INDEX



INDEX RERUM.

A.

Aara fluvius an Obringa vocatus pag. 545.
Abauzitius 559.
Abbmerweileri 714.
Abnoba mons pars Silvæ martianæ 3.
Abraxas 503.
Abucini portus 130.
Achuzo dynaſta 796.
Acernehæ matres 482.
Achaica legio 292.
Achatea Helvetiæ Apoſtolus 330.
Achenheim 723.
Achera flumen 674.
Achericum 716.
Achericus anachoreta in Alſatiam venit 15.
Acholtzheim 714.
Acidulæ Alſatiæ 14.
Acies Germanorum, cum Cæſare prœliantium 108.
Acilius Aviola Galliæ Lugdunenſis Præſes 278. 360. Andegavos rebelles coercet 292. 278.
Acilius Glabrio Sibidius vicarius Galliarum 305.
Actionarii 794.
Actum 690. ab actis quid 305.
Actus quid 249.
Adalricus 754.
Adelardus comes 781.
Adelberti comitatus 640.
Adelbertus Alſatiæ dux 766. cœnobium S. Stephani Argentorati condit 210. 682. obiit 768. monumenta ejus ibid.
Adelhaydis Conradi Antiſſiodorenſis comitis uxor 781.
Adelheidis Imperatrix Seltzenſe monaſterium condit 228.
Adelheidis proprium 644.
Adelphius Rauracenſis ſeu Pictavorum epiſcopus 261.
Adelphius Rauracenſis epiſcopus fictitius 108. 260.
Adjutores qui 305.
Admallare 806.
Adnotata itineraria 612.
Adula mons an limes Germaniæ Cis-Rhenanæ 542.
Advocatus epiſcopi 686.
Ædes quid 438.
Ædificia Alſatiæ Franciœ 817.
Ædui Galliæ populus amici Romanorum 106. à Julio Cæſare victi 352. jus civitatis Romanæ obtinent 361.
Æduorum & Sequanorum diſſidiæ 103.
Ægidius dux Romanorum in Gallia 170.
Ægidius Rhemenſium epiſcopus Strateburgi exulat 679.
Ægyptiaca ſacra 494.
Ægyptiorum theologia 496.
Æi vox Celtica quid denotat 50.
Ælianus tyrannus 386.
Æluros deus 500.
Æmilianus tyrannus 386.
Æmilii Creſcentis epitaphium 598.
Æmilius Albanus 593.
Æmilius Karus tribun. milit. Leg. VIII. 517.
Æmilius Pudens miles Leg. VIII. 517.
Æquum Dalmatiæ oppidum 509.
Ærarium Romanum an Argentorati fuerit 213.
Ærgitia rivus 169.
Æs alſaticum 12.
Æſtiva caſtra 515.
Æſtyi Celticus populus 119.
Æthicus Antoninus itinerarii Antonini auctor 613.
Ætites in Alſatia reperitur 13.
Aetius dux Romanorum in Gallia 17. ejus expeditiones 220. Burgundiones profligat 428.
Africa antiqua quæ 274.
Africanum itinerarium 612.
Agentes 794. agentes in rebus 305.
Aggeres publici 249.
Agilolfingi dynaſtæ Bavari 665.
Agimesheim 714.
Agricola Calphurnius Britannos domat 172. præfectus prætorio Galliarum 304.
Agrippa M. Vipſ. viarum per Alſatiam auctor 251. Galliarum præſes 276. ſq. Gallos ad obſequium reducit 355.
Agrippæ commentarii 128.
Agrippinæ Auguſtæ auctoritas 362.
Agrippinenſe concilium 180. 334. colonia Agrippinenſis 357.
Aha vox Germanica vetus 22.
Ai pro a ſcriptum 474.
Al vox Celtica 50.
Alabrunnen 724.
Alaffin vicus 671.
Alagabalus deus 486.
Alaja locus Alſatiæ 19.
Alani in Galliam tranſeunt 217. 425.
Alaricus Romam capit 218.
Alba amnis 242. 489. 671.
Albanus Æmilius 593.
Albanus Potens veteranus Legionis XXII. 444.
Albecbeunæ pagus 670.
Albegnvia 676.
Albericus comes 781.
Alberweiler 651.
Albertus comes Dagisburgenſis ultimus 663.
Albertus comes de Hohenberg 669.
Alberti dynaſtia ibid.
Albinus Clodius Friſios vincit 173. à Septimio Severo victus 176.
Albinagii jus 799.
Albus lacus 26.
Alcimoennis locus in Decumatibus agris 245.
Aldermanni 774.
Aldua, Alduabis & Alduadubis vid. Allanus.
Aldus Argent. epiſcopus 337.
Alemanni, eorum origines 238 ſq. 376. ſq. 389. Rheni accolæ 258. in Galliam tranſeunt 16. 175. 217. 220. 377. 391. 402. 414. ſq. Barbationem Romanorum ducem vincunt 402. à Caracalla devicti 176. à Conſtantio Cæſare 247. 391. à Criſpo Cæſare 395. à Maximino 380. à Juliano Cæſare victi 216. 402. à Gratiano 420. a Romanis in fœdus recepti 424. Alſatiam occupant 28. 427. Argentoratum evertunt 217. munimentorum & urbium hoſtes 179. 185. Francorum hoſtes 430. perfidia eorum 432. ſedes in Alſatia 258.
Alemannia 174. Trans-Rhenana 621. à Francis occupata 431. nomen ejus ibid. ducatus 626. limites 627. pagi ejus ibid. duces 746. leges 805.
Alemannici fœderis origo 267. 620. nomen Caracallæ datum 376. item Gratiano 421. Alemannici ducatus finis 752.
Alemannus amnis 242.
Alenſpach rivus Alſatiæ 21.
Alerici curtis 658.
Aleſaciones 33.
Aleſatii Auſtriæ regno reſtituti 261.
Aleſia urbs à Romanis obſeſſa 109. 352.
Alexander Severus proconſul 555. occiſus 178. ejus nomen & genus 561. columna ei erecta 560. 562.
S. Alexandri reliquiæ 667.
Aliſacius 623.
Alanne, Allanus fluvius Alſatiæ 20.
Alberty Mauner 376.
Alliotus Hyacinth. 84. 452.
Allobrogum civitas 551.
Almerswihr 661.
Alodium 800.
Alpegovia 671.
Alpes maritimæ, Penninæ & Grajæ, provinciæ præſidiales 298.
Alreswihr 661.
Alruna, vid. Tolra.
Alſa, vid. Ellus.

Digitized by Google

INDEX RERUM.

Alſacinſe pagus 633.
Alſatarum lingua primæva 89.
ALSATIA ab exteris populis occupata 28. Galliæ provincia ibid. Germaniæ provincia ibid. Alſatia Celtica 11. Alſatia Romana 123. Alſatia Sequanica 42. an Æduorum colonia 34. à Romanis ſubjecta 353. an Helvetiæ vocata 206. an Burgundica fuerit 258. in formam provinciæ redacta 268. 619. provincia Cæſarea 270. Alſatia ſuperior non Belgica 124. Alemannis ſubjecta 427. pagus 633. Auſtraſiani regni pars 619. 621. Lotharingiæ pars 620. ab Alemannia avulſa 749. ejus res geſtæ 151. fata 412. Alſatia Francica 619.
Alſatiæ comitatus 656. 664. diviſio 6. 314. 632. divitiæ 27. ducatus 630. duces 753. elogia 27. fluvii, vid. fluvii. nominis origo 622. incolæ 2. 33. jura 289. latitudo 17. limites, vid. limites. longitudo 17. montes, vid. montes. nobilitas 27. nummi 818. præſides Romanorum 274. 277. 278. ſilvæ, vid. ſilvæ.
Alſaticæ hiſtoriæ fontes 99. periodi 28.
Alſegaudiæ pagus 638.
Alſetum Æduorum civitas 34.
Alsgaugenſis pagus 638.
Alſpach vid. *Alenſpach.*
Altbronn 714.
Altenberde 659.
Altenſtadt 653.
Altbann 714.
Altitona mons 759.
Altkirch an Larga veterum 200.
Altmuhl amnis 242.
Altorff 654. 715.
Altorfium cœnobium Alſatiæ 635.
Altſtadt Concordia veterum 232.
Alumen plumoſum 514.
Amagetobria locus Sequanorum 43. 104. ſq.
Amalrici villare villa regia 708.
Amandi plures 317.
Amandus Argentor. epiſcopus 207. 314.
S. *Amarin* 780.
Amarinæ vallis metallifodinæ 12.
Ambacti Gallorum quid 67. aboliti 323.
Ambianenſis fabrica 314.
Ambiani Aleſiæ auxilia mittunt 109. 122.
Ambigatus Biturix Celtarum rex 16.
Ambiorix hoſtis Romanorum 352.
Ambroſius præfectus prætorio Galliarum 309.
Amelrichenweiler 708.
AMERBACHIUS 163. 172.
Amethyſti quondam in Alſatia reperti 13.
Amianthus in Alſatia reperitur ibid.
Ammerſchweyer 78.
Ammianus Marcellinus, vid Marcellinus.
Ammonitæ in Alſatiæ reperiuntur 13.
Amſivarii 620. à Romanis debellati 363.
Amtſaſs Germanis quid 35.
Anachoretæ 801. in Alſatiam veniunt 14.
Andegavi ab Aviola coercentur 278. 292.
Andelaha, vid. *Andlau.*
Anderecianı milites 229. 312.
Andlau rivus Alſatiæ 22. monaſterium 717.
Androdamos minera Alſatiæ 13.
Anepos epiſcopus 750.
Angliæ diviſio 624.
Augrivarii à Germanico victi 278.
Anhelantes flammæ 544.
Animalia Alſatiæ 10.
ANNALES Alſatiæ Romanæ 353.
Anegelsbaim 715.
Anparinga 673.
Anſibarii, vid. Amſivarii.
Anſoaldus Argentorat. epiſcopus 337.
Anſolsheim, *Anſulſsbaim*, *Anſulſesheim* 667. 715.
Antimonium Alſaticum 13.
Antiſtita druis 85.
ANTONINI ITINERARIUM 612.
Antonini nomen ab Elagabalo uſurpatum 558.
Antoniniana Legio 442. ſq. 515.
Antoninianæ thermæ 569.
Antoninus Æthicus, vid. Æthicus.
Antoninus Caracalla, vid. Caracalla.
Antoninus Pius an itinerarii Antonini auctor 613.
Antonius Baſſus 603.
Antonius L. præſes Germaniæ ſuperioris 280. in imperatorem ſe erigit 369.
Antonius Marcellinus præſes Lugdonenſis provinciæ 132.
Antonius M. præſes Galliarum 276. an itinerarii Antonini auctor 613.
Antonius præfectus prætorio Galliarum 302.
Antunnacum oppidum à Juliano Cæſ. munitum 409.
Aper Sequanorum inſigne 44.
Apochæ 408.
Apodyterium 542.
S. Apollinaris monaſteriolum 796.
Apollinaris Valentinus epiſcopus 260.
Apollinaris præfectus prætorio Galliarum 304.
APOLLO in Alſatia cultus 74. Mercurio præpoſitus 467. ejus cognomina 465. ejus imagines, Auguſtæ Rauracorum repertæ 171.
Apoſtoli oræ Rhenenſis 310.
Appenweyer 714.
Appia via 249.
Aprilis centurio Leg. XXII. 444.
Aprilis libertus 605.
Aprimonaſterium an quondam Mercurii templum 58. in comitatu Kirchheim ſitum 635. vid. Ebersheimenſe monaſterium.
Apronius proprætor inferioris Germaniæ 271.
Apſiacum 699.
Apua piſcis 449.
AQ. AQF. AQOB. AQP. AQPB. AQS. AQT. 571.
Aquæ minerales Alſatiæ 14. Helveticæ 171. Argentiæ 563.
Aquæductus Auguſtæ Rauracorum 169.
Aquarum caſtellum 570.
Aquenſis civitas 555. ejus antiquitas 564.
AQUILEJENSIS MARCA 652.
Aquilifer 522. 604.
Aquilinus Colonienſium epiſcopus fictus 348.
Aquinum judicium 806.
Aquiſgranum 690. nomen ejus 465.
Aquitania à Clodoveo I. occupata 620.
Aquitanica Gallia provincia Cæſarea 269. Aquitanica prima provincia præſidialis 298.
Ar vox Celtica 50. 53.
Ara Apollinis Argentouarienſis 198. 461. ara Mercurii 436. 460. ara Auguſto Cæſari erecta 356. Pertinaci Imp. erecta 586. ara Birrii 468.
Ara civitas 592.
Arabacthaim 715.
Aræ Flaviæ 245.
Aræ quadrilateræ 484. aræ veterum Alſatarum 96. 324. 466. 510.
Araris fluvius ex Vogeſo ortus 25. limes Maximæ Sequanorum 130. ejuſdem conjunctio cum Moſella tentata 361. vectigalia ejus 103. Arola appellata 629.
Arbetio, magiſter militum, Lentienſes debellat 397.
Arbogaſtes magiſter militum 423.
S. Arbogaſtus in Alſatiam venit 9. 15.
Arbor Felix 171.
Arbores Alſatiæ 9.
Arcarius diſpenſator 519.
Arcenheim 715.
Arces Alſatiæ 446. earum numerus 27. Arces Raurici agri 186.
Archiepiſcopatus Veſontinus 345.
Archiepiſcoporum origines 342.
Architectura Alſatiæ Romanæ 317. Theatri Auguſtæ Rauracorum 168. Architectura Gothica 186.
Arduina dea Gallorum 71. 80. 486. 488.
Arelas ſedes præfecti prætorio Galliarum 300.
Arelaunus ſilcus 690.
Arierial 509.
Arga Celtica vox 50.
Arguntouaria, vid. Argentouaria.
Argens amnis 208.
Argent an Elli nomen 56.
Argentaria, vid. Argentouaria.
Argentarienſe caſtrum 193. 211. exciſum 179.
Argentariorum officina an Argentorati fuerit 213. ſq.
Argenteæ aquæ 563.
Argentifodinæ Alſatiæ 21.
Argentina 207. 680.
Argenton oppidum an Argentouaria 195.
Argentora 207.
ARGENTORATUS 55. 206. 616. ſitus ejus 209. an ærarium Romanorum fuerit 213. civitas Germaniæ prima 215.

Digitized by Google

215. non caput 147. an caſtellum habuerit 211. municipium Romanorum 213. ejus excidium 217. inſignium ejus origo 222. ampliationes urbis 683. monumenta ejus 470. 482. 507. ſq. 518. 520.
Argentoratenſis eccleſia epiſcopo Metenſi ſubjecta 346. epiſcopatus quando inſtitutus 338. 347. Baſilicæ antiquitas ficta 817. Argentoratenſis comes 214. fabrica ibid.
ARGENTOUARIA 43. 52. 173. 193. 616. nomen Celticum 53. ejus memoria reſtaurata 197.
Argentouarienſia monumenta 461. 468. 518. Argentouarienſis pugna Gratiani 420.
Argentum Alſaticum 12.
Argenza, vid. Ergitia.
Argilloſa vallis Raurici agri pars 38.
Argitia an Argens vocatus 209. vid. Ergitia.
Argoviæ pagus pars Burgundiæ 629.
ARIALBINNUM Alſatiæ Sequanicæ locus 39. 43. 50. 187. 616. in vicinia Auguſtæ Rauracorum 173.
Arioviſtus dux Germanorum, in Galliam tranſit 103. 122. ejus bella 102. principatus 103. pugna cum Romanis 106. dominatus in Alſatia 109.
Arlegia 704.
Arlisheim 715.
Arma veterum Alſatarum 66. militis Galli 521.
Armatius præfectus prætorio Galliarum 304.
Arminius Varum cædit 358. à Germanis victus 359.
Armorum fabrica Argentorati 214.
Ἀρνοῦμνος Apollinis cognomen 464.
Arnolfsaugenſe monaſterium 737. 789. à Rheno abſorptum 192.
Arnolfsaugia 652.
Arola Helvetiæ fluvius 15. Araris vocata 629. limes Alemanniæ ducatus 628.
Arragau 639.
Atricus epiſcopus Aventicenſis 345.
Artalbinnum, vid. Arialbinnum.
Artelsheim 715.
Artifices ſcenici 603.
Artolſesheim 715.
Artovius Pachymus 595.
Artzheim 715.
Arvandus præfectus prætorio Galliarum 304.
Arx Auguſtæ Rauracorum 170.
Arzenhemium vicus an Argentouaria vetus 194.
Aſbeſtinum linteum 513.
Aſbeſtus in Alſatia repertus 13.
Aſchowa 652.
Aſerinchæ deæ Gallorum 71.
Aſia provincia popularis 269.
Aſkenazes, traditio de illo 43.
Aſphalti mineræ in Alſatia 13.
Aſſa ſudatio 538.
Aſtroites lapis Alſatiæ 13.
Ataulphus rex Gothorum Galliam intrat 427.
Athelricus 754.
Athenienſis legio 378.
Athicus, vid. Eticho.
Atilius Lucius Petus legatus Leg. VIII. 587.
Attala Abbatiſſa S. Stephani Monaſterii Argentorat. 755. filia Adelberti 768.
Attala monialis 786.
Attianus Magiſlius 439.
Attegia quid 447. Attegia Mercurii 445.
Atticus, vid. Eticho.
Attila Hunnorum rex Rhenum tranſit 16. 148. 178. ejus vaſtationes in Alſatia 196. in Gallia 428. an Argentorati deſtructor 222.
Attilia Helena liberta 605.
Attiniacum palatium 690.
Attonus Conſtans veteranus Leg. XXII. 444.
Attuarii à Julio Cæſare victi 411.
Avanche 130.
Avaricum à Cæſare captum 122.
Aucia fluviolus 675.
Auciacenſis pagus 578. 675.
Auctores linguæ Theotiſcæ 814.
Audalde villare 667. 785.
Avendum caſtrum 712.
Aventia dea Gallorum 71. 82.
Aventicum Helvetiorum oppidum 42. civitas Maximæ Sequanorum 130. 173. colonia Romana 369. Helvetiæ caput 582.
Aventicenſis via 172. epiſcopatus Lauſannam translatus 345.
Aves ſepulcralium monumentorum 608.
Auſaniæ matres 81. 480. ſq.
Aufholz 715.
Aufidius Victorinus Cattos aggreditur 372.
Aufidus Balbus tribun. mil. Leg. XXII. 444.
Aufoldus 715.
Augsburg unde nomen accepit 174.
Augst vicus, Auguſta Rauracorum 130. 151.
Auguſta comitatus 660.
Auguſta legio 443. 514.
Auguſta Rauracorum, vid. Rauracorum.
Auguſta Trevirorum ſedes imperatorum 391.
Auguſta Vindelicorum 173. 616.
Auguſtæ coloniæ 157.
Auguſtalium ſeviratus 527.
Auguſtana tabula 610.
Auguſtodunenſis fabrica 214.
Auguſtoviæ Pagus 639.
Auguſtus Imperator in Gallia commoratur 124. 356. Galliam diſtribuit in provincias 125. an Germanis imperavit 140. Galliarum cenſum agit 268. provincias dividit 313.
Auguſti nomen 313. 580. quando Octaviano datum 139.
Aviola, vid. Acilius.
Avitus Imperator electus 224. 259. ejus victoria in Alemannos 259.
Avitus præfectus prætorio Galliarum 304.
Avitus præſes dubius Germaniæ Inferioris 363.
Avitus Viennenſis epiſcopus 260.
Aulus Bæbius Scaptia Clemes miles Leg. XXII. 444.
Aulus Coraulus miles Leg. XXII. ibid.
Aurelia Argentinenſis 341.
Aurelia Ratisbonenſis 342.
AURELIA civitas 254. 564. 568. ejus nomen 569.
Aurelia Antonina Ovilabis 570.
Aurelia-Aquenſis via 254. 567.
Aurelia Corrhena 570.
Aurelia Singara ibid.
Aurelianum caput regni Burgundici 260.
Aurelianus Francos vincit 381. Gallias recuperat 388.
Aurelianenſis ſynodus II. 180. 260.
Aurelius legatus præſidis Romani in Alſatia 275.
Aurelius Lucilius ſingularis Leg. VIII. 517.
Aurelius Popejanus miles Leg. VIII. 516.
Aurelius Proculus Galliarum præfectus 391.
Aurelius Severus veteranus Leg. VIII. 517.
Aureolus tyrannus Illyrici 386.
Aureus epiſcopus Moguntinus interfectus 428.
Auriferi fluvii 30.
Aurilotores 31.
AURUM Alſaticum 12. 29. auri colligendi modus 31. jus aurum colligendi 32.
Auſonius præfectus prætorio Galliarum 302.
AUSTRASIÆ REGES 739. eorum Chronologia 741.
Auſtria 620.
Auxanius præfectus prætorio Galliarum 304.
Auxilia 292.
Auxiliaris præfectus prætorio Galliarum 304.
Azolverwilre 715.

B.

Bacchus à Naxiis cultus 324.
Bachildis uxor Adelberti 768.
Badæ plures 570.
Badenſe oppidum 568. Marchionatus Badenſis 2. Aurelia civitas vocata 254. Badenſia monumenta 571. 590.
Badomarius, vid. Vadomarius.
Bæbia gens 474.
Bæbius tribunus mil. Leg. XXII. ibid.
Bæbius Scaptia miles Leg. XXII. 444.
Bætylia 486.
Bagaudæ 390.
Baibia gens, vid. Bæbia.
Bains ſecs 538.
Balbinus præſes Romanorum in Gallia 285.
Baldenau 237.
Baldenheim 715.
Balderichesdorff 716.
Balgau 729.
BALINCURTIS Mareſchallus 434.

INDEX RERUM.

Balbonrvillare 716.
Balnea Alſatiæ 14. Romana 517.
Balneæ penſiles 545.
Balſchweiler 718.
Bauteresheim 681. 716. 714.
Baldersdorff 716.
Baltersweiler 716.
Bannus comitis 656. dominicus 799.
Banzenhemium vicus, Stabula veterum 190.
Bar vocabulum Celticum 457.
Barbara lingua 814.
Barbarica valla 511.
Barbaricarum officina an Argentorati fuerit 813. ſq.
Barbatio dux Rom. Juliano Cæſ. contrarius 401. ab Alemannis victus 403. Juthungos vincit 407.
Barbette 497.
Bardeſla 716.
Bargenſis Comitatus 636. 657.
Barones 625. 666.
Baronewilare 716.
Barr 716.
Bartenheim ibid.
Bartholinus Abbas 596.
Barunwilare 716.
Bas Breton lingua ex Celtica orta 89.
Baſalchova 184. 678. pagus 640.
Basilea civitas in Raurico agro 18. Maximæ Sequanorum 130. origines ejus 175. 183. ſitus 183. antiquitas 184. nomen 185. ſedes epiſcopalis 677. ejus ludi 504.
Baſilienſis eccleſia cathedralis 182. epiſcopatus 180. epiſcopi *Raurici* vocantur 365. diœceſis 346.
Baſilla Abbatiſſa S. Stephani 683. 779.
Baſſæus procurator Germaniæ ſuperioris 295.
Baſſiana legio 593.
Baſſianus Imp. vid. Caracalla.
Baſſus vid. Antonius.
Batula vid. Baſilea.
Batavorum legio 415. reges 404.
Batenheim 716.
Battierius Sam. 164.
Bava uxor Hugonis 780.
Bavariæ diviſio 632.
Bazela, vid. Baſilea.
Beara 716.
Beatus Rauracorum Apoſtolus 187. 330.
Beataturo, vid. Vitudurum.
Bebo comes 789.
Bechburgenſium dynaſtia 660.
Bechingen 651.
Beckensheim 716.
Beckius Matth. Frid. 331.
Bedebur 650. 716.
Beggelingen 716.
Beinnheim 716.
Belch, vid. Belus.
Belemnitæ in Alſatia repertæ 23.
Belenus Deus Gallorum 74.
Belgæ a Cæſare deficiunt 122.
Belgica Gallia provincia Cæſarea 296. ejus diviſio 347. prima & ſecunda provincia conſulares 398.
Belginum veterum 237.
Belgius dux coloniæ Gallicæ 120.
Belica civitas 193. 196.
Beulwin 711.
Belliana dea Gallorum 71. Minervæ nomen 475.
Bellay ſedes epiſcopalis 196.
Bellenborn 753.
Bellicenſis epiſcopus Veſontino ſubordinatus 345.
Bellicus 452. 657.
Bellovaci a Bruto victi 274.
Bellum civile Romanorum 353.
Belmont 716.
Belus mons 6.
Beli lacus 26.
Bembina tabula 497.
Beneficia 799.
Beneficiarii ſervi 800.
Benevelden, Benicida oppidum 717. quando munitum 206.
Benſtheim 668.
ner, vid. *Berre*.
Bercheimenſis comitatus 661.
Berchorn 661. 717. 729.
Berchtoldus Alemanniæ dux 617.
Berckheim 729.
Berenbach 650. 717.
Berengarius Italiæ rex in Alſatiam venit 705.
Bereſinda uxor Etichonis 761. 765.
Bergas, *Bergen*, 717.
Bergholtz 717. 739.
Bergzabern 216.
Bernhardus comes 790.
Bernoullius Jo. 164.
Bernweiler 716.
Beroldesheim 717.
Berre vocabulum Celticum 18. 457.
Berſch oppiduli nominis origo 761.
Berſtett 716.
Bertha uxor Gerhardi 780.
Bertholdi comitatus 674. ſq.
Bertholdus nuntius cameræ 752.
Berwy 658.
Bertsheim 717.
Beſoncourt ibid.
Brwald vid. Bienſis ſilva.
Beyſſingen 717.
Biclinium 546.
Biderici curtis 658.
Bienſis ſilva *Bienwald.* 9.
Bierus 717.
Bilihildis uxor Childerici II. 759.
Binderen 717.
Bingium oppidum 212. à Juliano Cæſare munitum 409.
Binningen vicus 50. ſq. Arialbinnum veterum 187.
Binrenheim 717.
Bipontina monumenta 501. 539. 588.
Bipp caſtrum 659.
Birotæ onus 593.
Birrius Martius 468.
Birsa flumen 18. Alſatiæ terminus creditum 1.
Birsicus Alſatiæ rivus 18.
Biſchingen 717.
Biſchoviſheim pagus 643.
Bitheridus nobilis Alemannus 665.
Bitraſius Pollio præſes Galliæ Lugdunenſis 280. 372.
Bituriges Aleſiæ auxilia mittunt 109. 122.
Biveio miles Leg. XXII. 444.
Bliſſus Argentorat. epiſcopus 337.
Biura 717.
Blæſus Junius præſes Galliæ Lugdun. 280. 365.
Blamont pars Juræ montis 3.
Bleihaha rivus 673.
Bletzweiler 653.
Bleonus comes 786.
Bleſa amnis 672.
Bleſinſe, Bleitchouua, ibid.
Bildenvelt monaſterium 716.
Blidulphus Anachoreta in Alſatiam venit 25.
Blienſweiler, *Bieſchweyer* 717.
Berger Wahmuot von Mulhauſen poeta 816.
Blinda rivulus Alſatiæ 21.
Blodsheim 739.
Blozhemium 721. terminus Raurici agri 17.
Blumberg, vid. Florimontium.
Boax piſcis 449.
Bobenthal 651.
Boca piſcis 449.
Bodalus comes 786.
Bodamicus Lacus 407.
Bolemenſenſtampbe 650.
Bodenheim 718.
Bodoleswilare ibid.
Bobingen 654.
Boxberg vid. Voſetius mons.
Boex piſcis 449.
Boii Rhenum tranſeunt 26. Aleſiæ auxilia mittunt 109. 122.
Boliweiler 716.
Bolſenheim 709.
Bonifacius archiepiſcopus Moguntinus 148.
Bonifacius dux Alſatiæ 753.
Bonifacii villare 718. 754.
Bonna civitas a Juliano Cæſare munita 409.
Bonoſus tyrannus 389.
Borbomienſes thermæ 14.
Boronus comes 785.
Botzen 718.
Boumiartus 419.

Bovino

Bovinus campus 655.
Box piſcis 449.
Bozerus 586. 598.
Braccæ 315. an, veteribus Alſatis uſitatæ 65.
Brackenhofferus 540.
Brandborn 654.
Brauerus 198.
Bre vocabulum Celticum 57.
Brececha 191. 678.
Breitenheim 718.
Brennus dux coloniæ Gallicæ 120.
Bretten 718.
Breucomagus, vid. Brocomagus.
Breviarium imperii 308.
Breuſch, vid. Bruſca.
Brico 599.
Brigantia 173.
Brigantinus lacus 407.
Brigantum civitas 551.
Brigobanna 245.
Briſachgaginſe pagus 647.
Briſacum, Briſaga, vid. Briſiacum.
Brisgovia Alſatiæ confinis 2. 673.
Brisiacum, Briſiacus mons, Alſatiæ Sequanicæ locus 15. 43. 52. 173. 191. 616. 678. quondam in Alſatia ſitum 632. 647. nunc in Germania 15. an in Tribocis 138.
Briſigavorum nomen 192.
Briſigouue, vid. Brisgovia.
Briſſac, vid. Briſiacum.
Britanni in Romanos rebelles 372. ab Agricola Calphurnio domiti ibid. eorum lingua 89.
Britannica legio 593. Britannica monumenta 462.
Brittæ matres Galliæ deæ 81. 481.
Brix Scotica vox 52.
Bro, vid. *Bre*.
Broc Celtica vox 57.
Brocomagus locus Tribocorum 57. 138. 231. 616. ab Alemannis occupatur 399. an civitas Tribocorum 551.
Brocomagenſia monumenta 233. 471. 523. 550.
Brocomagenſis tractus 653.
Bromagus Galliæ Lugdunenſis locus 238.
Bromius 502.
Brubach 718.
Bruch, vid. *Broc*.
Bruchbach 718.
Bruche, vid. Bruſca.
Bruchweyler 653.
Bructeri 620. à Germanico Cæſare victi 278.
Bruderſchafften 653.
Brumath, *Brumt* 710. Brocomagus veterum 232.
Brunehildis regina 747.
Brunſtadt 718.
Bruntrutum oppidum Raurici agri 38. ſq. an pugna Arioviſti cum Romanis ibi habita 106.
Bruochmagat 710.
Brusca fluvius Alſatiæ 23. unde nomen habeat 52.
Bruswinda 761.
Brutus Dec. occiditur 354.
Brutus Albinus præſes Galliæ 274.
Buabcguezo 718.
Bubali olim in Vogeſo reperti 10.
Bubulus Vindoniſſenſis epiſcopus 180. 260.
Bucelinus dux Alemanniæ 747.
Buchillon vicus 130.
Buchsgovia pars Raurici agri 38. pagus 637.
Budoris caſtellum Romanorum 245.
Buhela oppidum 674.
Buhrweiler 653.
Bulga 436. 448.
Bulla libertatis ſignum 519.
Buozdingesburſt 650.
Buozinsheim 718.
Bur vocabulum Celticum 457.
Burcardus dux Alemanniæ 631. 752. ſq.
Burcheim, *Burckheim*, 718.
Burckweiler 653.
Burdigalenſis ſchola 321.
Burenheim 718.
Burg vocabulum quid ſignificat 224. ſq. 679.
Burggraviatus quid 625.
Burggravius 686.
Burgius Mareſchallus 434.
Burgundia 620. Alſatiæ contermina 2. ejus provinciæ 260. epiſcopi ibid. limites 632. à Clodovæi filiis occupata 620.
Burgundiones ab Arianiſmo ad Catholicam fidem converſi 260. Alſatiam occupant 28. ſq. an in Alſatia ſedem habuerint 258. 428. à Probo Imp. victi 388. ab Aetio victi 428. Rhenum transeunt 176. ſq. 391. 419. 426. Romanorum amici 265. eorum nomen 225. ſedes ad Rhenum 262. Burgundiones comites 774.
Burgus, vid *Burg*.
Burnhaupten 718.
Buſſanæ acidulæ 14.
Buſſigni vicus 130.
Buxovillanum Laconicum 539.

C.

C pro G ſcriptum 563. 573.
CA AQ 559.
Caduceus Mercurii 436.
Cæcilia Secunda liberta 605.
Cæcina legatus Germanici Cæſaris 358. rebellionem excitat 365.
Cæſar Alſaticam ſubegit 109. 122. 351. Galliam in provinciam redigit 268. Æduos vincit 352. Germanos aggreditur ibid. ad bellum Africanum profectus 274. interfectus 275. ejus campus 105. pugna cum Arioviſto 106. an itinerarii Antonini auctor 613.
Cæſar conſors imperii 700.
Cæſareæ provinciæ 269. coloniæ 158.
Cæſonius C. proprætor Germaniæ ſuperioris 281.
Cæſpititius murus 243.
Cagenheim 722.
Calamaneus 798.
Calanus Priſcus 610.
Caldarium 541.
Calenus Fufius legatus Antonii in Gallia 276.
Caliga 470.
Caligati 440.
Caligula Imp. Galliam exactionibus premit 360. moritur 361.
Calmet 457.
Calphurnius, vid. Agricola.
Calvariberg 474.
Calvomontenſis pagus 670.
Cam Celtica vox 51.
Cambas, vid Cambes.
Cambaules dux coloniæ Galliæ 120.
Cambes locus Alſatiæ Sequanicæ 39. 43. 51. 189. 616. in vicinia Auguſtæ Raurac. 173.
Camb-iſc Celtica vox 51.
Cambodunum ibidem.
Camelaucium 798.
Cameræ nuntii 752.
Camilla tribus 440.
Camillus dynaſta Gallorum Brutum interficit 354.
Caminus 544. ſq.
Campagus 470.
Campanenſes 634.
Campanenſis pagus 640.
Campan Celtica vox 51.
Campes deæ 82.
Campeſtres matres deæ Gallorum 81.
Campidoctor 440.
Campiduna 719.
Campionis judicium 806.
Campodunum oppidum 51. 173.
Campus Cæſaris 105.
Campus mentitus 654. rubeus ibid.
Camulus Mars 75. 469.
Candidatus militum 440.
Candidus T. C. procurator Galliarum 295.
Canes Mercurio conſecrati 436. 449. 456. canes venantes in ſarcophagis picti 608.
Canſtadt nominis etymologia 517. Canſtadienſia monumenta 471.
Cantius Magius veteranus Leg. VIII. 517.
Cantius Mocitius veteranus Leg. VIII. ibid.

INDEX RERUM.

Capellen 653.
Caper Mercurio conſecratus 436. 450.
Capilli Etichonis 763.
Capito Fontejus Germ. inferioris præſes 279.
Capitolinum templum 171. incendio perit 367.
Caput Germaniæ primæ 215.
Capita hoſtium ſuſpenſa 323.
Capitularia regum Francorum 805.
Cappadocia provincia Cæſarea 269.
Caracalla Imp. decimas hæreditatum inſtituit 297. ad Rhenum profectus 376. 569. imperio deſtinatur 572. ejus chronologia ibid. coloniæ 570. columnæ 553. 556. Genealogia 561. proconſulatus 554. tituli 553. Alemannicus dictus 376. an itinerarii Antonini auctor 613.
Caratia gens 525.
Caratius 527.
Carbones bituminoſi in Alſatia 12.
Carabete 189. 617.
Carinus præſes Galliæ Belgicæ 376. Suevos profligat 355.
Carinthiaca inſcriptio 572.
Carinus Cæſar in Galliam venit 390.
Carinus præſes Galliæ Lugdunenſis 282.
Carni colonia Celtica 120.
Carnutes Aleſiæ auxilia mittunt 109. 122.
Caroli Calvi fœdus cum Lodovico Germanico 812.
Carolina via 225.
Carolomannus rex Auſtraſiæ 744.
Carolus M. rex Franciæ 744. linguæ Theotiſcæ ſcriptor 814. nominis ejus orthographia 818. nummus ibid.
Carolus Martellus 750. 744. obiit 751.
Carrus 593.
DES CARRES 586.
Caſatus Caratius fictiliarius 522.
Caſſinius 574.
Caſſis militis Gallici 521.
Caſtelberg 474.
Caſtella ad Rhenum à Poſtumo condita 386.
Caſtellani milites 389.
Caſtelli montis monumenta 473.
Caſtellum an Argentoratum habuerit 211. caſtellum Auguſtæ Rauracorum 170. caſtellum Valentiniani 245.
Caſticus Sequanus 109. nobilis 665.
Caſtor & Pollux in Alſatia culti 79. 471.
CASTRA Alſatiæ Romanæ 149. Alſatiæ Franciciæ 676. caſtra varia 535.
Caſtrametator 440.
Caſtrenſis murus 532.
Caſtriliani milites 189.
Caſtrum quid ſit 178. 676. 688. Rauracenſe 177. caſtrum Argentarienſe 211. ducis Alſatiæ 308.
Catalaunicum prœlium 429.
Catamantaledes rex Sequanorum 109. nobilis 665.
Catti Germanicus populus 248. 620. victi a Druſo & Germanico 278. à Galba 279. 361. à Pomponio 279. 362. Germaniam Cis-Rhenanam invadunt 372.
Catulinus Ebredunenſis epiſcopus 260.
Catulli nomen 576.
Cauſariæ liberalleates 171.
CRALS rivus Alſatiæ 21.
Celeres 604.
Celius mons 171.
Cella media 541. cella monachorum 718.
Gellus 480.
CELTÆ 110. eorum coloniæ 119. natio ab aliis diſtincta 114. nomen unde 90. ſq. nomen Gallis datum 112. an etiam Germanis 113. 116. eorum ſuperſtitio de Rheno 16.
Celtes tabulam Theodoſianam reperit 610.
Celtica Alſatia 31. Celtica lingua 89. Celtica periodus 99. Celtica vocabula 90.
Celto-Romaniſmus 91.
Cembs, vid. Cebus.
Cemelion oppidum civitatis Vediantiorum 551.
Cenaticum 799.
Cenchrites lapis Alſatiæ 13.
Cenni gens Germanica 377.
Cenſus duplex 160.
Centa, Centena 791.
Centenarii 686. 791.
Centenatus 624.
Centurionis ligla 441.
Cercopithæus Ægyptiorum deus 500.
Cerealis Q. P. Germaniæ ſuperioris præſes 280. 368.
Cerevilia veterum Alſatarum potus 64.
Cerethrius dux coloniæ Gallicæ 120.
Ceſpes bituminoſus Alſatiæ 12.
Ceſpitaticum 799.
Ceſius Sabinus centurio Leg. VIII. 516.
Chadichus, vid. Eticho.
Chaibones Galliam invadunt 391.
Chalybs Alſaticus 12.
Chamavi 620.
Chambeti villa Alſatiæ, *Chambets* 613. 719.
Charietto comes 310. à Germanis cæſus 415.
Charmont villa 199.
Chauci 620. à Druſo domantur 278. à Galenio victi 361.
Chammontois 670.
Chelidonius Veſontinus epiſcopus 346.
Chemin des Sarazins 153.
Cheruſci 620. a Germanico victi 278.
Chilsheim comitatus 641.
Childebertus I. rex Auſtraſiæ 741.
Childebertus II. 743. regnum inter filios dividit 261. Strateburgi commoratus 679. Marilegi habitat 703. fundator Maurimonaſterii 735.
Childebertus III. rex Franciæ 741.
Childericus I. an Alſatiæ imperaverit 740.
Childericus II. rex Auſtraſiæ 743. 766.
Childericus III. rex Franciæ 744. 767.
Chiiſflatt 719.
Chilpericus II. rex Franciæ 744. 767.
Chinzicha 719.
Chirodota 519.
Chleggovia 672.
Chnodomarii regis caſtra 216. Chnodomarius Decentium vincit 396. Rhenum tranſit 402. à Juliano captus 404. obiit 405.
Choloopurum 695.
Chouerhaun 719.
Chorobates 526.
Chors 595.
CHRISTIANISMUS Alſatiæ Romanæ 326. 416.
Chriſtianorum perſecutio 371. 392.
CHRISTIANUS Dux Bipontinus 539.
Chrodhardi dynaſtia 668.
Chrodobertus dux Alemanniæ 749.
CHRONOLOGIA periodi Celticæ 122.
Chunorum gens 381.
Chuntilingas 719.
Chunts von Kosheim poeta 816.
Cibos umbrarum 510.
Ciconia Veſtæ ſacra 476.
Cineres mortuorum conſervati 513.
Cingere latus 448.
Cingetorix Romanorum ſocius 352.
Cippi milliares 171. 547.
Circius deus veterum Gallorum 71.
Circumdata loca 480.
Civilis Cl. Belgas excitat 366.
Civitas quid ſit 69. 551.
Civitas Aquenſis 555. Tribocorum 558.
Civitates epiſcopis ſubjectæ 684.
Civitatis Rom. jus 290. Alſatiæ conceſſum 289. toti imperio datum 291. Æduis conceſſum 561.
Clabula 257.
Clamatores 805.
Clariſſimus 311.
Claroangus 720.
Claſſes monaſteriorum 801.
Claſſicus præfectus Trevirorum 367.
S. *Claude* monaſterium in comitatu Burgundiæ 264.
Claudios Imp. natus 357. Gallis jus civitatis confert 290. 361.
Claudius Veſontinus epiſcopus 290. 345.
Clauſura, ſive Cluſura, quid 245.
Cleeburg 653.
Clemens cognomen Romanum 480.
Clemens Metenſium Apoſtolus 327.
DE CLEVES 597.
Clipeus militis Gallici 521.
Clodius, vid. Albinus.
Clodoveus Francorum rex 430. 719. 741. ducatus Alemanniæ auctor 627.
Clodoveus II. rex Auſtraſiæ 742.
Clodoveus III. rex Franciæ 741.
Cloroangus 780.
Clotharius I. rex Auſtraſiæ 741.
Clotharius II. M. rex Auſtraſiæ 742. 744.

Clotharius

Clotharius III. rex Auſtraſiæ 742.
Cnuthinga 676.
Cobaltum Alſaticum 13.
Cochleæ terreſtres Alſatiæ ibid.
Coctavius Tidius Toſſianius præſes Germaniæ ſuperioris 282.
Cælius Balbinus Vibullius miles Leg. XXII. 444.
Cœnacula Romanorum 546.
COGNIUS Dux & Mareſchallus 414.
Cognomina legionum 442.
Colchinheim 719.
Coblambur 695.
Cohortalini 160.
Cohortes peditatæ & equitatæ 595.
Collegia Canonicorum in Alſatia 15.
COLMARIO 693. in vicinia argentorariæ veteris 195. ejus origines 179. 198. inſignia 695.
Colabocitheim 719.
Colonia Agrippina metropolis Germaniæ ſecundæ 215. Romana colonia ibidem 362. à Juliano Cæſare recuperata 399. Colonia equeſtris 42. 582. Colonia Helvetiorum 582. colonia immunis 160. Colonia Junia 199. colonia libera 160. Colonia Lugdunenſis 155. Colonia Raurica 152. ejus memoria reſtaurata 182. colonia Romana nulla in Alſatia 213.
Coloniæ Celtarum 119.
Coloniæ Romanæ ad Rhenum 157.
Coloniarum duumviri 581. genera 157. jura 160. 289.
Coloniienſe concilium 180.
Coloſſus Auguſtæ Rauracorum 171.
Columba Veneris ſymbolum 477.
S. Columbanus in Alſatiam venit 14.
Columbarium 507.
Columbra 695.
COLUMNÆ leugares 552. 566. in gallia 567. columnæ milliares 199. 547. earum multitudo 565. origo 547. columnæ templi Othmarshemiani 506.
Comata Gallia 278.
Combuſtio cadaverum 523.
Comes quid 309. 774.
Comes Argentoratenſis 214. 309. Moguntiacenſi duci non ſubjectus 309. palatii Kœnigshoviani comes 702.
Cometæ 656. 776.
Comitatenſes legiones 311.
Comitatus quid 633. 656. eorum origo 624.
COMITATUS Alſatiæ 656. 664.
Comitatus Argentoratenſis limites 310. comitatus Eberhardi 635. in Ried 652. Transvogeſianus 670. principis 774.
COMITES Alſatiæ 770. 771. urbium 685. fiſci Alſatiæ 786. comitum poteſtas 214. origo 637. prærogativæ 775. claſſes 776.
Comitivo 624.
Commentarienſis 305.
Commentarius principis 308.
Commoda legio 515.
Compendia literarum 492. 525.
Compendium palatium 690.
Complatum 418.
Compurgatores 806.
Concædes 241.
Concamerata ſudatio 538.
Conchitæ Alſatiæ 13.
CONCORDIA locus Tribocorum 137. 232. 616.
Conducifcenſe monaſterium quando conditum 263.
Conditor coloniæ Rauricæ 152.
Conditorium 525.
Confluentis monaſterium 736.
Confraternitates 653.
Conjuratores 806.
Conradus Alemanniæ dux 752.
CONSPECTUS Alſatiæ illuſtratæ 2.
Conſtantianus præfectus prætorio Galliarum 303.
Conſtantianus tribunus ſtabuli interfectus 419.
Conſtantienſis lacus 407. epiſcopatus 748.
Conſtantinus Cæſar Alemannos vincit 347.
Conſtantinus M. in Galliam reverſus 194. ejus genealogia 490.
Conſtantinus tyrannus Galliam occupat 299. 427.
Conſtantius Imp. Rhenum tranſit 159. 162. Barbaros in Alſatiam vocat 391.
Conſtantii Cæſaris prælium cum Alemannis 347. 391.
Conſtantius Maximus 589.
Conſtantius Octodorenſis epiſcopus 260.
Conſtantius præſes Galliæ Lugdunenſis 282.
Conſtantius Vappincenſis epiſcopus 260.
Conſtructio ſepulcrorum 510. conſtructio viarum Romanarum 250. 254.
Conſulares provinciæ Galliarum 298.
Conſulatus Baſſiani 553.
Contubernium 490.
Conventus ordinum mendicantium in Alſatia 15. conventus publici 69.
Cooptatio collegarum 467.
Coracia feſta 504.
Corax 502.
DE CORBERON 19. 398.
Cornelius Aliquandus Neptuno monumentum ponit 490.
Cornelius Scipio legatus Leg. VIII. 526.
Cornicularius 305.
Cornua ammonis lapides Alſatiæ 13.
Corona civica Auguſto oblata 154. Dagoberti II. corona 797. corona veneris 476.
Coronæ vallis 642. 705.
Coronarum regiarum forma 798.
Cors 595.
Corsned judicium 807.
Covini Gallorum 66.
Crater fictilis 609.
Creachesham 719.
Creſcens, vid. Æmilius.
Creſcens Viennenſium & Moguntinorum apoſtolus 327. 330.
Creiheim villa 647.
Creuchesheim 719.
Criſpus Cæſar Alemannos vincit 395.
A CRONBERG 492.
Cronenburg 705.
Cronthal ibid.
S. Crucis oppidum 640.
Crucis judicium 807. crucis ſignum ubi à Conſtantino M. viſum 393.
Cruſta ſumma viarum 250.
Crutamanna 75.
Cryſtalli Alſatiæ 83. Rheni 17.
Cundolterhaim 719.
Cuono comes de Rhinfelden 639.
Cura epiſtolarum 305. cura viarum & pontium 529.
Curatores viarum 250. curatores coloniarum 581.
Curreinesheim 719.
Curſus fiſcalis 257.
Curtiacus Lem. veteranus Leg. VIII. 517.
Curtilius Mancia præſes Germaniæ ſuper. 363.
Curtis regia 689.
Cuſtos armorum 449.
Cuvotta rivulus Alſatiæ 20.
Cybele 488. Phrygum numen tutelare 324.
Cyllenius Mercurius 73.
Cyprianus epiſcopus Arelatenſis fictitius 748.
Cyprii Venerem colunt 324.
Cyriacus papa fictitius 341.

D.

Daberts Saal 705.
Dacicum itinerarium 612.
Dadila 719.
Dæmonicus murus 245.
Dagaliphus Alemannos repellit 414.
Dagisburgenſia monumenta 458. 487. 589. Dagisburgenſis comitatus 663.
Dagobertorum confuſio 740.
Dagobertus I. Rex Franciæ 740. 742.
Dagobertus II. 743. Weiſenburgenſem abbatiam condit 231. geravdas inſtituiſſe creditur 653. Rubiacum Argent. eccleſiæ donat 691. 647. ejus ſedes in Alſatia 693. 704. corona 797.
Dagobertus III. rex Auſtraſiæ 743.
Dahenheim 653.
Dalenheim 719.
Damerkirch 720.
Dampierre vicus comitatus Burgundiæ 106. 108.
Danchelsheim 719.
Danckrazheim ibid.
Dannemarie 720.
Dardanus præf. prætorio Galliarum 304.

INDEX RERUM.

Darenſee lacus Alſatiæ 26.
Daroangus 720.
Datira 719.
Dattenriedt 719.
Datum 690.
Deæ Maires 81. 478.
Decanatus 624.
Decani 792.
Decempagi 235. 616.
Decenæ 792.
Decentius Cæſar à Chnodomario victus 396.
Decimæ 792.
Decumates agri 174. 241. ab Alemannis occupati 376. nunquam in provinciam redacti 246.
Decima hæreditatum 296. ſq.
Decuriæ 792.
S. Deicola monaſterii Lutrenſis conditor 14.
Dejotariana legio 443.
Delemontana vallis 38.
Delphinus Neptuno ſacer 491.
Denarius 577.
Dendrites lapis Alſatiæ 13.
Dendrophorus Silvanus vocatus 487.
Denſen 237.
S. Deodatus in Alſatiam venit 9. 15.
Deoſetheim 719.
Depoſitarium 542.
Derts vox Celtica 83.
Deſſenheim 733.
Deſtructores monumentorum 434.
Deuſo Francicus locus 419. Deuſonienſis Hercules 323.
Deutesheim 654.
Dextrum latus 448.
Diademata regia 798.
Diana in Gallia culta 80. Diana Arduinna 488.
Dianæ fanum Nemauſenſe 171.
Didattium oppidum Sequanorum 42. non in Alſatia quærendum 62.
Didenesheim 720.
Didenheim 733.
Dienast Hier. 181.
Dietesfeld 654.
Dietweiler 733.
Dieuze 235.
Dignitas Druidarum 83.
Dii veteris Alſatiæ 70. ſq.
Dinghoff unde nomen habeat 531.
Dingsheim, *Dinſet* 733.
Diocletiani. Imp. diſciplina militaris 230.
Diœceſis 298.
Diplomatum falſorum auctoritas 636.
Dirona dea 588.
Diſciplina militaris ab Hadriano reſtituta 371.
Diſcubitiones 480.
Disheim 720.
Diſpenſator ſervus 519.
Diſſidiæ Sequanorum & Æduorum 103.
Diverſoriæ tabernæ 229:
Divinum judicium 806.
Diviſio Alſatiæ 6. 314. 632. Germaniæ Cis-Rhenanæ 144. regni Carolingorum 621.
Divitiacus Æduus 106.
Divitiæ Alſatiæ 27.
Divodurum caput Mediomatricorum 46. 616. captum 365. Divodurenſia monumenta 437. 468. 478. Divodurenſis via 253.
Documenta periodi Romanæ 610.
Dodecathea 484.
Dœrrenbach 653.
Dœsburgi origines 226.
Doliare opus 511.
Doligenus Jupiter 475.
Dom Pieter Molsheimenſe templum 332. monumenta ejus 553.
Domenger 666.
Domeſtici 793.
Domicelli 666.
Dominæ deæ Gallorum 81.
Dominatus Arioviſti in Alſatia 109.
Dominatus Romanorum in Alſatia ibid.
Domini 666. domini terræ 625.
Domitianus Imp. Germanos aggreditur 369.
Domitianus menſis 369.
Domitianus Tungrenſis epiſcopus 345.
Domius Cogitatus 603.
Domna Maria 720.
Domus Alſatarum conſtruendi modus 49. Domus divina 438. Domus dominica 689.
Dononis montis monumenta 451. 473.
Dorenheim, *Dorlosheim*, 720.
Dornacum arx in agro Raurico 38.
Doroangus 720.
Dorval vallis 583.
Doſenheim 719.
Douar Celtica vox 53.
Draco marinus 492.
Draconarii 516. 523.
Drey Buchen 88. an vicus Alſatiæ 135.
Drey Heiligen 529.
Driſcigove pagus 673.
Dritte Hengeraydt 653.
Drix Scotica vox 53.
Droſenheim 226.
Dru Celtica vox 83.
Druidæ 82. ex Gallia pulſi 361. eorum dignitas 83. philoſophia 84. religio ibid. locus in Alſatia 458.
Druidiſſæ, Druis antiſtita, 85.
Drusenheim 720. an Concordia vetus 233. ejus antiquitas ficta 226. 278.
Druſus an Argentorati conditor 211. caſtrorum Rhenenſium auctor 241. præſes Galliæ Lugdunenſis 278. Germanos oppugnat 357. obiit ibid.
Dryades 85.
Duberatia Caſtula 459. ſq.
Ducatus Alemanniæ 626. ejus finis 752. Alſatiæ 630. 771.
Ducenarius 305.
Duces Alemanniæ 627. 746. duces Alſatiæ 307. 313. 753. eorum poteſtas qualis 214. 312. ducum corona 763. 799.
Duelli judicium 806.
Duninheim 720.
Dumniſſum 237.
Dumnorix Æduus 109.
Dun Rhein rivus Alſatiæ 19.
Dummenheim 720.
Duringheim 733.
Durlaci origo ficta 560.
Durmia gens 581. Durmius Paternus viæ Aventico-Rauracenſis auctor 369. 581.
Durnorex 599.
Durren Enſisheim 728.
Durvau 583.
Duſius deus Gallorum 71.
Duſſius Rufinus ædiculam marmoravit 577.
Duttweyler 654.
Duumvir coloniarum 581.
Dux quid 746.
Dynastæ 795.
Dynastiæ 625. Dynaſtiæ Alſatiæ 665.

E.

E Græcorum, ejus figura 600.
Eberhardus comes 769. 777. 790. ejus comitatus 635. Egishemii conditor 649. Murbacenſis monaſterii conditor 662.
Eberhardus III. comes 784.
Ebershemenſe monaſterium 736. ejus conditor 756. vid. Aprimonaſterium.
Ebershemium vicus 204. 720.
Ebredunum 401. Ebredunenſe caſtrum 130.
Ebroinus major domus 749. 759.
Eccleſiæ D. Petri Argent. antiquitas 332.
Eccleſiarum Alſatiæ antiquitas 329.
Echevins 792.
Echinitæ Alſatiæ 13.
Eckbolzheim 720. Eckbolzheimenſis terra 13.
Eckenbach, torrens Alſatiæ 21. Alſatiam dividit 1.
Eckirch 716.
Ecuyers 666.
Eddo Argentinenſis epiſcopus 207. 674. 783.
Edelſaß nomen Alſatiæ 34.
Edelsheim 653.
Edhilingi 665.
Edickin *Edith*, vid. Eticho.
Edighofen 654.
Edle Herren 666.

Egerhardus

INDEX RERUM.

Egerhardus comes 786.
Egesheim 714.
Egiboldesheim 720.
Egishemium 649. 714. Egisheimenſis comitatus 662.
Ehinhemium 709.
Ebo rivus Alſatiæ 22.
Eichenebere 651.
Einſigesheim 720.
Eirmus 518.
Eiſlaris 720.
Ekkingen 672.
El Celtica vox 55. 112.
El Fluvius, vid. Ellus.
El vicus Alſatiæ 14. 54. 205. 331.
Elagabali Imp. columna 556. nomen ejus ex monumentis deletum 558. tituli ejus ibid. genealogia 561.
Elcebus locus Tribocorum 54. 138.
Elceſi 34.
Electio epiſcoporum 801.
Elegia, Eleja, vid. *El.*
Elenſia monumenta 478.
Eleonis monaſterium 717.
Eleotheſium 541.
Eleuto, vid. Helvetus.
Eliſchouue pagus 618. 662.
Ell, vid. *El.*
Ellenwiler 724.
Ellus fluvius Alſatiæ 18. ſqq. 55. an Argent vocatus 56. Alſa appellatus 622.
Eloquentia gallorum 66.
Elpericus rex 767.
Elſa fluvius Briſgoviæ 19.
Elſaſtaabern, vid. Tabernæ.
Elſaſſer, unde nomen eorum 35.
Elſaa Palatinatus rivus 19.
Elſeſt 34.
Elsgaudis Alſatiæ contermina 2.
Elsat 19.
Emeltrudis, uxor Eberhardi comitis 778.
Emeritus Sextus miles Leg. XXII. 443. ſq.
Emunitates 626. Emunitates Alſatiæ 647. Emunitas inferior 650.
Englisſebaim 721.
Ennodius dux 746.
Enſis militis gallici 66. 521.
Enſisheim 715. 720. an Uruncæ veterum 201.
Entrochi Alſatiæ 13.
Epamanduodurum 41. 198. 547. 616. Epamanduodurenſia monumenta 547. 576.
Epao, Epauna, locus Burgundiæ 260. Epaonenſis ſynodus ibid.
Epfich 699.
Epamanturo, vid. Epamanduodurum.
Epiſcopales urbes 684. magiſtratus 686.
Epiſcopatus 800. Epiſcopatus Baſilienſis origo 180.
Epitaphia excavata 604.
Epochæ Chriſtianiſmi in Alſatia 326.
Epona dea 82.
Epulæ ad tumulos 480.
Equeſtres ludi 687.
Equeſtris colonia 582.
Erbius Matthias 197.
Erboldisvillare 721.
Ercafrtisheim ibid.
Erchangarius comes 788.
Erchangerus nuntius cameræ 752.
Erchangeri comitatus 674.
Erchenwehr 54.
Erckenbach, vid. *Eckenbach.*
Erenſtein 700.
Ergers amnis 563. an Argens vocatus 209.
Ergersheim 721.
Ergitia Alſatiæ rivus 22.
Erguel vallis 658.
Ericus, vid. Hericus.
Eringenſasheim 721.
Erlingarius comes 788.
Erlenbach rivus Alſatiæ 25. 237. locus 650. 721.
Ermengardis 780.
Ermenricus rex Suevorum 219.
Erſte Hardgeraydt 654.
Eſchbach 653.
Eſchezwiler 715.
Eſox piſcis 27.
Eſphenwilere 721.
Eſus deus Celtarum 74. 469.
Eticho, *Etich*, dux Alſatiæ 630. 754. monaſterium condit 6. Ehnhemii habitaſſe fertur 22. ejus proſapia 666. 761. 776. monumenta 763. 765.
Eticho junior 783.
Eticho Burgundiæ dux 757.
Etichones Guelforum familiæ 768.
Etichonidæ comites 776.
Etinheim oppiduli nominis origo 674. Etinheimenſis Marca ibid. Etinheimenſe monaſterium 738.
Etlingiæ antiquitas ficta 493. Etlingiacenſia monumenta 489.
Euchariſtiæ judicium 807.
Eucharius Alſatiæ Apoſtolus 327. 330.
Eugenis filis Adelberti 768.
Eugenia Weiſenburgenſis 142.
Eugenius declaratur Auguſtus 433.
Eumenius panegyriſta 321.
Evocati 594.
Evodius præfectus prætorio galliarum 302.
Euphratas Colonienſis epiſcopus 134.
Eutropius præfectus prætorio galliarum 304.
Ex biſo 473.
Excavatio epitaphiorum 604.
Exceptor 305.
Excidium Argentoeati 317.
Ex comite 775.
Excurſus de auro Rhenenſi 29. de Celtis 109.
Exemptio 648.
Exonia 806.
Exterior ire 448.
Ex voto 473.
Exuperantius præfectus prætorio galliarum 304.

F.

Fabianus Evander aquilifer Leg. XIII. 604.
Fabius Titianos præfectus prætorio galliarum 300.
Fabius valens Vitellium Imperatorem ſalutat 365.
Fabius L. centurio Leg. VIII. 515.
Fabricæ armorum Galliæ orbium 314.
Fabula de Trebeta 100. de Tribotibus ibid.
Fabuloſi reges galliæ 99. fabuloſi ſcriptores 101. rerum Alſaticarum 120. fabuloſum tempus Alſatiæ 99.
Fachina, Faconna, rivus Alſatiæ 21. 661.
Faschius, Bonif. 172.
Faschius, Jo. Rod. 182.
Faginulvineas 662.
Falababu, *Falb*, 721.
Falcium mons Vogeſi pars 4.
Falckenſteinerbach rivulus Alſatiæ 24.
Familiaria ſepulcra 525.
Fanum Mercurii fictitium 71.
Faunus Latinorum numen tutelare 134.
Favonius Seccianus centurio Leg. VIII. 517.
Feacha, *Fecht*, vid. Fachina.
Fedinheim 721.
Felakircha, *Feldkirch* ibid.
Felix legio 442.
Felix præfectus prætorio galliarum 303. ſq.
Feræ Alſatiæ 10.
Feralia Romanorum 510.
Ferrata vis 451. Ferratus mons pars Vogeſi 7. 451.
Ferrea corona 798.
Ferreolus præfectus prætorio galliarum 304.
Ferreolus Veſontinorum Apoſtolus creditur 330.
Ferretum agri Raurici locus 17. Ferretenſis comitatus 640.
Ferri candentis judicium 806.
Ferrifodinæ in Alſatia 12.
Ferrum Alſaticum 13.
Ferrutius Veſontinorum Apoſtolus creditur 330.
Fertilitas Alſatiæ 21.
Feſchotta rivulus Alſatiæ 20.
Feſſenheim, *Fetzenheim*, 721.
Feterau de Brou 434. 461.
Feudum 799. ſq.
Fictilia vaſa 609.
Fictitii Alſatiæ populi 59.
Fidelis legio 442.
Figurati lapides in Alſatia 13.
Filina fluviolom 158.
Finiti nomen 608.
Firmen 734.
Fiſcales comites 657.
Fiſcalis curſus 257.
Fiſcus regius 689. 799.

INDEX RERUM

Flabotesheim 721.
Flachlantiſe, *Flachland*, 722.
Flammæ anhelantes 543.
Flavia colonia 369. 582. Flavia gens 606. ejus genealogia 590.
Flavius Antoninus 606.
Flavius Claudius imperator 590
Flavius Volcatius Rufinus præfectus prætorio galliarum 300.
Flemlingen 653.
Florales ludi 812.
Florentius anachoreta in Alſatiam venit 45.
Florentius Arauſicus epiſcopus 260.
Florentius dux germaniæ 313.
Florentius præfectus prætorio Galliarum 300. ſq.
Florentinus Tricaſtinus epiſcopus 260.
Florimontium in Jura monte ſitum 3.
Florus præfectus prætorio galliarum 303.
Florus Jul. Treviros ad ſeditionem inſtigat 359.
Fluvii Alſatiæ 15. ſqq. fluvii auriferi 30.
Foculus balneorum 545.
Fodina chalybis in Alſatia.
Fœderatæ civitates Romanorum 196. 286.
Fœdus Ludovici germanici & Caroli Calvi 811.
Fontanella monaſterium 638.
Fontaninius 441.
Fontejus Spendianus aquilifer Leg. I. 604.
Fontes Hiſtoriæ Alſaticæ 99.
Fontium præpoſitus 606.
Foreſta ſancta 9. 800.
Forlach rivulus Alſatiæ 25.
Fortis legio 442.
Forum Tiberii 173.
Foſſa caſtrorum 535. Foſſa Ludoviciana 21.
Foſſa provincialis 21. limes Germaniæ Cis-Rhenanæ 141. limes Maximæ Sequanorum 130. limes Tribocorum 138.
Framont, vid. Ferratus mons.
Franci 620. Alſatiam occupant 28. ab Aureliano Imp. victi 381. a Probo Imp. victi 388. Alemanniam occupant 431. Francorum origines 248. 267. 357. 381. 620. reges 430.
Franciæ diviſio 620. ducatus 627. 675. Francia orientalis 627.
Francica Periodus Hiſtoriæ Alſaticæ 619. Francica lingua 813.
Franckenberg, vid. Ferratus mons.
Franckenheim 718.
Franckweiler 653.
Franconicum jus 148.
Franck Allenæ 666. 800.
Fraomarius Bucinobantium rex 419. rex Alemannorum 665.
Fredebertus Baſilienſis epiſcopus 180.
Fredeburga Guozonis filia 748.
Freidsbaim 668.
Fregiſtatt 721.
Frenshem 654.
Fretenſis legio 605.
Freyen Æmter 659.
Freyherren 664.
Friburgum Aventicenſis epiſcopi ſedes 346.
Frickgovia pagus 638.
Frickiana vallis an nomen dedit Rauracis 40.
Friderici Barbaroſſæ Imp. carmina 812.
Fridericus Wurtembergicus dux 576.
Fridolfesbaim, *Fridolabeim*, 722.
Frigidarium 541.
Frilingi 665.
Friſavæ matres 81.
Friſii 620. ab Albino Clodio victi 373.
Froburgica familia 660.
Frumentum è cœlo delapſum 388.
Frutices Alſatiæ 9.
Fuldenſis Marca 652.
Fulraduvillare 722.
Fulradus Abbas 665. 667.
Funera veterum gallorum 68. veterum Alſatarum 319.
Funffte Hengeraydt 654.
Furius Sabinus Aquila 295.

G.

G pro C ſcriptum 571.
Gabiæ matres 81. 481.
Gabinus Chaucos vincit 361.
Gadus 522.
Gaganheim 722.
Galba præſes Germaniæ ſuperioris 279. Claudii Imp. amicus 361. Rhenum tranſit ibid. imperator proclamatur 364.
Gallis jus civitatis Romanæ concedit 364.
Galea militis Romani 521.
Galena Alſatiæ 13.
Galeria tribus 440.
Gallaicæ matres 81. 480. ſq.
Galli Julii Cæſaris auxiliares 354. à Meſſala Corvino domiti 277. ab Agrippa reducti 355. e Roma dimiſſi 358. a Galba civitate Romana donati 364. gallorum nomen 110. Gallis Celtarum nomen datum 111.
Gallia vetus 274. à Romanis ſubacta 352. provincia Cæſarea 269. Auguſto conceſſa 355. a germanis occupata 308. ejus diviſio 110. 143. 194. 620. Alſatia Galliæ provincia 28. galliæ reges fabuloſi 99. galliæ vicariatus 298. gallia comata 278. galliæ Belgicæ diviſio 174. Galliæ Lugdunenſis præſides 277. galliarum præfectura 132.
Gallica Alſatiæ oppidorum nomina 48. Gallica ſchola palatii 321. Gallicum itinerarium 612.
Gallica, calceamenta Gallorum 65.
Gallienus imperator ad Rhenum accedit 383. Poſtumum bello perſequitur 386.
Gallo-Græciæ regnum in Aſia minore 120.
Gallomannus raferendarius 666.
Gallus gallinaceus Mercurio dicatus 416. 453.
S. Gallus in Alſatiam venit 14. 748.
Gamanesheim, *Gamsheim*, 722.
Gando Argentoratenſis epiſcopus 117.
Ganerbiatus 652.
Garsilius 610.
Garinus comes 787.
Garonnus Argentoratenſis epiſcopus 117.
Gau Celtica vox 622.
Gaudentius epiſcopus Conſtantienſis 748.
Gauding 623.
Gaudio vox poculis inſcripta 608.
Gaufredus de Brulaco an torneamentorum inventor 687.
Gaugraf 621.
Gavius Armonius locator ſcenicorum 602.
Gavius Silvanus primipilaris Leg. VIII. 516.
Gaunacumma 521.
Gaurecht 623.
Gausbertus dynaſta 667.
de Gaydt 434. 586.
Gebennenſii comites 686.
Gebersvillanæ accidulæ 14.
Gebersweyer 649. 714.
Gebhardi villare, *Gebilachiswilre*, 649.
Gebhardus comes 773.
Gebolderswege 650.
Gebuinus Lugdunenſis archiepiſcopus 345.
Gebwerwilare, *Gebweiler*, 722.
Geierbaden arx 239.
Geispitzen, *Geispolzheim*, vicus Sundgoviæ 718. an Cariabete veterum 189.
Gelenheim locus fictus Alſatiæ 132.
Gemar 722.
Gemellus Vaſenſis epiſcopus 260.
Geminæ legiones 515. 592. ſq.
Gemund 672.
Gen Celtica vox 53.
Genecia 698.
Genevenſia monumenta 525.
Gengenbacenſe monaſterium 738.
Genii 471.
Genicia Alſatica 698. genitium Colmarienſe 697.
Gentes fœderatæ Romanorum 286.
Gentilitia ſepulcra 525.
Gentilium cella 474.
Gentius Victor veteranus Leg. XXII. 441. 444.
Georgius comes à Wurtemberg arcem Horburgenſem condit 197.
Geraydæ 653.
Gergovia à Cæſare capta 122. oppidum 533.
Gerhardus comes 779.
Gerlindis uxor Adelberti 768.
Germani à Sequanis in auxilium vocati 103. Celtæ appellati 113. in Alſatiam intrant 143. 391. in Galliam tranſlati 358. à Cæſare debellati 352. Cæſaris auxiliares 354. à Criſpo Cæſare victi 395. Iidem colunt 498. an illis Auguſtus imperaverit 130. an Celtarum nomen ipſis conveniat 111. 117. eorum acies 108. confœderatio 372. nomen 103. origo ibid.

Germania

Germania Cis-Rhenana Galliæ adſcripta 141. ejus diviſio 144. limites 141. origo 139. partes continuæ 146. civitates 551. ejus provinciæ Alſatia 28. Germania inferior 144. ejus præſides 277. Germania prima & ſecunda 147. provinciæ conſulares 298. Germania prima à Vandalis vaſtata 485. ejus caput 215. Germania ſuperior 144. quando nomen accepit 139. ejus limites 147. Germania tertia 132. Germaniæ diviſio recentior 148.
Germanianus præfectus prætorio Galliarum 300. ſq.
Germanica legio 591. Germanica lingua an veteribus Alſatis uſitata 88.
Germanici nomen datum Domitiano 369. Trajano 371. 549. Antonino Philoſopho 372. Caracallæ 376. 553. Poſtumo 385.
Germanicus præſes Galliarum 278. 358. Arminium vincit 359.
Germanicus menſis 369.
S. Germanus monaſterii Grandevallenſis conditor 751. occiſus 756.
Germersheim Vicus Julius veterum 230.
Geroldseckium caſtrum 644.
Geroldus comes 789.
Gerontius dux Moguntinorum ſictus 331.
Gerſthemenſia monumenta 518.
Gerterwilre 720.
Gerudates matres 81. 480. ſq.
Gerutte 653.
Geſus Gallorum 66.
Gewmann 621.
Giamia gens 596.
Gibaldus rex Alemannorum 430.
Gigantes an Alſatiæ incolæ fuere 61.
Gil vox Celtica 57.
Gilrweiler 721.
Gimmenheim, *Gimsheim*, 722.
Ghosmari ibid.
Girbaden arx 210.
Giromagny villa Alſatiæ ſuperioris 3.
Glabrator 519.
Glabrio, vid. Acilius.
Glabro 519.
Glacies mariæ in Alſatia 13.
Glascovius 439.
Gleisweiler 653.
Gnoria gens 596.
Godeſthal 782.
Goding 683.
Godramſtein 623.
Goeli von Ebenheim poeta 816.
Gerwenheim 722.
Gogreve 623.
Golicherus 100.
Gommersheim 654.
Gordianus Imp. inſidiis perit 182.
Gotamereiheim, *Gotesheim*, 783.
Gothefridus I. Alemanniæ dux 749.
Gothefridus II. Alemanniæ dux 752.
Gothia Gallica à Francis ſubacta 620. 812.
Gothica architectura 186.
Gothini populus Celticæ originis 119.
Gotſtal 722.
Gotfrit von Straſburg poeta 816.
Goum Alemannorum 622.
Gozbertus dux Francorum 627.
Gracchus (C. Sempr.) inſtaurator viarum 250. auctor columnarum milliarium 547.
Gracilis Ælii invidia 363.
Græca lingua an Celtis nota 94.
Græcorum characterum apud Celtas uſus 95.
Græzinga vicus 560.
Grafſchafft 624.
Gramat burgus 200.
Grammatum Alſatiæ Sequanicæ locus 43. 50. 199. 616.
Grandval monaſterium 578. in Alſatia ſitum 753.
Graniciana cohors 595.
Grannus deus 74. 462. 465.
Granilvillaria, locus in Jura monte ſitus 3. 37.
Gratianus Imp. Rhenum tranſit 417. 422. Lentienſes vincit 420. perit 423. Alemannicus dictus 421.
Gravene 774. 791.
Greferen 788.
Gregorianæ vallis metallifodinæ 12.
Gregorius Lingonicus epiſcopus 26.
Gregorius VII. papa Lugdunenſi archiepiſcopo primatum confert 145.
Gregorius IV. papa in Alſatiam venit 654.
Grimatum Celtica vox 50.
Grerweiler 721.
Greve 776.
Grevenhauſen 653.
Griesheim villa 647. 759.
Grimoaldus Pipini filius 749.
Grippo Caroli Martelli filius 751.
Grossuhaim, *Gruoinheim*, 783.
Grunnenbrunnen 650.
Grueſenheim, *Grueſſeheim*, *Gruninheim*, 667. 723.
Gryneus Apollo 465.
Gryphii ludi 504.
Gryphus 502.
Gual-Sever 464.
Guelfi dynaſtæ Alemanni 665. eorum familia 760.
Guelfo comes 666.
Guilielmus anachoreta in Vogeſi eremum venit 15. Mantuanus 100.
Guirmarum 667. 782.
Gundebodingi 805.
Gundelbertus Senonienſium epiſcopus 15.
Gundelindis filia Adelberti 768.
Gundelsheim 719.
Gundericus rex Vandalorum 218.
Gundicarius rex Burgundionum 179. 218. 428.
Gundoaldus Argent. epiſcopus 117.
Gundoinus Alſatiæ dux 713.
Gundolfesheim 661. 719.
Gundomadus rex Alemannorum Rhenum tranſit 196. occiſus 403.
Gunnaresheim, *Gonsheim*, 723.
Gunſinus rivus 652.
Guntia flumen 173. 243.
Gunzerus 588.
Gunzo I. dux Alemanniæ 748.
Gunzo II. dux Alemanniæ 758.
Gunzolisheim 722.
Gyldolfowiler 723.
Gymnaſium Neapolitanum 607.
Gynecium Marilegenſe 704.
Gypſum Alſatiæ 13.

H.

Haardt Alſatiæ ſilva 8. 654.
Habendo caſtrum 717. conditores 99. 669.
Habendo mons pars Vogeſi 15.
Habitus corporis veterum Alſatarum 63.
Habsburgici nominis origo 711. 771.
Habſen, *Habuhinasheim*, 783.
Hachinhaim 723.
Hadana 723.
Hadrianus Cæſar in Galliam profectus 371.
Hæmatites in Alſatia reperitur 13.
Hæreditaria ſepulcra 525.
Hagenbach 723.
Hagenbuchius 439. ſq. 595. 602. 608.
Hagenoæ origo 9. 643.
Hagenoenſis foreſta 9. 653. terra 13.
Hagenowa pagus 643.
Hagio dynaſta 795.
Haicho comes 785.
Haidulfesheim 725.
Haimmerwiler 723.
Haimonius grammaticus 381.
Haitho Baſilienſis epiſcopus 677.
Hakinheim 723.
Hallimannis 245.
Halle, vid. Allanus.
Hamanehæ deæ 71.
Hamariſtad 723.
Hamavehæ matronæ 81.
Hambach 654.
Hamerſtatterhof 723.
Hammitæ 13.
Handſchuheim, *Hanſchoasheim*, 723.
Habachii Comites 144.
Hardt, vid. *Haardt*.
Hardtgerayda 654.
Hariaſa dea 71.
Harichingen comitatus 637.
Hariobaudes legatus Juliani Cæſaris 409.
Hariobaudus rex Alemannorum 410.

 Harpocrates

Harpocrates 499.
Harudes germanicus populus 8. an Alſatiam incoluerint 59. in Alſatiam transeunt 103.
Haſchovienſe monaſterium 737.
Haſela fluviolus Alſatiæ 23.
Haſelacenſe monaſterium 736.
Haſſinga villa Alſatiæ 613. 783.
Hasso-Darmstadiensis Princeps hæreditar. 434. 550.
Haſta militis gallici 528.
Haſtuna 804.
Hatten 723.
Hausbergen 725.
Hebraica lingua an Celtis nota 96.
Hecinſtein 676.
Heddo argentorat. epiſcopus 347. 783.
Hedio Caſp. 490.
Heffen 721.
Helmfeld 653.
Helmſteinenſe monaſt. 737.
Heidelsheim 725.
Heidenkeller 474.
Heiderheim 723.
Heiſamheim ibid.
Heiligenforſt 643.
Heiligenzell 675.
Heilwigis comitiſſa Egisheimenſis 649.
Heimburgii 792.
Heimersdorf 724.
Hernheim ibid.
Heiſtulphus miſſus dominicus 794.
Heiteren 723.
Hellelum locus Tribocorum 137. 203.
Heliocaminus 538.
Heliopæs puer 602.
Helios 502.
Helix cognomen 585.
Helkebus 203.
Heloldowilare 724.
Helvetenſes matres 481.
Helvetia Alſatiæ contermina 2. à Burgundionibus occupata 262. ejus mutationes 265. Helvetia Alemannica 629. Helvetia orientalis Rhætiæ adſcripta 130. Helvetiæ civitas 551.
Helvetii in galliam emigrant 122. eorum colonia 582. nomen 49. Helvetii trans Rhenani 174.
Helvetus locus Alſatiæ 54. 203. 616.
Helvia Ricina colonia 588.
Helvii galliæ populus 54.
Helvius Pertinax Cæſar appellatus 587.
Helvius Salvator centurio Leg. VIII. 587.
Hengerayda 654.
Henricus auceps an torneamentorum auctor 687.
Henricus II. Baſiliam urbem reſtituit 185.
Henricus V. Rufacum vaſtat 694.
Hepheka villa 699.
Heræ deæ 81. 479.
Herbæ Alſatiæ 9.
Herbitzheimenſe monumentum 460.
Herbsteeus 602.
Herchen vicus Alſatiæ 734. an Argentouaria 54. 185.
Hercules à germanis cultus 483. Deuſonenſis 123. Macuſanus 323. 491. provocator 76. Saxanus 71. 79. varii 484. Herculis ſtatuæ 75. Argentoratenſes 482.
Hercyniæ mons 3. ſylva 174. pervia reddita 157.
Herde 713.
Herennius Victorinus miles Leg. XXII. 444.
Heribannus 799.
Hericus dux 757.
Hericus dux Forojulienſis 665. 667. 686.
Herinſtein 700.
Heriſtallium 691.
Herieſheim villa regia 708.
Hermannsbubel 458.
Hermannus nobilis Alſata 773.
Hermanubis 500.
Hermathena 485.
Hermenricus rex Suevorum 319.
Hermeracle 485.
Hermesbubel 453.
Hermunduri populus germanicus 248. eorum civitas 551.
Heroldus Sueviæ dux 752.
Herrada Abbatiſſa Hohenburgenſis 765.
Herren 665. 795.
Heruli in galliam intrant 190.
Herunchem, *Herunkeim*, 724.
Herzogsbronnen in Vogeſo 25.
Heſinga in Raurico agro 37.
Heſperius præfectus prætorio galliarum 308.
Heiſe von Kroach poeta 816.
Heſus deus gallorum 469.
Hetonerlob, *Hettenſchlag*, 724.
Hettgoviæ pagus 644.
Herwiler 724.
Heydenmauer 534.
Heydenſtraſs 253.
Heyrich mons 362.
Hiberna caſtra 535.
Hiberni nomen 439.
Hibernia Inſula 800.
Hiboldesheim 725.
Hidatæ terræ 804.
Hildenheim villa Alſatiæ 635. 784.
S. Hidulphus in Alſatiam venit 15.
Hierarchia Alſatiæ Romanæ 342. inferioris Alſatiæ 346.
Hieroglyphica 494.
Hieronymus Treviris literis incumbit 321.
Hilarius Arelatenſis epiſcopus 346.
Hilciacum 692.
Hildegardis Caroli M. uxor 749.
Hiltenwiler 724.
Hiltesheim villa regia, Hilzheim, 708.
Hinsheim 725.
S. Hippolite 667.
Hipsheim 725.
Hirſcheng, *Hirſunge* 724.
de Hirtionsim 12.
Hirtigheim 724.
Hirtius præfectus prætorio galliarum 275.
Hirtunghem 724.
Hirtafeld ibid.
Hiſentiacum 693.
Hiſpanenſe itinerarium 612.
Hiſtoriæ Alſaticæ fontes 99. periodi 28.
Hittenheim 724.
Hivoatingheim ibid.
Hiudenheim ibid.
Hiubbilsheim 725.
Hoba 804.
Hochfelden locus Alſatiæ 635. 721.
Hodulfesheim 725.
Hoenheim 724.
Hohenack arx 219.
Hohenburg caſtrum 688.
Hohenburgenſe monaſterium 736. ejus conditor 756.
Hoffen 653.
Hole ſuburbanum Baſiliæ 188.
Hollarwilre 724.
Holtzenſia balnea 14.
Holtzwiler 724.
Homiliarum tranſlationes 809.
Hominum ſtatus in Alſatia Francica 802.
Honaugienſe monaſterium 737. à Rheno abſorptum 192. ejus origines 768.
Honolterwilare 639.
Honenheim 728.
Honoratus præfectus prætorio galliarum 300.
Honorius miles Leg. XXII. 444.
Horburg vicus Argentouaria veterum 193. Horburgenſis arx condita 197. Horburgenſis comitatus 197. 662.
Hordeonius Flaccus præſes ſuperioris Germaniæ 273. 280. 364. occiſus 366.
Hortarius Alemannorum rex Rhenum tranſit 403. à Juliano Cæſare victus 408. nobilis Alemannus 665.
Hoſtheim villa Alſatiæ 633. 729.
Hoſthoven 729.
Hoſtia humana abolita 324.
Hourdaim 725.
Hubertus Tungrenſis epiſcopus 345.
Huchus dynaſta 796.
Hugelsheim 725.
Hugesperga ibid.
Hughilaheim, *Hugilagisbus*, ibid.
Hugo dux Alſatiæ 627. 678. 776.
Hugo II. comes 785. 785.
Hugo III. comes 781.
Hugo comes 790.
Hugonidæ comites 785.
Hugonis comitis caſtrum 529.

Hugsbergen

INDEX RERUM.

Hugtbergen 725.
Hunarweyer ibid.
Hundeutsheim ibid.
Hundfridus comes 782.
Hundsnesheim 668. 785.
Hundredum, Hundrerichter, 791.
Hunnsheim 725.
Hungari Rhenum tranſeunt 150.
Hunibaldi Hiſtoria Francica 784.
Hunigenſis pagus 640.
Hunni Galliam intrant 428. eorum clades 197. 428. gentis antiquitas 381.
Huno dynaſta 665.
Hunonis villa 725.
Huntlingen 719.
Hunzolvesheim 725.
Hurb 708.
Huttenheim 714. 725.
Huſtilo Bavariæ dux 758.
Hypocauſta Romana 517. ſq. 546.
Hurbe 804.
Hurenheim 725.
Hurſt ibid.
Hyppenesheim ibid.

I.

Jacobus Sigismondus Epiſcopus Baſil. 584.
Japydes colonia Celtica 120.
Jebenesheim, *Jebsheim* 725.
Jeſſius Spirenſis epiſcopus 136.
Jeux floraux 812.
Ilbesheim 653.
Ilfingen vicus 658.
Ilfurt 725.
Illkirche ibid.
Illeſich 34.
Illiche comitatus 34. 660. 641.
Illkirch 785.
Ilobetaburre 726.
Illus, vid. Ellus.
Illuſtres 313. 775.
Illzach vicus Uruncæ veterum 201. Hilciacum vocatus 692.
Imagines Druidarum putativæ 84.
Imaginifer 307.
Imago imperatoris Ibid. 522. Etichonis 763.
S. Imber 658.
Imma dynaſta 796.
S. Immer 658.
Immunitas ſoli & capitis 160. immunitatis jus 161. 650. quibus conceſſum 515.
Imperatoriæ thermæ 537.
Imperatoris titulus 554. Imperatorum itinera 613. imagines ſignis militaribus appenſæ 307. 522. nomina columnis inſcripta 550.
Inauguratio regum Francorum 797.
Incolæ Alſatiæ 2. 33. incolarum Alſatiæ numerus 27.
Indutiomarus Romanorum hoſtis 352.
Inferius monaſterium 736.
Ingoldesbube, *Ingolsheim*, 650. 653. 726.
IN HOD 437. 469. 528.
Inferenda 799.
Ingenuiles 808.
Inſcriptiones Argentouariæ 198. Badenſes 571. 590. Brocomagenſes 838. Nemetenſis 458. Rauracenſes 871. Tabernarum Rhenenſium 830.
Inſignia comitis Argentoratenſis 309. ducum 308. 318. præfectorum prætorio 299. præſidis 305. vicarii Galliarum 304. conſularitatis 506. Colmarienſia 695. inſignium Argentoratenſium origo 882.
Inſolatio 538.
Inſulæ Rheni 17.
Intercolumnia 506.
Interior ire 448.
S. Joannis 653.
Joannes Conſtantienſis epiſcopus 748.
Joannes Frobergicus 660.
Jopila 691.
Joras, vid. Jura.
Josephus Guilielmus Epiſcopus Baſilienſis 584.
Jovinus magiſter equitum Alemannos vincit 415.
Jovinus tyrannus 427.
Irenæus epiſcopus Lugdunenſis martyr 189.
Irminolfus dynaſta 795.
Iſanbertho dynaſta ibid.
Iſchera amniculus Alſatiæ 22.
Iselius Jac. Chriſt. 164.
Iſenberg in Helvetia 80.
Iſenburg arx 649. 691.
Iſenheim vicus Alſatiæ 80.
Iſiaca ſacra in Alſatiam introducta 384. Iſiaca tabula 497.
Iſis dea 79. 496.
Iſtri fluminis fontes 183.
Italiæ jus 160. 286.
Itenheim 714.
Ites quid 849.
Itineraria adnotata & picta 611.
Itinerarium Antonini 612. ejus variantes lectiones 615.
Juconda civis filia 607.
Judex publicus 686.
Judices ſubſtituti comitibus 791.
Judicia Francorum 805.
Judicaria poteſtas 686.
Iverdun oppidum 130. 402.
Julia colonia 157. 582.
Julia domna uxor Imp. Septimii Severi 561.
Julia gens 171.
Julia Mammæa mater Alexandri Severi 561.
Juliacum Ubiorum an vicus Julius 231.
Julianus Cæſar Auguſtus appellatus 217. 411. cum Alemannis pugnat 216. 402. Germanos vincit 404. in Galliam venit 198. Rhenum tranſit 159. 409. 413. ejus monumentum 520.
Julianus Carpentoratenſis epiſcopus 260.
Julianus Cenomanorum apoſtolus 127.
Julianus Did. Cattus debellat 178.
Julianus Did. miles Leg. VIII. 516.
Juliomagus Rhætiæ locus 246.
Julius Boltinia Longinus vet. Leg. VIII. 516.
Julius Brocchus Valerius Baſſus Trib. mil. Leg. VIII. ibid.
Julius Flavianus cornicularius Leg. XXII. 444.
Julius Florus civis Rom. 189.
Julius Honorius an itinerarii Antonini auctor 613.
Julius maternus veter. Leg. XXII. 444.
Julius Orator an itinerarii Antonini auctor 613.
Julius Paternus miles Leg. VIII. 517.
Julius Reginus miles Leg. XXII. 444.
Julius Vettius miles Leg. VIII. 517.
Julius Vindex turbas excitat 174. præſes Galliæ Lugdunenſis 279. præfectus prætorio Galliarum 304.
Junia colonia 109.
Juniores 794.
Junius Curio miles Leg. XXII. 445.
Junius Flavianus procurator Galliæ Lugdunenſis 295.
Juno 478. Junones Gabiæ 81.
Jupiter an Eſus 74. ejus imagines 475. à Gallis cultus 470.
Jura mons, vid. Juraſſus.
Jura Alſatiæ Romanæ 289. coloniarum 160. diverſa ſubditorum imperii Rom. 185.
Jurassus mons 2. Alſatiæ terminus 1. 631. an limes Germaniæ Cis-Rhenanæ. 142.
Jurator 806.
Juriſdictio comitis Argentoratenſis 310.
Juriſdictionis in Gallia diviſio 277.
Jurten, vid. Juraſſus.
Jus albinagii 799. jus aurum colligendi 32. jus civitatis Romanæ Gallis conceſſum 156. 164. jus relationis 555.
Juſtinianus Rauracorum epiſcopus 150. 336. 339.
Juſtinus epiſcopus Argentoratenſis 337.
Juſtinus Juſtus 584.
Juſtinus Oceanus ibid.
Juthongi Alemannicus populus 407.
Juvenesdal 650.

K.

Kalauch 658.
Kaſtenberg 654.
Kaprweyer 653.
Karoldesbach, *Karſtbach*, 726.
Karus, vid. Æmilius.
Kauchenheim 719.
Kelus qui 110.
Kembs locus Alſatiæ 58. 189.
Kero ſcriptor linguæ Theotiſcæ 814.
Keroldus comes 789.

INDEX RERUM.

KHUNIUS 464.
Kichdale 650.
Kierweiler 654.
Kilchſtatt 719.
Kilicheim comitatus 663.
Kimmenheim, *Kinsheim*, 708.
Kintzheim 719.
Kircheim 71. an Tribuni veterum 228. comitatus 641. palatium regium 704. 725.
Kleinweihr 726.
Kœnigshova 685. villa Alſatiæ 635. palatium 701.
Kocherſperg an Concordia veterum 233.
Kogenheim 722.
Kolbsheim 719.
Kotzenhauſen 789.
Kraffenwaſſer rivus Alſatiæ 19.
Krimmerich ibid.
Krumme Rhein ibid.
Krutergersheim 721.
Krutzmanna 71. 75.
Kunckel 530.
Kunenheim 719.

L.

Labienus primus Romanorum præfectus in Alſatia 109. 351.
Labyolus Argentoratenſis epiſcopus 337.
Lachen 654.
Laco procurator Galliæ 295.
LACONICA Romana 537. ſq.
Lacus Alſatiæ 26. lacus albus ibid. lacus de Nurol 658. lacus Lemannus limes Maximæ Sequanorum 130.
Ladenburg Lupodunum veterum 245.
Lælius præſes Galliæ Lugdunenſis 271. 284.
Læti Germanicus populus dubius 401.
Læticius Stil. Rufus Trib. militum Leg. XXII. 444.
Læva latus 448.
Lagelnheim 726.
Lagenula vitrea 513. lagenulæ lacrymales 514.
Lambsheim 654.
Lampades fictiles 509. perpetuæ 514.
Lampartheim 726.
Lancea militis Galli 521.
Landavia Alſatiæ urbs 646. 653.
Landebertus Argentoratenſis epiſcopus 337.
Landgraben 21.
Landgraffſchafften 656.
Landgraviatus 625. Alſatiæ 623. 664. Frickgovia 639. Siſgoviæ ibid.
Landſaß 35.
Landscrona arx in monte Juraſſo ſita 3. 38.
Langued'oc Languedociæ nomen 812.
Lanha villa 658.
Lantfridus I. Alemanniæ dux 627. 750.
Lantfridus II. dux Alemanniæ 751.
Lapicidarum ſphalmata 562.
Lapicidinæ Alſatiæ 13.
Lapides 574. lapides Alſatiæ 13.
Laquai unde nomen habeat 573.
LAROA Alſatiæ Celticæ locus 43. 50. 200. 616.
Larga fluvius Alſatiæ 20.
Largizen vicus Alſatiæ 200.
Laſina 665.
Laſſi ibid.
Laterculum 308.
Lateritii ſarcophagi 511.
Latii jus 160. 286.
Latinæ linguæ introductio 807.
Latini Faunum colunt 324.
Laucha fluvius Alſatiæ 21.
Laudaticum 799.
Laufa oppidum in agro Rauracorum 38.
Laufaha 661.
Lauſtenburgum in agro Rauraco 38.
Laumont Juraſſi ramus 3. terminus Rauracorum 37.
Lauræ 801.
Lauſanna ſedes epiſcopi Aventicenſis 345.
Lauter, vid. Lutera.
Lauterburg Tribuni veterum 228.
Lazzi 665.
Leach 573.
Lebera rivulus Alſatiæ 22.
Leberau 722.
Leberia vallis 11.
Lebrahenſe monaſterium 737.
Lectiones variantes itinerarii Antonini 616.
Legati regii 794.
LEGES Alſatiæ Romanæ 285. Alſatiæ Francicæ 05.
LEGIONES Romanorum in partes diviſæ 311. in Alſatia 313. oræ Rhenenſis cuſtodes 378. earum cognomina 442. diminutio 605. nomina lateribus impreſſa 512.
Legio II. 293. Legio VIII. Auguſta 510. ſq. ejus cognomina 514. milites 515. Legio X. 604. Legio XIV. 592. in Germania 595. Legio XXII. 440. ejus cognomina 441. milites 444. Legio Romana 291.
Leidmaresheim, *Leimersheim* 726.
Leimen, Leimone, ibid.
LEININGA-DAOSBURGICI comites 482.
Lemannus fluvius an Alemannis nomen dedit 263.
Lemannus lacus limes Maximæ Sequanorum 130.
Lemnii Vulcanum colunt 324.
Lentienſes Alemanni à Gratiano victi 397. 420.
Lentulus Getulicus præſes Germaniæ ſuperioris 279. 360. occiditur 361.
Lentzweiler 653.
Leobardi cella 736.
Leobardus Maurimonaſterii conditor 14.
S. Leodegarius 764.
Leodium ſedes Tungrenſis epiſcopi 345.
Leonsberg 240.
Leope 573.
Lepidus conſularis 306.
Lepidus Æmilius Galliæ Narbonenſis præfectus 275.
Lepontiorum natio 522.
Lepontius miles 520. 522.
Letales 804.
Leti 665.
Lettres de garde 648.
Leuca, vid. Leuga.
Leuce 552.
Leucetius Mars 75.
Leuci an Sequanorum confines 41.
Leudefridus dux Alemanniæ 747. Alſatiæ 770.
Leudeſius major domus 849. an Etichonis pater 758.
LEUGA Gallica 172. 573. in Alſatia uſitata 574. ejus mutatio ibid.
Leutardus comes 779.
Leutharius I. dux Alemanniæ 747. an Etichonis pater 760.
Leutharius II. dux Alemanniæ 749.
Leuua, vid. Leuga.
Liber inveſtituræ 764.
Libera allodia 666.
Liberi domini 625. 666.
Liberius præfectus prætorio Galliarum 304.
Libino comes ab Alemannis victus 412.
Libra Romana 577.
Libri Salici 803.
Lichtenbergenſe balneum 540.
Licinia gens 466. 508.
Licinianum ſepulcrum 508.
Licinius Cæſar 509.
Licinius præfectus prætorio Galliarum 302.
Licinius procurator Galliæ 295. 356.
Licinius Trio 466.
Licus flumen limes Alemanniæ ducatus 629.
Lidi 665.
Lidiales 804.
Liechſtall in agro Raurico 38. ſq.
Lilienberga arx in Raurico agro ibid.
Limenius præfectus prætorio Galliarum 304.
Limes quid 389.
Limitanei milites ibid.
Limites Alſatiæ 1. 631. Germaniæ cis Rhenanæ 141. Maximæ Sequanorum 130. Tribocorum 137. Alemanniæ 627.
Limmirweiler 726.
Lin, vox Celtica 50.
LINGUA Alſatiæ veteris 87. lingua Alſatiæ Romanæ 319. Alſatiæ Francicæ 807. lingua torta 813.
Linteum asbeſtinum 513. ſq.
Linus Veſontinorum Apoſtolus 327. 330.
Linzgauer 420.
Lipsheim 710.
Lithanthraces 13.
Lithoſtrotum 577.
Lituræ in lapidibus unde 559.
Liutpolesheim 710.
L. L. M. 446.

Locator ſcenicorum 602.
Locorum nomina monoptata 612. 615.
Locularius diſpenſator 519.
Logelnheim 726.
Lollianus præſes galliæ Lugdunenſis 282.
Lollianus tyrannus 186.
Lollius M. Romanorum præſes in gallia 283.
Lomnorius dux coloniæ gallicæ 120.
Lotharingia Alſatiæ conterminus 2. ejus incolæ veteres 5.
Lotharius Imp. 745. in Alſatiam venit 10.
Lotharius rex Auſtraliæ 745. ejus nummus 819. ducatum Alſatiæ reſtituit 771.
Lotus flos 497.
Louchiringa villa 672.
Luadicheſheim 726.
Lucella abbatia in Raurico agro 37.
Lucewilre 661. 726.
Lucernæ perpetuæ 514.
Luci ſacri 86.
Lucianus Bellovacenſium apoſtolus 387.
Lucinæ matres 81.
Lucinia gens 471.
Lucus Auguſti 218.
Ludi equeſtres 687. florales 812.
Ludorum ſcenicorum origo 603.
Ludovicus germanicus Alſatiæ dominus 675. ejus fœdus cum Carolo Calvo 811.
Ludovicus pius 745. in Alſatiam venit 10. prœlium ejus cum filiis 654. nummus 819.
Lumarweiler 726.
Lugduna quot 155.
Lugdunenſis colonia ibid. Lugdunenſis Galliæ præſides 277. Lugdunenſis Eccleſiæ antiquitas 143. Lugdunenſis prima provincia conſularis 198. Lugdunenſis quinta provincia 312. Lugdunenſis ſecunda & tertia provincia præſidialis 198.
Lugdunum Batavorum an caput Germaniarum 215.
Lugenfeld 654.
Lugner 655.
Luitfridigenæ comites 775.
Luitfridus II. dux Alemanniæ 770.
Luitfridus dux Alſatiæ 769.
Luitfridus II. comes 778.
Luitfridus III. comes 781.
Luitfridus IV. comes 782.
Luitfridus V. ibid.
Luitfridus VI. & VII. 783.
Lumartheim 710.
Luna mater Conſtantii Maximi 580.
Lupfen an Lupodunum vetus 235.
Lupodunum locus in agris Decumatibus 235. 417.
Lupotheiben 710.
Luſatiæ nomen 36.
Luſoriæ tabernæ 289.
Lutara, vid. Lutera.
Lutarius dux coloniæ Gallicæ 120.
Lutenbach 650. 726.
Lutera fluvius Alſatiæ 23. Alſatiæ terminus creditus 2.
Luterbach 726.
Lutetiæ origines 685.
Lutgardis filia Adelberti 786.
Lutrenſis monaſterii conditores 14.
Lutrina fœmina illuſtris 15.
Lutzel vox Theotiſca 726.
Luxovienſis monaſt. conditores 14. Luxovienſes thermæ ibid.
Lycoperdites 13.
Lyncis lapides ibid.

M.

Maccus 405.
Maceries 479.
Macerol 661.
Machæra enſis Gallicus 66.
Macrianus rex Alemannorum 410. 419.
Macrinus Imp. decimas hæreditatum aboluit 297.
Macuſa 387.
Macuſanus Hercules 123. 491.
Mafara 582.
Mag vox Celtica 53. 57.
Magela rivulus Alſatiæ 22.
Magdenburg arx 653.
Magetobria, vid. Amagetobria.
Magiorix 459.
Magiſtiorum gens 437.
Magiſter equitum per Gallias 307.
Magistratus Alſatiæ veteres 197. Magiſtratus epiſcopales 686.
Magnebertus Argentoratenſis epiſcopus 117.
Magnitudo titulus 787.
S. Magnus 751.
Magnus Argentorat. epiſcopus 337.
Magnus præfectus prætorio Galliarum 304. ejus conjuratio in Maximum Imp. 379.
Maguntiacum, vid. Moguntiacum.
Majæ ſimulacrum 448.
Maindat 648.
Majores pagi Alſatiæ 638.
Maire 481.
Mairius 774.
Maires deæ 80. 478. 481.
Mal, mallare, 806.
Malleray 458.
Mallobaudes comes domeſticorum 420.
Malum, malſtatt, 806.
Malviſæ deæ 71.
Mamertinus Claudius 385.
Mammaca palatium 690.
Mammæa Alexandri Severi mater occiſa 179.
Mancipes 857. 528.
Mandeurre Epamanduodurum vetus 198. 547.
Manes dii 509.
Manire 806.
Manlius Theodorus præfectus prætorio Galliarum 303.
Manlius Cam. Severus veteranus Leg. XXII. 444.
Manſionarii comites 774.
Manſionaticum 799.
Manſiones viarum 257.
Manſuetus 530.
Manſuetus Æmilius 593. Mercurio votum ſolvit 459.
Manſus 804.
Manumiſſio ſervorum 802.
Manus ad cœlum extenſæ 608.
Manual Korn 702.
Mappæ itinerariæ 611. mapparum geographicarum Alſaticarum defectus 574.
Marca quid 245. Aquilejenſis 652. Erinheimenſis 674.
Marca 636. 643. 651. Argentinenſis epiſcopatus 674.
Marcelli theatrum 168.
Marcellianus tyrannus 537.
Marcellinus Ammianus an itinerarii Antonini auctor 613.
Marcellinus Antonius, vid. Antonius.
Marcellus Romanorum dux Juliano Cæſari contrarius 409.
Marchia 651.
Marchio ibid.
Marcianus Heracleota an Itinerarii Antonini auctor 613.
Marcius abbas 154.
Marcomanni in Alſatiam tranſeunt 103. à Druſo victi 278. eorum habitatio 174.
S. Marci prioratus 736.
Marcus Julius Kolarbala 602.
Marggraviatus 685.
Marilegium palatium 690. 703.
Marius Aventinus epiſcopus 345.
Marius præſes Galliæ Lugdunenſis 282.
Marius tyrannus 387.
Marlacum palatium regium 703.
Marmor 547.
Marmor imperfectum Alſatiæ 13.
Maroboduus Marcomannos in Bojohemum ducit 357.
Mars in Gallia cultus 74. 469. ejus figura & ſigna 469. templa 507. Mars Leucetius 75.
Marſupium Mercurii ſymbolum 436. 448.
Martia legio 593.
Martiana ſilva Alſatiæ terminus credita 2. 3.
Martialis Lemovicum apoſtolus 327.
Martias præfectus prætorio Galliarum 304.
Martiaticum 418.
S. Martin 654.
Maso Alſatiæ comes 21. 777. dynaſtia ejus 666.
Maſonis monaſterium 737.
Maſſilienſium ſchola 321.
Matara 582.
Matzenheim 727.
S. Maternus evangelium in Alſatia prædicat 205. 387. 330. Colonienſis epiſcopus 331.

Matiſconenſis fabrica 214.
Matra rivus Alſatiæ 24. Alſatiæ terminus creditus 2.
Matres Deæ 80. ſq. 478. cultus earum antiquiſſ. 482.
Matrices linguæ 90.
Matrona fluvius in Vogeſo ortus 25.
Matronæ deæ 81. 479.
Mattai 526.
Mattenheim, Matthinheim, 727.
Mattiaci Germanicus populus 248.
Mattiacum, Mattiancum, 418.
Mattonus Reſtitutus civis Tribocus 138.
Matzenheim 727.
Mauchinheim 668.
Maurimonaſterium 775. ejus conditores 14. marca 652.
Mauritania provincia Cæſarea 369.
Mauritanica legio 444.
Maurobacenſe monaſterium 717.
Maurolegia 701.
Maurowiler 727.
Maxentii tyranni nomen è monumentis deletum 556.
Maxima Sequanorum non Belgica provincia 121. 132. ejus limites 130. nomen 131. origo 129. 131. 194. provincia præſidialis 298.
Maximinus Argentoratenſis epiſcopus 117.
Maximinus præfectus prætorio Galliarum 301.
Maximinus Thrax imperio potitur 178. Alemannos debellat 380.
Maximus Conſtantienſis epiſcopus 748.
Maximus Galliæ Britannicæque tyrannus 131. 423. S. Antonium vincis 369.
Maximus Genavenſis epiſcopus 240.
Maximus Pupienus præſes Galliarum 285.
Meconnes lapis Alſatiæ 13.
Mediaſtini ſervi 519.
Mediomatrici veteris Alſatiæ incolæ 2. 45. 133. Aleſiæ auxilia mittunt 109. 122. eorum ager pars Galliæ Belgicæ 46. lingua 91. nomen 44. 81. 93. 136. nummi 598. origo 45. ſedes 44.
Mei Germanorum 575.
Menon vox Celtica 481.
Meiſterſænger 816.
Meiſtersheim 727.
Melin, melina villa, 619. 727.
Menander præfectus prætorio Galliarum 308.
Menapii milites 229. 311. populi 2.
Menſuræ itinerariæ Romanorum 575.
Mentitus campus 654.
Mercatoriæ tabernæ 229.
Mercurius Celticus 71. Ciſſonius 458. mercurius numen tutelare Alſatiæ 124. mercurii atuegia 446. imagines 171. 447. libri 495. mons 450. 453. monumenta 435. ſacellum 529. ſigna 436. 448. templum 453. 458. templum fabuloſum 58.
Meria 522.
Merzweiler 711.
Meſſala Corvinus præſes Galliarum 277.
Meſſava Deivari F. Leg. XXII. miles 444.
Metarsatius 578. 580.
Metallifodinæ Alſatiæ 11. 183.
Metatorum munus 611.
Metenſia monumenta 586. metenſis epiſcopi in Alſatia jura 47. 338. metenſis epiſcopus Trevirenſi metropolitano ſubjectus 346.
Meteral 661. 727.
Methar 502.
Metia curtis 638.
Metis ab Attila capta 148. 428. ab Alemannis deleta 384. caput Auſtraſiani regni 621.
Metlacum 701.
Metropolitarum Galliæ nomina 150.
Metunga oppidum 563.
Mettis, vid. metis.
Meyer 793.
Meykammer 654.
Mezeral vicus 661. 727.
Mica minera Alſatiæ 13.
Mietersholz 728.
Mittelorf 727.
Mihi 502.
Miles quis 595. miles Lepontius 529.
Militare ſignum 825. militaris ætas 593.
Milites Leg. VIII. 535. Leg. XXII. 444.
Militia juſta & injuſta 593.
Milliarea Columna 547.
Milliarium Romanum 173. 573.
Mimallones 489.
Mimi 501.
Mineræ Alſatiæ 13.
Minerales aquæ in Alſatia 14.
Minerva in Gallia culta 79. 475.
Minervia legio 501.
Minores pagi Alſatiæ 636.
Mirlatica 669.
Miſſi cameræ 752. miſſi dominici 794.
Miſſorum dominicorum manſiones 691.
Michir 502.
Mithra 501. ex petra natus 503. ejus ſacerdotes ibid.
Mitra epiſcoporum 965.
Mittelhengerayda 653.
Mixtura religionum in Alſatia 123.
Mittelorf 727.
Modera, vid. Matra.
Mœnus Alemanniæ limes 628.
Mœrſperg, vid. morimontium.
Mogountus 74. deus ſeptentrionalium 464. hujus nominis etymologia 465.
Moguntiacum civitas capta 217. à Barbaris 339. 425. à Randone 416. obſeſſa 366. à Chroco deleta 384. ejus dignitas 213. 215. 346. excidium 347. nominis etymologia 463. metropolis Germaniæ primæ 147.
Moguntiacenſis ducis juriſdictio 328. moguntiacenſis eccleſiæ juriſdictio 146.
Moguntina monumenta 441. 474.
Moegte de Broge 125.
Moingoviæ pagus 687.
Mollenbrœus 589.
Mona inſula 464.
Monasteria Alſatiæ 14. 735. S. Leodegario dicata 765. Trans-Rhenana Alſatiæ vicina 738. ab Etichone exſtructa 756. monaſteriorum genera 800.
Monaſterienſis vallis Raurici agri pars 38.
Monsfrapsheim 727.
Monetæ ſignandæ jus 598. ſq.
Monetariæ officinæ 599.
Mommegesheim 727.
Mons Belligardi 187. an Argentouaria veterum 196.
Mons Briſiacus, vid. Briſiacum.
Mons Falcium 4.
Mons Ferratus 7.
Mons Leonis 240.
Mons Obriſiacus, vid. Briſiacum.
Mons S. Odiliæ 6.
Mons Sanctus 800.
Mons Sacer 15.
Mons Sigoldus 633. 712.
Montes Alſatiæ 2. ſq.
Montes perforati 584.
Montbardon unde nomen habeat 40.
Monumentum Planci 154.
Monumenta Alſatiæ Romana 433. Alſatiæ vicina 576. Argentorati 220. 470. 527. Argentouariæ 197. 461. 518. Auguſtæ Rauracorum 161. Badenſia 571. Brocomagi 382. 471. extera Alſatiæ illata 599. literata miſcella 518. metenſia 586. Nemetenſia 458. 472. 474. 518. 489. Tabernarum Rhenenſium 230. Tribocorum 138.
Mopates matres 81. 481.
Morchenboveus 630. 727.
Mordenoua 674.
Mores Alſatiæ veteris 63. mutatio eorum 315. Alſatiæ Francicæ 797.
Morimontium in Raurico agro 1. 37.
Morini Aleſiæ auxilia mittunt 109. 122. Galliæ Belgicæ populus 276.
Mortaſgus deus 71.
Mortzenweiler 718.
Morsweiler 725.
Mortinhauga 674.
Moſa fluvius in Vogeſo ortus 25. an Obringa 145. ejus & Araris conjunctio tentata 363.
Moſig, Moſſa rivus Alſatiæ 23.
Motra an limes Tribocorum 137.
Motter, vid. Matra.
Mounus deus 462.
Muhlbach 661. 727.
Mulbrunnenſis cœnobii fundator 625.
Mulhuſium 728. an Arialbinnum 187. an Uruncæ 202.
Mummelſee 674.
Munatius Plancus, vid. Plancus.

Munch-

Munchhoſen 727.
Munchsheim ibid.
Mundacium oppidum 427.
Mundat 647.
Mundolzheim 731.
Municipium Romanorum quid 213. ejus jura 285. ſq.
Munilhuſen 728.
MUNIMENTA Vogeſiana 238. munimentum Alſatiæ veteris 58.
Munitas 647.
Muntzen 727.
Munus comitum 776.
Murweiler 723.
Murbach rivulus Alſatiæ 21.
Murtha fluvius in Vogeſo ortus 25.
Murus cæſpititius 243. caſtrenſis Odiliani montis 532. Dæmonicus 245. Gallicus 317. Picticus 244.
Muſculitæ 13.
Muſiva 318. 577.
Muſtridisheim 727.
Mutatio linguæ in Alſatia 96.
Mutatio nominum locorum in Alſatia 266.
Mutationes viarum 257.
Mutereiholz 728.
Mythriaca ſacra in Alſatia introducta 324.

N.

s. Nabor 728. s. Naboris fani monumenta 588.
Nannienus dux Roman. Lentienſes vincit 420.
Nantuates 15.
Narbonenſis Gallia provincia cæſarea 269. popularis facta 269. 277. præſidialis provincia 298.
Nartz 728.
Nava flumen 212. an Obringa 145.
Nautarum contubernium 490.
Neapolitanum gymnaſium 606.
Nebridius præfectus prætorio Galliarum 300.
Nehalenia dea 71.
Nemauſenſe templum dodecatheum 171.
Nemauſus deus 486.
Nemetenſia monumenta 458. 472. 477. 518. 589.
Nemetes Germanicus populus 103. quando ad Rhenum ſedes fixerunt 136. trans Rhenum habitant 363. Nemetum civitas Germaniæ primæ 147. ab Alemannis occupata 399.
Neovillarienſe monaſterium 737.
Neptinga nomen fictum Etlingæ 494.
NEPTUNI monumentum 489. ſymbola 491.
Neratius Proculus Trib. mil. Leg. VIII. 516.
Nerva imperator ſalutatus 370.
Nervii Aleſiæ auxilia mittunt 109. 122.
Nevidunum 582.
Nevillani monaſterii conditor 338.
Neuſtadt 654.
Neuſtria 620.
Nicus vid. Nitus.
Niderbronnenſes fauces 240. Niderbronnenſia balnea 14. monumenta 473.
Niderbauenſtein Juræ pars 3.
Niedermunſter 736.
Nieuburg 673.
Niffern 728.
Nigellus abbas exſul Strateburgi 680.
Niger lacus 26.
Nigra ſilva vid. Martiana ſilva.
Nigrius Similis Triboccus 138.
Nion 130.
Nitiobriges Aleſiæ auxilia mittunt 109. 122.
Nitus torrens Alſatiæ 21.
Niveratsheim, *Nivrateisheim*, Niuſera, 728.
Nivrida 728.
Nobiles 625. nobiles viri 666. nobilis ordo 802.
Nobiliſſimus 313.
Nobilitas Alſatiæ 27.
Noettinga vicus 565.
Noettingenſia monumenta 556. 562.
Nojodunum civitas Maximæ Sequanorum 130. 582. Nojodunenſis epiſcopatus Bellicum translatus 345.
Nomen gentis urbi primariæ datum 69. nomina imperatorum inſcripta columnis 550. nomina legionum lateribus impreſſa 512. nomina locorum in Alſatia mutata 266. 622. monoptota 612. 615. 633. nomina propria Alſatica 816. nomina Romanorum 439. nomina ſculptorum 511. nomina ſervorum 519.
Νόμιος Apollinis nomen 465.
Nomocomus an Apollo cognominatus 464. ſq.
Nonius Gallus præfectus Galliarum 227.
Norbanus Appius L. Antonium vincit 369.
NORDGOVIA Alſatica 36. 635.
Norici à Druſo domiti 357.
Noricum provincia cæſarea 269.
Northauſen, *Northus*, 728.
Novella 653.
Novem-populania provincia præſidialis 298.
Noveſium civitas à Juliano Cæſare munita 409.
Novientum, Novietum, Alſatiæ veteris locus 57.
Noviomagum 237. 616.
Nucleus viarum 250.
Nugerolis villa 657. ſq.
Numen Auguſti 580.
Numerarius 305.
Numerius Fronto veteranus eques Leg. VIII. 517.
Numidia provincia popularis 305.
Numina topica veteris Alſatiæ 71. 323.
Nummaria res Alſatiæ Romanæ 322.
NUMMI Alſatici Celto-Romani 596. regum Francorum 817. nummorum Roman. copia in Alſatia 322. nummus Adelberti 768.
Nuncupare vota 450.
Nuntii cameræ 752. 770.

O.

O abundat in nominibus 465. alternat pro u 604.
Ω Græcorum figura 600.
Obeliſci Ægyptiaci 495. obeliſcorum origo 531. obeliſcus Dagisburgicus 530.
Oberbauenſtein pars Juræ montis 3.
Oberhengerayda 653.
Oberhoſen ibid.
Obermundat 647.
Oberſeebach 653.
Oberſtraſs vicus Alſatiæ 200.
Obervogtey au Ruffach 650.
Oberweſel vicus Sicula vetus creditur 379.
Obrechtsthal 669.
Obrebt dux 766.
Obrendaria ſepulcra 515.
Obringa 145.
Obriſiacus mons vid. Briſiacum.
Oceanus verna Pertinacis Imp. 587.
Occitanica lingua 812.
Ochra terra Alſatiæ 13.
Ochſenfeld 655.
Ociatia Secunda 459.
Octava legio 514.
Octavius Verus ſignifer Leg. VIII. 516.
Octogona templa 505.
Odersheim 828.
s. Odilia 762. crines ejus 764.
s. Odiliæ mons pars Vogeſi 6. ejus murus 58. monumenta 532. via 253.
Odilo Bavariæ dux 751.
Odinus 435.
Odradesheim 728.
Offenbach ibid.
Offendorff ibid.
Officinæ monetariæ 599.
Officium quid 304.
Officium comitum 309.
Offonis cella 738.
Offonisweilre 675.
Offonsthorof 728.
Ogmius Hercules 482.
Ol, *Olen*, Celtica vocabula 50.
Oierwiler 729.
Olina urbs Hiſpaniæ 189.
OLINO Alſatiæ Celticæ locus 39. 50. 188.
Olla cineritia 589.
Ollutius deus topicus 71.
Olruna, vid. Tolra.
Ombach fluviolus Alſatiæ 202.
Onchiſesheim 728.
Onenheim ibid.
Ongirsheim, *Ongresheim*, 729.
Onzenburſt 788.

Oolithus lapis Alſatiæ 13.
Opalus in Alſatia repertus ibid.
Opilius Reſtio miles Leg. XXII. 440. 444.
Oppida Alſatiæ Celticæ 47. eorum qualitas 49. Alſatiæ Francicæ 676. oppida Alſatiæ Romanæ 149. oppida in vicos converſa 694. oppidorum Alſatiæ numerus 27.
Oppidum quid 676.
Optus tribunus Leg. I. 595.
Opus doliare 531.
Orcheſtra theatri 166.
Orcitorix 599.
Ordalia 806.
Orgetorix Helvetius 109. nobilis 665.
Origo Chriſtianiſmi in Alſatia 126. origo comitum 657. ducatus Alemanniæ 626. linguæ Romanæ 807.
Orius vox Celtica 52.
Orincæ 201. 616.
Ortenavia Alſatiæ confinis 2. 674.
Orum vicus 658.
Oſa fluviolus 674. ſq. limes ducatus Alemanniæ 630.
Oſiris 499.
Oſhoenæ a Maximino Imp. deficiunt 379.
Oſi fluviolus 645.
Oſſinheim 729.
Oſthaim ibid.
Oſtheim ibid.
Oſtrach 620.
Oſtro-Francia 753.
Orweiler, *Otolerweiler* 729.
Otarichsforst 651.
Otfridi Evangelia 815.
Othmarsheim vicus Alſatiæ 74. 729. Othmarsheimenſe templum 318. 470. 504.
Othmarus Abbas S. Galli 74.
Otpertus Landgravius Alſatiæ 669.
Ottenrode 729.
Otterbach rivulus Alſatiæ 35.
Otto Beronis filius 749.
Ottobertus Altenburgi comes 669.
Ougeſheim 639.
Oxonienſia monumenta 463.

P.

Pacenſes milites 228. ſq. 328.
Pacifica legio 535.
Pagani 623.
Paganicus murus 534.
Pagelli 623.
Pagi veteris Alſatiæ 47. 632. eorum origo 267. 622. antiquitas 655. mutatio ibid. pagi transvogeſiani 670. Alemanniæ 672.
Pagus quid 623. 633. pagus Romanenſis 92.
Palatia Regia 689.
Palatinatus quid 625.
Palatinatus Alſatiæ confinis 2.
Palatini comites 775.
Palatium regium Argentorati 684.
Palentia 691.
Palgowa 729.
Paltenzabies 691.
Pan ab Arcadibus cultus 324.
Pantzenheim 729.
Panis conſecrati judicium 807.
Pannonicum monumentum 607.
Panonii epitaphium 589.
Pantalus epiſcopus Baſilienſis fictus 184. 339.
Pantzenheim 729. an Arialbinnum 187.
Paonius præfectus prætorio Galliarum 304.
Papinianus Gallicanus proprætor Germaniæ inferioris 273.
Parangariæ 357.
Paraſanga 571.
Parata 799.
Paraveredi 357.
Parcæ an deæ matres 81.
Parentalia Romanorum 510.
Pariſiorum nominis derivatio 79. 498. Pariſiorum civitas 551.
Parthenius Domitianum interficit 170.
Parthici nomen Trajano datum 549.
Paſceolus 519.
Paſtores monaſteriorum 801.
Patellarii dii 509.
Paterniacenſia monumenta 472.
Paterniacum oppidum 583.
Paternorum familia 581.
Patois dialectus Alſatiæ 92. 807.
Patricii 793.
Patrimonia regia 691. ſacra ibid.
Patria poteſtas in filios 323.
Pavimenta balneorum 542. pavimenta teſſelata 518.
Payerne oppidum 583.
Pays de Vosge 644.
Pays Romain 808.
Payſans 623.
Pectinitæ Alſatiæ 13.
Pedaneus judex 792.
Peladius Aventicæ epiſcopus 260.
Peleus mons 661.
Pellebis 598.
Peninus deus 486.
Penn vox Celtica 50.
Penſiles balneæ 545.
Perchaim 729.
Peregrinus miles Leg. XXII. 445.
Perepranguis 729.
Perfectiſſimatus 383.
Perforati montes 584.
Periodi Hiſtoriæ Alſatiæ 38. Periodus Francica Hiſtoriæ Alſaticæ 619.
Periſtereon 507.
Perones 570.
Perſea arbor 497.
Perſecutio Chriſtianorum in Gallia 373.
Perſicum itinerarium 612.
Pertinacis Imp. ara 586. imperium 588. tituli 586.
Peſcennius Niger in Galliam miſſus 373.
Peſſinus 605.
Peterlingen oppidum 583.
Petineſca 573.
Petræ pertuſæ via 578.
Petræfacta 13.
Petrocorii Aleſiæ auxilia mittunt 109. 182.
Petroleum Alſaticum 13.
S. Petronellæ reliquiæ 525.
Petronius Probus præfectus prætorio Galliarum 301. 302.
Petronius Honoratus 295.
Peutingerus 610. Peutingeriana tabula 610.
Pfaffenheim vicus 649.
Pfahl-Heck, *Pfahl-Reyn*, 245.
Pfalz Argentoratenſis 702.
Pfortzhemii nomen 255. Pfortzhemenſia monumenta 474.
Phalanza 691. 702.
Pharamundus rex Francorum 451. ejus ſepulcrum fabuloſum 7.
Phaſcola 519.
Philagrius Capellicus epiſcopus 260.
Philoſophia Druidum 84.
Philibertus Marchio Badenſis 483.
Phirretum arx Alſatiæ 3.
Phœnicia provincia Cæſarea 269.
Phonaſci 815.
Phryges Cybelen colunt 324.
Pia legio 442.
Picta itineraria 611.
Pictavienſis ſchola 382.
Piſticus murus 344.
Pierreport 578.
Pietatis ſymbolum 476.
Pii cognomen 553.
Pinea nux funebre ſymbolum 608.
Pinpeningis caſtrum 660.
Pipinienſis comitatus 659.
Pipinus rex Francorum reſtaurator Archiepiſcopatus Moguntini 348.
Pipinus Brevis rex Franciæ 744. ejus unctio 797.
Pipinus Heriſtallius major domus 749. ſq.
Piri mons 418.
S. Pirminius Augiæ Divitis Abbas 753.
Pirthilonis comitatus 673.
Piſces Alſatiæ 37.
Piſcofesheim pagus 643.
Piſolithus 12.
Piſtorius Joannes 557.

Placitum

Placitum 689. 806.
Plancus Munatius Galliæ Celticæ præſes 275. eo gaſta ejus 152.
Plantæ Alſaticæ 9.
Platpotesham 730.
Plamungovillare 717.
Plebs Gallorum 68.
Plectrudis uxor Pipini 750.
Pleonasmus literarum 487.
Plumbarienſes thermæ 15. 318. 545.
Plumbum Alſaticum 12.
Poeſeos Italicæ origo 812.
Poetovio urbs Pannoniæ 592.
Polemius præfectus prætorio Galliarum 304.
Politia veterum Gallorum 68. Straſburgi 685.
Politica Alſatiæ Romanæ 268. Franciæ 719.
Pollens legio 442.
Pollux in Gallia cultus 79.
Polomar Joannes 186.
Polytheiſmus in Alſatia introductus 374.
Pompejus Paulinus Germaniæ inferioris præſes 363.
Pompejus Propinquus Belgicæ procurator 365.
Pomponius L. præſes Germaniæ ſuperioris 279. Cattos vincit 162.
Pons Danubii 162. Ragnetrudis 578. Rheni 162.
Pontaticum 799.
Ponte Saruix 616.
Pontium cura 528.
Popilius C. præſes Germaniæ ſuperioris 281. 372.
Populares provinciæ 269.
Populi ſictitii Alſatiæ veteris 59.
Porta templi 505.
Portaticum 799.
Portoria 296.
Portus Abucini 130.
Puſidonopolis uomen fictum Etlingæ 494.
Poſthumius præſes Galliæ Lugdunenſis 281.
Poſthumus Galliæ rector 384. Imperator declaratur 385. occiditur 386.
Potens, vid. Albanus.
Potentianus Senonum apoſtolus 127.
Poteſtas ſumma veterum Gallorum 68.
Poteſtas viri in uxorem 322.
Pothinus Lugdunenſis epiſcopus 129.
Potus Alſatarum veterum 64.
P P F. 441.
Præceptoriæ in Alſatia 15.
Præfecti prætorio Galliarum 300. eorum origo 298. poteſtas 299.
Præfectura Galliarum 132.
Præfecturarum prætorio jura 286. numerus 298.
Prænestinum templum 577.
Præpoſitus fontium 606.
Prærogativæ comitum 775.
Præſes Maximæ Sequanorum 305.
Præsides 305. Alſatiæ 271. 274. 277.
Præſidum provinciarum diſtinctio 269.
Præſtariæ 802.
Prætenſura quid 245.
Prætentura 245. prætentura Alſatiæ Rhenenſis 241.
Prætextatus Aptenſis epiſcopus 260.
Prætoria legio 442.
Pragmaticus Auguſtodunenſis epiſcopus 260.
Precariæ, precatoriæ 802.
Priamus Francorum rex fictus 421.
Priarius rex Lentienſium occiſus ibid.
Prima Germania unde uomen acceperit 147.
Primatus archiepiſcopi Lugdunenſis 145. Moguntini 147. ſq.
Primicerius 304.
Primigenia legio 442.
Princeps 304.
Principatus Arioviſti 103.
Principes 666.
Priſcus Valerianus præfectus prætorio Galliarum 304.
Probatio ſacerdotum Mithræ 503.
Probus Imp. ad Rhenum venit 588. Germanos vincit 241. 373.
Proceritas veterum Alſatarum 61.
Proconſulatus 554.
Procopius tyrannus 414.
Proculus præſes Galliæ Lugdunenſis 282. tyrannus 389.
Procuratores provinciarum 270. 295.
Prœlium Arioviſtinum cum Romanis 106.
Pronaus 505.
Propræfecti 298.
Propeium S. Adelheidis 644. 646.
Provinciale jus 160.
Provinciales comitatus 656.
Provincialis foſſa 21. limes Germaniæ Cis-Rhenanæ 242. Tribocorum limes 138.
Provinciarum Galliæ numerus 130. 132. provinciarum Romanarum diviſio 269. 276. earum jura 286.
Proviſores 691.
Prumaud 710.
P T. 559.
Pudens, vid. Æmilius.
Pugna Juliani cum Alemannis 216.
Pugna Tolbiacenſis 123.
Pulveraticum 799.
Pyrites Alſatiæ 13.

Q.

Quales quales ſervi 519.
Quartinus dux Oſrhoenorum 379.
Queicha Alſatiæ fluvius 25. Alſatiæ limes 2. 638. 646. limes Tribocorum 138.
Quetchbambach 653.
Quercus Jovis ſtatua 74.
Queue d'Aronde 533.
Quintilius Varus rector Germaniæ inferioris 242.
Quiritium jus 160.
Quirnea flumen 668.
Quiſaca, vid. Queicha.
Quanungesbam villa regia 702.

R.

Rabado fluvius 679.
Rabaldovillare 710.
Rachinburgii 792.
Rudbertovillare 667. 710.
Ragonius Celſus Galliæ præfectus 281. 375.
Ragonius Clarus Romanorum præſes in Gallia 285.
Ramberg 653.
Rando Alemannus Mogontiacum cœpit 416.
Rappoltivillanæ thermæ 14.
Rappoltsweiler, *Rasbertovillare*, 710.
Raſtæ 532. 573. ſq.
Rat vox Celtica 55.
Ratbodus Friſiorum dux 750.
Katesheim, *Ratherisheim*, 710.
Rationales rerum privatarum 691.
Rauracenſe caſtrum 130. 177.
Rauraci Alſatiæ veteris incolæ 2. 37. Aleſiam auxilia mittunt 109. 122. Bojis annumerati 39. an Germaniæ primæ adſcripti 143. Sequanorum clientes 39. eorum habitatio 37. civium numerus 39. nominis etymologia 40. nummi 597.
Raurica colonia 152. quando ducta 156.
Rauricum oppidum 38. reſtauratum 156. ejus ætates 152. amplitudo 162.
Rauricus ager quando Germanos excepit 143. ejus partes 38.
Rauricus epiſcopus Baſileam translatus 145.
Razenhuſen 730.
Reburrinius Candidus 594.
Rechenhuſen 730.
Rechtenbach 653.
Recluſoria 801.
Recumbelter 658.
Reconvillare capella 658.
Red vox Celtica 55.
Redemptores 528.
Reditus Romanorum 296. villarum regiarum 690.
Regalia 801.
Regenesheim, *Regesheim*, 661. 710.
Regerendarius 307.
Reges Austrasiæ 719. eorum chronologia 741. reges Bazavorum 404. reges Galliæ fabuloſi 99. reges monaſteriorum abbates 801. regum Francorum inauguratio 797.
Regiæ urbes 694.
Regia ſtrata 799.
Regiminis Alſatiæ mutatio 297.
Regina Juno vocata 472.

Regiones quatuor quæ 148.
Regnum pro corona dictum 798.
Regulæ monachorum 801.
Reichſaſs 35.
Reichsdorff 653.
Reichshoviana monumenta 449. 458.
Reinungen 730.
Relationis jus 555.
Religio veterum Alſatarum 70. 123.
Relindis abbatiſſa Hohenburgenſis 765.
Remedius Argent. epiſcopus 785.
s. Remigii caſtellum 234. ejus monumenta 436. ſq.
Remiremont 713.
Remsbotb 801.
Rendelena curtis 637.
Renovatio memoriæ coloniæ Rauricæ 180.
Requictorium 535.
Res Gestæ Alſatiæ Romanæ 391.
Reſpendial dux Vandalorum 319.
Reſtauratores viarum 555. 566.
Reterelsheim 661. 730.
Reudiba 730.
Rexheim ibid.
Rhapſodi 816.
Rhæti geos inquieta 159. à Druſo domiti 157.
Rhetia Cæſarea provincia 269.
Rhæticum bellum quando incœpit 278.
Rhein, vid Rhenus.
Rheinfelda in Raurico agro 18. ſq. an caſtellum Romanorum fuerit 182.
Rheinfeldenſis comitatus 639.
Rhenzabern 239.
Rhemenſis fabrica 214.
Rhemorum urbs capta 218.
Rhenenſis via 251.
Rhenus Alſatiæ flumen 15. Alſatiæ limes 1. 621. 632. aurifer 17. 29. deus habitus 79. limes Maximæ Sequanorum 130. ejus alveus mutatus 162. 191. ejus commoda 17. cryſtalli ibid. eruptiones ibid. inſulæ ibid. pons 162.
Rhodt 653.
Richardis innocentiam ſuam probat 806.
Richenesheim, *Richsheim*, 730.
Rictionarus præſes Trevirenſis 15. Chriſtianorum perſecutor 192.
Richovillana dynaſtia 662.
Riculfus dynaſta 667.
Riedenſis comitatus 663.
Riedſeld 653.
Rietweiler 711.
Rin Celtica vox 51.
Rinckendorof, *Ringendorff*, 730.
Ringi Hunnorum 679.
Riparii 645.
Ripaticum 799.
Ripuarenſis pagus 651. 645.
Rixem 730.
Roboretum ſilva 183.
Robur quid 182.
Robur caſtellum 180. 419.
Rodarbeim 730.
Rodebertus comes 786.
Rodobaldus Argentorat. epiſcopus 117.
Rahingen 730.
Ratelen vicus 673.
Roſacum villa 203.
Roma capta 178.
Roma dea 486.
Romans 92. 808.
Romana Alsatia 123. Romana lingua 92. Romano-Barbaræ linguæ ſpecimen 97. Romana nomina abolita 622. Romana via 7.
Romance 92.
Romanehæ matres 481.
Romanenſis pagus 92. Romanenſis ſermo 91. ſq. 319. 807. Romanenſium fabularum nomen 812.
Romani Aleſiam obſident 109. 352. Alſatiam ſubjiciunt 351.
Romani comites 774.
Romanisheim Marca 652.
Romanorum dominatus in Alſatia 109. ejus finis 410. Romanorum nummi 598. Romanorum pugna cum Arioviſto 106.
Romarici mons 713.
s. Romaricus monaſterium in Vogeſo condit 15.
Romersberg 713.
Romulus Auguſtus ultimus imperator Occidentis 429.
Roppach, *Roppe*, 730.
Rorbach amniculus Alſatiæ 24.
Rorenſis comitatus 659.
Roſchbach 653.
Roſemontanæ vallis metallifodinæ 12.
Rosheim 730.
Roſinſago ibid.
Rotaticum 799.
Rotbach fluviolus Alſatiæ 208. locus 730.
Rotberg arx Raurici agri 18. 182.
Rotfeld 654.
Rothauſs locus Helvetiæ 182.
Rotlauble 655.
Rotmersheim 730.
Rott 653.
Ruadmunderheim 731.
Rubeacenſes metallifodinæ 12.
Rubeacenſis emunitas 647.
Rubeaquum oppidum 202.
Rubeus campus 654.
Rubiacha 649. Rubiacum 694.
Rubiacus pagus 641.
Rudolfwilare 731.
Rudolphus comes Rheinfeldenſis anticæſar 639.
Rudolphus Argent. Epiſc. 745.
Rudolphus Thuringiæ dux 749.
Rudus quid 250.
Ruggisberg monaſterium 658.
Rufach 694.
Rufacum an Ruſiana veterum 204.
Ruffei vicus 203.
Rufiana 48. 202.
Ruleichesheim 731.
Rumæhæ matres, Rumanehæ deæ matronæ 71. 81. 481.
Rumelsberg 713.
Rumersheim 730.
Run Celtica vox 51.
Ruothardus nuntius cameræ 752.
Rumtpererwilre 675.
Rurelsheim 711.
Ruſſeldorff 653.
Ruſtica lingua 808. 813.
Ruſticus præfectus prætorio Galliarum 304.
Rothardus dynaſta 668. cameræ nuntius 752. 770. comes 778. 787.
Rutharius dynaſta 668.
Ruthelinus comes 652. comitatus ejus 789.
Rutheni Aleſiæ auxilia mittunt 109. 122.
Rutpolderwillare 730.
Ryd Celtica vox 55.

S.

S 449.
Σ Græcorum figura 600.
Sabinianus Senonum apoſtolus 327.
Sabinus Fl. Attilius veteranus Leg. XXII. 449.
Sabinus German. inferioris præſes 160. 281. ſeditionem excitat 367. occiſus 369.
Sacellum Mercurii 529. ſq.
Sacer mons 15.
Sacerdotes veteris Alſatiæ 82. ſacerdotes Mithræ 503.
Sacramentum 806.
Sacrovir Jul. Sequanos ad ſeditionem excitat 159.
Sæculatius Deenſis epiſcopus 260.
Saguntinum theatrum 163. 168.
Sakleaus 562.
Sarut Mans 713.
Saletio 226. ejus ſitus 227.
Salewap villa 638.
Salica terra 803.
Salici 805.
Salii 602.
Salinaria turris Baſileæ 182. 186.
Saliſa, vid. *Selsbach*.
Saliſo 226. ab Alemannis occupata 399.
Salmam 803.
Saloiſſa, Salſa, Saluſſa 706. ſq.
Saluſtius Promotus præf. præt. Gall. 391. 414.
Salmenſis vallis 671. arx 671.
Salmones piſces Alſatiæ 27.

Salmuncaſſ

Salmunculi 27.
Salodurum 173. 616. Salodurenſia monumenta 442.
Saloiſſa oppidum 31.
Saloninus Cæſar occiſus 385.
Saloſſenſis pagus 646.
Salvidienus Octaviani in Gallia legatus 276.
Salutaticum 799.
Salza, vid. *Selsbach.*
Salzgoviæ comitatus 38. pagus 637.
Sanctenſis comes 671.
Sanctio 174. 412.
Sanctiſſima conjux 525.
Sanctiſſimus Silvanus deus vocatus 487.
Sanctium oppidum 38.
Sanctus Darantaſienſis epiſcopus 260.
Sanctus mons 800.
Sanguis diis manibus oblatus 508.
Saponariæ concilium 180.
Saporoſa rivus Alſatiæ 20.
Sara fluvius in Vogeſo ortus 25.
Sarabaidæ 801.
Saracenorum via 853.
Sarachouua 672.
Saramersheim 709.
Saramucus Jupiter 75.
Sarcophagus 583. Romanus 518. lateritius 528. Etichonis 761.
Sardicenſe concilium 334.
Sargovia 672.
Sarmenza 661. villa 709.
Saſenheim 731.
Satyra 489.
Savannes 732.
Sauconna limes Maximæ Sequanorum 130.
Sauer, vid. Sura.
Savina filia Adelberti 768.
Saumaticum 799.
Sauvel, vid. Suvela.
Sauvelier 658.
Saxones locus 731.
Saxones à Valentiniano victi 419. eorum ſocietatis origo 267. 620.
Saxonicum jus 148.
Scabini 792.
Scaferſheim 663. 731.
Scafolſesheim 731.
Scalæ theatrorum 166. templorum 505.
Scaldiſtat 699.
Scara torrens Alſatiæ 22.
Scelto 792.
Scenici 603.
Scepenæ 792.
Scerenweilre 731.
Schafferſheim ibid.
Schafolsheim ibid.
Schafmatt pars Juræ montis 3.
Scher, vid. Scara.
Scheazius 120.
Scherweiler 731.
a Scheyb 608.
Schiltigheim 732.
Schletſtatt 699.
Schlettenbach 653.
Schleythal ibid.
Scheffen 791.
Schœnus 673.
Scholæ Druidarum 84. Romanorum in Gallia 120. ſq.
Schœnensheim 732.
Schriftſaſs quid 35.
Schuppenburgenſia monumenta 441.
Schutterenſe monaſterium 718.
Schwartzenacker 539.
a Schwarzenberg 493.
Schweigen 653.
Schweighaeuserus, Georg 191.
Schweighaeuserus, Plac. 658.
Schweighofen 653.
Schweighuſen 635. 706.
Schwerta 732.
Schwindratzheim 733.
Schwobsheim 732.
Scildturheim ibid.
Sclatſtatt 643. 699.
Scopotæ 698.
Scordiſci Galliæ colonia 120.
Scotenweilre 661. 731.
Scoti 800.
Scribonii fratres Germaniæ præſides 271. 279. 391. occiſi 364.
Scriptores fabuloſi, vid. Fabuloſi.
Scriptura 296.
Scripturæ ſacræ verſio Theotiſca 814.
Scudaſii 792.
Sculptorum nomina 518.
Scutatus Romanus 577.
Scutum militis Gallici 581.
Sebach 731.
Sebuſii an Alſatiæ incolæ 60.
Sebuſium an Weiſſenburgum ibid.
Sechingaſt 668.
Secunda nomen fœminarum Romanarum 449.
Secundus Claudius Auſpicalis 595.
Securitates quid 408.
Sedatus 530.
Sedes præfecti prætorio Galliarum 299.
Sederbach rivulus Alſatiæ 26.
Sedilia theatrorum 166.
Sedulus dux Lemovicum occiſus 353.
Seduni an incolæ Alſatiæ 61. 103.
Seebach foſſa Alſatiæ 26. 650.
Seelbach 804.
Seelgut 803.
Segintenſis comitatus 671.
Segontenſis pagus ibid.
Seguinus rex Galliæ fictitius 43. 99.
Sehſenheim 731.
Seigneurie 666.
Selebovem 718.
Selenites 13.
Seleſtadium an Elcebus 204.
Selgnot 803.
Selme pagus 671.
Selmung vicus 672.
Sela Alſatiæ fluvius 24. terminus Alſatiæ creditus 2.
Selz locus 706. Saletio veterum 226.
Selzbach, vid. *Sela*.
Selzenſe monaſterium 228. à Rheno abſorptum 192.
Sempronius Celer 604.
Senatores 774.
Senatus veteris Galliæ 69.
Senectus Auguſtæ Rauracorum 176.
Senones Aleſiæ auxilia mittunt 109. 122. eorum civitas 551.
Sent 792.
Sentius Germaniæ præſes 283. 358.
Senzach 691.
Septimania 812.
Septimina conjuratio 679. 703.
Septimius Severus præſes Galliæ Lugdunenſis 281. 371. ad imperium promotus 373. orientem petit 375. obiit 569. Albinum Clodium vincit 376.
Septum aræ 467.
Sepulcra Alſatarum 319. Romana 507. obrendaria 585. eorum conſtructio 510. diverſitas 525.
Sepulcretum Romanum 529.
Sequana flumen an nomen dedit Sequanis 44.
Sequani Alſatiæ veteris incolæ 2. 5. 41. Aleſiæ auxilia mittunt 109. 122. à Romanis ſubacti 351. an Germaniæ primæ adſcripti 143. eorum civitas 42. diviſio 41. diſſidiæ cum Æduis 103. terminus in Alſatia 41. inſigne 44. nominis origo 43. nummi 597. ſedes 40. ſtatus 44. ſtatus ſub Arioviſto 105.
Sequanicus ager quando Germanos excepit 143. ejus præſtantia 43.
Serapides 497.
Serapio rex Alemannorum Rhenum tranſit 402.
Serapis deus Ægyptiorum 499.
Serencia 692.
Semmersheim 709.
Serngonne 638.
Serpens ſapientiæ ſymbolum 499.
Servatius Tungrenſis epiſcopus 345.
Servi 802. ſervi beneficiarii 800. ſervi Romani imago 518. ſervorum nomina 519. variæ ſpecies ibid. manumiſſio 802.
Severi Alexandri Imp. columna 560.
Severiana legio 443. 593.

Severinius Satullinus Mercurio ategiam ponit 446.
Severus dux Romanorum 404.
Severus miles Leg. XXII. 444.
Seviratus Auguſtalium 526. ſacerdotum 325.
Sextus Clemens 480.
Sextus Juſtus 460.
Sexus deorum 72. 78. ſexus Mercurii dubius 454.
Sheriſ 774.
Σημεῖα 547.
Sibidius, vid. Acilius.
Siburius præfectus præt. Galliarum 302.
Sicambri à Tiberio victi 358.
Sicila locus 179.
Siclingen oppidum 179.
Siebeningen 653.
Sierenz villa 602. an Uruncæ veterum 201.
Sigebaldus Metenſium epiſcopus Neovillani monaſterii conditor 335.
Sigebertus Dagoberti Magni filius 54. rex Francorum 430. 741. ab Amando baptizatus 693.
Sigebertus III. Auſtraſiæ rex 742.
Sigenerheim 731.
Sighifridus dynaſta 725.
Sigillaria 497.
Sigillata terra Alſatiæ 13.
Sigillum Calani Priſci 609.
s. Sigismundi cella 736.
Sigismundus Burgundiorum rex 179. ad Catholicam fidem converſus 260.
Signa 497.
Signare vota 450.
Signum militare 582.
Sigoldi mons 655.
Sigolsheim, *Sigolt*, 732.
Sigoveſus Celtarum dux Rhenum tranſit 16. 119. 122.
Sigrada 765.
Sigwaldi mons 655.
Silberthal, Silbertina, 208. 680.
Silentii deus 499.
Silius dux Romanorum Gallorum turbas componit 127. legatus Germanici Cæſaris 358. Sequanorum pagus vaſtat 359.
SILVÆ ALSATIÆ 8.
Silva Bienſis, vid. Bienſis. ſilva Hagoenenſis, vid. Hagoenenſis. ſilva Martiana, vid. Martiana.
Silvanius Probus 527.
SILVANUS deus 487.
Silvanus præceptor Salonini Cæſaris occiſus 385.
Silvanus tyrannus occaſus 397.
Silveſter Cabillonenſis epiſcopus 345.
Singulares 305. equites 527.
Singularia ſepulcra 535.
Siniſtrum latus 448.
Sintlatz dynaſta 655.
SISGOVIA pagus 639. Raurici agri pars 38. nominis etymologia 40.
Siſigaugenſis pagus 639.
Siſtrum 500.
Sixta Sedati uxor 530.
Sixtus Rhemenſium apoſtolus 327.
Skalkeſhat 673.
Skrungeshoubel 732.
S M A Q 571. 599.
S M T R 599.
Soeſſas 731.
Solach rivus Alſatiæ 25.
Solarius Argentorat. epiſcopus 337.
Solarium 538.
Soldurii 67.
Solicinium caſtellum Romanorum 245. 412.
Solis agones 503.
Solis puer 602.
Solius Suavis miles Leg. XXII. 441. 444.
Solocenſis pagus 646.
Solonius Severinus Trib. mil. Leg. VIII. 527.
Solvere vota 450.
Somnis 506.
Sorna fluvius Alſatiæ 24. Alſatiæ terminus creditur 2.
Sornegaudiæ pagus 637.
Sorr, vid. Sorna.
Sortis judicium 806.
Sermaneshein, *Sermanasheim*, 732.
Spata veterum Alſatarum 66.
Spathum 13.
Speckebach 732.
Specimina linguæ Romanæ 811.
Spectabilis 313.
Specularia 545.
Speculum Veneris 477.
Speries pagus 636.
Spesbach 732.
Sphalmata lapicidarum 562.
SPIZLEBERGA-OETTINGENSIS COMES 475.
Spira Alſatiæ civitas credita 2. an urbs Auguſta 158.
Spirgoviæ pagus 645. Alſatiæ confinis 2. ejus limites 632.
S. T. 599.
Stabius 483.
STABULA 190. 616.
Stadium 573.
Staffelfelden an Stabula veterum 190.
Stafinhus 190.
Stamenbruch 58.
Statera 526.
Stationes viarum 357.
Stativa caſtra Romanorum 248. 535. ſtativa Leg. VIII. 517.
Stattmatt vicus 236.
STATUS hominum Alſatiæ Franciæ 802. ſtatus Sequanorum ſub Arioviſto 105.
Staufenbergenſia monumenta 553. 556. 560.
Steinbrunne 732.
Steinfelden 653.
Steinſols ibid.
s. Stephani monaſterium Argent. 737. ſitus 210. 682. fundator ejus 764.
Stetten 720.
Σῆμα 547.
Stilico Honorii dux 176. in Galliam miſſus 420. Vandalos in Galliam vocat 217. 425.
Stilla rivulus Alſatiæ 24.
Stipendium militare 593.
Stonehenge 531.
Storner 661. 731.
Stotzheim, *Stotzen*, 732.
Stoume 546.
Strabo Gal. Leg. XXII. miles 444.
Straſſel Alſatiæ via 253.
Straſburg, vide Stratburg.
Straſburgenſis ager 687.
Strata regia 799.
Stratagema Juliani Cæſaris 410.
Stratburg nomen Argentorati 56. 102. 679. laudes ejus 686. nominis derivatio 223. 681. origines 225. exiguæ 685.
Strengbach rivus Alſatiæ 21.
STRICKERUS linguæ theotiſcæ ſcriptor 814.
Structura caſtrorum 533.
Stubæ Germanorum 546.
Stutgardiana monumenta 441.
Suabesheim 732.
Suabæ matres 81.
Suærza 732.
Subadjuva 305.
Subita caſtra 535.
Subordinatio epiſcoporum 342.
Subſcriptiones epiſcoporum in conciliis 345.
Subſcudes 533.
Sudatoria 538.
Suechhuſen palatium regium 706.
Suenheim 652.
Suentiſium 36. Suentiſiorum comitatus 634. pagus 672.
Sueſſionenſis fabrica 314.
Sueſſionum monumenta 566.
Suevi Germanicus populus 248. à Tiberio victi 358. à Carinate profligati 276. in Galliam tranſeunt 103. 217. in Alemanniam migrant 359.
Suevia nomen quando acceperit 248. 359.
Sugentenſes 634. Auſtraſiæ regno reſtituti 261.
Suleves deæ 81.
Sulſiæ deæ ibid.
Sulpitius Maturus miles Leg. XXII. 441. 444.
Sulvæ deæ 81.
Sulza oppidum 649. 732.

Google

Sulzbacenſes acidulæ 14. metallifodinæ 12.
Sulzberg villa 673.
Sulzenſia balnea 14. monumenta 447.
Sulzmattenſca acidulæ 14.
Summa cruſta viarum 850.
Summæ vallis villa 638. 657.
Sund Francica vox 36.
Sundgovia pars Alſatiæ 3. pagus 634. ejus nomen 36. limes 635.
Sundhofen 733.
Sunnegiſilus comes ſtabuli 666.
Sunnis 806.
Sunnor 733.
Suomarius rex Alemannorum Rhenum tranſit 402. pacem cum Romanis init 408.
Superior Alſatia, vid. Alſatia.
Superſtitio Celtarum de Rheno 16.
Sur vocabulum Celticum 457.
Sur, Sura, fluvius Alſatiæ 24.
Surbur 452. 457.
Surburg vici Alſatiæ etymologia 457.
Surburgenſe monaſterium 736.
Suſa rivus vallis Orvallenſis 578.
Suſceptores qui 408.
Suſcipere vota 450.
Suſpenſura balneorum 545.
Suvel, Suvela, fluviolus Alſatiæ 23.
van Swieten 610.
Swindratisheim 733.
Syagrius notarius 419. præfectus prætorio Galliarum 302.
Sylcanus deus topicus 71.
Sylphæ deæ 81.
Symbona numina 484.
Syncretiſmus religionis Gallicæ & Romanæ 70.
Synodus Aurelianenſis II. 260. Epaonenſis ibid.
Synthroni dii 485.
Syntiche nomen fœminæ 585.

T.

T pro C ſcriptum 563.
Tabernæ oppidum Tribocorum 138.
Tabernæ Alſaticæ 234. ab Alemannis occupatæ 399. à Juliano Cæſare reſtauratæ 408. Metenſi epiſcopo ſubjectæ 138. monumenta 186. 459. 585.
Tabernæ ad Rhenum 229. 616. monumenta 810. 459. 587.
Tabernæ Montanæ 236. 653. monumenta 486. clauſtra 240.
Tabernæ Auſonii 237.
Tabernæ variæ veterum 829.
Tabula Iſiaca 497.
Tabula Theodoſiana 610.
Tabularius 305.
Tannenchel mons 839.
Tagisburgenſis comitatus, vid. Dagisburgenſis.
Talcum Alſaticum 11.
Talpidius Clemens centurio Leg. VIII. 517.
Tanfana dea 71.
Tangano 808.
Tanvelier dynaſtia 669.
Tarbelli an Alſatiæ incolæ 61.
Tarenne 658.
Taunus mons 244. 362.
Taurcianus Nivernenſium epiſcopus 260.
Tauriſi colonia Celtica 120.
Taurus cujus ſymbolum 502.
Techinsheim 733.
Tegere latus 488.
Tegulitia 447.
Temerarium tributum 296.
Templa Gallorum nulla 86. templa Romana in Alſatia 504. templorum conſtructio 317. varia genera 530. templum Argentorat. an lucus olim fuerit 87. templum Auguſtæ Rauracorum 170. templum Mercurii 452. templum Othmarsheimenſe 318.
Temporaria caſtra 535.
Temporum numeratio 321.
Tenchteri à Druſo domiti 378.
Tenedo locus Sueviæ 246.
Tepidarium 541.
Terebinthina Alſatica 9.
Terebratulæ 13.
Terentia Auguſtula 524.
Terberdi 733.
Terminus 708.
Terra Salica 803.
Terra ſigillata 13.
Tertius Figulus 512.
Teſtitubeim 733.
Teſtudo Mercurii ſymbolum 436.
Tetradius Veſontinus epiſcopus 345.
Tetricus præſes Galliæ Lugdunenſis 282.
Tetricus tyrannus 387.
Teufelsbecke, *Teufelsmaur*, 245.
Teufelsweg 853.
Teutates Mercurii nomen 71. numen Gallorum præcipuum 384. 435.
Teutonica lingua an Alſatis veteribus uſitata 93.
Thaleisheim 719.
Thannenſes metallifodinæ 12.
Theatra Romana præcipua 167. eorum reliquiæ in Gallia 168. theatrum Auguſtæ Rauracorum 163.
Thebææ legionis martyrium 339.
Theobaldus dux Alemanniæ 627. 750.
Theodebaldus dux Alemanniæ 750. 770.
Theodebaldus rex Auſtraſiæ 741.
Theodebertus II. Auſtraſiæ rex 33. 261. 742.
Theodoricus I. rex Auſtraſiæ 741.
Theodoricus II. Burgundiæ rex 33. 261. 741. ſq.
Theodoricus III. Franciæ rex 743.
Theodoricus IV. Franciæ rex 744.
Theodoricus rex Viſigothorum interfectus 429.
Theodosiana Tabula 610.
Theodoſius I. Imp. imperium menſurari facit 613.
Theologia Alſatiæ veteris 70. Ægyptiorum 496. Druidarum 84.
Theothertowilare 733.
Theotiſca lingua 814. ejus ſpecimen 811.
Thermæ Alſatiæ 14. plumbarienſes 546. Romanorum 517.
Thesvenna villa 657. ſq.
Tholder, vid. Tolra.
s. Thomæ monaſterium Argentorat. 736.
Thura amnis Alſatiæ 20. terminus Sundgoviæ 2.
Thurnheim 733.
Thuringorum ſocietatis origo 267. 620.
Thus vulgare 9.
Thyreos quid 66.
Tiberianus præfectus prætorio Galliarum 300.
Tiberius deus 486.
Tiberius Cl. Secundinus procurator Galliæ Lugdun. 295.
Tiberius Nero præſes Galliæ Lugdunenſis 278. 383. Suevos & Sicambros vincit 358.
Tiſſiacus pagus 619.
Titiana Auguſta appellata 587.
Titianus magiſter ſcholæ Veſontinæ 325.
Titii cognomen 603.
Titius Finitus 607.
Tituli honorum 313.
Titus Ourhoenorum dux 379.
Tolbiacenſis pugna 123. 430.
Toloſana ſchola 321.
Tolra torrens Alſatiæ 21.
Topica numina 71. Alſatiæ numina topica 323.
Torneamenta 687.
Torolfesheim 720.
Torta lingua 813.
Trabaticum 799.
Trajana colonia 157.
Trajanus præſes Germaniæ ſuperioris 280. imperator factus 370. reſtaurator viæ Veſontinæ 547. Trajani pons Danubianus 162. Trajani monumentum 371. 407.
Trajectum Moſæ ſedes epiſcopi Tungrenſis 345.
Trajectus Rheni 16.
Tramea Tabernenſis 5.
Tranſitoria caſtra 53.
Trebesburg an nomen Argentorati 211.
Trebeta fabuloſus 100.
Trenheim vicus 706. 720.
Tres Tabernæ, vid. Tabernæ Alſaticæ.
Treveri caput Galliæ Belgicæ 346. ſedes præfecti prætorio 298. ſq. everſa 818. 427. ſedes imperatorum 418. urbis origo fabuloſa 101. Treverenſes epiſcopi primi ignoti 331. Trevirenſis eccleſia mater inferioris Alſatiæ 346. Trevirenſis ſchola 321.

k 2 Treviræ

Treviræ matres 81. 481.
Treviri à Nonio Gallo ſedati 277. eorum ſeditio 352. Trevirorum lingua 93. Trevirorum tractus. 146.
Triberorum fabrica 214.
Triboci in Alſatiam transeunt 28. 103. 128. 136. 154. Germaniæ ſuperiori adſcripti 143. eorum civitas 551. limites 137. monumenta 138. nomen 87. 101. 134. res geſtæ 138. ſedes in Germania 135. 138.
Tribotes fabuloſi 100. ſq.
Tribuni 828.
Tributa 205.
Trionum familia 468.
Triumphus Planci 153.
Trochitæ 13.
Troja an Alſatiæ locus 706.
Troubadours 812.
Tronia 642. Tronis vallis 706. Troniæ comitatus 669.
Troningorum pagus 641.
Trophimus Arelatenſium apoſtolus 327.
Troubadours 812.
Truttenhuſen monaſterium, unde nomen habeat 83.
Tubi balneorum 539. 543.
Tubingenſia monumenta 518.
Tudenbaum 733.
Tullius Varro Trib. mil. Leg. VIII. 516.
Tulpiacenſe pagus, vid. Tolbiacenſis.
Tumuli bellici 123. tumulorum origo 469.
Tumultuaria caſtra 535.
Tunchinatheim 720.
Tungiensheim 733.
Tungrenſis epiſcopatus Trajectum Moſæ tranſfertur 345.
Tungri civitas Galliæ 551.
Tunica veſtis Alſatarum veterum 65. tunica brevis veſtis ſervorum 519.
Turbinitæ 13.
Turckheimenſis geraida 654.
Turenſes 634.
Turenſis pagus 640.
Turgeune pagus 641.
Turicum 173.
Turonii ab Aviola domiti 278.
Turris ſalinaria Baſilienſis 180. turris tabernarum Alſaticarum 186.
Tutor ſeditionis auctor 367.
Typho deus malus Ægyptiorum 498.
Tyranni nomen quibus datum 386.
Tyrasburgum 102.

U. V.

U quid Celtis ſignificat 51.
Vacallinehæ deæ 71. 81. 481.
Vachonna, vid. Fachina.
Vadomarius Alemannorum rex, Romanorum amicus 410. in Alſatiam tranſit 396. Romanorum hoſtis 159. à Julio Cæſare captus 412.
Vaſſenheim 649.
Valancinay 735.
Valentinianum caſtellum 245.
Valentinianus I. Imp. arces ad Rhenum reparat 162. 181. 241. 418. in Galliam profectus 414. in Monte Briſiaco commoratur 192. columna ipſi erecta 550.
Valentinianus II. Imp. Auguſtus conſtitutus 420.
Valentinianus Argent. epiſcopus 337.
Valeriana legio 593.
Valerius Alſatiæ apoſtolus 327. 330.
Valerius Aſiaticus Belgicæ legatus 365.
Valerius Rufus miles Leg. XXII. 444.
Valerius Segeſtericus epiſcopus 260.
Valerius Abbas 440.
Vallette locus 458.
Valff 721.
Vall jus 802.
Valleior 788.
Vallis coronæ 705. vallis Leberia 11. ſq. vallis Villeria 12.
Vallum Decumatium agrorum 242. vallum provinciale Alſatiæ 25. vallum Severi 464. vallum Vedroviæ 244. vallorum conſtructio varia 243.
Valor auri Rhenenſis 31.
Vandali in Galliam irrumpt 196. 217. 425.
Vangiones in Alſatia 103. quando ad Rhenum venerunt 136. eorum habicatio trans Rhenum 361. Vangionum civitas in Germania prima 147. obſeſſa 217. ab Alemannis occupata 399. ejus monumenta 472.
us Vanolles 414. 481.
Vapthuæ matres 81.
Vaporaria 546.
Variantes lectiones itinerarii Antonini 616.
Varius Clemens 273. procurator Germaniæ ſuperioris 295.
Varius Marcellus pater Alexandri Severi 561.
Varus Q. præſes Galliæ 284. in Germania perit 358.
Vaſcula in ſepulcris reperta 509.
Vasgovia 8. 644.
Vaſli 800.
Vaticinia Druiadum 86.
Vaudemont 458.
Vauges, vid. Vogeſus.
Ubii in Galliam tranſeunt 355. eorum civitas 551. tractus 146.
Udalrichus comes 787.
Udo nobilis Alſata 772.
Vecht 661.
Vectigalia Araris 103.
Vediantiæ matres 81. 481.
Vedroviæ vallum 224.
Vehicularis curſus 257.
Vehiculum Romanum 593. vehiculorum genera 257.
Velatudurum 616.
Veliſiciorum inventrix Iſis 498.
Velleda virgo fatidica 367.
Vemania 173.
Venantius Albenſium epiſcopus 260.
Venatio in Alſatia 10.
Venus à Gallis culta 476. à Cypriis culta 324. Veneris imagines 171. Veneres diverſæ 477.
Venetus locus 407.
Venningen 654.
Ventidius legatus M. Antonii 276.
Veoſoſa rivus 671.
Veratsheim 714.
Veratius Paternus miles Leg. VIII. 517.
Vercingetorix Gallorum dux 109. à Romanis deficit 352.
Verecundinius Verinus veteranus Leg. XXII. 444.
Veredi 257.
Virginius Rufus Germaniæ ſuperioris 279. 364.
Vergobretus magiſtratus Gallorum 68.
Vermiculares lapides 13.
Verna ſervus 587.
Vesnius Vindex Trib. mil. Leg. 516.
Veſontio civitas Sequanorum 42. 616. metropolis Maximæ Sequanorum 130. 345. 394. 549. à Cæſare occupata 106. à Verginio Rufo obſeſſa 364. ejus ſchola 321. monumenta 459. 467.
Veſontina via 252. ejus reſtaurator 547.
Veſonze 671.
Veſſenheim 781.
Vesta à Gallis culta 475.
Veſtes militares Romanorum 521.
Veſtibulum 505.
Veſtitus veterum Alſatarum 65. Alſatiæ Romanæ 315.
Veſtralpus rex Alemannorum Rhenum tranſit 402.
Vetera caſtra 166.
Veteranus 591.
Vettius Sarturninus veteranus Leg. XXII. 444.
Veturia gens 171.
Veturius Helix 585.
Vetus Germaniæ ſuperioris præſes 363. 279.
Vexillatio Leg. XXII. 441.
Uffgoune pagus 659.
Uſſbola 715.
Uſgovia 676.
Via quid 249. via ad Argentoratum 209. ad Auguſtam Rauracorum 172. Aventico-Rauracenſis 369. Petræ pertuſæ 578. Veſontino-Alſatica 371. viæ Aureliæ Aquenſis reſtauratio 567. Veſontinæ reſtaurator 547. viæ imperii Romani menſuratæ 611. viæ Romanorum per Alſatiam 7. 194. 201. 249. 251. 616. per Germaniam 565. viæ theatrorum 165. viarum Romanarum conſtructio 249. curatores 250. 528. latitudo 254. varia genera 249.
Vibius Æmilia Vetenius Leg. XXII. miles 445.
Vicariatus 624. 791.
Vicarii 208. Galliarum 384.
Viecomites 624. 791.

Vica

Digitized by Google

Vici veterum 331. Alſatiæ 714. in oppida converſa 694.
Victimæ humanæ immolatæ 73.
Victor & Urſus martyres 458.
Victoria ſeu Victorina mater caſtrorum apellata 387.
Victoria Auguſtorum 513.
Victoriæ imagines 488.
Victorina legio 593.
Victorinus præſes Galliæ Lugdunenſis 382. 284.
Victorinus tyrannus Galliarum 386. ſq.
Victrix cohors 595. legio 444.
Victurus Gratianopolitanus epiſcopus 260.
Victus veterum Alſatarum 64. Alſatiæ Romanæ 316.
Vicus quid 621.
Vicus Julius 330.
Vicus villa 617.
Viennenſis provincia conſularis 298.
Vierte Heugeraydt 654.
Vigeſima hæreditatum 296.
Viguerie 684.
Villeria vallis 12.
Villa publica 689. regia Strateburgenſis 768.
Villæ Alſatiæ Franciçæ 676. villæ fiſcales 689. villæ patrimoniales 691. regiæ 707. villarum Alſatiæ numerus 27.
Villicus 702. 703.
Vina Alſatiæ 9. eorum origo 316. 390.
Vinariæ tabernæ 329.
Vindelicorum habitatio 174.
Vindex Jul. Galbam imperatorem proclamat 364.
Vindices milites 339. 312.
Vindobonenſe monumentum 608.
Vindoniſſa 173. 616. Vindoniſſenſe caſtrum 130. 178. exciſum 179. Vindoniſſenſis via 253.
Vicinius M. Galliæ præſes 283.
Vipſanius, vid. Agrippa.
Virdenheim 714.
Virgunda pagus Alemanniæ pars 630.
Viri poteſtas in uxorem 323.
Virincæ 201.
Virtus militaris veterum Alſatarum 66.
Viſellius Varro inferioris Germaniæ legatus 273.
Viſuria 460.
Vitellius inferioris Germaniæ præſes 273. 365.
Vites quando in Alſatia cultæ 316.
Vithigabius rex Alemannorum 413. occiſus 417.
Vitudurum 173. 616.
Viventiolus Lugdunenſis epiſcopus 260.
Viventius præfectus prætorio Galliarum 301. 303.
Ulatzheim 734.
Ulpia caſtra 171.
Ulpius Malchus centurio Leg. XXII. 444.
Ultzingen 657. ſq.
Uncelinus dux Alemanniæ 747.
Unctorium 541.
Unduſſa fluviolus 676.
Ungersheim 729.
Untermundat 650.
Vocabula Celtica 90.
Vocetius mons pars Juræ 3.
Vocinſis pagus 644.
Voconius Vitulus miles Leg. XXII. 444.
Vocula Romanorum dux 366. occiſus 367.
Vodalrichus comes 787.
Vodani mons 458. 458.
Vogesus mons Alſatiæ 4. Alſatiæ terminus 2. 631. limes ducatus Alemanniæ 628. Germaniæ Cis-Rhenanæ 144. Tribocorum 117. deus habitus 79. 486.
Vogeſiana munimenta 238.
Volatilia Alſatiæ 10.
Volcæ Tectoſages Rhenum tranſeunt 16.
Volfrigesheim 714.
Volones 594.
Voluntarius miles 594.
Voſagenſis pagus 8.
Voſagus, *Voge*, vid. Vogeſus.
Vota nuncupare 459.
Voto dynaſta 795.
Urbach 714.
Urbes Alſatiæ Romanæ 149. in Gallia raræ 683. urbes epiſcopales 684. urbium Alſatiæ numerus 27.
Urbicus Veſontiæ epiſcopus 345.
Urbicus 456.
Uriconium Britanniæ oppidum 545.
Uricus rex Alemannorum Rhenum tranſit 402. à Romanis debellatur 410.
Urnæ perforatæ 510.
Urogenus Nertes veteranus Leg. XXII. 444.
Urſa limes Alemanniæ ducatus 629.
Urſacius magiſter officiorum 414.
s. Urſanne 658.
Ursbach 714.
Ursheim 725. 734.
Urſicini capella 657. ſq. monaſterium à Germano conditum 753.
Urſicinus rex Alemannorum Rhenum tranſit 402.
Urſinus Biturigum apoſtolus 327.
s. Urſiz 658.
Urſula & XI. millia virgines martyres 339. 380. 423.
Urſulus 471.
Urſulus grammaticus 381.
Urtella 806.
Urus vox Celtica 51.
Urunca Sequaniæ Alſaticæ locus 39. 43. 51. 200. 616.
Urzgouwe 675.
Uſipetes à Druſo domiti 278. à Germanico victi 278.
Uſipiorum cohortis fata 369.
Uſtericus dynaſta 795.
Uſi fluviolus 675.
Utzinbaum 714.
Utirencis 201.
Uttenheim 725.
Vulcanus à Lemniis cultus 324.
Vulfoaldus major domus 759.
Vulgares ſervi 519.

W.

Wachenheim 654.
Wachtelſtein 536.
Waldbahn 781.
Waldbetheim 714.
Waldarſes ibid.
Walderus de Lomersheim 625.
Waldgenoſſen 651.
Waldrada fundatrix monaſt. S. Petri Metenſis 748.
Walericus 750.
Wallenburg oppidum Raurici agri 38.
Wallenheim 714.
Walscheleben 673.
Walter von Briſach poeta 816.
Waltersberg 714.
Waltherus epiſcopus Baſileenſis 186.
Walaheim 653.
Wandali, vid. Vandali.
Wanga 710.
Wanzenaugia 653.
Waranangus 714.
Warida ibid.
Warinus cameræ nuntius 752. 770.
Warnecharius dynaſta 665. 795.
Waribach 650.
Wartenburgenſes arces 182. 186.
Waſenburg arx 240. 445. Waſenburgenſia monumenta 445.
Wasgau mons, vid Vogeſus.
Wasgovia pagus 8. 644.
Waſuben, vid. Vogeſus.
Waſſelnheim 714. Waſſelnheimenſes acidulæ 14.
Waſſerfall pars Juræ montis 3.
Watonewiler, *Wattweiler*, 714.
Watwilerana balnea 14.
Wazzelnheim 714.
Weibilesheim 710.
Weiler 735.
Weiſſenburgenſe monaſterium 736. in pago Spirigoviæ conſtructum 645. ejus conditor 211.
Weiſſenburgenſis emunitas 650. 653.
Weiſſenburgum an Sebuſium vocatum 60.
Welingen, *Wenilinga* 735.
Werdt 714.
Wernherus nuntius cameræ 752.
Werniza fluvius limes ducatus Alemanniæ 630.
1

Weſtpha-

Weſtphalorum nomen 620.
Weſtraſia, *Weſtrrich*, Weſtria, ibid.
Wetzflarienſis Baſilicæ fundatores 772.
Weyel rivulus Alſatiæ 22.
Weyer 718.
Weyher, *Weyler*, 653.
Wibelsheim 710.
Wibr rivulus Alſatiæ 24.
Wickersheim 735.
Wickersweihr vicus 663.
Wickerus comes de Horenburg 663.
Wido dynaſta 795. Widdonis dynaſtia 667.
Wierresheim 735.
Wieſa flumen 673.
Wifflisburg oppidulum Helvetiæ 130. 582.
Wigericus epiſcopus Metenſis 338.
Wigfridasheim 735.
Wihr 726.
Willarius dux Alemanniæ 750.
Wilfridus Eboracenſis epiſcopus 608. 743.
Wilgenbæſche 803.
Wihre 735.
Wingisbaim ibid.
Winſteinerbach rivulus Alſatiæ 24.
Wintarnheim 735.
Winzingen 654.
Wisbaden 570.
Witausbaim 735.
Witkiſaviæ comitatus 662.
Wittenheim, *Wittinisheim*, *Witzen*, 735.
Wiwersheim ibid.
Wodan nomen Mercurii 72. 435.
Woffenheim 649.
Wolcksheim 734.
Wolmetheim 633.
Worcheim comitatus 676.
Wormatiana Ruſiana vocata 203. ſedes ducum Francorum 627.
Wormazfelda 631.
Wreacha locus 202.
Wuorandus comes 789.
WUSTENBERGENSIUM Dux 434. 547.
Wutach flumen 672.

X.

Xantones Aleſiæ auxilia mittunt 109. 122.

Z.

Zabergovia 688.
Zabern 235. caſtrum 688.
Zana 791.
Zaringenſium familia 674.
Zehender, *Zehndrichter*, 791.
Zeinheim 735.
Zembs rivus Alſatiæ 21.
Zent 791.
Zillisheim 735.
Zinſela rivus Alſatiæ 24.
Zuentiboldus Lotharingiæ Rex 773.
Zulch rivus ducatus Juliacenſis 430.
Zullinetbaum 735.
Zuraren vicus Brisgoviæ an Urunca veterum 208.
Zurzachium emporium 208.
Zweyte Hardtgeraydt 654.

REGII CENSORIS APPROBATIO.

JUſſu Illuſtriſſimi Galliarum Cancellarii perlegi Opus Jo. Danielis Schoepflini, cui Titulus *Alſatia Illuſtrata*, *Celtica*, *Romana*, *Francica*, &c. nec in eo quidquam reperi, quo minus luce publica fruatur. Datum Pariſiis pridie Idus Novembris Anni MDCCL. Gros de Boze.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la Grace de Dieu Roy de France et de Navarre, à nos amés & féaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maitre des Requêtes ordinaire de notre Hôtel, grand Conſeil, Prévôts de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenants, Civils & autres nos Juſticiers, qu'il appartiendra; Salut. Notre bien-amé le Sr. Jean Daniel Schoefflin, notre Conſeiller Hiſtoriographe & de notre Académie des Inſcriptions & Belles Lettres, Nous a fait expoſer, qu'il deſireroit faire imprimer & donner au public un ouvrage de ſa compoſition qui a pour titre: *Alſatia Illuſtrata*, *Celtica*, *Romana*, *Francica*, &c. s'il Nous plaiſoit luy accorder nos Lettres de Privilége pour ce néceſſaires. A ces causes voulant favorablement traiter l'expoſant, Nous luy avons permis & permettons par ces préſentes, de faire imprimer ſon dit ouvrage en un, ou pluſieurs Volumes, & autant de fois, que bon luy ſemblera, & de le faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le temps de Quinze années conſécutives, à compter du jour de la date des préſentes; Faiſons défenſes à tous Imprimeurs, Libraires, & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance; comme auſſi d'imprimer ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter, ni contrefaire ledit ouvrage, ni d'en faire aucun extrait, ſous quelque prétexte que ce ſoit, d'augmentation, correction, changement ou autres, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit du dit expoſant, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende, contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers au dit expoſant, ou à celuy, qui aura droit de luy, & de tous dépens, dommages & interêts; A la charge, que ces préſentes ſeront enrégiſtrées tout au long ſur le régiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris dans trois mois de la date d'icelles, que l'impreſſion du dit ouvrage ſera faite dans notre Royaume & non ailleurs en bon papier & beaux caractères, conformément à la feüille imprimée, attachée pour modele ſous le contre-ſcel des préſentes, que l'impétrant ſe conformera en tout aux réglemens de la Librairie & notamment à celuy du dix Avril 1725. qu'avant de l'expoſer en vente le manuſcrit, qui aura ſervi de copie à l'impreſſion du dit ouvrage, ſera remis dans le même état, où l'approbation y aura été donnée, en mains de notre très cher & féal Chevalier le Sr. Delamoignon Chancelier de France & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliothéque publique, un en celle de notre Château du Louvre, un en celle de notre dit très cher & féal Chevalier le Sr. Delamoignon Chancelier de France, & un en celle de notre très cher & féal Chevalier le Sr. de Machault, Garde des Sceaux de France, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité des préſentes, du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir le dit expoſant & ſes ayans-cauſes pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir, qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement, Voulons, que la copie des préſentes, qui ſera imprimée tout au long au commencement, ou à la fin du dit ouvrage, ſoit tenuë pour duëment ſignifié, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & féaux Conſeillers Secretaires ſoy ſoit ajoûtée comme à l'original; Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent, ſur ce requis, de faire pour l'éxécution d'icelles tous actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, charte Normande & Lettres à ce contraires. Car tel est Notre Plaisir. Donné à Verſailles le neuviéme jour du mois de Janvier l'an de grace mil ſept cent cinquante un, & de Notre Régne le trente-ſixiéme. *Par le Roy en Son Conſeil.* Sainson.

Regiſtré ſur le Régiſtre Douze de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris N. 539. *fol.* 412. *conformement au Réglement de* 1723. *qui fait defenſe Art.* 4. *à toutes perſonnes, de quelque qualite qu'elles ſoient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, debiter & faire afficher aucuns Livres pour les vendre en leurs noms, ſoit qu'ils s'en diſent les auteurs ou autrement; & à la charge de fournir a la ſuſdite Chambre neuf exemplaires, preſcrits par l'Art.* 108. *du même Réglement, a Paris le* 29. *Janvier* 1751. Le Gras Syndic.

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Aug. 1878 – Dom Brial.
4 Vs – 51. 50

Digitized by Google